BIBLIOTHECA THEOLOGICA

SEPTEM LIBRIS DISTINCTA.

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam ſpectantia, tam ſecundùm ſe, quàm ſecundùm diuerſa eius munera, *Deducendi* concluſiones beneficio Artis Syllogiſticæ, vndè *Scholaſtica*, vel *Argumentatiua*: *Ordinandi*, & *explicandi* locos Theologicos, vndè *Poſitiua*, ſiuè *Thetica*, & *Fundamentalis*: *Defendendi* ſua principia aduerſus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Diſponendi* ſuas materias vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Myſtica*.

AVTHORE

F. DOMINICO A SS.^MA TRINITATE

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMVS SEPTIMVS.

Complectens Librum Sextum, in quo agitur de Sacra Doctrina, quatenus vtendo metaphoris dicitur Symbolica; & ſeptimum in quo agitur de eadem Doctrina, quatenus prouocando, vel dirigendo affectum in Deum dicitur Myſtica.

ROMAE,

Sumptibus Philippimariæ Mancini. M.DC.LXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX

Librorum, Sectionum, & Capitum huius Septimi Tomi Bibliothecæ Theologicæ.

LIBER SEXTVS

De Sacra Doctrina, quatenus vtendo Metaphoris dicitur Symbolica.

SECTIO PRIMA.

In qua explicatur notio, tàm quid nominis, quàm quid rei Theologiæ Symbolicæ.

CAP. I. Afferuntur nominis Symbolum etymologia, variæque eius ſignificationes. 1.
Cap. II. Explicatur à qua ſignificatione Sacra Doctrina nominatur Symbolica, quæque ſit definitio illius. 3.
Cap. III. Vtrum Theologia Symbolica ſit argumentatiua. 5.
Cap. IV. De conditionibus, vel regulis, ad quarum præſcriptum Theologia debet Sacra Symbola explicare, efformare, & applicare. 8.
Cap. V. Quis ſit verus Symbolorum ſenſus. 12.

SECTIO SECVNDA.

De antiquitate, & dignitate Theologiæ Symbolicæ.

Cap. I. Quam antiqua ſit Theologia Symbolica. 15.
Cap. II. De Theologiæ Symbolicæ præſtantia, ac dignitate. 17.

SECTIO TERTIA.

In qua agitur de neceſſitate Theologiæ Symbolicæ, breuiterque explicantur quatuor eius cauſa.

Cap. I. Adducuntur quinque capita neceſſitatis Theologiæ Symbolicæ ex

ex parte rerum. 19.
Cap. II. Afferuntur aliæ quinque rationes, ex parte capacitatis humanæ deſumptę, pro neceſſitate, vel conuenientia Theologiæ Symbolicæ. 22.
Cap. III. Soluuntur obiectiones contra Theologiæ Symbolicæ neceſſitatem. 23.
Cap. IV. Breuiter explicantur quatuor cauſæ Theologię Symbolicæ. 27.

SECTIO QVARTA.

In qua afferuntur variæ diuiſiones Theologiæ Symbolicæ in generali.

Cap. I. De diuiſione Theologiæ Symbolicæ in verbalem, & realem. 28.
Cap. 2. De diuiſione Theologiæ Symbolicę in externam, & internam. 30.
Cap. III. De diuiſione Theologiæ Symbolicę, attenta potentiarum diuerſitate, quibus ſymbola percipiuntur. 30.
Cap. IV. Affertur alia diuiſio Theologiæ Symbolicæ, per ordinem ad artes, & ſcientias. 31.

SECTIO QVINTA.

De ſubdiuiſione Theologiæ Symbolicæ verbalis, in ſuas partes, ac veluti ſpecies.

Cap. I. Symbolica verbalis ſubdiuiditur in Metaphoricam ſimplicem, Allegoricam, Parabolicam, Prouerbialem, Aenigmaticam, Emblematicam, & Fabularem. 34.
Cap. II. De Theologia Symbolica Prouerbiali, ſeu Adagiali. 39.
Cap. III. De Theologia Symbolica Aenigmatica. 41.
Cap. IV. De Theologia Symbolica Emblematica. 43.
Cap. V. De Theologia Symbolica Fabulari. 45.

SECTIO SEXTA.

De ſubdiuiſione Theologiæ Symbolicæ realis in ſuas partes, ac veluti ſpecies.

Cap. I. Quid nomine rerum, vnde Theologia Symbolica dicitur realis, intelligendum ſit. 47.
Cap. II. De aliquibus ſymbolis ex rebus naturalibus permanentibus deſumptis, quæ in Sacra Scriptura reperiuntur. 49.
Cap. III. De aliquibus ſymbolis in Scriptura contentis, & deſumptis ex rebus naturalibus fluentibus, quales ſunt plures perſonæ, tum earumdem acta, vel actiones. 125.
Cap. IV. De aliquibus artefactis permanentibus in Scriptura relatis, ex quibus Sacra Symbola formari poſſunt. 136.
Cap. V. De artefactis fluentibus, quæ in Sacra Scriptura materiam ſacris Symbolis prębent. 149.
Cap. VI. De apparitionibus, rebuſve apparentibus, quarum fit mentio in Sacra Scriptura, quæque ſacrorum Symbolorum materia eſſe poſſunt. 166.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

De Sacra Doctrina, quatenus dirigendo, vel prouocando affectum in Deum, dicitur Myſtica.

SECTIO PRIMA.

In qua traditur notio tàm quid nominis, quàm quid rei Theologiæ Myſticæ, tum eiuſdem diuiſio nec non huius Libri.

CAp. I. Affertur huius nominis, Myſterium, vndè Myſticum formatur, etymologia, tum variæ eius acceptiones. 179.

Cap. II. Breuiter explicantur, quæ ad Theologiam Myſticam directiuam, ſeu docentem pertinent. 181.

Cap. III. Quod Theologia Myſtica directiua, vel docens rectè vtatur terminis, ac phraſibus ſibi proprijs. pag. 182.

Cap. IV. Traditur notio quid rei, ſeu definitio Theologiæ Myſticæ elicitiuæ, ſiue vtentis, latè, ac veluti genericè ſumptæ; tum eiuſdem diuiſio. 188.

SECTIO SECVNDA.

In qua agitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria primi gradus charitatis, nimirum Incipientis, ſeu viæ Purgatiuæ.

Cap. I. Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ, propriæ Incipientium, ſeu viæ Purgatiuæ. 192.

Cap. II. De purgatione actiua partis intellectiuæ animæ. 194.

Cap. III. De purgatione actiua animæ, quoad partem cognoſcitiuam, in ſenſibus externis conſiſtentem. 199.

Cap. IV. De purgatione actiua animæ, quoad partem cognoſcitiuam ſenſuum internorum. 201.

Cap. V. De purgatione actiua animæ, quoad partem eius appetitiuam, ſeu affectiuam. 204.

§. I. De amore, eiuſque cauſis, & effectibus, tum diuiſione. 208.

§. II. De odio, eiuſque diuiſione cauſis, & effectibus. 212.

§. III. De deſiderio, & concupiſcentia, eiuſque cauſis, diuiſione, & effectibus. 214.

§. IV. De gaudio, ſeu delectatione, eiuſque diuiſione, cauſis, & effectibus. 218.

§. V. De fuga, ſeu abominatione, eiuſq; diuiſione cauſis, & effectibus. 221.

§. VI. De dolore, ſeu triſtitia, eiuſque diuiſione, & effectibus. 222.

§. VII. De ſpe, eiuſque cauſis, & effectibus. 226.

§. VIII. De deſperatione, eiuſque cauſis, & effectibus. 229.

§. IX. De timore, eiuſque ſpeciebus, cauſis, & effectibus. 231.

§. X. De audacia eiuſque cauſis, & effectibus. 235.

§. XI. De ira, eiuſque diuiſione, cauſis, & effe-

& effectibus . 237.
Cap. VI. De purgatione paſſiua animę, Deo illam probante, quoad partem inferiorem, ſeu ſenſitiuam. 248.
§. I. In quo conſiſtat purgatio paſſiuæ partis ſenſitiuæ. 248.
§. II. De diuerſis medijs, vel modis, quibus perficitur purgatio paſſiuæ partis ſenſitiuæ. 249.
§. III. De neceſſitate purgationis paſſiuæ partis ſenſitiuæ. 251.
§. IV. De effectibus purgationis paſſiuæ partis ſenſitiuæ. 252.
§. V. De ſignis, quibus dignoſci poteſt hanc purgationem paſſiuam eſſe à Deo. 253.
§. VI. Quomodo incipientes, tempore huius purgationis, ſe gerere debeant. 254.
Cap. VII. De purgatione paſsiua animæ, Deo illam probante quoad partem intellectiuam. 254.
§. I. In quo conſiſtat purgatio paſsiua partis intellectiuæ. 255.
§. II. De varijs modis, ac medijs, quibus perficitur purgatio paſsiua partis intellectiuæ. 255.
§. III. De neceſsitate purgationis paſſiuæ partis intellectiuæ. 256.
§. IV. De effectibus purgationis paſsiuę partis intellectiuæ. 257.
§. V. De ſignis, quibus dignoſci poteſt purgationem paſsiuam intellectiuam eſſe à Deo. 258.
§. VI. Quomodo, qui hac purgatione exercentur ſe gerere debeant. pag. 259.
Cap. VIII. De oratione incipientium, ſeu via purgatiua incedentium propria. 259.
§. I. In quo conſiſtat oratio incipientium propria. 259.
§. II. De præparatione ad orationem mentalem. 262.
§. III. De lectione in ordine ad orationem mentalem. 263.
§. IV. De meditatione, tertia orationis mentalis parte. 264.
§. V. De gratiarum actione, quarta orationis mentalis parte. 266.
§. VI. De oblatione, quinta orationis mentalis parte. 267.
§. VII. De petitione, ſexta, & vltima orationis mentalis parte. 267.
§. VIII. De his, quę faciunt orationem commendabilem, & exaudibilem. 274.
§. IX. De ſignis, ſeu effectibus bonæ, Deoque gratæ orationis. 274.
§. X. De diſtractionibus, & ariditatibus in oratione mentali occurrentibus, earumque remedio. 275.
§. XI. De materia orationis mentalis incipientium proprię. 276.
Cap. IX. De exercitio diuinæ præſentiæ. 277.
Cap. X. De mortificatione incipientium, ſeu viæ purgatiuæ propria. 282.
Cap. XI. De nonnullis incipientium defectibus, & eorum remedijs. 286.
Cap. XII. Quæ in hac ſectione dicta ſunt de primo gradu, vel ſtatu Theologiæ Myſticæ incipientium proprię ſummatim repetuntur. 289.

SECTIO TERTIA.

In qua agitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria ſecundi gradus charitatis, nimirum Proficientis, ſeu viæ illuminatiuæ.

Cap. I. Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ propriæ Proficientium, ſeu viæ illuminatiuæ. 294.
Cap. II. De virtutibus in communi, multiplicique earum diuiſione, quibus adipiſcendis proficientes ſtudere debent. 299.
Cap. III. De tribus Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate. 310.
§. I. De Fide. 310.
§. II. De Spe. 318.

§. 3.

SECTIONVM, ET CAPITVM.

§. III. De Charitate. 323.
Cap. IV. De quatuor Virtutibus Cardinalibus in communi, primumque de Prudentia in particulari. 337.
§. I. De Virtutibus Cardinalibus in communi. 337.
§. II. De Virtute Prudentiæ. 338.
§. III. De praxi, vel actibus virtutis prudentiæ. 343.
Cap. V. De virtute Iuſtitiæ. 347.
§. I. De actibus Religionis. 361.
§. II. De actibus Pietatis. 363.
§. III. De actibus Obſeruantiæ. 364.
§. IV. De actibus Obedientię. 365.
§. V. De actibus Gratitudinis. 369.
§. VI. De actibus veritatis, ſeu veracitatis. 371.
§. VII. De actibus Pœnitentiæ. 373.
Cap. VI. De Virtute Fortitudinis. pag. 374.
§. I. De actibus Fortitudinis. 379.
§. II. De actibus magnanimitatis, & magnificentiæ. 382
§. III. De actibus Patientiæ, & Perſeuerantię. 383.
Cap. VII. De Virtute Temperantiæ. pag. 385.
§. I. De actibus Temperantiæ. 392.
§. 2. De actibus Caſtitatis. 396.
§. 3. De actibus Continentiæ, Clementiæ, & Manſuetudinis. 404.
§. 4. De actibus modeſtiæ. 407.
§. 5. De actibus humilitatis. 419.
§. 6. De actibus paupertatis. 426.
Cap. VIII. De Donis Spiritus Sancti. pag. 428.
§. 1. De donis Spiritus Sancti in communi. 428.
§. 2. De Dono Sapientiæ. 446.
§. 3. De dono Intellectus. 453.
§. 4. De dono Scientiæ. 460.
§. 5. De dono Conſilij. 462.
§. 6. De dono Pietatis. 468.
§. 7. De dono Fortitudinis. 472.
§. 8. De dono Timoris. 475.
§. 9. De Beatitudinibus, ac fructibus Spiritus Sancti. 484.
Cap. IX. De virtutibus exemplaribus, Politicis, Purgatorijs, purgati animi, & heroicis. 486.
Cap. X. De proprietatibus virtutum. pag. 490.
§. 1. De medio virtutum. ibid.
§. 2. De connexione virtutum. pag. 496.
§. 3. De æqualitate, & inæqualitate virtutum. 506.
§. 4. De duratione virtutum. 511.
Cap. XI. De medio acquirendi Virtutes. 513.
Cap. XII. De augmento Virtutum. pag. 517.
Cap. XIII. De purgatione, vel mortificatione propria Proficientium. pag. 532.
Cap. XIV. De oratione Proficientium propria, quæ vocari ſolet Contemplatio, & multiplici eius diuiſione. pag. 540.
§. 1. De diuiſione Orationis ſupernaturalis in ordinariam, & extraordinariam. ibid.
§. 2. De diuiſione Orationis ſupernaturalis ordinariæ, in diſcurſiuam, & non diſcurſiuam. 542.
§. 3. De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinariæ, in Imaginariam, & intellectualem. 544.
§. 4. De diuiſione Orationis ſupernaturalis ordinariæ in affirmatiuam, & negatiuam. 547.
§. 5. De diuiſione Orationis ſupernaturalis ordinariæ in eam, quæ eſt per aſcenſum, & in eam, quæ eſt per deſcenſum. 555.
§. 6. De diuiſione Orationis ſupernaturalis ordinariæ in Circularem, Rectam, & Obliquam. 558.
§. 7. De diſpoſitionibus Proficientiũ ad Orationem ipſorum propriam. pag. 561.
§. 8. De effectibus Orationis Proficientium propriæ. 570.
§. 9. De materia Orationis, vel Contemplationis Proficientiũ propria. pag. 575.
Cap. XV. De defectibus Proficientium, & eorum remedijs. 579.

Cap. XVI. Quæ in hac Sectione dicta ſunt de ſecundo ſtatu, vel gradu Theologiæ Myſticæ Proficientium, ſeu viæ Illuminatiuæ propriæ breuiter recapitulantur. 582.

SECTIO QVARTA.

In qua agitur de Theologia myſtica, vt eſt propria tertij gradus charitatis, nimirum Perfectæ, ſeu Viæ Vnitiuæ. pag. 591.

Cap. I. Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ propriæ Perfectorum, ſeu Viæ Vnitiuæ. 591.

Cap. II. Explicatur quid vniuerſim ſit vnio, tùm varia eius genera, ſiue modi adducuntur, pariterque declarantur. 600.

Cap. III. In quanam ex dictis ſuperiori Capite vnionibus conſiſtat illa, quæ eſt Viæ Vnitiuæ propria. pag. 609.

Cap. IV. De vnitate, ſiue termino ex myſtica animæ cum Deo vnione reſultante. 619.

Cap. V. De aliquibus effectibus Vnionis Myſticæ Perfectorum magis proprijs. 627.

Cap. VI. De varijs Vnionis Myſticæ ſymbolis, vel figuris. 631.

§. 1. De Symbolis Verbalibus. ibid.

§. 2. De Symbolis realibus naturalibus eiuſdem vnionis. 651.

§. 3. De Symbolis realibus artificialibus Vnionis Myſticæ. 655.

SECTIO QVINTA.

In qua agitur de Vnione Myſtica in ſpecie ſecundum partem intellectiuam, ſeu prout fit per intellectum, eiuſque actus. 659.

Cap. I. Quod ad actus cognoſcitiuos, quibus anima in Vnione Myſtica coniungitur Deo, non requiratur alia potentia ab intellectu diſtincta. pag. 659.

Cap. II. Quod actus intellectus in quibus formaliter conſiſtit Vnio Myſtica, debent eſſe effectiuè à Contemplante, non verò à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè ſe habente. 661.

Cap. III. Quod ad actus intellectus ſupernaturales, in quibus formaliter conſiſtit Vnio Myſtica, requiratur quidem fides, ſed non ſufficiat, niſi perficiatur inſuper, & eleuetur per dona Spiritus Sancti, motionemque illis correſpondentem. pag. 663.

Cap. IV. Qua ratione dona Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, & Conſilij concurrant ad Contemplationem, vel Vnionem Myſticam. 665.

§. 1. De dono Sapientiæ. ibid.

§. 2. De dono Intellectus. 669.

§. 3. De dono Scientiæ. 673.

§. 4. De dono Conſilij. 676.

Cap. V. Vtrum detur aliquando ex parte intellectus principiũ formale, & elicitiuum contemplationis infuſæ, altius donis Spiritus Sancti. pag. 684

Cap. VI. De medio ex parte obiecti, ſeu de ſpeciebus Contemplationi infuſæ deſeruientibus, illamve perficientibus. 685.

Cap. VII. Vtrum contemplatio etiam infuſa huius ſtatus pendeat ab operatione phantaſiæ. 690.

Cap. VIII. De quibuſdam actibus intelle-

tellectus contemplationi infuſæ attributis analogicè ad actus ſenſuum externorum. 698.
§. 1. De Viſione, ſeu intuitione myſtica intellectuali; ibid.
§. 2. De auditione myſtica intellectuali, eique correſpondente locutione. 702.
§. 3. De Olfactu, Guſtu, & Tactu myſtico intellectuali. 707.
Cap. IX. Quod Deus Vnus, & Trinus, cæteraque ad ipſum pertinentia, ita ſint primarium, vel præcipuum obiectum contemplationis infuſæ Viæ Vnitiuæ Perfectorum propriæ, vt nunquam ipſi debeant excludere Sacroſanctam Chriſti Domini Humanitatem. 709.

SECTIO SEXTA.

In qua agitur de Vnione Myſtica in ſpecie ſecundum partem appetitiuam rationalem, ſeu prout fit per voluntatem, eiuſque actus. 718.

Cap. I. An ſine vllo intellectus actu voluntas in Vnione Myſtica Deum percipere, aut amare valeat. pag. 718.
Cap. II. An poſſit Deus ab homine amplius amari, quam intelligi, vel cognoſci. 724.
Cap. III. Quod in Vnione Myſtica, quantumuis altiſſima, amor ſit liber, ac meritorius. 730.
Cap. IV. Quod amor vnitiuus ſit amor veræ, & propriæ amicitiæ inter Deum, & homines. 736.
Cap. V. Verum in Vnione Myſtica, ſiue quæ in ea fit, inuiſibili perſonarum diuinarum miſsione, charitas vniat animam Deo non ſolum affectiuè, verum etiam realiter. pag. 742.
Cap. VI. De amore vnitiuo, ſeu charitate perfectorum ex verbis Chriſti Domini. 748.
Cap. VII. De amore vnitiuo, ſeu charitate perfectorum propria in ordine ad fugiendum malum, & faciendum bonum. 750.
Cap. VIII. De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogicè ad charitatẽ Sponſæ in Cantico Canticorum. 752.
Cap. IX. De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogicè ad charitatem Seraphinorum. pag. 757.
Cap. X. De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogicè ad charitatem, qua Chriſtus Petrem amauit. 760.
Cap. XI. De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria, in ordine ad amoris proprietates, vel effectus. 766.
Cap. XII. Quid virtus Theologica Spei præſtet in Vnione Myſtica. 772.
Cap. XIII. Quomodo in Vnione Myſtica tria Spiritus Sancti dona ad vim appetitiuam ſpectantia animam perficiant, ac eleuent. 786.
§. 1. De dono Pietatis. 787.
§. 2. De Dono Fortitudinis. 792.
§. 3. De Dono Timoris. 796.
Cap. XIV. De Perfectorum defectibus, & eorum remedijs. 801.

SECTIO VII.

In qua agitur de vnione myſtica in ſpecie ſecundum partem animæ ſenſitiuam tam internam, quàm externam, quatenus medijs eius actibus nonnunquam Deus ſe, ſuaque perfectis, ac ſanctis myſticè communicat. 805.

Cap. I. De actibus myſticis, ſeu diuinis impreſſionibus ad imaginationem ſpectantibus. 805.
Cap. II. De actibus myſticis, ſeu diuinis impreſſionibus ad ſenſus externos pertinentibus, primumque ad viſum. 812.
§. 1. De viſionibus, aut apparitionibus corpo-

corporeis Dei. 813.
§. 2. De Viſionibus, aut apparitionibus corporeis SS. Angelorum. 819.
§. 3. De Viſibilibus Chriſti apparitionibus, nec non B. V. Mariæ. 832.
§. 4. De viſibilibus humanorum ſpirituum apparitionibus. 835.
Cap. III. De Diuinis, vel myſticis impreſſionibus ad alios quatuor ſenſus externos, auditum ſcilicet, odoratum, guſtum, & tactum ſpectantibus. 840.
Cap. IV. De Raptu, & Extaſi. 842.
Cap. V. De gratijs gratis datis. 850
Cap. VI. De regulis, quibus vniuerſim veræ, & diuinæ impreſſiones dignoſci poſſunt à falſis, & diabolicis. 858.
Cap. VII. Verum, quæ in diuinis impreſſionibus interdum fiunt reuelationes priuatæ pertineant ad fidem communem, ſiue per illam credi debeant. 879.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc ſeptimo, & vltimo Tomo Bibliothecæ Theologicæ continentur, & explicantur.

Ex Veteri Teſtamento, librorum eius ordine ſeruato.

GENESEOS.

CAP. II. v. 2. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* pag. 641.
Ibid. v. 21. *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius.* 637.
Ibid. v. 25. *Et erunt duo in carne vna.* pag. 15.
Cap. 3. v. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum, &c.* 199.
Ibid. v. 8. *Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo.* pag. 704.
Cap. 5. v. 24. *Ambulauit cum Deo, & non opparuit, quia tulit illum Deus.* pag. 842.
Cap. 8. v. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait: nequaquã vltra maledicam terræ.* 123.
Cap. 9. v. 13. *Dixitque Deus &c. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* 15.
Ibid. v. 27. *Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.* 641.
Cap. 15. v. 1. *Ego ſum merces tuã magna nimis.* 330. 775. & 814.
Ibid. v. 12. *Cumque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* pag. 811.
Cap. 17. v. 1. *Ambula coram me.* 567.
Ibid. v. 1. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* 821.
Cap. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis.* 564.
Cap. 27. v. 19. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.* 372.
Ibid. v. 22. *Vox quidem vox Iacob, ſed manus ſunt Eſau.* 127.
Cap. 28. v. 20. *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, &c. & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* 416. & 469.
Cap. 49. v. 9. *Catulus leonis Iuda: accubuiſti vt leo.* 123.
Ibid. *Vidit requiem quod eſſet bona, &c.* pag. 641.

EXODI.

CAp. 3. v. 4. *Moyſem de medio Rubi vocauit dicens, Ego ſum Deus.* pag. 814.

Ibid. v. 6. *Ego ſum Deus Abraham.* pag. 271.

Ibid. v. 14. *Ego ſum qui ſum: hæc dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos.* pag. 553.

Cap. 12. v. 11. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.* 151.

Cap. 16. v. 30. *Et ſabbathizauit populus die ſeptimo.* 641.

Cap. 25. v. 40. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* 439. & 517.

Cap. 32. v. 32. *Aut dimitte eis, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* 363.

Cap. 33. v. 11. *Loquebatur Dominus ad eum facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* 678. & 739.

Cap. 34. v. 29. *Cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* 759.

Cap. 36. *Fecit ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens quibus dedit Dominus ſapientiam, & intellectum, vt ſcirent fabre operari.* 439.

LEVITICI.

CAp. 25. *Sabbathizes ſabbathum Domino.* 641.

NVMERORVM.

CAp. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum.* 810.

Ibid. v. 7. *At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.* 739.

Cap. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael.* 53.

DEVTERONOMII.

CAp. 4. v. 24. *Deus tuus ignis conſumens eſt.* 113.

Cap. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* pag. 748.

Cap. 24. v. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem, aut ſuperiorem partem molæ.* 576.

Cap. 32. v. 18. *Deum qui te genuit, dereliquiſti, &c.* 204.

Ibid. v. 20. *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo,* 204.

Ibid. v. 39. *Videte quod ego ſim ſolus Deus.* 657.

Cap. 33. v. 2. *In dextera eius ignea lex.* pag. 113.

Ibid. v. 9. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos; & neſcierant filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* 115.

Ibid. v. 28. *Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cælique caligant rore.* pag. 664.

I V D I C V M.

CAp. 5. v. 30. *Obliti ſunt Dei ſui, tradidit eos in manu Siſaræ.* 204.

Ibid. v. 31. *Qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.* pag. 99.

Cap. 9. v. 7. *Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.* 46.

Ibid. v. 8. *Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe Regem: dixeruntque oliuæ impera nobis, quæ reſpondit, &c.* 46.

Ibid. v. 10. *Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, & ſuper nos regnum accipe, &c. locutaque ſunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis, quæ reſpondit eis, nunquid, &c. Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos; quæ reſpondit eis: ſi verè me Regem vobis conſtituitis: venite, & ſub vmbra*

mea

mea requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuo-ret Cedros Libani. 46.

Ibid. v.16. *Nunc igitur ſi rectè, & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos Regem Abimelech, & benè egiſtis, &c.* pag. 46. & 47.

Cap.14. v. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* pag. 42.

Ibid. v. 12. *Proponam vobis Problema.* pag. 43.

Ibid. v. 18. *Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.* 41.

Cap.15. v. 14. *Irruit ſuper eum ſpiritus Domini, & ſicut ſolent ad ardorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta.* 474.

REGVM I.

CAp. 3. v. 10. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* 793.

Cap.18. v.1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* 211.

REGVM II.

CAp. 12. v. 5. *Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.* 23.

Ibid. v.7. *Tu es ille vir, qui feciſti rem hanc.* 23.

Cap. 17. v. 10. *Cuius cor eſt ſicut cor leonis.* 122.

REGVM III.

CAp.17. v.1. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto.* 281.

REGVM IV.

CAp. 14. v. 9. *Rex Ioas Regi Amaſiæ. Carduus Libani miſit ad cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: da filiam tuam filio meo vxorem. Tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* pag. 47.

PARALIPOMEN. II.

CAp. 6. v. 1. *Dominus pollicitus eſt, vt habitaret in caligine.* 664.

TOBIAE.

CAp.6. v. 17. *Qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, in eo habet poteſtatem dæmon.* 204.

Cap.12. v.19. *Videbar quidem vobiſcum manducare, bibere.* 827.

IVDITH.

CAp.9. v.16. *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit oratio.* pag. 270.

IOB.

CAp. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies eius.* 562.

Ibid. v.14. *Terrebis me per ſomnia, &c. elegit ſuſpendium anima mea.* 649.

Cap.12. v.11. *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis ſaporem.* pag. 112.

Ibid. v.12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* 92

Cap.14. v. 1. *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs.* 95.

Cap.17. v.11. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum, &c.* pag. 202.

Cap.20. v. 12. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.* 800.

Ibid. v. 14. *Panis eius in vtero illius vertetur, vt fel aſpidum intrinſecus.* pag. ibid.

Ibid. v. 16. *Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* ibid.

Ibid.

Ibid. v. 25. *Eductus, & egrediens de vagina ſua, & fulgurans in amaritudine ſua; vadent, & venient ſuper eum horribiles. Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in oculis eius: deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* 800.
Cap. 26. v. 11. *Columnæ Cęli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* 801.
Cap. 26. v. 13. *Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* 665.
Cap. 30. v. 7. *Qui inter huiuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſenſibus delitias computabant.* 94.
Cap. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis; vt ne cogitarent quidem de virgine.* 397.
Ibid. v. 23. *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.*
Cap. 33. v. 15. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit, &c.* 810.
Cap. 36. v. 16. *Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine.* 641.
Cap. 37. v. 17. *Nonne veſtimenta tua calida ſunt cum perflata fuerit terra auſtro.* 89.
Cap. 39. v. 29. *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad auſtrum.* 89.

PSALMORVM.

PSal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* 58.
Pſal. 3. v. 5. *Voce meâ ad Dominum clamaui.* 274.
Pſal. 4. v. 5. *Iraſcimini, & nolite peccare.* pag. 380.
Ibid. v. 9. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* 8. & 639.
Pſal. 9. v. 11. *Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* 796.
Pſal. 10. v. 1. *Transmigra in montem ſicut paſſer.* 66.
Pſal. 11. v. 3. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* 372.
Pſal. 12. v. 7. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptuplum.* pag. 32.
Pſal. 13. v. 5. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* 233.
Pſal. 15. v. 8. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.* pag. 203. & 281.
Pſal. 16. v. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* 109.
Pſal. 17. v. 2. *Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum, &c.* pag. 794.
Ibid. v. 11. *Et volauit ſuper pennas ventorum.* 11.
Ibid. v. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* 588.
Ibid. v. 30. *Et in Deo meo tranſgrediar murum.* 111.
Ibid. v. 42. *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret.* 274.
Pſal. 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* 556.
Ibid. v. 7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam. Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* 77.
Ibid. v. 10. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi.* 798.
Pſal. 19. v. 1. *Exaudiat te Dominus.* pag. 274.
Pſal. 21. v. 7. *Ego ſum vermis, & non homo.* 56. & 184.
Ibid. v. 15. *Sicut aqua effuſus ſum.* 56.
Pſal. 22. v. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* 56.
Ibid. v. 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es.* 794.
Pſal. 25. v. 1. *In Domino ſperans non infirmabor.* 323.
Pſal. 26. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* pag. 796.
Ibid. v. 3. *Si conſiſtant aduerſum me Caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat*

exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. 796.
Ibid. v. 4. *Vnam petij à Domino; hanc requiram.* 269.
Ibid. v. 6. *In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* 794.
Ibid. v. 8. *Requiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* 599.
Ibid. v. 13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* 68.
Pſalm. 28. v. 4. *Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificẽtia.* 111.
Pſal. 29. v. 7. *In abundantia mea non mouebor in æternum.* 289.
Pſal. 30. v. 1. *In te Domine ſperaui non confundar in æternum.* 323.
Ibid. v. 11. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.* 800.
Pſal. 31. v. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iuſti.* 577.
Pſal. 33. v. 1. *Exultate iuſti in Domino.* 577.
Ibid. v. 18. *Oculi Domini ſuper metuentes eum.* 796.
Pſal. 33. v. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore.* 370.
Ibid. v. 4. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* 469. & 788.
Ibid. v. 9. *Guſtate, & videte: quoniam ſuauis eſt Dominus.* 329. & 447. & 657. & 666.
Pſal. 35. v. 4. *Noluit intelligere vt bene ageret.* 315.
Ibid. v. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* 517.
Ibid. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* 611.
Pſal. 36. v. 4. *Delectare in Domino.* 238.
Pſal. 37. v. 12. *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt* 86. & 162.
Pſal. 38. v. 4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis.* 261. & 265.
Ibid. v. 9. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* 268.
Ibid. v. 13. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.* 274.
Pſal. 39. v. 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me.* 761.
Ibid. v. 13. *Et cor meum dereliquit me.* 202.
Pſal. 41. v. 1. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum.* 35. & 57.
Ibid. v. 10. *Apud me oratio Deo vitæ meæ dicam Deo, ſuſceptor meus es.* 563.
Pſal. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* 563.
Pſal. 43. v. 1. *Deus auribus noſtris audiuimus.* 200.
Ibid. v. 4. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluabit eos.* 739.
Ibid. v. 25. *Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* 565.
Pſal. 44. v. 1. *Eructauit cor meum verbum bonum.* 57. & 58.
Ibid. v. 6. *Sagittæ tuæ acutæ populi ſub te cadent.* 58.
Ibid. v. 11. *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet.* 780.
Pſal. 47. v. 6. *Ibi dolores vt parturientis.* 58.
Ibid. v. 7. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* 111.
Pſalm. 49. v. 4. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet.* 58.
Pſal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* 156.
Pſal. 54. v. 6. *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* 58. & 164.
Pſal. 56. v. 2. *Et in vmbra alarum tuarum ſperabo.* 60.
Pſal. 57. v. 10. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ Rhamnum.* 56.
Pſal. 61. v. 11. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* 107.
Pſal. 62. v. 6. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* 270.
Pſal. 63. v. 8. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* 672.
Pſal. 64. v. 1. *Te decet hymnus Deus in Syon.* 184.
Ibid. *Quoniam tu es Domine ſpes mea,* pag. 321.

Pſal. 65. v. 9. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* 60.
Pſal. 67. v. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* 428.
Ibid. v. 35. *Ecce dabit voci ſua vocem virtutis.* 704.
Pſal. 68. v. 21. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur.* 578.
Pſal. 71. v. 3. *Suſcipiant montes pacem populo; & colles iuſtitiam.* 35.
Ibid. v. 6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia. &c.* 60.
Pſal. 72. v. 22. *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui, vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* 790.
Ibid. v. 24. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me.* 761.
Ibid. v. 26. *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei. &c.* 764.
Pſal. 77. v. 65. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus à vino.* 650.
Pſal. 79. v. 20. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* 267.
Pſal. 82. v. 12. *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſyluam &c.* 61.
Pſal. 83. v. 3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 768. & 842.
Ibid. v. 6. *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* 133.
Ibid. v. 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* 133.
Ibid. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* 271.
Pſal. 84. v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* 646. & 703.
Pſal. 88. v. 38. *Et thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in aeternum; & teſtis in Cælo fidelis.* 61. & 77.
Pſal. 89. v. 6. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat.* 61.
Ibid. v. 10. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* 62.
Pſal. 90. v. 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* 268.
Ibid. v. 15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* 270.
Pſal. 91. v. 4. *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* 556. & 675.
Ibid. v. 12. *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur.* 62.
Pſal. 92. v. 1. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* 88.
Pſal. 96. v. 2. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* 588.
Ibid. v. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota eſt terra: montes ſicut cera &c.* 106.
Ibid. v. 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota eſt terra. &c. pag.* 87. & 799.
Ibid. v. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* 483.
Pſal. 99. v. 3. *Scitote quoniam Dominus eſt Deus.* 203.
Pſal. 100. v. 1. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* 122.
Pſal. 101. v. 4. *Defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* 63. & 143.
Ibid. v. 7. *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut Nycticorax in domicilio.* 63.
Ibid. v. 8. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* 63.
Ibid. v. 12. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui; tu autem Domine in æternum permanes. pag.* 119.
Ibid. v. 18. *Reſpexit in orationem humilium.* 279.
Pſal. 102. v. 18. *Memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* 203.
Ibid. v. 18. *Dominus in Cælo parauit ſedem ſuam.* 568.
Pſall. 103. v. 5. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in*
ſecu-

ſæculum ſæculi. 188.

Pſal. 104. v. 5. *Mementote mirabilium eius quæ fecit.* 203.

Pſal. 105. v. 3. *Qui faciunt iuſtitiam omni tempore.* 347.

Pſal. 106. v. 43. *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini.* 434.

Pſal. 107. v. 1. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſallam &c.* 438.

Pſal. 109. v. 8. *De torrente in via bibet.* 65.

Pſal. 110. v. 10. *Initium ſapientiæ timor Domini.* 233. & 484.

Pſal. 111. v. 9. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* 347.

Pſal. 115. v. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, calicem ſalutaris accipiam. &c.* 468. & 788.

Pſal. 107. v. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* 796

Ibid. v. 12. *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* 65.

Ibid. v. 14. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* 381.

Pſal. 118. v. 12. *Benedictus es Domine: doce me iuſtificationes.* 344.

Ibid. v. 18. *Reuela oculos meos.* 699

Ibid. v. 24. *Et conſilium meum iuſtificationes tuæ.* 344.

Ibid. v. 28. *Dormitauit anima mea præ tædio.* 581.

Ibid. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.* 96. & 248.

Ibid. v. 37. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem; in via tua viuifica me.* 397.

Ibid. v. 60. *Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* 441.

Ibid. v. 85. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes tuas: ſed non vt lex tua.* 46.

Ibid. v. 113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* 213.

Ibid. v. 120. *Confige timore tuo carnes meas. à iudicijs enim. &c.* 392. & 593. & 786.

Ibid. v. 127. *Ideò dilexi mandata tua, ſuper aurum, & topazion.* 370.

Ibid. v. 158. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam.* 763.

Ibid. v. 163. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* 576.

Ibid. v. 176. *Erraui ſicut ouis quæ periit, quære &c.* 119.

Pſal. 122. v. 1. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cælis.* 568.

Pſal. 123. v. 6. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* pag. 65. & 66.

Pſal. 125. v. 4. *Conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro* pag. 89.

Pſal. 126. v. 4. *Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum.* 35.

Pſal. 127. v. 2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis.* 322.

Ibid. v. 3. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus. &c.* 110.

Pſal. 130. v. 1. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* pag. 419.

Pſal. 131. v. 8. *Surge Domine in requiẽ tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* pag. 641.

Pſal. 132. v. 2. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* 152.

Pſal. 138. v. 15. *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto.* 567.

Ibid. v. 22. *Perfecto odio oderam illos.* pag. 213.

Pſal. 140. v. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* 123.

Pſal. 142. v. 5. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.* 556

Ibid. v. 10. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* 344.

Ibid. v. 11. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* 665.

Pſal. 143. v. 5. *Tange montes, & fumigabunt.* 35.

PROVERBIORVM.

CAp. I. v. 5. *Audiens ſapiens ſapientior erit. &c.* 200.
Ibid. v. 5. *Ad animaduertendam parabolam, & interpretationem verba ſapientum, & ænigmata eorum.* 36.
Ibid. v. 33. *Qui me audierit, abſque terrore quieſcet, & abundantia perfruetur timore maſublato.* 798.
Cap. 4. v. 18. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectam diem.* 77. & 532. 571. & 592.
Ibid. v. 23. *Omni cuſtodia ſerua cor tuũ, quia ex ipſo Vita procedit.* 91.
Cap. 6. v. 6. *Vade ad Formicam ò piger.* 66.
Ibid. v. 26. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis, mulier autem Viri pretioſam animam capit.*
Ibid. v. 19. *In multiloquio non deerit peccatum.* 412.
Ibid. v. 20. *Argentum electum lingua iuſti.* 66.
Ibid. v. 27. *Poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius, &c. pag.* 107.
Cap. 14. v. 22. *Errant qui operantur malum.* 117.
Cap. 16. v. 1. *Hominis eſt præparare cor, Domini gubernare linguam.* 113.
Ibid. v. 6. *In timore Domini declinatur à malo.* 484.
Ibid. v. 24. *Fauus mellis compoſita verba.* 66.
Cap. 17. v. 4. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labys mendacibus.* 290.
Ibid. v. 12. *Expedit magis Vrſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* 67.
Cap. 18. v. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ.* 67.
Ibid. v. 21. *Mors & vita in manu linguæ.* 113. & 415.
Cap. 19. v. 12. *Sicut fremitus Leonis, ita & Regis ira, & ſicut ros ſuper herbã, ita & hilaritas eius.* 67.
Cap. 22. v. 6. *Adoleſcens iuxta viam ſuã, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. pag.* 94
Ibid. v. 22. *Qui diligit cordis munditiam habebit amicum Regem.* 396.
Cap. 23. v. 20. *Noli eſſe in conuiuÿs potatorum, nec in commeſſationibus eorũ, qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes potibus &c.* 2.
Cap. 25. v. 11. *Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore ſuo. pag.* 412.
Ibid. v. 14. *Nubes, & ventus, & pluuia non ſequentes vir glorioſus, & promiſſa non complens.* 229.
Cap. 26. v. 20. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, et ſuſurrone ſubtracto, iurgia conquieſcent.* 410.
Cap. 27. v. 9. *Vnguentis, et varÿs odoribus delectatur cor, et bonis amici conſilÿs anima dulcoratur.* 678.
Cap. 30. v. 8. *Tribue tantum victui meo neceſſaria.* 268.

ECCLESIASTES.

CAp. I. v. 2. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* 675.
Cap. I. v. 4. *Terra autem in æternum ſtat.* 68.
Ibid. v. 6. *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus.* 68.
Cap. 2. v. 3. *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam.* 394.
Cap. 7. v. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.* 65. et 69.
Ibid. v. 5. *Cor ſapientium, vbi triſtitia et cor ſtultorum vbi lætitia.* 225.
Ibid. v. 14. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* 273.
Cap. 8. v. 4. *Et ſermo illius poteſtate plenus erat.* 704.
Cap. 9. v. 10. *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia*

nec opus, nec ratio, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. 127.
Cap. 10. v. 1. *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* 69.
Cap. 11. v. 3. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* 69.

CANTICORVM.

CAp. 1. v. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* 186. et 634. et 665.
Ibid. v. 4. *Trahe me poſt te in odorem curremus vnguentorum tuorum.* 581. et 657. et 733.
Ibid. v. 7. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* 9. et 93.
Ibid. v. 9. *Equitatui meo aſſimilaui te.* pag. 273.
Ibid. v. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* pag. 70.
Ibid. v. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* 70. et 718
Cap. 2. v. 1. *Ego flos campi, et lilium conuallium.* 70.
Ibid. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* 71.
Ibid. v. 3. *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* 641.
Ibid. v. 4. *Ordinauit in me charitatem.* pag. 335.
Ibid. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* 50.
Ibid. v. 6. *Læua eius ſub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* 186.
Ibid. v. 9. *Similis eſt dilectus meus capreæ Hinnuloque ceruorum.* 72.
Ibid. v. 9. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* 203.
Ibid. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* 625. et 656.
Cap. 3. v. 4. *Tenui eum, nec dimittam.* pag. 709.
Ibid. v. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris &c.* 123.
Ibid. v. 11. *Egredimini, et videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* 766.
Cap. 4. v. 1. *Oculi tui columbarum.* pagin. 72.
Ibid. v. 1. *Capilli tui ſicut grex caprarum.* 72.
Ibid. v. 2. *Dentes tui ſicut grex tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro.* 72.
Ibid. v. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* 72.
Ibid. v. 6. *Vadam ad montem, & ad collem thuris.* 123.
Ibid. v. 11. *Mel, et lac ſub lingua tua.* pagin. 83.
Ibid. v. 16. *Veni auſter, perfla in hortum meum, et fluent aromata.* 89.
Cap. 5. v. 1. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* 123.
Ibid. v. 1. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* 708.
Ibid. v. 2. *Ego dormio, et cor meum vigilat.* 636.
Ibid. v. 6. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt dilectus.* 185.
Cap. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, et adoleſcentularum non eſt numerus.* 65. et 752
Ibid. v. 8. *Vna eſt columba mea.* 752
Ibid. v. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.* 73.
Ibid. v. 9. *Pulchra vt Luna.* 77.
Ibid. v. 9. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* 132.
Cap. 7. v. 10. *Ego dilecto meo, et ad me conuerſio eius.* 656.
Cap. 8. v. 6. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* 73. et 753. et 755.
Ibid. v. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio.* pag. 763.
Ibid. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruant illam.* 753. et 755
Ibid. v. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* 753. et 756.

SAPIENTIAE.

CAp. 3. v. 6. *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* 73.
Ibid.v. 10. *A Domino receſſerunt.* 610.
Cap.7.v.7. *Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* 431. & 434.
Ibid.v.10. *Et propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* 434.
Ibid.v.24. *Diuina ſapientia attingit vbique propter ſuam munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei.* 74. & 604.
Ibid.v.25. *Vapor eſt enim virtutis Dei.* pag. 740.
Cap.8.v.7. *Sobrietatem, & ſapientiam docet, iuſtitiam, & virtutem, quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus.* pag. 308.
Cap. 9. v. 14. *Cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* 514.
Ibid. v. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* 574.
Cap.10.v.10. *Hæc profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas: & oſtendit illi Regnum Dei.* 167. & 675.
Ibid.v.10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* 676.
Cap.11. v. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* 185.
Cap.13. v. 1. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* pagin. 147. & 556.
Ibid.v.1. *Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt: neque operibus &c.* 556.
Ibid.v.5. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* 18.
Cap. 14. v. 11. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in &c.* 556. & pag. 675.
Cap.18. v.24. *In veſte poderis totus erat orbis terrarum.* 147.

ECCLESIASTICI.

CAp.1. v. 5. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* 76.
Ibid.v.27. *Timor Domini expellit peccatum.* 478.
Cap.3.v. 14. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da. &c.* pag. 363.
Ibid.v. 19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* 405.
Ibid.v.22. *Altiora te ne quæſieris; & in pluribus operibus Dei ne fueris curioſus.* 217.
Ibid.v. 26. *Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum; & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* 217.
Ibid. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* pag. 74.
Cap.6.v.6. *Pacifici ſint tibi multi, conſiliarius vnus è mille.* 99.
Ibid.v. 14. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non &c.* 99.
Ibid.v. 34. *Si dilexeris audire, ſapiens eris.* 200.
Cap.7.v. 40. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* 146.
Cap.8.v.4. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna.* 410.
Cap.9.v.4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* 399.
Cap.10. v. 31. *Fili in manſuetudine ſerua animam tuam.* 406.
Cap. 11. v. 3. *Breuis in volatilibus eſt apis.* 74.
Cap. 14. v. 18. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi.* 74.
Cap.15.v.3. *Et aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* 74.
Ibid. v. 5. *Adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.* 431.

Cap. 19. v. 1. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* 298.
Ibid. v. 2. *Vinum, & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes.* 400.
Ibid. v. 26. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* 416.
Cap. 20. v. 8. *Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam.* 412.
Cap. 21. v. 10. *Stuppa collecta ſynagoga peccantium.* 75.
Ibid. v. 28. *Verba autem prudentum ſtatera ponderabuntur.* 412.
Cap. 24. v. 20. *Ego quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* 70. & 707.
Ibid. v. 29. *Qui bibent me, adhuc ſitient.* pag. 109. & 574.
Cap. 28. v. 27. *Et immittitur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet.* 78.
Ibid. v. 28. *Aurum tuum, & argentum tuum conſla &c.* 412.
Cap. 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* 416.
Cap. 30. v. 24. *Triſtitiam longe expelle à te.* 384.
Cap. 38. v. 4. *Altiſſimus creauit de terra medicinam & vir prudens non abhorrebit illam. nonne à ligno indulcata eſt. &c.* 51.
Ibid. v. 19. *A triſtitia enim feſtinat mors* pag. 224.
Cap. 39. v. 6. *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conſpectu altiſſimi deprecabitur, et in oratione confitebitur Domino.* 514. et 678.
Ibid. v. 24. *Opera omnis carnis coram Domino, et non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius.* 203.
Cap. 42. v. 13. *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.* 78. et 402.
Ibid. v. 14. *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* 78.
Cap. 47. v. 2. *Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à Filijs Iſrael.* 79.
Cap. 48. v. 1. *Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, et verbum illius quaſi facula ardebat.* 79.
Cap. 49. v. 1. *Memoria Ioſiæ, quaſi mel in ore.* 79.
Cap. 50. v. 6. et 7. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, et quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, et quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei.* pag. 77. et 79.
Ibid. v. 8. *Et quaſi flos roſarum in diebus vernis.* 81.
Cap. 51. v. 11. *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ, quæ à ſæculo ſunt.* 203.

I S A I AE.

Cap. 2. v. 2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* 82.
Ibid. v. 11. *Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in illa die.* 799.
Ibid. v. 12. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, &c.* pag. 806.
Cap. 4. v. 6. *In ſplendore ignis flammantis in nocte.* 66.
Cap. 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis.* 82. & 94.
Cap. 7. v. 15. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare.* 82.
Cap. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* 52. & 70.
Ibid. v. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, &c.* pag. 428. & 441.
Ibid. v. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, &c.* pag. 13. & 83.
Cap. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 711.
Cap. 16. v. 9. *Inebriabo te lachryma mea.* pag. 187.
Cap. 17. v. 10. *Eris deſerta, quia oblita es Dei Creatoris tui.* 204.

Cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum.* 83.
Cap. 23. v. 9. *Dominus Exercituum cogitauit hoc, vt detraheret omnem ſuperbiam.* 96.
Cap. 24. v. 16. *Secretum meum mihi.* pag. 57.
Ibid. v. 23. *Erubeſcet luna, & confundetur Sol cum regnauerit Dominus exercituum.* 106.
Cap. 29. v. 9. *Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini, & non ab ebrietate.* 650.
Cap. 30. v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo ardens furor eius, & grauis ad portandum.* 203.
Cap. 32. v. 17. *Erit opus iuſtitiæ, pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium.* 646.
Cap. 33. v. 6. *Diuitiæ ſalutis, ſapientia, & ſcientia.* 676.
Cap. 40. v. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* 799.
Ibid. v. 31. *Aſſument pennas ſicut aquilæ.* pag. 84.
Ibid. v. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* 96. & 618.
Cap. 44. v. 22. *Deleui vt nubem iniquitatem tuam.* 111.
Cap. 45. v. 8. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* 68. & 85.
Cap. 46. v. 3. *Audite me domus Dauid, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, &c.* 567.
Ibid. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* 678.
Cap. 47. v. 10. *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te.* 82.
Cap. 49. v. 10. *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos Sol, & æſtus.* pag. 109.
Cap. 50. v. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* pag. 703.
Cap. 51. v. 16. *Poſui verba mea in ore tuo, vt plantes cęlos.* 89.
Cap. 52. v. 15. *Iſte aſperget multas gentes.* 163
Cap. 53. v. 2. *Et non erat ei aſpectus, neque decor.* 162.
Ibid. v. 3. *Quaſi abſconditus vultus eius.* pag. 85. & 162.
Ibid. v. 4. *Et nos putauimus eum quaſi leproſum.* 85. & 162.
Ibid. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, &c.* 101.
Ibid. v. 7. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperuit os ſuum.* pag. 162.
Cap. 54. v. 11. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, &c.* 86.
Cap. 56. v. 7. *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* 571.
Ibid. v. 10. *Speculatores eius, &c. Canes muti non valentes latrare.* 86.
Cap. 58. v. 11. *Et ſicut fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ.* 86.
Ibid. v. 13. *Sabbathum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum.* 642.
Cap. 59. v. 2. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* pag. 610.
Cap. 60. v. 8. *Qui ſunt iſti qui, vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* 87.
Cap. 61. v. 11. *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam ſuam.* 103.
Cap. 64. v. 6. *Cecidimus quaſi folium.* pag. 88.
Cap. 66. v. 1. *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* pag. 88.
Ibid. v. 2. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* pag. 796.

IERE-

SACRAE SCRIPTVRAE.

IEREMIAE.

CAp. 1. v. 6. A. a. a. *Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* 646.
Cap. 2. v. 19. *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.* 476. & 758.
Cap. 5. v. 6. *Lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum.* 88.
Cap. 9. v. 21. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.* 184.
Cap. 11. v. 16. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum.* 89.
Cap. 13. v. 19. *Ciuitates Auſtri clauſæ ſunt.* 89.
Ibid. v. 23. *Si mutare poteſt Aethyops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas.* 89.
Cap. 17. v. 9. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile.* 186.
Ibid. v. 11. *Perdix fouit quæ non peperit: facit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas.* pag. 90.
Cap. 23. v. 9. *Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius.* 650.
Ibid. v. 13. *Prophetæ prophetabant in baal.* 669.

THRENORVM.

CAp. 1. v. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* pag. 578. & 579.
Cap. 2. v. 4. *Firmauit dexteram ſuam, quaſi hoſtis, & occidit omne, quod pulchrum erat viſu.* 800.
Cap. 3. v. 15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio, & fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere, & repulſa eſt à pace anima mea, &c.* 798.
Ibid. v. 19. *Recordare paupertatis meæ, abſynthÿ, & fellis.* 203.
Ibid. v. 29. *Ponet in puluere os ſuum.* pag. 565.
Ibid. v. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.* 65. & 90.

EZECHIELIS.

CAp. 1. v. 20. *Et ſpiritus vitæ erat in rotis.* 112.
Cap. 3. v. 9. *Dedi faciem tuam, &c. vt adamantem.* 90.
Ibid. v. 14. *Spiritus ipſe leuat, & aſſumit hominem quaſi manus Domini confortans.* 596.
Cap. 8. v. 3. *Spiritus eleuauit me inter Cœlum, & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei.* 592.
Cap. 9. v. 4. *Signa Thau ſuper frontes, virorum gementium abominationes terræ.* 42. & 203.
Cap. 36. v. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* 90.
Cap. 40. v. 2. *Super montem erat quaſi ædificium ciuitatis.* 91.
Ibid. v. 3. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi æris.* 91.
Ibid. v. 5. *In manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum.* 646.

DANIELIS.

CAp. 2. v. 28. *Eſt Deus in Cœlo reuelans myſteria.* 699.
Cap. 4. v. 10. *Vigil, & ſanctus de Cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem.* 171.
Cap. 5. v. 25. *Mane, Thecel, Phares* pag. 171.
Cap. 7. v. 9. *Antiquus dierum ſedit.* pag. 191.
Ibid. v. 9. *Aſpiciebam donec Throni poſiti ſunt, & Antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda,*

da, &c. 808.
Cap.10. v. 7. *Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem: porrò viri, qui erant mecum, non viderunt.* 831.
Cap.12. v.3. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellę in perpetuas æternitates.* 79.
Ibid. v.4. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad ſtatutum tempus, plurimi tranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* 22.

OSEAE.

CAp.2. v.6. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis.* 92.
Ibid. v.14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* 183. & 642.
Ibid. v. 20. *Sponſabo te mihi in fide.*
C.4.v.2. *Et ſanguis ſanguinē tetigit.* 92.
Cap.5. v.12. *Ego quaſi tinea Ephraim, quaſi lcana.* 92.
Cap.6. v.3. *Quaſi diluculum præparatus eſt greſſus eius.* 93
Cap.7. v.11. *Et factus eſt Ephraim, quaſi columba ſeducta non habens cor.* pag. 93.
Cap.9. v.10. *Et facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* 616.
Cap.10. v.11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* 94.
Cap.12. v.10. *Ego viſionem multiplicaui eis, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum.* 20. & 699.

IOELIS.

CAp.1. v. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* 94.
Ibid. v.5. *Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* 650.
Ibid. v.17. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* 204.
Cap.2. v.23. *Et deſcendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum.* 95.

AMOS.

CAp.5. v. 7. *Qui conuertitis in abſynthium Iudicium.* 95.
Ibid. v.23. *Aufer à me tumultus carminum tuorum, & Cantica lyræ tuæ non audiam.* 200.
Cap.8. v.1. *Et ecce vncinus pomorum.* pag. 95.
Cap.9. v.13. *In diebus illis ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.* 35.

ABDIAE.

CAp.1. v.4. *Si exaltatus fueris, vt aquila.* 95.

IONAE.

CAp.4. v.6. *Et præparauit Deus hederam.* 96.

MICHAEAE.

CAp. 1. v. 16. *Dilata caluitium tuum ſicut aquila.* 96.

NAHVM.

CAp. 1. v.10. *Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuiū pariter potantium.* 96.

HABACVC.

CAp.1.v.14. *Et facies homines quaſi piſces maris.* 96.
Cap. 2. v.6. *Væ ei qui multiplicat non ſua? vſquequò, & aggrauat contra ſe denſum lutum.* 97.
Cap.3. v.3. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan; aperuit Cęlos gloria eius.* 89.
Ibid. v. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV ſalutari meo.* 226.
Ibid. v.19. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum.* 97.

SOPHO-

SOPHONIAE.

CAp. 1. v. 17. *Ambulabunt vt caeci, quia Domino peccauerunt.* 120.
Cap. 2. v. 14. *Coruus in ſuperliminari, cras, cras.* 97.
Cap. 3. v. 3. *Iudices eius lupi veſperè non relinquebant in manu.* 98.

ZACHARIAE.

CAp. 1. v. 8. *Et ecce vir ſuper equũ rufum inter myrtheta.* 98.
Cap. 6. v. 12. *Ecce vir oriens nomen eius.* 99.

MALACHIAE.

CAp. 3. v. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum,* pag. 98.
Cap. 4. v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiae.* 78. & 99.

MACHABAEORVM I.

CAp. 3. v. 19. *Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de Caelo fortitudo eſt.* 431.
Cap. 4. v. 45. *Quod incidit illis bonum conſilium.* 449.

MACHABAEORVM II.

CAp. 2. v. 7. *Ignotumque fore locum, donec congreget Deus congregationem populi.* 138.
Cap. 6. v. 30. *Diros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam verò propter timorem tuum libenter haec patior.* 379.
Cap. 7. v. 21. *Mater foeminea cogitationi maſculinum animum inſerens, ſeptem filios ad ſubeundum martyrium hortatá fuerit.* 150.
Cap. 15 v. 27. *Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt Nicanorem cum triginta quinque millibus praeſentia Dei magnificè delectati.* 281.

Ex nouo Teſtamento librorum, eius ordine ſeruato.

MATTHAEI.

CAp. 3. v. 2. *Poenitentiam agite, appropinquauit Regnum Caelorum.* pag. 165.
Ibid. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* 840.
Cap. 4. v. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* 651.
Ibid. v. 18. *Poenitentiam agite appropinquauit Regnum Caelorum.* 165.
Ibid. v. 19. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* 176.
Cap. 5. v. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* 154. & 314.
Ibid. v. 6. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* 347.
Ibid. v. 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* 70.
Ibid. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* 314. 485. 453. 426. 563. 588.
Ibid. v. 10. *Beati qui perſecutionem patiuntur.* 484.
Ibid. v. 13. *Vos eſtis ſal terrae.* 22. & 100.
Ibid. v. 19. *Iota vnum, aut vnus apex non praeteribit à lege donec omnia fiant.* 42.
Ibid. v. 37. *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non.* 371.
Ibid. v. 45. *Qui ſolem ſuum oriri facit.* pag. 77.
Ibid. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicuti, & Pater veſter Caeleſtis perfectus eſt.* 134. 280. 486. 593. & 628.
Cap. 6. v. 1. & 2. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Cum ergo facis eleemoſynam.* 347.
Ibid. v. 6. *Cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* 643.

Ibid. v.7. *Orantes autem nolite multum loqui.* 265.

Ibid. v. 33. *Primum quærite Regnum Dei.* 270. & 323.

Ibid. v.34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua.* 228. & 323.

Cap.7. v.6. *Nolite ſanctum dare canibus.* 24. & 180.

Ibid. v.21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnũ Cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cęlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Calorum.* 266.

Cap.10. v. 16. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* pag. 59. 163. & 343.

Ibid. v.16. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. eſtote ergo prudentes ſicut, &c.* 102.

Ibid. v.20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris, qui loquitur in vobis.* 112.

Ibid. v. 32. *Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cęlis eſt, &c.* 317.

Cap. 11. v. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam.* pag. 103.

Ibid. v.12. *Regnum Cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 112.

Ibid. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* 126. 406. & 517.

Cap.12. v.38. *Magiſter volumus à te ſignum videre.* 5.

Ibid. v.39. *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ; ſicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ.* 5.

Cap.13. v. 11. *Quia vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Cęlorum, illis autem non eſt datum.* 180.

Ibid. v. 13. *Ideo in parabolis loquor eis; quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, &c.* pag. 26.

Ibid. v. 30. *Alligate ea in faſciculos ad comburendum.* 75.

Ibid. v.33. *Simile eſt Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus.* 38.

Ibid. v.34. *Et ſine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem, aperiam in parabolis os meum, & eructabo abſcondita, &c.* 16. 39. & 58.

Ibid. v.43. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in Regno Patris eorum.* 99.

Cap.15. v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* 158.

Ibid. v.24. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* 61.

Cap.16. v.17. *Caro, & Sanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cælis.* 112.

Ibid. v.26. *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* 54.

Cap. 18. v. 15. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te ipſum, & ipſum ſolum.* pag. 336.

Cap.19. v.11. *Non omnes capiunt verbum hoc.* 180. & 431.

Ibid. v.19. *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum.* 401.

Ibid. v.17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* 305.

Ibid. v.28. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* 170.

Cap. 22. v. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* pag. 346.

Ibid. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* 134. 329. & 748.

Cap. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* 60. & 105.

Cap.24. v. 27. *Sicut enim fulgur erit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit, & aduentus filij hominis.* 105.

Ibid. v.29. *Sol obſcurabitur,& luna non dabit lumen ſuum*. 106.
Ibid. v.32. *Ab Arbore autem fici diſcite parabolam*. 35.
Cap.25. v.21. *Intra in gaudium Domini tui*. 184.
Ibid. v.41. *Ite maledicti in ignem æternum*. 56.74.& 165.
Cap.26.v.38. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. 247.& 795.
Ibid. v.39. *Procidit in faciem ſuam orans*. 56.
Cap.27. v.46. *Deus meus, vt quid dereliquiſti me*. 254.
Ibid. v.19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. 61.

M A R C I.

CAp.4. v.28. *Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam; deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica*. 106.
Ibid. v.33. *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire*. 39.
Cap. 12. v. 30. *Ex tota virtute tua*. pag. 748.
Cap.13. v.28. *A ficu autem diſcite parabolam*. 35.
Cap. 14. v. 34. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. 247.
Ibid. v.35. *Procidit ſuper terram, & orabat*. 565.

L V C AE.

CAp.1. v.34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*. pag. 170.& 459.
Ibid. v.38. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*. 170. & 634.
Ibid. v.49. *Fecit mihi magna qui potens eſt,& ſanctum nomen eius*. 81. & 382.
Ibid. v.51. *Fecit potentiam in brachio ſuo*. 107.
Ibid. v.52. *Depoſuit potentes de ſede*. 96.
Ibid. v.66. *Manus Domini erat cum illo*. pag. 107.
Cap.2. v.13. *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, gloria in altiſſimis Deo*. 842.
Ibid. v.53. *Proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines*. 99.
Cap.3. v.21. & 22. *Factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt Cælum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſū*. pag. 816.
Ibid. v.23. *Tu es filius meus dilectus in te mihi complacui*. 817.
Cap.4. v.23. *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura te ipſum*. pag. 39.
Cap.5. v.8. *Exi à me Domine, quia peccator ſum*. 198.
Cap.7. v. 38. *Et ſtans retrò lachrymis capit rigare pedes eius, & capillis ſuis tergere*. 564.
Cap. 8. v. 10. *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei; cęteris autem in parabolis*. 180.
Cap.9. v.62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens, &c.* 34.
Cap.10. v.16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*. 365.
Cap.12. v.20. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? ſic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues*. 90.
Ibid. v. 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi vt accendatur*. pag. 98.& 755.
Ibid. v.50. *Baptiſmo habeo baptizari,& quomodo coarctor vſque dum perficiatur*. 766.
Cap. 13. v.32. *Ite, & dicite vulpi illi*. pag. 107.
Cap. 14. v.2. *In hydropico ibi ſanato*. pag. 107.
Ibid. v. 16. *Homo quidam fecit cænam magnam*. 38.
Ibid. v.26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem,& vxorem,*

rem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus. 214. & 363

Cap. 16. v. 22. *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* 837.

Cap. 17. v. 5. *Dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.* 520.

Ibid. v. 21. *Regnum Dei intra vos eſt.* pag. 643.

Cap. 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 281.

Cap. 21. v. 15. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* 676.

Ibid. v. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* 406.

Cap. 22. v. 41. *Poſitis genibus orabat.* pag. 565.

Ibid. v. 42. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* 206.

Cap. 23. v. 9. *At ipſe nihil illi reſpondebat.* 414.

Cap. 24. v. 25. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum.* 495.

Ibid. v. 39. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* pag. 709.

Ibid. v. 45. *Dominus aperuit diſcipulis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* pag. 459.

IOANNIS.

CAp. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* 668.

Ibid. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 108.

Ibid. v. 13. *Neque ex voluntate carnis.* pag. 206.

Ibid. v. 29. *Ecce Agnus Dei.* 108. & 160

Ibid. v. 47. *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* 372.

Cap. 3. v. 8. *Spiritus, vbi vult, ſpirat, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* pag. 111. 599. & 617.

Ibid. v. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* 180.

Ibid. v. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* 166.

Ibid. v. 14. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* 5. & 165.

Ibid. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* pag. 667.

Cap. 4. v. 10. *Et dediſſet tibi aquam viuam.* 108.

Ibid. v. 13. *Qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* 75. 109. 216.

Ibid. v. 14. *Fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* 75.

Ibid. v. 23. *Deum in ſpiritu, & veritate adorare.* 565.

Ibid. v. 34. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opera eius.* 761.

Cap. 6. v. 32. *Panem verum.* 108.

Cap. 8. v. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.* 346.

Ibid. v. 12. *Ego ſum lux mundi.* 109.

Ibid. v. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* 263.

Cap. 9. v. 2. *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur.* pagin. 450.

Cap. 10. v. 6. *Hoc prouerbium dixit illis IESVS.* 39.

Ibid. v. 9. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & paſcua inueniet.* 711.

Ibid. v. 11. *Ego ſum Paſtor bonus.* 125.

Cap. 11. v. 34. *Turbauit ſemetipſum.* pagin. 247.

Ibid. v. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.* 126.

Cap. 12. v. 24. *Niſi granum frumenti cadens*

dens in terram mortuum fuerit, ipſam ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. 103.
Ibid. v. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* 214. 749.
Cap. 13. v. 1. *Cum ſuos dilexiſſet, qui erant in mundo, vſque in finem dilexit eos.* 755.
Ibid. v. 15. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 280. & 517. & 575.
Cap. 14. v. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita.* 41. & 168. 517. & 711.
Ibid. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* 748.
Ibid. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, &c.* 742.
Ibid. v. 21. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* 748.
Ibid. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* 609. & 738. & 743.
Ibid. v. 26. *Spiritus paraclitus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia.* pag. 112.
Cap. 15. v. 1. *Ego ſum vitis vera.* 110.
Ibid. v. 5. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites.* 42. 54.
Ibid. v. 5. *Qui manet in me, hic fert fructum multum.* 109. 637.
Ibid. v. 10. *Manete in dilectione mea: ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* 748.
Ibid. v. 12. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, &c.* pag. 750.
Ibid. v. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 738.
Ibid. v. 14. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* 738. 740.
Ibid. v. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* 737. 739.
Cap. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* 630.
Ibid. v. 21. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint.* 278. & 613.
Cap. 20. v. 17. *Noli me tangere.* 404.
Ibid. v. 22. *Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum.* 111.
Ibid. v. 25. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* 709.
Ibid. v. 27. *Infer digitum tuum huc.* 709.

Actuum Apoſtolorum.

CAp. 1. v. 11. *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum,* 565.
Cap. 2. v. 2. *Factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* 111.
Ibid. v. 3. *Seditque ſupra ſingulos eorum.* pag. 113.
Ibid. v. 13. *Muſto pleni ſunt iſti.* pagin. 114. 650.
Cap. 4. v. 11. *Hic eſt lapis, qui factus eſt in caput anguli.* 116.
Cap. 5. v. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* 366.
Ibid. v. 41. *Ibant enim Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* 115. 333. 379. 795.
Cap. 7. v. 56. *Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* 833.
Cap. 9. v. 7. *Dicetur tibi quid te oporteat facere.* 463. & 679.
Ibid. v. 7. *Viri autem qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* 820.
Ibid. v. 8. *Apertis oculis nihil videbat.* pag. 366.
Cap. 10. v. 5. *Et accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus; hic dicet tibi quid te oporteat facere.* 679.
Cap. 17. v. 24. *Cœli, & Terræ cum ſit Dominus, ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* 567.
Ibid. v. 28. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* 76. & 602. 799.
Cap. 20. v. 24. *Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam*

quàm me, dummodo conſummem curſum meum: & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu. 749.

Epiſtolarum Pauli, ad Romanos.

CAp.1.v. 20. *Inuiſibilia ipſius Dei à Creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* 18. 556. 557.

Ibid. v.28. *Sicut non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit illos in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* 204.

Cap.3.v.25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* 139.

Cap. 5. v. 3. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationem.* 384.

Ibid. v.4. *Operatur probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* 379. 781.

Ibid.v.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* 212. 609. 742. & 743.

Cap.6.v.4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* 621.

Ibid.v.22. *Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habemus fructum noſtrum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam.* 321.

Cap.7.v.24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* 574.

Cap. 8. v. 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* 183. 304. 441. 585. 625. 649. 788.

Ibid. v.15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* 470.

Ibid.v.16. *Spiritus ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus.* 678. & 740.

Ibid. v.18. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* 492.

Ibid. v. 26. *Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 60. 112.

Ibid.v.30. *Nam quos præſciuit, et prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis Fratribus.* 507.

Ibid.v.35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti: tribulatio? an anguſtia? an fames.* 115. 168. 750. 755.

Ibid. v. 36. *Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c.* 756.

Ibid. v. 38. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque &c.* 332. & 461. & 674.

Cap. 10. v. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, & ore confeſſio fit ad ſalutem.* pag. 313.

Ibid.v.17. *Fides ex auditu.* 702.

Cap. 11. v. 18. *Non tu radicem portas, ſed radix te.* 604.

Ibid. v. 33. *O Altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* 172.

Cap.12.v.2. *Nolite conformari huic ſæculo.* 627.

Ibid. v. 3. *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* pag. 217.

Ibid.v.4. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto &c.* 116.

Ibid.v.12. *Spe gaudentes.* 322.

Cap.13.v.12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* 116.

Cap.15.v.1. *Debemus enim nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* 334.

Ibid.v.2. *Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.* 334.

Ibid.v. 13. *Deus autem ſpei repleat vos, omni gaudio in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti.* pag. 785.

Ibid. v. 31. *Adiuuetis me in orationibus veſtris.* 272.

Ad

I. Ad Corinthios.

CAp.1. v.9. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* pag. 737.
Ibid v. 21. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* pag. 421.
Ibid. v. 22. *Græci ſapientiam quærunt.* pag. 421.
Cap.2.v. 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus.* 112.182
Ibid.v.15. *Spiritualis omnia iudicat.* pagin. 112. & 446.
Cap.3.v. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* 116.
Ibid. v. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei inhabitat in vobis.* 142. 609.
Cap.4.v.4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt.* 564.
Ibid. v. 5. *Reuelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* pag. 384.
Ibid.v.6. *Ne ſuprà quam ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum inflетur.* 117.
Ibid.v.9. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* 118.
Ibid.v.10. *Nos ſtulti propter Chriſtum.* pag. 116.
Cap. 6.v. 1. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt; & ſi in vobis iudicabitur mundus, &c.* 791.
Ibid.v.17. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* 114.326.619.623.626.
Ibid. v.19. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* 743.
Cap.7. v. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* 398.
Ibid. v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino.* 431.
Ibid.v. 34. *Vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* 396.
Ibid. v. 34. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt.* 563.
Ibid.v.35. *Præbet facultatem ſine impedimento Dominum obſecrandi.* 515.
Cap 8.v.1. *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* 675.
Cap.9. v. 9. *Non alligabis os boui trituranti.* 5.
Ibid.v.13. *Qui altari deſeruit, de altari participat.* 356.
Ibid.v.27. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* 283.
Cap. 10. v. 5. *Petra autem erat Chriſtus.* 51.
Cap. 11. v. 15. *Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* 418.
Cap. 11. v. 14. *Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* 419.
Ibid. v. 15. *Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* 418.
Cap.12.v.3. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto.* 112.
Ibid. v. 4. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus.* 113.
Ibid. v.8. *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ in eodem ſpiritu.* 452. 668.
Ibid. v.11. *Idem autem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult.* 112.
Ibid. v. 23. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.* 386.
Cap.13.v.2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* 317.
Ibid. v. 3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 375.530.
Ibid.v. 15. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* 334.
Ibid. v.8. *Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.* 511.
Ibid. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in*

in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 167. & 626. 696.
Ibid. v. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; maior autem horum eſt charitas.* 507. 598. 509. 616. 726.
Cap. 14. v. 32. *Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.* 618.
Cap. 15. v. 8. *Noniſſimè autem omnium, tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* pag. 107.
Ibid. v. 31. *Quotidie morior per veſtram gloriam Fratres.* 156.
Ibid. v. 58. *Itaque Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* 68.
Cap. 16. v. 8. *Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. &c.* 795.

II. Corinth.

CAp. 2. v. 15. *Chriſti bonus odor ſumus.* 117. & 657.
Cap. 3. v. 5. *Quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* pag. 193. 263.
Ibid. v. 17. *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* 803.
Ibid. v. 18. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* 546. 626. 656.
Cap. 4. v. 6. *Deus, qui dixit in tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit cordibus noſtris.* 49.
Cap. 5. v. 7. *Ambulamus, & non per ſpeciem.* 81.
Cap. 6. *Gaudio boni odoris.* 59.
Ibid. v. 10. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. &c.* 383.
Cap. 7. v. 4. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* 383. 795.
Ibid. v. 10. *Sæculi triſtitia mortem operatur.* 225.
Cap. 11. v. 2. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 631.
Ibid. v. 23. *In carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* 382
Cap. 12. v. 2. *Scio hominem &c. raptum huiuſmodi vſque &c.* 592.
Ibid. v. 4. *Se vidiſſe arcana Dei, quę non licet homini loqui.* 57. 183. 702.
Ibid. v. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* 250.
Ibid. v. 7. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. &c.* 802.
Ibid. v. 15. *Ego autem impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 382.

Ad Galatas.

CAp. 2. v. 2. *Contulit Euangelium cum his, qui videbantur eſſe aliquid, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet.* 678.
Ibid. v. 19. & 20. *Chriſto confixus ſum Cruci. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* 222. 185. 297. 621. 754.
Cap. 5. v. 17. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* 282.
Ibid. v. 21. *Quæ qui agunt, Regnum Dei non conſequentur.* 388.
Ibid. v. 22. *Fructus autem Spiritus Sancti eſt charitas, gaudium &c.* 486. 578.
Ibid. v. 24. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuã crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* 282. 285.
Ibid. *Gaudeo in tribulationibus.* 333.
Cap. 6. v. 1. *Vos qui ſpirituales eſtis.* pagin. 114.
Ibid. v. 2. *Alter alterius onera portate.* pag. 57. 119. 144.

Ad Epheſios.

CAp.1.v.5. *Prædeſtinauit nos Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* 784.

Ibid.v.9. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporis &c.* 668.

Ibid. v.11. *Qui operatur omnia ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ.* 466.678.

Cap.2.v.3. *Facientes voluntatem carnis.* 206.

Ibid. v.4. *Deum diuitem in miſericordia, & nimia charitatis, qui, cum eſſemus mortui peccatis, viuificauit nos in Chriſto, vt oſtenderet ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos, in Chriſto Ieſu.* 713.

Ibid. v.20. *Eſtis Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* 740.

Cap.3.v.17. *In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt &c.* 660.

Ibid.v.17. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.* 664.

Cap.4.v.8. *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* 428.

Ibid.v.15. *In charitate creſcamus.* 520.

Ibid. v.23. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* 57.

Ibid. v.31. *Omnis amaritudo tollatur à vobis.* 384.

Cap.5.v.4. *Nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſcurrilitas,* 413.

Ibid.v.8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis, ambulate.* 117.

Ibid. v.18. *Nolite inebriari vino, in quo luxuria eſt.* 400.

Ad Philippenſes.

CAp.1.v.6. *Qui cœpit in vobis opus bonum.* 193

Ibid. v.6. *Confidens hoc ipſum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* 795.

Ibid. v.9. *Oro, vt charitas veſtra magis, ac magis abundet.* 269.520.

Ibid. v.20. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per vitam, ſiue per mortem.* 469.

Ibid. v.20. & 21. *Secundum expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in &c. mihi enim viuere Chriſtus, & mori lucrum.*

Ibid. v.23. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* 217.

Cap.2.v.7. *Exinaniuit ſemetipſum.* pagin. 185.& 769.

Ibid. v.17. *Sed etſi immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.* pag. 156.

Cap.3.v.8. *Omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* 127.492.

Ibid. v.8. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt &c.* pag. 461.674.

Ibid.v.20. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* pag. 132.

Cap.4.v.1. *Itaque Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium, & corona mea: ſic ſtate in Domino, chariſſimi.* 763.

Ibid. v.4. *Gaudete in Domino ſemper.* pag. 218.

Ibid. v.10. *Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire.* pag. 764.

Ibid. v.13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* 109.793.

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1. v. 24. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* 795.
Ibid. v. 27. *In nobis ſpes gloriæ.* 784.
Cap. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ.* 270.
Cap. 3. v. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* 754.
Ibid. v. 5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* 283. 285.
Ibid. v. 14. *Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* pag. 616. 726.

Ad Theſſalonicenſes I.

Cap. 1. v. 2. *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis: memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris.* 266.
Cap. 2. v. 20. *Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.* 764.
Cap. 5. v. 20. *Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* 467.

Ad Timotheum I.

Cap. 1. v. 1. *Spes noſtra.* 784.
Cap. 2. v. 1. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* 273
Ibid. v. 8. *Volo vos viros orare.* 274.
Ibid. v. 9. *Ornantes ſe non in tortis crinibus.* 418.
Cap. 4. v. 7. *Exerce teipſum ad pietatem.* pag. 431.
Ibid. v. 8. *Exercitatio corporalis ad modicum valet, pietas autem ad omnia.* pag. 284.
Cap. 5. v. 23. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* 400.
Cap. 6. v. 9. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* pag. 268.

Ad Timoth. II.

Cap. 2. v. 12. *Si ſuſtinemus, & conregnabimus.* 384.

Ad Titum.

Cap. 1. v. 2. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.* 320.
Cap. 2. v. 6. *Iuuenes hortare, vt ſobrij ſint.* 400.
Ibid. v. 13. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.* 775.
Ibid. v. 14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret ab omni iniquitate.* 321.

Ad Hebræos.

Cap. 1. v. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* 626.
Ibid. v. 2. *Aeternus Pater conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit, & ſæcula, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, qui ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* 578. & 603.
Cap. 2. v. 4. *Conteſtante Deo, ſignis, & prodigijs, & varijs Spiritus Sancti diſtributionibus.* 675.
Cap. 4. v. 12. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* 58. & 704.
Ibid. v. 12. *Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* 180.
Ibid. v. 13. *Non eſt vlla Creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda,*

nuda, & aperta ſunt oculis eius. 567. & 607.
Ibid. v. 16. *Cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ eius.* 270.
Cap. 5. v. 8. *Didicit ex his, quę paſſus eſt obedientiam.* 458.
Cap. 6. v. 18. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* 312.
Ibid. v. 19. *Qui confugimus ad tenendā propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutā, ac firmam.* pag. 781.
Cap. 7. v. 26. *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* pag. 578.
Cap. 11. v. 1. *Fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium.* 311. 318. 588. 775.
Ibid. v. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* 312. 562. & 663.
Ibid. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* 314. 375. 496.
Cap. 12. v. 2. *Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* 167. 425. 570. & 761.
Ibid. v. 11. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur, non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* 149.
Cap. 12. v. 29. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* 118.
Cap. 13. v. 12. *Chriſtus extra Caſtra.* pag. 156.

IACOBI EPISTOLAE.

CAp. 1. v. 2. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri, &c.* pag. 795.

Ibid. v. 6. *Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* 118.
Ibid. v. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* 270.
Ibid. v. 10. *Diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.* pag. 118.
Ibid. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quē non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* 77.
Ibid. v. 18. *Voluntariè enim genuit nos in verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* 470.
Ibid. v. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* 103.
Cap. 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes.* 533.
Ibid. v. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir; poteſt etiam fræno circumducere totum corpus.* 618.
Ibid. v. 6. *Et lingua ignis eſt.* 118.
Ibid. v. 17. *Sapientia, quæ deſurſum eſt primum quidem pudica eſt, deinde pacifica modeſta, &c.* 468. 680.
Cap. 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* 270.
Ibid. v. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ſubditi ergo eſtote.* 419.
Ibid. v. 16. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* 273.

EPISTOLAE PETRI I.

CAp. 1. v. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 170. 220.
Ibid. v. 24. *Quia omnis caro. vt fœnum.* pag. 119.
Cap. 2. v. 1. 2. 3. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem; ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt*

Dominus. 195.
Ibid. v.5. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperędificamini.* 119.
Ibid. v.13. *Subiecti eſtote omni humanę creaturę propter Deum.* 419.
Ibid. v.18. *Subditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* 366.
Ibid. v.21. *In hoc nos eſſe vocatos, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* 379.
Ibid. v.23. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum male diceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* 108.
Ibid. v.25. *Eratis enim ſicut oues errantes.* 119.
Cap.3. v.3. *Mulierum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* 417.
Ibid. v.14. *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini.* 379.
Cap. 5. v. 6. *Humiliamini ſub potenti manu Dñi.* 419.
Ibid. v.10. *Deus omnis gratię, qui vocauit in ęternam ſuam gloriam in Chriſto IESV, modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.* pag. 795.

2. Petri.

CAp. 1. v. 19. *Tanquam lucernę lucenti in caliginoſo loco.* 81. & 545.
Ibid. v.21. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* 279.
Cap.2. v 14. *Oculi pleni adulterij, & ineffabilis delicti.* 397.

EPISTOLAE IOANNIS I.

CAp. 1. v.5. *Deus lux eſt, & tenebrę in eo non ſunt vllę.* 77.
Ibid. & Cap.2. v.7. & 9. *Sanguis IESV Chriſti emundat nos ab omni peccato; fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* 535.
Ibid. v.8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 247. & 533.
Cap.2. v.5. *Qui autem ſeruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt.* 748.
Ibid. v.6. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* 574.
Ibid. v.11. *Qui autem odit fratrem ſuũ, in tenebris eſt, & neſcit, quo eat.* pag. 120.
Cap.3. v.2. *Videbimus eum ſicuti eſt.* pag. 611.
Ibid. v 3. *Omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe.* 663.
Ibid. v.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* 594.
Cap.4. v.1. *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* pag. 467. 680.
Ibid. v.16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 738. 742. & 743.
Ibid. v.19. *Ipſe prior dilexit nos.* 739.
Cap. 5. v. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare, peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* 273.

EPISTOLAE IVDAE.

VErſ. 12. *Nubes ſine aqua, quę à ventis circumferuntur arbores autumnales.* 120.

Verſ.

Verſ.13. *Fructus feri maris*. 120.
Ibid. *Sydera errantia*. 121.

APOCALYPSIS B. IOANNIS Apoſtoli.

CAp.1. v.7. *Ecce venit cum nubibus.* pag. 121.
Ibid. v.8. *Ego ſum Alpha, & Omega.* pag. 42.
Ibid. v.15. *Pedes eius ſimiles auricbalco, ſicut in camino ardenti.* 175.
Ibid. v.16. *Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* 121.
Ibid. v. 16. *Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* 121.
Ibid. v.20. *Septem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* 80.
Cap.2. v.17. *Vincenti dabo manna abſconditum.* 51.
Ibid. v.28. *Stella matutina.* 80.
Cap.3. v.22. *Qui habet aures, audiat, quid dicat ſpiritus Eccleſijs.* 657.
Cap.4. v.3. *Qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis, & Sardini: & Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* 121. & 122.
Ibid. v.2. & 4. *Sedes poſita erat in Cœlo, & ſupra ſedem ſedens, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.* 170.
Cap.5. v.5. *Vicit leo de Tribu Iuda.* 3. 14. & 122.
Ibid. v. 6. *Et vidi in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum.* 570.
Ibid. v.8. *Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* 123. & 148.
Ibid. v. 9. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire eius ſignacula, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo ſanguine tuo.* 570.
Cap. 7. v. 9. *Et palmæ in manibus eorum.* 124.
Ibid. v.17. *Et perducet eos ad vitæ fontes aquarum.* 124
Cap.8. v.1. *Factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora.* 646.
Ibid. v. 4. *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* 271.
Cap.11. v.4. *Hi ſunt duæ oliuæ.* 124.
Ibid. v.17. *Gratias agimus tibi Domine Deus Omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, qui accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* pag. 469.
Cap.12. v.1. *Signum magnum apparuit.* pag. 168.
Cap.15. v. 2. *Et vidit tanquam mare vitreum.* 125.
Ibid. v.4. *Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es?* 469.
Cap. 19. v. 8. *Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum.* 125.
Cap.21. v.19. *Et fundamenta muri Ciuitatis, omni lapide precioſo ornata.* pag. 125.
Ibid. v. 25. *Non enim non erit illic.* pag. 81.
Cap. 22. & vlt. v.11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* 269. & 517.
Ibid. v.17. *Et qui audit, dicat veni.* pag. 181.
Ibid. v.16. *Stella matutina.* 80.

F I N I S.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

VLtimos huiuſce Bibliothecæ Theologicæ libros à Reu. admodum Patre Dominico à Sanctiſsima Trinitate Exgenerali Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum compoſitos ex iuſſu Reuerendiſsimi Patris Capiſucchi Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri perlegi, & accuratiſsimè perluſtraui: in quibus doctrinam Catholicæ Fidei conſonam peritiſsimo tanti Viri ſtylo, & perlucidiſsimo ordine elaboratam inueni; quos proindè cum cæteris à me quoque examinatis, typis prolatos in lucem publici iuris fieri dignos iudicaui. Romæ die 8. Iunij 1676.

Frater Ioannes Malgoires in facultate Pariſienſi doctor, & Procurator Generalis Ordinis Ciſtercienſis in Curia.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſucchius Ord. Præd. Sac. Palatij Apoſt. Magiſter.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA

BIBLIOTHECAE THEOLOGICÆ

LIBER SEXTVS

De Sacra Doctrina, quatenus vtendo Metaphoris dicitur Symbolica.

SECTIO PRIMA.

In qua explicatur notio, tàm quid nominis, quàm quid rei Theologiæ Symbolicæ.

CAPVT PRIMVM.

Aſſertur nominis Symbolum etymologia, variæque eius ſignificationes.

DVAE ſunt inter alias precipuæ huius nominis etymologiæ, ambæ à verbis Græcis deductæ. Prima à συμ, quod eſt, con, & βόλη, quod eſt ſententia, quaſi ſit collectio ſententiarum; ſecunda autem à συμβάλλω, quod eſt confero, vel comparo.

Longè autem plures ſunt eiuſdem vocis ſignificationes, tam apud Sacros, quam apud prophanos authores; cum enim Symbolum vniuerſim nota ſit, vel ſignum rei alicuius, vniuerſim quoque quarumcumque rerum notæ, vel ſigna, Symbola dici poſſunt; Sic I. verba, quia ſunt rei mente conceptæ ſigna, nomina autem quaſi rerum notamina; ſymbola vocari poſſunt.

II. Cum teſſera, ſeu vocalia ſigna, quæ in vigilijs militaribus dantur militibus à ducibus ipſorum, vel etiam pro prælio ineundo, ſiue illa quibus ſocij ab hoſtibus, & exploratoribus dignoſcuntur, nec non ſignificatur tempus ineundi prælium, ideò etiam vocantur

cantur nonnunquam Symbola. De quo videri poteſt Iuſtus Lipſius lib. 4. de Militia Roman. dialogo 12. Hieronymus Prado tom. 1. in Ezechiel. nec non Stephanus Menochius lib. de Republica Hebræorum; vbi agunt de ſignis exercitus Iſraelitici. Qua analogia ſuo loco notauimus, Symbolum Apoſtolicum ita ſecundum aliquos fuiſſe appellatum, quod eo veluti teſſera, Chriſtianæque fidei breuiario veri fideles à cæteris diſcernendi eſſent.

III. Quia inſignibus, ſeu ſignis militaribus, dictis vexillis, quæ olim vt plurimum erant aliquot animalium in pugnas, raptuſque natorum, ſignificabatur legionum diuerſitas, vndè legiones manipulares dictæ, quia pro ſigno illis erat manipulus fœni, vocata quoque fuere ſymbola; de quibus videri poteſt Plinius lib. 10. cap. 4. Lipſius libro citato, dialogo 5. & Ioannes Antonius Valtriuus lib. 3. de re militari Roman. cap. 9.

IV. Symbola etiam dicta fuere, familiarum ſtemmata, vulgo arma, de quibus conſuli poſſunt Gabriel Palæotus lib. 11. de imaginibus ſacris, & prophanis; Claudius Minoes in Syntagmate de ſymbolorum, ſtemmatum, & ſchematum ratione, quæ Inſignia, ſeu Arma Gentilitia vulgò nominantur; Tum alij plures, qui varijs linguis de hac materia ſcripſere.

V. Quia annulus certæ dignitatis ſignum eſt, & inſigne, ſymbolum pariter appellatur.

VI. Principum numiſma.

VII. Omen, præſagium, augurium, & ſimilia, quia rei futuræ ſunt ſigna.

VIII. Cum olim apud Græcos, Latinoſque duplex eſſet conuiuij genus, vnum conuiuatoris ſumptu apparatum; alterum ad quod quiſque conuiuarum partem conferebat, ſeu portionem pecuniæ, vel eſculentorum, poculentorumue, huiuſmodi portio apud antiquos authores prophanos maximè Symbolum dicta reperitur; à verbo συμβάλλω, quod ſignificat confero. Quo etiam ſenſu ſymboli mentio facta fuiſſe videtur Prouerb. 23. 20. *Noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur*; vt ibi explicat Diuus Hieronymus. Imo ab his collatitijs Symbolorum conuiuijs Durantus in Rationali diuinorum officiorum exiſtimat Symbolum Apoſtolorum ita fuiſſe appellatum, quia ad hoc animarum epulum ſinguli quique Apoſtoli ſingula ſua capita, aut ſententias, veluti ſymbola contulere.

IX. Symbolum ſignificat ſimilitudinem, & quamdam naturæ, vel proprietatum vnius cum altero communitatem, aut conuenientiam. Quo ſenſu ex Ariſtotele lib. 11. de ortu, & interitu, elementorum quædam dicuntur Symbola, alia verò Aſymbola; diceemuſque capite ſequenti Sacram doctrinam vocari poſſe Symbolicam, quia omnes metaphoræ, ſiue rerum, ſiue verborum, quibus vtitur in explicandis, aut ſignificandis diuinis, ſemper fundantur in aliqua eorumdem analogia, vel conuenientia.

X. Tandem Symbolum ſumitur pro notis arcanioris cuiuſdam myſterii ſignificatiuis, ſeu rebus, aut verbis, quibus ad illud ſignificandum metaphoricè vtimur, hoc eſt translata propria ad impropriam, ſignificatione; quibus etiam, dum vtitur Sacra doctrina, vel Theologia, indè Symbolicam rectè appellari dicemus capite ſequenti. Interim breuiter dicta ſufficiant, circa præcipuas huius nominis Symbolum ſignificationes, quod, vt iam notauimus, vniuersè ſumptum innumeris adaptari poteſt rebus, ſecundum quod aliarum, vel ex natura ſua, vel ad placitum poſſunt eſſe indicia, argumenta, & ſigna.

CAPVT II.

Explicatur à qua ſignificatione Sacra Doctrina nominatur Symbolica, quæque ſit definitio illius.

QVamuis tot ſint huius nominis Symbolum ſignificationes ſuperiori capite allatæ, duæ tamen duntaxat ſunt, nona ſcilicet, & decima, à quibus, propriè loquendo, Sacra doctrina, vel Theologia denominari poteſt Symbolica. Quatenus omnes metaphoræ, ſiue verbales, ſiue reales, quibus tanquam ſymbolis, vel notis latentis, arcanique ſignificati, diuinas perfectiones, ac Religionis myſteria, inuoluit, aut explicat, fundantur in quadam eorumdem verborum, ac rerum analogia, & ſimilitudine cum re ſignificata.

Theologia ergo Symbolica, vtcumque definiri poteſt, vel deſcribi, quòd ſit ſermo de Deo, diuiniſque, ea metaphoris, tum verbalibus, tum realibus, veluti ſymbolis, ac notis analogicè inuoluens, aut explicans; vbi primis particulis exprimitur ratio eius generica, cæteris autem differentialis, pro quarum intelligentia breuiter recolenda ſunt, quæ tomo 2. lib. 3. ſect. 1. cap. 100. & ſequentibus diximus. Primò in Sacris litteris, etiam ſecundum ſenſum litteralem conſideratis duo eſſe locutionum genera; vnum, quo voces in propria accipiuntur ſignificatione, ex qua nullus malus, ſeu ineptus ſenſus oritur, & pertinet ad ſenſum litteralem proprium; alterum, quo voces non ſumuntur in ſua prima ſignificatione, quia ſi in ea acciperentur peruerſum, vel inutilem facerent ſenſum, ſed in tranſlata, & impropria, vt cum dicitur de Chriſto: *Vicit leo de Tribu Iuda*, & Matth. 15. ait de ſe ipſo; *Ego ſum vitis vera*; vbi leo, & vitis transferuntur à propria ſignificatione ad aliquid aliud ſignificandum, quod ex ſe non ſignificant, nimirum Chriſtum Dominum; & hoc locutionum genus pertinet ad ſenſum litteralem improprium; loco enim citato fusè oſtendimus ſenſum Scripturæ litteralem diuidendum eſſe in proprium, & improprium, ſeu metaphoricum.

Secundò recolendum eſt, cum etiam res in Sacris litteris ad aliquid ſignificandum aſſumuntur, vndè oritur ſenſus ille, qui propriè dicitur ſpiritualis, duplicem quoque in illis diſtingui debere ſenſum metaphoricum, vnum ad ſenſum litteralem pertinentem, quem author Scripturæ per verba, ſeu nomina propriè, vel impropriè, ſeu metaphoricè accepta immediatè intendit, vel ſignificare voluit, aut iubens, aut vetans, aut fidem indicans, aut rem geſtam, ſeu gerendam; aut promiſſionibus, comminationibus, ac terroribus hominum corda concutiens; Alter autem pertinet ad ſenſum myſticum, ſeu ſpiritualem, quem Spiritus Sanctus in rebus corporaliter, aut geſtis, aut gerendis, naturalibus, vel artefactis, tanquã metaphoris ſignificare voluit. Quemadmodum enim, vbi transferuntur verba à propria ad impropriam ſignificationem, ſeu ad aliud ſignificandum, huiuſmodi translatio rectè vocatur metaphora verbalis, moduſque loquendi ſymbolicus, ita quoque, vbi per res ipſas propriè ſignificatas, aliud intelligitur, ſiue huiuſmodi res per voces immediatè ſignificatæ, transferuntur ad aliud ſignificandum; ſecundum quod ſic, vel ſic placuit, hæc quoque translatio non incongruè vocatur metaphora realis; moduſque ſignificandi, aut loquendi ſymbolicus. Ad differentiam ergo Theologiæ, vtentis ſenſu litterali proprio duntaxat, in tradendis ſuis veritatibus; Theologia Symbolica, vt ſic, ea eſſe dicitur, quæ modo explicato vtitur tum verborum, tum rerum metaphoris, tanquam ſymbolis, ad ſacra myſteria ſignificanda, aut ea inuoluendo, ſeu tegendo, aut ea explicando; ad vtrumque enim metaphoras,

aut ſymbolica valere dicemus ſectione ſequenti, agendo de huius Theologiæ vtilitate.

Additur: in definitione id analogicè fieri debere; quia metaphora, qua latinè, idem, quod translatio, ſignificat, ſolet definiri nominis, aut verbi à propria ſignificatione ad aliam impropriã, ob aliquam ſimilitudinem, vel analogiam tr aductio; Igitur vbi Theologia metaphoris vtitur, tam in verbis, quam in rebus fundatis, ſuaque ſub illis tanquam ſub ſymbolis myſteria ſignificat, huiuſmodi res, & verba non poſſunt nõ habere aliqualem analogiam, ſeu ſimilitudinem cum re aliena, ad quam ſignificandam transferuntur. Nam ſi nulla eſſet inter ea conuenientia, inepta eſſet metaphora, ineptumque ſymbolum in ea fundatum. Sic ignis aptè transfertur ad ſignificandum amorem, oculus ad ſignificandam intentionem, ob analogiam, vel ſimilitudinem, quam hæ res inter ſe habent.

Ex cuius definitionis explicatione facilè intelliguntur quamplures alij tituli Theologiæ Symbolicæ nonnunquam attributi, quibus etiam aliqualiter definiri poſſet, vt quod ſit *Arcana*, non ſolùm quia de rebus arcanis agit, verum etiam arcano, & latenti modo, nimirum metaphorico, & ſymbolico; quod ſit *Vmbratica*, quia in metaphora, aut ſymbolo, tanquam vmbra tegitur veritas; quod ſit *Significatiua*, quia in ſignificatione rerum potiſſimũ fundata; quod ſit *Myſtica*, non eo ſenſu, quo ſequenti libro agemus de Theologia Myſtica, ſed quia ad illam potiſſimum ſpectat ſenſus Scripturæ myſticus, ſeu Spiritualis, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus, in eo conſiſtens, quod ſignificetur non per voces immediatè, ſed per ipſas res vocibus ſignificatas, alias myſticas, ſeu ſpirituales ſignificantes, etſi ipſæ corporeæ ſint; vt quæ de arca Noe, & diluuio; de tabernaculo, & templo, alijſque ſimilibus in veteri lege narrantur, ad litteram quidem propriè de illis intelliguntur, ſed ea rurſus ad ſpirituales ſenſus, ſeu ad alia ſpiritualia ſignificãda referuntur. Vltimò tandem quod ſit *Allegorica*, pro cuius intelligentia aduertendum eſt, hanc vocem Allegoriam, aliquando ſtrictè ſumi pro ſolo ſenſu ſpirituali Allegorico, ita dicto, quia ſolùm ſe extendit ad ſignificandas res credendas, ſeu ad fidem ſpectantes; & iuxta hanc acceptionem præcisè Theologia Symbolica non dicitur Allegorica, ſed in illa ampliori, qua Allegoria in genere eſt idem, ac metaphora in genere, vndè ſicut datur duplex metaphora, vna verborum, altera rerum, à quibus Theologia non minus Metaphorica, quàm Symbolica nominari poteſt, ita quoque datur duplex allegoria, vna verborum, & altera rerum, à qua Theologiam Symbolicã, vocari quoque Allegoricam dicimus, ſumpta allegoria genericè, non autem ſpecificè, ſeù vt eſt peculiaris quædam orationis figura, ſicut & metaphora ſpecificè quoque conſiderata, inter ſe diſtinctæ, quod metaphora potius attenditur in vna dictione, allegoria verò in oratione; ita vt poſſit allegoria dici metaphorá perpetua, quia continuatur in multis vocabulis ipſius orationis. Sed de his iterum infra, agentes de diuiſione Theologiæ Symbolicæ.

Supereſt, vt nunc breuiter explicemus, an ea in Sacra doctrina, ſeu Theologia, vt ſic conſtituat aliquam aliam eius ſpeciem diſtinctam. Iam diximus tom. 1. huius operis lib. 1. ſect. 6. cap. 2. eam non pertinere ad diuiſionem aliquam Sacræ doctrinæ eſſentialem, ſeu generis in ſuas ſpecies, ſed potius ſubiecti in ſua accidentia, vel vnius, & eiuſdem habitus in diuerſa munera veluti inadequata; Quidquid ſit enim, an ſenſus litteralis proprius, & improprius ſint inter ſe diuerſæ ſpeciei, nec non à ſenſu myſtico, vel ſpirituali; quia tamen omnes conſiderantur à Sacra doctrina ſub eadem prorſus ratione formali obiectiua, entis ſcilicet diuini virtualiter reuelati, vt citato loco oſtẽ-

dimus

dimus ſect. 2. cap. 3. & 4. propriè, & formaliter loquendo, facere in ea non poſſunt diſtinctionem aliquam eſſentialem; neque hoc maiorem habet difficultatem.

CAPVT III.

Vtrum Theologia ſymbolica ſit argumentatiua.

ETſi reſolutio huius difficultatis ſatis pateat ex dictis tom. 1. lib. 2. ſect. 2. ſect. 5. cap. 1. nec non tom. 2. lib. 3. ſect. 1. cap. 103. vbi egimus de probatione Theologica deſumpta ab authoritate diuinarum ſcripturarum; placuit tamen hic ſub proprijs terminis eamdem rurſus excitare. Aliqui igitur, authoritate D. Dionyſij epiſt. 9. ad Titum, negant Theologiam Symbolicam eſſe argumentatiuam, ſiue quod idem, poſſe duci certum argumentum ex Symbolis, vel ſenſu Scripturæ ſymbolico, præſertim ſi ſit ſpiritualis, & in rerum ſignificatione fundatus. Nihilominus hac in re diſtinctione vtendũ puto, & pro explicatione veritatis *primum* aſſero, ſenſum metaphoricum, ſiue ſymbolicum, etiam ſpiritualem valere ad ſtabilienda fidei dogmata, certaſque, & infallibiles probationes faciendas, ſi ſemel nobis de illo conſtiterit. Hoc indubitatum eſſe debet apud omnes, vt enim to. 2. lib. 3. ſect. 1. oſtendimus, non ſolum ſenſus litteralis proprius, qui in propria vocum ſignificatione immediatè fundatur, & improprius qui in metaphorica, ſeu tráſlatitia; ſed etiam myſticus, aut ſpiritualis, qui ſit verè, ac propriè talis, eſt intentus à Spiritu Sancto; igitur cum veris non poſſit niſi verum, firmumque concludi; vbi ſemel, aut Eccleſiæ authoritate, aut traditione, vel alijs etiam Scripturæ locis, clarè nobis, ac certè conſtiterit de ſenſu myſtico alicuius Sacræ Scripturæ loci, non poteſt Theologia Symbolica illo vtens, & indè potiſſimum talis dicta, non poteſt, inquam, non eſſe verè argumentatiua, & demonſtratiua.

Vndè Chriſtus Dominus, & Apoſtoli, qui mentem Spiritus Sancti in Sacris Scripturis perſpectam habebant, multoties ex earum ſenſu ſymbolico myſtico argumenta deſumpſerunt ad confirmandas plures fidei veritates; ſic Matth. 20. dicentibus Phariſæis, *Magiſter, volumus à te ſignum videre?* reſpondit Chriſtus; *Signum non dabitur, niſi Iona Propheta*; quod explicans ait, *ſicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terra*; vbi pro argumento, vel ſigno credendi, ſeu ad faciendam fidem diuinitatis ſuæ Phariſæis, aſſumit ſymbolum Ionæ, cuius ad inſtar, reſurrecturus erat die tertio.

Sic idem Chriſtus Ioann. 11. ad myſterium crucifixionis probandum, & neceſſitatem fidei in ipſum ad ſalutem, vſus eſt ſymbolo ſerpentis in deſerto exaltati: *Sicut Moyſes, inquit, exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*; quaſi diceret, Deſcendi de cælo, vt ſicut Serpens ſymbolicus exaltarer in cruce, & homines in me intuentes, non oculis corporeis, ſed intellectus, id eſt in me credentes, ſalui fierent.

Sic S. Ioannes cap. 19. vt fidem faceret Chriſti Crucifixi fracta non fuiſſe crura, ſicut latronum, ſymbolum adducit Agni Paſchalis, de quo dictum Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo.*

Sic Diuus Paulus ad Galatas 4. per duos filios Abrahæ, & per Ieroſolymã Palæſtinæ Ciuitatem tanquam per certa ſymbola ſignificata fuiſſe ait, duo teſtamenta, ac populos, quorum alter ca..alis, alter ſpiritualis fuit; nec non cæleſtem patriam. Et 1. Corinth. 9. denotat ſymbolo bouis ore obturato: *Non alligabis, inquit, os boui trituranti*, Miniſtros Euangelicos ſua mercede dignos eſſe; & tandem quod omnia in figuris, ſeù ſymbolis contingerent populo Iſraelitico, apertè tradit ibidem cap. 12.

Secun-

Secundò aſſero Theologiam Symbolicam non eſſe argumentatiuam demõſtratiuè, quando ſymbolorum, quibus vtitur, eſt ignota, & obſcura, vel anceps, & dubia ſignificatio; id quoque omnibus certum eſſe debet, quia demonſtratio Theologica debet procedere ex argumentis claris, & certis; vbi igitur ſignificatio ſymbolorum, aut metaphoræ, quibus innituntur, ſunt obſcuræ, vel dubiæ, nullum ex illis confici poteſt argumentum demonſtratiuum ad probandas res fidei.

Et ad hunc ſenſum intelligendus eſt Dionyſius loco citato, cæterique Patres, dum negant Theologiam Symbolicam eſſe argumentatiuam, vt clarè patet ex eorum verbis; Diuus enim Hieronymus in cap. 13. Matth. relata expoſitione eorum, qui per ſymbolum fermenti abſconſi in farinæ ſatis tribus, Trinitatem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ ſignificari putabant, ait: *Pius quidem ſenſus, ſed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad authoritatem dogmatum proficere*; Quibus verbis manifeſtum eſt Diuum Hieronymum abſolutè non negare Theologiam Symbolicam eſſe argumentatiuam, ſed reſtrictiuè tantùm, vbi nimirum dubia eſt ſymbolorum intelligentia; Quod idem docet D. Auguſtinus epiſt. 48. *Quis non*, inquit, *impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitū pro ſe interpretari, niſi habeat manifeſtiſſima teſtimonia, quorum lumine manifeſtentur obſcura?*

Tantùm ergò præfati Patres, & ſi qui ſint alij, volunt Theologiam Symbolicam haud eſſe certò argumentatiuam, quando non habet manifeſtiſſima teſtimonia, aut Scripturæ, aut traditionis, aut Eccleſiæ, quorum lumine manifeſtentur, quæ ſunt obſcura eius ſymbola, quod nos aſſerimus, imo *tertiò* non ſolùm talem non eſſe, ſed omninò reijciendam, vbi illis aliqua repugnat huiuſmodi ſymbolorum ſignificatio; qualem plures hæretici adhibuerunt nonnullis Scripturæ locis, vt ſua indè ſtabilirent commenta. Sic Irenæus irridet Valentinum, eiuſque diſcipulos, quod ſymbolicis commentis, proprio ingenio excogitatis dogmata ſua comprobarent; Epiphanius Gnoſticos, triginta Aonas inſigni fictionum argutia è ſymbolis diuinæ Scripturæ producentes; & omnium acerrimè Diuus Auguſtinus Donatiſtas exagitat, qui cum ex illis verbis Cantic. 1. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, probare conarentur, Eccleſiam remanſiſſe in parte ipſorum, in Africa, ſic illos aggreditur S. Doctor libro de vnitate Eccleſiæ cap. 14. *Definite illa teſtimonia commemorare, quæ, aut non intelligitis, aut pro vobis contra nos eſſe intelligitis. Quòd ſi ambiguè poſita, & pro nobis, & pro vobis poſſunt interpretari, nihil vtique adiuuarent cauſam veſtram: quia & nos ſi talibus vti vellemus, innumerabilibus vteremur, quæ cauſam noſtram nihil ſimiliter adiuuarent. Sed planè talia malam cauſam, vel mora faciendo ſuſtentant; Nam quod dicere ſoletis*: Vbi paſcas, vbi cubes in meridie. *Vides quale ſit, & quam pro te non ſit. Noli ergo talia quærere, quia etſi in partibus Aquilonis eſſet pars Donati; quæ contrariæ ſunt partibus Meridianis, diceret de ſe eſſe dictum*, Mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni. *Nam vtique Ciuitas Regis magni non eſt, niſi Eccleſia, & hoc potius indubitanter ſonat Eccleſiam, quam illud*; vbi paſcis, vbi cubas in meridie? *Sed fortaſſis illo teſtimonio Marcion hæreticus vteretur, qui dicitur Ponticus fuiſſe, quæ partes ad Aquilonem ſunt? Rurſus ſi in Occidente eſſet pars Donati, diceret de ſe eſſe dictū*: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. *Hæc myſtica ſunt, operta ſunt, figurata ſunt, aliquid manifeſtum, quod interprete non egeat, flagitamus.*

Quartò dico, ita reijciendas eſſe ſymbolorum interpretationes, & applicationes priuati hominis ingenio excogitatas, vbi ſunt abſurdæ, aut aliquibus fidei noſtræ veritatibus repugnantes, vt tamen laudabiles ſint illæ priua-

priuati etiam ingenij acumine adinuentæ, ſi ſint eis conformes, & ad regulas ſequenti capite explicandas factæ; negarique non poteſt, quin inde Theologia Symbolica multa argumenta probabilia poſſit deſumere, & veritates fidei vtcumque confirmare. Nam ſi quodlibet argumentum probabile huic præſtando idoneum eſt, tum in alijs ſcientijs, tum in ipſamet Theologia procedente ex ſenſu litterali, vbi de illo certò non conſtat; id quoque non videtur rationabiliter denegandū proportionatæ ſimilitudini, vel ſymbolo. Imo licet ſinguli ſenſus ſpirituales plerumque probabile duntaxat ſuppeditent argumentum ad probandas res fidei, nec aliter à Theologis adducantur; attamen conſonantia tot figurarum, ac ſymbolorum veteris Teſtamēti, collectiuè ſumptorum, quibus adeò ad viuum delineatæ, & expreſſæ ſunt multæ res noui Teſtamenti, pluſquam probabile videntur efficere argumentū ad eas confirmandas, eoque proindè multi Patres in hunc finem vſi ſunt cōtra infideles; Iuſtinus Martyr dialogo cum Triphone, Tertullianus, Cyprianus, alijque plures loco ſuo citati, qui contra Iudæos, vel ſcripſerunt, vel diſputarunt.

Ex hoc vſque dictis clarè patet, diſcrimen inter ſenſum litteralem, & ſpiritualem, ſeu ſymbolicum in rerum ſimilitudinibus fundatum, in ordine ad probationem Theologicam faciendam, in eo non conſiſtere, quod ſolus ſenſus litteralis ſuppeditet illi firmum, ac certum argumentum, ſecus autem myſticus, vel ſymbolicus, de quo, vt diximus, certò ſemel conſtante, quod ſit à Spiritu Sancto intentus in aliquo Scripturæ loco, non eſt ratio, cur etiā certum, ac firmum ex illo deduci non poſſit argumentum; ſed in eo potiſſimum verſatur, quod ordinariè, & vt plurimum ſenſus litteralis, maximè quando eſt proprius, ſit argumentatiuus, non autem ſic myſticus. Etſi enim ipſe æquè, ac litteralis ſit à Spiritu Sancto intentus, atque adeò infallibilem in ſe contineat authoritatem, tamen quod reſpectu noſtri longè facilius, ac frequentius conſtet de ſenſu litterali, quàm de ſpirituali; hinc eſt, quod ordinariè etiam Patres vtuntur, noſque ad exemplum ipſorum vti debemus in arguendo litterali ſenſu non autem ſpirituali. Vt enim conſtet de ſenſu litterali duplex via ſuppetit generatim loquendo; vna eſt ſignificatio ipſa vocabulorum, ex qua plerumque in vnoquoque idiomate ſcitur euidenter, quis ſit ſenſus litteralis alicuius loci, quia poſita ſemel vocum ſignificatione ex libera hominum impoſitione, eſt iam ex natura ſua determinatus, atque adeò nobis clarior, & manifeſtior. Altera via eſt cognitio aliarum ſententiarum ſcripturæ, itemque doctrinæ Eccleſiæ, per quarum collationem, ſæpè intelligitur certò quis ſit ſenſus litteralis. At verò ſenſus myſticus, cum non dependeat immediatè à vocibus, ſed à rebus per eas ſignificatis, quæ ſunt aliarum rerum ſigna plerumque obſcura, & dubia, quia incerta, & indeterminata ex natura ſua, tam ex illo capite non poteſt eſſe nobis ita notus, neque conſequenter ex natura ſua, vel ita ordinariè ſenſus fidei, qui eſſe debet indubitatus, & ſecundum ſe, & reſpectu noſtri, vt certam ex illo probationem faciamus.

Quod totum eleganter explicuit D. Thomas quodlib. 7. quæſt. 6. artic. 4. *Non eſt*, inquit, *propter defectum authoritatis, quod ex ſenſu ſpirituali non poteſt trahi efficax argumentum, ſed ex ipſa natura ſimilitudinis in qua fundatur ſpiritualis ſenſus: vna enim res pluribus ſimilis eſſe poteſt: vnde non poteſt ab illa, quando in Scriptura Sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinatè; ſed eſt fallacia conſequentis. V.g. leo propter aliquam ſimilitudinem ſignificat Chriſtum, & Diabolum; vndè per hoc, quod aliquid de leone dicitur in Sacra Scriptura, ad neutrum poteſt fieri proceſſus in Sacra Scriptura argumentando.*

Igitur

Igitur quod ſenſus myſticus, vel ſymbolicus non poſſit eſſe plerunque principium Theologicarum demonſtrationum non eſt propter defectum authoritatis, quaſi ſenſus myſticus non ſit ſenſus Sacræ Scripturæ,& Spiritus Sancti, ſed ex noſtra duntaxat ignorantia, qua ſemel ſuperata, ita vt certò nobis de illo conſtet, fatendum eſt etiam ex illo efficax deduci poſſe argumentum ad probationes Theologicas, probabile autem ſolùm, vbi probabiliter tantùm de eodem nobis conſtat; per quod facilè concillari poſſunt oppoſitæ circa hoc Doctorum ſententiæ.

CAPVT IV.

De conditionibus, vel regulis, ad quarum præſcriptum Theologia debet Sacra Symbola explicare, efformare, & applicare.

QVia ad notionem Theologiæ Symbolicæ, quàm in præſenti Sectione tradere potiſſimum intendimus, valdè conducit ſcire conditiones, vel regulas, ad quarum præſcriptum ſymbola ſunt explicanda, efformanda, & applicanda, propterea in hoc capite de illis agemus.

Prima igitur regula eſt, ne temerè in omnibus Scripturæ locutionibus metaphoricus, aut ſymbolicus ſenſus quæratur, vt nonnulli faciunt in quibuſdam locis, in quibus aliquod idioma, vel linguæ phraſis continetur; V.g. in hac locutione, *In id ipſum*, Pſal. 4. & 121. quorum verborum ſenſus germanus hic eſt, pariter, vno conſenſu, ſumma conſenſione, vt ibi monet Diuus Auguſtinus.

Secunda, cum ſenſus ſpiritualis, vel ſymbolicus, quem ſignificant verba mediis aliis rebus, verè prius ſignificatis, loquendo de ſymbolis realibus, quarum immediata ſignificatio fundatur in rebus ſignificatis prius per ſenſum litteralem, diligenter obſeruandũ eſt in explicandis, efformandis, & applicandis ſymbolis, ne quid contra huiuſmodi ſenſum litteralem, vbi nullum ſequitur abſurdum, dicatur; cum enim, vt dicemus infra agendo de vtilitate Theologiæ Symbolicæ, multiplex ſenſus in Sacra Scriptura non pertineat ad confuſionem, ſed ad vbertatem, non enim oriuntur hi ſenſus litterales, & ſpirituales ex aliqua æquiuocatione, ſed omnes fundãtur in primo litterali ſenſu, vt docet Diuus Thomas quodlibeto 7. q. 6. art. 4. ſi ſemel ſenſus ſymbolicus à litterali eſſet alienus, ex eoque non procederet, iam illa multiplicitas ſenſuum damnabilis, & vitioſa eſſet, ſicuti eſſet ſi procederet ex aliqua æquiuocatione, aut fallacia.

Tertia, ſicut vbi ſenſus litteralis proprius nullum continet abſurdum, ad illius normam myſticus, aut ſymbolicus efformandus eſt, ita per oppoſitũ, ſi contineat aliquod abſurdum, tunc potiſſimum ſenſui figurato, vel ſymbolico locus dandus eſt, vt docet D. Auguſtinus lib. 3 de doctrina Christiana cap. 6. *Vbi*, ait: *Scriptura flagitium, aut facinus iubet, aut virtutem vetat, figurata eſt locutio*. Exempli gratia, quando dicitur, Matth. 18. Si oculus tuus, aut manus, aut pes ſcandalizat te, erue, vel abſcide, & proiice abs te, id figuratè, vel ſymbolicè intelligendum eſt, cum non intendat Chriſtus, vt oculos eruamus, aut manus, & pedes abſcindamus, ſed vt ſeparemus à nobis omnes, qui ſcandalo nobis eſſe poſſunt in via Dei, quantumuis propinquitate, amicitia, aut quouis alio vinculo nobis coniunctiſſimi ſint, ſeu non minus, ac oculus, manus, cæteraque alia membra corpori ſunt coniuncta.

Quarta, cum ſenſus figuratus, ac ſymbolicus, vt ſic fundetur, vel in ſenſu litterali improprio, quo verba transferuntur à naturali ſignificatione ad alienam, vel in ſenſu myſtico, quo res ipſæ ſunt ſignificatiuæ, indè eſt, quod ad inueniendos, rectèque applicandos ſenſus figuratos, ac ſymbolicos, omninò neceſſarium ſit perfectè ſcire ſpe-

cies

cies figurarum, ſiue diuerſos Rethorũ tropos, quibus ornatus, neceſſitatiſue cauſas verbum transfertur à propria ad alienam, ſeu impropriam ſignificationem, tum perſpectas habere earum rerum naturas, à quibus translatio, vel metaphora, aut ſymbolum reale ſumitur; exempli gratia, ignis, aquæ, palmæ, oliuæ, leonis, ſerpentis, & aliorum eiuſmodi.

Quinta, quoniam aliqua ſunt ſymbola, quæ ſemper in malum ſumuntur, alia, quæ ferè ſemper in bonum, & alia indifferentia, quæ ſcilicet ad bonum, malumque referri poſſunt; nam cum ſymbolum accipiatur ex ſimilitudine, ſeu proportione, quam res vna habet cum altera, quemadmodum in multis rebus facile eſt conſiderare, quidpiam, quod boni rationem continet, & aliquid, quod mali, ita referri poteſt diuerſorum reſpectu, tam ad hoc, quam illud ſignificandum; Symbola, quæ ſunt malorum ſigna, rebus bonis nunquam ſunt applicanda, nec malis, quæ ſunt bonorum, in indifferentibus autem diſtinguenda ſunt, quæ ſunt bona, quęve mala, & proportionatè rebus ſignificandis applicanda.

Exempli gratia, quia in Sacris Scripturis, aut Sanctis Patribus, muſca, aranea, ſus, aliaque ſimilia, nunquam boni alicuius ſunt ſymbola, nam muſca nunc aſſumitur pro ſymbolo hæreticorum, quod vt muſcarum natura, ita hæreticorum ingenium corrumpendis ijs, quæ boni odoris, quæque ſanæ doctrinæ ſunt, ſit idoneum: nunc Diaboli exterminantis ſuauitatem vnguenti, id eſt gratiam Spiritus Sancti, prauis ſuis ſuggeſtionibus; nunc calumniatorum, ſuſurronum, detractorum, qui ſicut impuriſſimæ muſcæ, illabuntur vitæ, ac famæ optimorum, eamque lædere conantur, nunc exploratorum, proditorum, delatorum, qui, vt impudentia illa animalcula in omnium conclauia ſe ſe importuniſſimè inſinuant, omniũ colloquia excipiunt, & arcana conſilia expiſcantur, vt ea ad hoſtes, aut alios deferant: nunc otioſorum alieno victitantium labore: nunc paraſitorum, nunc curioſorum, quia ſicut muſca auidiſſimè, & ſagaciſſimè inueſtigat odoratos liquores, & quidquid vnguenti aliquam habet ſpeciem: ita curioſi per omnia vagatur odoratus: nunc cogitationum noxiarum, mentis quietem perturbantium, deuotioniſque ſuauitatem, & ſic de alijs. Similiter aranea, beſtiola immunda ac venenoſa, ſubtiliſſimũ texens rete ad capiendas muſcas, ſed quod facilè rũpitur, licet ad ſpeciẽ eleganter diſpoſitum videatur, ſignificare ſolet hypocritarum opera, quæ licet artificioſè, ac multa induſtria texantur, leui inanis gloriæ ventulo diſſipantur; aut generatim omnia opera inania huius vitæ; ſus denique, ſiue porcus diuidens vngulam, ſed non ruminans, & luto ſe inuoluens deſignat libidinoſum, ac voluptatis cæno immerſum; aut vniuerſim peccatores, non ſentientes criminum fętorẽ. Quia, inquam, præfata animalia, & id genus alia ex ſe præciſè nihil ſignificant boni, propterea ſimpliciter, aut ſine addito non debent aſſumi in ſymbolum alicuius rei bonæ ſignificandæ, vel cõmendandæ. Dico ſimpliciter, nam Ioannes à S. Geminiano lib. 5. ſimilitudinum S. Scripturæ cap. 38. muſcam, non quomodocumque, ſed contritam vult eſſe ſymbolum humilis contritionis, quatenus ſicut muſcæ contritæ, & ſuper morſum araneæ venenoſę appoſitæ venenum extrahunt, & dolorem leniunt, ita contritio humilis trahit de corde peccatoris venenum culpæ, & mitigat morſum, & triſtitiam conſcientiæ; ea ferè ratione, qua peccata, non quidem ſecundum ſe, ſed obiectiuè ſumpta, vt nimirum ſunt occaſio feruentius reſurgendi, vel cautius, & humilius in via Dei ambulandi, dicuntur diligentibus Deum cooperari in bonum.

Quæ pariter ſymbola ferè ſemper in bonam ſumuntur partem, vt Sol, luna, ſtellæ, Agnus abſque macula, ſigni-

gnificans vitæ innocentiam, ſimplicitatem, obedientiam, virginitatem, iniuriarum remiſſionem; columba, non felle amara, non morſibus ſæua, non vnguium laceratione violenta, munda, fœcunda, velox, ac proindè rerum tot nobilium imago, Chriſti, Spiritus Sancti, Eccleſiæ, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Apoſtolorum, contemplantium, lugentium; apicula, cuius opus eſt admirabile, fauus ex melle, & cera, aliaque plura ſimilia non debent applicari ſimpliciter, aut ſine addito alicui rei malæ ſignificandæ; dicitur ſimpliciter, & ſine addito, nam Prouerb.7. 22. in malum ſumitur, *Agnus laſciuiens*, pro eo, qui ſpontè ſequitur prouocantem ad laſciuiam; item pro corde rebelli rationi, & diuinis pręceptis, nec non pro affectibus animi minus bene compoſitis accipi poteſt.

Tandem, quæ ſunt tam ad bonum, quam ad malum ſignificandum indifferentia, vt auis, interdum Chriſtum, contemplatiuos, & iuſtos ſignificans, interdum verò dęmones; leo, ſerpens, canis, & alia plura huiuſmodi debent in rerum bonarum ſymbolum aſſumi, ſecundum pręclaras, quas habent proprietates, & conditiones; in malarum autem, ſecundum malas. Sic leo, quà animal eſt omnium nobiliſſimum, ac fortiſſimum, nullum timens, quodque cætera timent, transfertur ad ſignificandam fortitudinem, & iuſtitiam punitiuam Dei: Regiam poteſtatem Chriſti, vim Angelicam, Euangeliſtam, Prophetas, Iuſtos, Eccleſiæ inuictum robur, Apoſtolos, Concionatores, Principes Eccleſiæ; quà autem rugiens dicitur, exprimit diabolum, qui circuit quærens quem deuoret, & ſemper eſt ad prędam paratus. Sic canis, quà cuſtos gregis, deſignat Principes tum Eccleſiaſticos, tum Politicos: Prædicatores etiam, & Curiones, cuſtodientes gregem Domini: quà blanditur, ſignificat amicum minimè moroſum: quà arcet lupos, Reipublicæ curatores vigiles, & ſic de alijs. Quà verò eſt rabidus repręſentat iracundos; quà reuertens ad vomitum, homines in priſtina ſcelera relabentes; quà carniuorus, Cacodæmones; vt hæc, & ſimilia pluribus oſtendit Hieronymus Laureta in Sylua Allegoriarum.

Sexta regula eſt, interdum eſſe magis conueniens in Theologia Symbolica, quod diuina tradantur ſub figuris, aut ſymbolis rerum abiectarum, quam nobilium, vt docet D. Thomas 1. par. qu.1. art.9. ad 3. ex S.Dionyſio cap.11. Cæleſtis Hierarchiæ; primò, quia ſic minus obnoxia eſt errori diuinorum perceptio, aut explicatio. Facile enim in mentem venit homini, obiectis rerũ viliſſimarum ſymbolis, aut imaginibus, eas in Deo ſecundum proprietatem non inueniri: cuius contrarium accidere poſſet, ſi rerum altiſſimarum, ac nobiliſſimarũ ſymbola proponerentur, quas forſan à diuinis, ac ſupercæleſtibus excedi non crederent, qui nihil pulchri præter res corporeas concipere conſueuerunt; abiectarum ergò rerum ſimilitudines magis, quam nobiliorum, plerumque mentem noſtram ad diuinorum perceptionem erigere videntur. Secundò, cum in præſentis vitæ ſtatu magis nobis ſit notum, quid Deus non ſit, quam quid ſit; atque adeò quando de ipſo quidpiam affirmamus, ſemper aliquid addimus, hoc facilius fit per metaphoras, ac ſimilitudines rerum inferiorum, quam ſuperiorum. Quo enim ſimilitudines à rebus magis remotis deducuntur, eo veriorem ingenerant æſtimationem, eſſe quid auguſtius, ac ſublimius in Deo, quàm vt ſymbolis explicari poſſit. Quas ob cauſas, aliaſque ſimiles, multa in Sacris Scripturis reperiuntur ſymbola, quæ, licet prima fronte videantur neſcio quid abſurdi ingerere, vel vt ait Dionyſius epiſtola ad Titum, *plena eſſe incredibilis, & commentitij monſtri*; tamen ad diuina, tum velanda, tum ſignificanda aptiſſimè proponuntur. Huiuſmodi ſunt, quod in diuina generatione effingatur vterus Dei, Deũ gene-

generans; cor hominis eructans verbum in aerem effuſum; in proceſsione verò Spiritus Sancti, Spiritus ex ore procedens. Item quod forma viri Deo affingatur; imò variæ ferarum figuræ, quod interdum bibens, & ebrius, ſomnum capiens, & crapulatus repręſentetur; nec non dicatur iraſci, dolere, iurare, pęnitere, maledicere, & ſic de alijs; quæ omnia ritè penetrata, & intellecta congruenter nobis diuinas exprimunt perfectiones, demptis imperfectionibus, quæ in creatis reperiuntur.

Septima, cum Symbola conſtent partibus neceſſarijs, & ornamentis; partes dicuntur, quæ ſingularem aliquam ſignificationem habent, ita vt ſine illis ſymbolum integrum non eſſet, ſicut nec corpus, cui membrum aliquod deeſt; ornamenta verò, quæ abeſſe poſſunt abſque ſymbolicæ integritatis diſpendio; vbi in Sacris Codicibus talia occurrunt explicanda, pro certo tenendum eſt Theologum Symbolicum poſſe illa omittere, quæ ad ornatum, vel ad explendam narrationem duntaxat pertinent; qua in re habemus Chriſti Domini perfectiſſimi ſuorum ſymbolorum illuſtratoris exemplum, qui, vt Sacri Interpretes aduertunt, dum parabolas à ſe propoſitas exteris, poſtea ſuis diſcipulis explicaret, multorum tanquam ad ſcopum minimè ſpectantium applicationem reliquit, indeque etiam colligunt fuiſſe tantum eiuſmodi ſymbolorum ornamenta, non autem partes. V.g. Matth. 13. in parabola de inimico ſuperſeminante zizania in medio tritici, dormientibus hominibus; cæteris expoſitis, non explicuit Chriſtus, qui ſint homines, quibus dormientibus zizania diabolus ſeminauerit, qui ſerui, qui acceſſerint ad dominum meſſis rogantes eum, vellet ne, vt zizania euellerent. Quod autem de parabolis, eadem ratione de cæteris ſymbolis tenendum eſt, non oportere omnes eorum partes curioſius inquirere; ſed quæ propoſito ſunt vtiles, cæteras verò omittere, vel minus curare; vt rectè monet D. Chriſoſtomus homil. 63 in cap. 25. Matth. nec non D. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 2. id præclaris illuſtrans exemplis.

Si autem in diuinis Scripturis talia ſunt ſymbola, quorum aliquæ partes nihil ſignificant, atque adeò non tam partes, quam ornamenta dici debent partium, quibus adhęrent, ſignificantium; poteſt quoque Theologia Symbolica in ſuis efformandis aliquas particulas ponere nullis peculiaris ſignificationis, ſiue quæ nihil conducant ad principalis arcani ſignificationem, ſed tanquam ornamenta ſolùm ad concinnitatem narrationis, vel imaginis. Valetque ad hoc regula inter Philoſophos & Rethores vulgatiſſima; Comparationes non in omnibus tenere: ſeu non oportere per omnia conuenire ſimilitudines; nec non Chriſti exemplum, ad cuius parabolas pręfatam quoque regulam accommodant Patres, Origenes in cap. 13. Matth. Baſilius in Regulis breuioribus interrogatione 254. Chriſoſtomus loco ſtatim citato, alibique ſæpè, Theophilactus, & communiter interpretes.

Quod obijciunt aliqui Chriſtum, cũ eſſet ſummè ſapiens, nec eum conſequẽter lateret vlla ex rebus, vndè ſumpſit ſignificationem ſymbolicam, non potuiſſe non proponere ſymbola perfectiſſima, atque adeò quoad omnes partes ſignificãtia, ita vt Theologus ſymbolicus nihil quantumuis exiguum, relinquere debeat in exponendis Sacræ Scripturæ ſymbolis, aut alijs efformandis, quod non applicetur ad rẽ figura principali deſignatam; Talis obiectio nullius eſt momenti; qua enim ratione Deus, abſque vllo ſuæ potentiæ præiudicio, & ſi omnia, quæ facit, valdè bona faciat, tamen non ſemper facit id, quod ſimpliciter eſt melius; ita vt melius facere non poſſit, quam faciat; ita quoque dicendum eſt, nihil ſummæ Chriſti ſapientiæ; vel Scriptorum Sacrorum à Spiritu Sancto inſpira-

ſorum obeſſe, quod eorum ſymbola non fuerint perfectiſsima, abſolutiſsima, aptiſsima, ſi iſtæ particulæ ſuperlatiuæ accipiantur eo rigore loquendi, vt nulla ſimpliciter excellentiora eſſe poſſint; id enim non exigit abſolutè natura ſymboli; nec veriſimile eſt, multoque minus certum, quod Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis, aut Chriſtus in inſtruẽdis populis, ſemper perfectiſſimis in hoc ſenſu vſus fuerit ſymbolis, aut parabolis; ſed in eo duntaxat, quo ſuperlatiua ſæpè apud Rethores ſumuntur pro poſitiuis, quatenus ſignificant rem partibus neceſſarijs conſtantem, & cui nihil deeſt ex ijs quæ illi debentur, attento principali fine. Quod non eſt aliud, quam ſymbola, quibus vti placuit Chriſto, & Spiritui Sancto in diuinis Scripturis, ſint per quam accommoda intento fini, latentia aliqua myſteria adumbrandi.

Octaua igitur, & vltima regula ſit, ſymbolorum perfectionem ſitam eſſe, in conuenientia, & proportione cum rebus ſignificatis, vt eas aptè, & congruenter exprimant. Symbolum enim, vt iam notauimus ſupra, eſt in genere ſigni, quod ſiue naturale ſit, ſiue ad placitum, eo cenſetur perfectius quo maior eſt analogia inter ipſum, & rem ſignificatam; nec ſolum eſt in genere ſigni, ſed etiam talis, vt imaginis, & ſimilitudinis rationem habeat, quarum excellentia conſiſtit in conuenientia inter lineamenta, & formam, quæ ſunt in exemplari; ſumma igitur ſymbolorum perfectio maximè poſita eſt in debita conuenientia, & proportione cum rebus latentibus, ad quas ſignificandas aſſumuntur. Cumque, vt dicemus infra agẽdo de diuiſione Theologiæ ſymbolicæ, ſymbola alia ſint verbalia tantùm, in impropria vocum ſignificatione fundata, alia realia, alia denique mixta ex verbis, & rebus, ita requiritur conuenientia, & proportio rerum ſignificantium, cum rebus ſignificatis, vt hæc etiam conuenientia debeat eſſe in verbis, vt ibi dicetur, nunc ſit.

CAPVT V.

Quis ſit verus ſymbolorum ſenſus.

QVamuis reſolutio huius difficultatis ſatis colligi poſſet ex dictis, quia tamen ex defectu ſufficientis diſtinctionis terminorum, nonnulla oritur inter Doctores diſſenſio, aut confuſio, ideò placuit hic illam breuiter excitare. Igitur pro intelligentia illius notandum eſt, quod cum Theologia Symbolica, eiuſque vſus maximè fundetur in Sacræ Scripturę ſymbolis, eodem modo iudicandum eſt de eorũ vero ſenſu, ac Sacræ Scripturæ. Verus autem Scripturæ ſenſus in genere eſt ille, qui à Spiritu Sancto, præcipuo eius authore intenditur. Et diuiditur in litteralem, ſeu grammaticum, alijs hiſtoricum; & in myſticum, ſeu ſpiritualem; rurſus litteralis in proprium, & improprium, quorum primus fundatur in propria vocum ſignificatione, ſecundus autem in impropria, ſiue figurata, quo voces transferuntur à propria & naturali ſignificatione ad alienam; cuius etiam tot ſunt ſpecies, quot ſunt ſpecies figurarum, aut diuerſi Rethorũ tropi. Myſticus tandem diuiditur in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum.

Primò igitur ſi loquamur de ſymbolis verbalibus, ſeu in ſola verborũ metaphora fundatis, hoc eſt in translatione à propria ad impropriam eorum ſignificationem, dicendum eſt ſenſum litteralem proprium, ſiue quem verba propriè ſonant, ſemper eſſe falſum, verum autem, qui fundatur in translatitia, vel impropria eorumdem ſignificatione, cum enim ex Patribus nullum aliud ſit fundamentum recurrendi ad ſenſum litteralem improprium in Scriptura, niſi quia proprius continet aliquid falſi, vel abſurdi, manifeſtè ſequitur iſtum non poſſe eſſe verum Symboli ſenſum, ſed improprium, ad quem recurritur, qui per voces ſymbolicè, ſeu

ſeu figuratè, & translatè acceptas ſignificatur proximè, & immediatè. V.g. cum Scriptura nominat Dei brachiũ, ſenſus litteralis proprius de membro huiuſmodi corporali, quod vox brachium propriè ſignificat, eſt omninò falſus, Deus enim non eſt corporeus, verus autem ſenſus litteralis improprius, quo dicta vox metaphoricè ſumpta ſignificat proximè, & immediatè virtutem operatiuam Dei, ſicut propriè ſumpta ſignificat illud corporis membrum, in quo talis virtus potiſſimum reſidet.

Similiter dum Chriſtus Dominus Ioann. 15. ſymbolicè dicit ſe vitem; diſcipulos palmites; ſenſus litteralis proprius de vite naturali, & materiali, quam vox vitis propriè ſignificat, eſt falſus, cum Chriſtus non ſit talis vitis, verus autem ſenſus improprius, quo eadem vox metaphoricè ſignificat proximè, & immediatè, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, omniumque gratiarum fontem, vt ait D. Auguſtinus tract. 80. & 81. in Ioannem.

Item in ſymbolico Chriſti dicto Matth 18. ſi manus, vel oculus, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te, ſenſus litteralis proprius ſiue quem verba propriè accepta reddunt, de eruendo oculo, & amputanda manu, quæ ſunt corporis membra, eſt falſus, verus autem ſenſus improprius, quo iiſdem vocibus Chriſtus voluit ſignificare, vt ſeparemus à nobis omnes, qui ſcandalo nobis eſſe poſſunt in via Dei, quantumuis propinquitate, amicitia, aut quouis alio vinculo æquè coniuncti ſint, ac nobis ſunt corporaliter vnita pes, manus, oculus, aut alia corporis membra.

Sic denique, vbi Iſaiæ 10. dicitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos*; ſi intelligatur in propria ſignificatione, falſum eſt, verum autem, ſi in figurata, & translata, qua denotatur Chriſti poteſtas, doctrinæque efficacia adducentis ad communem vitæ ſocietatem magnos, & paruos; diuites, & pauperes; validos, & imbecilles.

Ex quibus, & alijs ſimilibus exemplis in Scriptura paſſim occurrentibus clarè conſtat, quod dicebamus, in ſymbolis verbalibus verum, propriumque eorum ſenſum, prout interdũ proprius ſenſus diſtinguitur à falſo, aut eſt idem, ac conueniens, non eſſe illum, quem verba propriè, ſed impropriè ſignificant, proximè tamen, & immediatè, ad diſtinctionem ſymbolorum realium.

Nonnulli ſunt, qui hunc ſenſum dicunt eſſe ſenſum litteralem ſymbolorum, ſed non ita congruè, tum quia videntur confundere ſenſum litteralẽ cum vero, cum tamen non coincidant, nec enim omnis ſenſus litteralis eſt verus, vt patet in exemplis adductis, nec vice omnis ſenſus verus eſt litteralis, vt patet in myſtico, qui etiam eſt verus Scripturæ ſenſus. Tum quia talis ſenſus in ſymbolis, eſt quidem litteralis, ſed improprius, ad diſtinctionem litteralis proprij, vndè litteralis abſolutè dici non debet.

Alij volunt ſenſum Grammaticum ſymbolorum verbalium ſemper eſſe falſum, litteralem autem eſſe verum; ſed hic quoque modus loquendi non placet, etſi enim ſit verus, quatenus per ſenſum Grammaticum poteſt intelligi ſenſus litteralis proprius, quem in ſymbolis verbalibus diximus ſemper eſſe falſum, verum autem improprium, adhuc confundit ſenſum litteralem cum vero, nec diſtinguit duos ſenſus litterales, quorum vnus ſit proprius, & alter improprius, qualis tantum eſt verus ſymbolorum ſenſus, qui proindè non abſolutè ſenſus litteralis dicendus eſt, ſed litteralis improprius. Quamobrem ſicut datur ſenſus litteralis duplex proprius, & improprius, ita quoque & grãmaticus, qui propriè ſumptus ſemper eſt falſus in ſymbolis verbalibus, verus autem impropriè, grammaticuſque impropriè, quemadmodum & litteralis appellari debet.

Aduer-

Aduertendum eſt autem, quod, licet ex dictis ſupra, nullum ſit ſymbolum, nullaque metaphora, quæ ſimilitudinem aliquam non contineant, virtute ſaltem, & implicitè, in hoc tamen differunt à ſimilitudine, & comparatione, quod de ipſa re dicuntur, vt leo translatitiè de homine forti, ac generoſo; at verò comparatio ſignificat feciſſe quid hominem, ſicut leo, vbi cum eo comparatur. Vndè quandiù eſt merum ſymbolum, meraque metaphora, ſine expreſſa forma ſimilitudinis, vel comparationis, quæ conficitur ex re, vndè ſimilitudo ſumitur, cum aliqua nota comparatiua, *ſicut*, *quemadmodū*, aut alia ſimili, primus, & proximus, iſque verus eorum ſenſus eſt improprius, vt diximus; at ſi reſolnantur in duas veluti propoſitiones, adiuncto aliquo ſimilitudinis, aut cōparationis aduerbio, vel in vnam, duabus conſtantē partibus, poteſt dici ſenſum impropriū ita eſſe verum locutionis, aut propoſitionis ſymbolicæ ſenſum, vt ſi reſoluatur in duas propoſitiones, aut in vnam duabus conſtantem partibus, vel membris, vt etiam verus vtriuſque propoſitionis, vel partis ſenſus, ſit ſenſus proprius litteralis, ſiue quem verba propriè ſonant; Exempli gratia: *Vicit Leo de Tribu Iuda*, ſymbolica eſt, ac metaphorica propoſitio, primò ac proximè ſignificans impropriè, verè tamen Chriſtum victorem, non autem animal iubatum: Quæ ſi reſoluatur in duas partes, & comparatione facta dicatur: Quemadmodum leo, quæcumque alia animalia, inſigni, qua præditus eſt fortitudine, in ſuam facilè redigit poteſtatem, ita Chriſtus hoſtes ſuos infinita ſua virtute ſibi ſubiecit; verus vtriuſque partis ſenſus, eſt ſenſus litteralis proprius, ſiue quem verba illarum propriè repręſentant.

Secundò ſi ſermo ſit de ſymbolis realibus, hoc eſt in ipſa rerum, non autem verborum ſignificatione immediatè fundatis, verus earum ſenſus alius eſſe non poteſt, quam myſticus, ſeu ſpiritualis, cum huiuſmodi ſenſus ſit ille, qui ſignificatur non per voces immediatè, ſed per ipſas res ſignificatas prius à vocibus, ſecundum quod ſic, vel ſic ordinantur à Deo; de cuius ſenſus veritate, ſicut & illius ſymbolorum verbalium, certò vel probabiliter conſtare nobis poteſt in particulari, ſecundum quod iuxta regulas certitudinis, vel probabilitatis in hac re, ita quoque nobis conſtare poteſt eos eſſe à Spiritu Sancto intentos.

Porrò hęc eſt differentia inter hos duos ſymbolorum, verbalium, ac realium ſenſus, quod in verbalibus, vt diximus, ſenſus litteralis proprius nunquam poteſt eſſe verus, in realibus autem ſemper debet eſſe verus, cum fundentur in veritate rerum ipſarum, vel naturalium, vel geſtarum, vel artificialium, vel imaginariarum, quales ſunt pluribus Prophetarum viſionibus, Nabuchodonoſoris, & aliorum ſomnijs contentæ, ex diuinis ſcripturis ad aliquid ſymbolicè ſignificandum aſſumptarum.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De antiquitate, & dignitate Theologiæ Symbolicæ.

CAPVT PRIMVM.

Quàm antiqua ſit Theologia Symbolica.

RESOLVTIO huius quæſtionis patet ex dictis tom. 2. huius operis, lib. 3. ſect. 1. cap. 4. vbi oſtendimus Sacrã Scripturam veteris Teſtamenti, non quidem quoad omnes ſuas partes, ſed Moyſis libros ſaltem, eſſe tempore antiquiorem omnibus Paganorum, & Gentilium libris, quorum hodiè monuméta extent, vel quorum etiã nomina ad nos peruenerint; cum enim in præfatis libris multa ad Theologiam Symbolicam ſpectantia, contineri dubium non ſit, illis quoque eam eſſe coęuam certum eſt.

Sed eam adhuc antiquiorem eſſe, ipſique mundo coęuam clarè demonſtrant, plura quæ refert, & ſcribit Moyſes, fuereque ſacra aliarum rerum ſigna, & ſymbola, vt matrimonium Adæ cum Eua, de quo dicitur Geneſ. 2. 25. *Et erunt duo in carne vna*; quod ex Apoſtolo Epheſ. 5. 32. communiter docent Patres fuiſſe Sacramentum, ſeu ſacrum Symbolum tum vnionis hypoſtaticæ, tum maximè Chriſti cum Eccleſia per gratiã, & charitatem. Item quod Geneſ. 9. v. 13. fædus, inter Deũ, & homines de nõ inducendis amplius aquis diluuij, iride, ceu ſacro ſymbolo firmatum fuerit: *Dixitque Deus*, &c. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Quod Geneſ. 16. & 21. Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, quibus ait Apoſtolus ad Galathas 4. ſignificata per allegoriam fuiſſe duo teſtaméta. Et ſic de alijs multis veterum ante Moyſem Patriarcharum geſtis, & ab eo in libro Geneſeos relatis, quæ vt ibi Patres docent, Sacrique Interpretes exponunt, plena fuere myſterijs, tam ad res fidei allegoricè, quàm ad mores tropologicè, & ad cæleſtem patriam anagogicè ſpectãtibus, clarèque proindè euincunt Theologiã Symbolicam æque eſſe, ac ipſe eſt mundus, antiquam. Quam poſteriora quoque ſæcula diligenter, & accuratè coluerunt.

Id manifeſtè demonſtrant *primò*, quę plures ante Chriſti aduentum Philoſophi, & Sapientes gentium, Triſmegiſtus præſertim, & Pythagoras, Horus Apollo Aegyptius ſymbolicè ſcripſiſſe referuntur, vndè Hieroglyphica Aegyptiaca, & Pythagorica Symbola. *Secundò*, quod Philo Hebręus, vir omnium conſenſu doctiſſimus, iureque meritò inter Scriptores Eccleſiaſticos veteris teſtamenti reponendus, quoniam Scripturas Sacras illius primus expoſuit, id ſymbolicè pręſtiterit, & libro de vita contemplatiua referat Eſſenorum, qui fuerunt pręcipui Synagogæ Aſſectæ, potiſſimum ſtudium fuiſſe, vt diuinam legem, poſt diurnam, nocturnamque meditationem, allegoricis interpretationibus exponerent, idque ex tradi-

traditione à maioribus accepta. *Expoſitiones autem ſacrarum litterarum*, inquit ibi. Philo, *conſtant ex Allegorijs. Nam hi viri totam legem exiſtimant habere animalis ſimilitudinem: quod oratio ipſa, dictionumque contextus corpus referant: animam verò, ſententia retrusiores ſub velamine verborum abdita, in quibus rationalis anima egregiè quæ intima ſunt contemplatur, tanquã in vocabulorum ſpeculo miram ſententiarum pulchritudinem conſpiciens, & explicans, è figurarum inuolucris (quę ſunt rerum abditarum ſymbola) atque ita penitiorem intellectum in lucem ijs producens, qui exiguo admonitu poſſunt obſcura ex apertis colligere.*

In nouo quoque teſtamento Chriſtum Dominum Theologia Symbolica primùm vſum fuiſſe, reſtantur innumeræ, quæ in hiſtoria Euangelica reperiuntur parabolæ, & ſimilitudines ab eo propoſitæ; dicente propterea Matthæo cap. 13. v. 34. *Et ſine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.*

Indè primi Patres Græci Symbolicæ Theologiæ, myſticiſque, & arcanis, ex eius præſcripto, diuinarum Scripturarũ interpretationibus addictiſſimi fuere. Inter quos Dionyſium Areopagitam primas tenuiſſe patet ex reſiduo, quod habemus eius operum; magiſque adhuc pateret, ſi quem librum Theologiæ Symbolicæ citat cap. 15. de Cæleſti Hierarchia, & cap. 1. ac 13. Diuinorum Nominum, & cap. 3. Myſticæ Theologiæ, ac epiſtola ad Titum, cum alijs multis non excidiſſet.

Clemens Alexandrinus, ſic dictus, quod Eccleſiæ Alexandrinę eſſet Preſbyter, quamuis Athenis natus, vir doctiſſimus, Panteni diſcipulus, & poſt eius mortem in Eccleſiaſtica Schola ſucceſſor, Theologiæ etiam ſymbolicę peritiſſimus fuit, vt patet ex eius operibus, maximè ex libris octo Stromatum in quorum quinto Symbola veterum, & Aegyptiorum Hieroglyphica enarrat, aliaque habet ad arcanam ſapientiam pertinentia.

Origenes Clementis auditor, & in Cathedra pariter ſucceſſor, mirum eſt, quantum quoque in Theologia Symbolica verſatus, ac delectatus fuerit. Adeò vt nonnulli eius æmuli crediderint eum litteralem Scripturæ ſenſum, ac veritatem contempſiſſe. Quod tamen alij grauiſſimi viri negant, & in primis, Origenis, in hoc capite clariſsimus patronus, Gilbertus Genebrardus præfatione in eius opera; ſed quid al enis opus teſtibus, ipſomet Origene expreſsè docente homil. 2. in Leuiticum, *hiſtoriam non negandam*, & homil. 11. in eundem librum; *Allegorias non vbique in Scripturis eſſe*, ac demum homil. 13. in Exodum: *Allegoriam ſine authoritate Scripturæ improbandam*: contra quam legem ſi quando peccaſſet Origenes, non propterea condemnanda, aut paruifacienda eſt Theologia Symbolica, ſed reprehendendus malus eius vſus, omniumque eorum Doctorum, qui in ſenſu ſymbolico, vel minimum à veritate litteræ aberrant, vt diximus ſupra.

Pręcipui poſt iſtos Theologiæ Symbolicæ cultores, fuere è Gręcis adhuc Patribus, S. Cyrillus Alexandrinus maximè in Prophetas, & libros de adoratione; Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, ex cuius inſigni opere, quod Ioannes Alexander Braſsicanus pręfat, ad Eucherium, apud ſe eſſe ait, in antiquis membranis deſcriptum, ſymbolicas aliquot ſententias ipſe ponit, aſſeritque hoc apud Gręcos Theodoretum exactiſsimè præſtitiſſe in Theologia Symbolica, quod paulò poſt apud Latinos Eucherius, vt mox dicemus. Heſychius, ſiue Hyſichius Epiſcopus Hieroſolymitanus libris ſeptem in Leuiticum. Ioannes Sapiens Cypariſsiotus, omninò videndus in pręmeditatione expoſitionis materiatæ eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur.

Inter Latinos Patres multi quoque Theo-

Theologiam Symbolicam ſtudioſiſſimè coluerunt; Diuus Ambroſius in Allegoria apprimè excellens, in veteris Teſtamenti libros præſertim, & in Lucam; Diuus Hieronymus, etſi enim litterali Scripturæ ſenſui potiſſimum addictus fuerit, paſsim tamen, maximè autẽ in Prophetas Maiores, & Minores Symbolicis interpretationibus vtitur: nec non etiam Diuus Auguſtinus Anagogiæ mirum in modum deditus; ſicut & Tropologiæ S. Gregorius, vbique ferè, ſed in libris Moralium maximè.

Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, qui floruit anno Domini 440. ſingulari opere illuſtrauit Theologiam Symbolicam, edito libro, de Myſticis dictionum ſignificationibus, cui titulus eſt: *Liber formularum Spiritualis intelligentia*. Et quamuis aliqui huic Eucherio iſtum abiudicent librum, alij tamen tribuunt. Quidquid tamen ſit de certo illius authore, negari nõ poteſt eum eſſe Theologiæ Symbolicæ valdè vtilem, vt patet ex vndecim, quibus conſtat capitibus.

I. De diuinis nominibus.

II. De his, quæ appellantur membra Domini, vel quæ de eo ſignificantur.

III. De ſupernis creaturis.

IV. De terrenis.

V. De animantibus.

VI. De varijs nominum, & rerum appellationibus.

VII. De interiori homine.

VIII. De his, quæ in vſu atque in medio habentur.

IX. De varijs verborum, vel nominum ſignificationibus.

X. De Hieruſalem, vel aduerſis eius.

XI. De numeris, quorum ſignificationes in Allegoriam trahuntur.

Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem, Venerabilem Bedam, Albinum Alcuinum eius diſcipulum, Amalarium Fortunatum Epiſcopum Treuirenſem, Rabanum Maurum Moguntinum, Angelonium Monachum, Diuum Bernardum, Rupertum, vtrumque Hugonem Victorinum, & Catenſem, aliosque plures ad inſtar maiorum Theologiam Symbolicam eximiè coluiſſe teſtantur, quę exſtant eorum opera. Et hæc ſufficiant pro antiquitate Theologiæ Symbolicæ, eiuſdemque progreſſu ad hęc vſque tempora, quibus demum innumeri propè authores, aut de eius natura, ac proprietatibus ſcripſerunt, aut ad eius regulam diuinas Scripturas ſymbolicis interpretationibus, nunc Allegoricis, nunc Tropologicis, nunc Anagogicis iucundè, & vtiliter illuſtrarunt.

CAPVT II.

De Theologia Symbolicæ præſtantia, ac dignitate.

Plura ſunt, eaque præclara capita, ex quibus Theologiæ Symbolicæ dignitas deduci, penſarique poteſt. *Primum*, quod fundetur principaliter in ſenſu myſtico, vel ſpirituali. Etſi enim, qua ratione ſenſus litteralis certior nobis eſſe ſolet, eoque propterea maximè vtimur in arguendo, ſiue in probandis dogmaticè fidei noſtræ veritatibus, ſenſui myſtico pręcellat, vt tom. 2. lib. 3. ſect. 1. cap. 100. oſtendimus; attamen qua ratione ſenſus litteralis eſt communis ſacræ doctrinæ cum cæteris ſcientijs prophanis, ſenſus autem myſticus ſoli Sacræ Scripturæ ita competit, propriuſque eſt, vt alijs, humanis nempè, & prophanis ſcriptis verè non poſsit conuenire, certum eſt Theologiam Symbolicam in eo potiſſimum fundatam, non mediocrem indè ſortiri dignitatem. Quod autem huiuſmodi ſit ſenſus myſticus, docet expreſsè D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. noſque probauimus loco ſtatim citato cap. 99.

Secundò, cum Theologia quatenus Symbolica fundetur pręcipuè in ſenſu myſtico Sacræ Scripturæ, ſignificato non per voces immediatè, ſed per ipſas res ſignificatas à vocibus, ſecundũ quod

quod ſic, vel ſic ordinantur à Deo; indèque non incongruè dici poſſit, quod ea ſit finis rerum omnium creatarum, in quantum creatæ ſunt omnes, vt eſſent diuinarum perfectionum, & arcanorum Symbola: hoc etiam mirum in modum eam extollit. Quia autem creaturæ dupliciter eſſe poſſunt ſigna Creatoris, primò quatenus ſunt eius effectus tanquam primæ cauſæ, ſi quidem omnis effectus, ſaltem vt ſignum ducit in cognitionem ſuæ cauſæ: ſecundò, quatenus ipſamet earum ſubſtantia, & proprietates, ſunt typus, & figura rerum diuinarum, ob ſimilitudinem, aut analogiam quandam, qualis, vt diximus ſupra, reperiri debet inter figuram Symbolicam, & rem per illam myſticè ſignificatã: Ita creaturæ priori modo conſideratæ, quo Symbola largè duntaxat dici poſſunt, inſeruiunt Theologiæ ſimpliciter argumentatiuæ, ad demonſtrandam veluti litteraliter Dei exiſtentiam; vt tamen, ſi poſteriori ſpectentur modo, ſint propriè Symbola, ſub quibus ſpiritualiter occultatur, quidquid eſt perfectionum diuinarum; ipſa nimirum Diuinitas, omniaque eius attributa. Videturque id non obſcurè colligi ex illo Sapientiæ 3. 5. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*; tum ex illo Roman. 1. 20. *Inuiſibilia ipſius Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*: Indè enim rei cuilibet creatæ nedum ineſſe externum quid, & vt ita dicam ſuperficiarium oculos incurrens, quo ad exiſtentiam Dei cognoſcendam perueniatur, verum etiam internum, ac myſticum, quo inſuper tanquam Symbolo cæteræ eiuſdem perfectiones exprimantur, nobiſque innoteſcant, multi docent Patres, ſed omnium luculentiſſimè Origenes homil. 3. in Cantica, prolatis pluribus exemplis, quibus oſtendit rerum creatarum vires, ac proprietates, ſingularem habere cum fidei myſterijs aſſimilationem, vel analogiam; atque id, quod à Philoſophis ſcitur, & docetur, de rebus naturalibus, minimam partem eſſe illorum, quæ maximè inueſtigari deberent, ac fidelium mentes paſcere. Id ipſum quoque probant rationes, quibus D. Thomas 1. p. quæſt. 65. art. 2. probat, creaturam corporalem factam fuiſſe propter bonitatem Dei, tanquam propter vltimum finem.

Tertiò, facit ad Theologiæ Symbolicæ dignitatem, quod eam veluti pro fine etiam habuerint, veteris Teſtamenti tum ceremoniæ, tum hiſtoriæ, ac populi Hebraici euentus varij, vt loco ſtatim citato indicat Origenes, quod dixerat de rebus creatis, deriuans ad Scripturam diuinam, & acta Synagogæ. *Si quidem*, inquit, *propter quædam occulta, & myſtica, viſibiliter populus educitur de Ægypto iſta terrena, & iter agit per deſertum, vbi ſerpens erat mordens, & ſcorpius, & ſitis: vbi non erant aqua, & cætera, quæ in his geſta referuntur. Quæ omnia occultorum quorumdam formas, & imagines tenent*. Etſi enim, vt iam notauimus ſupra, tam iſte author, quam alij improbandi ſint, qui vt ſenſus aliquos Symbolicos ingenioſè veneneur in hiſtoria, vel illam tollunt, vel ab eius veritate deflectunt: dicente tamen Apoſtolo 1. Corinth. 10. omnia in figuris contigiſſe Hebræis, ſcriptaque eſſe ad noſtram doctrinam; & Hebræorum 11. legem habuiſſe vmbram futurorum bonorum; non ipſam imaginem; negari non poteſt, hiſtoriam Synagogæ ſenſum Symbolicum continere, ſeu plura, quæ in illa acciderunt, finem habuiſſe, ſi non proximum, & præcipuum, remotum ſaltem, vt ſymbolicè ſignificarent myſteria, ſiue ad fidem, ſiue ad mores in nouo Teſtamento pertinentia. Imo Diuus Hieronymus procemio commentariorum in Iſaiam aſſerit, poſt hiſtoriæ veritatem, ſpiritualiter accipienda eſſe omnia; ſubiungitque exemplum de Iudæa, Ieruſalem, & alijs nominibus proprijs. Cui conſentit Diuus Auguſtinus libro

contra

contra Fauſtum cap. 7. expreſsè docens: *Omnia, quæ in illis*, veteris nimirum Teſtamenti, *continentur libris, vel de ipſo* (Chriſto) *dicta eſſe, vel propter ipſum*.

Quartò, mirum in modum Theologiam Symbolicam commendat, quod Chriſtus non ſolùm ea vſus fuerit, loquens ad turbas in parabolis, ſed quod maius adhuc eſt, ipſamet eius miracula, & geſta arcana myſteriorum ſignificatione plena fuerint. *Hoc*, inquit Origenes loco iam dicto, *non in Scripturis tantùm veterum, ſed & in geſtis Domini, & Saluatoris noſtri, quæ in Euangelijs referuntur inuenies*. Vt enim præclarè ait D. Auguſtinus tract. 24. in Ioannem: *Habent Chriſti miracula linguam ſuam*: & ex Diuo Gregorio, *Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio*. Pluresque non deſunt Patres, qui docent Chriſtum Dominum antiquorum impleſſe prophetias, vt alterius prophetiæ daret initium, quique non pauca eiuſdem geſta myſticè interpretentur. Vndè nõ eſt audiendus Abulenſis quæſt. 23. in cap. 13. Matth. aſſerens nullum in nouo teſtamento eſſe ſenſum myſticum, multoque minus, quod ait eſſe Diui Auguſtini ſententiam, cum tam loco citato, quam tract. 44. 122. & 124. in Ioannem contrarium expreſsè doceat; nec non D. Dionyſius à S. Thoma citatus 1. p. quæſt. 1. art. 10. *Noua lex*, inquit, *eſt figura futuræ gloriæ*, &c. *In noua etiam lege, quæ in capite ſunt geſta, ſunt ſigna corũ, quæ facere debemus, &c.*

Quintò tandem, & vltimo ad Theologiæ Symbolicæ dignitatem dici poſſunt ſpectare omnia illa capita, ex quibus ſectione ſequenti eiuſdem neceſſitatem, vel vtilitatem oſtenſuri ſumus.

SECTIO TERTIA.

In qua agitur de neceſsitate Theologiæ Symbolicæ, breuiterque explicantur quatuor eius cauſæ.

CAPVT PRIMVM.

Adducuntur quinque capita neceſſitatis Theologiæ Symbolicæ ex parte rerum.

PRO intelligentia difficultatis, primò notandum eſt, quod aliàs ſæpius, duplicem nimirum dari neceſſitatem. Vna dicitur abſoluta, ſine qua finis obtineri non poteſt; altera verò ſecundum quid, ſeu ad melius eſſe, quia licet finis ſine ea haberi poſſit, non tamen ita commodè, vel congruè, vndè coincidit cum vtili, vel conuenienti.

Secundò animaduertendum eſt, metaphoram, cuius nomine, vt ſic, intelligitur quidquid eſt Symbolicum, cum vti metaphora, ſit, vti loquutionibus, quæ non verificantur de his, de quibus dicuntur ſecundum propriam ſignificationem, ſed ſecundum aliquam ſimilitudinem, vel analogiam ad propriè ſignificata, dupliciter accipi poſſe. Primò ſtrictè, ac propriè, vt ſit translatio vocis

vocis à re, quam propriè ſignificat, ad ſignificandam aliam impropriè, ſi ſit metaphora verbalis, vel tranſlatio rerum ipſarum ad alias res ſignificandas, ſi ſit metaphora, vel ſymbolum reale. Secundò latè, pro quolibet tranſlationis modo, quo nomen, aut verbum ex ſignificatione ſua ad aliud ſignificandum extenditur, per extenſionem tamen quamdam, quæ proprietati non aduerſatur; qualia ſunt nomina fortitudinis, bonitatis, ſapientiæ, aliorumque huiuſmodi, quæ primò ad creatas perfectiones ſignificandas inuenta, increatas etiam Dei ſignificare poſſunt, largo quodam tranſlationis, vel metaphoræ modo.

His prænotatis, cum inter Theologos certum ſit, reverà in Scriptura Sacra, indèque in Theologia reperiri vſum metaphorarum, vndè vocatur Symbolica, vt ſatis patet ex huc vſque dictis, probatque Diuus Thomas 1. p. q. 1. art. 9. ex loco Oſeæ 12. *Ego viſionem multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum*. Tradere autem, inquit, aliquid ſub ſimilitudine, eſt metaphoricum. Ergo ad Sacram doctrinam pertinet vti metaphoris. Hoc, inquam, cum certum ſit, & indubitatum, controuerſia tantùm eſt, qua neceſſitate talis metaphorarum, ſymbolorumque vſus, atque adeò Theologia Symbolica ſit neceſſaria. Aliqui enim exiſtimant eſſe neceſſariam abſolutè, alij verò ad melius tantùm. Hæ tamen duæ ſententiæ facilè ex ſecundo notando conciliari poſſunt: ſi enim metaphora, indèque Theologia Symbolica in ſignificatione laxiori ſumatur, ſic verum eſt, eam eſſe neceſſariam abſolutè; nam cum in ſermone de rebus diuinis, qualis eſt Theologia, neceſſarium ſit abſolutè, ad eas declarandas, vti vocabulis, primò rem aliquam creatam ſignificantibus, neceſſaria quoque eſt abſolutè Theologia Symbolica, ſed impropriè dicta, vt etiam huiuſmodi vocabula proprie non ſunt metaphorica. At ſi loquamur de metaphoris, ac ſymbolis propriè dictis, nec non de Theologia in illis fundata, quæ ſola eſt ſymbolica propriè dicta, ſimpliciterque talis, ſic Diuus Thomas loco citato, Theologique communiter cum illo docent vſum illorum non eſſe abſolutè neceſſarium, ſed tantùm ad melius, ſeu vt conuenientius diuina, & ſpiritualia ſub ſimilitudine corporalium tradantur. Ratio eſt, quia quæcumque per metaphoram propriè ſumptam, figuratè, aut ſymbolicè dicuntur, poſſent etiam exprimi per alia vocabula, res propriè ſpirituales ſignificantia; Theologia igitur Symbolica propriè dicta non eſt abſolutè, aut ſimpliciter neceſſaria ad tradendas res diuinas, & ſpirituales, ſed tantùm ad melius, vel vt conuenientiùs tradantur. Quia autem plures huius conuenientiæ rationes adduci ſolent, eas claritatis gratia ad duas claſſes reducemus. Prima eſt earum, quæ ſe tenent ex parte rerum, in hoc capite ponderandarum; Altera verò earum, quæ ſe tenent ex parte noſtri, ſeu capacitatis humanæ, de quibus agetur in ſequenti.

Prima ratio conuenientiæ ex parte rerum pro vſu ſymbolorum in Sacra Scriptura, indèque in ſacra doctrina, vel Theologia, fundatur in hoc, quod in Theologia de rebus diuinis potiſſimum tractatur, ad quas vel tegendas, vel aperiendas, ſecundum ipſarum exigentiam, valdè conducunt ſymbola. Hæc enim eorum eſt natura, vt ſimul vtrumque præſtent; ſi quidem in ſe conſiderata, & quamdiu non eſt peritus Doctor, qui accommodatè illa explicet, myſteria potius claudunt, quàm reſerant: At ſi aptè exponantur, breuiterque declarentur, mirum in modũ ea illuſtrant. Sic Chriſti parabolæ ab eo explicatæ lucem afferebant diſcipulis, ſimpliciter autem propoſitæ tam ipſis, quam Phariſæis caliginem effundebant. Cuius rei illuſtre habemus exemplum Matth. 13. in parabola de ſeminante, quam cum audiuiſſent Apoſtoli, non intelligebant: facta autem à

Domi-

Domino applicatione, optimè eam intellexerunt.

Vbi igitur non omnibus promiſcuè ſacra, & diuina propalanda ſunt, ſed indignis potius cælanda, vt olim in primitiua Eccleſia ſiebat, quæ propterea non mediocrem, teſte Lactantio lib. 7. Inſtitut. cap. 26. calumniam paſſa eſt à Gentilibus, exiſtimantibus vanam, fabuloſamque eſſe Chriſtianorum legē, ac doctrinam, quod interdum illam Symbolicis inuolucris tegere ſoliti eſſent, patet quam vtilis, & conueniens ſit eorum vſus in Sacra doctrina. Quod adeò verum eſt, vt Philoſophi Gentiles, ſua etiam grauiora dogmata, quæque non omnibus communia eſſe volebant, vel ſymbolis, vel metaphoris, vel denique aliquo genere dicendi obſcuro, occultare, omnibus viribus contenderent. Quorum multa adhuc extant exempla, nonnullaque referuntur ab ipſiſmet Sanctis Patribus, Clemente præſertim in libris Stromatum, & Cyrillo Alexandrino contra Iulianū Apoſtatam, quibus expreſsè docent, quandoque conuenire vti ſignis, & figuris, ad res diuinas occulendas, ita ferente caſu.

Sicut per oppoſitum eadem ſymbola ritè explicata, & applicata ſunt valdè vtilia, ad illas fidelibus, vbi opus eſt, declarandas. Cum enim non omnes capiant diuina, & ſpiritualia, ſiquidem non videntur, nec alijs obnoxia ſunt ſenſibus, negari non poteſt, quin per res ſenſibiles, nobis magis notas, & ex quibus potiſſimum originem habet noſtra cognitio, intelligentem enim oportet phantaſmata ſpeculari, negari, inquam, non poteſt, quin per huiuſmodi res, tanquam per ſymbola, valdè aptè diuina arcana, rerumque ſpiritualium veritates elucidentur, ſeruatis legibus, ac regulis veri, perfectique ſymboli. Propterea Diuus Dionyſius cap. 1. Cæleſt. Hierarchiæ citatus à Diuo Thoma 1. p. quæſt. 1. art. 9. ait: *Impoſſibile eſſe nobis aliter lucere diuinū radium, niſi varietate Sacrorum velaminum circumuelatum*. Imò ibidem docet, vt iam notauimus ſupra, magis eſſe conueniens; quod diuina in Scripturis tradantur ſub figuris vilium corporum, quam corporum nobilium.

Altera ratio, quæ ferè cum iſta prima coincidit, eſt, quod maieſtas, indeq; veneratio rebus concilientur Symbolis, quæ enim aperta ſunt, ſeque omnibus præbent abſque velo conſpicienda, minus habere videntur grauitatis, imò ſæpè contemptum ſui pariunt: qua de cauſa Gentiles olim omnem Theologiam ſuam occultam eſſe volebant, & arcanam, Poetæ fabularum, Oratores translationum, Myſtæ oraculorum, auguriorum, reſponſorumque contortorum, & obſcurorū inuolucris. Sacra igitur, & diuina, de quibus noſtra Theologia tractat, cum ſint infinita maieſtate plena, nec inferiori veneratione digna, patet quā conuenienter interdum Symbolis vtatur in illis tractandis; exemplo ipſiuſmet Dei, quem hoc pacto ſe, & ſua velari, amare, clarè demonſtrant, tum quod in Scriptura vocetur abſconditus; tum fumus, tenebræ, adyta templi, ſacratiſſimum Sanctorum Sanctum, arca, propitiatorium, tabernaculum, ſexcentaque alia veteris legis ſymbola, ſub quibus latere, Prophetiſque apparere, & loqui volebat. Cui etiam inhærens Eccleſia Catholica Miſſam Catechumenorū inſtituit; item quod in ea ſubmiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferrentur, nec lingua vulgari celebraretur; ſicut etiam prohibuit, ne eædem Sacræ Scripturæ paſſim exponantur, & ab omnibus promiſcuè legantur: ita poſtulante, inter alias rationes, iſtarum rerum grauitate, & maieſtate, quamque merentur, ſingulari veneratione, ac reuerentia.

Tertia ratio eſt, quia dum Theologia vtitur ſymbolis, maximè realibus, hac ratione plures excellentiſſimi ſenſus ſpirituales, ob varias rerum, quæ ad ſignificandum ſumuntur proprietates, haberi poſſunt, adeò vt in vno

inter-

interdum ſymbolo contineatur plurimarum rerum, ſcientiarumque compendium. Quod quantum ſit vtile diuinis Scripturis intelligendis, diuiniſque myſterijs indè explicandis: nemini non conſtat; vt ſi accipiantur hæ locutiones, *Vos eſtis Sal terræ, vos eſtis lux mundi*, Matth. 5. ob illas ſalis, & lucis metaphoras, ſeu ſymbola, plures continent eximios ſenſus myſticos. Et ſic de alijs. Quo ſenſu Diuus Auguſtinus lib. de Geneſi ad litteram interpretatur illud Danielis cap. 12. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum, vſque ad ſtatutum tempus. Plurimi tranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Et Alcazar in Apocalypſim pluribus id deducit ex eius ſymbolis, eorumque ſignificatione fœcundiſſima, præ alijs Scripturæ libris.

Quarta ratio eſt, quoniam, quod eiuſdem veritatis per eadem verba frequens repetitio ſolet generare faſtidium, debito ſymbolorum vſu remouetur, quibus eadem veritas varijs verbis, & figuris explicatur: igitur cum eadem veritas ſæpè nobis in Sacra Scriptura, indèque in Theologia inculcetur, non poteſt non eſſe illi apprimè vtilis, & conueniens ſymbolorum, metaphorarumque vſus. Huiuſque rei præclarum habemus exemplum in doctrina de Regno Cælorum, quam patet ex Euangelio, quot diuerſis modis Chriſtus Dominus metaphoricè explicuerit.

Quinta demum, & vltima ratio eſt, quia ſæpè contingit, quæ ſimplici, vel proprio locutionis genere honeſtè efferri non poſſunt, decenter tamen exprimi per ſymbola, aut metaphoricas locutiones. Hoc ſpectaſſe Salomonem in ſuis libris exiſtimant nonnulli Interpretes, inter quos Pineda in cap. 12. Eccleſiaſtes, & in cap. 41. Iob: in hunc ergo finem, vbi res ita exigunt, non poteſt non eſſe pervtilis Symbolorum, Theologiæque Symbolicæ vſus. Tantùmque ſit de rationibus ex parte rerum deſumptis, id, vt intendebamus, probantibus; nunc ad alias ex parte noſtri tranſeamus.

CAPVT II.

Afferuntur quinque aliæ rationes, ex parte capacitatis humanæ deſumptæ, pro neceſſitate, vel conuenientia Theologiæ Symbolicæ.

PRæter iam allatas ſuperiori capite rationes ex parte rerum, non deſunt aliæ plures ex parte noſtri, quibus adhuc probetur conueniens Theologiæ Symbolicæ vſus. Prima eſt S. Thomæ 1. p. quæſt. 1. art. 9. quia Deus omnibus prouidet, ſecundum quod competit eorum naturæ, hoc enim exigit ratio, & ſuauitas diuinæ prouidentiæ; eſt autem naturale homini, vt per ſenſibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis noſtra cognitio à ſenſu initium habet, conueniens igitur fuit, non ſolùm ex parte rerum, quatenus corpoream aliquam habent cum ſpiritualibus analogiam, vt ſub illarum metaphoris repræſentarentur in Sacra Scriptura, indèque in Theologia illi innixa, & ex tali munere vtendi metaphoris ſymbolica denominata, verùm etiam attenta naturæ humanæ conditione; nam hoc pacto homo ſecundum modum ſuæ naturæ inſtruitur, nempè per ſenſibilia ad intelligibilia, deindè cum homini ſæpè deſint propria vocabula ad res ſpirituales, & diuinas ſignificandas, nō poteſt non eſſe tunc illi neceſſarius metaphorarum, ac ſimilitudinum vſus.

Secundò, eadem eſt ratio ſymbolorum, ac imaginum, quemadmodum igitur mirum in modum iuuatur memoria imaginum vſu, cum ea, quæ percipiuntur viſu magis afficere ſoleant homines, quam quæ ſolo auditu, iuxta illud

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,

Quā quæ ſunt oculis ſubmiſſa fidelibus.

Ita quoque vt tenacius hærerent nobis res à ſenſibilibus remotæ, quales ſunt diuinæ,

diuinæ, & cæleſtes valdè conueniens fuit, vt rerum viſibilium formis animo obijcerentur.

Tertiò, quia nedum facilius, ac tenacius, ſed etiam iucundius percipiuntur, quæ metaphoris, aut ſymbolis exprimuntur, ipſamet enim experientia docet, quantum illa, eiſque ſimilia humanum ingenium delectent, ſi ijs quidpiā ingenioſè ſignificetur: ex hoc etiam capite conueniens fuit Theologia ſymbolica, quæ hac ratione diuina, ac cæleſtia nobis explicaret.

Quartò, metaphoricum ſermonem, ſymbolorumque vſum plurimum valere ad affectus humanos commouendos, multa tum ſacra, tùm prophana demonſtrant exempla; Nathan Prophetæ lib. 2. Reg. 12. vbi Dauid ab eo correptus, ſub parabola duorum virorum vnius diuitis, & alterius pauperis, in ſeipſum tulit ſententiam, *Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc*; tunc enim dixit Nathan ad eum: *Tu es ille vir, qui feciſti rem hanc*: Chriſti Domini Matth. 21. vbi elegantiſſima quoque parabola de improbis vinitoribus, ab ipſis Iudæis, condemnationis ſententiam, quam contra ſeipſos ferrent, elicuit, quam nunquam alias tuliſſent, adeò verum eſt, ſymbolorum vſum mirum in modum conferre ad affectus auditorum excitandos, ipſiſmet proprio ſe ore iudicantibus, & condemnantibus. Patet ergò, quàm indè quoque ſit vtilis, ac conueniens Theologiæ Symbolicæ vſus, proptereaque Patres, qui homilias ad populum habuerunt, aut de moribus ſermones, præfato loquendi modo, plerumque vſi fuerunt, vtpotè ad ſuadendum aptiſſimo.

Quintò, qua ratione ſub ſymbolorum inuolucris, multiplices ſenſus ad pietatem, & ad mores accommodatiſſimi deliteſcunt, proindèque non mediocri ad illos eruendos diligentia opus eſt, ad illam promouendam non parum conferre, ſiue vtilem eſſe eorumdem vſum in Sacra doctrina fatendum eſt. Et quia connaturale eſt homini, vt quæ maiori ſtudio, & labore aſſequitur, pluris faciat; indè etiam fit, vt ad maiorē Sacræ Scripturæ æſtimationem, & amorem excitetur, vbi ſymbolis vtitur, eaque Theologiæ ſubminiſtrat.

Hæ ſunt præcipuæ rationes ex parte noſtri ſe tenentes, conuenientiamque, & vtilitatē Theologiæ Symbolicę probantes; alias omitto, vel quia cum iſtis coincidunt, vel rē minus probant. Meritò igitur, ob tam multiplices fructus, Eccleſiaſticus cap. 39. inter alia monet Sapientem, vt narrationem virorum nominatorum conſeruet, & in verſutias parabolarum ſimul introeat. Occulta prouerbiorum exquirat, & in abſconditis parabolarum conuerſetur.

CAPVT III.

Soluuntur obiectiones contra Theologiæ Symbolicæ neceſſitatem.

NOn defuerunt plures Religionis noſtræ hoſtes, qui ſymbolorum, ſimilitudinumque vſum in ſacris litteris improbarint, & conſequenter Theologiæ Symbolicæ conuenientiam, aliqualemve neceſſitatem; quæ magis adhuc apparebit ex ſolutionibus obiectionum, quas contra illam afferunt.

Prima eſt, quod alias dedecet ſcientias, non debet tribui Sacræ Theologię dignitate illas ſuperanti, ſed alias ſciētias dedecet vſus ſymbolorum, vt docet Philoſophus lib. 2. Poſter. cap. 15. Sacræ igitur doctrinæ, vel Theologiæ tribuendum non eſt.

Reſpondetur primò ad maiorem huius argumenti ſupponi in ea falſum, ſi enim cæteris ſcientijs non competit ſymbolorum vſus, hoc non prouenit, quia ipſas dedeceat, ſed potius ſit ſupra illas; cum enim ſenſus ſpiritualis, cui potiſſimum innituntur ſymbola propriè dicta, ſolius diuinæ Scripturæ ſit proprius, quod eſt vnum è præcipuis Theologiæ principijs, indè eſt quod

quod iſta quoque ſola poſſit eſſe ſymbolica, ſecus autem aliæ ſcientiæ.

Secundò reſpondetur admittendo maiorem, & negando minorem: Etſi enim Ariſtoteles loco citato neget in diſputando, ac definiendo, cum primũ diſputandi principium ſint rerum definitiones, metaphoris eſſe vtendum, illas tamen abſolutè à ſcientijs non ablegauit, vt ſatis patet ex hoc, quod ipſemet Phyſicorum 1. alibique paſſim, metaphoris, ac ſymbolis à rebus etiam artefactis deſumptis vtitur, vt principia rerum naturalium explicet, ſtabiliatque. Quod multò magis Sacræ doctrinæ conuenit, non ſolùm, quia, vt iam diximus ſupra, argumentatiua eſſe poteſt Theologia Symbolica, ſed propter adductos inſuper fines, duobus ſuperioribus capitibus.

Obijcitur ſecundò veluti per oppoſitum, id quod eſt proprium infimæ doctrinæ non videtur conuenire ſcientiæ ſupremæ, qualis eſt Theologia; ſed vti metaphoris, & ſimilitudinibus eſt proprium Poeticæ, quæ eſt infima doctrina, ſeu ex infimis inter artes liberales; id ergo non conuenit Theologiæ.

Reſpondetur primò, negando maiorem abſolutè, quæ enim perfectiones in inferioribus doctrinis reperiuntur diſperſæ, debent in ſuprema, qualis eſt Theologia, vniri, igitur ſi ſymbolis vti competit Poeticæ, multò magis, perfectiorique modo Theologiæ concedi debet.

Secundò reſpondetur diſtinguendo maiorem; id quod eſt proprium infimæ doctrinæ, non debet competere eodem modo, & ad eumdem finem Theologiæ, concedo maiorem, diuerſo modo, diuerſoſque ob fines nego: & ad minorem ſimiliter diſtinguendum eſt, vti metaphoris propter ſimplicem repræſentationem, & delectationem, quam homo naturaliter percipit in vſu ipſarum, eſt proprium Poeticæ concedo: vti metaphoris alio modo, & ad alium finem, maximè qualem intendit Sacra Scriptura, & indè Theologia, nego: & eodem modo diſtinguendo conſequens, neganda eſt; vel concedenda conſequentia; declarat autem S.Thomas 1.p.q.1. art.9. vbi proponit hoc argumentum, quo pacto Sacra Scriptura vtatur metaphoris, dum ait: *Sed Sacra doctrina vtitur metaphoris propter neceſſitatem, & vtilitatem*; vt iã explicuimus, non autem propter poeticos lepores, etſi enim hæc quoque delectatio ſit in Scriptura Sacra, vbi vtitur metaphoris, non eſt tamen ille finis primarius, neque cauſa Scripturę in earum vſu, vt dicetur capite ſeq.

Obijcitur tertiò; Doctrinæ ordinatæ ad veritatem manifeſtandam, non videtur conueniens vſus metaphoricę, aut ſymbolicæ locutionis, ſed Sacra doctrina eſt ordinata ad manifeſtandã veritatem, illam igitur non videtur decere vſus talis locutionis, quæ eſt potius veritatis occultatiua.

Reſponderi poteſt primò per diſtinctionem maioris, concedendo illã, ſi talis doctrina ordinatur tantùm ad veritatis manifeſtationem, negando autem ſi interdum illam occultare debeat, ad exercitium ſtudioſorum, & contra irriſiones infidelium, de quibus dicitur Matth.7. *Nolite Sanctum dare canibus*; vt competit Sacræ doctrinæ, quæque proindè, vt diximus ſupra, nunc ad declarandam veritatem, nunc ad eamdem occultandam, vbi ita exigitur, ſymbolis, ac metaphoris vtitur.

Secundò reſponderi etiam poteſt, negando maiorem abſolutè, quatenus in ea ſupponitur vſum metaphorarũ, aut ſymbolorum non valere ad veritatis manifeſtationem, cuius oppoſitum vidimus.

Obijcitur quartò, cum potius ſymbola tranſumi deberent ad Deum ex ſublimioribus creaturis, vtpotè magis ad diuinam ſimilitudinem accedentibus, quam ex infimis, ſæpè fit contrarium in Sacra Scriptura, & doctrina.

Reſpondetur primò hanc obiectionem potius pugnare, contra aliquorũ ſymbolorum qualitatem, quam contra eorum

eorum vſum, vel conuenientiam abſolutè. Secundò dicitur, conuenientius etiam diuina in Scripturis tradi ſub figuris vilium corporum, quam nobiliũ; quod Diuus Thomas loco citato ad 3. probat authoritate D. Dionyſij cap. 2. Cæleſt. Hierarch. deindè triplici ratione.

Primò, inquit, *quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore. Manifeſtum enim apparet, quod hæc ſecundum proprietatẽ non dicuntur de diuinis: quod poſſet eſſe dubium, ſi ſub figuris nobilium corporum deſcriberentur diuina, maximè apud illos, qui nihil aliud à corporibus nobiliùs excogitare nouerunt. Secundò, quia hic modus conuenientior eſt cognitioni, quam de Deo habemus in hac vita. Magis enim manifeſtatur nobis de ipſo, quid non eſt, quam quid eſt. Et ideò ſimilitudines illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æſtimationem, quod ſit ſupra illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertiò, quia per huiuſmodi, diuina magis occultantur indignis.*

Quintò obijcitur, quod falſam ingenerat notitiam, multorumque conſequenter errorum occaſio eſſe poteſt, non conuenit Sacræ doctrinæ, ſed vſus ſymbolorum, ſiue modus docendi per figuras, & metaphoras hoc ſecum ferre videtur, ſi quidem facit res aliter intelligere, atque ſunt, à Sacra igitur doctrina ablegandus eſt talis docendi modus.

Reſpondetur, hunc docendi, vel loquendi modum falſam non ingenerare notitiam, ex ſe enim non facit rem aliter intelligere, atque eſt, ſed potius ad rectè intelligendum confert, ob eam ſimilitudinem, & analogiam quam habent ſymbola rectè efformata, & applicata, cum rebus quas ſignificant. Vndè notandum eſt, fieri poſſe dupliciter, vt quiſpiam intelligat rem aliter, quam ſit; vno modo, vt aduerbium, *aliter*, ſe teneat ex parte obiecti, ſiue efficiat obiectum, quod intelligitur, & qui hoc modo intelligit rem aliter ſe habere, illique aſſentitur, procul dubio falsò intelligit, cum rem intelligat, iudicetque aliter ſe habere, quam à parte rei ſit: altero modo, vt idem aduerbium ſe teneat tantùm ex parte intelligentis, ſeu modi intelligẽdi, & qui in hoc ſenſu rem aliter intelligit, non propterea falsò intelligit, ſic enim ſignificatur tãtùm, intellectũ aliter eſſe diſpoſitum, dum intelligit, quam res in ſe ſit, quod non arguit falſitatem. Nam cum modus intelligendi ſit diuerſus à modo eſſendi rei, non ſequitur ex hoc, quod intellectus, qui eſt potentia ſpiritualis, materialia immaterialiter intelligendo, erret, quaſi iudicet res materiales eſſe immateriales, ſed tantùm quod habet modum intelligendi immaterialem, quodque modus intelligendi ſit diuerſus à modo eſſendi rei, quod veriſſimũ eſt. Sicut, quia per ſpeciem rei ſenſibilis apprehendit intellectus rem ſpiritualem, non propterea iudicat rem ſpiritualem eſſe ſenſibilem, ſed illam tantùm intelligit ad modum rei ſenſibilis per conuerſionem ad Phantaſmata. Igitur cum Sacra doctrina, vbi vtitur ſymbolis, per illa non iudicet obiectum aliter, quam reverà ſit, dum enim homini, vel igni, alijſque huiuſmodi rebus Deum aſſimilat, non opinatur Deum eſſe ignem, vel hominem, quia talibus ſymbolis repræſentatur, ſed tantùm per huiuſmodi ſpecies, & figuras manuducit intellectum, ad cognitionẽ Dei, diuinarumque eius perfectionum, ſecundùm quod ſunt infinitè excedentes eas, quæ in rebus creatis analogicè, & ſimilitudinariè tantùm reperiuntur, manifeſtè patet Theologiam Symbolicam non ingenerare ex ſe falſam notitiam, ſeu facere rem aliter intelligere, atque eſt in ſe à parte rei, vt ad falſam requiritur notitiam.

Quamobrem ſi aliqui interdum occaſionem indè ſumpſere errandi, Deum corporeum eſſe exiſtimantes, hoc eſt merè per accidens ad rectum ſymbolorum vſum, quique ita decepti ſunt, Deo permittente, ſua culpa decepti ſunt.

ſunt. Quo ſenſu debet intelligi quod ait Chriſtus Dominus Matth. 13. v. 29. *Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, &c.* Vt enim diximus ſupra, ſi metaphoræ, & ſymbola habent vim ex vna parte ad facile docendum, ex altera quoque valent ad veritatem indignis occultandam, mirum igitur non eſt, ſi indè aliquando occaſionem arripuère, aut eorum vſum reijciendi, aut diuina myſteria irridendi.

Sextò obijcitur, in Sacra Theologia noſtra cognitio incipit à rebus diuinis, & procedit ad ipſas creaturas; ad cognoſcendas ergo res diuinas non egemus ſimilitudinibus à rebus corporeis, aut ſenſibilibus deſumptis; maximè cum noſter intellectus ſit materiæ expers, atque adeò maiorem habeat cum rebus immaterialibus conformitatem, quam cum rebus ſenſibilibus; neque in contrarium valet ratio à nobis adducta, quod homo cognitionem ſuam accipiat ſenſu, ſi enim propterea deberet vti metaphoris, ſequeretur, eum in omni ſua intellectione debere illis vti, quod à veritate, & experientia omninò alienum eſt.

Reſpondetur, in Sacra doctrina noſtram cognitionem incipere quidem à rebus diuinis, quatenus prima eius principia ſunt veritates fidei immediatè à Deo reuelatæ; at quia eas non poſſumus apprehẽdere in præſenti ſtatu, ſaltem via ordinaria, niſi per res corporeas, & ſigna ſenſibilia, indè eſt, quod in cognitione apprehenſiua rectè poſſumus ab illis aſcendere ad diuina, & conſequenter eorum ſymbolis vti. Et licet intellectus entitatiuè, ſeu in ſe conſideratus ſit conformior cum rebus à materia abſtractis, quia tamen pro præſenti ſtatu dependet in ſuo modo intelligendi à ſenſibus, nihilque intelligere poteſt ſine phantaſmate, propterea metaphoræ, & ſymbola, ſi non ſunt abſolutè, aut ſimpliciter neceſſaria, valdè tamen ſunt vtilia ad formandos conceptus rerum ſpiritualium, & à materia abſtractarum: neque indè ſequitur, quod ſemper vti debeamus metaphoris, licet ad aliquas res facilius intelligendas conducant, cum multa ſint, quæ per ſuas ſpecies propriè à nobis intelligi poſſint.

Obijcitur ſeptimò, antiquos Patres grauiter reprehendiſſe eos hæreticos, qui obſcurè loquebantur, & quibuſdã vtebantur verbis, quibus quæ dicebant minus clara efficerent; in Sacra igitur doctrinà non videtur conueniens vſus metaphoricæ, aut ſymbolicæ locutionis, qua veritas potius obſcuretur, quam explicetur.

Reſpondetur, antiquos Patres, quibus, vt vidimus ſupra, valdè familiaris ſemper fuit Theologię Symbolicæ vſus, minimè illum reprehendiſſe, ſed tantùm in aliquibus hæreticis condemnaſſe, quod ita loquerentur, vt nulla ratione vellent intelligi, quod vel ex eo patet, quia inuſitatis, & nunquam amplius auditis verbis vtebantur, vt eſt videre apud Irenæum contra Valentinianos hæreticos. Quod valdè alienum eſt à Sacra doctrina, non eo fine vtente metaphoris, aut ſymbolis, quod ea, quæ dicit, intelligi nolit, ſed vt ab hominibus, quantum ſatis eſt, intelligantur, ita tamen vt indigni ea celentur, ad quæ duo munera præſtanda metaphora, vel parabola eſt maximè accommodata, vt diximus. In parabola enim duo poſſumus conſiderare: alterum, eſt id, quod comparatur, ratione cuius parabola dicitur obſcura: alterum, eſt id, ad quod fit comparatio, ratione cuius vim habet manifeſtandi; vt patet in parabola de ſeminante, Matth. 13. quam cum audiſſent Apoſtoli, non intelligebant: facta autem à Chriſto Domino applicatione, optimè eam intellexerunt.

CAPVT

CAPVT IV.

Breuiter explicantur quatuor cauſæ Theologiæ Symbolicæ.

EX dictis facilè colligitur, quænam ſint quatuor cauſæ Theologiæ Symbolicæ. Loquendo enim de efficiente primaria, certum eſt, eſſe Deum, quatenus ipſe eſt author ſenſus myſtici, & ſpiritualis ſoli Sacræ Scripturæ ab eo dictatæ competentis, vt ſuo loco vtrumque oſtendimus, cui ſenſui potiſſimum innititur Theologia Symbolica. Cauſa autem veluti inſtrumentalis, aut minus præcipua eſt Theologus ea vtens, indeque metaphoras, ac ſymbola deſumens, ad ſuarum veritatum probationem, vel explicationem.

Sic ergo cauſa materialis Theologiæ Symbolicæ eſt liber diuinarum Scripturarum, in quibus infinitæ continentur metaphoræ, quas ad vſum ſuum transferre poteſt; tum liber creaturarum, quarum plures, ex earumdem diuinarum Scripturarum authoritate myſticas habent ſignificationes, ex quibus præclara quoque ſymbola ad vſum ſuum efformare poteſt. Hi enim ſunt duo libri, quos diuina ſapientia omnis noſtræ cogitationis, ſtudijque originem, ac principium eſſe voluit; iuxta illud Diui Auguſtini dicentis: *Creatura, & Scriptura ad hoc ſunt, vt ipſe quæratur, ipſe diligatur, & qui illam creauit, & qui iſtam inſpirauit.*

Præter proprium namque finem, cui iuxta inditas ſibi à natura vires, & proprietates, quæque deſeruit creatura, vt ignis ad calefaciendum, Sol ad illuminandum, & ſic de alijs, præter eum, inquam finem, in earumdem creatione, ea adhuc fuit ſupremi conditoris, & opificis mens, vt hominibus mirificè ſubminiſtrarent ſymbola, quæ ipſis myſticè inſinuarent doctrinam, quæ illorum maximè intereſt, veram ſcilicet de fide, & moribus diſciplinam, adeò vt creaturæ omnes, vt iam notauimus ſupra, agentes de dignitate Theologiæ Symbolicæ, ordinentur ad illam veluti ad ſuum finem, veriſimileque ſit, quod docent nonnulli, Deum ſcilicet, cum alias infinitas rerum ſpecies creare poſſet, eas de facto elegiſſe, & creaſſe, quæ ad ſignificanda ſalutis noſtræ myſteria, & conuenientem morum diſciplinam aptiores forent, vt vniuerſa hæc rerum machina cum admirando Dei in hominum ſalute conſilio, ſuauiſſimum efficeret concentum, & res corporeæ, ſpiritualium, diuinarumque repræſentationi ſuo modo deſeruirent.

Cauſa autem formalis eiuſdē Theologiæ Symbolicæ, nihil aliud videtur eſſe, quàm ipſamet rerum, vel proprietatum ipſarum ab ea in metaphoras aſſumptarum applicatio, ad illa, quæ intendit, vel tegere, vel explicare, ſecundum quam habent inter ſe analogiam, aut ſimilitudinem.

Cauſa demum finalis, ſunt omnia illa commoda, tam ex parte rerum, quā ex parte noſtri ſuperius adducta, quibus conſequendis oſtendimus apprimè vtilem eſſe Theologiam Symbolicam; ita tamen, vt magis principaliter ab illa intendatur, facilior, magiſque congrua diuinorum apprehenſio, iuxta noſtrum intelligendi modum per conuerſionem ad phantaſmata pro præſenti ſtatu, cætera autem, vt excitare ſtudium, & affectum, aliaque ſimilia minus principaliter.

Vndè etiam Theologia Symbolica, licet qua parte affectui inflammando eſt accommodata, ſit practica, magis tamen eſt ſpeculatiua, intellectui illuſtrando potiſſimum deſeruiens. Et hæc breuiter de Theologiæ Symbolycæ, quà præcisè talis, quatuor cauſis.

SECTIO QVARTA.

In qua afferuntur variæ diuiſiones Theologiæ Symbolicæ in generali.

CAPVT PRIMVM.

De diuiſione Theologiæ Symbolicæ in verbalem, & realem.

CVM metaphoræ, aut ſymbola, quibus innititur, & ex quorum vſu Theologia denominatur Symbolica, ſint in multiplici differentia, multipliciterque etiam, ſiue ſub diuerſis reſpectibus conſiderari poſſint, variæ quoque ſunt Theologiæ Symbolicæ diuiſiones, quarum prima, & præcipua eſt in verbalem, & realem: quatenus metaphoræ quoque aliæ ſunt verbales, aliæ reales. Primæ fundantur, vel conſiſtunt præcisè in ſola vocum, aut verborum translatione à propria ad impropriam ſignificationem; ſiue fiunt, cum nomen, aut verbum propter aliquam ſimilitudinem transfertur ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo proprium deeſt; aut translatum proprio melius, & elegantius eſt. Quæ impropria ſignificatio, cum pertineat ad ſenſum litteralem, vel grammaticum, qui diuiditur in proprium, & improprium, indè quoque metaphoræ litterales, ad diſtinctionem realium in ſenſu ſpirituali fundatarum, vocari poſſunt.

Huiuſmodi ſunt omnia illa nomina, vel propoſitiones, quibus in Deo deſcribuntur membra humana; vel illi tribuuntur, vt caput, capilli, oculi, palpebræ, aures, nares, facies, os, lingua, labia, brachia, manus, digitus, cor, ſcapulæ, venter, pedes; Tum illa verba, quibus eidem nonnulli motus corporis humani adſcribuntur, vt aſcendendi, deſcendendi, ſedendi, ſtandi, tranſeundi, recedendi, ambulandi, loquendi, videndi; nec non illa, quibus plures animæ motus exprimuntur, vt zelandi, iraſcendi, pœnitendi, neſciendi, obliuiſcendi, vigilandi, dormiendi, &c. ac demum illa omnia, quibus certa Deo tribuuntur inſtrumenta, vt ſcutum, framea, romphæa, gladius, arcus, ſagittę, tuba, virga, baculus, currus; Quæ, & alia ſimilia paſſim in diuinis reperiuntur Scripturis, de quorum intelligentia poſſunt conſuli Sacri Interpretes, ſufficit enim hæc breuiter adnotaſſe, eiuſmodique metaphoras eſſe verbales, litteralesve improprias, quibus non ſignificantur immediatè res per illas propriè ſignificatæ, ſed aliqua diuina perfectio cum illis analogiam, vel aliqualem ſimilitudinem habens, vt dum oculos dicitur habere, ſignificatur, quod omnia ſcit, & nihil eum prorſus latet, & ſic de cæteris, de quibus videndus Eucherius ſuperius citatus in libro formularum ſpiritualis intelligentiæ.

Modo quod attinet ad metaphoras reales, ex quarum vſu Theologia potiſſimum denominatur Symbolica, ſunt illæ, quæ non amplius fundantur in verbis, aut nominibus translatè ſumptis, ſed in ipſiſmet rebus per voces immediatè ſignificatis, ſecundum quod

quod & ipſa ad aliquid vlterius ſignificandum fuerunt à Deo ordinatæ. *Author enim Sacra Scriptura eſt Deus*, inquit Diuus Thomas 1. p. q. 1. art. 10. *in cuius poteſtate eſt, vt non ſolùm voces ad ſignificandum accommodet, quod etiam homo facere poteſt, ſed etiam res ipſas. Et ideò, cum in omnibus ſcientijs, voces ſignificent: hoc habet proprium iſta ſcientia, quod ipſa res ſignificatæ per voces, etiam ſignificent aliquid*. Idem habet quodlib. 7. quæſt 6. art. 14. vbique docens, in ſolius Dei poteſtate eſſe, proindèque ſolius Scripturæ, cuius ipſe eſt author, proprium eſſe, rebus tanquam vocabulis mentem ſuam declarare, & illis aliarum rerum ſignificationẽ ingerere, quod eſt, ſymbolicè rebus loqui. Quod omnes fatentur, verum eſſe abſolutè, tam reſpectu futurorum ſignificandorum, quam myſteriorum gratiæ, aut ſupernaturalium effectuum repręſentandorum, de quibus potiſſimum agimus in præſenti, hęc enim ſignificare omnem ſuperat creatam poteſtatem, ſoliquę increatæ competit, ſicut etiam poſſe res veras, ordinato curſu fluentes, & exhibitas, ad alia quędam alterius generis ſignificanda, infallibiliter adhibere.

Vnde S. Thomas loco citato art. 15. quærens, vtrum in alijs ſcripturis, vel ſcientijs, præter ſenſum litteralem, & hiſtoricum, ſit etiam ſpiritualis, reſpondet negatiuè hoc diſcurſu; quia nimirum ſpiritualis ſenſus Sacræ Scripturæ accipitur ex hoc, quod res curſum ſuum peragentes, ſignificant aliquid aliud, quod per ſenſum ſpiritualem accipitur. Sic autem ordinantur res in curſu ſuo, vt ex eis talis ſenſus accipi poſſit: quod eius ſolius eſt, qui ſua prouidentia res gubernat, qui ſolus Deus eſt. Sicut enim homo poteſt adhibere ad aliquid ſignificandum aliquas voces, vel aliquas ſimilitudines fictas: ita Deus adhibet ad ſignificationem aliquorum, ipſum curſum rerũ ſuæ prouidentiæ ſubiectarum. Significare autem aliquid per verba, vel per ſimilitudines fictas, ad ſignificandum tantùm ordinatas, non facit niſi ſenſum litteralem, inquit Diuus Thomas, indè colligens, in nulla ſcientia, humana induſtria inuenta, propriè loquendo, reperiri poſſe alium ſenſum, quam litteralem. Et ad obiectionem ex Poetica deſumptam, in qua rerum veritas fictis interdum ſimilitudinibus deſignatur, reſpondet, huiuſmodi fictiones non ordinari ad aliud, quam ad ſignificandum: ac propterea talem ſignificationem non eſſe ſupra modum ſenſus litteralis.

De ſubdiuiſione autem vtriuſque Theologiæ Symbolicæ, tum verbalis, tum realis, agemus infra diſtinctis ſectionibus. Tantùm hìc breuiter aduerto, non ita inter ſe opponi hæc duo membra diuidentia, quin dentur aliqua ſymbola vtrumque participantia, propterea que coincidentia dicta, quatenus promiſcuè ad translationem verbi intellectilem pertinent, & ad figurationem ſenſibilem, vt dicere de Deo faciem, os, oculos, aures, manus pedes, & ſimiliter de alijs partibus corporis, quæ & figurari poſſunt ſecundum ſenſum, & dici translatè ſecundum intellectum. Ratio eſt, quia hæc diuiſio, aliæque ſimiles non excedunt limites diuiſionum accidentalium, ſiue ſubiecti in accidentia, quæ interdum ſunt in illo ſaltem ſucceſſiuè, aut ſub diuerſis reſpectibus compoſſibilia. Vt patet etiam in illa, quæ deſumitur ex potentiarum apprehendentium diuerſitate, vbi membra quoque diuidentia ſępe coincidunt, nimirum quod apprehenditur ſenſu interno, cum illo, quod intellectu.

Vndè ſequitur hanc pariter diuiſionem Theologiæ Symbolicæ in verbalem, & realem, coincidere primùm cum illa, qua diuiditur in figurationem rei, & translationem verbi; ad figurationem enim rei pertinent omnes rerum imagines in ſymbola aſſumptæ; ad translationem autem verbi, omnes metaphoræ, aut verba figurata, tam affectus,

ctus, quàm membra: in Deo exprimentia, aut vitiorum ſpecies, vt ebrietatem, crapulam, furorem, & ſimilia, quæ Deo nonniſi metaphoricè conuenire poſſunt: Item cum illa, cuius prior pars vritur ſymbolis corporeis, & viſibilibus; poſteriori verò inuiſibilibus, vt cum Deus dicitur dolere, eum pœnitere, &c. cum res, quæ aſſumuntur in ſymbola, plerumque ſint corporeæ, ſenſibuſque ſubditæ, dicta autem verba metaphorica, inuiſibilia, & ſolùm ſub intellectum cadentia.

CAPVT II.

De diuiſione Theologiæ Symbolicæ in externam, & internam.

CVm duę ſint ſymbolorum partes, externa, & interna, quarum prima, vtpotè ad ſenſus externos plerumque patens, rectè vocatur externa, & à Græcis riton, hoc eſt, non tacitum; ſecunda autem interna, & à Græcis apoirriton, hoc eſt arcanum, & tacitum, quia myſticè latet in prima. Quare hæ duæ partes ita inter ſe conferuntur, vt prima ſit vmbra, cortex, & caro; ſecunda verò corpus, medulla, & ſpiritus; vndè quantum corpus præſtat vmbræ, medulla cortici, ſpiritus carni, tantùm pars ſecunda præcellit primæ, quodque latet in ſymbolo, præcellit ordinariè illi, quod in eo patet. Contingit enim aliquando res maximas eſſe, quæ minoribus repræſentandis inſeruiant; ſic Chriſti extra portam paſſio, res longè altiſſima, repræſentauit, quod minus eſt, vt ſcilicet exeamus nos extra caſtra improperium eius portantes, vt explicat Diuus Paulus Hebræor. 13. & ad idem exemplum dici poteſt de omnibus Chriſti actionibus, vbi in Symbolum alicuius alterius rei aſſumuntur, vt quod exiens ex Iudæa, Iudæiſque in ſua obſtinatione, ac cæcitate relictis, Tiberiadis mare transmiſerit, hoc facto, veluti ſymbolo, iam tunc oſtendens, de Sion legem exituram, & verbum Domini de Ieruſalem: ac Apoſtolos aliquando ad Iudæos dicturos: vobis quidem oportebat primùm prædicari verbum Domini: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis, ecce conuertimur ad Gentes.

Cum, inquam, duę ſint huiuſmodi Symbolorum partes, per reſpectum ad illas non incongrua videri debet Theologię Symbolicæ diuiſio in externam, & internam, quam qui ſequi vellet, & iuxta illam Theologiam aliquam Symbolicam inſtituere, poſſet in ea ſeruare ordinem, rerum ſignificantium, & ſignificatarum, inferius adducendum, agendo de ſubdiuiſione Theologiæ Symbolicæ realis, fundatæ in ſenſu myſtico, & ſpirituali.

CAPVT III.

De diuiſione Theologiæ Symbolicæ, attenta potentiarum diuerſitate, quibus Symbola percipiuntur.

CVm ſymbola alia cadant ſub intellectum, quæ nimirum fundantur in translatione vocum aliquid ſpirituale ſignificantium, vt quando Deus dicitur vigilare, obdormire, iraſci, dolore tangi, &c. alia verò ſub ſenſus, indè Theologia Symbolica vniuersè diuidi poteſt in eam, quæ conſideret ſymbola ſpiritualia, quæ attento fine, aut illuſtrandi ſolum intellectum, aut inflammandi voluntatem, ſunt ſpeculatiua, vel practica: & in eam, quę reſpiciat corporalia, ſeu ſenſus corporales incurrentia. Qui ſenſus cum alij ſint interni, alij externi, ſicut ea pars, quæ conſiderat ſymbola ſpiritualia, attento eorum fine poſſet ſubdiuidi in ſpeculatiuam, & practicam, ſimiliter iſta, quæ reſpicit corporalia, ſubdiuidi etiam poſſet, in verſantem circa ſymbola ſenſibus internis ſubdita, & in verſantem circa illa, quæ percipiuntur externis.

Quorum

Quorum omnium plura habentur exempla in diuinis Scripturis, quæ enim Prophetis, aut alijs dormientibus ibi legimus fuiſſe oblata, phantaſiæ operationem requirebant, quam in ſomno operari certum eſt. Quod ſpectat ad ſenſus externos,nedum è rebus, quæ viſui, ſed & etiam ex illis, quæ alijs ſenſibus obuerſantur, ſymbola deſumi, & haberi in ijſdem Scripturis admittunt omnes. Vt enim, quæ ſub ſolis, lunæ, ſtellarum, ſimiliumque rerum figuris myſticè deſcribuntur, Prophetiſque reuelata fuere ad *viſum* pertinent, ita etiam ad *auditum*, quæ ſub vocum, tonitruum, ſoni, & ſimilium ſymbolis. Ad *guſtum*, inter alia, manna, ſaporiſque eius ſuauitas, erat enim ſymbolum illius, quæ deuota Eucharistiæ manducatione percipitur; item mellis dulcedo, cuius etiam ampliſſima eſt in ſcripturis ſignificatio. Ad *tactum*, quod piloſus, ac hiſpidus dicatur fuiſſe Eſau, Iacob vero lænis, & glaber, carneque molli, quatenus ſymbolica hæc lenitudo exterior, internam ſignificat, eſtque nota placidi, ſedatique animi.

Odoratum denique reſpicit, multarum rerum, vt florum, vnguentorum, aromatum, fructuum, veſtimentorum, animalium fragrantia, vel odor, cuius paſſim fit mentio in Scriptura, tanquã Sacri Symboli. In odore enim lilij virginitas, in odore roſæ martyrium, in odore violæ humilitas, in odore ſpicæ maturæ operum perfectio, non incongruè deſignantur apud Sacros Interpretes. Odor vnguentorum Sponſi denotat excellentiam humanitatis Christi, donorumque eius, quibus impleta eſt domus Eccleſiæ; odor verò nardi eſt ſymbolum doctrinæ eiuſdem. In odore thuris, vel incenſi adumbratur ſuauè olentia orationis; Malorum punicorum odor, eſt fragrantia Martyrij; oliuæ, operum miſericordiæ. In fragrantia quoque veſtimentorum Iacob, multa myſteria deſignari docent Interpretes. Suauiſſimus denique odor oblationis arietis Exodi 29. typus eſt Martyrij Deo accepti; vel potius ſacrificij cruenti Chriſti, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt.

Ex his ergo,& ſimilibus clarè patet, quam congrua ſit Theologiæ Symbolicæ diuiſio, attenta potentiarum tam ſpiritualium, quàm corporearum diuerſitate, ſub quarum obiectum tam multa eius cadunt ſymbola.

CAPVT IV.

Aſſertur alia diuiſio Theologiæ Symbolicæ, per ordinem ad artes, & ſcientias.

QVemadmodum ex hoc, quod nullæ ſint metaphoræ, nullaque ſymbola, quæ aliqua potentia humana non percipiantur, quoad partem tamen externam duntaxat, vel id quod materiale in eis eſt, ſi loquamur de ſenſibus, non incongruè diuidi poteſt Theologia Symbolica in plures partes, attenta earumdem potentiarum diuerſitate: ita quoque ex hoc quod nullum ſit in ea ſymbolum, quod ad alicuius artis, vel ſcientiæ obiectum non pertineat, indè quoque nõ inIucundè diſtribui poſſet, vniuersèque diuidi, iuxta artium,ſcientiarumque multiplicitatem, & ſic inſtitui Encyclopedia Symbolica numeris omnibus abſoluta.

Ita vt primo loco ponerentur, quæ ſunt ſcientiarum ſermocinalium propria, nimirum Grammaticæ, ſub qua Poetica, & Hiſtorica; Rethoricæ, & Logicæ, ſiue Dialecticæ. Qualia ſunt maximè ſymbola, vel metaphoræ verbales.

Secundò, quæ ſpectant ad ſcientias ſpeculatiuas, diuiſas in Phyſicas, Mathematicas, & Metaphyſicas. Primum enim de nullis quaſi rebus agitur in Phyſica, & ſcientijs illi ſubalternis, Medicina, & Alchimia, ex quibus aliqua non deſumantur ſymbola in Sacra doctrina. Talia ſunt, quæ ex principijs rerum naturalium, vel corporearum,

rum, earumque cauſis, & proprietatibus, de quibus tractant octo Phyſicorum libri: Quæ ex corpore ſimplici, cæleſti, & elementari, de quo tractant quatuor libri de cœlo, & elementis; Quæ ex rerum generatione, alteratione, nutritione, augmentatione, diminutione, mixtione, indeque reſultante temperamentorum diuerſitate, de quibus agitur in duobus libris de ortu, & interitu: Quæ ex meteorologicis, ſeu elementaribus impreſſionibus, igniris, & aereis, vt ſunt fulgur, fulmen, tonitru, Iris, ſiue arcus cæleſtis; aqueis, vt ſunt nubes, pluuia, nebula, ſeu caligo, nix, grando, glacies, res, pruina, mel, & manna: mare, fontes, & flumina: terreis, hoc eſt, quæ in elemento terræ reperiuntur, nimirum venti, & terræmotus; quæ omnia ſunt mixta imperfecta: tum ex lapidibus, metallis, mineralibuſque omnibus, quę ſunt mixta perfecta, ſed inanima, de quibus tractatur in quatuor meteororum libris: Quæ ex corpore animato, ſeu viuente, eiuſque motibus internis, & externis, partibus, ac membris, aliiſque ſimilibus, tum ex varijs animaliū, & plantarum ſpeciebus, de quibus agitur in tribus libris de anima, & alijs ſuo loco citatis. Ad medicinam quoque pertinent, quæ ex diuerſis morbis, corumque cauſis, tum eos medendi modis ſymbola deducuntur; & ad Alchimiam, quod dicitur Pſalm. 12. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum ſeptuplum*: ibi enim Regius Propheta puritatem, & nitorem diuinæ legis ſupra omnem aliam expreſſit ex comparatione, vel ſymbolo argenti in ſublimatorio repurgati, quæ eſt propria artis Chimicæ, ſeu Alchimiæ operatio.

Propria Mathematicarum ſymbola ſunt, quæ deſumuntur ex numeris, circa quorum conſiderationem verſatur Arithmetica, quibus tam ampla ſunt ſymbolorum materia, vt integrum librum de myſtica numerorum ſignificatione ſcripſerit Petrus Bongus: Tum, quæ ex lineis, ſuperficiebus, corpore tres dimenſiones habente, longitudinem, latitudinem, & profundum, varijſque eius figuris, circa quæ occupatur Geometria, nec non ex varijs inſtrumentis, quibus vtitur, & quorum in Sacra Scriptura fit mentio, myſticaque fieri poteſt applicatio. Muſicæ autem Arithmeticæ propriè ſubalternatæ propria ſymbola ſunt, quæ deſumuntur ex numero ſonoro tam vocali, quàm inſtrumentali, circa quem verſatur, tanquam circa proprium obiectum. Sicut Aſtronomiæ, Chronologiæ, Gnomonicæ, Aſtrologiæ, Coſmographiæ, Geometriæ ſubalternarum, propria ſymbola ſunt, quæ deſumuntur ex motu cæli ab Aſtronomia conſiderato; ex ratione temporis, à Chronologia; ex horologijs Sciothericis, à Gnomonica; ex cęli, motuumque cæleſtium effectibus, & influentijs, ab Aſtrologia; ac tandem ex terra, mari, & ventis, quę conſiderantur à Coſmographia, vt ſunt mundi partes per globum terreſtrem repræſentatæ.

Porrò Metaphyſicæ ſpeculatiuarum ſcientiarum vltimę, & perfectiſſimæ, propria ſymbola ſunt, quæ attento eius fine ad cognitionem Dei, diuinorumq; potiſſimū conducunt; vel deſumuntur ex aliquo ente, ſub tali ratione, quod eſt proprium Metaphyſicæ obiectum.

Tertio loco poni deberet Philoſophia moralis, quæ vt habet pro obiecto actionem humanam, ſiue hominem liberè agentem propter finem, quia hæc ſcientia inuenta eſt, non vt homo pręcisè fiat ſciēs, ſed vt fiat bonus, probatæq; vitæ, & conſequatur felicitatē, cuius ſolus homo inter entia inferiora eſt capax; ita propria eius ſymbola ſunt omnia illa, quæ hominē in hunc finem dirigere, & inflammare poſſunt; tumque deſumūtur ex ipſis actionibus humanis. Cumque inſuper hæc ſcientia communiter diuidatur in Ethicam, quæ & Monaſtica dici conſueuit, quaſi ſcientia vnius, quia moderatur actiones

nes virtutis, quatenus referuntur ad vtilitatem, & bonum eius ſolius, qui honeſtè agit. Oeconomicam, quæ contemplatur honeſtas actiones, quæ referuntur ad familię bonum, & Politicam, quæ eaſdem actiones conſiderat, quatenus ordinantur ad rempublicam, & ciuitatem, inſtruitque hominem, vt ſit fœlix prudentia ciuili, ſeu politica; inde quoque propria huius ſcientiæ ſymbola ſunt omnia illa, quæ ad hæc tria concurrere poſſunt, paſſimque in ſenſu tropologico, vel morali Sacræ Scripturæ ſubminiſtrantur; Tum denique illa, quibus virtutes, & vitia, paſſioneſque humanæ myſticè ſignari poſſunt, & ſolent.

Quarto tandem loco ponendæ eſſent artes, quæ alias ſcientiæ factiuæ, ſiue Mechanicæ appellantur, non ea ratione, quod omnes artes ſint ſeruiles, multæ enim illarum viros etiam nobiles decent, ſed eo quod ſint operum effectrices, quæ ingenio ſimul, animique ſolertia, & manibus exercentur.

Quot autem ex huiuſmodi operibus in vnaquaque arte ſymbola duci poſſint, innumera probant, & docent Sacræ Scripturæ exempla. In lege enim veteri, arca Noe, forma, & conſtuctio Tabernaculi Moſaici, veli, arcæ, propitiatorij, menſæ, candelabri, & tentorij, iuxta ſuas quæque menſuras, altare holocauſtorum, & atrium tabernaculi, cum tentorijs, & columnis, vaſa eius, pontificalia indumenta Aaronis, & filiorum eius, templum Salomonis cum ſuis partibus interioribus, & exterioribus, ſculptura in duobus oſtijs de lignis oliuarum, picturæ Cherubim, & palmarum, variaque, & ſumptuoſiſſima eius ſuppellex, aliaque plura, nonne ſicut inſignia fuerunt artefacta, ſeu diuerſarum artium opera, ita quoque in eis pręclara habemus ſymbola myſteriorum fidei, ac diſciplinę morum; ſicut & in murenulis aureis, vermiculatis argento, in lectulo, & ferculo Salomonis, alijſque ſimilibus, quorum fit mentio in libro Canticorum.

In nouo quoque teſtamento ad artem agriculturæ ſpectant, quas Chriſtus Matth. 13. proponit, parabolæ ſeminantis, & zizaniorum, granique ſynapis; item cap. 21. alia parabola hominis patris familias, qui plantauit vineam, & quod ait Ioann. 13. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ex quibus, & alijs ſimilibus paſſim in Sacra Scriptura occurrentibus ſatis patet, quàm congruè, & iucundè diſtribui etiam poſſit Theologia ſymbolica iuxta ſcientiarum diuerſitatem, indeque inſtitui perfecta, vt dicebam, Encyclopędia Symbolica, pluribus tomis digna. Tantumque ſit de diuiſione Theologiæ Symbolicæ in generali, vel vniuersè ſumptæ, & conſideratæ.

SECTIO QVINTA.

De ſubdiuiſione Theologiæ Symbolicæ verbalis, in ſuas partes, ac veluti ſpecies.

CAPVT PRIMVM.

Symbolica verbalis ſubdiuiditur in Metaphoricam ſimplicem, Allegoricam, Parabolicam, Prouerbialem, Aenigmaticam, Emblematicam, & Fabularem.

CVM Theologia Symbolica verbalis fundetur in metaphoris, quibus nomina, & verba, propoſitioneſque ex illis conſtantes à propria ſignificatione ad impropriam trãſferuntur, ita vt aliud ſignificent, quam propria eorum ſignificatio exigit, indè conſtat Theologiam Symbolicam verbalem, tot in partes, ac veluti ſpecies principales diuidi poſſe, quot ſunt etiam diuerſi præcipui loquendi modi, quibus figurata locutio, ſeu dicta nominum, & verborum trãſlatio fieri poteſt, ad aliquid impropriè ſignificandũ, quales ſunt, Metaphoricus ſimplex, Allegoricus, Parabolicus, Prouerbialis, Aenigmaticus, Emblematicus, & Fabularis. De duobus prioribus agemus in præſenti capite, de cæteris, in ſequentibus.

Incipiendo igitur à primo, aduertendum eſt, quod iam ſupra notatum fuit, Allegoriam ſumi dupliciter; Primò larga quadam ſignificatione, ſeu quatenus accipitur pro quacumque figurata locutione, tam fundata in ſenſu litterali, vel Grammatico improprio, quàm in ſenſu ſpirituali, qua ratione Allegoria, eſt vnus ex tribus Sacræ Scripturæ ſenſibus myſticis, ac ſpiritualibus: ſecundò ſtrictè, & propriè, ſeu quatenus eſt quædã ſpecies metaphoræ verbalis, vt ſic, & diſtinguitur à metaphora eiuſdem quoque metaphoræ verbalis, vt ſic, ſpecie retinente nomen generis. In præſenti dum pro membro diuidenti ſymbolicæ verbalis, aſſignamus Allegoriam, indeque illam denominamus allegoricam, non eſt ſermo de illa primo modo conſiderata, ſed ſecundò; & in hoc ſenſu differt à metaphora, quod metaphora potius attenditur in vna dictione, allegoria verò in oratione: adeò vt poſſit allegoria vocari metaphora perpetua, quia vt iam diximus ſupra, continuatur in multis vocabulis ipſius orationis. Exempli gratia: cum dicitur: Prata rident: in verbo ridendi metaphora eſt: quia verbum ridendi propriè dicitur de homine læto, impropriè verò de prato fęcundo, & abundanti. Cum verò ait Chriſtus. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò:* allegoria eſt, quia tota oratio aliud dicit propriè, aliud verò impropriè: nempè, quod qui incipit benè operari, & non perſeuerat, ſed ad priſtina redit vitia, non

non eſt aptus regno Dei. Vt igitur ad Metaphoricam ſimplicem, vel ſpecialem, quam pro primo membro diuidenti Symbolicę verbalis aſſignamus, pertinent omnia ſymbola verbalia in vna dictione conſiſtentia, ita ſub Allegorica collocari debent Symbola verbalia totam orationem complectentia. Et hoc maiorem non habet difficultatem.

Quod attinet iam ad Parabolicam, relictis varijs nominis Parabola, tùm etymologijs, tum ſignificationibus, in præſenti potiſſimum ſumitur pro ſermone aſſimilatiuo, vel ſimilitudinario. Ita vt Parabola nihil ſit aliud, quam diuerſarum rerum collatio, ſeu comparatio; ſic vocata quod vna res eſt alteri aſſimilita, aut comparata, vt ex ea comparatione, rei, quam volumus explicare, veritas dilucidius, & gratius intelligatur. Quod enim eſt parabola Gręcè, hoc Latinè dicitur ſimilitudo. Vndè licet parabola, ſicut & aliud quodcumque Symbolum verbale, ſit abſolutè ſententia habens aliquam obſcuritatē, comparatiuè tamen ad Allegoriam, eſt quid ea clarius, vel potius aliqualem ei ſuperaddit claritatem, & per hoc ab ea diſtinguitur. Notandum eſt enim parabolas aliquando ita proferri, vt non explicetur ſimilitudo, ſed ſola proferatur parabola, & tunc potius habet rationem allegoriæ, ſeu ſermonis allegorici, aut etiam ænigmatis, ſi ſit obſcurior, vt dicetur infra, quam parabolæ preſsè, & propriè dictæ. Sic proferebat ſæpè Chriſtus parabolas ad turbas, quas poſtmodum diſcipulis ſeorſim explicabat. Igitur cum oratio per verba figurata abſolutè profertur ſine aduerbio ſimilitudinis, aut comparationis, erit allegoria; cuiuſmodi ſunt in Scriptura: *In diebus illis ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel. Suſcipiant montes pacem, & colles iuſtitiam. Tange montes, & fumigabunt*: & ſic de alijs.

Quando verò ponitur vox ſimilitudinis, aut comparationis, vt ſunt aduerbia, ſicut, quemadmodum, aliaque ſimilia; tunc eſt parabola, ſeu ſermo parabolicus: cuius generis ſunt: *Fluat, vt ros, eloquium meum. Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*, & ſic de alijs; in his enim ſimilitudinibus iā explicatur vocabulū, quod ſine ſimilitudine allegoricè tantùm ſumeretur, vt ros, ſagittę, & ceruus: Tales quoque ſunt parabolæ Euangelicæ, vbi dicitur: *Simile eſt Regnum Cælorum*, aliaque huiuſmodi.

Non deſunt, qui parabolam à ſimilitudine diſtinguant, quod, hæc ſit quid generalius, illa verò quid ſpecialius; ita vt omnis parabola ſit quidem ſimilitudo, non tamen omnis ſimilitudo parabola. Sed licet hoc ſit verum de ſimilitudine, vt ſic, quæque ſe extendit etiam ad res, vt ſunt fundamentum ſenſus myſtici, vel ſpiritualis, ſymbolorumque realium, ſecus tamen de ſimilitudine verbali, ſeu metaphoricè fundata in impropria verborum ſignificatione, diſtincta ſpecie ab Allegoria, de qua agimus in pręſenti, ſic enim coincidit cum parabola etiam verbali, ſynonimaque ſunt parabola, & ſimilitudo.

Alij diſcrimen ponunt inter ſimilitudinem, & parabolam, quod parabola non fiat niſi inducta perſona ratione prædita, vel negotio cum ratione confecto; ſimilitudo verò comprehendat non tantùm actus rationales, ſed etiam ad res ſenſu præditas, vel ſenſu deſtitutas comparationem faciat. Quo pacto in Euangelio multa comparantur ſerpenti, oui, agno, columbæ; nec nō ſali, luci, lucernæ, lampadi, ciuitati in monte poſitæ, & ſimilibus. At non eſſe perpetuum hoc diſcrimen; nec ſemper parabolis debere admiſceri perſonam ratione præditam, aut negotium ad illam pertinens, clarè patet ex Euangelio, Matth. 24. & Marci 13. vbi Chriſtus ait diſcipulis, loquens de finali iudicio: *Ab arbore fici diſcite pa-*

verbalium, &c. etsi igitur ſacra parabola proponi non poſsit niſi perſonæ rationem vtenti, & de negotio ad eam ſpectante, vt conſtat ex parabolis Euangelicis, neceſſe tamen non eſt eam ſemper fieri comparatione ducta ex perſona rationali, aut negotio cum ratione confecto, ad aliquid ſpirituale, vel rationale ſignificandum; ſed fieri indifferenter poteſt, adhibita quacũq; ſimilitudine, ſignificato tamẽ congrua.

Parabola ergo verbalis propriè ſumpta definiri ex dictis, vel deſcribi poteſt, quod ſit oratio, qua rerum natura diſcrepantium, ſub aliqua ſimilitudine, fit, vel inducitur comparatio; ſeu ſimilitudinaria quædã comparatio ad euidentiam eorum, quæ ſubiecta ſunt, inducta, ſeu ad quæ fit comparatio. Vbi ſimilitudo habet rationem generis, cuicumque ſymbolo competentis, in metaphorica tam verborum, quam rerum ſignificatione neceſſariò fundato, vt ſupra diximus.

Differentiæ autem, quod non ſit quæcumque ſimilitudo, ſed ſimilitudo comparatiua, ſiue quæ fit verbis comparatiuis; Quare, vt notauimus ſupra, licet ſimilitudo vt ſic, abſtrahens tam ab ea, quæ reperitur in ſymbolis verbalibus, quam in realibus, eſtque illis vel analogicè, vel vniuocè communis, non coincidat cum parabola; nec etiã ſimilitudo verbalis vt ſic, fundata in metaphorica duntaxat verborum ſignificatione, cum ſit etiam quid per modum generis commune omnibus ſymbolis verbalibus, de quibus modo agimus, ita vt talis ſimilitudo ſynonyma ſit parabolæ, ſtrictè, & propriè dictæ, de qua eſt ſermo: non autem de ea largè, & impropriè ſumpta, quomodo nedum parabola, ſed & cætera ſymbola verbalia plerumq; non ſolùm cum ſuo genere, ſed & etiam inter ſe confunduntur, vt dicetur infra. Attamen ſi loquamur de hac ſimilitudine, quæ eſt comparatiua, ſiue quæ fit cum terminis comparatiuis, coincidit cum parabola proprie dicta, & hoc modo diſtinguitur ab Allegoria, atque à cæteris ſymbolicæ verbalis ſpeciebus, vel partibus, contrahitque ſimilitudinem, vel metaphoram verbalem, vt ſic, per modum differentiæ. Qui enim diſtinguunt parabolam ab allegoria, quod iſta per hiſtorias Veteris Teſtamenti, ea quæ in nouo contingunt, ſignificat; illa verò, nec hiſtorias antiquæ legis ſupponit, nec eſt neceſſaria ad ea, quæ contingunt in Euangelio ſignificanda, confundunt allegoriam realem, ſiue ad ſenſum ſpiritualem in rebus fundatum pertinentem; cum allegoria verbali fũdata in impropria verborum ſignificatione, quæque eſt figura rethorica, de qua agitur in præſenti, & à qua dicimus parabolam diſtingui, per hoc quod ſit ſimilitudo collatiua, vel comparatiua, eiuſque explicatiua.

Dixi parabolam ſtrictè ſumptam, ſeu ſpecificam debere includere ſimilitudinem, vt ſic, per modum generis, habere autem per modum differentiæ ſimilitudinem comparatiuam modo explicato, quia ſi ſumatur laxè, ſiue genericè, nimirum pro quocumque ſcitè, & aliquo modo figuratè dicto, quamcumque includit ſimilitudinem, confunditurque cum cæteris ſymbolis verbalibus, Allegoria, Prouerbio, Aenigmate, Emblemate, & fabula, vt ſatis patet ex Parabolis Salomonis, vbi promiſcuè ponuntur. Vnde & ipſemet Salomon in fronte libri vniuerſum ait, ſcriptum eſſe: *Ad animaduertendam parabolam, & interpretationem, verba Sapientum, & ænigmata eorum*. Quamuis iſta omnia ſi ſumantur propriè, pluſquam nominaliter inter ſe diſtinguantur, vt patebit ex dicendis.

Quantum ad parabolæ diuiſionem, multiplex eſt. Parabolæ enim aliæ ſunt humanæ, aliæ diuinæ. Humanæ dicuntur, hominum ingenio excogitatæ; quales plurimę habentur in Philoſophorum, & Oratorum libris, maximè in quibus de morum diſciplina agitur: Diuinæ autem, quæ diuini numinis afflatu conceptæ, ac dictatæ, in ſacris

Scri-

Scripturis continentur; quibus etſi potiſſimum vtatur Theologia ſymbolica, alias tamen non repudiat, quatenus cognoſcendis, vel declarandis fidei myſterijs vtcumque ancillari poſſunt. Diuidi quoque poſſunt in triuiales, ſeu vulgares, & ſacras, quarum primę ſic appellantur, quia ſimilitudines faciles, fereque omnibus obuias continent; Secundæ autem Sacræ, nedum quia è ſacra doctrina deſumuntur, verum etiam ex arcana quapiam diſciplina, aut illuſtribus, nec ita vulgaribus factis.

Verum cum dictæ diuiſiones, & ſimiles alijs quoque ſymbolis verbalibus applicari poſſint, magis propria & parabolæ veluti eſſentialis videtur eſſe illa; qua alia fit per locum à ſimilibus, alia per locum à diſsimilibus. Per locum à ſimilibus fit, cum, v. g. Regnum Cœlorum, ad excitandum homines ad eius amorem, dicitur ſimile eſſe theſauro; ad declarandum eiuſdem vim, efficaciam, & augmentum, aſſimilatur grano ſynapis, quod licet in principio paruum, & exiguum ſit, grandis tamen eſt virtutis, qua creſcit in arborem; ad ſignificandum in regno illo malos permixtos eſſe bonis; ad exprimendum ipſius Regis in eo prouidentiam, bonitatem, tolerantiã, & iuſtitiam; & ſic de alijs, quibus abũdant Euangelia. Per locum autem à diſsimilibus ſunt parabolæ, ex quibus aliquid inferimus diſsimile, aut ſecundum magis, & minus. Vt cum Chriſtus docens, quod ad reſiſtendum hoſtibus, & ſuperandum illos, oporteat nos ſemper orare, & non deficere, Lucæ. 18. de iniquo iudice ſumpſit parabolam: qui etſi neque timeret Deum, neque revereretur hominem, tamen importunitate quadam impulſus, tandem ceſſit aſſiduis viduæ interpellationibus, ne amplius ſibi ab illa tædium fieret: Vbi iniquus iudex non eſt ſimilis Deo, ſed per ipſum inferri poteſt quãtum Deus iuſtus, & bonus curet deprecantes, quaſi diceretur: Si apud iniquum iudicem tantum valuit perſeuerantia viduæ deprecantis, quantò certiores eſſe debemus apud Deum fontem iuſtitiæ, & miſericordiæ valere orationem Eccleſiæ ſuppliciter, & perſeuerantes in oratione petentis? Eiuſdem generis ſunt parabolæ, de amico veniente media nocte, & de villico iniquitatis.

Circa materiam parabolarum, etſi aliqui exiſtiment nonniſi ex rebus fictis trahi, ſed relatis ad rem futuram, atque ita opponi hiſtoriæ, vel ab ea diſtingui; quæ eſt ſermo complectens deſcriptionem rei geſtæ. Melius tamen dicendum eſt, ex omni hiſtoria, tum naturali, tum morali educi poſſe, diſtinguique ab hiſtoria penes materiam, quod hæc ſemper veras res ſpectat, cum eius anima ſit veritas, parabola autem nedum ex veris, ſed & ex conſictis eſſe poteſt: nec enim neceſſe eſt, vt aliquando contigerit, quod ad comparationem adducitur, vt patet ex tot Euangelicis parabolis. Diſtinguitur etiam parabola ab hiſtoria, ſi finis ſpectetur, quod ſui gratia eſt narratio hiſtorica: alterius autem parabolica, vtpotè ad aliud ſignificandum inducta. Si namque, quod parabola continet, ſui ſolummodò gratia narretur, fabula erit, vel hiſtoria, non parabola. Si verò forma attendatur, collationem, ſeu ſimilitudinem comparatiuam habet parabola; hiſtoria non item.

Quod etiam aliqui dicunt parabolam eſſe tam rerum, quàm verborum, non eſt verum, quidquid ſit enim de parabola largè ſumpta, & pro vt interdũ idem ſignificat, ac typum, & exemplar; attamen loquendo de parabola ſtrictè ſumpta propriè eſt in verbis, & ſignificat orationem diuerſarum rerum comparatiuam.

Patet ex dictis, qui ſit verus, aut proprius parabolæ verbalis ſenſus, quẽ alij litteralem vocant, quatenus ſæpè confunditur ſenſus litteralis cum proprio, & vice verſa: Eum videlicet eſſe ſenſum litteralem non proprium, ſed improprium, ſiue metaphoricum; ſiquidem

quidem ſenſus parabolæ non eſt ille, quem verba eius propriè ſumpta primò, & immediatè faciunt, vt contingit in ſenſu litterali proprio, ſed quem impropriè, vel metaphoricè, cum id, quod primò, & immediatè in ea concipitur, & intelligitur ſit ſimilitudo, & analogia rei alicuius cum altera, ab afferente parabolam intenta: vt cum dicitur à Chriſto Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.* non eſt ſenſus litteralis ille, qui in illa velut hiſtoria propriè narratur; ſed qui ſub illa ſimilitudine à Chriſto intenditur, Deum videlicet præparaſſe æternam beatitudinem hominibus, quos vocauit per Prophetas, & Apoſtolos, & Prædicatores; quam aſſequentur, qui ſecuti fuerint vocantem: peribunt verò, qui vocationem neglexerint. Proprius igitur parabolæ verbalis ſenſus, non eſt ſenſus litteralis proprius, ſed litteralis improprius, nec etiam myſticus, cum non fundetur in immediata rerum ſignificatione, ſed verborum, aſſimilatiua nimirum, aut comparatiua.

Aduertendum eſt tamen, ſenſum hunc litteralem improprium in parabolis differre ab eo, qui reperitur in metaphoris ſimplicibus, quod ad iſtas pertinet tantùm impropria rerum ſignificatio, propria verò penitus excluditur; at in parabolis ad ſenſum proprium, vel litteralem earum ſpectat tã id quod in metaphoram, vel ſimilitudinem adducitur, quam res illa ad quã ſignificandam, ipſa ſimilitudo aſſumitur; vt in hac parabola conſtat: *Simile eſt regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus.* Ibi enim vtrumque exprimitur, & ad ſenſum parabolæ proprium attinet, ſcilicet tam factum mulieris, fermentum ita abſcondentis, quam Regnũ ipſum Cœlorum, ſeu gratia Euangelij, quæ in corde recipi, & cõcipi debet. Propriè quippè, ſiue, vt aliàs dicitur litteraliter, licet impropria, aut figurata locutione intẽdit in hac parabola Chriſtus Dominus, Regnum Cęlorũ, ſeu gratiam Euangelij ſecundum hanc analogiam, & ſimilitudinem debere in corde abſcondi, & concipi.

Quod dicunt aliqui ſenſum exemplorum, vel paradigmatum eſſe litteralem proprium, atque adeò etiam parabolarum, non eſt ad rem. Quidquid enim ſit de exemplo, & parabola latè ſumptis, quomodo ſæpè inter ſe confunduntur, ſicut & cæteræ Symbola verbalia, propter quamdam ſimilitudinis affinitatem, quam inter ſe habent, attamen loquẽdo de exemplo propriè dicto, & prout à parabola etiam propriè ſumpta diſtinguitur, eſt pars hiſtoriæ, eoque vtimur, vt rem aliquam factam, dictamve, alterius rei geſtæ, vel dictæ exemplo approbemus, aut reijciamus, vel illuſtremus, non autem propriè loquendo per modum analogicæ ſimilitudinis, aut comparationis; vndè exemplum eſt genus quoddam argumentationis ab aliquibus imperfecta inductio. Indè eſt quod verus, & proprius in exemplis ſenſus ſit litteralis proprius, in parabolis autem litteralis improprius, vel metaphoricus. Huiuſmodi exemplo, ſeu in hoc ſenſu ſumpto, ſæpè vſus eſt Chriſtus Dominus: Illuſtria ſunt duo Dauidis, & Niniuitarum; quorum primo Apoſtolos ſpicas vellentes die Sabbati defendit: Secundò autem Iudæos, ad audiendũ, pœnitentiamque faciendam tardos, arguit.

Tandem ad parabolarum, vel Theologiæ parabolicæ commendationem non parum refert, quod Chriſtus Dominus illis vſus fuerit, non quod ſemper locutus ſit parabolicè, vt aſſeruerunt aliqui hæretici, quorum meminit Tertullianus lib. de reſurrect. carnis cap. 33. patet enim quamplurima commemorari ab Euangeliſtis Chriſti Domini effata, quæ nihil parabolicum, aut ſymbolicum continent, ſed quod cum familiare eſſet Syris, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuũ parabolas iungere, vt ait Diuus Hieronymus lib. 3. comment. in cap. 18.

Matthæi,

Matthæi, illis frequenter vteretur, maximè loquens ad turbas: quo, alijsve modis reſtrictiuis Sancti Patres, Sacrique expoſitores interpretantur illud Matth. 13. *Hæc omnia loquutus eſt Ieſus in Parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis*: quæ totidem verbis referuntur Marci 4. v. 34.

Quæ circa Chriſti parabolas ſolent ab Interpretibus diſquiri, vt quales fuere, ad illud S. Marci loco citato. *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire*, quibus verbis qualitatem parabolarum Chriſti contineri, ſunt qui exiſtimant: item cur Dominus non omnium parabolarum à ſe propoſitarum ſenſum aperuerit? an depromptæ fuerint omnes ex veris hiſtorijs; hæc, inquam, & ſimilia, fuſioremque eorum explicationem omitto, vt potè quæ ad pręſens noſtrum intentum parum conducunt. Tantùm igitur ſit de Theologia Symbolica parabolica, ſeu diuinorum notitiam parabolis procurante, vel tradente.

CAPVT II.

De Theologia Symbolica Prouerbiali, ſeu Adagiali.

IAm ſuperiori capite notauimus Parabolam, & Prouerbium lata quadā ſignificatione ſumpta, ſæpè inter ſe cōfundi, ob nonnullas, quas inter ſe habent veluti genericas conuenientias figuratæ, vel metaphoricæ, ſubobſcuræque, ſeu non manifeſtę locutionis, quodque inſuper tam in parabola, quā in prouerbio ſit communiter, vel eſſe poſſit ſimilitudo; vndè etiam Liber Salomonis Latinè inſcriptus, *Prouerbia*, Græcè *Paræmia*, Hebraicè *Misle*, ab alijs vocatur Liber Parabolarum. Et Prouerb. 1. v. 1. ipſa prouerbia vocantur parabolæ; cumque lib. 3. Regum cap. 4. v. 32. dicitur loquutus Salomon, tria millia parabolas, putantur vel earum aliquæ contineri in libro Prouerbiorum. In nouo autem Teſtamento, quod ait Chriſtus Lucæ 4. v. 23. *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura te ipſum*, prouerbium erat, & quod Latinus vertit ſimilitudinem, Græcè eſt parabola, quam ibi pro parœmia poni obſeruat Theophilactus. Et Ioānis 10. cum vera fuerit parabola, quam ibi Dominus proponit, de non intrante per oſtium in ouile, prouerbium appellatur: *Hoc*, inquit Sacer Textus, *Prouerbium dixit illis Ieſus*; & ſic de alijs.

Non agimus in præſenti de prouerbio hoc modo, veluti genericè conſiderato, ſed ſtrictè, ac veluti ſpecificè, proutque ſub ſymbolo verbali aliqualiter diſtinguitur à parabola ſic quoque ſumpta. Dicimuſque primò pro eodem communiter vſurpari, Prouerbium, Paræmiam, & Adagium, quod enim Latinis Prouerbium, vel Adagium, Gręcis eſt Parœmia. Quod ſpectat ad horum verborum etymologiā, aliqui Prouerbium dictum putant, quaſi *procul à verbo*, alij, non *procul à verbo*, ſed *procul verbum*, alij, *porrò verbum*; germanius prouerbium dici exiſtimo, quod ipſum verbum ex ſe ſit, ac prætereа pro alio verbo, id eſt, ſenſu ſupponatur, ſiuè quod ipſum primum verbum pro alio verbo, ſeu ſenſu ponatur. Adagium autem dicitur, quaſi *Ambagium*, aut *Circumagium*, quod circumagatur, paſſimque per hominum ora circumferatur; vel melius quod è ſua prima, ac propria ſignificatione agatur ad aliud ſignificandum. Parœmia denique, quod eſt verbum Græcum, deriuatur a po tou oimou, id eſt à via, eadem ratione, quod ſcilicet paſſim in vijs per omnium ora obambulet, vel vt alij volunt, para oimon, ita vt hæc vox oimos non viam ſignificet, ſed verbum, quatenus parœmia Græcè, æquè ac prouerbium Latinè, primo loco ſignificat, id quod præ ſe fert: ſecundo id, cui applicari poteſt; vndè para oimon idem eſt, præter primum verbum, & ab eius ſenſu, alterum verbum, & ſenſus.

Secun-

Secundò parabolà, & prouerbium in hoc differunt, quod parabola orationis longioris ritu effertur, prouerbium inſtar alicuius ſententiæ, & breuis, & concinnè formati documenti: item quod de ratione parabolæ ſit collatio, ſiue ſimilitudo comparatiua, quã non exigit prouerbium, quod plerumque etiam maiorem, quam parabola, habet obſcuritatem. Quæ differentiæ, licet ſint paruæ, ſufficiunt tamen, vt huiuſmodi ſymbola verbalia aliqualiter inter ſe diſtinguantur, vnumque abſolutè non dicatur coincidere cum alio. Quam tamen prouerbium reſpectiuè ad parabolam, maiorem dicit obſcuritatem, cum ſit quaſi extrinſeca, minor eſt illa, quæ competit ænigmati, vt dicetur infra, cum ſit huic intrinſeca.

Tertiò colligitur ex his, prouerbium vtcumque definiri, vel deſcribi poſſe, quod ſit oratio, ſeu ſententia figurata, vel metaphorica concinnæ breuitatis, moderatæque obſcuritatis, qua aliud ſignificatur, quam dicitur. Vbi particula, oratio, ſeu ſententia figurata, vel metaphorica locum habet generis, non enim quælibet ſententiæ, ſeu quarum ſignificatio ſimplex, atque aperta eſt, ſunt prouerbia, vt ſimilis ſimili gaudet, vel à ſimili appetitur, ſed vt ſint talia conſtare debent aliquo modo tropicis locutionibus, aliàs nec eſſent ſymbola verbalia, talem loquendi modum neceſſariò exigentia, nec conſequenter per illa aliud ſignificaretur, quam dicitur, ad hoc enim requiritur metaphorica pariter locutio. Cæteræ autem particulæ ſimul habent rationẽ differentiæ, cum nulli alteri Symbolo verbali competant. Vndè etiam patet, proprium prouerbiorum ſtrictè ſumptorum ſenſum, debere eſſe ſenſum litteralem improprium, ſeu metaphoricum; idque eſſe commune omnibus alijs ſymbolis verbalibus.

Qua diuiſione parabolas ſuperiori capite diſtinximus in humanas, & diuinas, item in triuiales, & magis arcanas, poſſunt quoque diuidi prouerbia, quorum alia certum eſt, eſſe alijs celebriora, magiſque recondita. Omiſſis innumeris penè authoribus, qui de humanis prouerbijs, tam communibus, quam vnicuique nationi, & linguæ proprijs ſcripſere, eaque in vnum colligere; quod ſpectat ad Sacra Prouerbia, Martinus Delrius duobus tomis illa compilauit, de quibus conſuli poteſt, nec non Sacri Interpretes, tam ad illos libros, & locos vbi reperiuntur, quam ad librum Prouerbiorum Salomonis. Ex quorum lectione, non incongruè dici poteſt, Gentiles ſuas quoque ſententias, quibus aliquid obſcurè, & inuolutè ſignificare volebant, prouerbia appellaſſe; ſeu idem propheticum dicendi genus ſcribendo imitari ſtuduiſſe, & ad eamdem formam prouerbia conſcribere conatos fuiſſe.

Quod aliqui dicunt Gnomas, Latinis ſententias; Apophtegmata, hoc eſt breuiter, & ſcitè dicta; ſcommata, id eſt falsè dicta, coincidere cum prouerbio, non eſt verum, niſi prædicta tropicis conſtent locutionibus, figuræ prouerbiali, & ſignificationi accommodatis; aliàs dici tantùm poſſunt prouerbio affinia; quia vt iam diximus, licet omne prouerbium aliquam contineat ſententiam, non tamen omnis ſententia eſt prouerbium propriè dictum. Et hæc ſufficiant pro Theologia Symbolica prouerbiali, hoc eſt, ad diuinarum notitiam prouerbijs conducente.

†

CAPVT

CAPVT III.

De Theologia Symbolica Aenigmatica.

AEnigma, cuius ſit mentio Prouerb. 1. v. 6. Ezechiel. 17. alijs idem, ac Aenus, ſi nominis etymologiam ſpectemus, deriuatur, à verbo Græco ainiptο, quod eſt obſcurè loquor, vel innuo. Quantum ad ſignificationem, ſunt qui putant, Aenigma ridiculum eſſe dictum, aut iocoſum, & ita diſtingui à Gripho res ſerias tantùm, & cum aliqua eruditione continente. Verùm melius alij pro eodem vſurpari volunt Aenigma, & Griphũ, qui & Griphiſma, ſic dictum, translatione ſumpta, à ſcirpeis piſcatorum labyrinthis; & vtrumque idem eſſe, ac orationem obſcuram, rem notam, quã ſignificat, ambagibus tegentem.

Igitur, licet Aenigma latè ſumptũ, cum parabola, & prouerbio, atque adeò Theologia Symbolica Aenigmatica confundatur cum Parabolica, & Prouerbiali, cuius plura non deſunt exempla in Sacris etiam Scripturis; ſi tamen in ſtricta accipiatur ſignificatione, certum eſt diſtingui ab illis, potiſſimumque differre ratione obſcuritatis, quæ intrinſeca ipſi eſt, tantaque, vt vix alius, quam qui ænigmatis author fuerit, recta in illam ferri, aut eam ſoluere poſſit: vndè, ſi ab eo, cui proponitur intelligatur; vel ſi proponens, quaſi quid ab auditoribus intellectum proponat, ſimul ænigma, aut griphum eſſe deſinit; quapropter aliqui definiunt ænigma eſſe verbum occultum, quod intelligi nequit, niſi explicetur; gloriabaturque Sampſon Iud. 14. quod Philiſtæorum nemo, quantumuis ſua ingenia exacuerent, ænigma à ſe propoſitum penitus ſoluere, ac penetrare potuiſſet, niſi ſuæ illud vxori aperuiſſet, ex qua illi didicerunt. *Si*, inquit, *non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionẽ meam*. At verò parabolæ, & prouerbia modicam habent obſcuritatem, eamque adhuc extrinſecam, & quaſi per accidens: nam qui illis vtitur, putat illa, aut vult ſaltem intelligi ab audientibus, quantum ſufficit. Tanta nihilominus ænigmatis obſcuritas, illudque penetrandi difficultas non prouenire putanda eſt ex confuſione aliqua, aut propoſitionis inter partes ænigmatis defectu: imò tanta illarum inter ſe, tamque exacta debet eſſe conſenſio, vt certatim ſingulæ de ſe videantur dicere iſtud ſum: vndè oritur, quod, cum primum qui ænigma inuenit, vel propoſuit, eius ſolutionem nobis indicauerit, nullus ſit, qui non adfirmet, certòque aſſeueret illud eſſe.

Definiri itaque, vel deſcribi vtcumque poteſt ænigma, vel griphus, quod ſit rei cuiuſpiam tam obſcura, verbiſq; metaphoricis inuoluta propoſitio, vel deſcriptio, vt vix intelligi poſſit, ſemel tamen explicata, tam clara, vt negari non poſſit. Vbi loco generis ponitur, quod ſit figurata, ſeu verbis metaphoricis inuoluta oratio, vel deſcriptio, dicitur oratio, quia magis communiter ænigmata pluribus efformantur dictionum, propoſitionumque ambagibus: probabilitate enim non caret, ea etiam conſiſtere in dictione integra, nomine, verbo, aduerbio, alijſque orationis partibus, ſiue perfici poſſe tropis omnibus, quæ vno verbo abſoluuntur, differreque à ſimplici metaphora in vna pariter dictione, vt diximus ſupra, conſiſtente, quod iſta ſit minus obſcura, magis autem ænigmata; quæ nõ minus probabile eſt, perfici adhuc poſſe ſolis litteris, ac eiuſdem dictionis ſyllabis. Cæteræ particulæ habent rationem differentiæ, nimirum, quod ſit obſcura, difficiliſque intellectu præ alijs Symbolis: vndè diximus obſcuritatem ita eſſe illi intrinſecam, vt ſemel explicata ſtatim deſinat eſſe ænigma: cum alijs Symbolis ſit tantùm extrinſeca, quatenus non deſinunt eſſe adhuc talia, quantumuis explicentur.

Quo ſtante, quatuor aſſignari poſſunt veluti ſpecies ænigmatis, quarum prima ſolis litteris; ſecunda ſolis eiuſdem dictionis, aut litteris, aut ſyllabis; tertia vnica dictione; quarta oratione perficiatur. Quarum omnium cum plura habeantur exempla in Sacris litteris, clarè patet, in quot prophana, vel humana diuiditur Aenigmatica, in tot etiam ſpecies diuidi poſſe Sacram, ac Diuinam.

Primæ, quæ vnica littera arcanum tegitur, aut pluribus in ſyllabam non coaleſcentibus, habetur exemplum Ezechielis 9. v. 4. vbi mandat Deus pingi litterulam in fronte: *Signa*, inquit, *Tau ſuper frontes virorum gementium abominationes terræ*: ibi enim, quidquid ſit de ſignificatione elementi *Tau*, circa quod varia ſunt Interpretum placita, conueniunt ferè omnes intelligi debere vltimam Hebræorum litteram. Aenigmaticas quoque fuiſſe tres litteras à Ieremia pronuntiatas *Dixi a, a, a*. Significaſſeq; calamitatem Populo Iudæo euenturam ex gladio, fame, & peſte, aſſerit Diuus Hieronymus. Alij verò ea trina acclamatione, Trinitatis myſterium à Ieremia inſinuatum fuiſſe volunt, cui mox vnitatem copulat dicens, Domine Deus, (Adonai). In nouo Teſtamento ad ænigma referunt aliqui, quod ait Chriſtus: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*. His autem litterulis Apocal ip. 1. 8. *Ego ſum A. & Ω*. Chriſtum ænigmaticè loquutum fuiſſe, pluraque myſteria velaſſe docent communiter Patres, Hieronymus, inſtaurationem omnium in ipſo à capite ad calcem: Epiphanius, & Auguſtinus, duplicem eius naturam diuinam, & humanam: Petrus Damianus, ſummam eius ſapientiam, & ſic de alijs.

Secundæ ſpeciei conſtantis ex litteris, vel ſyllabis vnius, & eiuſdem ſpeciei habetur exemplum in nomine Iehoua ſæpius in Scriptura repetito, de quo videri poſſunt dicta 2. p. quinti tomi huius operis lib. 14. ſect. 1. cap. 6.

Tertiæ in nomine Elohim pluraliter dicto de Deo, vt ibidem etiam explicuimus, quodque magis implicatum reddit ænigma, interdum coniuncto cum verbo numeri ſingularis, vt Geneſ. 1. *bara elohim*, vt ſi latinè dicatur, *creauit Dij*; quæ cum ſit inaudita Grammaticis locutio, multi graues, & pij Scriptores Aenigmaticum in ea inuolucrum agnoſcunt, ſub quo lateat Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium: vt per nomen plurale, *Elohim*, multitudo diuinarum perſonarum; per verbum *bara*, ſingularis numeri, vnitas diuinæ eſſentiæ arcane ſignificetur. Per ſolam autem dictionem Elohim, qua in plurali vocatur Deus, multi quoque exiſtimant, per excellentiam, non potentiam, ſeu poteſtatem, ſed potentias, ſeu poteſtates indicari, quia vnus inſtar omnium, & pluſquam omnes potentiæ, ac poteſtates, omnium potentiſſimus. Tandem huius tertiæ ſpeciei tot ſunt in Scriptura exempla, quot ſunt metaphoræ verbales vnica dictione conſtantes, maiorem quamdam præ ſe obſcuritatem ferentes, cum hęc tertia ſpecies, nihil aliud ſit, quàm metaphora ſimplex magis obſcura, vt requiritur ad ęnigma.

Quartæ demum ſpeciei, verſantis in obſcuris ſententijs, ac propoſitionibus, plura quoque ſuppeditant exempla diuinæ Scripturæ. Huiuſmodi eſt, quod ait Sampſon Iudicum 14. v. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*. Item, quod ait Salomon, Prouerb. 30. *Sanguiſuga filia duæ ſunt* quæque ibidem cap. 49. integro, & alijs ſcribit. In nouo etiam teſtamento ad ænigmata referuntur ab aliquibus, quod ait Chriſtus: *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*: Item, *Ego ſum via, veritas, & vita*: *Medicum, & videbitis me, & iterum medicum, & non videbitis me*, aliaque ſimilia maiori verborum inuolucro velata.

Quantum ad materiam ænigmatum, cum ſint quædam ſpecies ſymbolorum verbalium, debent immediatè conſta-

re nominibus, & verbis metaphoricis : eorumque ſenſus eſt litteralis improprius : eiuſmodi tamen nomina, aut verba metaphorica, vel ſymbolica quamcumque rem ſignificare, aut ex quacumque materia deſumi poſſunt, naturali, morali, hiſtorica. Naturalium enim rerum proprietates, nec non varios rerum geſtarum euentus, ac circumſtantias ad morum informationẽ, ænigmaticamque ſapientiam accommodari poſſe ſatis conſtat; proindèque ſymbolicam ænigmaticam, iuxta earumdem rerum diuerſitatem, multiplicem etiam ſuſcipere diuiſionem, nec non ſcientiarum circa illas verſantiũ, vt Theologia Symbolica ænigmatica, alia ſit ex phyſica, alia ex morali, alia ex hiſtoria, & ſic de alijs.

Forma autem ænigmatum duo potiſſimum requirit, ſiue in illis conſiſtit : quorum prius eſt, apta materiæ conuenientis collocatio : poſterius, expreſſio ſententiarum per ſelectas, breues, argutaſque verborum formulas. Eorum quoque interpretationem olim peculiarem aliquam elegantiam poſtulaſſe, ita vt non ſolùm difficile eſſet, ænigmata Sapientum, ſed etiam interpretationes illorum callere, ſunt, qui deducunt ex illo Prouerb. 1. 6. *Animaduertet parabolam, & interpretationem*, vbi Septuaginta pro *interpretatione*, tranſtulerunt, *obſcurum ſermonem*; in Hebræo eſt, *Venuſtus facundus ſermo*, qui Abacuc 2. 6. dicitur, *loquela ænigmatum* : id eſt, interpretatio difficilium ænigmatum, certa verborum formula comprehenſa, quæ iucunditatem afferat.

Finis denique ænigmatum, etſi in humanis poſſit eſſe ſermonis acuti, implexique recreatiua concertatio, aut quid ſimile; vndè in conuiuijs propoſita olim fuiſſe ænigmata, nedum è ſacris habetur litteris, Iudicum 14. vbi in nuptiali conuiuio, dicit Samſon ſodalibus. *Proponam vobis problema*, id eſt *ænigma*; verum etiam ex prophanis. Athenæus enim toto ferè lib. 10. conuiualia ænigmata peritè cõgerit, ac diſſoluit. Quod rationi valdè conſentaneum eſſe egregiè oſtendit Plutarchus lib. 1. Sympoſ. cap. 1. Nam non minus, quam dulcedo vini, hilarant verba conuiuium; indeque mos ortus ſcribendi litterata Sympoſiaca, quorum authores idem Plutarchus nominat; & ex ijs adhuc ſuperſunt Platonis, & Xenophontis conuiualia. Etſi, inquam, prædicti fines acuendi, recreandique ingenia, etiam propoſito præmio ei, qui ſenſum ænigmatis in conuiuio aperuiſſet, vel ſtatá pœna, cui minus benè id ceſſiſſet, poſſint competere ænigmatibus humanis; loquendo tamen de ſacris, quæque in ſacra doctrina adhibentur, potiſſimus eorum finis eſt, diuinorum notitia, quantum fert ænigmatis natura; Theologiaque ænigmatica eſt ea pars ſymbolicæ, quæ eorumdem ope talem notitiam curat.

Aenigmati, vel gripho affinia ſunt, *Logogriphus*, qui ſit, cum excogitantur in eadem voce multa ſignificata, ſiue illa retrò legatur : ſiue diuidatur in ſyllabas, ſiue aliquo alio modo interpoletur. Item ſtrophæ, labyrinthi, cauilli, ac tandem, quicumque ſermo, moduſque ſcribendi implexus, & extra ordinem obſcurus, vt Hieroglyphicus, imaginibus, & figuris litterarum vice, ad diuinorum cognitionem vtens.

CAPVT IV.

De Theologia Symbolica Emblematica.

HVius nominis *Emblema*, vnde Theologia Symbolica vocatur Emblematica, ſi etymologiam ſpectemus, deriuatur à verbo Græco emballein, quod eſt idem, ac Latinis immittere, vel inſerere. Indè ſignificat vniuersè, quidquid inſeritur ornatus cauſa. Cum autem varia ſint, tum quæ inſeruntur, tum quibus inſeri contingit quidpiam, hinc quoque multiplex eſt

eſt emblematis ſignificatio. Magis tamen communiter emblema dicitur, opus ex multis particulis verſicoloribus inſertis, ita conſtructum, vt rei alicuius imaginem tanquam penicillo depictam repręſentet; quod ſi in pariete fiet, *Vermiculatum*, ſi in pauimento, *Teſſelatum*, ſi in lignis *Segmentatum* appellatur; communi autem nomine Muſiuum, ſic dictum, vel ab authore quodam Gotho, qui hanc inſtaurauit artem; vel ab inſtrumento, & regula Amuſia dicta, quæ in dolandis, expoliendiſque lapidibus in vſu fuit, eſtque funiculus extenſus, quos multiplices in tali opere extendi neceſſe erat.

Iam ergo ad noſtrum propoſitum, metaphoricè, ſiuè per translationem ab huiuſmodi opere multis ex particulis verſicoloribus inſertis cõſtructo ad aliquid repręſentandum, Emblema dicitur, ſymbolum verbale, de quo agimus in præſenti, & definitur, oratio conſtans ex varijs dictionibus figuratis ita arguè, & ſubtiliter compoſitis, vt mentem quidem exerceat, non tamen torqueat, ſed facilè propoſitam veritatem repręſentet. Vbi primæ particulæ habent rationem generis, cum enim emblema de quo nunc agitur, ſit ſymbolum verbale, neceſſe eſt, quod conſtet dictionibus figuratis, ſeu metaphoricis, quæ eo ipſo, quod ſunt tales, non poſſunt non eſſe aliqualiter obſcuræ, atque adeò mentem exercere, ſicut cætera Symbola verbalia. Aliæ particulæ ſunt loco differentiæ. Siquidem Emblema clarius, liquidiuſque eſt veritatis, aut rei ſignatæ ſymbolum, quã ſit ænigma, ſub maioribus ambagibus eam tegens, vndè per hoc ſufficienter diſtinguntur, etſi interdum ob nonnullam ſimilitudinem confundantur.

Sunt qui Emblema definiunt per hoc, quod ſit ſymbolum ingenioſum, ſuaue, & moratum ex pictura, & lemmate conſtans, hoc eſt graui aliqua ſententia ſe habente per modum thematis; verũ, licet hæc definitio rectè cõpetat Emblemati, vt eſt ſymbolum mixtum ex rebus, & verbis, attamen pictura non eſt de ratione illius præcisè, vt eſt ſymbolum verbale; quemadmodum enim ſunt emblemata afona, ſeu muta, id eſt ſolis figuris conſtantia, abſque vllius ſententiæ, vel epigrammatis adiectione; ita quoque dantur ex ſolis verbis compoſita; ſicut hiſtoria vtroque modo deſcribi poteſt. Quia tamen Emblema præ alijs ſymbolis verbalibus picturam admittit, tuncque cenſetur vndequaque perfectum, quando ſimul cum lemmate, vel epigraphe; id eſt ſententia aliqua ſcitè, & concinna, tanquam vel totius anima, inſuper habet picturam, ſeu imaginem, & poeſin, ſeu epigramma, quæ ſe ita explicent, vt altera alteri ſit interpres, non incongruè dicitur, quod Emblema ſit Symbolum conſtans ex pictura, & lemmate; quodque per particulam, pictura differat à Prouerbio, nec picturam, nec poeſim præcisè poſtulante, etſi aliquando ei præponi poſſit per modum lemmatis, aut ſententiæ, quando non eſt triuialis, nec enim Emblematis epigraphe, ſententiam admittit triuialem, ſed vt diximus, argutam, & ſubtilem; differt quoque à parabola, quia licet ex hac facilè emblema confici poſſit, non requirit tamen ad ſui perfectionem picturam, vel imaginem, ſeu Emblema.

Quantùm ad Emblematis diuiſionẽ, primum diuidi poteſt in humana, & Sacra; humana voco, quæ induſtria humana, ſed recreationis gratia, vel acuendi ingenij, fuerunt adinuenta, quibus, ijſque argutiſſimis pleni ſunt innumeri, ferè libri. Sacra verò ſunt, quæ tã ex diuinis Scripturis deſumuntur, quam quæ, licet humana, referuntur ad Dei notitiam; propriaque ſunt Theologiæ Symbolicæ Emblematicæ.

Inſuper cum non ſit minus ampla Emblematum materia, quam cæterorum Symbolorum, vt per ordinem ad illam, quæ eſt vniuſcuiuſque propria, diximus ſupra, ſymbola vniuerſim, Theologiamque Symbolicam illa conſiderantem diuidi poſſe, ac diſtribui

iuxta

iuxta ordinem ſcientiarum, & artium, eodem quoque emblemata, Theologicæque Emblematicæ, quæ eſt pars Symbolicæ diuidi poſſunt. Vel etiam iuxta ordinem rerum ex quibus aut conficiuntur, aut quas ſignificant, ſequenti ſectione adducendum, in qua agemus de ſubdiuiſione Theologiæ Symbolicæ realis, in ſuas partes.

Cum ita ſe habeat circa emblematũ materiam, tam latè diffuſam, quam quæ orbe vniuerſo, Sacraque, & diuina Scriptura continentur, eorum forma conſiſtit in hoc, vt appoſitè ad picturam, vel rei imaginem, vbi emblema fit cum illa, fiat quoque lemma, epigraphes, gnome, ſiue ſententia, hæc enim omnia in præſenti coincidunt, quibus aliqua alia adhuc grauior ſententia, aut veritas indicetur, vel ſignificetur. Vt ſi quis ſignificare velit, Monachum extra clauſtra vagantem protinus rigeſcere, depingat Coralium aquis marinis eminens, quod dicunt herbam eſſe, quam mare producit, quæque ſubitò vt in aera peruenit, in lapidem dureſcit, & addat pro lemmate, *Vix aere viſo dureſco*, efficiet emblema aptiſſimum ad intentam veritatem, vel ſententiam probandam. Aut ſi quis oſtendere vellet patientiam rebus aduerſis augeri, vel illuſtrari depingat Ceranniam gemmam, quam aiunt in locis duntaxat fulmine ictis reperiri, inter fulgura ſuauiter emicantem, & addat pro lemmate, *Fulmine creſcit*, vel *micat*; efficiet quoque emblema intentæ veritati perſuadendæ accommodatiſſimum, & ſic de alijs, de quibus conſuli poſſunt plures authores, qui ſimilia congeſſerunt.

Finis tandem Emblematum, loquendo de Theologicis, Theologiæq; Symbolicæ ænigmaticæ, eſt medijs illis ad Dei, diuinorumque notitiam, & amorem peruenire. Huiuſmodi ſunt contenta in libello inſcripto: *Palma ſpiritualis illuſtrata ſymbolis accommodatis*.

CAPVT V.

De Theologia Symbolica Fabulari.

QVamuis attenta huius nominis, *Fabula*, etymologia, cum dicatur à *fando*, in bonum, malumque, verum, & falſum, fictum, & factum accipi poſſit, vndè interdum tam apud prophanos, quam apud Sacros, vel Eccleſiaſticos authores ſignificat veram hiſtoriam, eodemque iure parabolam, aut ſymbolum quodlibet: quia tamen, vſu iam recepto, fictitium quid innuit, & à veritate alienum, ſiue ſumitur pro re ficta, & hominum ingenio excogitata, de illa ſic agimus in præſenti, Theologiamque ſymbolicam fabularem appellamus, quæ idoneis fabulis, Apologis, & iſtiuſmodi fictionibus diuinorum notitiam promouet.

Fabula igitur in hoc ſenſu poteſt vniuersè definiri, quod ſit oratio, vel narratio ficta relata ad veritatem, ſeu veritatẽ repræſentans; vbi oratio, vel narratio ponitur loco generis; cũ enim ſit ſymbolum verbale, non poteſt non conſtare verbis, altera autem particula *ficta*, illã diſtinguit à cæteris, conſtituitq; in tali ſpecie, quod ſit tropus, vel figura falſum, abſolutè dicens, cum aliarum materia vera eſſe poſſit, & plerumque debeat; quod dicitur referri ad veritatem, eſt quid ipſi per modum finis cõmune, & cæteris ſymbolis, ordinatis ad aliquam veritatem repræſentandam.

Sunt qui Mython à fabula diſtinguunt, ſed non ita congruè, cum mythos Græcè, idem ſit, ac fabula Latinè, vndè non eſt iſtius ſpecies, ſed cum ipſa genus ad omnes fabularum ſpecies, quas conſtat tot eſſe poſſe, quot ſunt orationum fictarum ſpecies, quarum potiſſima eſt *Apologus*, quidquid enim ſit de varijs huius nominis etymologijs, ac ſignificationibus, hic ſumitur pro illa ſpecie fabulæ, in qua introducuntur, perindè atque in Scenam, non animalia ſolùm, ſed muta quoque,

quoque, veluti, gladij, limæ, ſerræ, mallei, incudes, aliaque ſimilia; item plantæ, vt quercus & fungus: abies, & arundo ſimul loquentes, & diſputantes, quo ſenſu dubitari non poteſt, quin Apologus ad fabulam pertineat, ſitque eius ſpecies.

Vt autem quæcumque fabula ſit vtilis ad intentum finem alicuius veritatis, aut ſignificandæ, aut perſuadendæ, quæ ſi diuina, aut ſacra fuerit, pertinebit ad Theologiam, duo requiruntur; fine duas partes habere debet narrationem ſcilicet fictam, tum eius explicationem, quæ ſi præmittatur dicitur Græcè promution, ſi verò poſtponatur, epimution, Latinis Affabulatio.

Etſi eo ſenſu, quo longiores parabolæ vocantur Apologi, aut iſta duo inter ſe aliquando confunduntur, concedi poſſet Chriſtum vſum fuiſſe apologis, atque adeò fabulas ad docendum adhibuiſſe, quia tamen Apologus communiter accipitur pro fabula, in qua bruta animalia, vel res ſenſu carentes perſonatæ inducuntur, ratione, orationeque ijs communicata, qualis nulla eſt in Euangelio, ideò abſolutè negandum eſt Chriſtum Dominum vſum fuiſſe fabulis, vel apologis ad docendum: cuius plures adducunt rationes Sacri Interpretes; præcipuæ ſunt, primò ne authoritate Chriſti, muta animalia ſenſu rationis donari viderentur, quod potuiſſet eſſe ſcandalo Iudæis. Inter Philoſophos enim non defuerunt, qui nedum animantibus, ſed & plantis ipſis aliqualem rationis vſum attribuerunt. Secundò, ne propter confictos ſenſus, affectus, & linguam hominum brutis animalibus, indè myſteria fidei à Chriſto per fabulas repræſentata nimis vileſcerent, aut in falſitatis ſuſpicionem venirent. Tertiò, vt ita diſtingueretur Philoſophia Chriſtiana, tanquam Sacra, à Sapientia mundi, tanquã prophana, quæ apologis illuſtrari ſolebat, & de qua ait Regius Propheta Pſal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.*

In Veteri autem Teſtamento duo inſignes habentur Apologi, primus Iudic. cap. 9. vbi mortuo Ierobaale, ſic vocabatur Gedeon, Sichimitæ, relicta legitima tanti ſui Principis ſtirpe, elegerunt ſibi in Regem Abimelech Gedeonis veluti ſpurium, attento vxorum ordine, & dignitate, hominem generatim improbum. Quod cum nunciatum eſſet Ioatham, filio Ierobaal minimo, iuit, & ſtetit in vertice montis Garizim; eleuataque voce clamauit, & dixit: *Audite me Sichem, ita audiat vos Deus.*

Ierunt ligna, vt ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntque oliuæ: Impera nobis. Quæ reſpondit. Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear.

Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear.

Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ reſpondit eis. Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter cætera ligna promoueri.

Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum. Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis. Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.

Applicatio autem per imprecationem, ſeu maledictionem hoc modo fit ab eodem Ioatham. *Nunc igitur ſi rectè, & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos Regem Abimelech, & benè egiſtis cũ Ierobaal, & cum domo eius, & reddidiſtis vicem beneficijs eius, qui pugnauit pro vobis, & animam ſuam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian, qui nunc ſurrexiſtis contra domũ patris mei, & interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros ſuper vnum lapidem, & conſtituiſtis*

Regem

ideque illas amplecti deberent, niſi pertinaces eſſent, ſuaque ſuperbia prępedirentur. Tantùm de præcipuis regulis à Theologo obſeruandis in tractando pręſertim materias, vel quæſtiones Theologicas ad ſpeculationem pertinentes.

CAPVT III.

Proponuntur regulæ pro Theologia morali, ſeu ad praxim ſpectante.

PRæter iam adductas in præcedentibus capitibus regulas, quæ etiam Theologiæ morali, eiuſque quęſtionibus tractandis accommodari poſſunt, ſunt inſuper aliæ magis ipſi propriæ. Prima eſt, quod cum Theologia moralis non minus innitatur, quam ſpeculatiua diuinæ reuelationi, Theologus Moralis debet potiſſimum vti Sacræ Scripturæ locis ad mores pertinentibus, tum ijs, quæ circa illos ex Sacra habentur traditione, & in Sacris Canonibus continentur, hiſtorijſque Eccleſiaſticis, in quibus narrantur plures actiones laude, & vituperio dignæ, multaque exempla, quæ vim perſępè habent doctrinæ, praua quidem ad ea fugienda, proba verò ad amplectenda; diligenter tamen aduertere debet, & monere, non omnia ſemper eſſe ſequenda, quæ tribuuntur viris aliàs ſanctiſſimis; tum quia non omnes eorum actiones fuerunt laudabiles, imo aliquę recenſitæ in hiſtorijs etiam ſacris fuerunt peccaminoſæ, & quandoque non leuiter; præterquam ſi fuerunt laudabiles, aliæ forſan exerceri potuerunt ab illis laudabiliores, vel illas exercuerunt è peculiari diuina inſpiratione, ſiue diuino impulſu, ideoque ſemper in exemplum trahi non poſſunt, aut demum circumſtantijs quibuſdam poſitis laudabiles fuerunt, defectu quarum, alias non ſunt tales; quæ omnia ſunt accuratè notanda, vbi ſe ſe in aliqua quæſtione morali tractanda offert occaſio, probarique aliquid debet exemplis. Ex hac regula ſequitur optimum fore, ſi Theologus Moralis ea quæ habentur ex fide, vel deducuntur etiam probabiliter ex ijs, quę de fide, ſpectantia ad mores primò proponat, & ſeponat ad illis, quæ lumine naturali tantummodo habentur; illis autem addat poſtea ſi quæ ſint, tum rationes naturales, tum Philoſophorum authoritates, nec non etiam legum Ciuilium, qui enim illarum libros conſcripſerunt in Morali philoſophia, quam maximè verſatos fuiſſe, & excelluiſſe ſupponimus. De quo vide dicta tom. 4. ſect. 7. cap. 25.

Secunda, vbi agitur de peccatis exactè explicet, quænam ſint venialia duntaxat, & quænam mortalia, tum quę ſint intrinſecè mala, ita vt nunquam prorſus liceant, & à Deo indiſpenſabilia ſint, ac ſemper prohibita, quia ſemper mala; deindè quæ mala ſolùm, quia prohibita, & quomodo adueniente aliqua circumſtantia reddi licita poſſunt, imo & poteſt quandoque aliquis teneri ad illud exercendum. Horum enim, & ſimilium accurata explicatio, quam ſit neceſſaria, quantique momenti ad animarum quietem ex ſe conſtat.

Tertia regula eſt, eaque potiſſima, quod in omni materia, quantum fieri poteſt declaretur, & diſtinguatur, quęnam opinio ſit certa, & euidens; quęnam tuta, & probabilis, & inter probabiles, quęnam probabilior, aut minus, ac vix probabilis, quæ probabilis ſpeculatiuè, quæ practicè, quæ in foro interno, quæ in externo, quæ ſcandaloſa actiuè, quæ paſſiuè; quæ impia poſitiuè, quæ negatiuè; quæ non pia, aut minus pia; quæ dubia negatiuè, quæ poſitiuè; quæ opinio fundata in pręſumptione, quæ in veritate, & ſic de alijs. Et quamuis aliquis vni ſententiæ tanquam magis certæ, aut probabili adhęreat, propter rationes, quas ſibi ſuadet eſſe tales, aliorum tamen opiniones non facilè damnet tanquam improbabiles, ſed potius ſi illæ verè ſint probabiles, aut ab

intrin-

intrinſeco, aut ab extrinſeco, ſincerè id aperiat, non ſolùm, quia, quod vni videtur eſſe magis probabile, alteri plerumque non eſt tale, aut etiam ſecundum ſatis communem Theologorum ſententiam, poteſt quis relicta ſententia alijs, ſibique etiam probabiliori viſa, aliam verè probabilem ſequi, verùm etiam quia, licet quis relicta ſibi magis probabili, cuique ita adhęret ſententia, non poſſit, vt docent alij Theologi, mihique probabilius videtur, modo ſtatim explicando, aliam ſibi minus probabilem in operando ſequi, poteſt tamen docere illam eſſe talem, vbi verè eſt talis, vt poſſint illam ſequi lectores, ſi ſibi magis opportunam eam exiſtimauerint, quibuſque etiam oppoſita magis probabilis videri poteſt.

Dixi probabilius eſſe, eum qui adhæret vni ſententiæ tanquam ſibi probabiliori, non poſſe, ea relicta, ſequi in operando alteram ſibi minus probabilem, quod ſic interim breuiter explico, donec fuſius, & quo exiſtimo, facilè componi poſſe plus nimio acriter verſantem in hac re controuerſiam inter modernos Theologos, aut reduci ad quæſtionē de nomine. In primis enim omnes concedunt abſolutè licere amplecti in operando opinionem aliquam verè probabilem; ſecundò admittere debent, qui ſic operantur, operari etiā cum opinione ſibi magis probabili, quis enim eſt ille, qui ſuam propriam opinionem cæteris non pręferat, atque adeò probabiliorem, magiſque rationabilem cæteris illam non credat? totū igitur difficultatis punctum, aut pondus ad hoc reduci debere videtur, an qui vni ſententiæ tanquam ſibi probabiliori adhæret, poſſit illa relicta aliam ſibi minus probabilem licitè in operando ſequi, quidquid ſit an in docendo, vel conſulendo.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, duplicem dari certitudinem moralem. Vna eſt, quæ omnem prorſus excludit formidinem, qua ratione nonnulli Theologi, communiter tamen reiecti, vt diximus ſuperiori tomo lib. 4. ſect. 11. cap. 15. docuerunt aliquos ad tantam certitudinem moralem ſuæ iuſtitiæ, ſecundum viam ordinariam peruenire poſſe, vt abſque vlla formidine, & temeritate non minus poſſint tunc eſſe certi de ſua gratia, quam dari in rerum natura Romam, & Conſtantinopolim.

Altera certitudo moralis eſt, quę tollit quidem animi anxietatem, ſiue hæſitantiam, & fluctuationem inordinatā, atque adeò ſufficit ad pacem conſcientiæ tribuendam, non tamen ad omnem prorſus formidinem excludendam: qua certitudine, quæ non tranſcendit limites certitudinis probabilis, & coniecturalis, ſecundum communem opinionē omnium Theologorum contra paucos alios loco ſtatim citato adductos, iuſti ſecundum viam ordinariam poſſunt eſſe certi ſe eſſe in gratia. Etſi igitur prima certitudo moralis minimè requiratur ad licitam operationem, nec etiam illam requirunt, qui docent illicitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem, probabiliori relicta, aliàs iuſti, qui ſecundum viam ordinariam illam habere non poſſunt de propria iuſtitia, ad ſumendam tamen Euchariſtiam neceſſaria, tuta conſcientia ad illam accedere non poſſent; nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin altera certitudo moralis tollens animi anxietatem, ſiue hęſitantiam, & fluctuationem inordinatam, pacemque conſcientiæ tribuens, neceſſariò requiratur ad benè moraliter operandum, cum fine tali certitudine non poſſit conſcientia non eſſe dubia practicè; qui autē Doctores aſſerunt licitum non eſſe ſequi opinionem minus alicui probabilem, abiecta ſibi magis probabili, nullam aliam certitudinem ad benè moraliter operandum requirunt; & quia exiſtimo illam reperiri non poſſe in hoc caſu, qui enim ſuam opinionem magis probabilem eſſe, quam aliam perſuaſum habet, non poteſt non hęſitare, & fluctuare in illa relinquenda, atque adeò operari

non

tum matrimonij figuratum. Reſurrectio figurata, cum his quæ ſpectant ad illam.

Quia autem Theologia Symbolica realis fundatur in myſtico, ſeu ſpirituali Sacræ Scripturæ ſenſu, qui eſt triplex, Allegoticus, Tropologicus,& Anagogicus, in tres quoque partes rectè diuidi poſſet, quarum prima contineret myſteria fidei, & quæ ad illam pertinent, figurata; ſecunda quæ ad diſciplinam morum, & tertia quæ ad cæleſtem patriam.

CAPVT II.

De aliquibus ſymbolis ex rebus naturalibus permanentibus deſumptis, quæ in Sacra Scriptura reperiuntur.

QVia velle proſequi omnia ſymbola realia,quæ in diuinis Scripturis reperiuntur, & ad earum normam Theologicè efformari poſſunt, nedum vnius, ſed plurium etiam voluminum opus eſſe poſſet; quod excedit præſentis noſtri inſtituti finem, ideo pro illo ſolùm, eiuque ſpecimine, aliqua proferam iuxta ordinem, vel diuiſionem rerum ſuperiori capite adductam, nec non Sacræ Scripturæ librorũ, in quibus continentur; quæ facem vtcumque præferre poſſint, volentibus ordinatè Sacra Symbola pro ſuo vſu colligere; vel meditantibus iuxta eamdem diuiſionem, Theologiam Symbolicam realem edere.

Ex libris Veteris Teſtamenti.

INcipiendo igitur à rebus naturalibus permanentibus,primum ſymbolum in Scriptura occurrens habetur Geneſ. 1. quod enim ibi verſu 2. dicatur In opere primæ diei tenebras fuiſſe ſuper faciem abyſſi, dixiſſeque Deum fieri lucem, & factam fuiſſe, in ſenſu ſymbolico, tropologico, ſeu morali, ſignificat animæ infidelis tranſitum ad fidem, eiuſque lucis colluſtrationem, ex Apoſt. 2. Corinth. 4. v. 6. *Deus*, inquit, *qui dixit in tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit cordibus noſtris*; quaſi diceret, quemadmodum Deus olim in Geneſi produxit de tenebris lucem, ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, fideique luce colluſtrauit. Vel, vt docet Diuus Auguſtinus lib. 1. contra aduerſ. legis cap. 8. per hoc quod tenebris, ſiue nocti, quæ luce fuit prior, lux, & dies ſucceſſit; & huic iterum ſucceſſerunt tenebræ, denotatur quid in homine ſpiritaliter fiat, ſcilicet peccato gratiam, & gratiæ peccatum, eum in illud relabimur ſuccedere.

Ibidem verſu 7. quod facto in medio aquarum firmamento, diuiſerit Deus illas, quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum: mora iter per firmamentum, quod vocauit cælum, intelligitur firmitas, & conſtantia animæ in Deo, & cælis defixæ, quæ conſtanter ſuſtinet aquas ſuperas, id eſt, proſperitates, in illis non ſuperbiendo; & inferas, id eſt, aduerſitates, in illis non deſperando.

Per opus creationis ſex dierum non incongruè ſignificari poteſt opus iuſtificationis hominis, vſque ad vltimam eius perfectionem. Primo enim die creatur lux, id eſt, infunditur peccatori illuminatio, qua cognoſcat turpitudinem peccatorum, & ſui ſtatus, æternitatiſque periculum. Secundo die fit firmamentum, id eſt inditur peccatori timor Dei, & iudicij, qui diuidit aquas ſuperas, id eſt appetitum rationalem, ab inferis, id eſt, ab appetitu ſenſitiuo, vt licet ſenſu concupiſcat terrena, ſpiritu tamen feratur, ac tendat in cæleſtia. Tertio die terra, id eſt, homo coopertus aqua, ſcilicet concupiſcentia, detegitur, vt quamuis eam habeat, non tamen obruatur, ei conſentiendo. Quarto die fit Sol, tum cætera Luminaria, dum homini infunduntur virtutes rectè in illis figuratæ; in Sole Charitas; in Luna Fides, in Heſpero Spes; in Saturno Temperantia;

in Ioue Iuſtitia; in Marte Fortitudo; in Mercutio Prudentia; in aliįs demum aſtris cæteræ virtutes infuſæ. Quinto, & ſexto die fiunt animantia: primò, piſces, figurantes ſtatum incipientium, ſeu hominum quidem bonorum, ſed adhuc imperfectorum, quia curis ſæculi adhuc immerſi; ſecundo iumenta, ſignificantia ſtatum proficientium, qui in terra viuunt ſpiritualiter, abdicatis omnibus eius affectibus: tertiò aues, denotantes ſtatum perfectorum, qui purgata iam ab illis mente, toto conatu quaſi aues in cælum diuinæ visionis euolant.

Geneſ. 2. per Paradiſum voluptatis à Deo plantatum v.8. Allegoricè ſymbolizatur Eccleſia; cuius quatuor flumina ſunt quatuor Euangelia; ligna fructifera ſunt Sancti: fructus ſunt eorum opera; lignum vitæ eſt Chriſtus Sanctus Sanctorum: ipſe enim eſt verè vita, ad quem quicumque manum porrexerit viuet in æternum. Lignum quoque ſcientiæ boni, & mali dici poteſt Chriſtus homo, qui ſolus ſimul, & ſemel guſtauit bonum beatitudinis, & malum paſſionum noſtrarum. Nec enim alius quiſquam fuit beatus ſimul, & viator, niſi Chriſtus Ieſus.

Geneſeos 9. Arcus, ſeu Iris, quæ eſt impreſſio meteorologica ex reuerberatione radiorum Solis in nube rorida cauſata, data poſt diluuium in fœdus, & pactum Dei cum genere humano, de non futuro deinceps diluuio, præclarum eſt diuinæ clementiæ, aut miſericordiæ ſymbolum. Iris, inquit Ambroſius lib. de arca, & Noe, eſt clementia Dei, quæ quaſi arcus contentus, ſed carens ſagitta, per aduerſa, quæ immittit, magis terrere nos vult quam ferire. Vndè etiam S. Ioannes Apocalip. 4. vidit Thronum Dei circumdatum iride, id eſt miſericordia. Inſuper ſicut iris verſicolor recreat, & imbres varios in terram effundit, iuxta illud Ouidij, *Concipit iris aquas, alimentaquè nubibus affert*; item ex Ariſtotele lib. 5. hiſt. animal. cap. 22. multum confert ad generationem mannæ, ſiue mellis aerei, & ex Plinio lib. 12. cap. 24. aſpalatum, ſiue ſpinam candidam, aliaſque herbas odoratiores reddit: eadem myſticè facit diuina miſericordia. Tandem ſicut iris eſt ſemicirculus in noſtro duntaxat hemiſpherio apparens, ita & Dei miſericordia maximè apparet in hac vita, iuſtitia vero in altera.

Item allegoricè iris Symbolum, 1. eſt legis Euangelicę, afferentis gratiam, remiſſionem, & gloriam. 2. cum ſit ex aquea, & ignea qualitate, Sacramenti baptiſmi, qui fit per ignem, & aquam. Matth. 3. v. 11. 3. Verbi incarnati, & carne velati, ſiue ipſius carnis Verbi; 1. quia ſicut Sol in nube irradians cauſat iridem: ita Verbum in carne irradians fecit Chriſtum. 2. quia ſicut iris ſupernaturale fuit pacis ſymbolum tempore Noe, ita & Incarnatio Verbi fuit reconciliatio mundi. 3. duo cornua Iridis, ſunt duæ naturæ Chriſti, diuina ſcilicet, & humana, quarum chorda occulta, & inuiſibilis, eſt arcana vnio hypoſtatica. 4. in Iride triplex eſt color; ita, & in Chriſto. Chriſtus enim fuit cæruleus, id eſt cæleſtis per orationem aſſiduam; fuit viridis per florem gratiarum, & virtutum: fuit denique rubicundus per ſanguinem ſuum in cruce. 5. ab hoc arcu emiſſæ ſunt occultæ amoris ſagittæ, quibus confixa, & vulnerata Sponſa cantabat: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. 6. Iris hæc imbrifera fuit, quia dedit in pentecoſte orbi prędicationis, & doctrinæ cæleſtis abundantiam, quaſi pluuiam. Ex Anſberto in Apocalip. cap. 4.

Tropologicè etiam dici poteſt tres iridis colores, ſymbolum eſſe virtutis purgandi, illuminandi, & perficiendi, quam à Deo, & Angelis participant Sancti Doctores; vel colorem cæruleũ ſignificare fidem, viridem ſpem, & rubicundum charitatem, quas iris Id eſt Dei miſericordia potiſſimum in hominibus, vbi iuſtificantur, infundit.

Quod

Quod multoties in Scriptura, maximè autem Exodi cap. 3. apparuit Moyſi Dominus in flamma ignis, vel ſub ſpecie ignis, ob quid aliud, niſi quia in hoc elemento præclariſſimum habetur diuinitatis ſymbolum. De eo ſic ait Diuus Dyonifius de Cœleſti Hierarchia cap. 15. Ignis diuinæ proprietatis, ſi dici liceat, in rebus viſibilibus plurimas ſeruat imagines. Ipſe enim, vt ita dixerim, in omnibus, & per omnia, ſine vlla ſui admixtione proficiſcitur: cumque lucidiſſimus ſit, ipſe tamē non admota materia, in qua ſuam vim, ſuumque oſtendat officium, in ſeipſo occultus, atque incognitus manet: neque admittit aditum, neque patet aſpectui. Ipſe omnia ſuperat, & ea, quibus inſederit, in ſuum traducit officium: omnibuſque quomodolibet ſibi appropinquantibus, ſui conſortium tradit: renouat omnia calore vitali, fulgoribus apertis illuminat: teneri miſcerique non poteſt: diſcernendi vim habet, atque immutabilis eſt: ſuperiora ſemper petit, & in acumen tendit: agilis, celer, ſublimis, nullaque vi, vt inferiora peteſcat, adigi poteſt: ſemper mobilis, eodemque motu vigens: alia mouet, complectitur omnia, cum tamen aſtringi ipſe non poſſit: cumque alio ipſe non egeat, ſibi ipſi tantum clam incrementa ſuppeditat: atque in qualibet ſuſcipiente materia ſuæ maieſtatis potentiam indicat, efficax, potens, omnibus inuiſibiliter præſens: ſi negligatur, non eſſe videtur: attritus autem, veluti irritatione quadam naturaliter, ac propriè continuo lucentem excitatur in flammam, rurſumque incomprehenſibili abſoluitur modo: cumque affatim omnibus participationem ſui locupletiſſimam præbeat, nunquam tamen ipſe minuitur. Quæ omnia quàm perbelle diuinam ſymbolizent naturam ſatis patet.

Lignum dulcorans aquas in Mara, Exodi 15. quæ vis in eo naturalis fuit, qualis eſt in melle, & cannis ſaccari, ſed longe maior, & efficacior, nobis licet incognita, Deo tamen notiſſima; vndè Eccleſiaſticus ait cap. 38. v. 4. *Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam: nonne à ligno indulcata eſt aqua amara.* Vbi ſine dubio alludit ad citatum Exodi locum, loquens de naturali proprietate, & virtute quem habent herbæ, ligna, & pharmacá ad medicandum hominibus; præfatum, inquam, lignum fuit typus crucis Chriſti, per quam Sanctis omnia aduerſa dulceſcunt, vt communiter aſſerunt Patres.

In Manna Exodi 16. qua pauit Deus filios Iſrael 40. annis in deſerto, quamplurima, eaque inſignia habentur ſymbola. Primò enim allegoricè ſignificabat Chriſtum plures ob analogias, de quibus ibi videri poſſunt Sacri Interpretes. Per eam quoque S. Ambroſius ſerm. 3. putat figuratam fuiſſe Beatiſſimam Virginem Mariam. Hæc enim eſt mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra. Tropologice deſignabat opera, duplexque manna colligenda die ſexto, vt ad Sabbatum ſufficeret, nos debere in hac vita colligere opera, quæ nobis ſufficiant ad futuram. Colligenti autem mannam ad alteram diem præter Sabbatum, ſcatent vermes: hoc eſt, operanti propter vitā præſentem, pereunt merita. item ſignificabat conſolationes Spiritus Sancti dulciſſimas, quæ recipiuntur in rerum cœleſtium contemplatione, quibuſque ſuſtentat Deus in deſerto huius vitæ eos, qui ſe à temporalibus, & carnalibus ſeparant, & de illis victoriam reportant; iuxta illud Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum.* Quæ manna deficit, cum quis ad terrena ſe confert Ioſue 5. Anagogicè tandem ſignificare poteſt ambroſiam beatorum, ſeu inenarrabilem eorum in cœlis felicitatem, gaudium, & dulcedinem.

Petra, quæ Exodi 17. virga Moyſis percuſſa, iubente Deo, fudit aquas, Allegoricè Symbolum fuit Chriſti 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Chriſtus;* virga

virga percutiens illam eſt Crux, qua percuſſus Chriſtus, vulneratuſque, ſanguinem pro nobis fudit, & in Eucharistia omnibus bibendum reliquit, ex Theodoreto. Item per aquam intelligi poteſt Baptiſmus, cuius virtus manat ex cruce Chriſti, iuxta Tertullianum lib. de Baptiſmo cap. 9. Tropologicè etiam per aquam ex hac petra fluentem ſignificantur omnia chariſmatum dona nobis ex vulneribus Chriſti prouenientia, maximè fortitudo Martyrum, vt rectè explicat Diuus Bernardus ſerm. 61. in Cantica ad illud cap. 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.*

Exodi 19. vbi Dominus ait ſe portaſſe Hebræos ſuper alas aquilarum, ſic præclarum habetur Dei prouidentiæ, & beneficentiæ ſymbolum. Nam aquilæ ſingularis eſt amor in pullos, niſi ſint degeneres. Vnde Moſes ad id attendens in cantico ait: Sicut Aquila prouocans ad volandum filios ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, ſcilicet populum Iſraeliticum, atque portauit in humeris ſuis, vſque videlicet ad manſionem ipſi præparatam. Deuter. 32.

Per coturnices datas à Deo Hebræis petentibus carnes ſymbolicè denotabatur ex S. Cyrillo lib. 3. in Ioann. cap. 34. lex vetus. *Nunquam enim*, inquit, *auis hæc volatu effertur, ſed propè terram ſemper volat. Nam & diſciplina legis, terreſtris quodammodo eſt, animalium oblationes, & purificationes continens Iudaicas, quibus illi non multum à terra leuabantur.* Tropologicè adhuc coturnicum ex vna regione in aliam migratio ſymbolum eſt, in bonum ſenſum, eorum, qui ſe hic exiſtimant peregrinos, & toto corde ad cœlum ſuſpirant. Illæ enim gregatim volant, & ducem eligunt: hi ſimul degere gaudent, & ducem vnum ſequuntur. Illæ auſtrum vitant, & Aquilonem quærunt: hi carnales huius mundi proſperitates fugiunt, abſtinentiam autem & pœnitentiam ſectantur. Illæ duce gregis ab accipitre occiſo, alieni generis alium ſibi in ducem adoptant: hi Adamo parente, & duce à diabolo ſeducto, & occiſo, ducem alterius generis & naturæ, ſcilicet Chriſtum Dominum eligunt, & ſequuntur.

Virga Amygdalina, qua Numer. 17. in declaratione Aaronis Pontificis, vſus eſt Deus, Symbolicè, & tropologicè ſignificabat, qualis debeat eſſe Pontifex, & Paſtor, ſcilicet 1. eum debere eſſe vigilantem; amygdalus enim vigilantiæ eſt exemplum, & ſymbolum. 2. actiuum, agilem, expeditum in omni opere, & in profectu virtutum. Sic enim amygdalus ſolet baccas, & flores ante frondes emittere. 3. laborioſum, potentem, fortem, & ſtrenuum. Amygdalus enim, cum prima inter arbores floreat, neceſſe eſt, vt prima frigora, pluuias, grandines, & ventos excipiat, ac ſuperet. 4. auſteræ vitæ, & mortificationi addictum. Amygdala enim aliqualiter amara ſunt. Quare Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis agens de hac virga ait: *Aſpera, & continens, duraque debet eſſe exterius Sacerdotis vita: intus autem in occulto, ſuaue quodpiam edulium continere, quod tunc manifeſtatur, cum maturum fuerit, cumque corruptus fuerit ſtipitatus, & circumfuſus cortex, & lignea nuclei teſta defracta.*

Allegoricè hæc virga Aaron primũ frondens eſt Chriſtus puer; florens eſt adoleſcens, fructificans eſt vir nos redimens. Rurſum virga eſt Chriſtus, fructus amygdalinus eſt Chriſti doctrina, quæ exterius prima fronte amara videtur: ſed interius plena eſt ſuauiſſimo ſcientiæ, & ſapientiæ ſenſu. Tandem per virgam hanc intelligi poteſt B. Virgo, & per florem Chriſtus; iuxta illud Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.*

Rhinoceros, ſiue naricornis, à monocerote ſiue vnicorni diſtinctus, quãuis Hebræa vox *reem* tam monocerotem, quàm rhinocerotem ſignificet, vti & alia pleraque animalium nomina, apud

apud Hebræos pluribus communis fuit. Numer. 23. v. 22. Symbolum eſt 1. fortitudinis: 2. conſequenter Dei, qui fortiſſimus eſt: 3. tardæ eius iræ, ſed terribilis: Rhinoceros enim magna indiget irritatione; ſed vbi iraſci cœperit, ferociſſimus eſt; ſic & Deus tarditatem ſupplicij grauitate compenſat: vnde prouerbium: Deos habere laneos pedes, ſed ferreas manus.

Ibidem cap. 24. prophetat Balaam de Chriſto ſub ſymbolo Stellæ, & Virgæ: *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael*. Stella dicitur primò, quia ipſe eſt lux mundi. Secundò, ob claritatem, & gloriam, tum vitæ cæleſtis, tum reſurrectionis, & beatitudinis. Nec qualiſcumque ſtella, ſed matutina vocatur Apocal. 2. & 28. id eſt Lucifer. 1. quia in hac vita diſpulit tenebras infidelitatis, & in futura diſpellet tenebras mortalitatis: 2. quia vti Lucifer nocti finem, diei initium præbet, ita Chriſtus peccato, & ignorantiæ finem, fidei, & ſaluti initium attulit. 3. eſt matutina ex Gregorio lib. 29. Moral. cap. 30. *Quia dum in ſeipſo reſurrectionis exemplum nobis præbuit; quæ lux ſequatur, indicauit*. Et ex Beda, *quia tranſacta nocte ſæculi, lucem vitæ Sanctis promittit, & pandit æternæ*. Vel tandem ex Haymonio, *quia in reſurrectione pulſis mortalitatis tenebris, quaſi lucifer apparebit, & perfectum æternitatis diem demonſtrabit*. Dicitur virga, ratione poteſtatis, qua transfixurus erat duces Moab. Chriſtus enim per ſe, & per Apoſtolos conuertit, ſuæque fidei ſtatim ſubegit Moabitas, Syros, Idumæos, aliaſque gentes Iudææ vicinas. Vbi notandum, Prophetam dicere, Chriſtum occiſurum, percuſſurũ, transfixurum gentes: quia veniens in mundum eorum mores, & vitia occidit, fecitque quaſi nouos homines, vt ex impijs, & iniuſtis, pij & iuſti efficerentur. Per duces etiam Moab intelligi poſſunt principes gentium idololatrarum, quæ colunt dæmonem: vel ipſi dæmones; hi enim ſunt duces, & patres Moabitarum ſpiritualium, id eſt impiorum, & idololatrarum; quos transfixit Chriſtus, cum exuit dominatu ſuo principatus, & poteſtates eorum, illoſque affixit, & confixit cruci ſuæ, triumphans illos in ſemetipſo, vt ait Apoſtolus.

Numer. 32. 11. Aquila eſt ſymbolum Dei ob quinque analogias, 1. quia ipſa eſt Regina auium, 2. quia eſt fœcunda, & longæua, 3. quia eſt ſimulachrum Solis; ipſum enim detectis, & immotis oculis aſpicit, 4. quia aliæ aues cum ſurſum aſcendunt, obliquo tramite, ſola aquila recto in altum euolat. Sed 5. magis propriè Deus comparatur Aquilæ ex dictis, ob ſingularẽ eius in pullos amorẽ, de quo ita ſcribit D. Hieronym. in c. 65. Iſaiæ. *Inter cæteras animantes omnes, aquilarum quidem maximus in pullos eſt amor; quæ in excelſis, & inacceſſis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethyſtum quoque inter pullos eius lapidem reperiri ſcribunt, quo omnia venena ſuperentur. Si hoc verum eſt, rectè affectus Dei in ſuas creaturas aquilis comparatus eſt, qui omni ſtudio protegit liberos ſuos, ne draco, & coluber antiquus diabolus obnoceat nouellis fœtibus, vt ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes aduerſariorum inſidiæ frangantur*. Diuus quoque Ambroſius lib. 2. de Salam. cap. 2. Chriſtum Dominum ob alias quatuor analogias aquilæ comparat.

Oliua, ficus, & vitis in apologo, ſeu fabula de lignis euntibus, vt vngerent ſuper ſe regem Iudic. 9. oblatum hunc ſibi honorem detrectantes, etſi præ cæteris omnibus frugiferæ, ſymbolum eſſe poſſunt virorum omnium bonorum, & moderatorum principatum recuſantium; quales nedum è ſacro, ſed & politico ordine plures fuiſſe legimus. Itẽ Sapientis ſibi vni vacantis ex S. Bonauentura lib. de alis cap. 3. aut quietem amantis, qui, cum ad honores, & dignitates vocatur, eique illas capiendi, aut recuſandi ſit optio ad poſterius hoc fertur ſemper lubentius. Melius eſt enim ſpiritualem noſtram retinere pinguedinem,

dinem, atque dulcedinem, quàm, ea amiſſa, longè, latèque dominari. Iuxta illud Chriſti Matth. 16. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.*

Sed & hæ tres arbores, earumque fructus ſeorſim, ſacra quoque ſunt plurium rerum ſymbola. Oliua enim, quę & olea dicitur, ſplendorem ſapientiæ deſignare poteſt, propter oleum, quod ex ea elicitur, quod eſt lucidiſſimum, vt, ſi quis in aquas merſus oleum ore emiſerit, clariora reddat ea, quæ profundi tegebantur occultis; Iſaiæ 41. & Zacch. 1. Significat etiam miſericordiam: vt ramus oliuæ allatus à columba Geneſ. 4. miſericordiæ Dei ſymbolum erat, & pacis. Item charitatem, ſicut enim oleum à nullo humore premitur, ſed diruptis omnibus exilit, & ſupereminet, ſic, & charitas non poteſt in ima premi; ſed neceſſe eſt, vt ad ſuperna emineat. Et ſic de alijs.

Ficus propter dulcedinem fructus, fælicitatem poteſt deſignare: & requieſcent ſub ficu, quì tranquillitate, & dulcedine fælicitatis fruĉtur Mich. 4. Aptè etiam ficus bona ſymbolum, ac typus eſt iuſti propter ſex analogias. Primò, ſicut ficus fructus fert dulces, ita & iuſtus. Secundò, ſicut ficus parum creſcit in altitudine, ita iuſtus eſt humilis. Tertiò, ficus pro floribus reddit fructus, biſque in anno, ita iuſtus totus eſt in fructu bonorum operum. Quartò, ficus amplis folijs vmbram facit, ita iuſtus ſua charitate alios iuuat, & protegit. Quintò, ficus alteri arbori inſeri nequit ob eximiam ſuam dulcedinem, quam deſerere nequit; ita iuſtus in nullo homine, ſed in ſolo Deo recumbit. Sextò, ficus decorticata areſcit, & fructum non reddit; ſic iuſtus niſi tegatur conuerſatione honeſta, fructum cum proximis non faciet; aut ſi negligit modica in via Dei, paulatim decidet.

Vitis denique, ſicut & vinea, quæ eſt multitudo vitium ſimul conſitarum in ſacris etiam ſcripturis aſſumuntur in ſymbola plurium rerum. Viti enim aſſimilat ſe Chriſtus Ioann. 15. dicens. *Ego ſum vitis: vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere*, ad ſignificandum, quod ſicut ex Auguſtino tract. 81. in Ioann. *ligna vitis tanto contemptibiliora ſunt ſi in vite non manſerint, quanto glorioſiora ſi manſerint*; ideoque ex Ezechiele cap. 15. ſubdit; *Vnum de duobus palmiti congruere, aut vitem, aut ignem*. Ita quoque omne bonum noſtrum pender ab intima cum Chriſto per gratiam vnione, malum autem, ſi per peccatum ab illo ſeparemur, qui bonorum noſtrorum non eget, cum ſuorum nos ſimus indigentiſſimi. Quare idem Auguſtinus in ſententijs, ſentent. 364. præclarè ait: *Ita ſunt palmites in vite, vt viti nihil conferant, ſed indè accipiant, vt viuant. Sic quippè eſt vitis in palmitibus, vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis: ac per hoc, & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis vtrumque prodeſt, non Chriſto. Nam præciſo palmite poteſt de viua radice alius pullulare: qui autem præciſus eſt, ſine radice viuere non poteſt.*

Item allegoricè vitis, aut etiam vinea, quæ eſt multitudo vitium ſimul conſitarum, ſignificare poteſt Eccleſiam, ob amęnitatem, & fructus præſtantiam; quodque ſicut in vite, id eſt, ligno vili, & deſpecto, intus eſt ſuccus efficaciſſimus, & optimus, cor exhilarans, ſpiritus reficiens, mentem excitans, vitam fouens; ita in Eccleſia eſt gratia Chriſti, præfata omnia longè meliori modo ſpiritualiter præſtans, quæque per viles, & pauperes Apoſtolos ipſam inebriauit. Rurſum ſicut ex Plinio lib. 14. cap. 4. nulla arbor vite eſt feracior pro ſui tenuitate, ita ſummoperè creuit Eccleſia crucis humilitate, quæ eſt eius torcular. Quæ etiam, & ſimilia tropologicè dici poſſunt de qualibet anima ſancta.

Rhamnus, *ſpecies inter ſpinas omnium difficillima*, vt ait Gregorius Nyſſenus in

in Pſal.57.in præfato Apologo Iudic.9. Sceptrum oblatum recipiens, attentis eius qualitatibus, non incongruè malam in partem aſſumitur pro ſymbolo Tyranni aſperi, aculeati, infecundi, ſpoliantis ſubditos, ſicut ſpina ſpoliat oues illam contingentes. Sed & in bonam etiam partem aſſumi poteſt pro ſymbolo boni principis; cum enim Rhamnus, & vmbram iaciat, vt arbores; & igni fomentum præbeat, vt ſpinoſi frutices, rectè ſignificat in hoc apologo, ſub boni principis protectione, tanquam optatæ ſecuritatis vmbra, conquieſcere ſubditos, ſi boni pacati, & obſequentes ſint, igne verò ab eodē prorumpente, perire, ſi rebelles, immorigeri, & peruicaces. Vel etiam, cum Rhamnus ita ſit aculeis aſper, vt tamen flore ſit gratiſſimus, duplicem indicat virtutem, vltionis malorum, & retributionis bonorum; rectèque proindè ſymbolum eſſe poteſt boni principis, qui iuſtis floret ad ornatum; impijs præbet ſpinas ad configendum. Ex D. Hieronymo in Pſal.57.

Hoc idem Rhamni ſymbolum, ſiue etiam ſpinarum iàm in bonam, quàm in malam partem applicari poteſt ex Scriptura, multis alijs rebus, quarum videntur Rhamnus, & ſpinæ ſiue ob affectiones, ſiue ob effectum cognationem, imaginem gerere. In bonam igitur partem ex Methodio apud Photium in Bibliotheca; Rhamnus virginitatis eſt ſymbolum. Rhamnus enim arbor caſta eſt;& fortaſſe ex ſimili quadam cum virginitate natura ſtirps hæc rhamnus, & agnus vocatur. Rhamnus quidem propter robur,& fortitudinem contra voluptates: agnus verò, quod omni ex parte caſta, & pura ſit. Item cum ex Rhamno medicamenta cōfici, afferat Plinius lib.24. cap.1. amulatū eſſe, Dioſcorides aduerſus veneficia, vnde olim eius rami valuis, feneſtriſq; ad ea depellenda imponebantur, ea quoque dici poteſt allegoricè ſignificatam fuiſſe ſpineam Chriſti coronam. Etſi enim aliqui pauci exiſtiment illam fuiſſe compactam ex iunco marino, communiter tamen omnes ſentiunt fuiſſe de Rhamno; eaque meritò figurari, qua ratione dicitur eſſe aduerſus omnia veneficia, & mala amuletum, vndè alexicacos à Græcis, id eſt depulſor malorum cognominatus eſt. Hoc enim multò magis iam de illa dici poteſt, poſtquam innocentiſſimo Chriſti cruore conſecrata eſt; regnumque inter ligna obtinuiſſe. Regnum, inquam, in præfato apologo, iam olim ſibi delatū, non ſine huius myſterij inſinuatione. Si enim dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos; reſpondirque eis: ſi verè me Regem vobis conſtituiſtis: venite, & ſub vmbra mea quieſcite: nobis quoque audire licet Chriſtum Dominum rhamneſum, ſeu ſerto ex ſpinis de rhamno acutis coronatum, nos excellentius inuitantem: Adeſte, & ſub capite veſtro, quod rhamno aculeata coronatum cernitis, requiem animabus veſtris quærite: non ſub roſis, vt illi, quorum hæc mutua cohortatio: Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. Par enim eſt, vt ſubditi ſint ſub rege ſuo, qualis eſt, nō autem ſupra ipſum. Si autem non vultis quieſcere ſub vmbra mea, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Vt enim, qui ſub corona Domini ex rhamno conquieſcere nolunt, conſumuntur, & in fumum abeunt; ſuperbi nimirum, & elati, quibus vt crux, ita & corona ex rhamno, ſcandalum, & ſtultitia eſt: ita ex aduerſo, qui ſpinoſis aculeis minimè abſterriti ad rhamnum in Chriſti capite, vt ad Regem ſuum confugiunt, ſtationem iucundiſſimam etiam inter medias ſpinas reperiunt. Vndè Clemens Alexandrinus lib.1 r. pædag. cap.8. de ſpinea Chriſti corona, tanquam de regio Chriſtiani inſigni præclarè ait: *Hoc diadema inimicum ijs, qui inſidiantur, eos prohibet: ijs autem, qui in Eccleſia ſimul verſantur, amicum, eos circumſepit, & munit. Hæc corona eſt flos eorum, qui crediderunt in eam, qui fuit glorificatus; cruentas autem, & ca-*

& caſtigat eos, qui non crediderunt. Nam iuxta votum rhamni, ignis ex ipſo, hoc eſt, ex Chriſto ſpinis coronato egreditur, qui omnes cedros Libani, hoc eſt ſuperbos conſumit, & tunc maximè conſumet, cum dicet illud: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Tam autem rhamnum, quam ſpinas, vrticam, carduum, ſentes, ac denique herbas omnes aculeis armatas, in malam partem ſumi, ſymbolaque eſſe hominum vitioſorum, quamplura teſtantur Scripturæ loca. Sic rhamnus aduncas ſpinas habens, ſymbolum eſt iniquitatis induratæ, ſeu peccatorum impœnitentium, ex Diuo Auguſtino ad illud pſalm. 57. *priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum*, vt legunt aliqui, id eſt priuſquam peccata veſtra conſummentur; priuſquam induremini. Item detractionis, vel detractoris, qui inſtar rhamni vel pungendo, vel carpendo, vel conuitiando, vel fraudulenter laudando, vel aliter viro probo adhæreſcendo moleſtus eſſe ſolet. Et ſic de alijs.

Pſalmo 1. lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, ſymbolum verè iuſti, ſpe in hoc ſeculo, re in futuro beati. Item allegoricè Chriſti Domini plantati iuxta riuos aquarum, quia habuit animam hypoſtaticè coniunctā fonti viuo, qui eſt Verbum Dei, fons ſapientiæ in excelſis. Ibidem puluis ſymbolicè ſignificat miſeriam impiorū oppoſitam felicitati iuſtorū. His enim ob humoris diuini, ſeu gratiæ cæleſtis copiam virentibus, & fructum facientibus, nec vnquam vigorem ſuum, aut laborum fructum amittentibus; contra impij diuino illo humore deſtituti, aridi, & ſteriles inſtar leuiſſimi pulueris à vento diſperſi, ne veſtigium quidem ſui relinquunt.

Pſalm. 21. loquens David in perſona Chriſti pendentis in Cruce, verſ. 6. ſub typo, vel ſymbolo vermis, *Ego ſum vermis, & non homo*, ſignificauit ſummam eius humilitatē, qua adeò factus eſt vilis, vt vermis potius videretur eſſe, quam homo. Item ſicut vermis de carne ſine concubitu naſcitur, eadem ratione Chriſtus dici poteſt vermis, & non homo: quia non ex ſemine extrinſecus obueniente, ſed interius manente genitus eſt de Virgine. Ibidem ſub ſymbolo aquæ effuſæ, & ceræ liqueſcentis, *Sicut aqua effuſus ſum*, &c. v. 14. denotatur patientia, & manſuetudo Chriſti contra inimicorū ſuorū crudelitatē, qua non reſtitit illis vllo modo, ſed inſtar molliſſimæ aquæ, ſe præbuit verſandum, & impellendum in omnē partem, neque obduruit cor eius contra perſecutores, nolens ignoſcere, ſed contra potius factum eſt ſicut cera liqueſcens ex affectu pio erga illos, miſerans illorum cæcitatem, & pro eis rogans.

Pſalmo 22. ſub ſimilitudine, vel ſymbolo ouium, quæ ab optimo aliquo paſtore reguntur, deſcribitur felicitas electorum Dei; & in eorum perſona David, qui vnus erat ex illis, ait, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, quaſi diceret, ouicula Dei ſum, & quia Deus paſtor eſt potentiſſimus, ſapientiſſimus, & optimus, ideò confidenter dico; nihil mihi deerit.

Pſalm. 28. v. 5. ſub ſymbolo venti, ſeu vocis, & imperij Domini excitantis ventos, & ijs confringentis cedros Libani, allegoricè figuratur Euangelica prædicatio; quemadmodum enim potentia Dei rei tam exili, ac tenui, qualis eſt ventus, tantam vim attribuit, vt etiam maximas arbores in momento confringat, & proſternat, quod multi homines magna vi, & longo tempore vix facerent, ita Euangelica prædicatio humilitate ſuę doctrinæ magnificè cōfregit, & in dies cōfringit, ſeu ad Chriſti iugum adducit ſæculi poteſtates, ſiue homines excelſos, delicijs, & voluptatibus prius deditos, & in ſuis erroribus pertinaces, per cedros Libani apprimè figuratos, cum enim maximæ ſint; & nuſquam maiores inueniantur quam in Libano monte, ratione ſublimitatis ſunt homines excelſi, ſiue magnitu-

gnitudine potentiæ, ſiue ſplendore ſapientiæ, ſiue gloria eloquentiæ: ratione boni odoris, quem ſpirant ſunt homines delicijs, & voluptatibus dediti: tandem ratione denſitatis, & duritici, qua mirum in modum pollent, figuratiuè ſunt homines obſtinati, & pertinaces in ſuis erroribus.

Pſalmo 36. v. 2. ſub fœni & olerum ſimilitudine oſtēditur breuitas temporalis proſperitatis: fœnum ſi quidem, & olera, cum non habeant profundas radices, continuò areſcunt, & putreſcunt.

Pſal. 40. v. 1. ſub typo cerui ſitibundi figuratur amator Dei. Quemadmodum enim ceruus quatuor habet qualitates, primam, perpetuum cum ſerpentibus bellum gerendi; ſecundam, cum à venatoribus quæritur, ad montes altiſſimos velociſſimo curſu confugiendi; tertiam, quando in agmine ſuo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum ſuorum ſuper ſe inuicem ponendi; quartam quod ſi quando ſitit, nullatenus ab inquirendis aquis retardari poſſit; ſic verus Dei amator cum ſerpentibus, hoc eſt cum carnalibus cupiditatibus bellum perpetuò gerit; & cum tentationibus, vel perſecutionibus premitur ad montem orationis fugit: aliorum infirmitatibus compatitur, eaſque patienter tolerat, iuxta illud Apoſtoli: *Alter alterius onera portate*; ac tanto demum deſiderio Deum ſitit, vt neque vlla terrena felicitate, vel aduerſitate impediatur, quominus ad Deum ſemper anhelet. Item ceruus ad fontes apriſſimum eſt Chriſtiani pœnitentis ſymbolum; vt enim poſtquam ſerpentem cepit, illicò ad aquarum fontes decurrit; ita quod ſi trium horarum ſpatio aqua ſe explere non poteſt, moritur: ſin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuò quinquaginta vitam protrahere dicitur. Ita peccator ſerpentē, id eſt peccatum intra cordis receſſum vbi deprehenderit, ad fontes aquarum, hoc eſt ad diuinam ſtatim miſericordiam per pœnitētiam confugere debet, nam ſi pœnitentiam egerit, ab ea iterum, deleto penitus peccato reparabitur, alioquin æternalitér morituros. Demum renouatio, qua ſoli ceruo cornua, omnibus annis ſtato veris tempore decidentia reſtaurari dicuntur, imo & toto corpore interdum iuueneſcere, propterea que ad fontes aquarum properare, traduci etiam poteſt ad illam, de qua ait Apoſtolus: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ*, Epheſ. 4. Sed & Diuus Ambroſius præfata Pſalmiſtæ verba; *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*, allegoricè transfert ad Chriſtum, ex hoc exilio, quò ſe ſponte noſtra cauſa dimiſerat, remigrare cupientem in cæleſtem illam Patriam, & ad Patrem.

Pſalmo 44. verſu 1. *Eructauit cor meum verbum bonum*, non incongruè ſub metaphora, vel ſymbolo ructus ſignificatur modus loquendi propheticus, ſi ſtu Prophetarum, primò eos non proprii voluntate, aut propria inueſtione loqui: ructus enim non emittitur voluntariè, & ex electione, ſed velit nolit homo, ex plenitudine ſtomachi erumpit. Secundò, non omnia, quæ, Deo illuſtrante, cognoſcunt ſemper exprimere: ructus enim ſignum eſt repletionis, ſed eſt exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Vndè & Iſaias cap. 4. dicebat, *Secretum meum mihi*; & Apoſtolus *ſe vidiſſe arcana Dei, quæ non licet homini loqui*; 2. Corint. 12. Quique reuelationes à Deo percipiunt, id vt plurimum fateri ſolent, ſe non habere vocabula, quibus illas explicent, vt ipſi vident, & forſan idcircò Regius Propheta ait, Verbum bonum eructaſſe cor ſuum: non verba bona, in numero multitudinis. Dici etiam poteſt, Deum ſub eodem ructus ſymbolo ita deſcripſiſſe modum loquendi Propheticum, vt etiam alluſerit ad æterni productionem, & voluerit quaſi nos manuducere ad eius intelligentiā; verè enim Pater, neque Filium ex electione producit, neque plures filios ge-

nuit, ſed ex plenitudine cordis, fructio perfectiſſima, ſiuiquo comprehenſiua intelligencia verbum mentis, & verbū vnicum, idquè ſummè bonum naturaliter produxit, vt propriè dicere potuerit; *Eructauit cor meum verbum bonum*. Eructat etiam dies diei verbum, cum pater generat filium pſal. 18. Tropologicè hac eadem metaphora ſignificatur, qualis eſſe debeat Euangelica prædicatio, quod nimirum ſicut ructus ex cocto cibo exhalatur, ſic Dei verbum ex corde pleno alimonia cœleſti depromi debet; ſeu oportere prædicatores Euangelicos verba Dei aſſidua meditatione decoquere, & cordi ſuo imprimere, antequam loquantur; ſic enim *memoriam abundantiæ ſuauitatis diuinæ eructabunt*, Pſal. 144. Et Matth. 13. ait Christus: *Eructabo abſcondita*, qui nobis manifeſtauit cæleſtia ex immenſo amore.

Eodem pſalmo v. 7. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*: ſub ſymbolo ſagittarum ſignificatur prædicatio verbi diuini; hoc enim eſt generale inſtrumentum, quo Chriſtus vſus eſt, & in dies vtitur per Sacros Prædicatores ad regni ſui, ſiue Eccleſiæ propagationē: iuxta illud Regij Prophetæ in perſona eius dicentis; *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctū eius, prædicans præceptum eius*. Quemadmodum enim ſagitta eſt genus armorum acutiſſimum, quod corpora penetrat, ita verbum Dei magnam habet efficaciam penetrandi corda, & multo maiorem, quam habet humana cuiuſuis magni oratoris eloquentia. *Viuus eſt enim*, vt Apoſtolus ait ad Hebr. 4. *ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*.

Pſalmo 47. v. 6. *Ibi dolores, vt parturientis*; ſub huiuſmodi dolorum in gaudium magnum deſinentium ſymbolo figuratur dolor pænitentiū; ſicut enim mulier parturiens filium, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum: ſic & dolor pænitentis definit in lætitiam inenarrabilem, cum adoptionis gratia, quæ gloriæ æternæ ſemen, & pignus eſt, cordi pœnitentis infunditur, & tunc impletur, quod ſequitur, *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*. Spiritus enim Sanctus hominem iuſtificatum inhabitans, & vehementi charitatis ardore inflammans, confringit ſuperbiam, luxuriam, & auaritiam per naues Tharſis ſignificatas: naues enim tumentibus velis per fluctuantes vndas in Tharſis pergentes aurum, & argentū adducebant, ex lib. 3. Reg. cap. 10. & 2. Paralip. 9. tumor autem velorum ſuperbiam, fluctuatio nauis luxuriam, aduectio auri, & argenti auaritiam denotant.

Pſalmo 49. v. 4. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet*; tam ibi, quàm alibi ſæpè Deus in igne, aut cum igne apparere dicitur, imo ipſemet ignis vocatur, tum quia vt ait Dionyſius lib. de cæleſti Hierarchiæ cap. 15. in rebus viſibilibus plurimas eius ſeruat imagines, quas ibi explicat, tum quia hoc ſupremo, & nobiliſſimo inter quatuor elemento rectè figuratur ſumma Dei omnipotentis maieſtas; nam & quando deſcendit in monte Sinai daturus legem mons totus ardere videbatur, & audiebantur tonitrua, & conſpiciebantur fulgura; maximè autem in extremo iudicio, de quo multi intelligunt præfatum Pſalmi locum, ignis in conſpectu Dei exardeſcet, ad deſignandū ipſum in eo fore illuminatorem, præmiando bonos æterna luce, & punitorem malorum æternis flammis, hæc enim ambo igni conueniunt; vel etiam, cum ignis, quæ ſunt vnius naturæ copulet: & quæ diuerſæ, ſeparet, ſignificare poteſt etiam diſcretionem, qua in eodem finali iudicio Deus ſeparaturus eſt bonos, à malis in locum ſuum.

Pſalmo 54. v. 6. *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*; ſub ſymbolo columbæ pennatæ, quæque innoxium eſt animal, fæcundum, & ſimplex, & non pugnando, ſed fugiendo vincit, ſua pernicitate vngues acci-

accipitris euadens; rectè ſignificatur iuſtus, qui etiam aduerſus tentationes accipitris tartarei fugiendo potius, maximè in tentationibus carnalibus, quā diſputando, vel altercando vincere debet; vel etiam inter illas continuò ſuſpirare ad patriam cæleſtem, inſtar columbæ ſuper riuulos aquarum. Quemadmodum enim columbæ ſuper fluenta reſidere delectantur, vt accipitris aduentum ex vmbra ſuper aquas cognitum prævidere ſimul, & euadere queāt, ſic profectò animæ iuſtorum fluctus ſeculi mente tranſcendentes, quo plura in hac Babilone, in qua ſuis gemitibus paſcuntur, maligni hoſtis exempla conſpiciunt, tentamenta experiuntur, eo celeriores ad æterna ſui deſiderij pennas ſuſtollunt, neque enim alibi vera requies inuenitur. Demum iuſtus ſymbolicè eſt columba *ſimplicitate morum; candore*, qui color in columbis maximè commendatur, innocentiæ, & integritatis; *humanitate*, apud Cyprianum de vnitate Eccleſiæ, cap. 6. *manſuetudine*, quam peculiarem in columbino genere agnoſcit Chriſoſtomus explicans illa: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Matth. 10. *Feruore ſpiritus*, ſeu feruida verbi Dei auditione, ex D. Auguſtino ſerm. 2. de Trinit. Quomodo enim columbæ, poſtquam genuerint oua, ſi illa permiſerint refrigerari, perdent fructum eorum, ita qui conceptum verbum Dei per obliuionem refrigerari permittunt, deſiderabilem fructum habere non poſſunt. *Fœcunditate*, quæ ſi tanta eſt in columba, vt ſingulis menſibus ouā pariat, foueat, iiſque incumbat, & pullos in lucem, iuſtus quoque ſibi Chriſtum pariens, nec cum Paulo gratiam Dei in ſe vacuam permittens, in alijs eamdem educare cum ipſo totis viribus conatur, exhortando eos, ne in vacuum gratiā Dei recipiant 2. Cor. 6. *Gaudio boni odoris*, columbas enim à fœtore abhorrere, odorumque fragrātia gaudere, quotidiana conſtat experientia; ſic & iuſtus virtutum ſuaui odore ſummoperè delectatur, ipſeque eſt Chriſti bonus odor; in quem currunt alij.

Demum, vix eſt virtus, quam in iuſto, vel Chriſtiano deſideres, quæ columbæ Symbolo rectè nō exprimatur. Et hanc eſſe vnam ex cauſis communiter aſſerunt Sacri Interpretes, cur Spiritus Sanctus in columbæ effigie ſe videndum dederit, baptizato Domino, vt oſtenderet, quas Chriſtianus, ſeu iam per baptiſmum iuſtificatus virtutes conſectari debeat. Ita inter alios, & omnium ferè inſtar Diuus Auguſtinus tract. 6. in Ioannem: *Sic oportebat demonſtrari Spiritum Sanctum venientē ſuper Dominum, vt intelligat vnuſquiſque, ſi habeat Spiritum Sanctum, ſimplicē ſe eſſe debere ſicut columbam. Habere cum fratribus veram pacem, quam ſignificant oſcula columbarum. Habent enim oſcula & corui. Sed in coruis falſa pax, in columbis vera pax. Oſculantur corui, ſed laniant. A laniatu innocens eſt natura columbarum. Vbi ergò laniatus eſt, non eſt vera in oſculis pax. Corui de morte paſcuntur. Hoc columba non habet. De frugibus terra viuit: innocens eius victus eſt. Quod verè mirandum eſt in columba. Sunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidunt: nihil horum columba: non enim de morte paſcitur.* Hactenus D. Auguſtinus loco citato: qui etiam tract. 7. in epiſtolam Ioann. 1. ait: *Fel columba non habet: tamen roſtro, & pennis pugnat pro nido: ſine amaritudine ſæuit:* his verbis inſinuans à Chriſtiano procul eſſe debere fel odij, ſique corrigendus, aut puniendus ſit aliquis, id animo affectuque columbino præſtandum, nō coruino. Vt à rapacitate aliena eſt columba, ita propria Chriſtianorum virtus; nihil concupiſcere, aliena non rapere. Vnde Gregorius homil. 5. in Euangelia exponens illud Iſaiæ 60. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* ait: *Quid hoc ad feneſtras? id eſt ad oculos: dum nihil in hoc mundo concupiſcunt: omnia ſimpliciter aſpiciunt; & in hæc, quæ vident rapa-*

rapacitatis ſtudio non trahuntur. At contra milui, & non columba ad feneſtras ſuas eſt, qui ad ea, quæ oculis conſideras, rapinę deſiderio anhelas.

Sed & ſymbolum Spiritus Sancti columbam eſſe docent cõmuniter Patres, colligiturque manifeſtè ex eo, quod in Baptiſmo Chriſti Matt.3. Marci 1. Lucæ 3. deſcenderit corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum. Cuius quatuor analogias, vel cauſas affert D. Thomas 3.p. q.39. art.6. 1. propter diſpoſitionem, quæ requiritur in baptizando. 2. ad ſignificandum ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ columba ſuis proprietatibus ſignificat. 3. propter effectum proprium baptiſmi, qui eſt remiſſio peccatorum, & reconciliatio cũ Deo. 4. ad deſignandum communem effectum baptiſmi, qui eſt coniunctio Eccleſiaſticæ vnitatis.

Item Chriſoſtomus homil. 13. in Matth. quærens, cur in ſpecie columbæ venit Spiritus Sanctus? reſpondet: *Manſuetum hoc animal, ac mundum eſt.* Quia igitur ipſe Spiritus, manſuetudinis eſt ſpiritus, ac munditiei, propterea in eius ſpecie apparuit. Et Origenes homil. 27. in Lucam: *Deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Saluatorẽ in ſpecie columbæ, auis manſuetæ, innocentis, & ſimplicis. Talis eſt Spiritus Sanctus, mundus, & volucris, & in ſublime conſurgens. Quamobrem orantes dicimus: Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & requieſcam? id eſt, quis dabit mihi pennas Spiritus Sancti.* Inſuper ſi columba felle caret, id longè verius eſt de diuino ſpiritu, qui totus ſuauitas; vocaturq; propterea ab Eccleſia in hymno: *Dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.* Si gemitum pro cantu habet, Spiritus quoque Sanctus ex Apoſtolo Rom. 8. *Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quem locum explicans D. Auguſtinus tract. 6. in Ioannem. *Audite*, inquit, *quid dicat Apoſtolus, & nolite mirari, quia in columbæ ſpecie voluit demonſtrari Spiritus Sanctus. Ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non in ſemetipſo apud ſemetipſum gemit: ſed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Non parua res eſt, quod nos docet Spiritus Sanctus gemere: inſinuat enim nobis, quia peregrinamur, & docet nos in patriam ſuſpirare, & ipſo deſiderio gemimus.* Si denique columba ex Chriſoſtomo homil. 16. in Geneſim, animal eſt noſtra conuerſatione gaudens; Sanctus pariter Spiritus, cum procedat ex vi amoris, eſt ſummè ſui communicatiuus, ſuæque ſunt delitiæ eſſe cum filijs hominum.

Tandem ſymbolum Beatiſſimæ Virginis Mariæ columbam eſſe adfirmant Interpretes Sacri ad illud Cant. V. *Vna eſt columba mea*; vbi videri poſſunt, nec non alij plures, qui de eiuſdem ſymbolis ſcripſere. Interim ſatis patet ex dictis, quam ampla ſit vnica volucris ſacrorum ſymbolorum materia.

Pſalmo 56. v.2. *Et in vmbra alarum tuarum ſperabo*; ſub hac alarum metaphora, vel ſymbolo, prout ſperant pulli in protectione gallinæ, quæ ſub alas ſuas colligit eos, & mirabili zelo à miluo defendit, ſignificatur ingens amor Dei erga homines, quos fouet, & protegit, vt res ſibi vnicè charas, ideoque tam familiaris eſt Scripturæ Sacræ Pſal. 16. 62. & 90. Ipſequemet Chriſtus illa vtitur Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* de quo infra.

Pſalmo 65. v.9. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Aptè ſub metaphora, vel ſymbolo fornacis probantis argentum, explicantur tribulationes iuſtorum: eas nimirum illis immitti, non vt lædantur, ſed probentur, & perficiantur. Ignis enim paleas cõſumit, argentum, & aurum purius reddi: & palea in igne fumat, argentum in igne lucet. Tobiæ 12. Sap. 3. & Eccleſiaſtici 27.

Pſalmo 71. v.6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Sub huiuſmodi metaphoris ſignificatur aduentus Chriſti primùm

mium ad Iudæos, deindè ad gentes, tum propagatio, & proprietates regni eius; iuxta ſignum liberationis populi datum olim Gedeoni Iudic. 9. deſcendit enim Chriſtus ad Iudæos per vellus ſignificatos, tota reliqua terra permanente arida; vndè ait ipſe Matt. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quę perierunt domus Iſrael*. Deindè venit ad gentes per Apoſtolorum prædicationem, & ſic compluta eſt terra pluuia doctrinæ cæleſtis, & gratia baptiſmi; dicente eodem Domino, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Matthæi 26. Et ſolùm vellus remanſit aridum, ariditate incredulitatis, vt etiam hodiè cernimus. Ex Diuo Auguſtino. Dici etiam poteſt ex S. Bernardo ſer. 2. ſuper Miſſus eſt; Chriſtum deſcendiſſe ſicut pluuiam in vellus per incarnationem, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram per prædicationem; quia ſicut ros cadit de cælo in vellus cum maximo ſilentio, ita Chriſtus deſcendit in Virginem, vt lanam puriſſimam, maximo cum ſilentio, & cæleſti duntaxat virtute: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram magno ſonitu guttas dimittunt in eam; ſic idem Chriſtus venit per prædicationem ſuam, & Apoſtolorum cum magno ſtrepitu verborum, & miraculorum.

Pſalmo 82. v. 12. *Deus meus pone illos, vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit ſyluam; & ſicut flamma comburens montes*. Primùm ſub ſymbolo rotæ, & ſtipulæ deſcribitur inſtabilitas, & interitus impiorum ex iuſto Dei iudicio. Sicut enim rota ſemper circumuoluitur, cum ruit in præceps, nec ad punctum temporis conſiſtere poteſt, & tandem tota confringitur; item ſtipulæ flante vento huc, illucque iactantur, donec diſſipatæ non amplius compareant: ita experientia conſtat, nihil inſtabilius eſſe proſperitate impiorum, & finem eorũ fore mortem æternam. Deindè ſub ſymbolo ignis comburentis ſyluam, & montes, denotatur velocitas, & facilitas, qua Deus illos punit; quaſi diceret Propheta, ſicut ignis, qui comburit ligna ſyluarum, inter quæ multa ſunt arida, & velociſſimè abſumuntur, & ſicut flamma comburens montes, id eſt fænum in montibus, præcipuè cum ſiccum fuerit, ita perſequeris eos, id eſt, eadem facilitate, & celeritate perſequeris, & perdes eos, in tempeſtate, & in ira tua. Sanctus autem Auguſtinus rectè aduertit, impios comparari montibus propter elationem, ac ſuperbiam; & lignis ſyluarum propter ſterilitatem, & carentiam fructuum bonorum, ob quæ iure ſempiternus ignis illis debeatur.

Pſalmo 88. v. 26. *Et thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis*: ſub tribus ſimilitudinibus ſolis, lunæ plenæ, & arcus cæleſtis ſignificatur regnum Chriſti, ſiue Eccleſiam fore ſemper illuſtrem, ac perſpicuam; nihil enim clarius, & pulchrius ſole interdiu, nihil etiã clarius, & pulchrius luna plena nocturno tempore: denique nihil clarius, & pulchrius, in nubibus cęli, arcu qui teſtis eſt fidelis à Deo datus hominibus, nunquam amplius fore diluuium aquarum. Vel etiam dici poteſt, ſignificari Eccleſiam Chriſti in communi, proſperitate foré lucidam, vt ſol in die vndique ſereno, in communi, perſecutione, vt luna plena in tenebris noctis. Vbi verò admixta perſecutioni proſperitas, ſimilem eſſe iridi in nubibus.

Pſalmo 89. v. 6. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat*. Sub metaphora, vel ſymbolo fæni, quod vna die oritur, viret, floret, excreſcit, & perit, deſignatur vitæ noſtræ breuitas, & contemptibilitas, vt non ſit aliud tempus noſtrum, quam naſci, & mori, incipere, & deſinere, comparatumque cum æternitate Dei, minus quam vnus dies, aut notabilis aliqua pars diei, proindèque fere nihil. Vndè patet, quanta

ſit

ſit hominum cæcitas, qui vitam vnius diei, quæ pro nihilo duci deberet, ſic amant, ac ſi eſſet æterna: & vitam verè ſempiternam ſic contemnunt, ac ſi eſſet vnius diei, & pro nihilo habenda. Neque ſolus Dauid, ſed & ante eum Sanctus Iob cap. 14. & poſt eum Iſaias cap. 40. eadem vſi ſunt metaphora: Omnis caro fænum &c.

Ibidem alia metaphora araneæ, *anni*, inquit, *noſtri ſicut aranea meditabuntur*; præter breuitatem vitę noſtræ, ſignificatur eiuſdem miſeria, quatenus tempus eius exercetur vanis laboribus, & doloribus, timoribus, ſuſpicionibus in temporalibus bonis procurandis, & temporalibus malis cauendis, ſicut aranea exercetur in texendis retibus omni tela fragilioribus, non ſine propriæ ſubſtātiæ conſumptione.

Pſalmo 91. v. 12. *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur.* Sub palmæ, & cedri libani ſymbolo ſignantur iuſti: quia ſicut palma ſtabilis eſt, & longo tempore flores, & fructus conſeruat: Sicut etiam cedrus Libani celſiſſima, & robuſtiſsima eſt, & ex ea ornantur palatia, & laquearia regum: ita iuſti inſtar palmæ in æternū virebunt, & efflorelcent, & fructus virtutum dulciſſimos adferent: nec non, vt cedri Libani multiplicabuntur, id eſt augebuntur, & creſcent in maximam altitudinem multiplicatis ramis bonorum operum, & firmiſsimis radicibus perſeuerantiæ innixi, nullo tentationū vento deijcientur: & tandem vtiles erunt inſtar ligni cedrini, ad ornanda laquearia Regis Regum in cæleſti Hieruſalem. Vnde ſatis patet cedrum eſſe vnum ex ſymbolis, quæ vt ſuo loco notauimus adiaphora ſunt, ſeu in bonū, & malum referri poſſunt, cum, vt ſupra notauimus, per cedros Libani deſignari etiam poſsint ſuperbi, & impij.

Item qua ratione palma non facilè ſuccumbit, imo reſiſtit oneribus, & eſt victoriæ inſigne, ſymbolum eſt iuſti virtute omnia ſuperantis, necnon de mundo, carne, diabolo triumphantis. Inſuper, vt palma inferius tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obuoluta: superne verò, & viſu, & fructibus pulchra, ita iuſtorum vita inferius deſpecta eſt, ſuperius pulchra: cumque omnis arbor iuxta terram, craſſior, & robuſtior ſit, supernè autem anguſtior; palma autem gracilior in imis, & iuxta ramos, ac fructus ampliore robore exurgat, vitalem vim habens non in radicibus defoſſam, vt cæterę arbores, ſed in ſummo, quaſi cor ſitam in ramorum medio, à quibus circumquaque ſtipatur, ceu princeps à ſuis ſatellitibus; deſignare poteſt, terrenos quidem latiores eſſe circa terrena, & temporalia, & iuſtos circa eorum ſtudia infirmos, ſed circa cæleſtia robuſtiores, & alacriores ſemper exurgere; ſeu mentem iuſti, qua ſanctitatem ſemel deguſtauit, in ſublimibus ſemper verſari, terrenis deſpectis.

Tandem vt palma reſurrectionis, ita & cedrus æternitatis præclariſſimum eſt ſymbolum; de palma enim, ſicut & de phænice aue ſcribit Plinius lib. 13. cap. 4. eam in ſeipſa, & ex ſeipſa reuiuiſcere; mirum, inquit, de ea accepimus cum phænice aue, quę putatur ex huius palmæ argumento nomen accepiſſe, emori, ac renaſci ex ſeipſa; eratque cum hæc ſcriberem fertilis. Vndè ad hoc naturę miraculum ſpectās Regius Propheta, dum ſpem facit Dei amicis, optandæ cunctis reſurrectionis, rectè dixit, *Iuſtus vt palma florebit.* Etſi enim nonnulli ad phænicem id referant; attamen non de alite, ſed de plāta intelligendum eſſe clarè demonſtrat Hebræa vox: dicitur enim iuſtus floriturus, cum certiſsimo ad arborem intuitu, vt ibi communiter docent Sacri Interpretes.

Cedrus quoque tam maior, quam minor, cum vtraque cariem, & vetuſtatem neſciat; & quæcumque cedrina immortalitatem exhibeant; nam oleum cedrinum mortua corpora conſeruat, vermes tineaſque necat; illoque inun-

cti

cti libri Numæ Pompilij poſt annum quingenteſimum trigeſimum quintum ſine læſione reperti ſunt; vnde mos eo illinendi libros poſtea frequens fuit; & dicta, quæ nulla temporis iniuria ſunt abolenda; ſeu ſunt immortalitate digna, dicuntur cedro digna: eodemque intuitu Deorum ſimulachra olim è cedro conficiebantur. Et in Sacris Scripturis Arca fœderis fuit ex cedro: tigna domorum Sponſi dicuntur cedrina; ob hæc, inquam, omnia, & ſimilia æternitatem redolentia, clarè patet, quàm aptè cedrus in eius ſymbolum aſſumi queat.

Pſalmo 101. v. 4. *Defecerunt ſicut fumus dies mei; & oſſa mea ſicut cremium aruerunt*: ſub fumo, qui licet in magnam molem intumeſcendo excreſcat, tamen ſubitò diſpergitur, & cremij metaphora, quod eſt lignum, ſeu virgultum aridum, quod facilè cremari poteſt, vt docet D. Hieronymus in cap. 10. Oſeæ, ſymbolicè ſignificatur vita humana velociſſimè tendens ad interitum.

Ibidem verſu 7. *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis; factus ſum ſicut Nycticorax in domicilio*: & v. 8. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*: Sub harum trium auium Hieroglyphico, vel ſymbolo deſignantur pænitentes, addentes ad fletum, & ieiunia, quorum ante mentio facta fuerat, ſolitudinem, & vigilias, quæ propria ſunt verè pænitentium; niſi enim quis à frequentia hominum ad tempus ſe ſubducat, & ſerio vigilans recogitet magnitudinem, & multitudinem peccatorum ſuorum, vix fieri poteſt, vt ea dignè defleat. Siquidem Pelicanus, quem aliqui dicunt eſſe onocrotalum, eſt auis ſolitudinis amans, in eaque degens: Similiter Nycticorax, ſeu coruus nocturnus, latinè noctua, à tempore noctis dicta, ſiue bubo, degit in domibus dirutis; & Paſſer ſolitarius licet habitet in domibus, quia tamen in parte earum ſuprema, non tam in illis, quam ſupra illas ſolitariè dicitur habitare. Sic ergo per has tres aues nõ incongruè ſignificatur neceſſaria pœnitẽtibus ſolitudo, in qua vigilando recogitent annos vitæ ſuæ in amaritudine animæ ſuę. Vel etiã dici poteſt per illas deſignari tria pœnitẽtium genera. Primum petentium omninò loca deſerta, ibique, ſicut Pelicanus cum venenatis animantibus, ac potiſſimum cum ſerpentibus, bellum gerit, eoſque comedit, cum dæmonibus aſſiduè luctantium, & ex victorijs aduerſus illos quaſi paſcentium. Secundum eorum, qui agunt quidem pœnitentiam intra Ciuitates, ſed in cœnobijs, & exiguis cellis, ibique à mundo ſeparati tanquam nycticoraces magnam noctis partem in diuinis laudibus decantandis conſumunt; nycticorax enim, ſiue noctua dicitur à tempore noctis, quo cantat, ſeu potius gemit. Tertium illorum, qui ſeculo alligati, non poſſunt corpore ab hominum frequentia ſeparari; hi enim licet veluti paſſeres ſolitarij in domibus, & in mundo ſint, eminentes tamen animo ſuper illum ſunt.

Pelicanus, vt prolis amantiſſimus, & reſuſcitator, fuſo ex proprio pectore ſanguine, vt referunt plures, ſymbolum eſt Chriſti homines peccatis mortuos ſuo ſanguine abluentis, & ad melioris vitæ immortalitatem excitantis.

In malam etiam partem Pelicanus venenatis veſcens, deſignare poteſt peccatorem, qui in deſerto huius mũdi, corde habitans, ærumnoſis huius vitæ captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ perſuaſionis.

In eamdem malam partem nycticorax, videns nocte, & non die, ſymbolũ eſt ſapientum in temporalibus, & ignarorum in ſpiritualibus: vel etiam vacãtium operibus tenebrarum, qui enim male agit odit lucem: vel demum Philoſophorum cum ſua vana ſapientia lucem veritatis non aſſequentium, ſicut noctuæ magnis licet oculis ſolem ſuſtinere non valent.

Pſalmo 103. v. 4. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*. Sub nube, velut ſymbolo, ſicut & alibi ſæpe, ſignificatur Domini

nimi maieſtatis, ac prouidentiæ æque in præmiando, ac puniendo. Nam primò è nubibus emittit Deus rorem, pluuiam, niuem, grandinem, lapides, coniruſcos fulmina. In nubibus etiam apparet iris pulcherrima. Sicque nubes aliquando terrorem, aliquando hilaritatem afferunt. Secundò, nubibus Deus Cœlos obducit, ac Solem tegit, eiuſque ardorem temperat: iiſdem hybernis & glaciei rigorem reſoluit, ac mitigat. Rurſum terram, omniaque germina irrigat, & fecundat, & totum orbem alit, & paſcit. Tertiò, Deus nubibus mirum indidit velocitatem, vt ſtatim vi ventorum tranſeant ab vna parte mundi ad aliam. Quartò, Deus nubes ab imo humo educit, & ad ſummum quaſi aeris attollit, quo nulla vis humana pertingere poteſt, quæ eas impediat. Quintò, Deus nubes agit ad omnes mundi plagas, eaſque reddit modo imbriferas, & fecundas, modo ſiccas, & ſteriles. Meritò igitur nubes maieſtatis diuinæ, ac prouidentiæ in gubernando, nunc præmiatione, nunc punitione. Symbolum dici poſſunt, eſſeque currus quaſi regalis Dei; proptereaque toties ſe in illis oſtendiſſe; nimirum præcedendo caſtra Hebræorum; dando legem in Sina, in templi Salomonis dedicatione; Chriſtus etiam in transfiguratione, & aſcenſione, nubē tectus fuit, & tegetur in iudicio, ad ſignificandum eum eſſe ſupremum mundi dominum, moderatorem, & iudicem. Cum autem Nube Deus ſuam præſentiam exhibere, & ſimul eadem ſe occultare, & tegere voluerit, indicauit ſuam prouidentiam præſentiſſimam eſſe, pariter, & occultiſſimam atque adeò propria nubium ſignificatio, eſt diuinitatis, & prouidentiæ quaſi per velum oſtenſio.

Allegoricè etiam dici poteſt, nubem ſymbolum eſſe humanitatis Chriſti; hæc enim celat, & velat eius deitatem; vel etiam Chriſti, vt poſſe irrorantis, & protegentis nos à feruore ſolis, hoc eſt, ab ira Dei, & extinguentis æſtum peccatorum. Nubes præterea per allegoriam dicitur Beatiſſima Virgo Maria, quę eſt nubes leuis, ſine peccati pondere: & ſuper quam aſcendit Dominus, quando incarnatus eſt, Iſaiæ 19.

Tropologicè figurantur in nubibus Apoſtoli & Prędicatores Euangelij ob nouem analogias. Prima, ſicut nubes è terra, & mari in altum ſublatæ à ventis impelluntur, ita & Apoſtoli, ac Prædicatores Euangelici ex terrena humilitatis humo, & huius ſeculi mari Dei gratia attolluntur, & Spiritu Dei aguntur. Secunda, ſicut columna nubis, & ignis Hebræis præluxit, & duxit in terram promiſſionis, ita prædicatores in caligine huius ſeculi mundo præluceant, hominesque ducunt in cœlum. Tertia, quia inſtar nubium in populum emittunt cæleſtis doctrinæ rorem, ac pluuiam, qua eum impinguant, & fecundant. Quarta, quia eorum gloria eſt iris cæleſtis, id eſt Chriſti Paſſio. Quinta, quia ſunt glorioſus Dei currus, Chriſti nomen coram Gentium portantes. Sexta, ob Euangelicæ prædicationis efficaciam, qua improbos percellunt, vt nubium vox eſt tonitru, ſiue è nubibus erumpunt tonitrua. Septima, quia ita fidei myſteria docendo aperiunt, vt tamen ſimul quaſi nubes eadem tegant, & humanæ rationi impenetrabilia eſſe oſtendant. Octaua, quia ſicut nubes in ſe ſolis claritatem accipiunt, ſed eam refrangendo temperatam noſtroque viſui accommodatam tranſmittunt, ita Sancti Doctores, & prædicatores, ad quos primum veritas Dei peruenit, illam capiti populi attemperant. Nona, quia horum veluti nubium comitatu ſeptus Chriſtus Dominus ad extremum iudicium veniet.

Sed & nubes in malam partem ſumi poſſe plura teſtantur Scripturæ loca; primò enim ſua celeritate, qua tranſeunt ab vna parte mundi ad alteram ſignificare poſſunt mentis humanæ mobilitatem; Eccleſiaſt. 11. item virum glorioſum, & promiſſa non complentem Prouerb. 20. Impænitentem malorum

lorum obſtinationem, vel eorum peccata, quæ ſunt quaſi vapores ex praui cordis humo aſcendentes, quos cor impœnitens non ſolum multiplicat, ſed in nubem condenſat, ſuntque quaſi ſepimentum, ſeu paries, ne Deus orationem hominis exaudiat; de quibus ait Ieremias Thren. 3. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio*. Denique nubes, maximè matutina, quę citò conſumi ſolet, in earum rerum comparationem, vel ſymbolum ſumi poteſt, quæ citò deficiunt, qualia ſunt omnia bona temporalia, & etiam gloria malorum Iob. 7. 30. Iſaiæ 25. 11. Oſee 6. 12.

Pſalmo 109. v. 8. *de torrente in via bibet*, ſub ſymbolo torrentis ſignificatur curſus rerum humanarum: quemadmodum enim torrens magno impetu, & ſonitu fluit, & turbidus, ac turbatus incedit, & paulo poſt ceſſat, & ne veſtigium quidem ſui relinquit: ſic ſunt res humanæ tempore huius mortalitatis; tranſeunt enim omnia, & vt plurimum turbida, & turbata, ſed paulo poſt finem accipiunt, vixque inueniuntur veſtigia eorum, potentiæque humanæ. De hoc torrente Chriſtus a Propheta dicitur in via bibiſſe, quatenus per incarnationem ſuam pertulit ærumnas noſtrę mortalitatis.

Cæterum torrens abſque additamẽto vix vſpiam in bonam partem legitur, ex Hieronymo in cap. 15. Iſaię. Et quatenus pluuiarum tempore magno impetu ruere, & inundare ſolet, ſymbolum eſt voluptatum, & carnalium concupiſcentiarum, ſeu grauiorum cupiditatis motuum Pſal. 136. Iſaiæ 8. vel etiam impetus iræ, & punitionis diuinæ 30. Amos 9. aut demum perſecutionis impiorum aduerſus iuſtos Pſal. 123. v. 4.

Pſalm. 117. v. 12. *exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*; Ignis in ſpinis ſymbolum eſt furoris irriti, ſeu ſubito iraſcẽtium, & ſpumantium, qui cum parum nocere poſſint, magna minantur. Vel quod adfine eſt, iræ euaneſcentis, ſeu effrænatæ, quæ momento erumpit, & mox extinguitur. Item plebeiorum iræ, quę opponitur iræ magnanimorũ, quam Prophani adagio exprimebant, *Herculis ira*. Ac demum adulatoris geſtientis, vt enim ignis ex ſpinis non eſt diuturnus, breuiſsima namque eſt, vt palearum, & ſtipularum, ſic ſpinarũ flamma: ita ſanè viſus ſtulti adulatoris, plauſuſque aſſentatoriæ laudis non eſt conſtans, & ſtabilis; vel etiam, quia, ſicut ſpinæ ignis vix calefacit ollam, vel aliud vas ſuperpoſitum; certè carnes non coquit, ſed crudas relinquit: ita adulatorum riſus ſolida lætitia cor non afficit, nec honeſto gaudio valet calefacere, aut recreare. Vel tandem quia, ſicut ſpinæ ardentes ingentem ſtrepitum edunt, quaſi velint imitari ligna maiora, & ſolidiora, ac crepitando oſtendere ſe aliquid eſſe; hic quoque aſſentatorum, vel adulatorum mos eſt, vbi in corona ſapientum aliquid laude dignum dicitur, quamuis ipſi non intelligant, vt illi applaudant, vt è numero prudentum habeantur, cum tamen tales non ſint, nec ſe oſtendant. Sic Eccleſiaſtæ 7. dicitur: *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla ſic riſus ſtulti*. Qualis eſt adulator.

Pſalmo 123. v. 6. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*; non incongruè ſub paſſeris ſymbolo figuratur iuſtus, vel anima eius, idque primò propter prudẽtiam, quo ad partem rationalem. Paſſer enim nidificat in tectis domorum, & non in imo, ne fœtus rapiantur à ſerpentibus: ſic iuſti mente habitant non in terra; ſed in cœlo. Secundò iuſtus dicitur paſſer ob temperantiam quo ad vim concupiſcibilem. Paſſer enim non facilè laqueis irretitur, nec per ingluuiem ventris eſcarum ambitione decipitur: ſic iuſti eſcis non indigent, ſed carnem macerant ieiunio; Regnum enim Dei non eſt eſca, & potus. Tertiò, propter patientiam quo ad vim iraſcibilem. Nam, vt ait Philoſophus, paſſer non albeſcit niſi in infirmitate: ſic iuſti in aduerſis albe-

albeſcunt; nam virtus in infirmitate perficitur. Quartò, iuſtus ait cum Dauide: *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*: aut *transmigrat in montem ſicut paſſer*; quatenus à vita huius mundi ſe ſubducit ad ſecretum cõſcientiæ, nec non ad montem orationis. Quintò, idem cum eodem dicit *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*, quatenus paſſer, & quæuis alia auis laqueum frangit, quãdo vel exterrita aliquo clamore, vel allecta meliore eſca, vim facit, & ſic laqueum frangit: quando enim auis laqueo irretita, inhæret eſcæ ab aucupe propoſitæ, nec intelligit ſe comprehenſam, non conatur aufugere, & eo modo facilè capitur, & occiditur: Ita iuſtus in tentatione poſitus, cum primum à Deo illuſtratus, & vel clamore iudicij diuini, & gehennæ exterritus, vel promiſſionibus cæleſtis gloriæ allectus, incipit cogitare dura quidem eſſe tormenta præſentia; ſed duriora ſine comparatione futura, & ſempiterna: vel dulces eſſe vitę præſentis voluptates; ſed longe dulciora præmia futuræ, incenditur amore bonorum ſupernorum, & metu ſuppliciorum gehennæ, atque eo igne diuinitus accenſus vires concipit, & magno impetu firmiſsimæ deliberationis non peccandi in Deum, laqueum tentationis frangit, & liberatus volat, & cum iubilatione canit, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram*.

Prouerbiorum cap. 6. v. 6. *Vade ad formicam ò piger*. Cum hoc animalculum plures habeat proprietates; quæ potiſsima ipſa parat æſtate cibos ad hyemem, & ne ſemina, & grana germinent, ea diuidit, aptum ſymbolum eſt ſolicitudinis, & diligentiæ, qua & nos parare oportet in hac vita opera, quibus liberemur in die iudicij; *Remanent enim in ſæculo*, inquit D. Ambroſius in Luc. 12. *cuncta, quæ ſeculi ſunt: ſola virtus comes eſt defunctorum*. Vel vt tẽpore proſperitatis, quaſi æſtiuo paremus doctrinam, quę nos ſuſtentet, & reficiat in aduerſis, quaſi hiemali tempore.

Item cap. 10. v. 20. *argentum electum lingua iuſti*; argenti enim electi dotes ſunt quinque, prima candor, & nitor; ſecunda pretium; tertia ſoliditas; quarta puritas; quinta ſonus; ob quas præclarum eſt linguæ, ſeu ſermonis ſapientum, & iuſtorum ſymbolum. Verba enim ipſorum 1. inſtar argenti nitẽtia, ſunt & grata; 2. pretioſa vt pote à cordatis æſtimata, magnoque in pretio habita. 3. ſolida, quia bene expenſa, & præmeditata, ideoque veracia, & circumſpecta. 4. pura, quia inſtar argenti electi expurgata in igne charitatis ab omni mixtione imperfectionis in loquendo; vnde S. Auguſtinus, ignem purgantem linguam aſsignat ſeptem dona Spiritus Sancti. 5. denique ſunt ſonora, vbique laudando Deum, gloriamque eius enarrando; vnde Apoſtolis applicatur illud Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

Cap. 16. v. 24. *fauus mellis compoſita verba*: Sub Symbolo faui mellis ſignificatur pulcher dulciſque ſermo. 1. quia ſicut fauus ſtillat mellis dulcedinem, ſic os oratoris ſtillat ſermonis facundiam; iuxta illud Homeri de Neſtore dicentis: *Cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio*. 2. Mel eſt opus & nectar apum, quæ prudentiæ, & caſtitatis ſunt exemplar, & ſymbolum. Pari modo dulcedo ſermonis manat à mente prudenti, & caſta. Vnde in ore S. Ambroſij adhuc pueri luſit examen apum, portendens eius caſtitatem, & ſermonis ſuauitatem. Idem accidit S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & S. Dominico Sacri Prædicatorum Ordinis Fundatori. Ex Gentilibus autem Platoni, & Pindaro. 3. Apes legunt mel ex floribus, & herbis odoratis; Sic Sapientes legunt mel ſermonis potiſsimum ex florilegio Sacræ Scripturę, & Sanctorum Patrum. 4. Mel medicina eſt leniendis membrorum cruciatibus, cum contuſa fuerint; ſic & ſuauis ſermo lenit,

nit, & diſcutit animi mærores, & angores. 5. Sicut mel reficit, dulcorat, & ſanat, ita oratoris, ſeu pulchri, & dulcis ſermonis tria ſunt officia docere, delectare, & mouere, docendo reficit, delectando dulcorat, & perſuadendo ſanat.

Cap. 17. v. 12. *Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua*; non incongrue ſub ſymbolo vrſæ, non vrſi, cum ex Ariſtotele lib. 9. hiſt. animal, cap. 1. *Vrſorum in genere præter morem aliorum animantium fœmina animoſior fit, ac ferocior*, præſertim, ſi quis catulos abripiat, denotatur feritas ſtulti improbi, & malitioſi. Nam 1. ſi vrſus iniuriæ eſt memor, ſiquidem dicitur, poſt plures mēſes, imò annos, eum, a quo læſus eſt, inuadere, & perimere, ſic et ſtultus improbus iras per menſes, & annos, virāque ſæpè integram alit. 2. Si vrſus eſt implacabilis, nullaque miſericordia flectitur. Iuxta illud Ouidij lib. 3. Triſt. elig. 5.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ:
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis habet.
At lupus, & triſtes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

Sic, cum Sapiens, & magnanimus parcat hoſti ſe humilianti, ſtultus inſtar vrſi inflexibilis, & immiſericors hoſtem proſequi non ceſſat, donec eum proterat, & diſperdat: imo ſæuiorem eſſe furienti vrſa raptis catulis, ex eo liquet, quod vrſa ſpecie Virginis, & infantis manſueſcat, referente Aeliano lib. 13. Var. Hiſt. cap. 1. Atalantam Virginem celebratiſſimam, recens natam à Patre Iaſone expoſitam, nutritam fuiſſe ab vrſa; cum ſtultus, dum furit, in omnes ſæuiat.

Cap. 18. v. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ*. Iterum ſub ſymbolo aquarū, profundiſſimarum fluuij, vel torrentis ſignificantur verba Sapientis, vel Sapientiæ, ſub illo vero venæ, ſiue fontis, cor ex quo hæ aquæ ſcaturiunt. 1. enim quemadmodum fluuius manat ex fonte, ſic verba oris, ex corde Sapientis, ſemper eructante verba bona. 2. Sicut fons nunquam areſcit, ſed perennes fūdit aquas; ita cor Sapientis perennes fundit ſapientiæ doctrinas. 3. Aquæ fluuij, vel torrentis, ex iugi fonte manantes, ſunt copioſæ, & profundæ: ſimiliter dogmata Sapientis manantia ex corde ſunt copioſa, quòque plura ex illo profluunt, eo plura ſuperſunt, quæ ex illo effluere poſſint: ſunt etiam profunda, cum eorum arcana multoties difficile penetrari poſſint. 4. Fons ſuam concham primò implet, deinde redundantem aquam diffundit, alijſque communicat; quia verè Sapiens primò mētem ſuam deinde aliorum ſapientia imbuit; ne, vt de ſe aiebat Apoſtolus, cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur. Et ſic de alijs pluribus analogijs.

Cap. 19. v. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius*. Primò ſub metaphora leonis frementis ſymbolicè ſignificatur Regum, ac Principum ira. 1. Quia ſi leo pronus eſt ad iram, imò ferè ſemper iratus, atque ita eius grauis eſt, ideoque horrendè rugit, & ſæuit. Sic pariter Reges, & Principes natura proni ſunt ad iram; cum enim ſublimes ſint, & elati, non ferunt ſe vel in minimo lædi, vel deſpici, ſique id fiat iraſcuntur, indignantur, & rugiunt. 2. quia ſicut in leone ira eius acuit fortitudinem, & viciſſim fortitudo iram, ita in Principibus iræ iuncta poteſtas eſt, ideoque formidabilis: *fulmen eſt*, inquit Seneca, *vbi cum poteſtate habitat iracundia*. 3. quia per iram, ſicut leo, efferantur, ſeu ferinam, ac leoninam in-

duunt naturam; ac veluti hominem exuunt; ira enim eſt breuis inſania, apud Senecam lib. 1. de ira cap. 1.

Per antithesin verò iræ oppoſita regis hilaritas, & beneuolentia ſub metaphora, & ſimilitudine roris congruè declaratur. 1. quia ſicut ros matutinus ſolis ardores temperat, ac herbas æſtu heſterni ſolis areſcentes humectat, & exhilarat, æquè ac homines, qui quot roris ſtillas, tot vnionum margaritas ſibi videntur intueri; ita quoque ſerenus, & hilaris principum vultus ſubditorum timores, & mærores abſtergit, eoſque exhilarat; imo & in ſpem rerum magnarum erigere ſolet. 2. ros pinguis eſt, ſuaque pinguedine, & quaſi oleato ſucco plantas irrorans, terram fæcundat; ſic pariter rex ſua beneuolentia, liberalitate, & beneficentia ſubditos alit, ditat, bonisque omnibus cumulat. Hinc Chriſti ortus, vita, & regnum, quia leuiſsimum, delicijſque omnibus ſpiritualibus affluens comparatur rori Iſaiæ 45. 8. *Rorate*, inquit, *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.*

Verum tam de his, quàm de alijs conſuli poſſunt Sacri Interpretes; nullum enim eſt hominum genus, nulla conditio, nullus ſtatus, nulla virtus, nullum vitium, nullaque fere actio humana, bona, vel mala, quorum officia, munera, & proprietates, ad viuum non expreſſerit Salomon in Prouerbijs ſub varijs rerum etiam naturalium ſymbolis, ac ſimilitudinibus.

Eccleſiaſtes Cap. 1. v. 4. *Terra autem in æternum ſtat*; 1. ſub ſymbolo terræ in æternum ſtantis, tropologice docetur homo, conſtantiam, & perſeuerantiam in bono ſeruare contra omnes perſecutorum generationes, ex Gregorio Nyſſeno homil. 1. *In te*, inquit, *inconcuſſa maneat temperantia, firma fides, immutabilis charitas, ſtabilis, & immobilis in omni loco ſtatio, ſic, vt, qua eſt in te terra ſtes in æternum.* Iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. cap. 15. v. 58. *Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles; abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Qua etiam ratione homo fidelis, & conſtans tenet æternitatis, ad quam aſpirat, cuius pariter ſymbolum eſt terra, vt mox dicemus, & imaginem, & viam; nam vt ait Diuus Bernardus: *Si in proſperis non extollaris, neque in aduerſis deprimaris, ſed eandem animi conſtantiam tenoremque tenueris, eris quandam æternitatis tenens imaginem.* Item terra in æternum ſtans allegoricè ſignificat inconcuſſam Eccleſiæ militantis, tot inter perſecutiones firmitatem, vſque ad finem duraturam; nec non Beatiſsimam in ea Virginem Mariam, quæ ſemper in gratia ſtetit, adeoque Chriſto vſque ad crucem, & mortem ſemper aſtitit, atque omnibus ſe inuocantibus ope ſua aſſiſtere non deſinit. Anagogicè autem Eccleſiam triumphantem, & cõſtanti æternitate perfruentem, iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Terra enim morientium eſt palæſtra certantium; terra viuentium eſt Regnum Sanctorum, ait S. Auguſtinus ibidem; & in Pſal. 103. *In terra morientium ſpes mea Deus, in terra viuentium, portio mea Deus.*

Ibidem ver. 6. *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus*; id eſt *ventus*, vt alij vertunt; Qui 1. ſua inuiſibili tenuitate, ſumma celeritate, impulſu, & inſtabilitate præclarum eſt vanitatis rerum ſymbolum, humanæque inſtabilitatis, inconſtantiæ, & infelicitatis. 2. Sicut peſtilentes ſubindè ſunt venti, morboſque hominum afflant, ſic pariter res terrena homini peſtem, & mortem afferunt, maximè ſi immodicè ijs vtatur. Inſuper idem ventus luſtrans omnia, & in circulos ſuos reuertens ſignificat ipſum ſpiritum, & cor hominis irrequietum, vagum, & inconſtans: talis enim eſt humana phãtaſia, & quæ eam ſequitur cupiditas, vt nunc hoc cogitet, & velit, nunc aliud, & aliud, ac rurſum ad prima, quæ cogitauit, & voluit redeat, atque ita gyret aſſiduè, &

in

in circulos ſuos voluatur. Quam humani cordis, ac ſpiritus vertiginem, rotationem, & circulationem, maximè dum vento vanitatis, ac ſuperbiæ agitatur: hic enim eſt turbo mentium, præclarè inter alios deſcribunt D. Bernardus in Medit. cap.9. & Petrus Damianus opuſc.12. cap.13. Sed & ventũ in bonam partem ſumi poſſe, ſicque eſſe ſymbolum Spiritus Sancti dicemus infra.

Cap.7. v. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti*. Vel adulatio, cuius non incongruum ſymbolum ſunt ſpinæ ſub olla crepitantes. 1. quia ſicut hic crepitus ſtridulus eſt, aureſque offendit, ſic adulationes aſſentatorum non ſunt niſi ſtreperæ voces, quæ viris ſapientibus, & cordatis ingratæ ſunt, & moleſtæ. 2. ſicut ſpinæ flamma eſt ſubita, atque illicò cum ſonitu tranſit, ſic & gaudium ex adulatione conceptum cum ea finitur, & euaneſcit. 3. ſicut ſpinæ creant fumum, ſic adulatio mentem obnubilat, ſi detur ei locus. 4. ſicut ſubita ſpinarum flamma ſtatim in fauillas, & cineres vertitur, ſic blandæ adulantium voces ſæpè vertuntur in irriſionem. Quem enim adulantes in facie laudant, ſæpè hunc à tergo vituperant. 5. Sicut flamma ſpinarum illicò tranſiens, & deſinens, ollam, & carnes in ea non calefacit, nec ab eis frigus, vel cruditatem aufert: ſic & adulationes corda audientium dolore ſcelerum, & amore virtutum non accendunt, ſed potius in ſuo peccatorum frigore obdurant. De quo adulationis vitio, aliiſque eius ſymbolis, videndus S. Cyrillus Alex. lib. 2. Apol. mor. cap.27.

Cap.10. v. 1. *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*. Sacri Interpretes muſcas multarum rerum in malam tamen partem ſymbolum eſſe volunt. Hieronymus, malarum cogitationum à diabolo, vel carne, & mundo ſuggeſtarum, quæ mentem Sapientis inſtar muſcarum circumuolitant, eamque inquinant; item ſocietatis improborum, prauo exemplo alios, etiam bonos coinquinantium, ex eodem S. Hieronymo. Et hæreticorum, quorum ſenſus in bonam ſcripturarum fragrantiam incidentes, & ſeipſos morte afficiunt, & putre fidelibus vnguentum apparant. S. Auguſtinus lib. contra Fulgentium Donatiſtam. art. 14. ſpecialiter hoc ſymbolum applicat hæreticis Donatiſtis docentibus hæreticorum baptiſmum eſſe inualidum, ideoque iterandum. Et D. Epiphanius hæreticis Archonticis lib. 1. cap. 3. S. Bernardus ſerm. in feriam 4. hebd. pœnoſæ, Iudæis Chriſtum crucifigentibus. Per idem ſymbolum Lyranus exiſtimat ſignificari peccatum mortale, quatenus ſicut muſca perdit vnguentum, ſic peccatum mortale perdit cumulum meritorum, æquè ac bonam conſcientiam. Sanctus verò Gregorius lib. 18. Moral. cap. 18. per muſcas intelligit leues, & importunas cogitationes, quæ ſuauitatem vnguenti, id eſt animi puritatem, ſanctitatem, dignitatem, pacem, & deuotionem præſertim in oratione, licet non tollant, inquietant tamen, fœdant, ac perturbant.

Cap. 11. v. 3. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent*; aptè eleemoſyna ſignificatur ſub ſymbolo nubis. 1. quia ſicut nubes à cælo formata, aliam non habet finem, & ſcopum, niſi pluuiam, terram fœcundantẽ, ſic opum à Deo datarum, præcipuus, ac principalis finis eſt, vt erogentur in pauperes, diuites enim miſericordia maximè, pauperes autem humilitate, & patientia ſaluari debent. 2. Sicut Deus pluit indifferenter, & æqualiter ſuper omnes, ſiue bonos, ſiue malos, ſiue amicos, ſiue inimicos, ſic & eleemoſynarius omnibus benefacit ſine vlla perſonarum acceptione, vel exceptione. 3. Sicut nubes à pluuia, & terra nullam gratiarum actionem expectat, ſic nec diues pauperibus dando quidpiam ab illis expectare debet. Sed tamen 4. ſicut pluuia, aut terra illa humectata grata eſt nubi, ac nubem

nubi rependit; dum radijs Solis calefacta vapores excitat, qui in aerem eleuati, in nubes rurſus concreſcunt: ita quoque eleemoſyna ditat dantem; adeoque verus eleemoſynarius certat liberalitate cum Deo; & quo pro eius amore liberalior eſt in pauperes, eo liberaliorem in ſe eum experitur, vt ſe experiri fatebatur S. Ioannes cognomento eleemoſynarius, teſte Leontio Epiſcopo Neapoleos in Cypro, in eius vita; vbi & addit eum confidenter dicere ſolitum Deo: *Videbimus quis vincat, an tu mittendo, an ego diſpergendo.* Nubes ergo miſericordiæ noſtræ in pauperes elicit, & prouocat nubem miſericordiæ diuinæ, vt in nos gratias, & dona ſua maximè ſpiritualia, & cæleſtia, pluat, & effundat: iuxta illud Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Sed & in Canticis plura quoque continentur ſymbola tum Chriſti, tum Eccleſiæ, tum Beatiſſimæ Virginis, tum animæ ſanctæ, & virtutum eiuſdem. Capite enim 1. ſub ſymbolo olei effuſi, ſignificatur Chriſtus, nominiſque eius, maximè autem Ieſu, vis, & efficacia. Quatenus 1. iratos tranquillat, & paſſiones omnes ſedat: 2. gratiam, & miſericordiam affert, imo effundit. 3. animam impinguat, & calefacit amore, & ardore cæleſti. 4. ſuauiſſimum gratiæ decus, & famam omnibus aſpirat. 5. mæſtos exhilarat. 6. fideles cæleſtibus delitijs paſcit. 7. Martyres, & pro virtute depugnantes, ac certando defatigatos corroborat. 8. omnibus animæ vulneribus medetur. Oleum ſiquidem ſymbolum eſt tranquillitatis, gratiæ, caloris, odoris, hilaritatis, deliciarum, roboris, ac medicinæ, maximè loquendo de oleo, ex varijs aromatum, & odorum ſpeciebus artificioſè commiſto, quo potiſſimum, tanquam præclaro ſymbolo ſignificantur præfatæ omnes Chriſti, & Sanctiſſimi nominis eius Ieſu virtutes.

Ibidem v. 11. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis*; ſub ſymbolo nardi ſignificatur ipſe Chriſtus; cum enim nardus ſit herba humilis, ſed odoroſa; aſpera, ſed calida, & medica, repræſentat Chriſti humilitatem, ſed ſuaueolentem; ac paſſionem, ſed charitate flagrantem, omnibuſque animæ morbis medentem. Symbolum quoque eſt humilitatis Mariæ, quæ, cum eſſet rex in accubitu ſuo, id eſt cum filius Dei eſſet in ſinu Patris, allectus deſcendit in eius vterum factus homo, ex D. Bernardo ſerm. 42.

Verſu 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus*; ſub myrrhæ ſymbolo denotatur quoque Chriſtus multipliciter, 1. enim, quia ex caudice eius defluit lachryma, guſtu acris cum amarore, repræſentat Chriſti dolores, & paſſiones: tota enim eius vita fuit faſciculus myrrhæ, id eſt, continua amaritudo, congerieſque laborum, & dolorum. 2. ſicut myrrha odoris ſuauitate ſuperat cæteras arbores aromaticas; ita Chriſtus amoris, & gratiæ ſuæ ſuauitate ſuperat Angelos, homines, & creaturas omnes, iuxta illud Eccleſiaſtici 24. *Ego quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* 3. myrrha incorrupta ſeruat corpora; multò magis Chriſti paſſio, & mentibus, & corporibus incorruptionem aſpirat, dū eius recordatione, & meritis, omnes concupiſcentiæ corruptiones fidelium mens ſuperat, ac eorū corpora à morte ad immortalitatem reſurgent. 4. vt myrrha cor confortat, & caput exhilarat, ita anima pia, cui iugiter infixa hæret Chriſti paſſio, confortatur ad omnes virtutis labores, & dolores, omneſque huius vitæ aduerſitates imitatione, & amore Chriſti fortiter, ac læte ſuſtinendos. Et ſic de alijs.

Cap. 2. v. 1. *Ego flos Campi, & lilium conuallium*; ſub vtroque ſymbolo aptè ſignificatur Chriſtus Dominus. 1. quia ſicut flos eſt ornamentum campi, ſic Chriſtus mundi, ratione eximij decoris, & plenitudinis gratiæ; iuxta illud Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcēdet.* 2. quia ſicut flos campi multus, & multiplex

eſt,

eſt, nec horto concluditur, ſed omnibus carpendus exponitur: ſic & Chriſtus ex Alano. 3. Flos in campo ſpontè prouenit, ſine ſemine, ſine aratione; & Chriſtus ex Virgine natus ſine opera viri. Vndè ſicut flos in cælo Solem patrem, in terra plantam habet matrē: ſic Chriſto pater in cælo eſt Deus, in ſolo mater virgo. Chriſtus etiam eſt lilium conuallium, quia ex humili terra, & virgine natus; & ſicut in lilio quinque conſiderantur, quia eſt candidum, habens aureum colorem prominentem, & eſt odoriferum, & pandulum, & ſemper incuruum: ſic Chriſtus candidus eſt in humanitate, aureus in deitate, odoriferus in prædicatione, pandulus in ſuſcipiendo pœnitentes, incuruus in condeſcendendo peccatoribus, & eos ſubleuando. Ex Honorio. Inſuper magna eſt lilij fæcūditas, quod ex Plinio lib. 21. cap. 5. vna radice quinquagenos ſæpè emittit bulbos. Quid autem Chriſto fæcundius, à quo tot Chriſtianorum millia, imò milliones prognati ſunt; ſicut denique ex eodem authore, nullus flos celſior lilio: *Nec vlli florum*, inquit, *excelſitas maior, interdum cubitorum trium*; ſic nihil celſius Chriſto.

Ibidem verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Vt ſponſus nuncupauit ſe ſe lilium, ſubque eius ſymbolo ſignificari voluit, ita idē nomen, & laudem tranſcribendo in ſponſam, quæ vel eſt Eccleſia, vel Beata Virgo, vel anima ſancta, ſub eodem etiam ſymbolo, ſed cum addito, *inter ſpinas*; Primò ſignificauit Eccleſiam, quæ vocata, & nata ex ſpinis infidelitatis, & gentium infidelium; ſicut lilium ſatum inter ſpinas, ex illis exurgit, & enaſcitur; vel quæ, ſicut lilium inter ſpinas, illas decore, odore, & candore longè antecellit, ita etiam præcellit omnibus alijs ſectis Iudęorum, Philoſophorum, Politicorum, &c. vel tandem, quæ, ſicut lilium enaſcitur, vigetque inter ſpinas, ita & ipſa viget, floretque in medio hæreticorum, malorumque Chriſtianorum, qui illam veluti ſpinæ pungunt, & lacerant. Secundò, lilium inter ſpinas ſymbolum eſt Mariæ, vtpotè tanto candore, & innocentiæ vitæ cæteris præcellentis creaturis, quanto, multoque adhuc magis, lilium ſuperat pulchritudine ſpinas; lilium etiam fuit inter ſpinas, quando ſtans iuxta crucem Ieſu; tot ictus gladij, tot acutiſſimas ſpinarum punctuas ſuſtinuit per compaſſionem, quot in filio ſuo vulnera, & plagas præuidebat, & videbat. Attenta denique eiuſdem proſapia, ſpinoſa ſcilicet per peccatum generis humani progenie, rectè lilium inter ſpinas eſſe dicitur, quia ex illa nihil aſperum, nihil horridum contraxit: ſed tota ſuauis, atque amœna, non ſecus, ac lilium extitit, vtpotè ſine vlla originaria labe concepta, tantaque Sanctitatis gratia prædita, vt quamuis fuerint multæ virgines ſanctæ, tamen reſpectu Virginis beatiſſimæ, quaſi ſpinæ fuiſſe videntur, in quantum aliquid culpæ habebant, & quamuis in ſe fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorſus extinctus; fuerunt & alijs ſpinæ, qui ex earum intuitu concupiſcentia pungebantur. Deipara autem Virgo ab omni culpa fuit prorſus immunis, fuit fomes in ea plenè extinctus, ſicque intuentium corda penetrauit ſua inæſtimabili caſtitate virginea, quod à nullo potuit concupiſci; imò potius extinxit ad horam illorum libidinem, ex Dionyſ. Carthuſ. Abſolutè quoque poteſt dici lilium ſymbolicè, quia ſicut lilium valet aduerſus ſerpentes, & venena, *Radices lilij*, inquit Plinius lib. 21 cap. 19. *multis modis florem ſuum nobilitauerunt contra ſerpentium ictus*; ſic B. Virginis inuocatio, atque erga eam deuotio, ſingulare eſt remedium in omni tentatione vitiorum, & præſertim libidinis. Tertiò demum anima pia, & ſancta ſymbolicè lilium inter ſpinas dici poteſt, quatenus, ſicut lilium inter ſpinas naſcitur, & effloreſcit, ita ipſa inter tribulationes in virtute creſcit, magiſque reſplendet; Deus enim totam

totam

tam hanc vitam; tot acutiſſimis ſpinis, quot varijs tribulationum generibus, ſepſit, vt anima videns ſe vbique iis pungi, amorem ab omnibus mundi bonis auocet, eumque totum in Deo ſponſo collocet. Item iuſtus eſt lilium inter ſpinas, inter prauos viuendo benè, & inter malignantes innocentiæ retinendo candorem, & morum lenitatem: magis autem ſi his, qui oderunt pacē, & pacificum, & amicum ipſis ſe exhibeat. De quo vide Bernardum hic ſerm. 48.

Item v. 9. *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*. Aſſimulatur Chriſtus capreæ, hinnuloque ceruorum, in ſymbolum miſericordiæ in primo aduentu, hinnulus enim ſignificat ſalientis in alia deſiderium; & iuſtitiæ in ſecundo, ſeu in iudicio finali, quemadmodum enim caprea acutiſſimi eſt viſus, vndè Græcè vocatur dorchas à derchein, id eſt, à videndo; ſic Chriſtus iudex erit, quaſi caprea, quia acutiſſimo oculo omnia occulta hominū dicta, cogitata, facta videbit, & iudicabit. Vndè S. Bernardus ſerm. 55. *Verùm tu qui aduentum deſiderat Saluatoris, time ſcrutinium iudicij, time oculos capreæ; time illum, qui per Prophetam dicit. Et erit in die illa, & ego ſcrutabor in Ieruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes, & corda, ipſaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Ieruſalem manet ſcrutinium?*

Cap. 4. v. 1. *Oculi tui columbarum*; cum columbarum oculi ſint admodum lucidi, & innato quodam ſplendore perſpicui, ſint etiam ſimplices, qui non toruè, aut malitioſè, ſed ſincerè in res obiectas intendunt, rectè aſſumuntur in ſymbolum animæ ſanctæ, & perfectę cuius oculi ſapientia lucentes rerum temporalium viliatem agnoſcunt, & amabili ſinceritate donati ſunt, quæ eiſdem rebus, tanquam abiectis non hæreant, ſed per eas ad Deum, rectitudine intentionis, tanquam ad vltimum finem, & ſummum bonum tranſeant.

Ibidem, *Capilli tui ſicut greges caprarum*; Etſi qui hic deſcribuntur capilli Sponſæ inſtar gregum caprarum, plura ſymbolicè in Eccleſia ſignificare poſſint; primò minutam, & plurimam plebem Chriſtianam, item viros perfectioni ſtudentes, quales ſunt Religioſi, & ſic de alijs; congruè tamen per capillos pulchros denotantur ſanctæ cogitationes. 1. quia ſicut illi à capite, hoc eſt à vaporibus, fumiſque calidis ex eo aſcendentibus: ſic hæ à corde, quod inſtar capitis eſt, & à cordis calore, id eſt amore, & affectu promanant. 2. quia eædem cor, & mentem ornant non ſecus, ac capilli caput, arborem frondes, & Solem radij ab eo emiſſi. 3. capilli ſunt flaui, & fului, vel aurei & ignei; ſic cogitationes ſanctæ, & cæleſtes immiſſæ à Spiritu Sancto, igne charitatis animam inflammant; cogitationes enim mentis excitant ſimiles ſibi affectus in appetitu. 4. ſicut capilli hi multi, denſi, pixi, ordinati, & compoſiti ſunt: ita & ſanctæ cogitationes, quia in Deum, & Chriſtum, eiuſque gloriam diriguntur, & ordinantur.

Item v. 2. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*: per dentes tum cibum digerentes, tum vocem, & ſermonem diſtinguentes, & articulantes concentu quodam excipiendo ictum linguæ, ſymbolicè repræſentant Doctores Eccleſiæ, & magiſtros fidelium, qui eos in fide, & pietate inſtruunt. Vel ex Diuo Bernardo dentes ſunt religioſi, ob tredecim dotes dentium quas recenſet, & Religioſis, ac Monachis accommodat. In anima etiam ſancta dentes ſymbolicè ſunt meditatio, conſideratio, & conſultatio, qua rem, quam agere deſtinat, prius maturè conſiderat, maſticat, ruminat, & circumſpicit; tum nequid in ea mali, vel periculi lateat; tum vt modos eam prudenter, & feliciter exequendi, ac remoras auertendi excogitet.

Verſu 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*. Per genas inſtar fragminis mali Punici, ſeu granati ſymbolicè deno-

denotantur Virgines; itē ex alijs Martyres; prædicatores paſſionem Chriſti annuntiantes; vel qui perſecutiones patienter tolerant.

Cap. 5. v. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens;* ſub ſymbolo auroræ repræſentatur Beatiſſima Virgo Maria. Quemadmodum enim aurora terminus eſt noctis, & diei principium, Solemque adeſſe teſtatur; nocturnas aues effugat; diurnas verò ad concinendum inuitat; iugiter etiam in ſplendorem maiorem proficit, eoque tempore decidit ros albus, quò ab æſtu refrigerantur ſata, & fœcundatur terra: ita Beatiſſima Virgo mundo ignorantiæ, & peccatorum tenebris circumfuſo illuxit, veluti æternæ caliginis exterminium: Solis iuſtitiæ Chriſti nedum prænuntia, & geſtatrix, ſed etiam genitrix fuit; dæmones veluti tenebrarum aues immundas longè expellit: Dei ſeruos, & ipſos Angelos, tanquam aues diei ſublimè volātes ad Dei laudes excitat, atque inuitat, tum exemplo, tum patrocinio. Eſt item ſicut aurora iugiter conſurgens, cum in ſuis omnibus actibus, dum viueret, maioribus meritorum incrementis excreuerit; nunc autem in cœlo exiſtens noua ſemper generi humano beneficia promereatur, eiuſque precibus diuina potiſſimum gratia in hominum animas deſcendat, veluti ros albus, quo ab æſtu tentationum, & concupiſcentiæ refrigerantur, & ad bona opera germinanda fœcundantur.

Cap. 8. v. 6. *Lampades eius, lampades ignis, & flammarum;* ibi ſub ſymbolo ignis, & flammarum ſignificatur charitas, & zelus Chriſti, eiuſque aſſeclarum: in hoc eodem elemento adeò puro, & nobili, præclarum quoque habetur diuinitatis ſymbolum, vt ſupra diximus, adeò vt Deus ipſe ignis appellari voluerit, dicēte Moyſe Deut. 4. & Paulo Hebr. 12. Deus noſter ignis conſumens eſt. Et cum primum apparuit Moyſi Deus Exodi 3. in igne rubum occupante, & non conſumente conſpici voluit. Et ibidem cap. 19. cum legem populo laturus idem Deus aduenit, in ignis forma aduenit. Ad cuius myſterij ſimilitudinem, cum lex noua promulganda eſſet, apparuit Spiritus Sanctus Apoſtolis in linguis igneis, Act. 2. Sed & attentis ignis proprietatibus, qui in rebus diuerſis, diuerſo, ac ſæpè contrario modo operatur: Ligna enim, fœnum, ſtipulas continuo abſumit: aurum, argentum, lapides pretioſos, puriora, & pulchriora reddit. Ferrum, quod natura ſua nigrum, frigidum, durum, & graue eſt, in contrarias qualitates ita tranſmutat, vt ſtatim lucidum, calidum, molle, & leue reddatur; hæc omnia ſunt aptiſſima diuinæ operationis, ſeu Dei operantis ſymbola; primum in ijs, qui cū operibus malis de hac vita decedunt, per ligna, fœnum, & ſtipulas ſignificatis 1. Corinth 3. quæ ignem diuini iudicij ferre non poſſunt; tum in ijs, qui cum operibus bonis ad finem vitæ perueniunt, per aurum, argentum, & lapides pretioſos ibidem denotatis, quæ igne diuini iudicij approbantur, & mercedem magnam accipiunt. Tum denique in ijs, quos in hac vita à peccatis ad pœnitentiam vocat. Homo enim peccator, cum ſit ferro ſimilis, quod dum procul abeſt ab igne, nigrum, frigidum, durum, & graue eſt: ſed ſi fortè in ignem mittatur, efficitur lucidū, calidum, molle, & leue, diuinæ gratiæ efficacia, tanquam igne, ex nigro fit lucidus, ex frigido calidus, ex duro, vel obſtinato, mollis, ac Dei docibilis, denique ex graui pondere peccatorum, fit leuis, & expeditus ad currendam viam mandatorum diuinorum.

Sapientiæ cap. 4. v. 6. *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* Aurum in fornace, ſiue igne purgatum ſymbolū pij tribulati; ſicut enim in eodem igne aurum rutilat, palea fumat: ita in eadem tribulatione, pius ſua patientia fulgurat: impius murmurat, ſuaque impatientia torpatur; item ſicut ignis aurum probat, ita iuſtos omnes tribula-

tio : *Fornax aurificis*, inquit D. Auguſtinus in pſal. 2. 1. *magni Sacramenti res eſt: ibi ignis non diuerſus diuerſa agit, paleam in cineres vertit, auri ſordes tollit.* Et in pſal. 61. *Nunquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit; patiatur tamen fornacem, vt purgatum à ſordibus veniat ad lucem: fornax iſta, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat artifex; in fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cineres vertitur, à ſordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iuſti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex facio; ibi me ponit artifex, tolero: iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quaſi conſumendum me; illa in cinerem vertitur, ego ſordibus careo. Quare? quia Deo ſubijcietur anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.*

Cap. 7. v. 25. *Vapor eſt enim virtutis Dei*; Sapientia diuinà, de qua ibi eſt ſermo, ſub nomine, & ſymbolo vaporis rectè exprimitur; vapor enim cum eiuſdem naturæ ſit, cum re, è qua euaporatur ex Ariſtot. ſect. 13. problem. ita quoque diuina ſapientia tum eſſentialis, tum notionalis, eiuſdem cũ Deo eſt ſubſtantiæ. Secundò eadem à Deo oritur ſine commiſtione corporum, ſine fæce, & labe, eſtque planè pura, & munda, ſic enim oritur vapor è corpore. Tertio, eadem eſt mobilis, ſubtilis, & ſublimis; quemadmodum & vapor, qui proindè è terra ſurſum in cælum aſcendit; ibidem quoque aſſimilatur riuo mananti è fonte, & ſplendori, quem Sol emittit.

Eccleſiaſtici cap. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemoſyna reſiſtit peccatis*; vt ibi ſymbolicè per ignem ſignificatur peccatum, quatenus ſicut ignis adurit, læditque corpus, ita peccatum lædit, occidit, & exurit animam, eique parat ignem Gehennæ; ita ſub ſymbolo aquæ extinguentis ignem, ſignificatur vis, & efficacia eleemoſynæ in extinguendo peccata; ex S. Maximo homil. 1. de eleemoſyna; imò ex S. Cypriano eleemoſyna eſt ſecundus Baptiſmus homil. de opere, & eleemoſ. item ex S. Laurentio, Epiſcopo Nouarum homil. de pœnitentia in Biblioth. PP.

Cap. 11. v. 3. *Breuis in volatilibus eſt apis*; etſi litteraliter ex hac comparatione apis paruæ, & quoad ſpeciem vilis potiſſimum intendat Sapiens, neminem ob paruitatem, vel deformitatem debere contemni; in ea inſuper præclarum habetur ſymbolum prudentiæ, & ſapientiæ, tum Ethicæ, tum Oeconomicæ, tum Politicæ. Item Sacrarum Virginum ex Ambroſio lib. 1. de Virginib. Prædicatorum ex Hugone ob analogias viginti nouem. Sed & Chriſti, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, ſed in cauda, rediens ſcilicet ad iudicium, exeret aculeum iuſtitiæ, dicens reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum*. Demum fuit etiam ſymbolicè apis breuis in volatilibus Beatiſſima Virgo Maria, quæ abiecta, & humilis inter reginas, & dominas, imò mulieres omnes, mel, id eſt Chriſtum mundi delitias peperit.

Cap. 14. v. 18 *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet. Et ſicut folium fructificans in arbore viridi*. Quàm fœnum, ſeu gramen viride, quod dum metitur, & ſiccatur, fit fænum, aptum ſit ſymbolum carnalis gloriæ, & breuitatis vitæ, vide apud Clementem Alexandr. lib. Pedag. cap. 10. S. Gregorium lib. 16. Moral. cap. 5. & Rabanum Maurum hic. Appoſitè quoque in idem ſymbolum, conditioniſque humanæ folia aſſumuntur. 1. quia ſicut foliũ exile eſt, & tenue, ſic & homo, eiuſque vita. 2. ſicut folium quouis impulſu agitatur, ſic & homo qualibet tentatione. 3. ſicut breuis eſt vita, virorque folij, ſic & hominis. Et ſic de alijs analogijs.

Cap. 15. v. 3. *Et aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*; quàm præclarum diuinæ ſapientiæ, aut gratiæ ſymbolum ſit aqua, patet ex eius proprietatibus; nam lauat, & abſtergit maculas, extin-

guit

guit ignem, refrigerat, ac temperat ardorem ſitis, coniungit res multas, ac diuerſas in vnum; denique quàm profundè deſcendit, tam altè aſcendit. Quæ omnia diuinæ ſapientiæ, & gratiæ apprimè competunt. 1. lauanti maculas ſpirituales, ita vt res lota candidior, pulchriorque reddatur, quam eſſet antequam inquinaretur: *Lauabis me*, inquit Dauid Pſalm. 50. *& ſuper niuem dealbabor*. 2. cæleſtis gratia, admirabili ratione, & modo extinguit ignem carnalium concupiſcentiarum. Cuius optimum teſtem habemus inter alios plures, Diuum Auguſtinum, qui cum aſſuetus eſſet indulgere libidini, & impoſſibile ſibi duceret conſortio fœminæ carere, tamen vbi guſtare cæpit Spiritus Sancti gratiam, exclamare cæpit lib 9. Confeſſ. cap. 1. *Quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat*. 3. ſola cordis ſitim ſedat, quatenus ſola poteſt deſiderijs eius varijs, & moleſtiſſimis, ac propè infinitis finem imponere. Iuxta illud Chriſti Domini Ioann. 4. ad Samaritanam: *Qui bibit ex aqua hac*, ſcilicet naturali, *ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua*, nimirum cæleſti diuinæ gratiæ, *quam ego dabo ei*, *non ſitiet in æternum*. 4. ſi aqua naturalis ſimul coniungit, & in vnum redigit, quæ vix vniri poſſe videbantur, vt multa grana farinæ per aquæ admixtionem vnus panis efficiuntur, & ex multis partibus terræ per aquę adiunctionem lateres fiunt: ita quoque, multoque facilius, & inſolubilius aqua diuinæ ſapientiæ, & gratiæ facit, vt multi homines ſint cor vnum, & anima vna. 5. denique tam altè aſcendit, quam ex alto deſcendit, quia cum de ſummo cælo veniat in terras, ideò in homine, in cuius corde recipitur, *Fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, vt ait Chriſtus Dominus ad mulierem Samaritanam. Quaſi diceret: homo renatus ex aqua, & Spiritu Sancto per gratiam, illuc erigit merita ſua, vndè eadem deſcendit gratia nimirum in cælum.

Cap. 21. v. 10. *Stuppa collecta Synagoga peccantium*; rectè ſub ſymbolo ſtuppæ denotatur euanidas eſſe peccatorum vires, opes, conſpirationes, fœdera, quibus fidem, vel iuſtitiam opprimere ſtudent; proptereaque pios, & iuſtos, qui ab eis vexantur, vel opprimuntur, nil eos formidare debere, certoſque eſſe, eos breui, vt ſtuppam collectam igne diuinæ vindictę conflagrandos; vndè Rabanus: *Comparat*, inquit, *rei fragili Synagogam peccatorum, vt oſtendat eius vilitatem, & velociſſimum interitum: quia ſicut ſtuppa collectio, igne adhibito facilè conflagrat, ita peccatorum cætus in futura vindicta ſine mora diſperiet*. Ex quo inferunt nonnulli, impios in gehenna non eſse ſolutos, vt liberè vagentur, ſed eſſe colligatos in faſcem, vt ait Iſaias c. 24. Hoc enim denotat *ſtuppa collecta*, ſcilicet eos collectos, vinctos iacere, & velut ſtuppam conſtipatam comburi ſine fine, iuxta parabolam zizaniarum, de quibus ait Chriſtus Matth. 13. *Alligate ea in faſciculos ad comburendum*.

Capite 24. v. 17. & ſequentibus, vbi Sapientia ſe comparat Cedro Libani, Cypreſſo in monte Sion, Palmæ in Cades, plantationi Roſæ in Iericо, oliuæ ſpecioſæ in campis, platano iuxta aquas, cinnamomo, & balſamo aromatizanti, myrrhæ electæ, ſtoraci, Galbano, vngulę, guttę, & Libano, non monti, ſed thuris arbori, cuius ferax eſt mons Libanus; Terebintho, viti fructificanti; innumera in his omnibus habentur ſymbola diuinæ ſapientiæ, eamque poſſidentium, de quibus videri poſſunt Sacri Interpretes ad hunc locum, ne pręter intentum, in nimiam excreſcat molem præſens liber.

Ibidem verſu 35. eadem Sapientia comparante ſe fluuijs copioſis, Phiſon, Tigri, Euphrati, Iordani, Gehon, imo mari; nedum, ex dictis ſupra, in aqua vniuerſim, pręclara habentur ſymbola diuinæ Sapientię, & gratiæ, quin & ipſiuſmet Dei, qui etiam aqua nomina-

ri voluit Ioann. 7. & Ezech. 36. ſed & in ſpecie, in fluminibus, per quæ ſignificatur Chriſtus, quatenus ſicut illæ exuberant aqua, ita Chriſtus gratia, qui eſt Sapientia Patris, tam genita, quàm incarnata: & ſicut illa irrigant, & fæcundant terram, ita Chriſtus, qui non tantùm fuit Redemptor hominū, ſed & ſapientiæ doctor, aqua eius ſalutari irrigās, & fæcundans Eccleſiam, quouis mundi æuo; quæ ſapientia cum ſit in tota ſua plenitudine in Chriſto, meritò aſſimilatur aquæ fluminum, aut maris, in quibus maior eſt eius abundantia; Sapientia autem creata, ſeu communicata creaturis, præſertim fidelibus, aquæ per modum tramitis, aut riuuli ex fluminibus deductæ, quia licet originem ſuam habeat à Deo, & Chriſto, non tamen omnis Dei, aut Chriſti ſapientia ad nos plenè deriuatur, ſed pars tantùm, quæ nobis & conuenit, & neceſſaria eſt: Dici etiam poteſt ſymbolicè ſapientiam creatam copiosè à Deo mundo exhibitam, rectè indè comparari aquæ fluminibus, increatam autem, & incarnatam fonti, quatenus fons aquæ hic apud nos id habet proprij, vt ab eo naſcantur flumina, & ſi deſinant à fonte fluere, continuò exareſcant: fons autem ipſe non pendet à fluminibus, quia non accipit ab illis aquas, ſed ipſe in ſe habet, & cum alijs communicat. Quod eſt verum diuinitatis, ſapientiæque eius ſymbolum. Eſt enim Deus veriſſimus, nedum eſſendi, aut vitæ, ſed & ſapientiæ fons. Eccleſiaſt. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*. Quæ omnia ſimul comprehendiſſe videtur Apoſtolus, cū ait Act. 17. *In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus*.

Cap. 25. v. 22. & 23. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*: quàm appoſitè coluber ſit ſymbolum mulieris nequam, tam magna vtriuſque affinitas in concinnandis dolis, mendacijs, litibus, rixis, cædibus: quam quæ de malitia mulieris ſcribunt Patres, clarè demonſtrant, Tertullianus lib. de habitu muliebri poſt principium. Origenes homil. in Euangelium Chananeæ. Chriſoſtomus in Matth. cap. 19. homil. 32. in enarratione illius loci, *Non expedit nubere*; item homil. 25. ex varijs in Matth. locis, quæ eſt de decollatione S. Ioannis Baptiſtæ; & ex eo Damaſcenus paralello 1. cap. 76.

Cap. 26. v. 21. *Sicut Sol oriens mundo in altiſsimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius*. Vt mulier mala ſumma malorum eſt, propterea que colubro aſſimilata; ita per oppoſitum congruum in Sole habemus ſymbolum mulieris bonæ, quatenus, ſicut Sol, cum poſt noctis tenebras manè oritur in altiſſimis, ſcilicet cælis, & habitaculis Domini Dei, tam cælos, quam elementa, totumque orbem noua, grata, roſeaque luce, illuminat, exhilarat, condecorat, & viuificat: ſic & mulier bona, ſuæ virtutis fulgore pellit omnes mariti, domuſque moleſtias, & mærores, totamque domum irradiat, exornat, & ad Dei cognitionem, amorem, & cultum accendit. Tales fuere, & ſicut ſoles verè effulſere Clothildis, quæ Clodouæum, & per eum Galliam ad Chriſtum traduxit. Ingundis, quæ Sanctum Hermenigildum maritum ab Arrianiſmo, indeque totam Hiſpaniam, ad fidem Orthodoxam conuertit. Theodolinda, quæ Agilulphum regem maritum, ſimulque Longobardos ad eamdem fidem pellexit; & ſic de alijs innumeris Sanctis mulieribus, vt S. Pulcheria, quæ Theodoſij patris, & Marciani mariti Impp. S. Cunegundis quæ Henrici, S. Elizabeth, quæ Langrauij aulas, non minus quam Sol cælum exornarunt, & illuſtrarunt.

Cap. 27. v. 12. *Homo Sanctus in ſapientia manet ſicut Sol, nam ſtultus vt luna mutatur*. Hic plures ob analogias rectè homo iuſtus, & ſapiens ſymbolicè Soli aſſimilatur. 1. quia ſicut Sol ſemper eſt eadem facie, luce, motu, colore, & tenore, ita & iuſtus, dum in ſapien-

ſapientia manet. 2. Sol longè ſuper terram eminet: ſic & iuſtus terrena deſpicit mente in cælo fixus. 3. Sol æqualiter ſpargit radios in omnes bonos, & malos: & iuſtus omnibus benefacit, amicis, & inimicis. 4. Sol ad omnem Dei nutum mouetur, gyrat, & regirat: ſic & iuſtus. 5. Sol, vt dicitur, centies, & ſexagies maior, & amplior eſt tota terra: ita iuſtus tam ampla eſt charitate, vt eius ſinu nedum totum orbem, ſed infinitos, ſi eſſent, complectatur. 6. Sol velociſsimus eſt, quia vt etiam dicitur, qualibet hora conficit vnum millionem, & centum quadraginta millia milliarium: ſic & iuſtus, cuius conuerſatio eſt in cælis, non minori, imo lõgè maiori celeritate pollet, celerrimuſque eſt, & agillimus ad omne Dei obſequium. Ideoq; Prou. 4. 18. dicitur, quod *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem*. Verùm in Sole nedum hominis iuſti, ſed & ipſinſmet Dei præclarum ſuppetit ſymbolum, quod innuit ipſemet Chriſtus, cum ait Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit*; *ſuum* quia ſui imago, & ſymbolum; & D. Dionyſius lib. de diuinis nominibus cap. 4. aſſerit Solem eſſe *ſignificatiuam, expreſſam, & euidentem diuinæ bonitatis imaginem*. Nam 1. ſi Sol pulcherrimus eſt, vnde Regius Propheta Pſalm. 18. comparat eum ſponſo egredienti ex thalamo ſuo: nunquam enim ſe magis ornant homines, neque vnqnam magis ſpeciem, & pulchritudinem oſtentare cupiunt, quam cum ſponſi ſunt; tunc enim ſponſæ oculis, quam vehementiſſimè diligunt, placere ſupra modum ſatagunt. Quid Deo pulchrius? qui eſt ipſa pulchritudo per eſſentiam, vt meritò Eccleſiaſticus infra cap. 43. dixerit de Sole; Vas admirabile opus Excelſi: magnus Dominus, qui fecit illum. 2. ſi idem Propheta loco citato celebrat Solem, quod velociſſimè, & ſine fatigatione ſemper currat: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*; longè velocius Deus nobis ſuccurrit in omnibus noſtris neceſſitatibus, tum temporalibus, tum ſpiritualibus, infinitè potens, ac bonus. 3. Demum ſi laudatur efficacitas luminis, & caloris ſolaris, ſiue quod Sol illuminando, & calefaciendo, virtutem ſuam maximè manifeſtat, dicente Dauid: *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*. Diuus quoque Iacobus initio epiſtolæ ſuæ, Deum ipſum cum Sole propterea comparans ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. In his autem omnibus Soli maximè præcellit Deus, quod, cũ Solis pulchritudo ſuas habeat maculas; *Deus*, inquit S. Ioannes epiſt. 1. cap. 1. *lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; cum Sol, vt totum orbem terrarum lumine, & calore compleat, opus habet tranſmutatione perpetua; Deus, quia vbique totus eſt, tranſmutatione non indiget; ideoque S. Iacobus loco citato ſubdit: *Apud quem non eſt tranſmutatio*. Cumque Sol ſemper mutet loca, ideoque per vices alijs diem faciat, alijs noctem relinquat; alijs luceat, alijs obumbretur. Deus nunquam mouetur, & ſemper omnibus præſens eſt: vndè ex eodem D. Iacobo: Nulla eſt apud eum *viciſſitudinis obumbratio*. Tandem à Sole patre luminum corporalium cum ſint tantùm omnia data, & dona, quæ naſcuntur in terris; à Deo Patre luminum ſpiritualium deſcendunt omnia data optima, & dona perfecta, quæ habentem optimum, perfectumque efficiunt, & in ijs perſeuerantem perducunt ad æternam fælicitatem.

Vt iuſtus, & Sapiens Soli, ita ſtultus lunæ in hoc verſu aſſimilatur; etſi enim luna quando eſt plena, atque perfecta, aut ſecundum aliquam aliam bonam qualitatem conſiderata, iuſti quoque, aut alicuius alterius rei bonæ ſymbolum eſſe poſsit: ſcriptum eſt enim pſalm. 88. *Semen iuſti, ſicut luna perfecta in æternum*. Et de Sponſa Cant. 6. *pulchra vt luna*; & Eccleſiaſtici 50. de Simone, quod *quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, ſic ille effulſit in templo Dei*.

Dei: Attamen ſi ſpectetur eadem luna, qua deficiens, aut ſecundum aliquam aliam imperfectionem, rectè ſtulti ſymbolum eſt; de quo vide Diuum Auguſtinum epiſt. 119. vbi ſolem ait eſſe Chriſtum, & infra etiam dicemus ad illud Malachiæ 4. *In diebus illis orietur Sol iuſtitiæ*. Lunam verò eſſe Adamũ, eiuſque aſſeclas. Item D. Ambroſium lib.4. Hexam. cap. 8. in pſal.36. ad illud: *Os iuſti meditabitur ſapientiam* Et ſerm.4 vbi obiurgat populi ſuperſtitionem, qua cenſebat lunam deficientem laborare, & periclitari, ne è cælo caderet, ideoque vociferando eam animare, & adiuuare ſatagebat.

Cap.28. v. 27. *Et immittitur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet*. Sub harum beſtiarum figura, ac ſymbolo ſignificatur noxa linguæ maledicæ, ac detractoriæ; vt enim t. ambæ ſunt ſæuiſſimæ, & crudeliſſimæ, adeò vt pardus nulla arte cicuretur, leo autem ægerrimè, & rariſſimè; ita ex D. Iacobo cap. 3. v.8. lingua maledica domari non poteſt, inquietum malum eſt, plena veneno peſtifero 2. Leo, & pardus ex Philoſopho lib.2. hiſt.animal.cap.1. dentes habent ſerratos; ſic & lingua maledica, eſt quaſi ſerra acutiſſima, qua pectinatim ſerratur, ſecaturque homo vſque ad intima. 3. pedes multifidos, ſeu multiplici fiſſura digitatos ex eodem Ariſtotele; ita quoque multifida eſt lingua maledica, & detractoris, quæ calcat feritque æmulũ. 4. leones & pardi ſunt carniuori; ſic lingua maledica deuorat famam alienam, vt non immeritò à Propheta vocetur ſepulchrum eius patens, guttur maledici, ac detractoris. 5. leonibus, ac pardis ex Plinio lib.11. cap. 37. *Lingua eſt imbricata aſperitatis, ac limæ ſimilis, attenuanſque lambendo cutem hominis*; ſic lingua detractoris eſt aſperrima lima, totum hominem exterminans. 6. Pardi maximè ſunt celerimi, nihil autem celerius, ac volucrius lingua maledica; volat enim irreuocabile verbum, & totam vrbem, imo orbem ſæpè peruolat.

Cap. 42. v. 13. *De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*; cum plura ſunt libidinis, maximè ex nimia cum mulieribus conuerſatione ſymbola, nunc enim igni, nunc magneti, nunc baſiliſco, alijſque ſimilibus comparatur, hic appoſita ſimilitudine ſignificatur ſub ſymbolo tineæ. Nam 1. ſicut tinea innaſcitur veſtibus, atque ab eis ſuam trahit originem, & ni remoueatur ſemper ſerpit, & totam veſtem erodit; ita ex ipſo mulierum aſpectu, & conuerſatione cum eis, libidinoſa ingeneratur cogitatio, cui niſi tempeſtiuè occurratur, totam denique animæ pulchritudinem exedit. 2. ſicut naturale eſt ex veſte oriri tineam, ita ex fœmina viri concupiſcentiam; & ſicut nihil tale volenti naſcitur in veſte, & è veſte tinea: ita nihil tale volenti, imo repugnanti, naſcitur ex fœmina deſiderium. 3. tinea inſenſibiliter in veſte naſcitur, & ſine ſenſu eam erodit, & conſumit: ſic & inſenſibiliter ex conuerſatione viri cum muliere oritur libido; nonnullique etiam viri boni, fœminarum, quarum confeſſiones audiunt, vel quas in pietate promouere ſategunt, ſenſim occulto amore ſi non carnali, certè ſenſuali ita ſubtiliter capiuntur, vt ipſimet eo ſe teneri, & illaqueari neſciant. Propterea tot habent nedum Sancti Patres, ſed & ipſimet Philoſophi Gentiles, quibus nos ad fugam mulierum exſtimulant, ſubditurque ab Eccleſiaſtico v. 14. *Meliorem eſſe iniquitatem viri, quam mulierem benefacientem*; hoc eſt iuxta ſenſum magis genuinum, meliorem eſſe malignitatem, moleſtiam, vexationem & iniuriam viri; quam mulierem blandam, ac beneuolam: quia ipſa eſt dulce venenum, ac blandiendo, & benefaciendo concupiſcentiam viris incitat, taliterque eos ſibi ſubijcit, aut amore ſui captiuat, vt cum ipſis faciat quidquid velit: vti Dalila Sampſonem prodidit Philiſtęis, & mulieres Salomonem ad idololatriam deduxerunt. Malitia autem

ctem, & iniuſta vexatio viri patientiam quidem exercet, ſed non creat periculum. Proindèque magis cauenda eſt mulier, præſertim blanda, beneuola, ac benefica, quam vir auſterus, rudis, ac moleſtus. De quo vide S. Cyprianum tract. de ſingularit. Clericorum. S. Baſilium admonit. ad filium Spirit. & in cap. 3. Iſaiæ, D. Hieronymum in epiſt. ad Nepotianum, nec non alios plures relatos à modernis interpretibus in hunc locum, vnà cum exemplis fugiendarum mulierum, etiam piarum, & deuotarum; de omnibus enim ſcitè dicebat S. Franciſcus Xauerius, mulieres adiri maiori periculo, minore fructu, vt refert Turſellinus in eius vita lib. 6. cap. 17.

Cap. 47. v. 2. *Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael*. Ibi in adipe, nedum Dauidis, ſed & cuiuſcumque alterius iuſti præclarum habetur ſymbolum. 1. enim, ſicut adeps eſt optima, & ſapidiſſima pars carnis; ſic Dauid fuit, & quilibet iuſtus, cui Dominus eſt pars hæreditatis, eſt potiſſima pars corporis Myſtici Dei, cuique ſpecialiter incumbit, & prouidet: Oculi enim Domini ſuper iuſtos. 2. ſicut adeps in hoſtijs, cum cætera caro cederet hominibus, dicatus erat Deo; ſic Dauid totum ei ſe dicauit, eiuſque voluntati, amori, & laudi; quod & faciunt iuſti omnes. 3. adeps ob candorem, & ſeparationem à carne, ſignificat Dauid innocentiam, nec quæſiuiſſe quæ ſua ſunt, vti faciebant cæteri, ſed dumtaxat, quæ Dei; talemque debere eſſe quemcumque iuſtum. Et ſic de alijs analogijs.

Cap. 48. v. 1. *Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat*. Ibi quoque in igne tam Eliæ, quàm cæterorum iuſtorum ſymbolum proponitur, ardentium charitate Dei, eamque docendo, & prædicando, alios accendentium; flagrantium zelo honoris eiuſdem, ideoque iuſtitiæ & vindictæ, ad exterminandos idololatras, & quoſcumque Deo iniurios: tum denique in verbis, & operibus efficacium, ſiue opere, & ſermone potentium.

Cap. 49. v. 1. *Memoria Ioſia, quaſi mel in ore*. Appoſita memoria Ioſiæ, & cuiuslibet iuſti melli comparatur, ſiue per illud ſymbolicè deſcribitur; quatenus ſicut mel ex Plinio lib. 22. cap. 24. conſeruat corpora ne putreſcant; ſic & memoria conſeruat nomen, & famam iuſtorum, ne corrumpatur, iuxta illud Pſal. 19. *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit*. Igitur memoria iuſtorum, eſt quaſi mel in ore, quia cunctorum ſermone quaſi melle conſeruatur, quando omnes odorata recordatione, & honorata laude eos proſequuntur, nec ſinunt famam, nomenque eorum intermori, aut corrumpi; quippè ſapientia, & iuſtitia eſt quaſi mel conſeruans ſapientes, & iuſtos in hominum memoria, ne putreſcat, & intereat.

Cap. 50. v. 6. & 7. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei*. In his quoque tribus, quibus comparatur Simon Pontifex, plura ſuppetunt ſymbola: Primò ex Hugone differentiæ doctorum, ſiue quorumlibet iuſtorum, quibus Dominus diuerſas largitur gratias, diuidens ſingulis pro vt vult. In quibuſdam enim lucet quaſi *ſtella matutina*, id eſt, in via pęnitentiæ pœnitentibus, ſeu incipientibus, in medio nebulæ, id eſt nebuloſæ conſcientiæ. In alijs quaſi *luna plena*, id eſt in proficientibus, qui plenam quidem iuſtitiã habent, ſed non perfectam, quia non ibi ſtatus. In alijs refulget, quaſi *Sol*, id eſt in perfectis, qui & benè calent, & perfectè lucent: calent ſibi, & lucent alijs.

Verùm ſtellas etiam ſeorſim ſumptas ſignificare Sanctos, & Prælatos, & Doctores Eccleſiæ patet ex multis Scripturæ locis: Danielis 12. v. 3. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: Apocal. 1. v. 20.

v. 20. *Septem ſtellæ Angeli* (hoc eſt Epiſcopi & doctores) *ſunt ſeptem Eccleſiarum*. Indèque tot Sanctos ſtella inſignitos apparuiſſe, animaſque eorum ſub ſpecie ſtellæ, aut ea duce cælum aſcendiſſe teſtantur eorum acta. Sanctus enim Dominicus nobili cuidam matronæ in viſu apparuit luculentam ſtellam in fronte gerens, cuius ſplendore totus orbis irradiabatur, vt refertur in eius vita lib. 1. cap. 8. & 11. Vir quidam Religioſus vidit animam Sancti Franciſci morientis, teſte S. Bonauentura in eius vita, ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubuectam nubecula, ſuper aquas multas ſurſum recto tramite in cælum ferri. Quocirca Gregorius IX. canonizans illum, orationemq; habens ad populum de eius laudibus ſic tam exorſus eſt: *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ſic ille effulſit in templo Dei*. Narrat quoque Abbas Polychron. in Prato ſpirit. cap. 6. de Sancto quodam Monacho, ſuper eius defuncti caput ſtellam quaſi comitem itineris apparere non deſtitiſſe, donec ipſum ſepulturæ traderent. Et ibidem cap. 104. narrat Abbas Theodorus ſe vidiſſe ſtellam lucidiſſimam ſuper caput Nonni Presbyteri. Sanctus etiam Nicolaus Tolentinas vigilans vidit ſtellam, quæ quotidiè motu recto ipſum antecedebat vſque ad altare, deindè ſtella hæc poſt mortem eius, in ipſo die obitus quotannis ad tumulum eius viſa eſt. Denique in morte S. Thomæ Aquinatis, viſa eſt viro cuidam Religioſo ſtella incumbēs Monaſterio, quaſi eo animam exhalante, in cælum aſcendebat: vndè ipſe, quamuis abſens, S. Thomæ obitum æquè, ac gloriam agnouit.

In ſtella etiam figurari Beatiſſimam Virginem, communiter docent Patres, proptereaque ab Eccleſia vocatur Stella maris, & matutina. Item Chriſtum Dominum, de quo ad literam intelligitur, quod Numer. 24. dicitur: *Orietur Stella ex Iacob*. & Apocal. 2. v. 28. nec non cap. 22. v. 16. vocatur *Stella matutina*. Id eſt Lucifer; primò ob rationes, vel analogias, iam ſuperius adductas. Secundò, quia vti Lucifer nocti finem, diei initium præbet: Ita Chriſtus peccato, & ignorantiæ finem, fidei, & ſaluti initium attulit. Tertiò, quia, ex Beda, tranſacta nocte ſæculi, lucem vitæ Sanctis promittit, & pandit æternæ. Quarto, ex D. Gregorio lib. 29. Moral. cap. 30. in illa verba Iob 38. *Nunquid produces Luciferum in tempore ſuo*: quia *dum in ſeipſo reſurrectionis exemplum nobis præbuit, quæ lux ſequatur indicauit*.

Item cum per Solem fulgentiſſimum Chriſti Deitas ſignificari poſsit, per lunam corpus eius deitatis ſplendore quaſi transfuſum, & in cruce quidem etſi plenum in diebus ſuis, atque adeò radijs deitatis eiuſdem lucidum, quodammodo tamen mortis velut obiectu eclypſim paſſum: per ſtellam denotari poteſt lucida eius anima, quæ ſemper fixa in firmamento Deitatis, per integram vnionem etiam in cruce colluxit. Proindèque rectè ſtella duce Magi vſque ad Ieſum in Bethleem peruenerunt. Inſuper per ſtellam in medio nebulæ denotari poteſt Chriſtus in cruce, quaſi in medijs tenebris, vel eadem eius anima, & diuinitatis fulgore, & gratiarum pulchritudine radians, ſed corpore ad crucem denigrato, & nebuloſo velut circumdata.

Luna quoque, etſi quia deficiens eſt & ſtultitiæ, & inconſtantiæ, ac mutabilitatis ſit ſymbolum, vt notauimus ſupra, vndè Romani lunæ imaginem geſtabant in calceis, vt tali ſymbolo nobilitatis, & excellentiæ inconſtantis, & ſemper ad finem cum deteriore mutatione properantis memores redderentur; non deſinit tamen plura etiam bona nobis ſignificare. Primò enim, cum, quò magis propinqua ad Solem, eò magis illuſtretur in parte ſuperiore qua reſpicit cælum, & obſcuretur in parte inferiore, qua reſpicit terram; & quando eſt omninò ſubiecta Soli, & cum eo omninò coniuncta, tum tota ſit lucida

lucida verſus cælum, & obſcura verſus terram: & contra, quando eſt oppoſita ſoli, tota illuſtris cernatur ab ijs qui terram incolunt, & nihil lucis habeat in parte ſuperiore, quam intuentur qui incolunt cælum, in his certè lunæ proprietatibus tropologicè præclarum habemus ſymbolum, quam ſolliciti eſſe debeamus propinquitatis, & ſubiectionis, & coniunctionis ad Deum verum Patrem luminum. Item ex S. Cæſario Fratre S. Gregorij Nazianzeni Dialogo 1. in fine eſt imago hominis nunc creſcentis, nunc decreſcentis, nunc viuentis, nunc morientis, nunc reſurgentis.

Allegoricè eſt ſymbolum Eccleſiæ, quæ à Chriſto quaſi à Sole ſuum mutuatur lumen, & gratiam: quæ modo perſecutionibus videtur imminui, iterumque tranquillitate recepta clariſſimi luminis hilaritate completur. Vnde dicitur cap. 43. Eccleſiaſtici v. 8. quod creſcat mirabiliter in conſummatione. Inſuper Beatiſſimæ Virginis Mariæ, 1. quia lucem gratiæ maiorem cęteris ſtellis, id eſt ſanctis, haurit à Chriſto, qui eſt Sol iuſtitiæ: atque per gratitudinem omnem ſuę lucis hauſtum eo regerit, vnde accipit, vt de luna ſcribit Plinius: ipſa cantione, *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius*. 2. Sicut Luna ex eodem Plinio, humilis eſt, & excelſa, quia alias admota cælo, alias contigua montibus, vel terræ. Sic & Beata Virgo in oculis ſuis erat humilis, ſed in oculis Dei excelſa; & quia humilis, ideo excelſa; ipſa enim ſe Ancillam Domini, dum ab Angelo ſalutaretur, nominante, inde facta eſt Mater Dei; Vndè 3. Sicut Luna citato capite Eccleſiaſtici v. 7. dicitur luminare, quod minuitur in conſummatione; ita Beata Virgo humilis, & minuta fuit in ſua perfectione, & exaltatione, vt, cum diceretur gratia plena, fieretque Mater Dei, ancillam ſe nuncuparet. 4. Sicut Luna maximè dominatur mari, ſic & Beata Virgo mundo per quare ſymbolicè apprime ſignificato, hominibuſque in eo periclitantibus clara luce præfulget, & prompta interceſſionis ope ſuccurrit.

Anagogicè Luna, quę eſt luminare minus, & præeſt nocti, ſignificare poteſt fidem, per quam in noſtræ huius peregrinationis, & exilij nocte *ambulamus & non per ſpeciem*, 2. Corinth. 5. & Scripturæ Sanctæ intendimus *tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco* 2. Petri 1. atque adeò Deus per vices corda noſtra illuminando viſitat, & aliquando in tenebris deſolationis relinquit, cum ipſe, vt Sol, Angelos Sanctos, & animas beatorum, quibus perpetuus dies eſt, *nox enim non erit illic*, inquit Ioannes Apocal. 2. æterna claritate illuſtrat; Vndè nos ad illam aſpiramus, & ſuſpiramus. Ad quam anagogiam ex fidei obſcuritate, iuxta pręſentis vitæ conditionem, ad æterna cognoſcenda, & amanda facit eruditus Lunæ, & ſimiæ apologus apud S. Cyrillum lib. 1. Apolog. moral. cap. 9. cuius titulus: *Tantum æternum dilige, & nunquam dolebis*.

Ibidem v. 8. *Et quaſi flos roſarum in diebus vernis*. In roſa, cui idem Simon Pontifex enconomaſtice aſſimilatur, plura quoque ſuppetunt ſymbola. Tropologice enim roſa, cum odoris ſit ſuauiſsimi, & in cibis, ac medicinis ſana, æque, ac ſapida, diſtilleturque ex ea aqua roſacea, quę aciem oculorum clarificat, & dolores mitigat, congruũ eſt Sapientiæ, & Sapientis Symbolum, cui hæc omnia myſticè apprime conueniunt. Item Virginitatis, & Virginum: Sic Sanctus Ludouicus Ordinis S. Franciſci Epiſcopus Toloſanus, moriens viſus eſt roſam ex ore emittere, ob meritum Virginitatis, quæ tanta fuit, vt nec matrem oſculari, nec fœminam in vultu aſpicere vnquam voluerit.

Roſa quoque ex Eucherio in form. Alleg. Symbolum eſt Martyrij, & Martyrum, coronari propterea roſis ſolitorum, ob ruborem ſanguinis pro Chriſto effuſi. Ex Rabano autem per flores

flores roſarum in diebus veris, quibus maximè mirum odorem exhalant, denotatur Martyrum ſanguis in virore naſcentis Eccleſiæ. Quia tunc maximè prædicatores Sancti trucidati ſunt pro dogmate Euangelicę fidei. Inſuper roſa ob omnes illas perfectiones, quibus cæteris inter flores excellit, & præcellit, ſymbolum eſt Beatiſsimæ Virginis Marię, propterea ab Eccleſia *Roſa myſtica*, nuncupatæ. Ac demum ipſiuſmet Chriſti ſpinea corona redimiti, in qua ſe ſe ad crucem inſtar roſæ expandens, ac ſuo ſe cruore perfundens, reſplenduit, vel vt ait Ambroſius, fuſi cruoris colore, ſpecioſius roſa vernauit.

Iſaię 2. v.2. *Et erit in nouiſſimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium*: tam hic, quam in pluribus alijs locis, per montem ſymbolice ſignificatur Chriſtus propter ſummam eius eminentiam; Mons dicitur in vertice montium, non ſolum quia cæteris omnibus Sanctis, Angelis, & hominibus doctrina, gratia, & gloria præcellit, ſed maximè ratione diuinitatis, cui coniuncta eſt humanitas. Ita quoque per montem in vertice mõtium denotatur Eccleſia, tum quia ſua altitudine, dignitate, & gloria ſuperat Iudæorum montes, ſcilicet Sion, in quo erat arx Dauidis, & Moria, in quo erectum erat templum; tum etiam quia Chriſtum montem habet pro capite. Tandem ex D. Gregorio lib. 1. Reg. 1. Mons domus Domini in vertice montium eſt Beata Virgo, quatenus eius ſanctitas ſuper omnes Sanctos, & Angelos effulſit, & inſtar montis eminuit. Ipſa enim *meritorum verticem ſuper omnes Angelorum Choros vſque ad ſolium deitatis erexit*, inquit Præfatus Doctor. Sed & tropologicè per mõtem in vertice montium ſignificantur perfecti, & ipſe perfectionis ſtatus; cum proficiẽtes collibus, & incipientes loco campeſtri aſſimilentur. Plura alia ſimilia habentur ſymbola in montibus tam abſolutè conſideratis, quàm ſub aliqua ſimul denominatione.

Cap. 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis &c.* ibi ſub ſymbolo funium, vel funiculorum repræſentantur peccata. 1. quia fiunt vt funes ex filis, id eſt ex rebus, & voluptatibus vaniſſimis, & leuiſſimis. 2. quia diſtorta ſunt, vt funes; 3. quia inuicem connexa, & implicata ſunt, vt funes; 4. quia fortia ſunt, vt funes, iiſque conſtricti peccatores difficile ſoluuntur; etſi enim facientibus peccatum futile, texatur, & adeo inane in ſe ac futile vti aranearum tela, vndè rectè dicitur funiculus vanitatis; cum tamen inde exire voluerimus, ſolidiſſimis nectimur vinculis, ex Diuo Hieronymo. Igitur quemadmodum aranea è ſuis viſceribus longa ducit fila, & inutilem orditur telam, qua poſtea denſata quaſi fune, & reti ſeipſam implicat: ſic peccator ſe ſe euiſcerat vanis laboribus, & curis in iiſque ita ſe implicat, vt licet in principio eius, peccata ſint inſtar fili, his tamen poſtea multiplicatis, ac veluti craſſecentibus inſtar funium, habeat tandem in fine, vnde ligatis manibus, & pedibus proijciatur in tenebras exteriores; adeò ſunt valida vincula peccatorum malæque in illis cõſuetudinis; de qua S. Auguſtinus ante conuerſionem in propria ait perſona lib. 8. Confeſſ. cap. 5. *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, ac conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido; & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.* Vide eumdem in Pſal. 52. & 139.

Cap. 7. v. 15. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare*; id ita ſignificat ad litteram Chriſtum, non futurum puerum, aut hominem phantaſticum, vt voluerunt Manichæi, ſed verum, ſimilem alijs infantibus, proindeque

infan-

infantilibus cibis nutriendum, quales tunc potiſſimum in Iudæa erant lac, & mel, ob quorum abundantiam ſæpe dicitur manare lacte, & melle; vt inſuper ſymbolicè deſignetur lacte maternitas, & fœcunditas (huius enim eſt effectus, & ſignum) B. Virginis, melle autem virginitas; mel enim prodit ex apibus, quas ſine coniunctione corporum generare communiter aſſerunt Philoſophi poſt Ariſtot. lib. de generat. animal. cap. 10. Hinc de B. Virgine dicitur etiam Cant. 4. 11. *Mel, & lac ſub lingua eius.*

Item ex Richardo de Sancto Victore parte 1. lib. 2. de Emmanuele c. 2. Chriſtum comedere Butyrum, & mel significabat abundantiam benignitatis, & iucunditatem cordis eiuſdem, tum noſtri exultantis in Deo Ieſu noſtro. *Mel,* inquit, *de cœlo venit mediante rore, butyrum de carne mediante lacte. Quid eſt enim butyrum, niſi quadam pinguedo lactis? & quid eſt mel niſi quadam dulciflua craſſitudo roris? In lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exultatio; butyrum de lacte colligitur, & vera cordis exultatio de vera cordis dulcedine generatur. Iuxta abundantiam benignitatis erit & abundantia iucunditatis. Si cor Chriſti attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo vberius exultauit.* Nec in vllo, quam in illo, & dulcedine charitatis illius nos ſuauius iucundari poſſumus. Symbolũ inſuper fuit doctrinæ Chriſti lacte purioris, melleque, & fauo dulcioris. Lac enim puritatis, & innocentiæ ſymbolũ eſt, vnde Homerus teſte Clemente Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 6. viros iuſtos, & innocentes vocat galactophagos; id eſt, lacte veſcentes. Mel autem ſapientiæ Prouerb. 24. 13. Quapropter etiam olim recens baptizatis dabatur lac, & mel, vt ſignificaretur tũ eorum infantia in Chriſto, tum vitæ, & doctrinæ Chriſtianæ, quam ſuſcipiebant innocentia, & ſuauitas. Ad quod alludens Tertullianus ait lib. 1. contra Marcion. cap. 14. *Mellis, & lactis ſocietate ſuos infantat Creator Deus.* Et lib. de corona milit. cap. 3. *Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Sancta autem Agnes dicebat, *Mel, & lac ſuſcepi ex ore eius.*

Demum ex Origene homil. 2. in hæc verba Iſaiæ; Emmanuel butyrum, & mel comeſturus dicitur, ſymbolice quærens ab vnoquoque noſtrum illa manducare. Idque, Si *opera,* inquit, *noſtra dulcia, ſermones noſtri ſuauiſſimi, & vtiles fuerint, hæc enim mella ſunt, quæ manducat Emmanuel, quæ manducat iſte, qui natus eſt de Virgine. Si verò ſermones noſtri amaritudine pleni ſint, ira, animoſitate, moleſtia, turpiloquio, vitijs contentione, dedit in os meum fel, & non comedit ab his ſermonibus Saluator. Comedit autem Saluator de ſermonibus, qui ſunt apud homines, ſi fuerint ſermones eorum mel.*

Cap. 15. v. 6. *Habitabit lupus cum Agno: & pardus cum hœdo;* per huiuſmodi beſtiarum tum ferocium, & noxiarum, tum manſuetarum metaphoras ſymbolice ſignificatur per Chriſti gratiam fore gentium omnium vnionem, & concordiam in Eccleſia; taliterque gentes feras, & barbaras depoſita feritate manſueſcere debere, vt puer paruulus, id eſt, quilibet quantumuis humilis prædicator, aut ſuperior facile eſſet illas docturus, & recturus. Quod maximè apparet in religionibus bene conſtitutis, vbi maximè viget Spiritus Chriſti. Ibi enim videre eſt ſuperbos, & feroces fieri humiles, & mites quaſi agnos; vt etiam à paruulis, & ſimplicibus ſe regi ſinant; & vt aiebat S. Franciſcus: Quanto contemptibilior eſt, qui præſidet, tanto magis humilitas obedientis placet; vel maior eſt obedientia.

Cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum,* per nubem leuem ſymbolice ſignificatur corpus Chriſti conceptum de Spiritu Sancto, ex Beata Virgine Maria. Quemadmodum enim nubes ex ſpiritu, & vapore terræ generatur. Sic

Chriſti corpus formatũ eſt à Spiritu S. & ex terrena ſubſtantia Matris. Vel etiã Chriſtus in nube leui, cum incarnatus corpore ex Virgine aſſumpto, eius brachijs veluti nube leui, quia nullo vnquam peccati, vel concupiſcentiæ põdere grauata, primum delatus eſt in Aegyptum. Quam autem nubes leuis, ſuper quam aſcendit Chriſtus, congruſt ſit Beatæ etiam Virginis ſymbolum patet. 1. quia, vt mox dicebam, nullius concupiſcentiæ, vel peccati onere prægrauata. 2. quia ſuper omnes res terrenas, quaſi nubes eminebat, mundoque Chriſtum pluit, & per eum concupiſcẽtiam noſtram reſtinxit; vel vt terra noſtra daret fructum, eius ariditatem humectauit.

Cap. 40. v. 31. *Aſſument pennas ſicut Aquilæ*. In aquilis ſymbolice ſignificantur iuſti, & ſancti, quia aquilarum dotes, & mores imitantur. 1. mente in cœlos conſcendendo, ſicut aquila alta volat; 2. habitando in petra, id eſt in Chriſto, ſicut aquila manet in petris. 3. roſtrum incuruum, id eſt animi prauitatem, & iram ad Chriſti crucem, veluti ad petram atterendo, ſicut aquila roſtrum aduncum, quod nimis excreuit, vt cibum capere non poſſit, ad petram allidit ex D. Auguſtino in Pſ. 102. docente hac ratione dici, aquilã ſe renouare. 4. omnia terrena generosè, & magnanimè deſpiciendo, ſicut aquila generoſa, & excelſa non capiat muſcas; eſtque ſignum animi excelſi, & magnanimi, vt videre eſt in emblemate Alciati, quo aquila tumulo Ariſtomenis inſidens depingitur in ſymbolũ fortitudinis, & magnanimitatis eiuſdẽ. 5. conuitia, & contumelias deſpiciendo, vt dicitur de Apoſtolis, quod ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu eas pati. Aegyptij enim, vt ſignificarent conuitiorum contemptorem, pingebant aquilam immotam, quæ nec pennis, nec roſtro minaretur quidquã mali, & iuxta eam cornicem, quæ eam laceſſeret, & conuitijs moleſtaret. 6. res arduas, maximè in ſeruitio Diuino, rebuſque ad illud ſpectantibus, ſumma induſtria, diligentia, ac labore ſuperando. Ad quod ſignificandum Claudius Paradinus in ſymbolis heroicis, aquilam pingit cerui capiti inter cornua inſidentem, pulueremque in alis collectum in oculos eius excutientem, vt excæcatum tandem de rupe præcipitet, cum hac inſcriptione.

Ardua deturbans, vis animoſa quatit.

7. Nullas aduerſitates expaueſcendo, quominus in incepto amore, & negotio honeſto perſeuerent. Ad quod etiã deſignandum, aliqui ita depinxerunt aquilam, vt ſub cælo procelloſo, ac fulgurante, immunis, atque intacta ſolem aſpiciendo, ab altera parte ad montem contendere videatur, cum hoc lemmate: *Neque occidere me, neque terrere me poteſt*. 8. Ita velociter currendo in via virtutis, vt cum in ea decurrunt, non tam pedites ire, aut curtere, quam volare, nec tam homines, quam aquilæ videantur, quarum alæ velociſſimæ ſunt. 9. quod tepidius nõnunquam inceperunt opus bonum, feruentius proſequendo, & perficiendo, renouato ſpiritu, aſſumptoque nouo diuinæ gratiæ robore, ſicut aquilæ ſenes ſe renouant, & iuueneſcunt. Quod varijs fit modis, de quibus videri poteſt D. Hieronymus hic, S. Auguſtinus in Pſal. 102. Albertus Magnus, & nouiſſimè Vliſſes Aldrouandus lib. 1. Ornithologiæ. Sed & Aquilæ in ſpeciali ſymbolum dicuntur contemplatiuorum, quatenus ſicut aquila & altiſſimè volat, & acutiſſimi eſt viſus, indeque dictam eſſe aquilam multi volunt, quod acute videat; ita contemplatiui aſſiduam habentes in cælis cõuerſationem, mentis aciem in Deum, ſolem verum, ac omnis luminis fontẽ figunt. Ad quod ſignificandum nonnulli aquilam alis explicatis depingũt ſolem intuentem, cum hac inſcriptione, vel lemmate, *Firmiter, & ſemper.*

Cap. 45.

Cap. 45. v. 8. *Rorate Cæli deſuper.* Sub metaphora roris è cælo decidentis ſymbolice ſignificatur ortus Chriſti. 1. quia ſi roris ortus latens eſt, & occultus; ita arcana fuit nedum æterna ex patre, ſed & temporalis Chriſti ex matre generatio; 2. cum ros nihil ſit aliud, quam purus, & ſubtilis vapor, reſolutus in aquam, ſymbolum eſt virginei eius partus. 3. ros nocte oritur: & Chriſtus, cum nox in ſuo curſu medium iter haberet, natus eſt. 4. cum ros pinguis ſit, pinguemque, & quaſi oleatum ſuccum terræ inſtillando eam fœcundet: ita Chriſtus veniens in mũdum rore ſuæ gratiæ pariter illum fœcundauit, vt proferret virtutes, æque ac ſanctos in omni virtutum genere conſpicuos. 5. ros eſt melleus, imo mel non eſt aliud quam roris medulla, eiuſque ſuccus prædulcis, & ſubtilis, qui herbis, floſculis, & terræ ſolo excipitur, atque ab apibus colligitur; quid autem cælo, & terræ, Angelis, & hominibus, Chriſto dulcius? de quo ait S. Bernardus, *Mel in ore, Melos in aure, iubilus in corde.*

Cap. 51. v. 16. *Poſui verba in ore tuo, vt plantes cęlos.* Congruè per Cælos ſymbolice deſignantur Sancti. 1. quia ſurſum habent cor, & mentem, eorumque conuerſatio eſt in cœlis. 2. quia ſi cælum dicitur, quod ſtellis ſit cælatum; Sancti quoque, & iuſti cælati ſunt Dei gratia, omnique virtutum genere, præſertim patientia in aduerſis; *Sicut ſtellę,* inquit D. Bernardus ſerm. 27. in Cant. *in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in aduerſis. Ergo virtus eſt ſydus, & homo uirtutum cælum.* 3. quia ſunt templum, & thronus Dei, ex Auguſtino in Pſalm. 122. *Habitat,* inquit, *in Cælo Deus, & cælum Dei ſunt omnes animę iuſtę, & ſanctæ. Nam & Apoſtoli quamuis in terra eſſent carne, cælum erant, quia in illis Deus ſedens per totum mundum ambulabat, & habitabat in eis Chriſtus per fidem, ſicut dicit Apoſtolus, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* 4. quia inſtar cęli pluunt, tonant, fulgurant, ex eodem D. Auguſtino in Pſalm. 101. ſerm. 2. *Per cælum,* ait, *non importunè intelligimus Sanctos Dei, in quibus manens Deus, intonuit præceptis, coruſcauit miraculis, imbrificauit terram ſapientia veritatis. Cæli enim enarrauerunt gloriam Dei.* Et ſerm. 3. de Apoſtolis: *Cæli ſunt ſancti narrantes gloriam Dei, à terra ſuſpenſi, Deum portantes, in præceptis tonantes, ſapientia coruſcantes.* Quod idem docet D. Gregorius homil. 30. in Euãgel. 5. quia iuſti, & ſancti per cęleſtes mores inchoant cæleſtem beatitudinem, ſicque incipiunt eſſe cœlum ex D. Chryſoſtomo homil. 16. in epiſt. ad Hebræos; item ex D. Auguſtino in Pſalm. 96. *Tu,* ait, *ſi vis cælum eris: purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiſcentias non habueris, & non fruſtra reſponderis ſurſum te habere cor, cęlum eris, carnem portans, et corde iam cælum es.*

Cap. 53. *Et nos putauimus eum quaſi leproſum.* Quam bene in ſymbolum Chriſti aſſumatur leproſus, ſequentes demonſtrant analogiæ. 1. quia, ſicut leproſus toto corpore lepra maculatus, ſui horrorem aſpicientibus incutit: ita Chriſtus toto corpore flagellis, & vulneribus liuidus, horrorem ſimul & commiſerationem in videntibus excitabat: vt merito Pilatus eum Iudæis proponens dixerit; *Ecce homo.* 2. Leproſus habebat iuxta legem Leuit. 13. veſtes diſſutas: ita milites ſciderunt veſtes, quin & carnem Chriſti. 3. Leproſus habebat caput nudum: ita Chriſtus nudo fuit capite, ſed ſpinea corona plexo. 4. habebat os veſte contectũ: ita de Chriſto ait Iſaias. *Abſconditus vultus eius.* 5. contaminatum, ac ſordidum ſe clamabat; Et Chriſtus de ſe ait: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis;* totuſque in cruce cruentus, quid aliud clamat? niſi, *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* 6. denique Leproſus ſolus habi-

habitabat extra caſtra, nemoque eos aditu, congreſſu, & ſermone dignabatur, imo omnes fugiebant illos tanquã peſtem: ita Chriſtus quaſi leproſus extra portam eiectus, & crucifixus fuit. Hebr. 13. 12. & Pſalm. 37. ait: *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt*: hoc eſt iuxta verſionem D. Hieronymi, quaſi contra lepram meam ſteterunt, & qui iuxta me erant de longe ſteterunt. Sed cum hę quinque vltimæ analogię fundētur in pręceptis legalibus de leproſo, prima autem in natura ipſius lepræ, ſui horrorem intuentibus incutientis, in iſta maximè fundatur ſymbolum, quo Iſaias aſſimilat, vel vocat Chriſtũ leproſum; vocat enim eum leproſum, quia à Deo percuſſus, ob peccata, & ſcelera noſtra, quorum & maximè ſuperbiæ noſtræ quaſi lepræ ſpeciem geſſit, eamque curauit, ſua hac abiectione. Eius enim liuore ſanati ſumus.

Cap. 54. v. 11. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris &c.* ibi ſub ſymbolo lapidũ pulchrorum, & prætioſorum, denotatur Eccleſia, in qua inquit S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 19. *Strauit Deus per ordinem lapides, quia in ea ſanctas animas meritorum diuerſitate diſtinxit. Fundauit eam in ſapphiris, qui ſcilicet lapides, coloris aerei in ſe ſimilitudinem tenent, quia robur Eccleſiæ in animabus cęleſtia appetentibus ſolidatur. Et quoniam Iaſpis viridis eſt coloris, iaſpidem propugnacula eius poſuit, quia illi contra aduerſarios pro Sancta Eccleſiæ defenſione obiecti ſunt, qui internis deſiderijs virentes, nulla teporis reproba ariditate tepeſcunt.* Vel etiam per huiuſmodi lapides, quibus Eccleſia, quaſi regia Dei magnificentiſſima fabricãda erat, nedum ſymbolicè ſignificantur, Apoſtoli, virique Apoſtolici, & Sãcti illuſtres, qui Eccleſiam vel fundarunt, vel propugnarunt, vel propagarunt, euexerunt, & ornarunt, hi enim carbunculi fuerunt per charitatem, Sapphiri, ob cæleſtem vitam; iaſpides, ob fortitudinem fidei; Verum etiam pulcherrima, pretioſiſſima, & ſolidiſſima Spiritus Sãcti Chariſmata, virtutes, Sacramenta, quæ ei communicaturus, quibuſque eam ędificaturus erat Chriſtus. Fundamenta quoque Ciuitatis Sanctæ, ideſt Eccleſiæ Apocal. 21. 19. aſſeruntur eſſe duodecim lapides pretioſi, ſymbolicè duodecim Apoſtolos denotantes.

Cap. 56. v. 10. *Speculatores eius &c. canes muti non valentes latrare.* Cum canis ad hoc potiſſimum vtilis ſit, vt latret, & latratu indicet, arceatque fures: quod ſi mutus ſit, & taciturnus, aut morbo, aut offa à fure in eius os iniecta, inutilis eſt, imo noxius: tum quia natura eſt vorax, tum quia in eius vigilantia, & latratu conquieſcit herus; ſic rectè canes muti ſunt ſymbolum malorum prælatorum, deuorantium ſubſtantiam ſui gregis, & populi, & nihil curantium paſcere illum, ac defendere à dæmonibus, & hæreticis: canes autem, vt latrando ſunt cuſtodes gregis aptè ſignificant bonos prælatos, & prædicatores, qui arguendo, obſecrando, increpando populum ſibi commiſſum verbo Dei paſcere, & ad iuſtitiam erudire non deſinunt; tum etiam ob alias analogias. Vnde Sanctorum Bernardi, & Dominici matres, eos vtero geſtantes, viſæ ſunt in ſomnis ſibi videre ſe geſtare catellos. Quo viſo portendebatur, eos fore egregios prælatos, & prædicatores, qui tum ſua lingua medicinali ſanarēt plagas multarum animarum, tum allatrando, nedum bonos inſtruerent, ſed & hæreticos, aliosque impios confutando tutarentur Eccleſiam Dei.

Cap. 58. v. 11. *Et ſicut fons aquarũ, cuius non deficient aquæ*: congruè miſericors, de quo ibi eſt ſermo, comparatur fonti: quemadmodum enim fons omnibus ſuam aquam largiter communicat, & quaſi viſcera ſua effundit, nec tamen deficit, ſed tantum ſemper recipit, quantum emittit. ita miſericors, & elee-

& eleemoſynarius plus à Deo recipit, quam in pauperes eroget, vt de Sancto Ioanne Eleemoſynario, & alijs pluribus legitur. Sicut enim aqua ad fontẽ, lac ad vbera, quæ ſuguntur: ita dona, & bona Dei ad eleemoſynarios confluunt ex D. Baſilio, & Clemente Alexandrino lib. 3. Pædag. cap. 7. Hebraicè legitur, *non mentiuntur aquæ*, pro *non deficient*, quatenus nunquam deficientes non fallunt. Etſi enim in æſtu, & ſiccitate, multi fontes exareſcant, decipiantque proinde heros ſitientes, & hiantes: fons tamen miſericordiæ eſt fons fidelis, qui in omni aliorum egeſtate, non deficit, ſed facit eos bonis abundare, quibus & miſericordis, & aliorum fames, ac ſitis expleatur.

Cap. 60. v. 8. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* ibi per nubes ſymbolicè ſignificantur Apoſtoli, & Prædicatores. 1. quia ſicut nubes è terra eleuantur in cœlum, ita & Viri Apoſtolici, & Prædicatores Sancti, quaſi terram non tãgentes, primum ſuæ, deinde aliorum ſaluti incumbunt, vitaque magis, & opere, quam voce illos docent. 2. quia ſicut nubes à Sole calefit, liqueſcit, & reſoluitur in pluuiam, vt terram riget, & fœcundet, ita Sancti Prædicatores, quorum in meditatione, & oratione exardeſcit ignis, à Deo per ipſum hauriunt calorem, & humorem ſpiritualẽ, quem in alios effundant, & quo illos bonorum operum fertiles efficiant. 3. Sicut nubes cum pluuia, quam terræ dant, ſæpe miſcẽt tonitrua, & fulmina, ita & prædicatores in exhortationibus miſcere quoque debent minas, & terrores iræ, & vindictæ Dei, maximè cũ peccatoribus; vt ait S. Auguſtinus ad illud Pſalm. 96. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.* Sanctus autem Gregorius explicans præfata Iſaiæ verba: *rectè*, inquit, *prædicatores ſancti nubes appellati ſunt: quia verbis pluunt, miraculis coruſcant. Qui volare quoque vt nubes dicuntur: quia in terra viuentes, extra eam ſuis omne quod egerunt. Vnde & per quandam nubem dicitur. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Priores enim patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, ſubſtantias poſſidebant, curis rei familiaris intendebant. Iſtos autem prophetia iam ſpiritus prauidens, ſubſtantias deſerere, nihil in terra quærere, nihil poſſidere, non eos velut homines per terram ambulantes, ſed nubes volantes nominat. Volant enim, qui terram quaſi non tangunt, quia in ipſa nihil appetunt.* Non incongruè etiam Apoſtoli, virique Apoſtolici eorum ſucceſſores, nubes dicuntur volantes, ſymbolicéque illis aſſimilantur, ob velocitatem, & celeritatem, qua euntes in mundum vniuerſum prædicauerunt, & etiamnum prædicant Euangelium omni creaturæ, ſiue prædicando in omnem terram exiuit ſonus eorum.

Per columbas verò ad feneſtras ſuas deſignantur fideles, & iuſti, primò ob ſimilem innocentię candorem; Secundò ob gemitum, quo inſtar columbarum, in hac valle miſeriæ, tum proprias, tum alienas gemunt miſerias; tũ harum pertæſi dicunt, heu nobis, quia incolatus noſter prolongatus eſt, vel, quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, cupientes diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Tertiò, ob directum, & fortem volatum, vt enim columbæ ex Poeta: *Radit iter liquidũ, celeres neque commouet alas*; ita fideles, & iuſti recti ſunt, & efficaces in opere, rectòque in Deum, & cęlum contendunt. Qui & ad feneſtras ſuas quaſi columbæ eſſe rectè à Propheta dicuntur, vel quia, vt ait D. Gregorius loco ſtatim citato, *Pro manſuetudinis ſuæ ſpiritu in hoc mundo per oculos nihil concupiſcunt*; Vel quia per Prophetas, & Sacram Scripturam, per feneſtras ſignificata, quaſi per ænigmata contemplantur in hac vita Deum; ex S. Ambroſio lib. de Iſaac, & anima cap. 4. Quas ob analogias, ac ſimiles, viri iuſti, ſanctitateque illuſtres ſæpè per columbam à Deo electi, & deſtinati ſunt; nonnulli verò animam ſub ſpecie columbæ efflauerunt;

flaucrunt; vt S. Mater Noſtra Thereſia, verè columba cęleſtis.

Cap. 64. v. 7. *cecidimus quaſi folium*, rectè ſub ſymbolo folij cadentis, vel vt ait Iob cap. 13. folij quod vento rapitur, deſcribitur homo diabolicæ tentationi ſuccumbens, ſeu à facie Dei flatu diabolico diſperſi. Vnde S. Gregorius lib. 11. Moral. cap. 22. vtrumque hunc locum explicans ait: *Quid eſt enim homo niſi folium, qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus leuatur. Mens quippe humana quot tentationes patitur, quaſi tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat: cum recedit ira, ſuccedit inepta lætitia. Aliquando hanc ſuperbia eleuat: aliquãdo verò inordinatus timor in infimis deponit &c. Vnde bene per Iſaiam dicitur: Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtra quaſi ventus abſtulerunt nos. Quaſi ventus quippe nos iniquitas abſtulit, quia nullo fixos pondere in vanam elationem leuauit.*

Cap. 66. v. 1 *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Vt dum dicitur Deus continere cœlum palmo, terram pugillo, in hac continentia Dei immenſitas ſignificatur, qua circumfuſus, & infuſus eſt in omnia; ita dum dicitur cælum eſſe ſedem Dei, & terra ſcabellum pedum eius ſymbolicè denotatur ſuprema eius maieſtas, quam apprime ſignificat huiuſmodi ſeſſio habens pro throno cælum, & pro ſcabello terram, quaſi partes mundi præcipuas, quibus cæteræ ſeruiunt. Sed & in ipſa terra non ignobilia diuinitatis ipſius veſtigia habemus, & ſymbola. *Primò* enim in ſtabilitate ſua, ſeu quatenus firmiſſimum eſt totius mundi cẽtrum, & fondamentum, quod niſi haberemus, non poſſet homo neque ambulare, neque quieſcere, neque operari, nec vitam vllo modo ducere: *Firmauit*, inquit Dauid, Pſalm. 92. *orbem terræ, qui non commouebitur*. Et Pſalm. 103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* In hac, inquam, terræ ſtabilitate, multo magis diuina fundatoris ſignificatur, quodque in eo ſolo anima humana locum quietis inuenire poteſt. Vt ait D. Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* *Secundò.* Si terra quaſi bona nutrix hominum, & animantium cæterorum, aſſiduè producit herbas, ſegetes, fructus, aliaque id genus innumerabilia: ita Deus, vt verus nutritius nos deducit: non enim terra, ſed Deus in terra omnia bona producit, vt paſsim in Scriptura legitur Pſ. 103. 146. Matth. 6. &c. *Tertiò.* Demũ, ſi terra argentum, & aurum, cæteraque metalla, & lapides pretioſos intra ſinum ſuum continet: multo magis id etiam competit Deo, dicenti Agg. 2. *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum.* Vndè nedum ab eo bona ſpiritualia, ſed & temporalia, tanquam à principio omnis boni ſperare debemus, & expectare.

Cap. 5. Ieremiæ v. 6. *Lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum*: cum ibi diſcrepent S. Interpretes, quis ad litteram per huiuſmodi animalia intelligatur vaſtaturus Iudæos; ſymbolicè Lupi veſpertini ſunt dœmones, qui noctu maximè graſſantur, hominesque ad libidines, cædes, aliaque ſcelera ſollicitant, ex D. Hieron. in Habacuc cap. 1. Vel hæretici, nam, vt ait S. Ambroſius in cap. 10. Lucæ, *Lupi ſomnum canum, abſentiam, aut deſidiam paſtorum explorant. Nonne lupo hæretici iſti comparandi ſunt, qui inſidiantur ouibus Chriſti, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno.* Ad hæc, ouium ſpeciem induunt, ſimulant ſe pietatis, & veritatis amantes, vt decipiant, & tenebras mẽti offundant. Tandem cum ſibi videantur acutiſsimi viſus, ſicut Lupi, hoc ſingulare habentes, quod nocte quaſi in luce videant, reipſa tamen tam opere, quam ſermone ſunt nocturni, & tenebroſi. Non incongruè quoque aſſimilantur pardo, quia ſicut pardus pellem habet reſperſam maculis, & frondibus

ſe occul

ſe occultans, odorem gratum emittit, quo capreas aliaſque beſtias ad ſe allicit, arripit, lacerat: ita hæretici doctrinam varijs errorum maculis reſperſam habent, & plerumque ſub ſpecie pietatis externæ, quaſi obiecto odore grato incautos decipiunt.

Cap. 11. v. 16. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum.* Sub ſymbolo oliuæ vberis, vel virentis, cuius nomine hic intelligitur Iuda, cum coleret Deum; rectè ſignificantur Eccleſia, & Sancti. 1. Ob ſoliditatem virtutis. Lignum enim oleæ nec tempeſtas, nec caries, nec vetuſtas labefactat. Vnde apud veteres æternitatis erat ſymbolũ: & in Scriptura Henoch, & Elias, vt potè æternitatis candidati, vocantur oliuæ Zachar. 4. 14. & Apocal. 11. 4. 2. Ob fertilitatem, eſt enim oliua fæcundiſsima. Vnde Pſal. 51. dicitur. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Et Apoſtolus Rom. 11. ait, Gentes ex ſterili oleaſtro, inſertas eſſe in bonam, & fertilem oliuam. 3. Ob pinguedinē gratiæ, charitatis, & deuotionis, qua abundantes iuſti, eam quoque dant, ſeu communicant tanquam valorem, bonis operibus ſuis. 4. quia ſicut oliuæ folia nunquam defluunt, ſed ſemper virent, ita in Sanctis diuinę gratiæ rore reſperſis, ſemper viret virtus, & pulchritudo bonorum operum. 5. propter miſericordiam, hanc enim virtutem, quæ eſt maximè propria Sanctorum, ſignificat oliua. Indeque Salomon in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum, 3. Reg. 6. v. 31. vt denotaret miſericordiàm ad cælum, cuius typus erat oraculum, ducere. 6. propter pacem, Sancti enim ſunt pacifici, paciſque amatores cum omnibus, cuius ſymbolum eſt oliua. Quocirca columba adferens ad Noe ramum oliuæ, finem diluuij, pacemque terræ, & hominum eum Deo ſignificauit. 7. denique oliua folijs exiguis, & pallidis, ſed fructu vberrima, indicat Sanctos honorem, & oſtentationem fugere, ſed interius ſolido virtutis fructu paſci.

Cap. 13. v. 19. *Ciuitates auſtri clauſæ ſunt.* Etſi ibi litteraliter per ciuitates Auſtri intelligantur ciuitates Iudeę quæ Auſtralis eſt reſpectu Chaldęæ, vel vrbes tribus Iuda, & Ieruſalem, quæ ad Auſtrum erant reſpectu aliarũ Tribuum; *clauſæ* dictæ, id eſt deſertæ, & inhabitatæ, quia omnes ciues abducti fuerãt à Chaldęis, ſolent enim domus, quæ non habitantur, ſemper eſſe clauſæ, vt ait D. Hieronymus: Tropologicè tamen huiuſmodi ciuitates aptum eſſe poſſunt ſymbolum congregationũ, maximè religioſarum, in quibus quamdiu Spiritus Sanctus, eiuſque gratia regnat, rectè ciuitates Auſtri dicuntur: cum, vt notat S. Thomas, *Spiritus Sanctus ſymbolicè ſit Auſter, illique aſsimiletur. 1. ob calorem, Iob 37. Nonne veſtimenta tua càlida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro? 2. ob ſplendorem, Habacuc 3. Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan: operuit cælos gloria eius. 3. ob volatus, & mentis eleuationem, Iob. 39. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum? 4. propter pluuiarum multiplicationem, Pſal. 125. Conuerte Domine captiuitatem noſtrã, ſicut Torrens in Auſtro. 5. propter arborum fructificationem, Cant. 4. Veni Auſter, perfla in hortum meum, & fluent aromata.* Huiuſmodi autem congregationes religioſæ, vel ſacra clauſtra, vt regnante in eis Spiritus Sancti gratia, rectè *ciuitates Auſtri* nuncupari poſſunt; ſic vbi à priſtina puritate labuntur, ita quod Spiritus Sanctus àb eis diſcedat, dicuntur clauſæ, & non eſt, qui aperiat eas, niſi Deus omnipotens, ex Alberto Magno.

Ibidem v. 3. *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas.* Hoc ſymbolo deſignatur difficultas reſiſtendi peccato, proueniens ex conſuetudine peccandi. Quatenus, ſicut eſt impoſſibile, mutare Aethiopem pellem ſuam, & pardum varietates, ſeu maculas ſuas, cum nigredo in Aethiope, &

pe, & varietas in pardo ſit naturalis, ideòque immutabilis; ita valdè difficile eſt mores inolitos relinquere, & corrigere, non tamen impoſſibile, in hoc enim non eſt ſimilitudo, ſed in ſola difficultate, cum peccatum in homine non ſit naturale, ſed voluntarium, & liberum; atque adeò ſemper maneat in homine etiā ſceleratiſſimo libertas arbitrij ad illud.

Cap. 17. v. 11. *Perdix fouit: quæ non peperit: facit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas*: hic ſub ſymbolo perdicis ſignificatur iniuſta opum acquiſitio, eaſque ſic mala partas ſubitò auolare. Sicut enim perdici mos eſt, vt ſcribunt Ariſtoteles, Plinius, & alij, alterius perdicis, id eſt aliena oua furari, eis incubare, excludere pullos: qui cum adoleuerint, & vocem excludentis audierint, ab ea quaſi aliena auolant ad primam, & veram matrem, quæ oua poſuit, cuius vocem naturæ inſtinctu agnoſcunt: ita quoque à diuitibus, qui *non in iudicio*, id eſt, non iuſtè, ſed iniquè vſuris, rapinis, alijſque malis artibus per fas, & nefas opes cōgregantur, vel ſubita mors, aut caſus ſubtrahit, iuxta illud Luc. 12. v. 20. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti cuius erūt? ſic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.*

Cap. 3. Threnorum v. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi ne tranſeat oratio*. Ibi ſub ſymbolo nubis ſignificantur peccata, vt iam ſupra diximus. 1. quia ſunt quaſi atri, & tetri vapores aſcēdentes ex prauo corde, quaſi ex vliginoſa, & paluſtri terra. 2. quia Solis, id eſt, Dei aſpectum, beneuolentiam, & beneficentiam adimunt. 3. quia, ſicut ex nubibus grandines, tonitrua, & fulmina prodeunt; ita ex peccatis proſilit ira, furor, & ſupplicia Dei. 4. ſicut nubes diſpeſcunt cælum à terra, ita peccata ſeparant hominem à Deo, & Cælo.

Cap. 3. Ezechielis v. 9. *Dedi faciem tuam, &c. vt adamantem*. Etſi aliqui exiſtiment; quod Sacra Scriptura non vtatur adamante tanquam ſymbolo, niſi in malum; nimirum ad ſignificandum duritiem, obſtinationem, faſtum, & tyrannidem Ier. 17. 1. Zachar. 7. 12. nihilominus cum Deus hic Ezechielē Prophetam faciat adamantem, vel det faciem eius vt adamantem, ſitque adamas gemma pretioſiſſima, clariſſima, & præſtantiſſima, verius eſt eam ſumi poſſe in bonam partem; aptumque ſymbolum eſſe inuictæ fortitudinis, & conſtantiæ, ideoque Martyrum, & Sanctorum Prælatorum, diuinique verbi Prædicatorum, qui in annuntianda veritate nec pudore vinci, nec metu tacere debent, aut palleſcere; adhibito tamen prudenti iudicio, & diſcretione cum modeſtia in reprehendendo, maximè quando corripiendi ſunt Magnates; ita vt ſint per manſuetudinem magnes, vt omnes ad ſe alliciant, per patientiam, & conſtantiam adamas, vt de S. Baſilio ſcribit S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri; *Duorum*, inquit, *lapidum naturas imitabatur laudabilium, factus eſt enim percutientibus adamas, diſſidentibus magnes*. Tandem cum Plinius lib. 37. cap. 4. quatuor recenſeat adamantum ſpecies, ex locis vbi generantur, ſcilicet Indicum omnium præſtantiſſimum, Arabicum, Macedonicum, & Cyprum; atque miras eorum dotes; ſingulæ facilè aptari poſſunt viro forti, & conſtanti; præſertim Sanctis Martyribus, Dei præconibus, & prælatis.

Cap. 36. v. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneū*. Tam hic, quàm alibi ſæpè in Scriptura ſub metaphora, vel ſymbolo cordis ſignificatur humana voluntas. 1. quia, ſicut cor eſt principium vitæ naturalis, ſic voluntas eſt principium vitæ moralis, piæ, vel impiæ. 2. quia ſicut cor eſt officina ſpirituum, quos toti corpori ſubminiſtrat, per eoſque eſt principium, & cauſa omnis motus: ita voluntas eſt primum mouens quoad exercitium, indeque officina virtutis, & vitij, meriti, & demeriti, omniſue actionis bonæ, & malæ.

malæ. 3. quale eſt cor, talis eſt ſpiritus, talis eſt & habitus corporis. Sic qualis eſt voluntas, talis eſt homo. 4. corde ſano, ſanum eſt corpus, gaudente gaudens, dolente dolens: ita ſana voluntate, Deumque ex totis viribus ſuis diligente, ſana eſt anima, lætante læta, mœrente mœrens. Proptereaque Sapiens Prouerb. 4. 23. ait: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit.* 5. cor hominis, ſubſtantia ſua eſt ſolidum, firmumque, complexione ſua igneum, figura pyramidale, ſed ſitu inuerſo; cum ſupernè ſit amplum, & cauoſum; internè autem in cuſpidem deſinens: Ad ſignificandum voluntatem hominis ſolido amore ferri debere in cæleſtia, eaque pleno ſinu haurire, & excipere. terrena verò vix, & quaſi in puncto tantùm,ſeu quatenus præcisè ſunt neceſſaria attingere. 6. ſicut cor inquietum eſt, continuaque agitatione mouetur, quaſi ſolitarium animal. Nam vel per diaſtolen extenditur, ad recipiendum ea, quæ ſunt homini neceſſaria, vel per ſyſtolem contrahitur ad expellendum noxia: ita ex Diuo Bernardo tract. de Interiori domo cap. 55. voluntas deſiderijs ſuis circumagitata nunquam requieſcit: ideoque in vno æternitatis deſiderio immobiliter figi debet. 7. ex medicis cor eſt fons lachrymarum; tres enim docent exhalationum in homine eſſe fontes, ſtomachum, hepar, cor: ſtomachum vapores emittere ſurſum, qui per nares excernantur; hepatis fumos, per aures; cordis, per oculos lachrymantes effundi; ita voluntas compuncta, & dolens eſt fons lachrymarũ in pœnitente. 8. Tandem, cum cor ſymbolum ſit, & ſecundum Galenum ſedes ſapientiæ, nimirum quatenus ſaporem dicit, eſtque ſapientia idem ac ſapida ſcientia: vndè Poeta,

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Sic quoque, cum iuxta Philoſophum vnuſquiſque iudicet, ſecundum quod eſt affectus, rectè voluntas in eodem ſenſu ſapere, ſeu ſaporem cauſare dicitur. Vndè cor quando dicitur lapideum, aut ſimile quid ei iungitur epithetum, ſignificat voluntatem terrena ſapientem, vitijſque aſſuetam, aut in illis induratam, vt lapis, atque adeò difficile ad æterna, et cæleſtia mobilem; cor autem carneum, cum caro obſequens ſit, et flexilis denotat voluntatẽ facilem, quæque Dei inſpirationes ſtatim excipit, ſibique imprimit, & opere exequitur.

Cap. 40. v. 3. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi aris:* Ibi in ære ſymbolicè ſignificatur Chriſtus. *Ipſe*, inquit Diuus Gregorius homil. 13. in hoc cap. *ſignatur in ære, qui figuratur in monte, ſcilicet Chriſtus, quia & ipſe omnia infra S. Eccleſiam indicando diſponit, & ipſe eamdem portat, & portando ad cæleſtia ſubleuat. Habet ſpeciem æris, quod durabile eſt, & ſonorum; quia formam ſerui accipiens, fragilitatem noſtrã carnis humana per reſurrectionis ſua gloriam vertit in æternitatem: quia in ea caro facta eſt iam ſine fine durabilis, ac per eamdem inſonuit omnibus gloria maieſtatis ſuæ; quia Deus mundo innotuit ex carne.* Chriſtum etiam in monte, de quo dicitur ibidem: *ſuper montem erat quaſi ædificium ciuitatis*, rectè figurari, iam diximus ſupra, qui de terra quidem, ſed vltra terram eſt; nam caro eius de imis habet materiam, ſed in ſummis, vt mons, poteſtate præeminet, in qua fundatur, & ſuſtinetur moles Eccleſiæ, quæ eſt ciuitas Regis magni, dœmonibus propterea inacceſſa, & inuicta, hominibus autem conſpicua, totique orbi illuſtris, non enim poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem poſita.

Cap. 7. Danielis v. 6. *Antiquus dierum ſedit*, ſub ſymbolo ſenis, ſeu antiqui dierum ſignificatur Deus: *Propter hoc*, inquit D. Dionyſius cap. 10. de Diuinis nom. *quod omnium ipſe eſt, & æuum, & tempus, & ante dies, & ante æuum, & tempus, & diem; ſicut exiſtens intranſmutabi-*

tabilis, & immobilis, & in hoc quod ſemper mouetur manens in ſeipſo; & ſicut aui, & temporis, & dierum cauſa. Tum etiã propter immenſam eius ſapientiam, quæ maximè viget in ſenibus. Nam vt dicitur Eccleſiaſtici 28. *Corona ſenum multa peritia*. Et Iob 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*. Specialiter etiam ſub ſymbolo ſenis deſignari poteſt Pater prima Trinitatis perſona, quia licet filio ſuo antiquior dici non poſſit, æternus enim Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; eſt tamen prior origine, quã filius eſt Deus ante ſæcula genitus, tẽpore autem, quà homo eſt in ſæculo natus. Indè emanauit vſus Eccleſiaſticus pingendi Deum, vel Patrem æternum ſub forma ſenis, quẽ enim Scriptura verbis pingit, imo qui ſeipsũ imagine hac, in phantaſia Danielis depinxit, nobis quoq; ſimili imagine, & coloribus pingere licitũ eſt; non enim per illa conamur Dei naturã exprimere, vt potè quæ neque coloribus, neque verbis, neque cogitatione pingi poteſt; ſed vt, vel eius proprietates, vel effecta hac ratione ſymbolicè cognoſcamus, ſeu in ænigmate iuxta præſentis vitæ conditionem.

Cap. 2. Oſee v. 6. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis*: Sub ſymbolo ſpinarũ viam Sapientium, ſignificatur aduerſitas, vel corrigens peccata, vel obſtruẽs illis vias. Ex D. Gregorio lib. 34. Moral. cap. 2. & homil. 36. in Euangel. *Spinis*, inquit, *electorum via ſepiuntur, dum dolorum punctiones inueniunt in hoc, quod temporaliter concupiſcunt. Quaſi interpoſita maceria vias eorũ obuiat, quorum nimirum deſideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profectò animę amatores ſuos quærunt, & non inueniunt; dum ſequendo malignos ſpiritus, nequaquam eas, quas appetunt huius ſæculi voluptates apprehendunt. Tunc dicit. Vadam ad virum meum priorem*, id eſt ad Deum: *quem tunc mens vniuſcuiuſque deſiderat, cum multiplices amaritudines, velut quaſdam ſpinas inuenit in ijs delectationibus, quas temporaliter concupiſcit. Nam dum aduerſitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœpit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas praua peruertit, plerumque aduerſitas corrigit*; vti correxit filium prodigum fame pereuntem Luc. 15. pluteſque alios.

Cap. 4. v. 2. *Et ſanguis ſanguinem tetigit*; cuius cum plures ſint interpretationes, omnium tamen magis propria eſt, ibi ſanguines accipi pro peccatis. *Sanguis*, inquit D. Gregorius hom. 11. in Ezechiel, *ſanguinem tangit, quando peccatum peccato additur; vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruẽtetur*. Ita vt hic ſanguis ſit peccati ſymbolum. *Primò* cauſaliter ſubminiſtrando materiam tam libidini, quàm iræ, & ſuperbiæ, eaſque accendendo, & inflammando. Vndè ſanguis eſt ſymbolum carnalis ſenſus, & cupiditatis. Vel etiam quia ſanguis eſt ſedes, & inſtrumentum concupiſcentiæ, quæ eſt cauſa peccati. *Secundò*, quia effuſio ſanguinis, nimirum homicidiũ, cenſetur inter homines eſſe omnium grauiſſimum. *Tertiò*, quia ſanguis Iudæis ex lege Leuit. 17. 10. erat immundus, & abominabilis, nec eo licebat veſci. *Quartò* denique, quia peccatum occidit animam, eiuſque proindè vitam, & quaſi ſanguinem ſpiritualem effundit.

Cap. 5. v. 12. *Ego quaſi tinea Ephraim, quaſi leæna*; ſymbolicè tinea dicitur Deus, vel quia, ficut tinea inuadit veſtem, aut lignum, non ſanum, & elimatum, ſed vetuſtate, puluere, alijſque ſordibus ſqualidum; vndè homini ſordido tineas minatur. Martial. lib. 2. *Non metuas mortem Nuuole, ſed tineas*. Ita Deus inuadit, & punit ſordibus peccatorum coinquinatos. Vel quia, ſicut tinea clanculum rodit pannos, ita Deus occulto, ſed ſemper iuſto indicio, nonnunquam etiam occulta infert damna, & ſtrages. Vel denique Deus eſt quaſi tinea, quia in hac vita peccatores caſtigat

ſtigat leuiter vt tinea; leæna autem, quia in die iudicij, & in gehenna ſequiet, & lacerabit eos, quaſi leæna, cui, cum fortiſsima ſit, & ferociſſima, præſertim cũ peperit, aliſque catulos, meritò Dei vindicta comparatur, imò, vt notat hic D. Hieronymus cuicumq; beſtiæ truci, & efferatæ, qualis eſt leo, ſignificatę ibi per verbum Hebræum *Scachal*: *Vt*, inquit præfatus S. Doctor, *quidquid ſæuum in beſtijs eſt, hoc in Dei indignatione cognoſcas*.

Cap. 6. v. 3. *Quaſi diluculum præparatus eſt greſſus eius*. Hic iterum Chriſti ortus tum diuinus, tum humanus ſub ſymbolo auroræ ſignificatur. 1. quia ſicut aurora eſt prima diei lux, ita primum Dei Patris opus fuit ęterna filij generatio. 2. quia ſicut aurora Solem tegit, & quaſi parit, ita caro Chriſti temporaliter naſcens tegebat eius diuinitatem, eamque tamen nobis ſecum afferebat, & quaſi pariebat, vt qui Deus erat inuiſibilis in ſuis, factus fuerit viſibilis in noſtris, dictuſque conuerſari nobiſcum. 3. ſicut aurora eſt lux exigua, quæ creſcit vſque ad meridiem, ſeu perfectum diem; ita & creuit Chriſtus infans factus, ne phantaſticum corpus aſſumpſiſſe videretur, ætate, ſapientia, & gratia apud Deum, & homines, vſque ad crucem, quæ fuit eius meridies, perfectuſue dies, iuxta illud Sponſæ ad ipſum: *Oſtende mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*. 4. quia, ſicut auroræ lux, hominibus pręcedentis noctis tenebris fatigatis, optatiſſima, gratiſſimaque eſt; ita toti generi humano ſedenti in tenebris, & in vmbra mortis deſideratiſſimus, & iucundiſſimus fuit Chriſti ortus. 5. ſicut in aurora deſcendit ros ex aere, qui herbas, & plãtas vegetat; ita & Chriſtus ex cælo per Virginem opera Spiritus Sancti prodijt, qui nedum animas peccato mortuas ſua gratia irrorans viuificat; ſed & bonis operibus, meritiſque fęcundat.

Cap. 7. v. 11. *Et factus eſt Ephrahim, quaſi columba ſeducta non habens cor*, Cum ferè vbique in Scriptura columbæ ſymbolum in bonã accipiatur partem, hic ſumitur in malam; qua nimirum ratione columba dicitur non habere cor, ſeu eſſe ſtupida. Cum enim ex Ariſtotele, & alijs, nec columba, nec vllum animal, quod ſanguinẽ habeat, poſſit viuere ſine corde; cor hic non phyſicè, ſed ſymbolicè accipitur pro ſenſu, & ſapientia, qua, quia præ reliquis auibus carent columbæ, ideo dicuntur vecordes, & excordes, atque adeò ſymbolum eſſe poſſunt in malam partem. 1. ingrati erga bene de ſe meritum, nam mas columbæ, vbi robuſtior euaſerit, ex conſortio matris patrem expellit, itaque ei connubio iungitur, ex Aldrouando in Columba. 2. peccatoris facilè ſe à Dæmone illaqueari ſinentis; cum enim reliquæ aues retia caueant, & aucupem fugiant; columba autem adeò ſtupida ſit, vt propter obiectam eſcam, præſertim tempore niuis, ſponte in retia incurrat: mox enim vt videt abeuntem eum, qui retia tetendit, in illa ad eſcam deuolat; hoc, & alijs omnibus modis, quibus ab aucupibus decipitur, ſignificat totidem ferè illuſionibus hominum animas à dęmone in tartara detrudi, vt oſtendit Prudentius in Hamartigenia illas enumerans. Vndè Chriſtus Dominus Matth. 10. monet; vt ſimplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentia copulemus, eaque illam acuamus, & cuſtodiamus, vt ſcilicet nos ſimus ſimplices, ne alijs noceamus; ſed & prudentes, ne aliorum inſidijs capiamur. Prudentia enim ſine ſimplicitate, calliditas eſt: ſimplicitas ſine prudentia, ſtultitia eſt. 3. columba ſymbolum ſuperborum eſſe poteſt, quia vt docet Plinius lib. 10. cap. 36. ſibi in colorum varietate mirè placet, vndè vt eam columbæ in pennis ſuis, alijſque oſtentent, inani quadam iactantia eas inter ſe collidunt, & implicant, vt reſonent, ſtrepitumque edant; ad quem excitati accipitres aduolant, eaſque implicitis alis auolare non potentes facile capiunt.

piunt. Sic etiam Superbi vanæ gloriæ, vel ob ſuas opes, vel ob pulchritudinē aliaque ſimilia, indulgentes incidunt in inſidias diaboli, ſibique mortem vltrò adſciſcunt. 4. tandem in columba habemus ſymbolum recidiui peccatoris. Sicut enim illa, cum ſingulis menſibus oua pariat, & pullos excludat, videatque ſingulos è columbario, vel nido continuè auferri, ad eum tamen obliuioſa, & ſtolida ſemper redit; ibique rurſum oua fouet, pullos excludit, qui iterum auferantur; ſecus facientibus alijs auibus, quæ ouis, aut pullis ſublatis aufugiunt, nidumque mutant. Sic qui in peccata recidunt, licet videant ſe ſpoliari diuina gratia, & bonorum operum fructu; ea tamen iterum, atque iterum committunt, ſine vllo quaſi doloris, tantique diſpendij ſenſu.

Cap. 10. v. 11, *Ephraim vitula docta diligere trituram*. Sub ſymbolo huiuſmodi vitulæ ſignificatur ex D. Gregorio lib. 20. Moral. vis conſuetudinis; iuxta illud Sapientis Prouerb. 22. 6. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*, vndè vulgo, & verè dicitur: *Conſuetudo eſt altera natura*. *Vitula*, inquit præfatus S. Doctor, *trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque, ad eumdem laboris vſum etiam non compulſa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi ſeruitijs dedita, & rerum temporalium fatigationi aſſueta, etiamſi ſibi liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat, & vſu miſeræ conuerſationis trituram laboris quærit, vt à iugo mundanæ ſeruitutis ceſſare non libeat etiamſi liceat.* Quod idem habet homil. 19. in Ezechiel. *Nonnulli*, inquit, *vt in hoc mundo aliquid eſſe videantur terrenis laboribus inſudant, inſiſtunt cauſis, permiſcentur iurgijs. Et quāuis ſe corpore deficere inter labores ſentiant, amore tamen terrenarum rerum deuicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere trituram, &c. rogant vt premantur, graue ſe incurriſſe periculum quietem putant.* Vndè rectè illis conuenit illud Iob cap. 30. 7. *Qui inter huiuſmodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delitias computabant*. Et illud Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum*.

Cap. 1 Ioelis v. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo*. Per has quatuor plagas erucæ, locuſtæ, bruchi, & rubiginis, ſymbolicè multa ſignificari poſſunt. 1. in ſenſu allegorico quatuor præcipuæ perſecutiones Eccleſiæ; prima Gentilium; ſecunda hæreticorum; tertia malorū Chriſtianorum; quarta Saracenorū, & Antichriſti, cuius hi ſunt prodromi. 2. in ſenſu tropologico, quod vnum vitium alteri ſuccedit, ex Hugone à S. Victore in hunc Ioelis locum, & S. Gregorio lib. 33. Moral. cap. 27. Sanctus autem Hieronymus ait, Erucam repræſentare ægritudinem triſtitiæ, locuſtam gaudium, bruchum metum, rubiginem ſpem. Quas potiſſimum paſſiones inter ſe conflictantes, & animam depaſcentes, ſupprimat, & edomet, neceſſe eſt, qui eius quietem, & ſalutem ambit. Sanctus denique Paulinus epiſt. 30. quæ eſt ſecunda ad Aprum, putat per has quatuor plagas, ſiue beſtias deſignari, quem in cordibus noſtris vitia paulatim progreſſum faciunt. *Vide*, inquit, *qualiter iſta ſibi congruant in cordibus noſtris monſtra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monſtrorum. Nam (verbi gratia) ſi quid vetitum concupiſcam, & mox abijciam cogitationem*, eruca *eſt in folio ſedens, quæ decuſſa, ſi abiecero quidem, ſed rurſus redierit cogitatio, & cœperit abijci, & redire erubeſcat*, locuſta *eſt auolans, & reuertens. Quod ſi cœperis immorari, & maius habuerit ſpatium ei comedendo, quam auolando*, bruchus *dicitur. Quod ſi ipſe bruchus, qui non ſatis auolat, ſed magis ſedet, non fuerit abiectus, in* rubiginem *vertitur; quæ iam penitus inhæreſcens, vt de ſtipula, ſic de anima nunquam, aut difficile expellitur*.

Cap.

Cap.2.v.23. *Et deſcendere faciet Dominus ad nos imbrem matutinum, & ſerotinum*. Etſi hoc modo loquendi ſignificetur meſſis,& fruges temporales copioſè dandæ Iudęis poſt reditum è captiuitate Babylonica; nihilominus ſub huiuſmodi ſymbolo imbris matutini, & ſerotini, longè magis intendit Propheta in ſenſu allegorico ſignificare fruges, & bona ſpiritualia danda per Chriſtum, eiuſque doctrinam,& gratiã, longè maiori vbertate, quam olim in veteri teſtamento imber matutinus, & ſerotinus cauſauerint bonorum temporalium abundantiam. Item per imbrem matutinum intelligi poteſt prædicatio prima,ſiue doctrina, illuſtratio, & gratia præueniens, quæ primò peccatorem conuertit, facitque iuſtum; per ſerotinum verò illuſtratio, & gratia conſequens, quæ iuſtum in iuſtitia promouet,& ad perfectionem deducit, ac præſertim eſt donum perſeuerantiæ, quod iuſtum ad gratiam conſummatã, hoc eſt ad æternam beatitudinem perducit. Vel etiam matutinus imber fuit prædicatio Euangelij facta Iudæis à Chriſto, & Apoſtolis: Serotinus erit, quæ fiet ab Helia, & Henoch in fine mundi, cum omnis Iſrael ſaluus fiet. Aut tandem imber matutinus fuit vetus Teſtamentum, quod prima pietatis ſemina pullulare fecit: Serotinus eſt nouum, quod veteris ſemina maturauit, & ad meſſem virtutum perduxit. Ita ex D. Hieronymo, Ruperto, Haymonio, & alijs in hunc locum.

Cap.5. Amos v. 7. *Qui conuertitis in abſinthium iudicium*; vt hic iudicium ſumitur à multis pro iuſtitia, & ſanctitate; ita & peccatum ſymbolicè vocatur fel, toxicum, abſinthium; primò quia animam lædit,& occidit. Secundò, quia qui peccat, ſeu conuertit virtutem in vitium, iuſtam, & ſanctam vitam in peccati amaritudinem, Deo quaſi fel, & abſinthium propinat. Tertiò, quia modicum mel, & voluptas peccati æternum fel, & dolores amariſſimos nedum in altera, ſed & ſæpè in præſenti vita accerſit.

Cap.8. v.1. *Et ecce vncinus pomorum*; vt per vncinum, quod eſt inſtrumentũ, quo hortulani attrahunt ramos, vt poma decerpant, ſymbolicè intelligi poteſt mors omnia ad ſe attrahens: ita quoque vita humana per poma. 1. quia ſicut poma citò in gemmas erumpunt, creſcunt, matureſcunt, carpuntur, ita & homines. 2. quia pomum rotundum gerit ſpeciem orbis, qui rotundus eſt; & vitæ humanæ, quę gyrat, & in orbem ſemper recurrit, generatione prętereunte, generatione adueniẽte. 3. quia cum ex quinquaginta floribus quibuſlibet, vix vnus in pomum maturum euadat: ſic ex tot infantibus, qui naſcuntur, vix vnus in virum euadit, ſed alij in infantia, alij in pueritia, alij in adoleſcentia moriuntur. Quam miſeram hominum ſortem cõſiderans quidam Philoſophus ſapienter ait: *Breuis vita prohibet ſuſcipere longas ſpes, vel ad eas aſpirare*. 4. Sicut ex Plinio lib.17. cap. 24. inter arbores infirmiſſima eſt malus, maximèque quæ dulcis eſt: ita quid inter animalia infirmius homine? quem propterea deſcribens S. Iob ait: *Homo natus de muliere breui viuẽs tempore repletur multis miſerijs*. Taliter quod in ſolo eius oculo morbos centũ numeret, & nominet Galenus lib. qui inſcribitur *Introductio*, ſeu *Medicus* cap. de oculorum affectibus. An non ergo poma ſunt homines, quos mors, & vncinus attrahit; vt proindè Cæſar Ripa in Iconographia, Iure merito ex hoc loco Amos illam pinxerit cum falce, & vncino pomorum, quia ſicut falce omnia demetit, ita vncino omnia carpit, inſtar pomilegi.

Cap.1. Abdiæ v. 4. *Si exaltatus fueris vt aquila*. Cum aliàs ſæpè aquila ſumatur in bonam partem, hic accipitur in malam; eſtque ſymbolum ſuperborum, & altum ſapientium doctorum, qui, vt aquilæ cordis oculos ad ſolem iuſtitiæ erigunt, mentiſque aciem in veritatis radium, ſed indè inflati, & ambulantes in magnis, & in mirabilibus

ſuper

ſuper ſe elationis merito, ad errorum, & peccatorum caliginem reuertuntur; & quò ſuperbiendo altius ſe attollunt, eò profundiùs à Deo deprimũtur; quia ſuperbiam execratur iuxta illud Iſaiæ 23. v. 9. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret omnem ſuperbiam*. Et Lucæ 1. *Depoſuit potentes de ſede*. Quod & ipſis gentilibus notum fuit; nam Aeſopus interrogatus, quid faceret Deus? reſpondit: *Superbos humiliat, & humiles exaltat*. Quaſi hoc vnum proprium ſit Dei opus. Et Artabanus apud Herodotum lib. 7. monens Xercem Regem ait: *Vides vt animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus inſoleſcere ſinit Deus; quæ verò paruula ſunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides vt in maxima ædificia, & arbores eiuſmodi ſemper tela contorqueat? Amat enim Deus incidere omnia, quæ eminent. Neminem enim ſinit magni quippiam de ſe ſentire præter ſeipſum*.

Cap 4. Ionæ v. 6. *Et præparauit Dominus Deus hederam*. Hic in hedera non incongruum habetur voluptatum mundi ſymbolum, quia ſicut hedera arctiſſimo complexu arbores ſibi implicat, & vincit, ac vinciendo enecat, hoc idẽ faciunt mundanæ voluptates, mundusque ipſe; cui dum nos adhæremus, edimur; hinc hedera, ait Feſtus, dicta, quod id cui adhæſerit edat.

Cap. 1. Michææ v. 16. *Dilata Caluitium tuum ſicut Aquila*. Aquila pennas veteres dimittens, ſeque decaluans, & depilans, & mox nouas aſſumens ſymbolum eſt pœnitentiæ, & pœnitentium, qui, dum veteres, & prauos mores deponunt, nouamque virtutis viam ineunt, rectè dicuntur renouare, vt Aquilæ iuuentutem ſuam. Anagogicè ſub hoc eodem ſymbolo aquilæ decaluantis, aut deplumantis ſe, vt nouas aſſumat pennas, ſignificatur melior iuſtorum immutatio in altera vita per reſurrectionem, & gloriam cœleſtem. Nam vt ait Iſaias cap. 40. 31. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem*, recentem ſcilicet, aliamque præſtantiorem induentes, *aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt*, propter delectationem, qua Deus illorum corda dilatat; iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 118. 3. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; ſicque *ambulabunt, & non deficient*, donec æternæ gloriæ coronam obtineant.

Cap. 1. Nahum. v. 10. *Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuiũ pariter potantium*. Quam ſpinæ ſint aptum conuiuiorum, ſeu cætus conuiuarum ſymbolum, aut congruè conuiuia vocentur ſpinæ, tria oſtendunt. 1. quia ſicut ſpina ſpinæ implexa eſt, ita conuiua conuiuæ aſſidet, ac mutuò manus conſerunt, & implicant, dum vltrò, citroque fercula, & calices transmittunt. 2. conuiua conuiuijs, vt ſpinæ ſpinis implicantur, dum inuitati inuitantes rurſum inuitant. Sed 3. maximè conuiuæ dicuntur ſpinæ, quia tunc ſæpè abſentes maledicentia, conuicijs, & ſcommatibus pungunt, & lacerant; ſeu virium dicacitatis, & detractionis frequentiùs eſt in conuiuijs; lingua enim innatans vino facilè ſoluitur, promitque, & eructat, quicquid in illam venit. Propterea que D. Auguſtinus, vt refert Poſſidonius in eius vita, hos verſus menſæ ſuæ adſcripſit:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Qui cõuiuarum iugiter oculos ferirent, oraque à detractione compeſcerent.

Cap. 1. Habacuc. v. 14. *Et facies homines quaſi piſces maris*. Cum plures ſint analogiæ ob quas homines ſunt quaſi piſces, ſiue illis aſſimilantur: in hoc tamen potiſſimùm, quod communiter dicitur, piſces maiores, & fortiores deuorare inferiores, ſymbolicè ſignificant, ſeu ſymbolum ſunt hominũ potentiorum, & tyrannorum, Deo ita permittente, deuorantium eos, qui ſunt imbecilliores, ita vt inter homines, æquè ac inter piſces, non dominetur iuſtitia, ſed robur, vis, tyrannis, illeque

ſit

ſit dominus, qui viribus præualet. Vndè perbellè D Baſilius ait homil.7. Hexam. *Maior pars piſcium liguriunt alter alterum, & minor apud illos eſca maioris eſt. Et ſi euenerit vt is, qui minorem ſuperauerat, alterius præda fiat, ambo tum ſimul deglutiuntur, & vna vltimi piſcis immerſi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus cum vim inferimus inferioribus.* Et Diuus Auguſtinus in Pſal.64. *Mare*, inquit, *in figura dicitur ſæculum hoc ſalſedine amarum, procellis turbulentum, vbi homines cupiditatibus peruerſis, & prauis facti ſunt velut piſces ſe inuicem deuorantes. Attendite mare malum, mare fluctibus ſæuum. Attendite quibus hominibus plenũ ſit. Quis optat hæreditatem, niſi morte alterius? Quis optat lucrum, niſi damno alterius? Quam multi aliorum deiectione cupiunt ſublimari? Quam multi vt emant, optant alios vendere res ſuas? Quomodo ſe inuicem opprimunt, & qui poſſunt deuorant? Et cum deuorauerit vnus piſcis maior minorem, deuoratur & ipſe à maiore. O piſcis male prædam vis de paruo, præda efficieris magno.*

Cap.2. Habacuc v.7. *Væ ei qui multiplicat non ſua? vſque quò & aggrauat contra ſe denſum lutum.* Hic opes vocantur denſum lutum, congruumque illarum eſt ſymbolum. 1. ob earum vilitatem. *Quid enim*, inquit S. Bernardus ſerm.4. de Aduentu, *ſunt aurum, & argentum? nonne terra rubra, & alba, quam ſolus hominum error fecit (aut magis reputat) pretioſam. Quid ſunt gemmæ, niſi lapides terræ? quid byſſus, niſi vermium, putà bombycum, fila? quid uniones, niſi excrementa concharũ.* 2. quia opes, maximè congregatæ ex rapinis, vſuris, fraudibus, animam contaminant, aggrauant, & detrahunt in infernum. *Opes*, inquit Remigius, *ſunt denſum lutum, quia ſinceritatem mentis cõfundunt, & grauiſſimo pondere iniquitatis mentem premunt.* Et D. Gregorius lib.34. Moral. cap.13. *Per lutum*, ait, *terrenarum rerũ multiplicitas figuratur, ſicut per Habacuc dicitur: Væ ei qui multiplicat non ſua? vſque quò aggrauat contra ſe denſum lutum? denſo enim luto ſe aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccati ſui ſe oppreſſione coangustat.* Per lutum quoque ex eodem ibidem, *doctrina ſordidum ſapiens deſignatur, ſicut per eumdem Prophetam dicitur cap.3. Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum; ac ſi diceres: Aperuiſti iter Prædicatoribus tuis, inter doctrinas huius ſæculi, ſordida, & terrena Sapientes.* Item, *deſiderium ſordidæ voluptatis exprimitur, ſicut Pſalmiſta deprecans ait, Pſal.68. Eripe me de luto, vt nõ inhæream. Luto quippè inhærere, eſt ſordidis deſiderijs concupiſcentiæ carnalis inquinari*; & etiam incarcerari, inſtar porcorum ſe in luto volutantium. Vndè Crates Philoſophus videns adoleſcentem vino, & carne incraſſari; *O miſer*, inquit, *deſinè aduerſus temetipſum carcerem munire*, ait D. Maximus ſerm.27. *Omnis enim hæc pinguedo, quid eſt aliud, quam denſum lutum, quo ſe aggrauat, quoque quaſi carceri animam ſuam arctiùs includit, & incarcerat guloſus.*

Cap.3. v.19. *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum.* Symbolicè enim electorũ mentes cerui dicuntur, aut habere pedes quaſi ceruorum, quatenus impigrè, alacriter, & ſine fatigatione currunt viam mandatorum Dei; nõ ſolùm in infimis, & in planitie, hoc eſt in rebus facilibus, verùm etiam, inſtar ceruorum ſuper excelſa, ſeu in difficilibus, & arduis quibuſque virtutum exercitijs; vel ex D. Gregorio lib.26. Moral. cap.10. *Dum quæque, quæ in hoc mundo obuiantia obſiſtere ſibi conſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, & more ceruorum deſpectis terrenarũ rerum ſenſibus, in ſuperna, id eſt æterna ſe euehunt.* Anagogicè etiam per pedes ceruorum ſignificatur dos agilitatis, quæ Sanctos agillimè per excelſa cœlorum tranſire, imò tranſuolare faciet peracto diuino iudicio, ex D. Hieronymo.

Cap.2. Sophoniæ v.14. *Coruus in ſuperliminari, cras, cras, canens*, ſymbolum hominum in malo obſtinatorum,

vel emendationem vitæ, & ſana conſilia procraſtinantium, eaque de die in diem differentium, de quibus ait Sanctus Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini: *Ipſa res eſt, quæ multos occidit, cum dicunt cras, cras, & ſubito oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce cornina; qui non habuit gemitum columbinum, cras, cras corui vox eſt.*

Cap. 3. v. 3. *Iudices eius lupi veſpere non relinquebant in mane.* Hic per ſymbolum lupi veſpere graſſantis, prædāque totam ex diurna inedia deuorantis, ita vt ne oſſa quidem relinquat, quę mane comedat, exprimuntur iniqui iudices ſuis iniuſtis iudicijs diripientes bona pauperum tanta auiditate, vt nihil ex ijs reliquum faciant; aut etiam mali prælati. *Capientes*, inquit D. Hieronymus, *munera, & vendentes iuſtitiam, & poſſeſſiunculas Eccleſiæ, & ea quæ in Dei donaria conferuntur vertentes in lucrum ſuum, vt non habeant pauperes, quæ mane comedant; qui quaſi in nocte, & nullo vidente omnia populantur, & cum luporum more cuncta diripiant, ne parnos quidem cibos pauperibus derelinquunt.*

Cap. 1. Zachariæ v. 18. *Et ecce vir ſuper equum rufum inter Myrtheta*; vt ibi ſymbolicè per virum ſuper equum rufum intelligi poteſt Chriſtus tum ſuo, tum hoſtili, quem victor ſparſit, ſanguine rubricatus, ita per myrteta deſignantur iuſti, & ſancti, in quorum medio conſiſtit. Myrtus enim appoſitum eſt eorum ſymbolum 1. quia myrtus amans valles deſignat eorum humilitatem, quæ ſanctitatis eſt fundamentum. 2. quia myrtus creſcit iuxta aquas. Vnde Virg. Georg. 4. *Et amantes littora myrti.* ita iuſti creſcunt per lachrymas compunctionis, & pœnitentiæ, perque aquas tribulationis, & patientiæ. 3. myrtus eſt valde odorata; & iuſti Chriſti bonus odor ſunt, cuius ſuauitate tota impletur Eccleſia, ſeque omnibus gratos efficiunt. 4. Sicut myrtus ſemper viret, ita iuſti virorem virtutum ſemper conſeruant, & augent. 5. cum olim in feſtis, ludis &c. cingerētur tempora myrto, non incongruè per illam ſignificatur lætitia, & exultatio ſpiritualis, quam bene operando, & ob quietem conſcientiæ poſſident iuſti. Qua etiam de cauſa Leuit. 23. 40. in feſto Tabernaculorum iubebantur Iudæi geſtare ramos ligni denſarum frōdium, id eſt myrti, vt vertit Chaldæus, & Ioſeph, vt ijs teſtarentur, & repræſentarent lætitiam, qua eos cumulauerat Deus, cum ipſos ex Aegypto, & deſerto traduxit, & collocauit in terra promiſſa.

Cap. 3. Malachię v. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & herba fullonum.* Hic Chriſtus, Angelus teſtamenti vocatus, ſignificatur ſub ſymbolo ignis conflantis, ſiue ignis fornacis ardentiſsimæ, quo conflantur metalla. 1. quia ſicut in illa liquatur aurum, ita Chriſtus dura hominum corda ſua gratia emollit, & liquat, ac in gemitus, & lachrymas compunctionis reſoluit. 2. Sicut ignis liquando aurum, ab eo ſeparat alia metalla, & ſcoriam; ita Chriſtus per pęnitentiā, ac tribulationes ſeparat ab anima vitia, & concupiſcentias inolitas. 3. Sicut hac ſeparatione aurum purificatur, perficitur, magiſq; ſplendeſcit, ita pariter & anima; proptereaque Martyres, vt S. Laurentius igne tormentorum excocti, facti ſunt hoſtiæ puriſsimę, totique mundo ſplēdidiſsimæ, iuxta illud Pſalm. 16. *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* 4. Sicut in ignis aurum caleſit, imo igneſcit, vt videatur in ignem transformari, ita vi gratiæ Chriſti, qui, vt ipſe ait Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram. Et quid volo, niſi vt accendatur?* Anima iuſta ita ardet, vt inſtar ignis ſe, & alios inflammet: 5. tandem Chriſtus his, qui peccant grauiter ignis conflans, & conſumens futurus eſt in extremo iudicio, demandando illos ad gehennam ſi fuerint impęnitentes: qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum, ſeu ſaponaria, munditiam eis reſtituens per ignem purgatorij.

Cap. 4.

Cap.4. v.2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.* Hic ſub ſymbolo ſolis ſignificatur Chriſtus; cũ etiam Zachariæ 6. v. 12. *Ecce vir oriẽs nomen eius:* 1. quia ipſe recens natus *proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines Lucæ* 2.2. quia, quaſi ſol oriens mundum illuminauit, calefecit, omnique gratia, & virtute viuificauit. Hinc etiam dicitur *Sol iuſtitiæ*, quia ex ſe radios iuſtitiæ diffudit, quibus iuſtificauit, & in dies iuſtificat peccatores, ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis. 3. Sol eſt inſtar gigantis in ſtadio, à carceribus ad metam inoffenſo curſu properantis: ita Chriſtus omnipotens glorioſum gratiæ ſuæ curſum abſoluit, vt à nemine præpediri poſſit. 4. Sicut ſol oriens ſtatim ex ſe refulget, & omnibus videntibus lucem affert: Sic Chriſtus prior dilexit nos, & oritur in cordibus noſtris; cumque inimici eſſemus ſuis, nos præuenit gratiæ donis, & innumeris beneficijs.

Nedum autem ſol eſt ſymbolum Chriſti, in primò ſuo ortu, & aduentu in mundum, ob dictas, & alias ſimiles analogias; verum etiam in ſecundo, ſeu in die iudicij, quo pijs orietur quaſi ſol iuſtitiæ, impijs verò occidet. 1. quia ſicut ſol obſcura illuminat, & videnda ac conſpicua oculis omnium exhibet; ita Chriſtus piorum virtutem, & iuſtitiam, quæ in hac vita ab impijs obſcurabatur, & deprimebatur, in die iudicij illuſtrabit, & clarificabit; totique orbi conſpicuam, & glorioſam exhibebit. 2. quia ſua claritate, maieſtate, & gloria quaſi ſol radiabit. 3. quia ſanctos mira afficiet lætitia, poſt longas ærumnas perſecutionum, & tribulationum huius vitæ, ſicut ſol poſt longas tenebras noctis oriens homines exhilarat. 4. quia vt ſol dipellet omnem caliginem errorum, & peccatorũ, adducetque perpetuum diem veritatis, & iuſtitiæ. 5. quia ſicut ſolis lumen non eſt vulgare, vt aliorum corporum lucidorum, ſed eximium, & glorioſum: ita Chriſtus in die iudicij dote etiam claritatis donabit Sanctorum corpora, iam beata ipſorum anima per lumen gloriæ. Nam, vt ait Chriſtus Matth.13. 43. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum.*

Nam incongruè etiam ſol eſt typus, aut ſymbolum Chriſti, qua noſter eſt amicus, ita vt ipſum vocari ſolem iuſtitiæ, idem ſit, ac eſſe verum iuſtumque amicum, qui radios ſuæ beneficentiæ in fideles ſuos, quaſi amicos effundit. Quam autem ſol aptum ſit amicitiæ, ſeu veri amici ſymbolum, patet 1. quia ſicut vnicus eſt ſol, ita cum vno ſolo debet eſſe amicitia; ſiue vnicus debet eſſe amicus: plures ſtellæ, plures familiares, iuxta illud Eccleſ. cap. 6. v. 6. *Pacifici ſint tibi multi, conſiliarius vnus e mille.* 2. Si ſol Euripidi eſt aurea gleba, Homero reſtis aurea è cælo in terram demiſſa, eo quod ipſe aurum gignat in terræ viſceribus: amicus quoque eſt aurum optimum, theſaurus ingens. Eccleſ. 6. 14. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, et argenti contra bonitatem fidei illius.* 3. Soli ſemper eſt æterna iuuenta: ſic amicitia conſtans perpetuaque eſſe debet, nec temporũ varietate labefactari, nec vetuſtate conſumi. 4. Sicut ſol ſua luce cuncta colluſtrat, viarum difficultates aperit, & qua ſit eundum oſtendit: ita etiam amicorum eſt commonere amicos, & vitæ pericula, & morum offenſiones, quæque vitare, & quæ amplecti debeant commonſtrare. Vnde dicitur Iudic.5.v. 31. *Qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent*, hoc eſt, radios emittant, quibus alios tum illuſtrent, tum accendant ad verum decus, veramque virtutem ſequendam. 5. Sicut Sol eſt beneuolus, & beneficus ita & amicus. Quæ omnia & ſimilia vt per excellentiam Chriſto competunt, ita quoque Sol præclarum eſt tum amicitię ipſius erga nos, tum noſtræ erga ipſum hieroglyphicum, ac ſymbolum.

Sicut etiam quæ Plinius lib. 2. cap. 6. elogia dat ſoli, nimis vtique auguſta, & diuina, Chriſto potius Soli iuſtitiæ ſpiritualiter aſſignari debent. Huiuſmodi ſunt, quod *Planetarum medius Sol fertur ampliſſima magnitudine, ac poteſtate: nec temporum modo terrarumque, ſed ſyderum etiam ipſorum cælique rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras: hic reliqua ſydera occultat, hic vices temporum, annumque ſemper renaſcentem ex vſu naturæ temperat. Hic cæli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani animi nubila ſerenat. Hic ſuum lumen cæteris quoque ſyderibus fœnerat præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt principi litterarum Homero placuiſſe in vno eo video.* Turpiter autem errarunt Manichęi, exiſtimantes, quod de Chriſto ſymbolicè, vel figurate intelligitur, dum in Scriptura Sol vocatur, debere intelligi litteraliter, aſſerentes, hunc ſolem materialem, ipſummet eſſe Chriſtum, vt refert D. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. & 6.

Ex libris noui Teſtamenti.

CAp. 5. S. Matth. v. 13. *Vos eſtis Sal terrę*; Chriſtus Dominus præclarum in Sale ſubminiſtrat Apoſtolorum, indeque virorum Apoſtolicorum, ac Prælatorum Eccleſiæ ſymbolum. 1. quia, ſi Sal eſt res ſumme vtilis, vniuerſalis, & neceſſaria, talis quoque futura erat Apoſtolum prædicatio. 2. quia, ſi ſal eſt ſymbolum ſapientiæ, eo quod, ſicut ſal condit cibos, vt ſapidi ſint, ita ſapientia condit animos, vt ſapientes ſint, vnde viri inſipientes vocantur inſulſi, quæ maior Apoſtolorum ſapientia, qua inſulſos mundi mores correxerunt, ſapidoſque, & ſapientes effecerunt, Deoque gratos. 3. Sicut ſal igneę ſimu[l] & aqueæ eſt naturæ, continens duo elementa ignem, & aquam; ita Apoſtoli ſymbolicè dicuntur ſal terræ, quia ignea ſua vi eam amore Dei accẽderunt, aquea verò ſuauiloquentia, ac prædicatione ſua eam aridam irrorarunt, ac fœcundarunt, vt fructus bonorum operum, virtutumque omnium proferret. 4. Sal vi ſua penetrante carnem à corruptione præſeruat, exugendo, & conſumendo humores ſanguineos, quibus caro infecta eſt, & à quibus corrumperetur: ita Apoſtoli carnis deſideria menti corruptionem afferentia, hominibus, tum verbo, tum exemplo exemerunt, eoſque æternæ incorruptioni, & immortalitati ſeruarunt; Inde Euthymius: *Vos*, ait, *à me electi ad curandam totius mundi putredinem eſtis ſal terræ*, eoque perfectius, quo ſal tantum carnes integras præſeruat à putredine, iam verò corruptas, & putridas ſanare, & redintegrare nequit, vti notat D. Chryſoſtomus, . Apoſtoli verò animas vitijs omnibus corruptas, & putridas perſanarunt, eiſque integritatem, quam nunquam habuerant indiderunt, & etiamnum indunt Sacerdotes eorum ſucceſſores. 5. Sal ſitim excitat: & Apoſtoli excitauere ſitim rerum cæleſtium, ac diuinarum; *Apoſtoli*, inquit Hilarius, *ſunt rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, afferentes*. Et D. Gregorius homil. 17. *Si ſal ſumus*, exẽplo ſcilicet Apoſtolorum, *condire mentes fidelium debemus: quaſi inter bruta animalia petra ſalis debet eſſe ſacerdos in populis, vt quiſquis ſacerdoti iungitur, quaſi è ſalis petra ęternæ vitæ ſapore condiatur.*

Cap. 7. v. 26. *Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam.* Hic in arena præclarum habetur ſchema, vel ſymbolum inſtabilitatis, & inobedientiæ eius, qui audit verba Chriſti, & non facit. 1. quia ſicut arena mollis eſt, & mobilis, ut ſolidum fundamentum eſſe nequeat, proindeque ruat neceſſe eſt, quod arenæ

inædi-

inædificatur, irruentibus vndis,& ventis: ita animus inſtabilis, & inobediens fundamentum ſolidæ virtutis, ac perfectionis eſſe non poteſt, ſed ingruenti tentationi illico ſuccumbit, & corruit, vnde etiam domus ſpiritualis, ſeu fabrica virtutum illi innixa ſtatim collabitur 2. arena eſt ſicca, undè ab ariditate, vel ab arendo dicta; ſic animus inſtabilis, qui non facit ea, quæ audit, aridus eſt, ſuccoque bonorum operum vacuus. 3. ſicut arena vento difflatur, & diſpergitur in omnes partes: ita animus leuis, & inſtabilis omni cupiditatum, & tentationum æſtu in omnem raptatur concupiſcentiam; conſcientia enim non fixa ſpe in Deum, in tentationibus non ſubſiſtit. 4. Quemadmodum arena eſt minutiſſima, totque arenulas, ſiue granula complectitur: ſic cor inconſtans innumeris cogitationibus, & deſiderijs rerum exilium,& minutarum eſt refertum, & diſſectum. 5. Sicut arena ſuam ob ſiccitatem bibula eſt, ac inſatiabilis,ita leuis corde, Deoque non adhærens, ſed creaturę,ſatiari nunquam poteſt.

Cap. 8. in leproſo ibi lepra mundato, vt lepra ob ſummam fœditatem, & contagionem ſymbolum eſt peccati, ita mundatio eiuſdem ſymbolum eſt Sacramenti Pænitentiæ, & confeſſionis ſacramentalis, qua peccata expiantur, cuius proinde vim, & efficaciam ex lepræ typo probant S. Hieronymus in cap. 16. Matth. (vbi ex ea oſtendit oportere ſacerdotes cognoſcere peccatorum ſpecies, & varietates) & Sanctus Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, vbi docet officium Sacerdotum Chriſtianorum longe efficacius,ac prę-ſtantius eſſe, quam Aaronicorum,cum iſti lepram non curarent, ſed curatam duntaxat oſtenderent; illis uerò peccata non curata oſtendere,ſed uerè curare, & condonare conceſſum ſit: propterea que Chriſtus in paſſione leproſi formam aſſumpſit, ut lepram animæ noſtrę quaſi in ſe ſuſceptam curaret: Iuxta illud Iſaiæ cap. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum &c.* vt diximus ſupra. Imo iam glorioſus in cœlis exiſtens, in forma leproſi multis apparere dedignatus non eſt: Martyrio Monacho, cuius humeris, vt refert D. Gregorius homil. 39. in Euangelia, vſque ad fores Monaſterij in tali forma baiulari ſe permiſit, ibique diſparuit. Item Sancto Ludouico Toloſatum Epiſcopo, & Nepoti S. Ludouici Regis Francię, à quo pedes ſibi in eadem forma lauari quoque permiſit.

Ibidem in Socru Simonis, & Andreæ febricitante, ſeu febri laborante S. Ambroſius lib. 4. in Lucam cap. 4. agnoſcit,varijs criminum febribus carnem noſtram languentem, & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuantē illecebris. Ita vt non immerito febris corporis dici poſſit typus etiam, aut ſymbolum febris animæ, ſeu concupiſcentiæ, flagrantioris, grauiuſque animam præcipitantis, & inflammantis, quam febris ipſa corporalis ipſam carnem. 1. Igitur, ſi febris corporis fit, cū noxius humor, & vitioſus calor, naturali calori repugnans,cor afficit,vel inficit: ita febris animæ fit, cum voluntas hominis noxio cōcupiſcentiæ amore,diuino repugnante, imbuta exæſtuat circa res creatas. 2. febris tollit temperiem humorum, & qualitatum in corpore, febris autem animæ, ſeu immoderata concupiſcentia tollit temperiē, moderatumue vſum paſſionum, affectuum; & actionum eiuſdem. 3. Febris pulſum, & motum cauſat inordinatū, & ex eo etiam dignoſcitur: Sic febris animæ, nimiuſque concupiſcentiæ calor, & ignis innumeris cogitationibus, & ſollicitudinibus mentem pulſans, illam perpetuò agitat, ita vt nuſquam conſiſtat, ſed ab vna cupiditate,vt potè breui, & inſtabili, labatur in aliam, & aliam; ſeu vnum vitium pariat aliud, & aliud, ſicut etiam febris corporalis vna ſubinde gignit aliam, & aliam. 4. Sicut febris ex frigore naſcitur, & deſinit

finit in calorem, & æſtum: ſic febris animæ ſæpe oritur ex corpore, & negligentia; indeque cupiditas, ardorue concupiſcentiæ ſæpe accenditur, ex otioſitate noſtra diabolo inrrandi aditum ad nos inueniente 5. febris guſtū viriat, vt dulcia ei videantur amara, eo quod eius organum prauo humore infectum ſit: ſic febris animæ, ſeu noxia cupiditas, facit vt animæ ea ſemel infectæ, quæque ſunt ſuper terram ſapienti deſipiant, & amaræ ſint lectiones ſpirituales, monita pia, prædicatio verbi diuini, aliaque ſimilia dulciora ſuper mel, & fauum. 6. Febris excitat ſitim, quam febricitantes bibēdo non extingunt, ſed augent,& acuūt; Sic febris animæ, ſiue ardor concupiſcentiæ excitat ſitim opum, honorum, voluptatum, quæ tamen ea hauriendo non extinguitur, ſed creſcit, iuxta illud, *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Cap. 9. in paralyſi laborante; licet paralyſis cuiuſuis animæ vitij ſymbolum eſſe poſſit, maximè tamen acediæ ita animam proſternentis, vt impotens ſit ſe erigere ad virtutem, ad Cœlum, ad Deum. 1. quia ſicut paralyſis iuxta doctrinam Medicorum, oritur ex frigore, & craſſis lentiſque humoribus, ita neruos obſidentibus, vt impediatur tranſitus, ſiue eclampſys ſpirituum vitalium, et animalium ad ſenſuum inſtrumenta, vnde fit, vt motus, & ſenſatio impediatur: ſic & acedia ex ſpirituali frigore, ſeu charitatis defectu cauſatur, per quod homo fit inſenſibilis ad diuinas inſpirationes, & immobilis ad bona opera. 2. paralyſis in corpore ſequitur ad dominium phlegmatis, atræque bilis; & acedia oritur ex fluidis carnis voluptatibus, moroſiſque, ac melancholicis tum ſuperbiæ, tum vindictæ cogitationibus, & affectibus. 3. paralyſis corpus ponderoſum, ac veluti plumbeum reddit, ideoque grabato affigit: ſic & acedia mentem terrenam, terræque facit affixam.

Cap. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum; Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*; ibi Chriſtus 1. in *ouibus*, quales voluit eſſe ſuos Apoſtolos, preclarum nobis prædicatorum maximè, ac prælatorum ſymbolum exhibet: 1. quia innocentes eſſe debent; 2. humiles, & manſueti. 3. patientes, vt omnium iniurijs, ipſique morti pro Chriſto ſe exponant. Item in *Serpentibus* 1. *vt per prudentiam*, inquit S. Hieronymus, *deuitent inſidias, per ſimplicitatem non faciant malum. Et ſerpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita eſt, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput noſtrum, qui Chriſtus, eſt cuſtodiamus, id eſt fidem integram, & incorruptam ſeruare ſtudeamus*. 2. quia ſicut ſolet ſerpens eligere ſtrictas rimas, per quas tranſiens, veterem pellem exuat: ita quoque prædicator, aut prælatus tranſiēns, arctaque via cœli gradiens, tam veterem hominem deponere debet, quam alios docere, & exhortari ad id præſtandum. *Serpens*, inquit Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 26. *arte, ac verſutia vetuſtatem exuit, in arcta quadam & anguſta rima ſe ſe comprimens, ac ſenium deponens. Vult igitur nos quoque per arctam viam, & afflictionem veterem hominem exuere, ac pro eo nouum induere, qui ad eius imaginem renouatur*. 3. quia ſerpens acutiſſimè videt: vnde adagium *ſerpentis oculus*: ſic prælatus, item & prædicator omnia acuto mentis intuitu proſpicere debet, vt mala auertat, & bona accerſat; nec non prudenter obſeruare tum monendi, tum prædicandi occaſiones, necnon videre, quid cuique loco, tempori, & perſonis conueniat, & ad perſuadendū ſit efficax. 4. Sicut ex V. Beda, & D. Auguſt. in Pſalm. 57. *Prudentia ſerpentis eſt, quod vnam aurem petræ opponit, alteram cauda claudit, ne audiat incantantes*: ita omnes Chriſti Diſcipuli, ſed qui præcipuè alios docent, et aliis præſunt, tum ſuas tum aliorum aures

contra

contra diaboli, & impiorum ſuggeſtiones claudere debeat cauda, & terra, id eſt meditatione, & prędicatioue finis, hoc eſt mortis, & ſepulchri,ſibique ſæpe, & aliis dicere: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Tandem cum ſimplicitas ſine prudentia facile decipi poſſit, & prudentia periculoſa ſit, niſi ſimplicitate temperetur, hinc eſt quod Chriſtus non ſolum ſicut ſerpentes,ſed & ſicut columbas voluerit ſymbolice eſſe ſuos diſcipulos, necnon vt per prudentiam, vt diximus ex Hieronymo,deuitarent inſidias, per ſimplicitatem autem non facerent mala. Columba enim caret felle, nec vlli nocet. Deinde licet pullis orbetur, ad eoſdem tamen nidos, & dominos redit; ita & veri Chriſti Diſcipuli nec turbantur iniurijs ſibi factis, nec memores illarum ſunt, ſed placidi, & amantes redeunt ad eos iuuandos, à quibus læſi, vexatique ſunt.

Cap. 11. v. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam.* Chriſtus hic volens remouere ſuſpicionem, quę populo ex legatione Ioannis obrepere potuiſſet, inſtabilitatis mentis, indeque naſcentis doctrinę, & prædicationis inconſtantiæ, vſus eſt metaphora arundinis vento agitatæ, negans illum eſſe talem; vnde non incongruè imago, aut ſymbolum dici poteſt inconſtantiæ, & inconſtantis. item leuis, & iactabundi; de quo vide Sanctum Ambroſium lib. 5. in cap. 7. Lucę, & D. Gregorium homil. 6. in Euangelia.

Cap. 13. in parabola ſeminis,ſub eo, & ſeminatione dat Chriſtus aptum verbi Dei ſiue Euangelij,eiuſque prędicationis ſymbolum. 1. quia ſicut ſemen manu ſeminantis ſpargitur, & ſeminatur, ita verbum Dei ore prædicātis. 2. Sicut ſemen, vt pariat germina, prius viſceribus terræ ſuſcipitur, ita verbum Dei aure, & corde audientis. 3. Semen omnium frugum, & verbum Dei omnium bonorum operum parens eſt, & cauſa. 4. Sicut ſemen, vt fructificet debet ſeminari, et recipi in terra bene diſpoſita, ſic et verbum Dei, vt fructus ſpirituales producat, debet quoque ſuſcipi in corde bene diſpoſito: iuxta illud D. Iacobi 1. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* 5. Sicut ſemen in terra ſuſceptum, vt fructificet, debet reſolui, frangi, aperiri, et emori; ſic et verbum Dei in corde hominis, vt fructificet, neceſſe eſt, quod aſsidua meditatione reſoluatur, mortificatione conteratur, et quaſi moriatur; iuxta illud Chriſti Domini Ioann. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* 6. Sicut ſemen, vt radicetur in terra, et pullulet, deinde in ramos progerminet, et flores, et ex iis denique fructus proferat, eget pluuia, ſole, et cœlo; ſic et,vt verbum Dei in mente radicetur, et exinde flores bonorum deſideriorum, tum fructus bonorum operum producat, debet irrigari gratia, diuinaque charitate caleſieri, iuxta illud Iſaiæ 61. 11. *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat: ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam ſuam* (per verbum ſcilicet Euangelij,à Chriſto, et Apoſtolis ſparſum) *& laudem coram vniuerſis gentibus.* 7. Sicut ſemina, vt ſeruentur ab animalium corroſione, prius rebus auſteris, & amaris macerari ſolent ita ſemen verbi Dei, gratiæque ipſius, vt in corde à voluptatum pariter corroſione intactum ſeruetur, macerandum eſt ſobrietate, ieiunio, pœnitentijs, cæteriſque ſimilibus vitæ auſteritatibus: hæc enim à mente omnem putredinem, et corruptionem vitiorum arcent.

Ibidem in ſpinis ſemen verbi Dei progerminans elidentibus,& ſuffocantibus,antequam maturos virtutum fructus producat, habetur ſymbolum diuitiarum,quia inſtar ſpinarum mentem diſtrahunt, pungunt, cruciant, vt de rebus diuinis diuiti ſæpè cogitare non libeat

libeat. *Quis*, inquit D. Gregorius homil. 15. in Euangel. *mihi vnquam crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem, maximè, cum illa pungant, iſta delectent? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cum vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentât.* Item Rabanus: *Rectè ſpinę vocantur, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & quaſi ſtrangulando, ſpirituales virtutum fructus gignere non permittunt.*

In parabola quoque zizaniorum, ſiue inimici ſuperſeminantis zizania in medio tritici; per quam tacitè Chriſtus perſtringit Scribas, & Phariſæos ſuos æmulos, qui ſuo verbi Dei ſemini, id eſt prædicationi Euangelicæ ſuperſeminabant zizania calumniarum; quocirca ipſi etiam erant zizania id eſt ſemina praua diaboli; ex zizanijs, tritico inimicis, congruè deſumi poteſt ſymbolum tum hæreticorum, tum peccatorum, præſertim eorum, qui alios verbo, vel exemplo vitiant, & corrumpunt, ex Diuis Auguſtino, Chriſoſtomo, Gregorio, & alijs.

Tandem in parabola grani ſynapis, cui Chriſtus in eodem capite aſſimilat Regnum Cælorum huiuſmodi granum plurium ſymbolorum materia eſſe poteſt. Primò enim ſecundum quod hic Regnum cęlorum ſumitur pro Chriſto ex D. Hilario can. 13. Sicut enim Rex eſt quaſi caput in regno, & regnum viciſſim vt corpus eſt in Rege, vt ſuo capite; quare Rex repręſentat totam Rempublicam, & regnum, ita Chriſtus cum ſit Rex Cælorum, Regnum quoque vocari poteſt Cęlorum; præclarū Chriſti in grano ſynapis habetur ſymbolum, ex D. Hilario loco citato, nec nō ex D. Gregorio lib. 19. Moral. cap. 11. *Ipſe quippè*, inquit, *eſt granum ſynapis, qui in horti ſepultura plantatus, arbor magna reſurrexit. Granum namque fuit, cum moreretur; arbor cum reſurgeret. Granum per humilitatem carnis: arbor per potentiam maieſtatis. Granum, quia vidimus eum, & non erat aſpectus: arbor autem, quia ſpecioſus forma præ filijs hominum. Huius arboris rami, Sancti Prædicatores ſunt. Et videamus quàm latè tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum. In iſtis ramis volucres requieſcunt, quia ſanctæ animæ, quæ quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſubleuant, in eorum dictis, atque conſolationibus ab huius vitæ fatigatione reſpirant.*

Secundò, quia etiam Regnum Cælorum vocatur Eccleſia, ſeu Euangelica, quæ plantata eſt, prædicatio, & doctrina, præclarum quoque eſt ipſius ſymbolum ſynapis. 1. quia ſicut granum ſynapis eſt minimum omnibus ſeminibus, iuxta morem loquendi vulgatem hominum, quo minimum vocatur id, quod valdè paruum eſt, aut vnum è minimis; nam alioqui præciſè multa alia ſemina ſunt minora grano ſynapis; ita primùm Eccleſia, aut Euāgelica prædicatio fuit minima, ſtans in Chriſto, & paucis Apoſtolis. 2. Granū ſynapis, quantumuis minimum creſcit in arborem, præſertim in Syria, ita vt in ramis eius habitent volucres cæli; ſic Eccleſia, & Euangelium creuit, & totū orbem occupauit, ita vt in ramis eius habitent volucres cæli, hoc eſt reges, & principes; item homines ſcientia, & ſenſu ſublimes. 3. in ignea vi, & efficacia, qua Pythagoras apud Plinium lib. 20. cap. 22. iudicauit ſynapi principatum habere ex his, quorum in ſublime vis feratur, quoniam non aliud magis in nares, & cerebrum penetrat, denotatur doctrinæ Euangelicæ, Fideiue Chriſtianæ vigor, & calor, quo & ipſa feruet, & participantes ſibi ardere compellit. Sicut in Sancto Euangelio duo ex diſcipulis dixerunt, dum cum ipſis poſt paſſionem ſuam Dominus loqueretur: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis in via, dum aperiret nobis ſcripturas Dominus Ieſus? 4. ſicut ſynapi conteri debet, vt igneam vim, & halitum expiret; ſic Eccleſia, Fideſque

que Chriſtiana nunquam magis ſuam vim, & fortitudinem oſtendit, quam inter perſecutionum preſſuras, de quibus ſemper victorioſa triumphauit. Et ſic de alijs analogijs, de quibus videri poteſt Diuus Auguſtinus ſer. 31. & 33. qui ſunt de Sancto Laurentio ſecundus, & quartus; quæ etiam tropologicè adaptari poſſunt animæ fideli, præſertim Sanctis Martyribus, prout D. Auguſtinus illas attribuit S. Laurentio.

Cap. 23. v. 37. *Ieruſalem, &c. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodū gallina congregat pullos ſuos ſub alas*; præclarum hic Chriſtus ſui, ſuique amoris, prouidentiæ, & ſollicitudinis ſaluandi nedum Iudæos, ſed & quantū in ſe eſt omnes homines, ſymbolum exhibet in gallina pullos ſub alas congregante, & fouente. Etſi enim Græcè hic habeatur ornis, quæ vox, & auem in genere, & gallinam in ſpecie ſignificet: aptius tamen vulgata noſtra vertit *Gallina*, quam *auis*; aptiuſque etiam Chriſti ſymbolum eſt. 1. quia mirus quidem eſt amor omnibus ferè auibus ad confouendos, & protegendos pullos, ſed præcipuè gallinis, quæ pullos colligunt ſub alas, id eſt, ſummo cum deſiderio, & ſollicitudine eos fouent; cumque cæteræ aues non agnoſcantur eſſe matres, niſi dum pullis in nido incubant, gallina ſuos licet non videat, mater tamen agnoſcitur ex voce, & ſingultu, aſſiduè enim gemit, & glocitat; ſic Chriſtus ſummo nos amore dilexit, per omnem vitam pro nobis ſollicitus, docens, dolens, & gemens, vt nos ſaluaret. 2. Cum præ alijs auibus gallina cum pullis ſuis infirmetur, in qua *raueſcit vox*, inquit Diuus Auguſtinus in pſal. 58. *fit hiſpidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos neſcio quid ægrotum; & ea eſt materna charitas, quæ inuenitur infirmitas*, &c. ſic Chriſtus *congregauit omnes gentes, tanquam gallina pullos ſuos, qui infirmatus eſt propter nos, accipiens carnem à nobis, id eſt, à genere humano crucifixus, contemptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpenſus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis eſt, non amiſſæ maieſtatis, vt ex eo quod nobiſcum communicauit infirmitatem, ſolueret noſtram iniquitatem*; quod & idem habet in Pſal. 90. ad illa verba, *Et ſub alis eius ſperabis*. 3. Gallina ex eodem feruenti amore erga pullos ſuos, cum alias, vbi de ſe agitur, ſibique ſoli à miluo, fele, vel cane metuit, fugiat, pullis verò metuens, illas ſub alas colligat, vindicare ab iniuria omni ope nitatur, & ſupra quam vires patiuntur, ſæpè alis, roſtro, pedibus, totoque corpore dimicet: ita Chriſtus propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, vſque ad mortē, & mortem crucis fortiter certauit. 4. Si gallina ſymbolum eſt fecunditatis. Ipſa enim ſæpè quotidiè ouum parit, & aliquando gemina, atque ex vno ouo ſubindè duos pullos excludit; quid fœcundius Chriſto, omnium fidelium patre, & magiſtro. 5. denique ſi gallus, & gallina ſunt ſymbolum vigilantiæ, & cuſtodiæ; quid etiam Chriſto vigilantius, qui Ioann. 17. ait: *Cum eſſem cum eis ego ſeruabam eos*. Et etiam nunc ſeruat, ad dexteram Dei ſedens, & interpellans pro nobis, Rom. 8.

Tropologicè quoque habemus in Gallina Eccleſiæ, eiuſque Sacerdotum ſymbolum: vt enim ait author operis imperfecti apud Chriſoſtomum: *Sicut gallina habens pullos, vocando illos non ceſſat, vt aſſidua voce vagaſitatem corrigat pullorum: ſic & Sacerdotes in doctrina ceſſare non debent, vt ſtudio, & aſſiduitate doctrinarum ſuarum, negligentiā populi errantis emendent. Et quemadmodum gallina habens pullos, non ſolùm ſuos calefacit, ſed etiam cuiuſque volatilis filios, excluſos à ſe, diligit quaſi ſuos; ita & Eccleſia, non ſolùm Chriſtianos ſuos ſtudet vocare, ſed ſiue Gentiles, ſiue Iudæi, ſi ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſua calore viuificat, & in baptiſmo regenerat, & in ſermone nutrit, & materna diligit charitate.*

Cap. 24. v. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentē:*

ita erit & aduentus filij hominis. Hic in fulgure habetur ſymbolum Chriſti in ſecundo ſuo aduentu redeuntis ad iudicium; vt Sanctos beet, impios condemnet. Hic enim reditus inſtar fulguris erit. 1. quia ſubitus. 2. inaxpectatus. 3. omnibus manifeſtus; nam *ſicut*, inquit Chriſoſtomus, *fulgur non indiget præcone, aut nuncio, ſed in momento omnibus apparet, ſic aduentus ille vbique ſemper ſplendere ſtatim videbitur*. Et auctor imperfecti: *Sicut fulgur in ictu oculi vniuerſa pertranſit, ſic & filius Dei non veniens adhuc, ſed veniſſe videbitur. Si enim Sol, qui ad miniſterium noſtrum creatus eſt, tantam habet ſplendoris virtutem, vt in quacumque parte cæli fuerit, vbique appareat quaſi præſens, quantò magis Sol ſpiritualis Chriſtus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus videbitur in eo*. 4. quia glorioſus, fulgoribus Chriſtum glorioſè venientem ad iudicium præeuntibus iuxta illud Pſalm. 93. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra: montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini*. Nec immeritò; vt, ſicut eo pendente, & moriente in cruce, obſcuratus eſt Sol, & tenebræ factæ ſunt ſuper terrã, veluti in ſignum abiectionis, & humilitatis eius; ita ex aduerſo fulgura eum venientem ad iudicium præcedant, in ſignum gloriæ, & maieſtatis, qua iudicaturus eſt viuos, & mortuos. Quod enim hoc eodem capite dicitur v. 29. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum*, hæc ſigna, & ſimilia erunt ante communem reſurrectionem, & conſequenter ante Chriſti aduentum ad iudicium, non autem in illo, vbi erit vndequaque glorioſus, & adeò ſplendidus, vt dicatur etiam venturus in nubibus cæli, nimirum, ad temperandam eximiam claritatem corporis eius, qua alioqui oculos reproborum excæcaret. Apparebit enim in corpore glorioſo, ne magis radiante quam Sol, iuxta illud Iſaiæ 24. *Erubeſcet luna, & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum*.

Eadem ratione cap. 28. v. 3. dicitur fuiſſe aſpectus Angeli ſedentis ad ſepulchrum ſicut fulgur, ad ſignificandam gloriam Chriſti reſurgentis, ſeu repræſentãdum quatuor dotes corporis glorioſi eius, ſcilicet claritatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, & agilitatem. Cum enim Angeli, quando apparent, ea ſoleant ſpecie apparere, quæ conuenit rei propter quam apparent, hinc erat aſpectus, ſeu facies eius ſicut fulgur, vt ita per modum ſymboli repræſentaret reſurrectionem glorioſam Chriſti. Fulgur enim eſt fulgidiſſimum, fortiſſimum, ſubtiliſſimum, & agillimum.

Cap. 4. Marci v. 8. *Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deindè ſpicam, deindè plenum frumentum in ſpica*. Chriſtus in terra ſic fructificante præclarum exhibet ſymbolum fidei, & Eccleſiæ prædicatione Euangelica ſenſim creſcituræ per varios incrementorum gradus, tum in ea triplicis virtutum, & meritorum cuiuſque fidelis incrementi. Terra enim cordis noſtri germinat primò herbam, cum bona deſideria, & opera in ſe concipit, & inchoat; Secundò, ſpicam, cum ea operando ſtrenuè proſequitur; Tertiò, frumentum, cum opera, virtutes, & merita ad plenam maturitatem, & perfectionem perducit. Ita D. Gregorius homil. 15. in Ezech. & lib. 22. Moral. cap. 74. *Herbam*, inquit, *producere, eſt inchoationis bona adhuc teneritudinem tenere. Ad ſpicam herba peruenit, cum virtus animo concepta ad profectum boni operis perducit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, vt eſſe robuſti, & perfecti operis poſſit*. Item dici poteſt Chriſtum hoc eodem ſymbolo ſignificare voluiſſe Apoſtolos, & eos, qui animarum conuerſioni, & ſaluti incumbunt, debere longanimiter expectare laboris ſui fructum, & meſſem, vti expectant agricolæ; ac teneros fideles ſenſim docendo,

monendo, exercendo fouere, & promouere ad apicem virtutis. *Nullus itaque*, inquit Beda, *qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpiciatur, quia frumentum ab herba incipit, vt granum fiat*.

Cap. 1. Lucæ v. 51. *Fecit potentiam in brachio ſuo*. Symbolicè enim robur, & potentia significatur per manum, digitum, dexteram; ſed maximè per brachium: virorum enim vires præcipuè reſident, ſeſeque exerunt in brachijs & lacertis. Sic etiam infra v. 66. dicitur de Ioanne, quod *manus Domini erat cum illo*, id eſt potentia; item prouidentia, cura, gratia, & fauor, horum enim omnium ſymbolum eſt manus in Sacra Scriptura.

Cap. 13. v. 32. *Ite, & dicite vulpi illi*. Ibi Chriſtus, vel Herodem, vel ipſos Iudæos verſipelles, & fictos vocās vulpes, in hoc animali præclarū ſuggerit huiuſmodi perſonarū ſymbolū, maximè autem Hæreticorum; vulpes enim eſt animal fraudulentum, in fouea propter inſidias latens, odore fętens, nunquam rectis itineribus incedens; ſic hæretici innumeris fraudibus conantur fideles à vera fide auertere, & Chriſtum in illis occidere; ſicut ipſum Herodes, & Iudæi occiderunt.

Cap. 14. *In hydropico ibi ſanato*, habetur ſymbolum diuitis auari, qui quò magis abundat, eò magis ſitit, ex Diuo Auguſtino lib. 2. quæſt. Euangel. q. 29. Auaritia igitur, & cupiditas qualibet exuberans ſymbolicè eſt hydropiſis. 1. quia ipſa aquea eſt, & fluxa, ab aquoſo humore proueniens, & infirmum aggrauans; ſic auaritia fluidis, & euanidis deſiderijs, & affectibus cor auari implens, ita illum aggrauat, vt cæleſtia meditari, & ad illa tendere, vel aſſurgere eum non ſinat. 2. Hydropiſis ſitim accendit, ita vt, quo plus ſunt potæ plus ſitiantur aquæ; Et auaritia, ſeu immoderatus diuitiarum affectus, quo plus illi indulgetur, plus accenditur. 3. Hydropiſis inducit humorem, ſed aqueum: ita opulentia diuitem auarum facit tumidum, et ſuperbum, ob opes ipſamet aqua magis fluidas. 4. Hydropiſis cauſat anhelitus fætorem, ob putidas, & fætidas aquas, ex quibus prouenit, turgentque hydropici, ſic & auari diuites nonniſi fęditatem ſuę cupiditatis, ore, vultu, totoque corpore exhalant. 5. ſicut remedia, quæ aquā intercutem deſiccant, vel expellunt, nec non abſtinentia ab humidis, & potu, opportuna ſunt hydropiſeos remedia; ita quoque auaritiæ, & cuiuſcumque alterius cupiditatis ſuperfluæ, vel exuberantis, remedium eſt mortificatio, & abſtinentia ab omnibus illis, quæ illam fouere, vel augere poſſunt; aſſiduaque rerum cæleſtium contemplatio: *Sicut enim*, inquit Chriſoſtomus homil. 15. ad Pop. *è ſummo montis vertice proſpectantibus omnia puſilla, ac non ſolùm homines, & arbores, ſed etiam vrbes integræ & magni exercitus formicarum inſtar ſuper terram ire videntur: ſic qui animo recto in cæleſtia, quaſi in ſublimi commorantur, omnia humana, potentia, gloria, opes, ita minutæ, & exiguæ apparent, vt ne digna quidem iudicent, quibus hanc immortalis animæ nobilitatem applicent*.

Etſi enim paucorum ſit relinquere omnia, ſeu curas mundi poſtponere; cunctorum tamen fidelium eſt affectu renuntiare omnibus, ſeu ita tenere, quę mundi ſunt, vt tamen non teneantur in mundo, propterea dicente Regio Propheta pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant*, vel vt habet alia verſio, *ſi effluant, nolite cor apponere*. Audiamus & S. Gregorium homil. 36. in Euangelia. *Admonere vos volo, vt relinquatis omnia, ſed non præſumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non poteſtis, ſic tenete quę huius mundi ſunt, vt tamen per ea non teneamini in mundo, vt terrena res poſſideatur, non poſſideas, vt ſub mentis veſtræ ſit dominio, quod habetis, ne ſi mens veſtra terrenarum rerum amore vincitur, à rebus ſuis magis ipſa poſſideatur*. Quod quia valdè difficile eſt. *Numquid* enim, ait Salomon Prouerb. 6. 27. *poteſt homo*

mo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? ſic qui *ingreditur ad mulierem proximi ſui*. Propterea idem S. Gregorius lugens, quod è Religioſo factus eſſet, licet inuitè, Summus Pontifex, hæc ſcribit lib. 1. epiſt. 5. & 6. *Nihil in hoc mundo appetens, nil pertimeſcens videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare, ita vt in me plenè impletum crederem, quod, pollicente Domino ex Prophe'a didiciſſem: ſuſtollam te ſuper altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ ſuſtollitur, qui & ipſa, quæ alta, & glorioſa præſentis videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat; ſed repentè à rerum vertice tentationis huius turbine impulſus, ad timores, pauoreſque corrui, quia etſi mihi nil timeo, eis tamen, qui mibi commiſſi ſunt*. Ita D. Gregorius, Magnus Sanctus, Magnus Pontifex, Magnus Doctor, in Pontificia dignitate conſtitutus. Quid igitur alij tot inter huius ſæculi illecebras.

Cap. 1. Ioannis v. 6. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; hic in luce præclarum Chriſti ſymbolum habetur; non ſolùm qua Deus, quomodo eſt lux increata, & idealis; verùm etiam qua homo eſt. 1. quia maximè claruit poſt carnem aſſumptam, gratia, virtutibus, & miraculis abſq; vlla peccati vmbra: 2. quia fuit *in tenebris lucens*; nam ſicut lux corporalis natura ſua ſolet tenebras illuminando diſpellere, ita Verbũ caro factum, ſiue Chriſtus ignorantiæ, & infidelitatis, peccatorumque tenebras fugauit. 3. quia ſicut lux cæleſtis, maximè Solis, eſt qualitas celerrima, & efficaciſſima, quæ quantum eſt ex parte ſua, totum illuminat mundum, ſi nullum interponatur obſtaculum, quaque verſum lumen ſuum diffundens; ita à Chriſto omnes fideles, & Sancti, ceu luna, & planetæ, quanticumque, & quotquot fuerunt à principio mundi, ſunt, & erunt, omne ſuũ fidei, & gratiæ lumen hauſerunt, hauriunt, & haurient; imò comparatione ipſius vix merentur nomen lucis; cum vni, aut alteri duntaxat parti mundi illuxerint, Chriſtus autem fuerit lux *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: aut illi exterius ſolùm, ceu voce forinſecus ſonante auditores ſuos docuerint; mentem verò per ſe, & immediatè illuſtrare non potuerint: Chriſtus autem præſtiterit, & etiamnũ præſtet vtrumque. Vndè iure meritò dicitur *lux vera*; non eo ſenſu, quo Manichęi hæretici, vt diximus ſupra, aſſeruerunt Chriſtum eſſe Solem ipsũ, ſed quia eius doctrina, & fides oppoſita eſt falſis doctrinis, & erroribus Gentilium Philoſophorum, Mahumetanorum, hæreticorum, vera enim lux eſt, mera, pura, ſincera, clara, nihil habens ficti, nihil obſcuritatis, nihil vmbræ, aut diminutæ lucis; nec non inſuper Chriſtus longè veriùs, & perfectiùs nos illuminat, quam omnis lux corporea in metaphoram, vel ſymbolum aſſumpta, cum iſta corporaliter tantùm, Chriſtus autem ſpiritualiter nos illuminet. Qui ſimili etiam modo, & ſenſu Ioan. 6. vocat ſe *panem verum*: & cap. 15. *vitem veram*, Sicque alibi ſæpè verum vocatur, id quod perfectũ eſt, eminens, & excellens.

Cap. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei*. Chriſtus ſymbolicè dicitur Agnus, tum quia ipſe præſignatus erat Agno Paſchali, nec non iugi ſacrificio, quo quotidiè agnus mane, & veſperi Deo in templo immolabatur; aliiſque agnis, qui ex lege pro peccato ſacrificabantur; tũ quia à Sanctis Prophetis Iſaia, & Ieremia, vocatus eſt Agnus pro mundi redemptione ſacrificandus: tum denique ob ſummam, & agninam innocentiam, manſuetudinem, patientiam, obedientiam, vſque ad mortem, quam ſilens inſtar agni ſuſtinuit. *Qui*, inquit Diuus Petrus epiſt. 1. cap. 2. *peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*.

Cap. 4. *Et dediſſet tibi aquam viuam*; hic

hic ſub aquæ ſymbolo ſignificauit Chriſtus Spiritum Sanctum, eiuſque gratiam. 1. quia, vt iam ſupra notauimus, inſtar aquæ animam à peccatis expurgat, nouamque munditiem, & ornatum illi confert, multò etiam magis, quàm aqua naturalis; iſta enim, dum lauat, corrumpit, & conſumit; ſic videmus veſtes, dum abluuntur mundari quidem, ſed conſumi, cum aquæ qualitates ſint corruptiuæ: at Spiritus Sancti gratia ita lauat animas, vt quo magis lauantur, maiores eis vires accedant. Quod D. Paulus ſentiens Philipp.4. dixit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. 2. quia ſitim rerum ſpiritualium ſedat. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*: vndè etiam in hoc præcellit aqua gratiæ, aquæ naturali, quod, cum iſta ad modicum tempus ſitim extinguat, quia non manet in ſtomacho, ſed ab eo concoquitur, diuina gratia, quantum eſt ex parte ſua, tam efficax eſt, vt ſemel guſtata, ſemper ſufficiat ad abigendam ſitim: nam ipſa ſemper manet in anima, niſi ſpontè, & verò per peccatum mortale deperdatur. Inſuper quod, cum aquæ naturales, quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur, ſola diuina gratia ſit illa, quæ ſedat in nobis æſtū concupiſcentiæ, facitque vt ſolo Deo contenti ſimus, & præter illum nihil aliud ſitiamus; iuxta illud Eccleſiaſt.24. ver.29. vbi de ſeipſo ait: *Qui bibent me, adhuc ſitient*; maiori perfectionis deſiderio per gratiam in hac vita, donec me plenè poſſideant in altera per gloriam. Etſi enim Deus per gratiam mentem inhabitans, ita illam reficiat, potet, & ſatiet, vt nihil aliud ſitiat, aut deſideret, ſed ipſo contenta, ſaturaque viuat feliciter; hoc tamen fit per gratiam in hac vita inchoatè, & imperfectè, quare mirum non eſt, quod iuſti ex ea bibentes adhuc ſitiant, donec in cælo perfecta omnis eorum ſitis, & deſiderium adimpleatur; iuxta illud Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; nec non Iſaiæ 49. *Non eſurient, neque ſitient amplius, & non percutiet eos æſtus, & ſol*. Nam quomodo eſurient, vel ſitient, qui inebriabuntur ab vbertate domus Dei, quique torrente voluptatis eius potabuntur Pſal.35.

3. Sicut aqua mirum in modum terram fœcundat ad producendum herbas, arbores, flores, fructus, adeò vt Plinius dixerit lib. 31. cap. 1. *Omnes terræ vires aquarum eſſe beneficia*, ita multoque magis gratia Spiritus Sancti animam bonorum operum, & virtutum omnium fœcundam, fertilemque efficit, iuxta illud Ioann. 15. *Qui manet in me, hic fert fructum multum*: vnde non cuicunque, ſed aquæ viuæ aſſimilatur, ſi quidem gratia eſt forma, qua viuitur ſupernaturaliter, & ſecundum ſpiritū, quæve eſt animæ, quod anima corpori. Vel etiam quia, ſicut aqua viua ex Diuo Auguſtino tract.15. in Ioann. dicitur, quæ ita fluit, vt ſit coniuncta ſuo principio, nimirum fonti, & venæ, ex qua ſcaturit, aqua autem mortua vocatur, quæ diuiſa eſt, & interrupta à ſuo principio: ita diuina gratia, à ſuo fonte, nempè à Spiritu Sancto nunquā ſeparatur, & per eamdem in nobis inhabitat, & nobiſcum vnitur, & per eam nos ipſi coniungimur, tandemque ad æternam beatitudinem peruenimus. *Sed aqua, quam ego dabo ei*, inquit Chriſtus, *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Sicut enim aqua viua fonti ſuo coniuncta, ſiue aqua fontis per canales in valles deducta, ex ijs rurſum impulſu continuò aquæ è fonte profluentis, & ſibi continuò ſuccedentis, ad tantam altitudinem exilire poteſt, quanta eſt altitudo ipſius primi fontis, & ſcaturiginis. Simili modo aqua gratiæ Spiritus Sancti è cælo ſcaturiens, & in mentem ſanctam demiſſa, adeò potens eſt, adeò efficax, vt etiā illuc faciat eam exilire, tanquam ad locum ſuæ originis.

Cap.8. v.12. *Ego ſum lux mundi*. Hic Chriſtus ſub ſymbolo lucis mundi, ſeu Solis, ipſe enim per excellentiam eſt lux mundi, ſeu luminare maius, ſeipsū deſi-

deſignare voluit: ſed iam ſupra oſtendimus, quomodò Chriſtus, & qua Deus ſit lux immenſa, & increata, & qua homo ſit quidem lux creata, ſed Soli, & cuicumque alteri luci etiam ſpirituali præcellens. *Nube enim carnis tegitur, non vt obſcuretur Sol*, inquit Auguſtinus tract. 34. in Ioannem, *ſed vt temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen ſcientiæ, lumen Sapientiæ, ait hominibus: Ego ſum lux mundi*.

Cap. 15. v. 1. *Ego ſum vitis vera*. Hic Chriſtus ſe comparat viti, ſeu vitem tanquam ſui ſymbolum exhibet, non quà Deus eſt, vt volebat Arrius, indè probans filium eſſe Patre, vt potè Agricola, minorem, ſed qua homo: ſic enim ei homines inſeruntur, quaſi palmites: hi enim cum vite ſunt homogenei, eiuſdemque naturæ. Vndè S. Hilarius lib. 9. de Trinitate ait: *Idcircò Chriſtus carnem aſſumſit, vt illi quaſi viti nos homines carnei, quaſi palmites inſeri poſſemus*. Quia tamen caro Chriſti non haberet illam vim producendi palmites, id eſt fideles, & Sanctos omnis generis, niſi ei coniuncta eſſet diuinitas, propterea D. Cyrillus lib. 10. cap. 10. cap. 13. ait, Chriſtum etiam eſſe vitem ratione diuinitatis. Sed melius indè colligit D. Auguſt. tract. 81. in Ioann. illum eſſe Deum. *Quamuis Chriſtus*, ait, *vitis non eſſet, niſi homo eſſet; tamen iſtam gratiam palmitibus nō præberet, niſi Deus eſſet*. Plures autem ſunt analogiæ, ob quas Chriſtus ſui ſymbolum in vite potius, quam in alijs arboribus dare nobis voluit. 1. propter fructuum copiam: eſt enim fęcundiſſima inter omnes plantas: iuxta illud Pſal. 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans*. 2. propter ſuauitatem fructus, eſt enim dulciſſimus, & ſuauiſſimus. 3. propter vinum, ex eius fructu confectum, quod lætificat cor. 4. quia inter omnes plantas maximè ramos, vel palmites diffundit, & expandit. Quam enim præclarè huiuſmodi vitis proprietates, & effectus competant Chriſto, eiuſque in mundum aduentui, & operationibus, indè patet, quod ipſemet vocat ſe *vitem veram*, nimirum quia excellentiori modo, id eſt ſpirituali, habet naturam, proprietates, & dotes vitis, quàm ipſamet vitis corporalis, quæ eſt tantùm eius vmbra: Sic enim dicitur *vitis vera*, non corporalis, ſed ſpiritualis. Vel etiam quatenus vera vitis ſpiritualis opponitur viti falſæ, & fallaci, quæ ſpeciem habet vitis, ſed non naturam, quæque non vuas bonorum operum, ſed labruſcas, nec vinum, ſed omphacium profert. Quales fuere Iudæi, ſuntque omnes impij à Deo ad vitia deſciſcentes, de quibus Deuter. 32. 31. dicitur: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*.

Dici inſuper poteſt Chriſtum iam iturum ad paſſionem, crucem, & mortem, hic viti ſe comparaſſe, vt in ea, eiuſque vuis præclarum haberemus illius ſymbolum. Quemadmodum enim è calcata vua exprimitur vinum præſtans, & ſapidum; ſic è calcato Chriſto in torculari crucis, expreſſus eſt ſāguis, cuius pretio redemptus eſt mundus. De quibus vide S. Bernardum tract. de Paſſione hoc titulo: *Ego ſum vitis vera*. Si tamen ipſe eſt author, de quo dubitatur.

Tandem cum paulò antè monuiſſet Chriſtus Apoſtolos, vt in dilectione eius perſiſterent, etiamſi viderent eum prodi à Iuda, capi, crucifigi, & occidi, dum ſe viti, & Apoſtolos palmitibus comparat, exhibet nobis ſymbolum ſemper adhærendi Chriſto. Quatenus ſicut palmes ſemper inhæret viti, nec vllo frigore, vento, fulmine, ab ea ſe diuelli patitur, vt fructum ferat: ita & nos nullam ob tribulationem, aut ignominiam crucis debemus vnquā à Chriſto, eiuſque amore deſciſcere: ſic enim fructum inſignem, & copioſum proferemus; tantoque magis, quo ab ipſo maiores nobis immittentur afflictiones;

ſic

ſit enim omnem palmitem, qui fert fructum, purgat, vt fructum plus afferat? *Palmites fructuoſus*, inquit Diuus Gregorius lib.7. epiſt. 32. *purgari dicitur: quia per diſciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim ſpicarum grana tribulis atterita, ariſtis, & paleis nudantur. Sic oliua prælo preſſæ, in olei pinguedinem deſtuunt. Sic botri vinearum tunſi calcibus, in vinum liqueſcunt.*

Cap.20. v.22. *Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Inſufflatio hæc Chriſti non fuit ipſe Spiritus Sanctus; quaſi dixerit: Accipite hanc inſufflationem, quæ eſt Spiritus Sanctus; ſed cum per illam, veluti per cauſam inſtrumentalem cõtulerit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus donum Spiritus Sancti, ſiue poteſtatem remittendi peccata, ſub eadẽ quoque præclarum nobis dedit Spiritus Sancti ſymbolum. 1. quia ſicut homo inſufflando in aliquem, ex ore ſuo halitum, ſiue ſpiritum ſuum corporeum alteri immittit; ſic Pater, & Filius ſpirando producunt Spiritum Sanctum, adeò vt ſit quaſi flatus diuinus, procedens ex ſpiratione Patris, & Filij; ex D. Auguſtino tract. 22. in Ioannem. 2. quia ſicut halitus inſufflando emiſſus, eſt conſubſtantialis Spiritui illius, qui eum emittit, & exſufflat, ita quoque Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit, vt ſit illis conſubſtantialis. 3. hac etiã inſufflatione ſignificari poteſt, quod ſicut nubes flante vento diſſipantur, ſic ſufflante Spiritu Sancto, eiuſque gratia diſſipantur omnes peccatorum nubes, iuxta illud Iſaiæ 44. *Deleui vt nubem iniquitatem tuam.*

Cap.2. Actor. à v.1. ad 14. vbi deſcribitur Spiritus Sancti aduentus in Pentecoſte, ſub ſpecie venti validi, & linguarum ignearum, præclara habentur eiuſdem Spiritus ſymbola. Primùm enim ventus, ſub nomine ſpiritus vehementis ſignificatus, dũ dicitur quod *factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis*, ſymbolum eſt Spiritus Sancti, non ſolùm qua Deus eſt cum alijs perſonis, docente Diuo Dionyſio cæleſt. Hierarch. c.15. Deum etiam interdum venti nomine, aut ſymbolo deſignari poſſe, ſecundum naturalem nobilitatem, vimque animandi, & celerem, inſuperabilemque diſceſſum, & mobilium principiorum, atque finium incognitas nobis, atque inuiſibiles latebras. Vndè pſal. 17. dicitur, *ambulare ſuper pennas ventorum*; & Ioann. 3. quod *Spiritus, vbi vult, ſpirat; & neſcis vndè veniat, aut quò vadat.* Ventus inquam, non tantùm eſt ſymbolum Spiritus Sancti, qua Deus eſt, verum etiam qua talis perſona, ſeu ſecundum proprietates eius characteriſticas, primò, quia ventus eſt quidam ſpiritus, vt ſæpè vocatur in Scriptura, ideòque congruè repræſentat Spiritum Sanctum, procedentem ex ſpiratione Patris, & Filij. 2. cum procedat per modum amoris, rectè dicitur ventus vrens, hoc eſt gratia ſua exſiccans humorem vitiorum, & accendens in cordibus noſtris ignem ſui amoris, flammamque æternæ charitatis; item ventus vehemens, non ſolùm quia amor notionalis per quem procedit, eumque denominans, ſe habet per modum ponderis, atque adeò cum impetu, & vehementia venientis ad nos; verum etiam quia ſicut validus ventus, non tantùm ſternit ſegetes, frutices, arbores, ſed & domos integras à fundamentis euellit, & in altum rapit, aliòque transfert, ita Apoſtoli in Pentecoſte induti virtute Spiritus Sancti, tum alij Sancti Prædicatores eorum ſucceſſores omnem mundi potentiam, ſapientiam, eloquentiam, &c. ſtraturi erant; vel etiam Spiritus Sanctus eos facturus erat efficaces, validos, & impetuoſos ad inuadendum, debellandũ, & ſubiugandum totum orbem Chriſto, iuxta illud Pſalm.28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* & Pſalm. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Nec non tandem ſignificauit, quales quoque ipſi, & cæteri

fideles

fideles eſſe deberent, nimirum vehementes in ſtudio virtutis, & ſalutis. *Regnum enim Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; & vt ait D. Ambroſius, *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Quamuis etiam dici poſſit aura, vel ventus tenuis, aut lenis, quia ſubtiliter mentem penetrat; noſtræque infirmitati plerumque ſe accommodat. Vnde rectè ait D. Chriſoſtomus homil. de Spiritu Sancto in fine tomi 3. *Da mihi nauim validam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia diſpoſita, & nuſquam eſſe ſpiritum venti, nonne tardat omnis quantuſcumque eſt apparatus, ſi deſit operatio Spiritus? ita fieri ſolet, licet ſit ampla ſermonis ſupellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, ſi non adſit Spiritus, qui vim ſuppeditat, otioſa ſunt omnia*.

Inſuper quia nedum ventus, ſed & aer in Scriptura vocatur ſpiritus, imò & ipſe ventus eſt veluti aer agitatus, congruum quoque ſub hac ratione ſymbolum eſt Spiritus Sancti, cù enim aer ſit tanquam medium glutinum & compago diuerſa ſimul coniungens, meritò reſpondet Spiritui Sancto, ſeu virtuti eius vnienti omnia, quæ diſſidentia videntur, & roboranti in omnibus fiſtulis mundani inſtrumenti. Et hoc eſt, quod per Ezechielem dicitur cap. 1. *Et ſpiritus vitæ erat in rotis*. Et quod hic de mundano, Paulus de humano inſtrumento docet, dum ait: *Idem autem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult*. Vt igitur, ex ſtatim dicendis vocatur Spiritus Sanctus ignis, illique aſſimilatur, quia inſtar ignis mentes purificat, illuminat, accendit, & ad res cęleſtes eleuat: ita dicitur aer, illique comparatur, quia nectit, ligat, conglutinat, & implet omnia ab eo implenda. Vel etiam, quia ſicut aer ceſsit omnibus, & in omnem formam ſe mutat, & ſcindi, ac diſrumpi ſe patitur; ita diuinus Spiritus omnibus creaturis ſemper adeſt; cum omnibus ſemper operatur, & quod eſt infinitæ ſuæ virtutis, ad ſingularum naturam, tam in operibus naturæ, quam in operibus gratiæ, ſuam accommodat operationem.

Secundò, quod ſub ſpecie linguæ Apoſtolis inſederit Spiritus Sanctus, præclarum eius habetur ſymbolum. 1. ob maximam linguæ cum verbo cognationem. Sicut enim verbum mentis producit verbum, aut vocē linguæ, ſic à diuino Verbo ſimul cum Patre ſpiratur, vel procedit Spiritus Sanctus. 2. quia ſicut lingua eſt eiuſdem naturæ cum ore, & cæteris membris; ita Spiritus Sanctus eſt conſubſtantialis Patri, & Filio, vnuſque & idem cum illis Deus. 3. quia inſtar linguæ loquitur, & intercedit pro nobis, ſeu vt ait Apoſtolus Roman. 8. *Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, effectiuè, vt ait D. Auguſtinus, quatenus facit nos poſtulare. 4. quia ipſemet inſtar linguæ diuinæ loquitur ad aures cordis noſtri, *Spiritus Paraclitus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia* Ioann. 14. Et etiam loquitur mediantibus verbi Diuini præconibus, vnde dicitur Matth. 10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris mei, qui loquitur in vobis*. Et 1. Corinth. 12. 3. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto*; ita vt ſit quaſi lingua Patris, & Filij diuinitatis arcana, & ſecreta nobis enuntians, vel enuntiare faciens. 5. ſicut lingua diſcernit ſapores; & diſtinguit dulce ab amaro, ſapidum ab inſipido; iuxta illud Iobi 12. *Nonne auris verba diudicat, & fauces comedentis ſaporem?* ita Spiritus Sanctus mentem illuminans, & diuina implens gratia corda noſtra, facit ea diſtinguere res cæleſtes, & æternas, à terrenis, & caducis, vt illas eligamus, & amemus, iſtas reprobemus, & contemnamus. Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 4. rectè ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus*, quia ſcilicet non habet guſtum ſincerum, nec linguam Spiritus Sancti, qua, vt idē Apoſtolus ait ibidem cap. 2. *Spiritualis omnia iudicat*.

6. quia

6. quia Apoſtolos in die Pentecoſtes conſtituebat Prædicatores Euangelij; prædicationis autem inſtrumentum eſt lingua; congruè ergò Spiritus Sanctus hoc viſibili ſigno linguæ, ſe quaſi viſibilem exhibere, & viſibiliter Apoſtolis illabi voluit, quos Euangelij præcones conſtituebat, & in hunc finem dona etiam linguarum conferebat. 7. tandem, cum lingua ſit membrum homini, vel vtiliſſimum, vel maximè noxium. Nam vt Prouerb. 12. dicitur; *Mors, & vita in manu linguæ*; Pſal. 139. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*. Quod & ipſimet Philoſophi Gentiles agnouerunt. Anacharſis enim, apud Laertium lib. 1. cap. 9. rogatus, *Quid eſſet in homine peſſimum, & optimum?* reſpondit, *lingua*. Hæc enim vtiliſſima eſt, ſi recta ratione gubernetur; peſtilentiſſima verò, ſi ſecus. Propterea Spiritus Sanctus ſub ſpecie linguæ venit, & apparuit, vt ſciremus opus eſſe eius eximium, linguam regere, & gubernare; vt etiam dicitur Prouerb. 16. *Hominis eſt præparare cor, Domini autem gubernare linguam*. Nullumque hominem linguam domare poſſe, vt ait D. Iacobus cap. 3. ſine Spiritus Sancti gratia.

Quod inſuper linguæ, ſub quarum ſpecie Spiritus Sanctus apparuit Apoſtolis fuerint diſpertitæ, non vacat myſterio. Si enim *diſpertita*, idem ſit, ac *diſtributa* per ſingulos, ita vt quiſque ſuam haberet partialem linguam capiti ſuo inſidentem, licet integram, & indiuiſam, ſicuti communiter depinguntur, hac linguarum multitudine repræſentabantur multiplices gentium linguæ, quas Apoſtolis indebat Spiritus Sanctus; vel etiam multiplicitas donorum Spiritus Sancti. Si autem, vt multi probabiliter putant, linguæ ſingulæ propriè fuerint diſpertitæ, id eſt diſſectæ, ita vt ſectili forma apparuerint, quæ ita poteſt concipi, vt ſingulis incubuerint plures partiales linguæ, quæ tamen infernè in vnam quaſi radicem coaleſcerent, ita vt infernè videretur eſſe vna totalis lingua, de qua dicitur: *ſeditque ſuper ſingulos eorum*, quæ exurgens in plures linguas, quaſi culmos, & calamos, ſe ſe diſpertiret, & diuideret; huiuſmodi vniuſcuiuſque linguæ diſſectione, nō ori, ſed capitibus Apoſtolorum inſedentis, ſignificari poterat, quod ait Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*. Vel etiam, quod veniebat ad ſeparandum illos à mundo, affectibuſque terrenis; aut quod procedit à duabus perſonis Patre, & Filio; aut duos amores in nobis accenſurus erat Dei, & proximi; nec ſolùm animam inflammaturus, verum etiam carnem purificaturus.

Tertiò tandem, quod huiuſmodi linguæ fuerint igneæ, non quidem realiter, ſed ſimilitudinariè, ſeu *tanquam ignis*, vt ait ſacer textus; quatenus fuit tantùm aer, aut vapor denſior, cui Deus indidit lucem roſeam, & rubram inſtar ignis, in linguæ ſpeciem conformatus, ita vt videretur eſſe lingua ignea, plura quoque continet ſacra ſymbola. 1. quia, cum Spiritus ſanctus, tertia Trinitatis perſona, ſit verus Deus, iam pluries oſtendimus ſupra, ignem eſſe præclarum Diuinitatis ſymbolum, iuxta illud Deuter. 4. *Deus tuus ignis conſumens eſt*. 2. quia Spiritus ſanctus in diuinis eſt amor notionalis, amor autem, ſicut ignis, eſt ſubtiliſſimus, efficaciſsimus, potentiſsimus, agillimus, meritò igitur ſub ſymbolo ignis, vel linguarum ignearum deſcendit ſuper Apoſtolos. 3. ratione effectus, quos in Apoſtolis, cæteriſque fidelibus operaturus erat, concupiſcentias nimirum, & vitia conſumendo, & virtute ſua comburendo quaſi ignis. 4. Lex Chriſti quam modò promulgaturi erant Apoſtoli, eſt lex ignis, & charitatis, iuxta illud Deuteron. 33. *In dextera eius ignea lex*. Ignis igitur, vel linguæ igneæ, ſub quarum ſpecie apparuit Spiritus ſanctus, ſymbolicè ſignificabat incendiū amoris, quod Apoſtolis, ſacriſque verbi diuini præconibus immit-

immittit, & quo eos reddit igneos, ad accendendum quoque in alijs ignem ſui amoris. *In linguis igneis*, inquit D. Gregorius homil. 30. in Euangel. *apparuit Spiritus, quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter, & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otioſus eſt ſermo doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipſo veritatis ore conceperant, qui dicebant: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Certè iuxtà præceptum etiam Ciceronis lib. 2. de orat. *ardere orator debet, ſi iudicem velit accendere*; adeoque oportebat igne Spiritus ſancti, ſeu amore ardere Apoſtolos, vt eo quoque totum orbem frigore torpentem, ac gelidum inflammarent. 5. ſub forma ignis apparet Spiritus ſanctus, quia, inſtar illius, aſſimilat, vnit, & transformat. Aſsimilat, reddendo homines ex carnalibus ſpirituales, Galat. 6. *Vos qui ſpirituales eſtis*. Vnit animam Deo, *Qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt*. 1. Corinth. 6. & in eumdem Deum ipſam transformat, *Ego dixi dij eſtis*. 6. ex Cyrillo Hieroſ. catecheſi 17. *Ignis portendit tribulationem magnam, & multiplicem, quam paſſuri erant Apoſtoli, & fideles; ſed ſuperaturi per ignem amoris diuini, quem idcircò hic eis indidit Spiritus ſanctus*. Sub cuius forma 7. dici poteſt, eum maximè apparuiſſe, ad denotandum Apoſtolos, & Eccleſiam ab eis fundandam, tandem poſt tribulationem magnam, & multiplicem, fore felicem, & à mari vſque ad mare dominaturam. Si quidem ignis apud veteres, & lætitiæ, & regiæ dignitatis argumentum, aut ſymbolum fuiſſe legitur. Non ſolùm enim Perſiæ Reges ignem ante ſe præferri volebant, ſed etiam Romani Imperatores, nullius ferè alterius inſignij magis zeloſos ſe oſtendentes. Vndè refert Herodianus in vita Commodi Imperatoris, ipſum Martiæ amaſiæ ſuæ conceſsiſſe omnia Imperatricis priuilegia, eo excepto, quod ignis ipſi præferretur. *Propè eam*, inquit præfatus Hiſtoricus, *vxoris loco habebat, ſic, vt præter ignem, omnes honores illi velut Auguſtæ tribuerentur*.

Quid ni etiam dici poſsit, Spiritum ſanctum, in formam ignis diuiſi ſuper Apoſtolos, cæteroſque diſcipulos, ſimul in cænaculo congregatos aduenientem, & ſingulorum capitibus inſedentem, ſignificare voluiſſe felicitatem futuræ nauigationis Eccleſiæ, quæ ibi tota erat adunata, quæque ſolet aſsimilari naui in tempeſtuoſo mari, quod ſpecialiter de illo tempore poterat dici, propter ingruentes perſecutiones; ad eum modum, quo ignita impreſsio, quam Meteorologici vocant Caſtorem, & Pollucem, ab ijſdem dicitur eſſe ſignum tranquillitatis futuræ, ſi in antennis, aut alijs nauium partibus inſideat.

Cap. 2. v. 13. *Muſto pleni ſunt iſti*. Verà hic dixiſſe Iudæos, ſed irridendo, rectè notat Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 17. *Nouum enim*, inquit, *verè erat illud vinum, noui teſtamenti gratia: Sed nouum hoc vinum eſt à ſpirituali vinea, quæ iam antea ſæpe in Prophetis fructum ferebat, & in Nouo Teſtamento refloruit. Vt enim ſenſibilis vinea ſemper manet eadem, ſucceſſu autem temporis nouos affert fructus; ſic & Spiritus Sanctus, idem ſemper manens ſicuti eſt, qui ſæpe in Prophetis operabatur, nunc nouum quiddam, & admirandum declarauit*. Et inferius: *Non ita ſicut vos exiſtimaſtis, iſti ebrij ſunt, ſed ſicut ſcriptum eſt: Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: Inebriati ſunt ſobria ebrietate, quæ peccatum mortificat, & cor viuificat: ebrietate omnino contraria illi corporeæ ebrietati. Illa enim & cognitorum inducit obliuionem, hæc etiam ignoratorum notitiam donat. Inebriati ſunt bibentes vinum ſpiritualis vitis illius, quæ dicit: Ego ſum vitis, vos palmites*. Vnde in ebrietate corporali, ſiue

in vino

in vino corporaliter inebriante, præclarum ebrietatis ſpiritualis, ſeu diuinæ gratiæ, & charitatis animam ſpiritaliter inebriantis ſymbolum habemus. Certè de prima ſic ait D. Bernardus lib. de modo bene viuendi cap. 25. *Ebrietas corpus debilitat, mentem illaqueat. Ebrietas generat perturbationem mentis. Ebrietas auget furorem cordis. Ebrietas nutrit flammam fornicationis. Ebrietas ita alienat mentem, vt homo neſciat ſemetipſum; &c. nec eſt aliud ebrietas, quam manifeſtiſſimus dæmon.* Similis quoque, ſed in oppoſito generè ebrietas ſpiritualis: nam ſi ebrius vino, videtur incarnatus diabolus, ex aduerſo ebrius amore, & Spiritu Sancto, videtur incarnatus, ſiue in terra Angelus.

1. Igitur ſicut ebrietas corporalis rationem naturalem adimit; ita ſpiritualis cauſata ex vino diuini amoris reddit hominem emotæ mentis, actù ratione naturali ad ſupernaturalem eum transfert, vt non amplius, quæ ſuper terram, ſed quę ſurſum ſunt ſapiat, & quærat. 2. Sicut ebrius vino nō cognoſcit amicos, ſed eos, omneſque indifferenter odit; ita ebrius diuino amore non curat parentes, fratres, cognatos, nec alios quoſcumque, cum eū à Dei cultu, à religione, à martyrio deterrere conantur, vt contigit Leuitis, qui iuſſu Dei occiderunt idololatras, quamuis fratres eſſent, filij, & patres; iuxta illud Moſis Deuter. 33. 9. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos; & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* 3. Ebrius lętiſſimus eſt; & cum Deus amore inebriat chariſſimos ſuos, tunc torrente voluptatis ſuæ potat: *Quoniam quidem*, inquit D. Bernardus tract. de diligendo Deo, *in complexu illo arctiſſimo, & caſtiſſimo ſponſi, & ſponſa, fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* 4. vinum accendit hominem, ita & charitas, gratiaque Spiritus Sancti; *Hinc*, ait S. Bernardus ibidem, *ſobria illa ebrietas vero, non mero; ingurgitans: non madens vino, ſed ardens Deo.* Quam ſobriam, ſanctamque amoris ebrietatem, maximè bibimus in menſa Euchariſtica, de qua ait Pſalmiſta Pſalm. 22. *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt*; & Zacharias cap. 9. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* 5. Ebrius, vinoque plenus, illud eructat, cantat, vociferatur; ſic & Apoſtoli ebrij, amoréque bullientes, non vino, niſi quod amor vinum eſt, dicente Sponſa Cant. 2. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, inde prædicando vbique, eructabant verbum bonum. Vt enim ait Sanctus Auguſtinus ſerm. 188. *Iam facti fuerant vtres noui, ſanctitatis gratia renouati, vt vino nouo, hoc eſt Spiritu Sancto repleti, linguis omnibus loquendo feruerent, & Eccleſiam Catholicam per omnium gentium linguas futuram, euidentiſſimo illo miraculo præſignarent.* 6 ebrius vino æſtuans, ita animoſus, & pugnax redditur, vt nihil timeat, ſed intrepidus ruat in enſes, & ignem, vndè plerumque milites pugnaturi implent ſe vino, eoque pleni nonniſi minas ſpirant; ſic & qui Spiritu Sancto diuinaque charitate ſunt ebrij, nihil prorſus timent, nihil agredi formidant, vbi agitur de gloria Dei, & ſalute proximi. Ita Apoſtoli antea timidiſſimi poſt receptum Spiritum Sanctum facti animoſiſſimi, nonniſi bellum contra infidelitatem, impietatem, & dæmonem meditati ſunt, ac intrepidè in pericula, carceres, & martyria ſe coniecerunt. Adeò vt Diuus Bernardus de S. Petro dixerit. Numquid mutatio dexteræ excelſi, prius quidem inter ancillæ verba formido, poſt modum inter principum verbera fortitudo. *Ibant enim Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Et Diuus Paulus Rom. 8. ait: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti: tribulatio? an anguſtia? an fames, &c.* 7.

tandem ebrietas, ſeu vinum plus nimio ſumptum cauſat inſaniam, nam vt ſcite aiebat Anacharſis Philoſophus, primus calix, qui bibitur, eſt neceſſitatis; ſecundus hilaritatis; tertius voluptatis; quartus inſaniæ; ſed dicente quodam, amare ſimul, & ſapere, vix dijs concedi, multo magis, qui diuini amoris muſto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur, fiunt mundo, & mundanis inſani, ſiue talia præſtant, ob quæ inſanire videntur. De qua inſania ait Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Nos ſtulti propter Chriſtum*; viderique omnino debent Diuus Auguſtinus ſerm. 185. de tempore, & Diuus Bernardus tract. de natura diuini amoris cap. 3.

Cap. 4. v. 11. *Hic eſt lapis, qui factus eſt in caput anguli*; ſub metaphora lapidis angularis, non ſummi, qui in domo eminet quaſi culmen, & faſtigium, ſiue frontiſpicium, quem Hebræi, & Latini vocant pinnam, ſed imi, ſeu fundamentalis, cui alludens Sanctus Paulus, paſſim dicit fideles omnes illi ſuperædificari, ſeu Chriſtum eſſe fundamentum Eccleſiæ primum, & imum, cui deinde incumbunt duodecim fundamenta ſecundaria, nimirum duodecim Apoſtoli Apocal. 21. 19. Sub huiuſmodi, inquam, metaphora, vel ſymbolo lapidis Chriſti, durioris marmore, quique nec carie conſumi, nec ſcalpris concidi poteſt, ſignificatur Eccleſiæ ipſi inædificatæ perpetua duratio, cui nulla vis, adeoque portæ, id eſt omnes inferorum vires præualere nequeunt, vti Petra Chriſtus aſſeruit, & promiſit Petro Vicario ſuo, eiuſque ſucceſſoribus, Matth. 16. Vocatur lapis fundamentalis, non quicumque, ſed angularis; tum quod duos parietes, Gentium, & Iudæorum, in ſe velut angulo coniunxerit; tum quod angulus in Scriptura ſymbolum ſit principis, regis, & regni: nam quod in fabrica eſt angulus, in oſtio cardo, hoc in republica eſt rex, & princeps: omnes enim ſibi vincit, & vnit. Præclarè ergo Chriſtus dicitur angulus, vel lapis factus in caput anguli, quia rex, & princeps eſt Eccleſiæ.

Cap. 12. epiſt. ad Romanos v. 4. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto &c.* apprimè ſub ſymbolo, vel figura corporis humani, deſcribitur Eccleſia, ſiue corpus Chriſti myſticum; ſicut enim in corpore ſunt quatuor. 1. vnitas eius. 2. diuerſitas membrorum. 3. diuerſitas officiorum in membris ſingulis. 4. aptitudo, & dos cuiuſque membri ad ſuum officium exequendum; ita quoque ſe habet in Eccleſia, quæ 1. vnum corpus eſt in Chriſto, nexum interius per fidem, exterius per Sacramenta ab eo inſtituta; & per hæc cum ipſo, & in ipſo, tanquam ſupremo Eccleſiæ capite. 2. diuerſitas membrorum in ea, ſunt diuerſi fideles, ſiue diuerſitas perſonarum, maximè Eccleſiaſticarum, ſeu miniſtrorum Eccleſiæ; quibus ſingulis tertiò, & quartò, ſuum competit talentum, ſiue officium, & chariſma, eiuſque functio, vel actus.

Cap. 13. v. 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit*; ſub ſymbolo noctis deſignatur tempus ante Chriſtum, plenum tenebris infidelitatis, & peccatorum; per diem autem ſignificatur tempus præſens Euangelij, quo Sol Chriſtus lucis ſuæ, id eſt fidei, & gratiæ ſuæ radios toto orbe diffudit. Vel etiam ex D. Gregorio lib. 29. Moral. cap. 2. Nox eſt tempus ante Chriſtum, dies eſt dies reſurrectionis, aurora media tempus eſt Euangelij; hæc diei vicinior eſt quam nox: vnde nobis vicinior eſt ſalus, & dies, quam ijs, qui fuerunt ante Chriſtum.

Cap. 3. primæ epiſt. ad Corinthios v. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam*, ſub ſymbolo lactis deſignat Apoſtolus faciliorem, ſuauiorem, & ſimpliciorem doctrinam de Chriſti humanitate, & gratia, ac redemptione, qualis conuenit catechumenis recens conuerſis, ac

bapti-

baptizatis; in cuius etiam ſignum, nec non innocentiæ, & ſuauitatis vitæ, ac doctrinæ Chriſtianæ, vt iam ſupra aduertimus, olim dabatur lac, & mel, vel etiam lac, & vinum.

Cap. 4. v. 6. *Ne ſupra, quam ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum inflctur*: ſub metaphora, vel ſymbolo flatus, ſumpti ab vtribus, ſignificatur ſuperbus. Sicut enim vtres dicuntur inflari, cum intus licet inanes, & vani, flatu tamen, ac vento ita diſtenduntur, & tument, vt corporis craſſi molem, & ſpeciem præ ſe ferant. Ita ſuperbus, qui ob ſcientiam, eloquentiam, aut alias ſimiles dotes turget, & extollitur, intus vera ſapientia, & virtute vacuus, exterius vanæ præſumptionis, & arrogantiæ vento ita intumeſcit, vt vtri inflato vento quam ſimillimus ſit, iureque merito inflatus dicatur.

Cap. 15. v. 8. *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi*: Etſi nonnulli exiſtiment Paulum ſe vocare *abortiuum*, ſcilicet Apoſtolum, eo quod præter, & extra numerum duodecim Apoſtolorum, Apoſtolus creatus ſit, alludendo ad modum loquendi, quo ſolebant Romæ Senatores, teſte Suetonio in Octauio cap. 35: abortiui vocari, qui ſupra numerum per gratiam in Senatum allegebantur; inſuper ſub huiuſmodi metaphora abortus, vel abortiui plura de eo ſymbolicè ſignificari poſſunt. 1. eius humilitas, vel abiectio, qua ab omnibus contemni voluit: ſi quidem abortiui fœtus, vt pote imperfecti, parum æſtimari ſolent. 2. quod extra tempus, Chriſto ſcilicet in cælos recepto, natus in eo Paulus, nouiſſimus Apoſtolatum acceperit. 3. quod vi diuina proſtratus in terram quaſi violenter renatus ſit: abortiui enim naturæ violentia eijciuntur. 4. quod ſicut fætus abortiui ſemimortui, & cæci ſæpè naſcuntur; ita in conuerſione cæcitate percuſſus ſit. 5. quod non ad ſuos Iudæos, ſed ad exteras gentes miſſus ſit Apoſtolus.

Cap. 2. epiſtola 2. ad Corinthios, v. 15. *Chriſti bonus odor ſumus*. Sub odoris boni metaphora, vel ſymbolo, tam Diui Pauli, quam aliorum iuſtorum bonæ vitæ gloria, & fama deſignari poteſt. Quatenus ſicut bonus odor ex præſtantibus herbis, vel pretioſis aromatibus exhalatur, ita ex virtutibus iuſtorum oritur, & meritis ipſorum debetur, fama, gloria, & decus, ob quæ dicuntur Chriſti bonus odor; & vt ait Diuus Bernardus de Diuo Paulo ſerm. 12. in Cantic. re verà vaſa aromatica, vaſa odorifera, & referta omni puluere pigmentario. Vel inſuper, ſicut aromata, quo magis conteruntur, eo maiorem, & fragrantiorem ſpirant odorem, ita omnes ſancti, quo magis cum Chriſto, & pro Chriſto perſecutionibus, & tribulationibus premuntur, & quaſi conteruntur, vt Diuus Paulus, eo ſuauiorem virtutis ſuæ odorem, & fragrantiam ſpargunt.

Cap. 5. epiſt. ad Epheſios, verſ. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate*. Sub ſymbolo tenebrarum deſignantur peccata, & peccatores, 1. quia peccantes oderunt lucem, & quærunt tenebras. Pudet enim eos in luce palam coram hominibus tam pudenda facere, & peccare. 2. quia peccata rationis iudicium excæcant. Vnde Prouerb. 14. 12. dicitur, *Errant qui operantur malum*. Semper enim peccatum oritur ex aliquo errore, vel cæcitate intellectus: ac rurſum, dum committitur, eamdem adauget, offuſcatque rectum prudentiæ, & conſcientiæ dictamen, per procliuitatem ad idem peccatum iterandum, quam animæ ingenerat. Indeque Euſebius lib. 6. de præparatione Euangelica, & Theodoretus lib. de curat. Græcan. affect. fusè oſtendunt. Quanta fuerit cæcitas, peruerſumque iudicium gentium in Gentiliſmo, circa mores, etiam quo ad illa, quæ ratio naturalis, & lex naturæ dictat. Vt propterea rectè dixerit Sanctus

ctus

ctus Auguſtinus in ſententijs, ſent. 343. *Sequamur Chriſtum lumen verum, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ ſunt morum, non oculorum: & ſi oculorum, non exteriorum, ſed internorum, unde diſcernitur, non album, & nigrum, ſed iuſtum, & iniuſtum.*

Contra virtus, & bona opera, eaque præſtantes ſymbolicè per lucem ſignificantur, 1. quia amant lucem, Dei, hominumque; & Angelorum; vnde Paulus ait 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* 2. quia manant à luce, nimirum à dictamine fidei, & prudentiæ. 3. quia eamdem lucem adaugent. 4. quia alios illuminant, & quaſi lux boni exempli, coram alijs reſplendent. 5. quia oriuntur à Deo, qui eſt prima, increata que lux omnia tranſcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, viuificans, continens, & ad ſe quaſi Sol conuertens, inquit S. Dionyſius de diu. nom. cap. 4.

Cap. 12. epiſt. ad Hebræos V. 29. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Sub ſymbolo ignis conſumentis hic deſignatur ira Dei, inſtar ignis puniens, vrens, & conſumens eos, qui carent metu, & reuerentia, qua illi ſeruiri debetur, vel negligunt eius legem. Sic in Sina daturus legem Hebræis, per ignem ſe oſtendit, Deut. 4. 15. idem fecit iniens fędus cum Hebræis Exodi 24. 17. Quia nimirum inſtar ignis acerrimè cruciaturus, & vindicaturus erat fęderis huius, & legis ſuæ tranſgreſſores. Etſi autem Apoſtolus hic Moſem ſecutus de vltione, non autem de gratia Dei loquutus fuerit, & ab illa vt potè terribili, & efficaciſſima, Deum vocarit ignem conſumentem; quia tamen ignis eſt primum, & nobiliſſimum elementum, puriſſimum, ſubtiliſſimum, celerrimum, iucundiſſimum, calidiſſimum, ſimpliciſſimum, omninò impaſſibile, omnia penetrans, intermiuum, omnia ingens, & ſibi aſsimilans, ex Diuo Dionyſio cap. 15. de cæleſti Hierarch. iam oſtendimus ſupra, aptiſsimum eſſe diuinitatis, attributorumque eius ſymbolum.

Cap. 1. epiſt. Sancti Iacobi Verſ. 6. *Qui enim hęſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Sub ſymbolo huiuſmodi fluctus, denotatur orantis, ex pauca in Deum fiducia, hęſitatio, hac enim quaſi uento excitatus, impulſus, & iactatus, nunc ſperat ſe obtenturum, nunc verò deſperat, ſibique dicit alternante animi æſtu; obtinebo quod peto, non obtinebo; concedet Deus poſtulata, non concedet: ſerò dabit, modice dabit; & ſimilia.

Ibidem V. 10. *Diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit:* quaſi diceretur, Ideò humilietur diues in humiliatione ſui futura, quia ſcilicet, ipſe, & opes eius, ſicut flos fæni tranſibunt; pręclarum vanitatis earum, quodque inde in illis minimè gloriari debemus, ſed in Domino, ſymbolum habemus. 1. quia non fęno, ſed flori fęni, qui licet ſpeciem habeat, & ſplendorem, citius tamen, quam ipſa viridis herba fæni à Sole ſiccatur, areſcit, & decidit: ſic enim diuitum opes apparentem quidem ſplendorem, & gloriam habent, ſed illico tranſeunt, & euaneſcunt, vt ait D. Ambroſius lib. 5. Hexam. cap. 7. 2. Sicut ſolis æſtu quamprimùm flos fæni areſcit; ita innumeris caſibus pereunt, & auferuntur ſubitò diuiti opes, & gloria. 3. Sicut flos, fæni maximè, oculos dontaxat ſuo colore paſcit; nullum verò habet fructum, quo os, & ventrem impleat; ita diuitiæ oculos auari paſcunt, mentem autem, ac inſatiabilem habendi cupidinem non ſatiant.

Cap. 3. Verſ. 6. *Et lingua ignis eſt.* Aptum in igne habetur linguæ ſymbolum. 1. ob formam, & ſpeciem: vtriuſque enim forma eſt pyramidalis. 2. ob ſimilem colorem; vtrumque enim rubicundum eſt. 3. ob velocitatem, volubilitatem, & agilitatem ſimilem. 4. ob parem efficaciam, qua lingua mordax,

das, non minus ac ignis, vrit, & cruciat proximum. 5. quia lingua ſe prodit internus ignis, id eſt amor, vel impurus, & carnalis, vel purus, & diuinus: ex abundantia enim cordis os loquitur; vndè etiam Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 37. ait: Quotidiana fornax noſtra lingua eſt. 6. vti ignis, ita linguæ damnum ſępè eſt irreparabile. Fama enim ſemel perdita recuperari nequit, Prouerb. 25. 8.

Cap. 2. 1. epiſt. Sancti Petri v. 24. & 25. *Quia omnis caro vt fœnum &c.* Diuus Petrus vt fideles euocet ab amore carnis, & mundi, omniumque rerum terrenarum, itaque traducat ad ſimplicem amorem Dei, & proximi, ex Iſaia cap. 40. 6. ait: omnem carnem, omnemque hominem inſtar fœni exareſcere, ſiue rurſum ſub ſymbolo fœni deſcribit, rerum terrenarum perpetuo fluentium, illicoque tranſeuntium vanitatem; iuxta illud Regij Prophetæ Pſalm. 101. 12. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui; tu autem Domine in æternum permanes.* Verè enim, vt ait D. Auguſtinus tract. 7. in Ioannem, *Lætitia ſeculi vanitas eſt, cum magna expectatione ſperatur, vt veniat, & non poteſt teneri, cum venerit. Iſte dies qui latus eſt, cras vtique non erit. Tranſeunt omnia, euolant omnia, & ſicut fumus euaneſcunt. Væ qui amant talia. Omnis quippe caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni. Filij ergo hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

Ibidem v. 5. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.* Lapides in fabrica ſymbolū ſunt fideliū in Eccleſia. 1. quia ſicut lapis poliri, & quadrari debet, ita fidelis, vt ſit aptus ad fabricā Chriſti, in hac vita per gratiam, & in alia per gloriam, tunſionibus, & preſſuris tribulationum, ac tentationum prius expoliri, & quadrari debet. 2. Sicut lapides, vt ritè fabrica ex illis conſurgat, ſuas habent dimenſiones, ita & in fidelibus, ex quibus coaleſcit myſtica Eccleſiæ fabrica, debent eſſe virtutis dimenſiones. Vndè Sanctus Ignatius in epiſt. ad Epheſios ait: *Ieſus Chriſtus fundauit vos ſuper petram, vt lapides electos, aptos ad diuinum ædificium Patris, ſublatos in altum per Chriſtum, qui pro vobis crucifixus eſt, perpendiculo vſus Spiritu Sancto, fide verò ſubductos, & charitate eleuatos à terra in cœlum.* 3. Lapis vt collocetur in fabrica, eique ſit aptus, debet eſſe durus, & fortis, tum vt molem ſibi incumbentem ſuſtineat, tum vt iniurię temporis, hoſtiumque inſultibus reſiſtat: ita fortis pariter, & conſtans debet eſſe fidelis; quam fortitudinem hauriri à Chriſto, tanquam à petra angulari, & fundamētali docet D. Bernardus ſerm. 61. in Cant. *In petra,* inquit, *exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto, ſecurus ab hoſte, tutus à caſu; fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado, fundatus enim ſum ſupra firmam petram.* 4. Lapis inferior portat ſuperiorem, & hic inferiorem, ac collateralem firmat: Sic in Sancta Eccleſia vnuſquiſq; & portat alterum, & portatur ab altero, ait D. Gregorius homil. 13. in Ezech. iuxta illud D. Pauli ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate.*

Ibidem v. 25. *Eratis enim ſicut oues errantes.* Aptè ſub ſymbolo ouium errantium deſignantur homines peccantes; ſiue à Deo deuiantes, ſi enim ouis facilè deuiat, & aberrat, de qua ait Ariſtoteles lib. 9. hiſtor. animal. cap. 3. *Genus ouile amens, & moribus, vti dici ſolet, ſtultiſſimus eſt; quippe quod omnium quadrupedum ineptiſſimum ſit: repit in deſerta ſine cauſa: hyeme obſtante ipſum ſæpe egreditur ſtabulo: occupatum à niue, niſi paſtor compulerit, abire non vult, ſed perit deſiſtens, niſi mares à paſtore ducantur: ita enim reliquus grex conſequitur*: non minus facile homines à Deo, virtute, ſalute, & cœlo aberrant, ad diabolum, ſcelera, damnationem, & gehennam ruentes. Iuxta illud Pſal. 118. *Erraui ſicut ouis quæ perijt*: nec nō Iſaiæ 53. *Omnes quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.*

Cap. 2.

Cap. 2. epiſt. 1. S. Ioannis verſ. 11. *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & neſcit, quo eat*. Cum, vt notauimus ſupra, tenebræ ſint ſymbolum peccati, vt ſic; Vnde Prouerb. 4. 19. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant*. Et Sophon. 1. 17. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*. Hic aſſumuntur ſpecialiter in ſymbolum iræ, & odij; nec immerito; nullum ſi quidem vitium eſt, quod magis excæcet rationem, eique conſequenter tenebras offundat, quam ira, & odiũ. Vnde Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. illam definit *eſſe breuem inſaniam*. Et Cicero Tuſcul. 4. *nihil*, ait, *eſſe ſimilius inſaniæ, quam iram*. *Quam bene Ennius dixit initium inſaniæ*. Vereque author oper. imperf. homil. 13. ait, quod *Odium ſpiritus eſt tenebrarum, & vbicumque inſederit, ſordidat pulchritudinem ſanctitatis*, quippe qui animam tenebroſam reddit.

Verſu 12. epiſtolæ S. Iudæ; *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur*, ſunt ſymbolum hęreticorũ. 1. quia ſicut nubes ſine aqua, ſiue ſteriles, & infæcundę, videntur aquã habere ad hominum refrigerium, & terræ fæcunditatem, ſed eam non præſtant. Ita hæretici ſuperbi, & glorioſi nomen inanis ſcientiæ, & doctrinæ pręferunt, ſed eam nec habent, nec præſtant, iuxta illud Prouerb. 25. 14. *Nubes, & ventus, & pluuia non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens*. Huius loco D. Petrus epiſt. 2. cap. 2. 17. eos vocat fontes ſine aqua, & nebulas turbinibus exagitatas. 2. Sicut nubes ſine aqua, agitata ventis, ea loca, quibus incumbit, non refrigerat aqua, ſed caligine obducit, & offuſcat: ita hæretici animas ſalutari doctrina, vel ſapientiæ aqua non irrigant, recreant, & fæcundant, ſed potius deteſtabilibus documentis aridas reddunt. 3. Sicut nubes, maximè ſine aqua, à vento inſtar fumi diſpellitur, & euaneſcit, ita & hæretici ſuo vanitatis ſpiritu diſſipantur, & euaneſcunt. Vnde S. Athanaſius, apud Socratem lib. 2. hiſt. cap. 12. de Iuliano Apoſtata iam regnante, & in fideles graſſari incipiente ait: *Secedamus paululum, ò amici! eſt enim nubecula, quæ cito præterit, & euaneſcit*. Vt probauit euentus, nam ſequenti anno occiſus eſt Iulianus. 4. Sicut nubes ſine aqua, & ſteriles à ventis circumferuntur, ita hæretici ventis, id eſt flatibus, & ſuggeſtionibus dęmonum in diuerſos vitiorum raptantur errores; ſiue ab vna hæreſi in aliam, & aliam dilabuntur, atque in dies noua cudunt peruerſa dogmata. Sic Diuus Hilarius ad Cõſtant. Imperat. ait, Arrianos plurimas habere fides, ne vlla eſſet, imo annuas, & menſtruas, eoque tot habere fides, quot voluntates.

Ibidem, *arbores autumnales*, ſunt eorumdem hæreticorum ſymbolum. 1. enim ſi arbores autumnales hic ſumantur pro arboribus autumno marceſcẽtibus, ſcilicet perdentibus fructus, ſeque in radicem, & terram contrahentibus; ſimili quoque modo hæretici ſunt homines marcidi, nullum doctrinæ veræ, operumque bonorum fructum afferentes, ſed terrenis affixi. 2. Si arbores autumnales ſignificent arbores ſinientes, vltimique autumni, ac hyemali ſquallori proximas; quo tempore arbores comam ſuam, id eſt omnia folia deperdunt. Pariter hæretici nulla veræ ſapientiæ folia, & ſpeciem habẽt, ſed vti fructu ſteriles, ſic folijs, & ſpecie ſunt aridi, & ſquallidi. 3. Si arbores autumnales, vt vertit Arabicus, ſunt arbores corruptorum fructuum; tales quoque hæreticos eſſe in ſuis operibus ſatis conſtat: *Iuſtus enim ex fide viuit*; vndè illa deficiente nonniſi fructus corrupti, nulliuſque meriti produci poſſunt.

V. 13. *Fluctus feri maris* ſymbolice quoque vocantur hæretici. 1. quia inſtar fluctuum inquieti, & tumidi ſunt per ſuperbiam, ſua maledicentia, & blaſphemia cælum ipſum attingentes. 2. quia vti fluctus feri, id eſt feroces, vel vehementes maris nauim, ita hæretici

retici turbulenti, ſeditioſi, & tumultuoſi veram Chriſti Eccleſiam concutiunt, & exagitant. 3. Sicut fluctus in fluctū, ita hæreſis vna in aliam arietat, itaque ſe ſe inuicem conficiunt, & iugulant. 4. Sicut fluctus licet tumentes, & altiſſimi, littus, & ſaxa verberantes, ab ijs repulſi diſſiliunt, ſic & impetus, faſtus, ac furores hæreticorum verberantes Eccleſiam, in ſeipſos diſſiliunt, & euaneſcunt.

Item *Sydera errantia*, ſeu planetæ; quatenus ſicut planetæ ſemper tramitem mutant, vt nunquam eodem loco oriantur, & occidant, ſed alio ſemper; & alio, atque nunc tardius, nunc celerius rotentur: modo enim ad infima Zonæ hyemalis deſcendunt, modo ad alta zonæ ſolſtitialis aſcendunt, modo mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt: ita ex Venerabili Beda, Oecumeno, & alijs, hæretici nedum à vera fide in errores alios, & alios aberrant, alioſque in errorem ducunt; verum etiam in errando ſunt irregulares prorſus, & vagi, nouis erroribus quot annis confictis, vnde innouandi conſtantia ſunt conſtantiſſimi. In quo tamen diſcriminantur ab illis planetæ, cum in errore, motuque ſuo ſint regulares, & conſtantes. Vnde Plinius lib. 2. cap. 6. *Septem ſydera*, inquit, *ab inceſſu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis.*

Cap. 1. Apocal. v. 7. *Ecce venit cum nubibus*; hic Chriſtus ad iudicium venturus cum nubibus prædicitur; quod nubes ſint ſymbolum, æque ac velum gloriæ Dei, vt dictum ſupra.

Ibidem v. 16. *Et habebat in dextera ſua Stellas ſeptem.* Significantes ſeptem Angelos, ſeu Epiſcopos. Stellæ enim Angeli, ſiue Epiſcopi in Eccleſia, aptum ſunt ſymbolum. 1. vt quaſi ſtellæ, non errantes, vt planetæ, ſed fixę perpetuū, & ordinatum habeant motum, morumque omnium debitam compoſitionem. 2. vt ſua claritate alios illuminent. 3. calore foueant, & viuificent. 4. Suis influentijs vegetent, & conſeruent. 5. Quo maiores, eo ſint humiliores, ſicut ſtellę fixæ paruæ videntur, & humiles, ſed tamen maiores ſunt tota terra. 6. Sicut ſtellæ lucent noctu in medio tenebrarum, ita lucere debet Epiſcopus, præſertim noctu, id eſt tempore perſecutionum, & hæreſum, tum doctrina, tum virtute. 7. Quia ſtella vigilantiæ, & prouidentiæ, quę prima Epiſcoporum dos eſt, typum gerit. Hinc in veteri Pertinacis Iemper. numiſmate cernitur eius imago, manibus verſus ingentem ſtellam in cęlum ſublatis, hac inſcriptione, vel lemmate. *Prouidentia Deorum.*

Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua: Rurſum hic Sol eſt Dei, & Chriſti glorioſi ſymbolū, vt iam dictum ſupra.

Cap. 4. v. 3. *Qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis, & Sardini: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Iaſpis in Dei throno, vel Dei ſeſſoris imagine, quia firmiſſima eſt gemma, viridis, & ſæpe pellucens, ſymbolum eſt ſplendoris, & pulchritudinis diuinitatis ſemper virentis, & florentis; Sardius, quia ſanguinei, & ignei coloris eſt, feriſque terrorem incutit, 1. ſymbolum eſt igneæ, id eſt ſublimiſſimæ, & efficaciſſimæ Dei naturæ. 2. eiuſdem iuſtitiæ terroris, & vindictæ in impios. 3. qua ratione aſſeritur, Sardio etiam gaudium accendi, immenſæ illius Dei gloriæ, & felicitatis, ex qua manat immenſa eius voluptas, & lætitia, nec non Sanctorum. Rurſum per haſce duas gemmas ſymbolice ſignificari poteſt Dei iuſtitia, & vindicta in peccatores: nimirum per iaſpidem, qui coloris eſt aquei, ſignificatur diluuium ſub Noe, quo Deus omnes peccatores ſubmerſit: per Sardium, qui rubeus eſt, ignis conflagrationis mundi, qui peccata, & peccatores exuret. Inſuper Iaſpide ſymbolice denotari poteſt ſemper virens Sanctorum gloria in cœlo; per Sardium incendium gehennæ, quæ duo ſunt hominis nouiſſima, à Deo hominum oculis ſæpe obiecta, vt ea intueātur, & ita non peccent. Item iaſpide

virente deſignatur miſericordia, Sardio rubente iuſtitia, hiſce enim duobus totus mundus à Deo regitur iuxta illud Regij Prophetæ, *Omnia opera eius miſericordia, & veritas*: & aliud, *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Tandem, quà Deus hic apparet Diuo Ioanni, tanquam prouiſor Eccleſiæ militantis: iaſpide ſignificatur eius conſolatio, & recreatio in aduerſis, Sardio eius inflammatio, qua facit, vt ardentius ei ſeruiamus. *Iris in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdina*, vnde colligunt aliqui hanc iridem non aliũ habuiſſe colorem, quam viridem, tamque fuiſſe viridem, vt ſmaragdo ſimilis appareret, ratione huius coloris, qui aut erat vnicus, aut ſaltem aliis coloribus præcellebat, eſt ſymbolum ſemper virentis miſericordiæ Dei, ſiue conſolationis eius ſuis ſemper electis affuturæ, nec non Eccleſiæ in omnibus eorum tribulationibus, eò quod color viridis eſt conſolatiuus, & confortatiuus ipſius viſus.

Ibidem v. 7. quatuor animalia in medio ſedis, & in circuitu throni, quorum primum ſimile leoni, ſecundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ, ſymbolum ſunt, ſiue ſymbolice ſignificant quatuor ſedes Patriarchales; Leo Hieroſolymitanam, vitulus Antiochenam, homo Alexandrinam, aquila Conſtantinopolitanam; quæ ſunt in circuitu throni Dei, id eſt Cathedræ Romanæ, in qua ſedet Vicarius Chriſti. 2. ſignificare poſſunt quatuor Virtutes Cardinales, Leo fortitudinem, vitulus iuſtitiam, aquila temperantiam, homo prudentiam. 3. quatuor facultates, ſeu vires animæ humanę, homo vim rationalem, leo iraſcibilem, bos concupiſcibilem, aquila conſcientiam, ſiue ſpiritum. 4. Chriſtum Dominum, qui in incarnatione fuit homo, in paſſione vitulus, in reſurrectione leo, in aſcenſione aquila. 5. quatuor Euangeliſtas, totidemque etiam Chriſti proprietates in Euangelijs explicatas, nimirum leo fortitudinem regiam Chriſti, quam maximè oſtendit in reſurrectione, & poſt eam; vitulus Sacerdotiũ Chriſti in cruce conſummatum; homo humanitatem; aquila diuinitatem, & aſcenſum in cœlum. 6. quatuor Doctores Eccleſiæ, homo benignum Gregorium, leo fortem Ambroſium, bos laborioſum, & ſolidum Hieronymum, aquila ſublimem Auguſtinum. 7. quatuor boni Prelati, ſiue Epiſcopi dotes, qui 1. debet eſſe fortis, magnanimis, & imperterritus, vt leo, qui hebraice vocatur *labi*, à *lab*, id eſt cor, quia ingens habet cor, robur, & animum. Vndè lib. 2. Reg. 17. de viro magnanimo dicitur: *Cuius cor eſt ſicut cor leonis*. 2. laborioſus, vt bos, vel etiam beneficus; bos enim arando parit fruges, quin & ex bobus putrefactis apes, & bombyces oriuntur, vnde ſymbolum eſt beneficentiæ. 3. clemens, & compatiens, vt homo, ſiue habere hominis rationem, & æquitatem. 4. contemplatiuus, vt aquila, ſiue habere talem perſpicacitatem, ſapientiam, & prudentiam, qua comprehendat ſapientes, vel carnaliter prudentes in aſtutia ſua; ſicut ait Plinius lib. 10. cap. 3. quod *aquilarum pennæ* miſtæ reliquarum alitum pennis eas deuorant. Vltimò tandem hiſce quatuor animalibus, ceu quatuor inſignibus ſymbolis, aut ſtemmatibus ſignificantur quatuor præcipua munia, vel attributa diuinæ prouidentiæ. Hęc enim fortis eſt, vt leo; velox, & penetrans, vt aquila; ſuauis, & amabilis, vt homo; longaminis, & patiens, vt bos.

Cap. 5 v. 5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda*; Chriſtus hic vocatur leo, mox agnus occiſus, in ſymbolum, quod per manſuetudinem, innocentiam, & infirmitatem mortis, & crucis meruerit, & obtinuerit ſummam potentiam, & imperium, factuſque ſit leo, ſcilicet ex victo victor, ac triumphator, ex mortuo rediuiuus, ex occiſo viuificator omniũ fidelium. Leo inſuper congruum eſt Chriſti ſymbolũ, multas ob analogias. 1. quia ortus eſt ex tribu Iuda, cuius inſigne fuit leo, iuxta benedictionem

Iacob

Iacob Patriarchæ Geneſ. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: accubuiſti vt leo*. 2. Ob eximiam fortitudinem, qua paſſus eſt, ſed vt leo, hoc eſt vincens diabolum, mortem, & peccatum. 3. ob regiam dignitatem; quia ſicut leo eſt rex animalium, ita Chriſtus eſt Rex mundi, & princeps. 4. quia terribilis eſt impijs, eritque in die iudicij; ſicut *leo* ex Hilario in Pſalm. 131. *terrori eſt feris omnibus, & hic ſolus per confidentiã, & ſecuritatem dormit intrepidus*. 5. ob vigilantiam, ſicut enim leo apertis oculis dormit, vndè ab aliquibus creditus eſt non dormire, ſymbolumque eſt vigilantiæ; ita Chriſtus nedum diuininitatis, ſed & humanitatis oculum ſemper apertum habuit, mox vt conceptus fuit, & incarnatus, per viſionem beatificam, & ſcientiam infuſam; ſicut etiam leo ſolus inter animalia curuos vngues habentia, mox vt natus eſt, oculos aperit, iiſque videt, & cernit. 6. quia ex D. Epiphanio cognitu difficilis eſt, ſuamque de omnibus cælauit diuinitatem. *Cum leo*, inquit, *in montem oberrat. & venatorem odoratur, ſua ipſius veſtigia cauda obtegit, ne illis inſiſtentes venatores, luſtrum inueniant, atque ipſum capiant. Sic Chriſtus ſpiritualis leo, qui vicit ex tribu Iuda, à Patre miſſus ſua cooperuit veſtigia, id eſt diuinitatem ſuam: ſe enim exinaniuit, & in Mariæ ventrem deſcendit, vt ſaluaret fraude deceptum genus. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quapropter illi, qui ignorabant deſuper ipſum deſcendiſſe dicebant: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Sanctus verò Spiritus: Dominus. inquit virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*.

Cap. 5. v. 8. *Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*. Quam ſuffitus non cuiuſuis rei, ſed odoramentorum aptum ſit orationis ſymbolum, ſequentes oſtendunt analogiæ. 1. quia oratio inſtar ſuffitus odoramentorum ſurſum aſcendit iuxta illud Pſalm. 140. 12. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. 2. quia vti ſuffitus odoramentorum odoratum, vel nares oblectat, ita orationes Sanctorum Deum. Quare de ſacrificio, & orationibus Noe dicitur Geneſ. 8. v. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait*: *Nequaquam vltrà maledicam terræ*. 3. ſuffitus odoramentorum fœtorem, oratio autem peccatum abigit, Deique iram mitigat. 4. ſicut ſuffitus odoramentorum igne potiſſimum excitatur, ita oratio in igne tribulationum, mortificationis, & amoris exardeſcit. Vndè S. Gregorius homil. 22. in Ezechiel. explicans illud Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus mirræ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij*, ait: *fumus ex aromatibus compunctio eſt orationis concepta ex virtutibus amoris; quæ tamen oratio virgula fumi dicitur: quia dum ſola cæleſtia poſtulat ſecreta, progreditur, vt ad terrena petenda minimè reflectatur. Subiungitur. myrrhæ, & thuris, quia thus in ſacrificium incenditur, myrrha corpora mortua condiuntur, ne vermibus corrumpantur. Quare myrrha, & thuris ſacrificium offerunt, qui & carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, & redolentem in conſpectu Domini amoris ſui hoſtiam incendunt*. Qui igitur orationi vacare ſtudet nõ incumbens ſimul mortificationi, perindè facit, ac ſi quis ſine igne odoramenta, vel thymiama incendere, odoremque emittere vellet. Quocirca Cantic. 5. v. 1. dicitur: *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*; & cap. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem Thuris*. Et ignis, quo thymiamata in Sancto incedebantur, deferri conſueuerat ex altari holocauſtorum, quod erat in atrio. Quia nimirum vtrumque coniungendum eſt, mortificationis videlicet myrrha, & orationis aromata; feruorque orationis ex perfecta mortificatione oritur, à qua nunquã ceſſandum eſt, propter aſſiduos concupiſcentiæ ſpiritui rebellantis motus; quod & ſignificabat ignis, qui iugiter in altari holocauſtorum ex iuſſu Dei alendus erat, Leuit. 6. 12.

Cap.7.v.9. *Et palma in manibus eo-
rum*. Palma ſymbolum eſt victoriæ ſi-
mul, & victoris, in certaminibus. 1. *quia
eius indolis eſt*, ex Plutarcho in ſympoſ.
q.4. *vt vrgentibus, opprimentibuſq; non
cedat*, imo fortius aſſurgat. 2. quia pal-
ma ſignificat manibus, & laborando
victoriam acquiri. Si quidem à ſimili-
tudine palmæ, id eſt concauæ manus,
quæ in digitos deſinens decorè patet,
dicta eſt palma arbor, illius enim ad in-
ſtar comam habet in cacumine circum-
extenſam, & ramos in digitorum for-
mam protenſos. Vndè & fructus eius
dactyli, id eſt digiti, vocantur, quod
digitorum ſint ſimiles: palmaque vi-
ctori in manum olim dabatur, quaſi
palma palmæ; manu enim, & palma
certando, comparatur palma triumpha-
lis. Rectè igitur Sanctis, maximè au-
tem Martyribus, in ſignum, vel ſym-
bolum victoriæ, palmæ in manus eorũ
dantur. Vt enim ait D. Auguſtinus
ſerm. 11. de Sanctis: *Stolis fulgent albis,
& palmas in manibus habent, quia præ-
mia in operibus habent, dum corpora, quæ
pro Domino ignibus vſtulari, à beſtijs di-
lacerari, flagris abſumi, per præcipitia diſ-
ſolui, vngulis abradi, omnimodo pœnarum
genere paſſi ſunt diſſipari, per reſurrectio-
nem glorificata recipiunt*, hoc eſt, in die
iudicij ſe recepturos credunt, & ſpirãt.
Et D. Ambroſius ſerm. 24. *Palma*, in-
quit, *Martyribus ſuauis eſt ad cibũ, vm-
broſa ad requiem, honorabilis ad trium-
phum, ſemper virens, ſemper veſtita fo-
lijs, ſemper parata victoria; atque ideò
non marceſcit palma, quia Martyrum vi-
ctoria non marceſcit*. Nedum autem
palmæ in manibus, ſed & palmatæ ve-
ſtes, ac tunicæ, ſic dictæ, quod eis pal-
mæ eſſent intertextæ, ſymbolum fuere
victoriæ. Ad quod alludens Tertul-
lianus Apolog. 50. & loquens de San-
ctis Martyribus hæc habet. *Prælium eſt
nobis, quod prouocamur ad tribunalia, vt
illic ſub diſcrimine capitis pro veritate
certemus. Ea victoria habet, & gloriam
placendi Deo, & prædam viuendi in æter-
num: ergo vincimus cum occidimur, eua-
dimus cum abducimur. Licet nunc Sar-
menticios, & Semaxios appelletis, quia ad
ſtipitem dimidij axis reuincti ſarmentorũ
ambitu exurimur. Hic eſt habitus victo-
riæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru
triumphamus*. Tandem quia folia pal-
mæ ſunt inſtar gladij, & pugionis ar-
cta, & acuta, vt verè lædant, & pun-
gant tangentem, ſignificate etiam poſ-
ſunt gladium, quo feriuntur Martyres,
in palmam id eſt triumphum verti: vel
palmam gloriæ ab eis gladio, vel alio
mortis genere comparari. Vndè in
actis Martyrum paſſim legitur, hunc,
illumve eorum gladio igne, cruce, &c.
palmam martyrij adeptum fuiſſe.

Cap. 7. v. 17 *Et deducet eos ad vitæ
fontes aquarum*. Hic cum ſermo ſit de
æterna Sanctorum beatitudine, ſub
ſymbolo potus potiùs quàm cibi ſi-
gnificantur eius delitiæ, nec non etiam
aliæ ſpiritales huius vitæ; 1. quia po-
tus tam claritate, quam colore delectat.
2. ſua ſubtilitate veluti ſine medio im-
mutat guſtum. 3. ſua limpiditate ad
membra ſingula deportat, eiſque inſe-
parabiliter vnit nutrimentum. 4. ſua
poteſtate reſtaurat deperditum. 5. ſua
adhuc ſubtilitate penetrat corpus totũ;
6. ſua ſatietate ſedat ſitim, & tamen
edendi prouocat appetitum. 7. ſua fa-
cilitate, & ſuauitate ſubit intima ven-
tris. Ex Vitali Card. in Speculo mo-
rali Sacræ Scripturæ, verbo, *pulchritudo*.
Vbi inſuper addit hiſce ſeptem potus
qualitatibus, vel dotibus, deſignari ſe-
ptem præmia, vel ſeptem dotes præmij
beatorum; quas etiam ſeptem dotes
adaptat totidem claſſibus Sanctorum.

Cap. 11. v.4. *Hi ſunt duæ oliuæ*. Hic
Elias, & Henoch, tum alij Sancti eorũ
aſſeclæ, ſub ſymbolo oliuæ, & olei ſi-
gnificantur. 1. quia ſicut oliua lignum
ſolidum eſt, non ſentiens cariem, ven-
tos, aut vetuſtatem, proptereaque ſæ-
pe in victoriæ, felicitatis, & æternita-
tis ſymbolum aſſumitur: ita quoque
Sancti vitijs reſiſtunt, feliciterque de
illis triumphant. 2. quia oliua eſt ſym-
bolum miſericordiæ, quæ maximè pro-

pria

pria eſt virtus Sanctorum. 3. quia eſt ſymbolum pacis, vel pacifici, vndè vulgò dicitur *oleo tranquillior*; & Sancti quoque ſunt maximè pacifici, & mites. 4. Sicut oliuæ folia nunquam defluunt, ſic Sanctorum virtus, & ſpecies nunquam marceſcit. 5. oliua pinguis ſignificat pinguedinem ſpiritus & gratię, qua delibuti ſunt Sancti; & qua, ſicut olim pugiles, & athletæ certaturi oleo ſe perungebant, vndè etiam oleum erat ſymbolum certaminis, ipſi quoque Sancti veluti oleo peruncti, per aſſiduam luctam, fortitudinem, & conſtantiam victores tandem euadunt. 6. quia ſicut olea fertilis eſt, & frugifera, ita etiam Sancti ſemper abundant, pleni que ſunt bonis operibus. 7. olea frondes habet viles, & flaccidas, fructum verò præſtantem; ſic & Sancti pompam, & oſtentationem, rectè per frondes, aut folia ſignificatã contemnunt; ſolis fructibus bonorum operum, quos pretioſos producunt, contenti.

Cap. 15. v. 2. *Et vidit tanquam mare vitreum*; cum multæ ſint huius maris vitrei ſignificationes, congruè quoque per illud tãquam per ſymbolum ſignificatur omnem huius ſæculi mari ſæpiſsimè in ſcriptura comparati pompã, gaudia, & gloriam eſſe fragilem inſtar vitri. Vel etiam quod ſicut læta, & proſpera huius mundi ſunt vitrea, ideoque contemnenda, Ita quoque, & aduerſa quælibet, ideoque nihil timenda; omnes inimici ſunt vitrei, omnes morbi, omnes labores aliaque ſimilia; vndè Viri Sancti, & ſapientes ea nihil timẽt; ſed ſtant ſuper hoc mare vitreum, animumque in cælum attollentes dicunt cum S. Hieronymo: *Aetherea conſcendo, & ſolem ſolumque deſpicio*.

Cap. 19. v. 8. *Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum*. Vita, ſiue opera iuſta Sanctorũ deſignantur ſub ſymbolo byſsi. Quia in tribulatione, & perſecutione magis eniteſcunt, & ſplẽdent, ſicut byſſus, & linũ, byſſus enim veterum erat linum præſtantiſsimum, iniuria, id eſt maceratione, tunſione, carminatione ſemper melius, hoc eſt purius, candidius, & ſplendidius euadit, vt ait Plinius lib. 18. cap. 1. Inſuper deſignari etiam poteſt futura eorũ felicitas; ſymbolum enim felicitatis eſt byſſus, & tela candida. Vndè à Poetis aurea, vel candida dicuntur Parcarum fila, ad ſignificationem magnæ felicitatis. Vt ex aduerſo infelicitatis ſymbolum eſt tela nigra: vndè quoque nigra vitæ, & fati ſtamina nuncupant Poetæ in re infauſta: quia nigrum eſt mali dœmonis,

Cap. 21. v. 19. *Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioſo ornata*. Quæ hic numerantur duodecim gemmę tanquam fundamenta ciuitatis Dei, ſymbolicè ſolent applicari duodecim Apoſtolis, tũ duodecim articulis ſymboli ab eis compoſiti. De quibus conſuli poſſunt Sacri Interpretes. Tantùm interim ſit de rebus naturalibus permanentibus, ex quibus tam in veteri, quam in nouo Teſtamento ſacra deſumuntur ſymbola, & ad quorum normam innumera alia poſſunt efformari.

CAPVT III.

De aliquibus ſymbolis in Scriptura contentis, & deſumptis ex rebus naturalibus fluentibus, quales ſunt plures perſonæ, tum earumdem acta, vel actiones.

PRima perſona in qua, & eius actionibus figuram, vel ſymbolum Chriſti habemus fuit Abel Geneſ. 4. Nam ſi fuit frater Cain, Chriſtus quoque fuit frater Iudęorum, ex quorum eſt genere natus: vt ille iuſtus, ita Chriſtus iuſtiſſimus, omniſque author iuſtitiæ. Ille paſtor ouium, Chriſtus de ſe ait Ioann. 10. *Ego ſum paſtor bonus*. Illius munera fuere Deo accepta: Chriſtus ſuo munere genus humanum Deo reconciliauit. Ille obtulit oues, Chriſtus ſeipſum, qui tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus

coram

coram tondente ſe obmutuit: Hic per inuidiam occiſus eſt à fratre: Chriſtus per inuidiam à fratre ſuo populo Iudæorum, qui dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit*, Ioan. 11. Ille occiſus eſt in agro; Chriſtus extra portam paſſus eſt in monte Caluario. Et quemadmodum Abel plurimã, aut vberiorem hoſtiam obtuliſſe dicitur, quàm Cain, vt ait Paulus Hebr. 11. Ita Chriſtus vnica ſui oblatione vberiorẽ obtulit hoſtiam, quàm fuerint omnia veteris legis ſacrificia: quæ ſimul omnia iuſtificationem afferre non valuerunt; vt ait idem Rom. 3. Et quoniam effuſio ſanguinis Chriſti ſine comparatione quantum ad vtilitatem excedit effuſionem ſanguinis Abel: Ideo Paulus ait, ſanguinem Chriſti melius, aut meliora loqui, quam Abel. Nam ſanguis Abel clamabat ad Deum, petens videlicet vindictã: ſanguis verò Chriſti ſemper clamat miſericordiam. Ex Tertulliano de carne Chriſti: Auguſtino lib. 15. de ciuit. Dei cap. 18. & lib. 9. contra fauſtum cap. 11.

Abraham vt dimicauit Geneſ. 14. aduerſus Reges, qui captiuum ducebant Loth, tropologicè ſymbolum, ac typus eſt prælatorum, qui ſe pro ſubditorum ſalute periculis obijcere debent. Vndè & poſt laborem confortatus eſt à Domino, qui mercedem tribuere ſolet laborantibus pro ſalute ſubditorum, Geneſ. 15. Vt autem dimicauit cum vernaculis ſuis trecentis decem & octo, magiſque merito fidei vicit quatuor Reges, quam numeroſo exercitu, allegoricè ſymbolum fuit ſaluificæ Chriſti crucis, ex eo quod littera T. figura ſit Crucis, & Græcis 300. ſignificet; I. verò & H: quæ ſignificant 10 & 8. initiũ ſint, & abbreuiatio Græci nominis Ieſu: *Dicunt*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromat. cap. 4. *Dominici ſigni typum, quod ad figuram attinet, eſſe elementum, quod trecentos ſignificat. Iota autem, & Hta ſignificare nomen ſalutare. Significari ergo eos eſſe Abrahæ domeſticos, & coniunctos, quod ad ſalutem attinet, qui ad ſignum, & nomen Domini confugerunt, & ſuperaſſe eos, qui ipſos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quę eos ſequebantur.* Ita quoque Diuus Ambroſius lib. de Abraham cap. 3. ſymbolicè. Etſi enim Moyſes hæc ſcripſerit Hebraicè, non Græcè; potuit tamen Spiritus Sanctus ita ea, & ſimilia attemperare, vt etiam in lingua, & Eccleſia Græca, quæ futura erat florentiſſima, in quam proindè hæc Hebræa transferri volebat, ſua continerent myſteria.

Quod idem Abraham Geneſ. 15. iuſſu Dei vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam obtulerit in lignum fœderis; hæc animalia Allegoricè ſymbola erant Chriſti, ſacrificijque ipſius, quo ſancitum eſt nouum fœdus Chriſtianorum cum Deo. Aries enim, ſiue ouis ſignificat Chriſti innocentiam: capra ſimilitudinem carnis peccati in eo: vacca robur, & patientiam in perferendis laboribus: turtur munditiem, & caſtimoniam: columba; quæ ſine felle eſt, incomparabilem manſuetudinem, quam ille nos præcipuè amare, & imitari voluit dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ex Lyrano. Tropologicè etiã ſignificare poteſt, quod, qui contendit ad terram promiſſionis in cælis, quaſi verus Abræ filius, hic ſumere debet 1. vaccam triennem, id eſt humilitatẽ triplicem, erga ſuperiores, pares, & inferiores. 2. capram trimam, id eſt pœnitentiam triplicem, ſeu tres eius partes, contritionem ſcilicet, confeſſionẽ, & ſatisfactionem. 3. arietem trimum, id eſt fortitudinem triplicem, nimirum fortiter ferendo pro fide, & Dei obſequio damna opum, honoris, & corporis, ſiue vitæ. 4. turturem; id eſt caſtitatem, & orationem; atque columbam, id eſt ſimplicitatem, & manſuetudinem.

Eſau Geneſ. 25. vendens ius primogenituræ pro pulmento lentis, figura, & ſymbolum peccatorum, ipſo adhuc

magis

magis prophanorum, & vilium, quippè qui pro vili eſca, aut honoris, vanitatiſque illecebra Deum offendunt, atque ita diabolo, non tantum animam, ſed & Dei gratiam, iuſque ad hæreditatem cæleſtem diuendunt: hoc enim eſt ius primogenituræ Chriſtianorum, quod Chriſtus Dominus eis ſua morte, & ſanguine comparauit, atque in baptiſmo renaſcentibus, ſibi eos inſerendo, conſignauit. Vndè rectè ait Sapiens Prouerb. 6. 26. *Pretium ſcorti vix eſt vnius panis, mulier autem viri pretioſam animam capit.*

Palæſtini Geneſ. 26. Iſaaco inuidentes, puteoſque eius obſtruentes, allegoricè ſunt hæretici Catholicis inuidentes, puteos Catholicæ doctrinæ, puta Sacram Scripturam, & traditiones, ipſaque Sacramenta, & Sacra ſuis hæreſibus, & ſordibus obſtruentes. Ex Origene. Tres, ibidem ab Iſaac, putei effoſſi, tropologicè ſunt tres ſtatus Eccleſiæ, incipientium, proficientium, & perfectorum: primum fodit, qui vomere contritionis duritiem cordis ſui eruderat. Hoc fit in exitu de Aegypto, & ideò talis adhuc in ſe retinet multas reliquias Aegypti, propter quas diabolus multas calumnias mouet, vndè & puteus iſte, calumniæ nuncupatur. Opera enim Neophytorum non ſunt vſquequaque pura. Secundum puteum fodit, qui manu bonæ operationis à ſe orij omnis torporem expellit. Eccleſ. 9. *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia apud inferos erunt, quo tu properas.* Et S. Bernardus: *Non eſt virtus, niſi creſcat animus in ipſa difficultate.* Tertium fodit, qui à ſe temporalia abijcit pet contemptum propter Chriſtum. Philip. 3. *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* In primo puteo eſt aqua contritionis: in ſecundo eſt aqua compunctionis: in tertio eſt aqua deuotionis, in quo contentio nulla eſt, nulla difficultas, ſed ſerenitas conſcientiæ, vndè vocatur latitudo. In prima foſſione diabolus expellitur, & vincitur: in ſecunda caro ſubijcitur, & deijcitur: in tertia mundus: & ita omne bellum ſopitum eſt, & iam eſt pax in carne, pax in mente, pax in mundo ex Hugone Cardinali.

Geneſ. 27. Iacob, cui mater pelliculas hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, allegoticè Chriſtum ſignificauit, qui induit pelles hædinas, cum noſtra peccata in ſe aſſumpſit, vt ea lueret ex Auguſt. lib. contra mendacium cap. 10. Vel etiam gentes ſurrogandas eſſe Iudæis in filiatione, & benedictione Abrahæ, nimirum in gratia, iuſtitia, & ſalute, vti explicat Apoſtolus Rom. 9. & 10. Quod tamen myſterium ibi ſignificatum non excuſat Iacob à mendacio. Myſterium enim hoc fuit ex parte Dei, & Spiritus Sancti, qui intendebat allegoricè hoc ſignificare: ſed mendacium fuit ex parte Iacobi: ipſe enim litterali ſenſu intendebat patri perſuadere ſe eſſe Eſau in perſona, cum tamen non eſſet talis. Deindè myſterium hoc, myſticuſue eius ſenſus non eſt fundatus in mendacio Iacobi; veritas enim falſitate niti propriè non poteſt, ſed in facto eius, quo ſe patri exhibuit, atque ita geſſit, ac ſi ipſe eſſet Eſau, facta ſiquidem ſæpè à mendacio excuſari poſſunt, vbi verba non poſſunt. Verba enim definitè, & determinatè rem, & mentem loquentis ſignificant: facta autem confusè tantùm, & indeterminatè: vndè à mente facientis huc, illucve flecti, determinari, & ad hoc illudve ſignificandum dirigi poſſunt. Quod ibidem Iſaac dixerit, *Vox quidem, vox Iacob; ſed manus, manus ſunt Eſau*; allegoricè quoque denotat; quod Chriſti vox, vox fuit filij Dei, ſed manus, & ſpecies externa, quam viderunt, & tetigerunt homines, fuit hominis communis, mortalis, & miſeri; vndè S. Bernardus ſerm. 28. in Cant. *Suum eſt*, inquit, *quod auditur in Chriſto: quod videtur noſtrum: quod loquitur, ſpiritus, & vita eſt; quod apparet, mortale eſt, & mors:*

aliud

aliud cernitur, & aliud creditur. Illudque clarum in auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento, in eo enim manus,guſtus, & tactus decipiuntur, dum ſapiunt,guſtant, & iudicant eſſe panem: ſola autem vox non fallit: hæc enim eſt vox filij Dei, qui falli, aut fallere non poteſt, dicens; Hoc eſt corpus meum.

Quod Geneſ. 29. prius Liam Lippam, deinde Rachelem decora facie, & venuſto aſpectu præditam in vxorem duxerit, ſymbolum eſt duplicis vitæ, ſcilicet actiuæ, & contemplatiuæ. Primò ducenda eſt Lia, id eſt laborioſa (hoc enim Hebraicè ſignificat Lia) & Lippa, quia terrenis intenta, & ſollicita, varieque diſtracta, vita actiua: deinde Rachel,id eſt ouis,ſcilicet,quies contemplationis, quam vt pote pulchram tanto amore proſequi debemus, quanto Iacob amauit Rachelem, ex D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 52. & D. Gregorio lib. 6. Moral. cap. 28. Sed & Richardus à S. Victore lib. 2. de 12. Patriarchis, qui inſcribitur Beniamin minor, tropologicè ait: *Rachel eſt ſtudium ſapientiæ; Lia deſiderium iuſtitiæ. Sed ſcimus Iacob ſeptem annis pro Rachele ſeruiuiſſe, & videbantur ei dies pauci pre amoris magnitudine. Quid miraris? ſecundum magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis. Quid enim ſapientia dulcius poſſidetur, ardentius diligitur? eius decor omnem ſuperat pulchritudinem, eius dulcor excedit omnem ſuauitatem. Eſt enim ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata, inuenitur prior. Hinc quærendum eſt, cur omnes coniugia Liæ tantopere exhorreant, qui in amplexu Rachel tantum ſuſpirant. Perfecta iuſtitia iubet inimicos diligere: parentes, propria quæque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam vbique declinare. Sed ab huius mundi amatoribus quid ſtultius, quid laborioſius eſſe reputatur? Hinc eſt, quod ab eis Lia, & lippa creditur, & laborioſa reputatur.*

Iterum ibidem alia tropologia has duas Iacob vxores ſymbolicè explicās ait: *Omni ſpiritui rationali, id eſt Iacob, gemina quædam vis data eſt: vna eſt ratio, altera eſt affectio: ratio, qua diſcernamus, affectio, qua diligamus. Hæ ſunt ſpiritus rationalis geminæ vxores, ex quibus oritur generoſa proles. Ex ratione ſpirituales ſenſus: ex iſta affectus ordinati. Sciendum itaque eſt, quod affectio veraciter Lia eſſe incipit, quando ſatagit ſeipſam ad normam iuſtitiæ componere: & ratio indubitanter Rachel aſſeritur, quando vera ſapientiæ luce illuſtratur. Sed quis ignorat quam illud laborioſum ſit, iſtud iucundum? vtique non ſine labore magno animi affectio ab illicitis ad licita reſtringitur, & rectè talis vxor Lia, id eſt laborioſa nuncupatur. Quid verò iucundius, quam oculum mentis ad ſummæ ſapientiæ contemplationem erigere? ad quam contemplandam cum ratio dilatatur, meritò Rachelis nomine honoratur: Rachel enim, videns principium interpretatur.*

Per duodecim quoque Patriarchas ex Iacob natos accipit duodecim pios animi affectus, & virtutes. Per Ruben timorem Dei; per Simeon dolorem peccatorum, per Leui ſpem veniæ; per Iudam amorem Dei; per Dan conſiderationem futurorum malorum; per Nephtali ſpeculationem futurorum bonorum; per Gad rigorem abſtinentiæ; per Aſer vigorem diſciplinæ; per Iſſachar mentis gaudium; per Zabulon odium peccatorum; per Ioſeph diſcretionem; per Beniamin mentis exceſſum.

Lucta Iacob Geneſ. 32. tropologicè fuit ſymbolum orationis, eiuſque efficaciæ, in oratione enim cum Iacob videmus Deum facie ad faciem, & ſalua fit anima noſtra. Inſuper per orationem, quaſi Iſrael dominamur Deo, & conſequenter omnibus timoribus, affectibus, perturbationibus, & hoſtibus; exinde femur, id eſt, amor proprius, fiducia ſuarum virium, & concupiſcentia, quæ viget in femore, Dei virtute tacta decreſcit, luxatur, & langueſcit, tuncque vno claudicamus pede, alio

ſano

ſanè remanente: quia neceſſe eſt vt debilitato amore ſeculi, homo conualeſcat ad amorem Dei, ex Gregorio homil. 14. in Ezech. & in Pſalm. 6. pœnitent.

Neruus, & caro Iacob in lucta læſi allegoricè ſignificant, carnalem ſenſum legis veteris, qui per luctam Angeli, id eſt Chriſti, cum Iacob, id eſt Iudæis erat reſoluendus, & luxandus. Hinc claudicare cæpit Iudaiſmus: quia vna eius pars, ſcilicet verus Iſrael, iuit ſurſum ad Chriſtum, per baculum, id eſt crucem, vt ait D. Auguſtinus ſerm. 79. de tempore; hæcque eſt benedicta à Chriſto. Altera, quæ Chriſto credere noluit, iuit deorſum, gratiæ, & gloriæ expers: hinc veri filij Iſrael non comedunt neruum litteræ, & intelligentiæ carnalis legis, quæ occidit.

Ioſeph quoque Geneſ. cap. 30. & ſequentibus, præclariſſimus Chriſti typus, ac ſymbolum fuit. Primò enim vt ſomnia Ioſeph dicuntur inuidiæ cauſa, ita applicatio ſcripturarum ad Chriſtum, quam Iudæi ferre non poterant; vel etiam parabolæ eiuſdem, propter quas Principes Iudæorum illi inuidebant. Secundò ſicut Ioſeph inuiſit fratres ſuos, & illi non ſunt reueriti fraternitatem, neque aduentus cauſam, ſed primùm quidem occidere voluerũt, poſtea autem Barbaris vendiderunt. Ita Chriſtus aduenit inuiſens genus humanum, ſuſcepta noſtra forma: ſed ingrati Iudæi innumera patrantem miracula, occidere conati ſunt, & demum traditum gentibus crucifixerunt.

Tertiò Ioſeph venditus, & per integros 13. annos, hoc eſt ab anno 16. vſque ad 30. ſuæ ætatis duram, & miſeram tolerans ſeruitutem; per alios verò 80. vſque ad obitum felix, & glorioſus, vt pote Princeps Aegypti, expreſſus typus fuit Chriſti venditi, patientis, & mortui, ſed poſtea glorioſè reſurgentis. Quartò Ioſeph eiectus à fratribus, qui poſtea ſupplices ad eum venerunt, vt poſſent viuere, Chriſtum deſignat à Iudæis eiectum, ex quibus tamen multi poſtea crediderunt in eũ, vt haberent vitam æternam. Quintò, vt etiam manifeſtauit ſe fratribus, Chriſtum indicat, oſtendentem ſe eſſe Meſſiam: vel manifeſtantem ſe Apoſtolis poſt reſurrectionem. Sextò, Ioſeph pauit Aegyptum tempore famis, Chriſtus Sacramento ſui Corporis; vel per ſe, & prædicatores ſuos tradidit frumentum, & doctrinam vitæ mundo. Septimò tandem, vt poſt mortem Ioſeph multiplicati ſunt filij Iſrael in Aegypto, indicatur fidelium multiplicatio in mũdo poſt Chriſti mortem, & Aſcenſionem. Ex Tertulliano aduerſus Iudęos: Origene homil. 1. in Exod. Ambroſio lib. de Ioſeph. cap. 12. Hieronymo in Pſalm 8. Auguſtino in ſermon. 84. & Chryſoſtomo hom. 61. in Geneſim.

Quod Geneſ. 48. Iacob benedicens filijs Ioſeph commutarit manus, hoc eſt decuſſatim, & in modum crucis Ephraim iuniori dexteram manum impoſuerit, pręferendo eum Manaſſe; per Ephraim ex Ruperto allegoricè deſignatæ ſunt Gentes, quæ per manuum tranſpoſitionem, ſeu decuſſationem, id eſt per crucem Chriſti, cui crediderũt, prælatæ ſunt Manaſſe, id eſt Iudæis, Sic & Tertullianus lib. de Baptiſmo Damaſcenus lib. 4. cap. 12. alijque plures docent, cancellatas manus Iacobi pręſignaſſe crucem Chriſti. Tropologicè etiam dici poteſt ex Theodoreto, hic ſignificatum fuiſſe, Deum non prima, & nobiliora, vti homines, ſed vltima, & viliora præeligere, & præponere, vt fortia quæque confundat.

Moſes Exodi cap. 2. & ſequentibus, fuit in multis typus, ac ſymbolum Chriſti; vt enim Moſes fuit filius mulieris Hebreę, ſed adoptatus à filia Pharaonis, ſignificat Chriſtum, qui fuit quidem filius Synagogæ, ſed aſſumptus ab Eccleſia. Mater, inquit Cyrillus, quæ filium Moſen in fiſcella concluſit, eſt ſynagoga, quæ Chriſtum ex ſe natum ſegregauit, vt alienum, ſed Pharaonis filia, id eſt Eccleſia Gentium illum ſuſcepit, idque apud aquas baptiſmi,

quem inſtituit Chriſtus. Dici etiam poteſt per Moſen proiectum à parentibus in flumen, ſignificaſſe Chriſtum in aquas paſſionis, & mortis à Iudæis immerſum, quem Aegyptia, id eſt Gentilitas ſuſcepit, & magnificè, ac ſplendidè tractauit, videns eius elegantiam in cœleſti ſapientia, vita, & moribus. Tropologicè etiam ex Hugone Victorino in Exodi cap. 1. Moſes proiectus in flumen, eſt, quiſquis in fluuio præſentis eſt ſæculi, filia Regis eſt gratia Dei, quæ nos fluxu ſęculi erutos in filios Dei adoptat, & Hebrææ, id eſt transeunti in cœlum Matri Eccleſiæ, tradit nutriendos.

Moſes Exodi 3. iuſſus exuere calceamenta, quæ fiunt ex pellibus animalium mortuorum, fuit Moyſi ſymbolum, nedum reuerentiæ exhibendæ Diuinæ Maieſtati, quæ ſuam ei in rubo præſentiam exhibebat; verum inſuper, quod depoſito mortis metu aggrederetur fidenter munus liberandi populi Hebræi, quod ei tunc Deus volebat iniungere, vtque ipſe, noſque corpus, & vitam noſtram tam facilè, quam calceum exuere diſceremus, pro Dei amore, & reuerentia, proque ſpe æternæ vitæ: corpore enim ad obſequium Dei tantum, non autem ad propriam voluntatem, aut voluptatem, vtendum eſt, ex Ambroſio lib. 7. in Lucam cap. 10. Tropologicè adhuc ſignificare poteſt hæc depoſitio calceorum futuro duci, & doctori aliorum, omnes curas, cogitationes, affectiones, & ſollicitudines terrenas, mortalique vitæ adhærentes, prorſus abijciendas eſſe; nil enim in eis mortale vult eſſe Deus. Propterea que Angeli pinguntur nudis pedibus, & diſcalceati: hoc enim ſignificat ex Dionyſio cap. 15. de cœleſti Hierarchia, *Quod liberi, abſoluti, & expediti, atque ab exterioris omnis abiectionis labe ſint puri, & ad diuinæ ſimplicitatis ſimilitudinem pro viribus tendant.* Vel tandem, quod is, qui accedit ad diuina myſteria, Deique contemplationem, deponere debet paſſiones, & affectiones, ſimulque rationes humanas, & terrenas; aut etiam, vt ait Nyſſenus, Scire, *nihil earum rerum, quę aut ſenſu comprehenduntur, aut mente, præter ſupremam eſſentiam, quæ omnium cauſa eſt, & è qua omnia pendent verè ſubſiſtere.*

Quæ à Deo per Moſen immiſſę ſunt Aegyptijs decem plagæ Exodi cap. 7. & ſequentibus tropologicè adaptantur à Diuo Auguſtino decem pręceptis decalogi, in tractatu quem edidit de eorum conuenientia, qui extat tomo eius nono. Decem autem fuiſſe tradit Philo, quia numerus denarius ſymbolum eſt perfectionis: ſicuti ergo plena, & perfecta erat menſura peccatorum, ſic fuit, & pœnarum Aegypti. Decem enim ſunt peccata primaria, quæ totidem præceptis Decalogi aduerſantur. Vndè totidem plagis puniuit Deus impios Aegyptios, quot daturus erat populo ſuo mandata, quorum authoritatem hac punitione præuia ſancire voluit.

Dici etiam poteſt his decem plagis ſymbolicè ſignificari decem pœnas, quibus interdum Deus punit peccatores. 1. ſanguine, id eſt diſcordia: aquæ enim potabiles Aegyptijs in ſanguinem conuerſæ, denotant diſcordiam in intima Reipublicæ viſcera, ac venas ſerpentem. 2. ranis, id eſt rixis, & tumultibus, qui ex diſcordia manant. 3. culicibus, id eſt curis, & ſollicitudinibus, quæ peccatores mundo, & carni deditos pungunt, & diſcruciant. 4. muſcis caninis, id eſt iris, & odijs, quibus æſtuant, & inuicem mordent, ac laniãt. 5. peſte animalium, vt ſcilicet in rebus terrenis oblectamenta, quæ quæſierãt, non inueniant, ſed potius in ijs faſtidia, dolores, ac tormenta ſentiant. 6. vlceribus veſicarum, id eſt ſtimulis conſcientiæ, quæ quaſi vlcera dolorem ſimul, & pudorem, ac horrorem afferũt. 7. grandine, id eſt obſtinatione in ſuis ſceleribus. 8. locuſtis, id eſt tyrannide, & inquietudine concupiſcentiæ. 9. tenebris, id eſt cæcitate mentis. 10. mor-

te primogenitorum, id eſt damnatione animæ.

Hebræi ſpoliantes Aegyptios Exodi 12. ſymbolum fuere Patrum, & Doctorum Catholicorum, qui ſpoliarunt Aegyptū, cum ſapientiam, & eloquentiam ab Ethnicis hauſtam tranſtulerūt ad fidem, & Eccleſiam Chriſti illuſtrandam. Hinc Porphyrius hoſtis Chriſtianorum, apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 13. dictitabat, Origenem diuitias omnes Græcorū ad locupletandā Iudaieæ, & Chriſtianæ ſectæ paupertatē contuliſſe. Et ſanè iam manifeſtè conſtat, omnem eloquentiam, ſcientiam, ſapientiam apud Ethnicos, Turcas, & Saracenos defeciſſe, & ad Chriſtianos tranſiſſe, qui ſoli iam in toto orbe florent in omni arte, ſcientia, eloquentia diſciplina.

Hebræorum circumductio, quando exierunt ex Aegypto, non per viam terræ Philiſtiim, vt pote difficiliorem, licet vicinior eſſet, quia ſtatim, & aſſiduè eis pugnandum fuiſſet cum hoſtibus bellicoſiſſimis; tales enim erant Philiſtini, ſed per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum, vt pote faciliorem, quia licet longior eſſet, vnicum ab eis initum eſt prælium cum Amalec, poſt 40. dies ab exitu ex Aegypto, talis, inquam, Hebræorum circumductio, aut circuitus, præclarum fuit ſymbolum conuerſionis ad Deum. *Spiritualiter enim*, inquit Rupertus, *hoc Deus agit in omnibus electis ſuis in Aegypti exitu, id eſt in principio conuerſionis: vt nouitijs peccatum à vitijs paret viam, vt tranquillè, & delectabilitèr egrediantur, ne ſubitis tentationibus pulſati à ſancto propoſito vix incepto deterreantur.* Sed omnium optimè hanc tropologiam explicuit Diuus Gregorius lib. 24. Moral. cap. 13. *Tres*, inquit, *modi ſunt hominum conuerſorum ad Deum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione inueniunt illi blandimenta dulcedinis: in medio tempore certamina tentationis: ad extremum verò perfectionem plenitudinis. Prius ergò illos dulcia ſuſcipiunt, quæ conſolentur, poſtmodum amara, quæ exerceant: & demum ſuauia, & ſublimia, quæ confirment; nam & Sponſam ſuam vir quiſque prius dulcibus blandimentis fouet: quam tamen iam coniunctam aſperis increpationibus probat: probatum verò ſecuris cogitationibus poſſidet. Vnde & plebs Iſraelitica, cum, deſpondente ſe Deo, ad ſacras mentis nuptias ex Aegypto vocaretur, quaſi arrharum vice prius accepit blandimenta ſignorum: coniuncta autem, probationibus exercetur in eremo, probata verò, in repromiſſionis terra virtutis plenitudine confirmatur: ita quoque vitam vniuſcuiuſque conuerſi, & inchoatio blanda permulcet, & aſpera medietas probat, & plena poſt perfectio roborat.*

Allegoricè tranſitus maris rubri fuit typus, vel ſymbolum Baptiſmi, vnde Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: Patres noſtri in Moſe baptizati ſunt in nube, & in mari baptizati ſunt, nimirum typicè, & in figura. Quatenus huiuſmodi tranſitus ſignificabat Chriſtianos per baptiſmum, & ſanguinem Chriſti baptiſmo contentum tranſire in nouam gratiæ vitam.

Sexta manſio Hebræorum in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, ſymbolicè ſignificat ordinem virtutum: *Pulcher eſt*, inquit D. Hieronymus in epiſt. ad Fabiolam, *hic ordo virtutum: poſt maris rubri victoriam ſequitur tentatio: poſt tentationem refectio: de Mara, id eſt amaritudine venimus in Elim, id eſt, ad arietes, & robuſtos principes gregis Chriſtiani, vbi duodecim fontes doctrinæ Apoſtolicæ, & ſeptuaginta palmæ victricis fidei, ſeptuaginta diſcipulorum Domini nos recreant.*

Moſes leuans, & remittens manus, ita vt dum illas leuaret, Iſrael vinceret, Amalec autem, dum remitteret, allegoricè ſymbolum fuit Chriſti Crucifixi ex Patribus; tropologicè autem vis, & efficaciæ orationis; eleuatio enim manuum contentionem orationis, remiſſio manuum remiſſionem orationis adumbrabat. Vel etiam Moſes orans

eos cuſtodia rerum tabernaculi diſtributa allegoricè, & tropologicè ſignificabant ſtatum Eccleſiaſticum clericorum nouæ legis, variaque eorumdem munera. Ex Rabano, & Ruperto hic.

Item cap. 6. votum conſecratio, & ritus Nazaræorum, Religioſorum nouæ legis vitam præſignabant; ex Diuo Gregorio Nazianzeno orat. in laudem S. Baſilij. Gregorio Magno lib. 32. Moral. cap. 17. & Diuo Thoma 2. 2. q. 186. art. 6.

Coniugium Moſis cum Sephora Madianite Aethyopiſſa, figurabat allegoricè coniugium Chriſti cum Eccleſia Gentium; Tropologicè verò coniugium eiuſdem cum anima peccatrice; ex Bernardo ſerm. 39. in Cantica. Item murmuratio Mariæ propter vxorem Moſis Aethyopiſſam pertinet ex D. Ambroſio lib. 10. epiſt. 82. allegoricè ad typum Synagogę, quæ Aethyopiſſæ, id eſt Eccleſiæ ex Gentibus congregandæ Sacramentum ignorans, quotidiano immurmurat conuitio, & inuidet ei plebi, cuius fide, & ipſa exuetur à perfidiæ ſuæ lepra, in fine ſæculi. Tandem, tropologicè, ex *Maria profeſtiſſe lepra,* docemur ex S. Ephrem de morbo linguæ, *quam graue, ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus quod lepra infectum, cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus, nam ſicut illa defecerat à fratre ſuo, ita & ab ipſa proprium corpus defecit, vt ex ſemetipſa charitatem addiſceret.*

Palmes cum vua ſua, quem Numer. 13. portauerunt in vecte duo viri, nimirum Ioſue, & Caleb, allegoricè ſymbolum fuit Chriſti pendentis in cruce; ſicut enim Sponſa Chriſto dicit: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi, idque ob dulcedinem, & gloriam reſurrectionis eius; ita quoque hic vua pendens in vecte, eſt Chriſtus pendens in cruce: hęc nata eſt ex terra promiſſa, id eſt ex Beata Virgine, quã promiſit Iſaias cap. 7. v. 14. Duo baiuli ſunt duo teſtamenta; præeunt Iudæi, ſequuntur Chriſtiani: ſalutem hic (Chriſtianus) ante conſpectum ſuum gerit (ille Iudęus) poſt dorſum: hic obſequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergò, nè à ceruicibus noſtris tam ſanctam Sarcinã deponamus. Ex Auguſtino ſerm. 100. de tempore, Ruperto in Num. & Bernardo in Cantic. ſerm. 44.

Ibidem cap. 14. Quod ex tot centenis millibus ſoli Ioſue, & Caleb ingreſſi ſunt terram promiſſam, allegoricè ſignificare poteſt ex tot centenis hominum millibus paucos ſaluari, ireque ad cęlum. S. Simeon, & ex eo S. Nilus Abbas apud Baronium tom. 10. anno Chriſti 976. aſſerunt ex decem millibus vix vnam animam ſaluari.

Quę capite 33. recenſentur 42. mãſiones Hebræorum in deſerto, quibus tetenderunt in Chanan ſymbolicè ſignificant 42. vias, quibus fideles tendunt in cęlum; ex D. Hieronymo ad Fabiolam. Item fideles tota vita debere proficere in virtute, atque ita proficiſci in terrã promiſſam in cælis. Nam vt ait S. Bernardus, *Proficere eſt quoddam proficiſci,* iuxta illud Pſalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem;* & illud aliud: *Beatus vir cuius eſt auxiliũ abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* In quæ verba ita deſcribit S. Hieronymus: *Ille diſpoſuit aſcenſiones in corde ſuo: quicumque Sanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiſcitur. Propterea dicuntur & in pſalterio pſalmi graduales quindecim, & primus dicitur: Ad Dominum cum tribularer clamaui. Et in ſecundo: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Et in tertio: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, & ſemper procedit, & proficit, & aſcendit in ſublimiora. Quod dicit hoc eſt: Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Felix eſt, qui quotidie proficit, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat vt proficiat; Sanctus aſcenſiones*

in

in corde ſuo ponit; peccator deſcenſiones: Quomodo qui Sanctus eſt, quotidiè proficis: ita qui peccator eſt quotidiè decreſcit. Quamobrem Salomon Prouerb. 4. ita iuſtum deſcribit. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* *Prima* huius rei cauſa eſt, quia omnes tenentur ad chriſtianæ vitæ perfectionem ſuo modo aſpirare, atque adeò quotidiè in ea progredi. Hoc enim eſt edictum Chriſti, Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; & cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Vndè S. Auguſtinus lib. 1. de doctr. chriſtiana cap. 22. *Tunc*, ait, *optimus eſt homo, cum tota vita ſua pergit in incommutabilem vitam, ex toto affectu inhæret illi.* *Secunda*, quod quamdiu in hac vita degimus, verſamur in ſchola; ac proindè vt diſcipuli genuini Chriſti in ea quotidiè proficere debemus; *Diſcipulus quippè proficiens*, inquit Diuus Bernardus epiſt. 141. *gloria eſt magiſtri, quiſquis in ſchola Chriſti non proficit, eius indignus eſt magiſterio.* *Tertia* cauſa eſt, quia *vera virtus*, ex eodem Bernardo epiſt. ad Garin. Abbatem, *finem neſcit, tempore non clauditur. Vndè eſt illud: Charitas nunquam excidit*, &c. *Quarta*, quia qui non vult proficere, vel exiſtimat ſibi opus non eſſe vlteriore progreſſu, incipit deficere, ex D. Auguſtino in Pſalm. 69. nec non D. Bernardo epiſt. 541. *Quinta*, quia ex eodem epiſt. 253. nihil eſt, quod in hoc mundo quieſcat. Porrò profectus hic procurandus eſt maximè implorata diuina gratia, tum propoſitis Chriſti, & Sanctorum exemplis, vt ait Bernardus citata epiſt. 253. tum denique per ſerium, & crebrum conſcientiæ examen, ex D. Auguſtino ſerm. 15. de verbis Apoſtoli.

Ioſue Hebraicè Iehoſua re, & nomine figura, & typus fuit Chriſti Domini. 1. vt aſcendit cum Moſe in montem, eſt Chriſtus, aut lex noua, ſine quibus lex vetus ad nihil ſublime aſcendit. 2. vt ſucceſſit Moyſi ſignificauit Chriſtum ſuccedentem legi. 3. vt defendit Gabaonitas, Chriſtum ſuccurrentem infirmis in tentationibus. 4. vt eduxit populum Iſrael è deſerto, & tranſmiſſo Iordane, induxit in terram promiſſionis, Chriſtum ex ignorantiæ, & idololatriç deſerto, per ſanctum, & ſaluriferum baptiſmum in cæleſtem Hieroſolymam nos traducentem, Ioſue cap. 1. & 3.

Rahab, id eſt lata, ſiue dilatata, aut platea; mulier meretrix, quæ Ioſue 2. & 6. ſuſcepit hoſpitio exploratores Ioſue miſſos Iericho; quæ cum domo ſua ſaluata eſt in expugnatione ciuitatis, ſuſpenſo funiculo coccineo de feneſtra: fuitque poſtmodum vxor Salmon: cui genuit Boos. Typus, aut ſymbolum eſſe ſolet Eccleſiæ ex gentibus: quæ prius erat meretrix, & ſordida per infidelitatem. Sed poſtea ſuſceptis prædicatoribus à Chriſto miſsis in fide dilatata eſt, iuxta illud Iſaiæ 54. *Dilata locum tentorij tui*; & per viuificum crucis lignum, ritè per funiculum coccineum figurata ſaluata. Ex D. Hieronymo, & Auguſtino ſuper Pſal. 86.

Duodecim lapides de Iordane ſiccato collecti à Ioſue iuſſu Domini c. 4. firmitatem virtutum deſignant: alij verò duodecim in ipſum flumen miſſi, duritiem obſtinationis, quæ mergit homines in interitum, ex Richardo de S. Vict. de exterm. mali.

Iericho, id eſt luna, quæ continuè in ſuo lumine mutatur, ideoque deſignat hunc mundum perpetuæ mutabilitati ſubiectum, vt ſonantibus tubis corruit, murique eius Ioſue 6. allegoricè ſymbolum erat mundi corruituri, quo ad eius idololatriam, aliaque vitia, nec non defenſorum eorumdē pariter deſtruendorum, per Chriſti, & Apoſtolorum prædicationem.

Gedeon, id eſt conterens, vel confringens, Iudex Iſrael, quà potiſſimum Iudic. 7. cum trecentis viris tubas, lagenas, ac lucernas gerentibus percuſſit Madianitas, typum geſsit Chriſti,

qui

qui cum diſcipulis tubas verbi Dei, & lampades gerentibus dæmones ſuperauit. Ex Ruperto Iudic. 11. Tropologicè etiam lagenæ, quas ferebant milites Gedeonis, & pugnando fregerunt, ſignificabant corpora Martyrum, quæ confracta reſplendent vt lampades, quę erant intra lagenas; vel generaliter corpora fidelium, quæ franguntur vel per labores, vel per martyrium. Ex Diuo Auguſt. q. in Iudic. 49. & Diuo Gregorio lib. 30. Moral. cap. 33. nec non lib. 1. Reg. cap. 10.

Sampſon, id eſt Sol eius, vel eorum, Iudex quoque Iſrael, in multis etiam typus, ac ſymbolum fuit Chriſti. Vt enim occidit leonem, ſignificauit Chriſtum conterentem, & conuertentem Gentiles: vt ingreſſus ad meretricem, Chriſtum ad gentes venientem; vt ligatus; & illuſus, Chriſtum à Iudæis illuſum: vt multo plures occidens in morte, quam viuens, excellentiam victoriæ Chriſti habitæ de dæmonibus, & cæteris hoſtibus: vt obſeſſus in ciuitate Gaſæ, ſurgenſque media nocte, & auferens portas ciuitatis, Chriſtum reſurgentem ex mortuis. Denique vt Sampſon fuit fortis, & infirmus, ita Chriſtus apparuit fortis, & infirmus.

Ruth, prius vxor Mahalon, poſtea ducta à Boos, ſoluto propinquioris calceamento, ſymbolum fuit Eccleſiæ ex Gentibus, quæ facta eſt ſponſa Chriſti, & à pedibus aſcendit ad caput, ſicut Ruth, quæ antequã duceretur à Boos, ad pedes lecti eius iacuit. Ex Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 5. & Hieronym. prolog. in Hol.

Saul perſequens Dauid, typus erat Iudæorum perſequentium Chriſtum; & etiam diaboli; vel temporalis regni perſequentis regnum Chriſti.

Dauid multipliciter Chriſti ſymbolũ ac typus fuit: vt enim, reprobato Saule, factus eſt Rex, deſignabat regnum Chriſti, reprobato veteri populo: vt funda Goliath gigantem occidit, denotabat Chriſtum in cruce, ſeu crucem Chriſti, in qua tanquam poſitus lapis percuſſit diabolum: vt multa perpeſſus eſt, imago fuit eiuſdem in carne patiẽtis: cum etiam mutauit vultum ſuum coram Abimelech, ſignificauit Chriſtum, qui factus eſt gentibus ſtultitia.

Salomon quoque, id eſt pacificus, filius Dauid, nedũ nomine, ſed & multis factis Chriſtum etiam retulit; maximè ædificando templum; quod typus fuit Eccleſiæ à Chriſto fundandæ.

Elias, id eſt, Deus Dominus, aut fortis Dominus in multis Chriſtum expreſſit, vt in idololatriæ perſecutione, aquæ impetratione, & in perſecutione quam à Iezabele paſſus eſt, vt Chriſtus à Synagoga, lib 3. Reg. 17. Vt etiam ſuſcitauit filium viduæ Sareptanæ, deſignauit Chriſtum ſuſcitantem gentilem populum; item eumdem aſcendentem in cælum, cum raptus eſt in curru igneo, lib. 4. Reg. cap. 2.

Eliſæus, id eſt, Dei ſalus, ſiue Deus ſaluans, ſuper quem requieuit ſpiritus duplex Eliæ, vt lib. 4. Reg. cap. 2. aquas Iericho, ac terræ ſterilitatem immiſſo ſale ſanauit, typus fuit Chriſti Eccleſiam fęcundantis: *Eccleſia enim*, inquit Diuus Ambroſius ſerm. 87. *eſt illa ſterilis ciuitas, quæ ante aduentum Chriſti, aquarum vitio, hoc eſt ſacrilegio gentium, populorum ſterilitatem ſuſtinens, Deo filios procreare non potuit: at vbi venit Chriſtus, velut vas fictile aſſumens corpus humanum, ſanauit aquarum vitia, hoc eſt reſecauit vitia populorum: & ſtatim Eccleſia, quæ erat ſterilis, capit eſſe fecunda.* Rurſum vt ibidem cap. 4. Sunamitidi hoſpitæ ſuæ filium ſuſcitauit, contrahens ſe, & applicans os ad os, & manus ad manum, &c. Chriſtus eſt figuratiuè, qui ſe minorauit factus ſimilis nobis, vt nos ſuſcitaret, ex Diuo Auguſtino ſerm. 205. *Venit*, inquit, *beatus Eliſæus, & aſcendit in cænaculum; quia venturus erat Chriſtus, & aſcenſurus crucis patibulum. Inclinauit ſe Eliſæus, vt puerum reſuſcitaret. Humiliauit ſe Chriſtus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Miſit Eliſæus oculos ſuper oculos, manus ſuper manus. Videte, fratres,* quan-

quantum ſe vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo, & iacenti cõgrueret. Quod enim Elizæus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apoſtolum dicentem: Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. Quia paruuli eramus, paruulum ſe fecit. Quia mortui iacebamus, prius ſe medicus inclinauit, quia reuerà, fratres, nemo poteſt iacentẽ erigere, ſi ſe noluerit inclinare. Quod autem puer oſcitauit ſepties, ſeptiformis gratia Spiritus Sancti oſtenditur. Tandem vt parauit Elizæus ollam ex herbis agreſtibus, inter quas erant etiam herbæ amaræ, eodem capite tropologicè ſignificat prædicatorem, aut ſuperiorem parantem aliquando reprehenſionem aſperam.

Iudith capiens Holophernem laqueo oculorum cap. 10. allegoricè ſymbolũ fuit humanitatis Christi Domini, qua captus eſt diabolus. Item Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ caput amputauit Holophernis: quia contriuit caput antiqui ſerpentis.

Eſther quoque liberans populum Iudæorum ab interitu, crucifixo Aman, qui eum perdere volebat, typus fuit Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ victo diabolo liberat peccatores.

Sed & Prophetæ nedum verbis prænuntiarunt, verùm & multis adhuc factis expreſſerunt Chriſtum, ſymbolaq; eius præclariſsima fuerunt; tum aliarũ etiam rerum: vt *Iſaias* nudus obambulans cap. 20. *Ieremias* agnum ſe vocans manſuetum, qui portatur ad victimam cap. 11. Lumbare lineum portans c. 13. Catenatus, & furcifer cap. 27. *Ezechiel* vrbem geometricè delineans cap. 4. vibrans Sartaginem ibidem, & dormiens trecentos, & nonaginta dies; nec non ſtercore panes coquens. Nouacula pilos radens c. 5. faciens ſibi vaſa tranſmigrationis cap. 12. Trepidus, & feſtinanter comedens, ac bibens ibidem. Lebetem igni imponens cap. 24. *Daniel* abductus in Babylonem, factuſque ſeruus cap. 1. Somniorũ interpres cap. 2. & 41. Iudicans, damnanſque ſenes, ac Suſannam à calumnia abſoluens c. 13. Deſtruens Bel, & draconem c. 14. *Oſee* ſumens ſibi vxorem fornicationum iuſſu Domini cap. 1. Ionas miſſus in Niniuen cap. 1. à ceto abſorptus, & in eo tribus diebus, & tribus noctibus exiſtens cap. 2. dolens de areſacta hedera cap. 4. de quibus omnibus, aliiſque ſimilibus, & eorum declaratione conſulendi ſunt ſacri interpretes; ſufficit enim hæc inſinuaſſe pro inſtituti noſtri ratione, & ad oſtendendum, quomodo in Sacra Scriptura, ex rebus etiam naturalibus fluentibus; cuiuſmodi ſunt perſonæ, variique earum euentus, ac facta, plura ſymbola efformari poſſunt.

CAPVT IV.

De aliquibus artefactis permanentibus in Scriptura relatis, ex quibus Sacra Symbola formari poſſunt.

PRimum, aut ſaltem præcipuum, idque variis fœcundum ſymbolis artefactum in Scriptura occurrens, fuit Arca Noe Geneſ. 6. facta ex præcepto Dei ad ſeruandos homines, & vniuerſa animalium genera à diluuio, allegoricè Sanctam ſignificans Eccleſiam, in quam ingrediuntur ex omni genere hominum aliqui, qui ſaluantur. Et vt arca eleuabatur quidem à fluctibus, ſed non mergebatur: ita tribulationes non mergunt Eccleſiam, ſed illuſtriorem reddunt. Et vt animalia, quæ non erant in arca, perierunt; ita omnes, qui ſunt extra Eccleſiam pereunt. Erat arca de lignis non putreſcentibus; quia ita conſtat ex iuſtis, & iniuſtis, vt tamen potiſſima pars ſint homines iuſti, & in ſempiternum victuri. Erat latior in inferioribus, vbi beſtiæ habitabant, anguſtior ſuperne, vbi homines, quia plures ſunt in Eccleſia, qui beſtialem vitam ſequuntur, & latam; pauciores verò rationem ſequentes, & anguſtam viam.

viam. Ex Orig.hom.2. in Geneſ. Hieron. lib. 1. in Iouin. Auguſt. lib.26.ciuit.Dei & 14. contra Fauſtum.

Significat quoque allegoricè trina arcæ Noeticæ dimenſio, trecentorum ſcilicet in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine, in qua ſalua facta eſt omnis caro, ſignificat, inquam, myſteriũ Sanctiſſimæ Trinitatis, eiuſque fidem, in qua vel implicita, vel explicita ſaluantur omnes quotquot ad felicem æternitatis portum appellunt. Quæque non ſolum eſt neceſſaria, ſicut cognitio aliarum rerum fidei, quæ ſcire debent fideles, ſed peculiari adhuc ratione, tanquam aliquid pertinens ad formam Sacramenti baptiſmi neceſſarij ad ſalutem. Poteſt etiam arca hæc allegoricè figurare religionis ſtatũ, vel ipſum monaſterium, vbi proteguntur Religioſi à fluctibus huius ſæculi. Item crucem Chriſti, per quam omnes Chriſtiani, præcipuè autem Religioſi alacriter illam tollentes ab omni vitiorum, & tentationum diluuio liberantur: & illi innitentes ſemper ſuperiores euadunt.

Tropologicum denique ſymbolum fuit animæ ſanctæ per cruces, & labores reciſis vitijs dolatæ, quadratæ, & ex omni parte libratæ. Rurſum, arca eſt ſecretum conſcientiæ; Noe, eſt mens; longitudo, fides; latitudo, charitas; altitudo, ſpes: Item oratio, & contemplatio, inundatio aquarum, eſt impetus tentationum. Montes Armeniæ in quibus arca requieuit, quies eſt animæ in contemplatione rerum diuinarum. Volucres arcæ, ſunt ſanctæ, & cæleſtes cogitationes. Animalia ſunt opera neceſſaria, & curæ circa res terrenas. Coruus emiſſus nec reuerſus, vt ſignificat falſos Chriſtianos, qui foris in fluctuatione temporalium lætantur, nec redeunt ad mentis quietem, ita è contrario columba reuerſa ſignificat bonos Chriſtianos, qui ad opera charitatis emiſſi, mox ad mentis quietem redeunt, ſed cum ramo oliuæ, quia peregerunt opera miſericordiæ. Ex Hugone Victorino lib. Allegor. in Geneſ. cap. 18. Origenem ſecuto. Quatenus autem fuit arca ex lignis læuigatis, optimèque connexis compacta, & lata inferius, in anguſtum verò supernè deſinens, figura quoque, aut ſymbolum fuit fabricæ virtutum; quæ infernè eſt lata, ſupernè anguſta, quia quo magis ad Deum accedimus, eo magis tendimus ad vnitatem. Ex D. Auguſt. lib. 15. de Ciuit. Dei. Cyrill. lib 8. in Ioann.

Turris Babel Geneſ. 11. hoc eſt turris confuſionis, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ, præclarum eſt ſuperbiæ ſymbolum, quæ fundamentũ eſt confuſionis; quamque in linguarũ diuiſione tunc meruit fabrorum ſuperbia, ſicut illarum vnionem in pentecoſte meruit humilitas Apoſtolorum, inquit Diuus Gregorius homil. 30. in Euangelia. Item ſignificare poteſt hæreticorum dogmata, & in vniuerſum munimenta vitiorum. Quæ quia non benè fundata ſunt, diu ſtare non poſſunt.

Currus Pharaonis Exodi 14. Tropologicè ſunt currus vitiorum, de quibus hæc habet Diuus Bernardus ſerm. 39. in Cantica. Habet namque malitia currum ſuum quatuor rotis conſiſtentem, ſæuitia, impatientia, audacia, imprudentia. Valdè enim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore: trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratis, terrena potentia, & ſæculari pompa: præſident duobus his equis aurigæ duo, tumor, & liuor: & tumor quidem pompam, liuor verò potentiam agit. Pari modo Luxuriæ rotæ quatuor ſunt, otium, mollities veſtium, ingluuies, & libido, equi duo ſunt proſperitas vitæ, & rerũ abundantia; & aurigæ ſunt ignauiæ torpor, & infida ſecuritas. Simili modo auaritiæ rotæ quatuor ſunt, puſillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis

mortis obliuio : equi duo ſunt tenacitas, & rapacitas cum ſuo auriga, qui eſt habendi ardor: ſola ſiquidem auaritia, quoniam conducere plures nô patitur, vno contenta eſt ſeruitore.

Quæ potiſsimum habentur Exodi c.25. & ſequentibus; tot ſacra artefacta, ſunt innumerorum quoque ſymbolorum materia. Nam primò tabernaculum, ſiue Sanctuarium, quod erat quaſi Templum ſanctum, in quo tunc Deo ſacra, & ſacrificia peragebantur, quà conſtans ex quatuor præcipuè rebus, nimirum byſſo, cocco, purpura, & hiacintho, ſignificantibus quatuor elementa: nam byſſus ſignificat terram, quia ex ea gignitur: purpura mare, quia maris cochleolis tingitur: hiacinthus aerem, quia aerei eſt coloris; & coccus ignem eadem ex cauſa, tropologicè etiam deſignabat his omnibus, qua reuerentia, & puritate templum ſit adeundum, & in eo colendus Deus; vel Sacerdotē eius miniſtrum pro vniuerſa creatura, totoque mundo in templo ſupplicare debere; Ex Diuo Hieronymo epiſt. ad filiolam de veſtibus Sacerdotum, Theodoreto & V.Beda. Allegoricè quoque, & anagogicè tabernaculum factum ex lignis ſetim incorruptibilibus figurabat Eccleſiam, tum militantem, tum magis triumphantem; quæ omni ſui parte incorruptibilis eſt, & æterna.

Item arca, quæ primò quoad formā, vel figuram erat inſtar paruç ciſtæ quadratæ, vel potius quadrangulæ. Erat enim arca alta cubitum cum dimidio, & lata cubitum cum dimidio; longa verò duos cubitos cum dimidio. Secundò quoad materiam erat facta ex lignis ſetim auro obtectis, adeò vt in ea reponerentur tabulæ Decalogi, à Deo datæ Moyſi. Tertiò tegebatur propitiatorio, quaſi operculo, facto non ex lignis ſetim, ſed ex ſolido auro. Quartò, duo Cherubim erant ſupra propitiatorium, ita vt per alas ſuas expanſans, & coniunctas exhiberent quaſi ſedem Deo: propitiatorium verò cū arca eſſet quaſi ſcabellum pedum eius. Quintò, ſupernè cingebatur corona circumcirca, ad latera verò vtrimque habebat duos circulos aureos, per quos inſerebantur duo vectes aurati, quibus portabatur à Sacerdotibus in itineribus cum mouēda eſſent caſtra. Sextò poſita erat in pauimento Sancti Sanctorum. Septimò, ædificato poſtea à Salomone templo, in eo repoſita eſt in Sancto Sanctorum, in eoque manſit, quamdiu illud ſtetit, ſcilicet vſque ad captiuitatem Babylonicam: Tunc enim Ieremias arcam, & tabernaculum extulit in montem Nebo, ex quo Moyſes vidit terrā promiſſionis, & abſcondit ea cum altari thymiamatis in ſpelunca quadam, vt dicitur lib.2. Machab. cap. 2. *ignotumque fore locum donec congreget Deus congregationem populi*, Vnde ſequitur, arcam non fuiſſe in ſecundo templo, quod ædificarunt Iudçi poſt reditum è Babylone, ſed eam occultandam fore vſque ad finem mundi, tumque manifeſtandam eſſe ad conuerſionem Iudçorum, atque adeò illos errare, qui arcā à Tito in triumphum ductam fuiſſe, & Romæ etiamnum in Templo Lateranenſi ſeruari putant ex eo, quod Romæ in arcu Titi triumphali depicta videatur arca in pompa triumphi; illa enim non eſt arca, ſed menſa panum propoſitionis, vt aſſerit Ioſephus, qui triumphi Titi fuit ſpectator, quique diſertè aſſerit in Sancta Sanctorum nihil omninò fuiſſe lib. 6. de bello Iudaico cap. 6.

Arca, inquam, ſic deſcripta, arcaque fœderis, vel teſtamenti dicta, quod in ea eſſent repoſitæ Decalogi tabulæ, multa ſymbolicè deſignabat; primò enim quæ erant in illa, vt tabulæ legis, vel circa illam, vt virga; & manna, ſignificabant tria Dei attributa, ex Diuo Thoma 1.2. q. 102. art. 4. ad 6. ſcilicet tabulæ legis ſapientiam, virga potentiam, manna bonitatem; vel etiam in Eccleſia eius prælatos debere habere tabulas legis, virgam diſciplinæ, & correctionis, manna dulcedinis in guber-

nandis

-nandis alijs. Ex Diuo Gregorio epiſt. 25. lib. 2. *In regimine enim*, ex eodem lib. 20. moral. cap. 8. & 2. parte paſtor. cap. 6. *miſcenda eſt lenitas ſeueritati; quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nimia lætitia vilem non reddat, aut immoderata ſeueritas odioſum.* Item arca fœderis, quoad tria prædicta, dici poſſunt Sancti, & Doctores, ac Prælati, quibus arcana myſteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ ſuæ iudiciorum ſecreta commiſit. Erat autem in ea virga, & manna, quia cum Scripturæ ſanctę ſcientia eſt in boni rectoris pectore virga diſtributionis, & manna dulcedinis.

Allegoricè inſuper ſignificabat carnem Chriſti habentem in ſe verbum Dei, & animam omni virtutum genere fulgentem. Erat de lignis ſetim imputribilibus, hoc eſt, de puriſſimis membris, quæ non viderunt corruptionem; erat deaurata, quia plenus ſapientia, & charitate: vrna manna plena, anima eius ſancta habens plenitudinem ſanctitatis, & diuinitatis; virga Aaron ſacerdotale eius imperium deſignabat. Allegoricum quoque fuit ſymbolum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ habuit intra ſe Verbum diuinum carne indutum; & fuit ſacrarium Spiritus ſancti, intus ac foris ſanctitate, & virginitatis nitore fulgens, auroque ornata cæleſti.

Anagogicè etiam repręſentabat Beatos in cælo, primò enim erat in Sancto Sanctorum, quod repręſentabat cælum beatorum domicilium; ſecundò erat ex lignis ſetim; quia Beati poſt reſurrectionem habebunt corpora immortalia; tertiò auro obtecta, quia & animę Sanctorum ineffabili diuinæ viſionis claritate, & corpora admirabili ſplendore fulgebunt: quartò ſupra ſe habebat propitiatorium, quia Sancti habent ſupra ſe Chriſtum Redemptorem: quintò vallabatur Cherubinis; quia Beati cinguntur ſanctis Angelis; ſextò corona arcæ ſignificabat coronas Sanctorum, quaſi qui victores ſint, ac triumphatores; ſeptimò annuli, & vectes donæ Spiritus ſancti, quibus anima ſancta fit facilè mobilis, & agilis ad omne bonum: octauò tabulæ legis, quæ ſolę erant in arca; Sanctos olim meditatos fuiſſe in lege Domini die, ac nocte, in eaque nunc iugiter delectari; nonò vrna mannæ coram arca, ſed in tabernaculo exiſtens, beatos ſemper eſſe memores cæleſtis panis Euchariſtiæ, quo aliti ſunt in deſerto huius vitæ; demum virga Aaron, non in arca, ſed in tabernaculo pariter repoſita, eoſdem ſemper quoque memores eſſe Sacerdotij Chriſti, qui ſui corporis ſacrificio ſuſtulit peccata mundi, vndè Chriſtum, & Deum æternaliter laudant.

Propitiatorium, quod erat arcæ operculum, non ex lignis ſetim auro obductis, vti erat arca, ſed ex puro auro; & ita dictum, quaſi locus placationis, eo quod ibi Deus Moſi apparens, & cum eo loquens placabatur, & propitiabatur populo: in quo inſuper erat Dei oraculum, & quaſi ſedes, & thronus eius; arca verò erat ſcabellum pedum eius: Propitiatorium, inquam, omnibus his modis conſideratum multa ſymbolicè figurabat. Primò in ſenſu allegorico Chriſtum, qui mediator eſt inter Deum, & homines, & Patrem nobis reddit propitium iuxta illud Apoſtoli: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*, Roman. 3. vbi pro *propitiationem*, alij legunt *propitiatorem*. 1. Propitiatorium erat ſuper arcam, quia Chriſtus omnes beatos per illam ſignificatos gratia, & gloria tranſcendit. 2. totum erat ex auro, quia Chriſti humanitas non per ſe, ſed in deitate, nimirum in verbo diuino ſubſiſtit: ideoque dicitur inhabitare in ea omnis plenitudo diuinitatis. 3. erat operculum arcę, ita vt corona ei ſuperimpoſita cingeretur, quia gloria, & coronis Sanctorum cingitur, ipſique eas Chriſto ſubijciunt, & offerunt, perindè ac arca ſuam coronam veluti offerebat propitiatorio. 4. vt ex propitiatorio fundebantur oracula Dei, ita

Chriſtus eſt ipſummet Patris oraculum, enarrans ea, quæ vidit in ſinu eius abſcondita à conſtitutione mundi. 5. ſi propitiatorium cum duobus Cherubinis ex vtraque parte ipſius erat quaſi ſedes, & thronus Dei, ſacroſancta etiã humanitas Chriſti Domini eſt quaſi ſedes, & thronus diuinitatis Verbi.

In eodem ſenſu allegorico propitiatorium inſuper dici poteſt ſymbolum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ Deum nobis propitium reddit, tum etiam illorum omnium, qui cum omni fiducia per hoſtias precum, ſupplicationumq; Deum hominibus repropitiant.

Propitiatorium ex auro puro, materia videlicet multum à ligno diſtante, tropologicè ſignificare poteſt ſublimitatem contemplationis rerum cæleſtium.

Cherubim ſtantes ſuper propitiatorium, quorum alæ iunctæ ſpeciem quãdam ſedis Dei exhibebant, qui propterea dictus eſt ſediſſe ſuper eos, cum eſſent ſpecie laria, & imberbis iuuenis, illa referebant vigorem, viuacitatem, & æternitatem Dei; cumque veriſimile ſit hoſce Cherubim præter ſpeciem, aut formam hominis, etiam aliorum trium animalium formam habuiſſe, nimirum aquilæ, leonis, ac vituli, quadruplici hac ſpecie ſignificabant quatuor ſtemmata, & inſignia Domini Dei ſui ſedentis in propitiatorio. Species enim aquilę deſignabat eius ſapientiam; ſpecies hominis bonitatem, & clementiam; bos iuſtitiam, quaque Deus religione coli deberet; leo fortitudinem, & potentiam. Allegoricè adhuc dici poteſt hac quadruplici Cherubim facie quatuor Chriſti inſignia fuiſſe figurata: ſpecies enim hominis ſignificabat Chriſti Incarnationem; ſpecies vituli eius mortem, & in cruce immolationem; ſpecies leonis fortitudinem, quam oſtendit in reſurrectione; ſpecies aquilę aſcenſionem in cælum.

Menſa ex lignis ſetim auro obductis facta, vt exciperet duodecim panes Deo proponendos, indeque menſa propoſitionis dicta eſt, allegoricè ſignificare poteſt menſam corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, ex Sanctis Hieronymo in 1. Malachiæ; Cyrillo Hieroſol. catech. 4. & Damaſceno lib. 4. cap. 14. Tropologicè autem eos, qui in Eccleſia Dei per Sanctum Sanctorum figurata, potiſſimum ſe dedunt eleemoſynis, & operibus charitatis; coronam habebat hæc menſa, ad ſignificandum miſericordes, & eleemoſynarios non tantùm in cælo, ſed etiam in terra à Deo benedici, gloria, & honore coronari. Sicut autem menſa hæc erat in Sancto iuxta Sanctum Sanctorum, in quo erat thronus Dei, ſic *eleemoſyna*, ex Chriſoſtomo homil. 9. in Matth. *amica Deo conſiſtit, & ſemper ei propinqua eſt, &c.*

Candelabrum ductile ex auro puriſſimo, quod erat in Sancto ad dexteram altaris thymiamatis, allegoricè fuit Chriſti ſymbolum; materia enim aurea humanitatem eius puram à culpa deſignare poteſt, & dicitur ductilis per paſſionem. In eo erant ſeptem lucernæ, quia Chriſtus illuminat multipliciter credentes per ſeptem dona Spiritus Sancti. In eodem ſenſu candelabrum eſt Eccleſia, quę lux eſt, doctrixque veritatis; in qua ſeptem lucernæ ſunt omnes doctores, qui tota nocte præſentis ſęculi lucent vita, & doctrina, ſiue tam facto, quàm verbo, ad exemplum Chriſti, qui prius cœpit facere, deindè docere: vt enim ait Diuus Gregorius, *Doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur: nam doctrina ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam.* & ex Chriſoſtomo ſerm. de compunct. *Grandis eſt condemnatio componenti ſermonem ſuum, vitam verò ſuam negligenti.* Quod propterea candelabrum, quoad omnes ſuas partes erat aureum, & ex vno auri talento efformatum; tam enim aurũ, quod eſt metallorum perfectiſſimum, quam talentum, quod etiam pondus plenum eſt, atque perfectum, deſignant Doctorum Eccleſię doctrinam, ac vitam perfe-

perfectam eſſe debere in ſapientia, & doctrina. Ductile autem id eſt malleatione productum, & efformatum, non autem fuſile; quia Doctores multis tétationibus, & perſecutionibus, proprijſque mortificationibus tundi, & poliri neceſſe eſt, antequam ad culmen virtutis perueniant, atque ita cęteris pręluceant.

Tabernaculum, quod erat quaſi téplum Dei mobile, & portatile, ambulans cum Hebræis per deſertum, eratque conſequenter veluti tentorium eafirenſe, quod per partes ſolui poterat, & conuaſari, cum mouenda eſſent caſtra, egregium quoque fuit ſymbolum allegoricum Chriſti Domini ex Cyrillo lib.4. in Ioannem cap.28. vbi tum tabernaculum, tum omnia, quæ erant in illo adaptat Chriſto. Quamuis enim vnus ſit Chriſtus, multifariam tamen operatur, & concipitur. Chriſtus igitur eſt tabernaculum propter carnis tegumentum; Chriſtus eſt arca habens legem Dei reconditam, prout eſt Verbum, & Sapientia Patris: Chriſtus eſt menſa, quia nobis eſt cibus, & vita in Eucharistia: Chriſtus eſt candelabrum, quia eſt lux ſpiritualis animæ. Chriſtus eſt altare incenſi, vel thymiamatis, quia eſt odor ſuauitatis in ſanctificatione; Chriſtus eſt altare holocauſti, quia eſt hoſtia pro totius mundi vita in cruce immolata, rurſum eſt altare, quia ſuper Chriſtum, & Chriſti merita offerimus Deo preces, vota, & victimas noſtras.

Nedum Chriſti, aut corporis eius naturalis ſymbolum fuit tabernaculũ, ſed & corporis Myſtici, quod eſt Eccleſia. Cum enim tabernaculum *Primò* diuideretur in Sanctum, & in Sanctum Sanctorum diuiſum à Sancto per velũ: *Secundò* factum eſſet vtrimque ex viginti tabulis ſetim inauratis: *Tertiò* tegeretur vndique quatuor velorum generibus, nimirum decem cortinis factis ex cocco, purpura, hyacintho, ac byſſo, quæ cortinæ vocabantur tentoria, quia erant in modum tentorij tenſę, & expenſæ; vndecim Sagis, ſiue ſtragulis cilicinis, pellibus arietum rubricatis, ac tandem pellibus ianthinis contra pluuias, & procellas; quare hæ pelles vocabantur tectum, id eſt operculum tegens tabernaculum; quod ſic vndequaque tectum, & velatum patet non habuiſſe feneſtram, ſed lumen anterius per oſtiũ admiſiſſe: *Quartò* ante ſe haberet atrium, quod erat duplex vnum exterius laicorum, aliud interius Sacerdotum, in quo erat tum labrum æneum, tum altare holocauſtorum: *Quintò* in parte priori eiuſdem tabernaculi, hoc eſt in Sancto, eſſet altare thymiamatis obuerſum Sancto Sanctorum, & propitiatorio, ad cuius altaris latus dextrum erat candelabrum, ad ſiniſtrum verò menſa panum propoſitionis; in poſteriori autem parte, hoc eſt, in Sancto Sanctorum eſſet arca, habens intra ſe tabulas legis, ſupra ſe propitiatorium, quod velabant duo Cherubini; item in eodem Sancto Sanctorum eſſet vrna cum manna, & virga Aaron, quæ fronduerat: *Sextò*, hoc Sanctum Sanctorum eſſet Sanctiſſima pars tabernaculi, & quaſi chorus, in quem ſolus Pontifex ingredi poterat, idque ſemel in anno tantum, nimirum in feſto expiationis Leuit. 16. cum tamen in Sanctum quotidie ingrederentur Sacerdotes mane, & veſpere, vt adolerẽt thymiama, & vt veſpere accenderent lucernas, mane eaſdem extinguerent; eum, inquam, ita ſe haberet tabernaculum, iuxta exemplar quod Moſi in Monte Sina monſtratum à Deo fuerat, hoc eſt viua voce ab eo deſcriptum, ſimulque idea aliqua ſenſibili intuendũ propoſitum, illo quoque Deum aliud ſpiritale, ac myſticum tabernaculum, hoc eſt, Chriſti Eccleſiam adumbrare voluiſſe, clarè demonſtrant ſequentes analogiæ.

Primò igitur tabulæ erectę à tribus tabernaculi lateribus, quaſi eius parietes, ſignificabant dilatationẽ Euangelij per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, in vniuerſo mundo: baſes erant oracula prophetarum, quibus prædi-

catio Euangelii nitenda erat. *Secundò* decem primæ cortinę ſiue vela illud operientes, ſunt decem præcepta charitatis, ſiue decalogi, quæ ideo dicuntur binæ, & binę, quia tam nouo, quàm veteri teſtamento congruunt ſingulę; Saga cilicina vndecim, ſiue cortinæ è pilis caprarum ſignificabant peccatores in Eccleſia multis admixtos; Sanctus enim Auguſtinus ſermon. 15. in Matth. numerus vndecimus eſt ſymbolum peccati; quia tranſgreditur denarium decalogi, quod quia hic cilicio ſiue ſago cilicino plangitur, poteſt etiam dici hoc ſtragulum ex vndecim ſagis cilicinis, vel caprinis fuiſſe ſymbolum peccatorum in Eccleſia pœnitentium; Pelles arietum rubricatæ deſignabant Apoſtolicos Viros, qui ſanguine ſuo Eccleſiam operuerunt, eiuſque fidem ſtabilierunt, contra omnes ingruentes infidelium procellas; ianthinæ demum pelles Virgines, qui colore cæleſti, mortui carni, & mundo, mortalemque tantum pellem deferentes, in Eccleſia eminent, eamque meritis, & orationibus tuentur. Vnde Virgines dicuntur quaſi virtute inſignes & cęlibes quaſi cęlites, & cælo beati, id eſt cęli ciuium vitam in terris imitantes, & agentes, vt docent Patres.

Tertiò, tabernaculi diuiſio in atrium, in Sanctum, & in Sanctum Sanctorum figurabat tres in Eccleſia ſtatus; nimirum atrium, ſtatum incipientium; vnde in eo erat altare holocauſtorum, quod vitiorum enecationem, & mortificationem in Dei obſequium ſignificabat: item labrum, ſiue lauacrum æneum figurans Penitentię Sacramentum, quo incipientes, communeſque Chriſtiani maximè indigent: Sanctum, ſtatum proficientium; vndè in eo erat altare thymiamatis, id eſt donum orationis, candelabrum id eſt ſapientia, & charitas, tum menſa, id eſt omnia bonorum operum genera, præſertim miſericordiæ; tandem Sanctum Sanctorũ deſignabat ſtatum perfectorum, intimæ vnionis cum Deo per arcam, quæ in illo erat, ſignificatæ; ineffabilis dulcedinis inde prouenientis, per vrnam mannæ pariter ſignificatæ, ac tandem fœcundiſſimę operationis per heroicos virtutum actus, in virga Aaron rectè adumbratæ, quæ ſicca reuixit, & protulit frondes, flores, & fructus.

Quæ etiam omnia tropologicè accommodari poſſunt animæ Chriſtianæ, & ſanctæ, quę primùm per lauacrum pœnitentię, & altare mortificationis in ſtatu viæ purgatiuæ, deinde per virtutum omnium exercitium per candelabrum, menſam, & altare thymiamatis non incongruè figuratarum in ſtatu viæ illuminatiuæ, tandem in ſtatu viæ vnitiuæ perfectum fit Dei tabernaculum, & templum; 1. Corinth. 3. 16. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Vbi dum cæleſtibus Sponſi copulatur amplexibus, rectè dici poteſt Sanctum Sanctorum, cum vrna mannæ, ob diuinę ſuauitatis abundantiam, & cum virga Aaron, ob ſapientiæ, ac iuſtitię rectitudinem.

Anagogicè etiam Sanctum Sanctorum expreſſum fuit cæli empyrei, vitęque æternæ ſymbolum; velo diuidente illud à Sancto, & illi oppanſo, potiſſimum ſignificante, nos qui ſumus hic in atrio, & Sancto, id eſt in Eccleſia militante, per fidem, & ænigmaticam cognitionem ſpeculari Deum, & futura bona, quę ſunt in Sancto Sanctorum, id eſt in cęlo. Vnde in Chriſti paſſione hoc velum ſciſſum eſt, quia Chriſtus ſua morte nobis aditum ad cęlum, & claram Dei viſionem aperuit.

Altare holocauſtorum, Exodi 27. quod 1. erat ante tabernaculum in atrio interiori ſacerdotum, ſub dio poſitum, propter ignem, fumum, & nidorem victimarum. 2. factum ex lignis ſetim, æneis tabulis interius, & exterius tectis, ne ab igne lęderentur: 3. habens quatuor cornua ęnea, & prominentia, vel prodeuntia inſtar obeliſci, ex quatuor altaris angulis. 4. interius cauum. 5. craticula ænea; in modum retis forami-

flaminibus plena, ſupernè tectum. 6. cũ feneſtella ad latus orientale, per quam ligna immitterentur, & cineres extraherentur. 7. cum quatuor annulis æneis, per quos duo vectes, ex lignis ſetim ære pariter coopertis inſerebantur ad portandum altare. In quo 8. mane, & veſpere quotidie primò immolabatur agnus, quaſi iuge ſacrificium. Deinde aliæ victimæ vel votiuæ. vel ſpontaneæ, vel ex lege ob feſtum incidens præceptæ.

Hinc Deus ignem de cœlo miſit, quem voluit in hoc altari à Sacerdotibus, lignis appoſitis iugiter ali, & foueri, ne vnquam extingueretur, vt ſemper paratus eſſet ad victimas cremandas, Leuit. 6. Huiuſmodi, inquam, altare allegoricè fuit crucis Chriſti ſymbolum, in qua velut in ara Chriſtus immolatus eſt, 1. erat extra tabernaculum in atrio, quia Chriſtus extra caſtra, vt ait Apoſtolus Hebr. 15. hoc eſt extra Ieruſalem paſſus eſt. 2. factum erat ex lignis ſetim, quia tam crux, quã caro Chriſti non vidit corruptionem; ęre autem obductum, vt ſignificaret prædicationem crucis Chriſti, cum æs ſit ſonorum; vel etiam ob duritiem, fortitudinem crucis Chriſti, quæ omnes dęmonis, mundi, & peccati vires confregit. 3. habebat quatuor cornua, quia crux Chriſti per quatuor plagas toto orbe prædicata ab Apoſtolis fuit, *In omnem* enim *terram exiuit ſonus eorum*. 4. altare hoc intus vacuum erat, ſed terrę, vel lapidi impoſitum, quia crux Chriſti defixa eſt, & impoſita Monti Caluariæ. 5. craticula, in qua igne ſuppoſito carnes victimæ cremabantur, denotabat acerbiſſimos Chriſti dolores, quibus in cruce pro nobis tum dolore, tum amore toſtus eſt, iuxta illud Pſalm. 101. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt*. Quod S. Hieronymus vertit: *Oſſa mea quaſi rixa contabuerunt*. S. Auguſtinus: *Oſſa mea tanquam in frixorio confrixa ſunt*. Alij, *Oſſa mea tanquã focus, aut torris aduſta ſunt*. 6. in latere orientali altaris erat feneſtra, per quam ligna, & fomenta ignis in arulam immittebantur: quia à parte orientali, in qua ſitus erat Paradiſus terreſtris, peccatum Adę prouenit, quod doloribus, & cruciatibus Chriſti materiam, & fomenta miniſtrauit. 7. annuli, & vectes ſunt dona gratiæ, quibus Chriſtus tot ac tantos labores, ita vt à Deo derelictus ſibi videretur, conſtantiſſimè ſuſtinuit, humanaque eius voluntas diuinę ſemper conformis extitit. 8. tandem, in hoc altari immolabatur quotidie agnus, quia in cruce immolatus eſt Chriſtus, qui eſt agnus occiſus ab origine mundi, idemque quotidie modo tamen incruento immolatur in Sacroſancto Miſſę Sacrificio. In hoc altari ardebat iugiter ignis diuinus, quia charitas Chriſti in cruce non ſolum extincta non fuit, ſed potius adaucta, omneſque Martyres, & fideles ad crucem, & mortem cum Chriſto, & pro Chriſto ſubeundam etiamnum accendit.

Tropologicè etiam hoc altare holocauſti eſt cor hominis, ſe per pænitentiam macerans, vitiaque ſua mortificans, ac Deo immolans, quod 1. eſt in atrio, quia prius exercenda eſt paſſionum mortificatio, quam ad altare thymiamatis, quod eſt in Sancto; id eſt ad Dei amorem, & vnionem perueniri poſſit: ignis etiam, quo thymiama in altari aureo incendebatur, deferebatur ex altari holocauſti; quia orationis feruor, & ardor, ex carnis, & paſſionum iugi mortificatione promanat. 2. eſt de lignis ſetim, id eſt de puri cordis deſiderio; ęre obducitur, quia huiuſmodi mortificatio, licet neceſſaria, dura tamen eſt. 3. quatuor huius altaris cornua ſunt quatuor virtutes cardinales. 4. cauum eſt, id eſt terræ contagio vacuum, vt Sanctum Dei ignẽ, hoc eſt feruentem charitatem recipiat. 5. craticula in modum retis, iugis, varijſque ex generibus contexta eſt mortificatio. 6. annuli, & vectes ſunt dona Spiritus ſancti, quibus omnis pænitentię, ac mortificationis labor dulceſcit,

vt ijs ad dura, & ardua quæque quaſi vehi, & impelli videatur anima. 7. victimæ hic immolandæ ſunt concupiſcentiæ variæ, ad quas cremandas iugiter ignis charitatis in corde conſeruandus eſt.

De vtroque tandem altari ſcilicet holocauſtorum, & thymiamatis hæc habet V. Beda lib. 2. de tabernaculo cap. 21. *In tabernaculo duo altaria fieri iubentur, vnum exterius, alterum interius: vnum in atrio, aliud ante arcam: vnum are coopertum, aliud auro: in area cremantur carnes, in aureo incenduntur aromata. Multi enim plangunt mala quæ fecerunt, & incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc ſuggeſtiones in corde patiuntur: quid iſti niſi altare ſunt æreum? in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera plangūtur. Alij verò à carnalibus vitijs liberi, amoris flamma in compunctionis lachrymis inardeſcunt, ſupernis iam intereſſe ciuibus concupiſcunt, regem in decore ſuo videre deſiderant. Flere quotidie ex eius amore non ceſſant: quid iſti niſi altare ſunt aureum? in quorum corde aromata incenſa ſunt, quia virtutes ardent: ſed hoc altare aureum eſt ante velum, quia Sanctorum corda per ſanctum deſiderium in illum ardent, quem adhuc reuelata facie videre non poſſunt.*

Inter artefacta quoque permanentia recenſeri debent tanquam inſignia ſymbola, quæ Exodi 28. deſcribuntur, & præſcribuntur veſtes Pontificis, tum minorum Sacerdotū, ſcilicet 1. Ephod. 2. rationale cum duodecim gemmis. 3. tunica hyacinthina, in qua erant malapunica, & tintinabula. 4. tiara cum lamina aurea, cui inſcriptum erat, Sanctum Domino. 5. tunica linea cum baltheo. 6. femoralia.

Ephod igitur, ſiue ſuperhumerale Pontificis quod textum erat ex ſtamine byſſino, & ſubtegmine tricolori, videlicet hyacinthino, coccineo, & purpureo intermiſtis filis aureis, ad diſtinctionem alterius Ephod linei, ſiue byſſini, & toto candore puriſsimi, quo vtebantur inferiores Sacerdotes, & Leuitæ, quin & laici, qui quoquomodo cultui diuino deſeruiebant. Quale fuit Ephod Samuelis 1. Reg. 2. & quo etiam vſus eſt Dauid ſaltans ante arcam 2. Reg. 6. Huiuſmodi, inquam, Ephod thoraci ſimile, in cuius vtroque latere erant affixi duo lapides onychini, in quibus ſculpta erant nomina filiorum Iſrael, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum, primùm allegoricè ſignificabat obedientiam charitatis Chriſti, qua ipſe portandis, imo tollendis peccatis noſtris humeros ſuos ſuppoſuit, & cum illis in crucem aſcendit. Quare duo lapides onychini ſignificabant duo hemiſphæra, totumque mundum, pro quo paſſus eſt Chriſtus. Tropologicè etiam deſignabat, Sacerdotem maximè debere populum, & ſubditos portare non tantùm in pectore, ſed & in humeris. Portantur autem in pectore, cum amantur, & in humeris cum illorum onera feruntur, iuxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Item onus Euangelicum, & iugum Domini, in cuius ſuſceptione, & obedientia conſiſtit perfectio Chriſtiana, qua cæteris prælucere debent Sacerdotes. Fit prius ſuperhumerale, quam rationale, quia prius debent cognoſci bona opera ſacerdotū, aut quia per illa deueniendum eſt ad veram ſapientiam. Superhumerale autem cum rationali deſignat opera cum ratione facta.

Rationale, quæ erat ſecunda veſtis Pontificis, ſacratiſſimaque pars ipſius Ephod & omnium veſtium ſacerdotalium allegoricè ſignificabat in Chriſto potentiam iudicandi, qui iudicabit vnumquemque ſecundum opera ſua, quod deſignatur per nomina ſingulorū in ſingulis lapidibus ſculpta; quibus etiam duodecim gemmis dici poteſt deſignatos fuiſſe duodecim Apoſtolos, iiſdem enim ſignificantur Apoſtoli Apocal. 21. qui ſimul cum Chriſto potiſſimè ſeſſuri ſunt ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Tropologicè etiam ſignificare poteſt, præla-

prælatum maximè virtutibus fulgere debere: quatuor ordines gemmarum ſunt quatuor virtutes Cardinales ex Hieronymo in epiſt. ad Fabiolam, quæ dum inuicem miſcentur duodecim efficiunt combinationes. Tres lapides in ſingulis ordinibus ſunt tres virtutes Theologicæ ex V. Beda. Nomina illis inſcripta, admonent prælatum æqualiter debere ſubditos amare, curaque, & oratione ſua coram Deo fouere; ita vt munus eorum in duobus maximè conſiſtat, ſcilicet quod in omnibus ſuis actibus non quærat aliud, niſi primò gloriam Dei, ſecundò ſalutem populi, vt rectè ait D. Bernardus epiſt. 42. ad Archiep. Senonen. *Hoc agens Pontifex, implebit non ſolum Pontificis officium, ſed & etymologiam nominis, pontem ſeipſum faciens inter Deum, & proximum. Pertingit pons iſte vſque ad Deum, ea fiducia, qua non ſuam, ſed Dei gloriam quærit. Pertingit vſque ad proximum illa pietate, qua & ipſi, non ſibi, prodeſſe deſiderat.* Rationale coniunctum ſuperhumerali ſignificat etiam, in eo verba operibus debere eſſe coniuncta; ſicut etiam quod in eodem rationali inſcripta fuerint hæc duo nomina *Vrim*, & *tummim*, id eſt tam doctrinæ ſplendor, quem vox *vrim* ſignificat, quam veritas, & integritas vitæ, quam *tummim* ſonat. Prælati enim, & Superiores ſummopere cauere debent, ne vitiorum exemplo ſubditos inficiant. *Durum eſt*, inquit D. Gregorius homil. 26. in Euang. *qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex fiat alienæ*, & Diuus Ambroſius epiſt. 76. *Quid tàm diuinum, quàm iſta ſententia, vt is peccata puniat, qui peccati exors ſit, quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defenſorem?* Quare rectè Caſſiodorus lib. 6. var. hanc formam rectori præſcribit. *Eſto vita continens, vt poſſis in alios eſſe iudex. Prima æquitas eſt, à ſe præſules inchoare, vt debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullas in ſe culpas timet reus, quas in ſe habere perſpexerit cognitorem. O quale eſt, liberum tribunalibus inſidere!*

Tunica hyacinthina tertia Pontificis veſtis, cui proximè incũbebat Ephod, ſiue ſuperhumerale cum rationali, ita vt Ephod immediatè ſupra hanc tunicam indueret Pontifex, vnde vocabatur tunica ſuperhumeralis, hyacinthina verò, quia tota facta ex lana hyacinthina, ſiue violacei coloris; habens inferne in limbo, qui erat iuxta pedes per circuitum quaſi mala punica, miſtis in medio tintinnabulis, vt horum pulſu vocalis incederet Pontifex, ingrediens Sancta Sanctorum, alioqui moriturus propter inobedientiam; primùm allegoricè fuit Chriſti Domini ſymbolum; tintinnabula enim ſignificabant eius prædicationem, mala verò punica miracula, ex Ruperto, eidem etiam reliqua accommodante; Diuus Proſper hæc attribuit Pentecoſtæ, in qua, miſſo de cœlo Spiritu Sancto, fuerunt tintinnabula, & mala punica, id eſt igneæ Apoſtolorum linguæ loquẽtes, & perſonantes magnalia Dei. Tropologicè tunica hæc facta ex lana hyacinthina, ſiue violacei coloris, ſignificabat ſacerdotis vitam debere eſſe cœleſtem, idque vſque ad finem, cum talaris eſſet, tunica enim talaris actionẽ conſummatam virtutis deſignat, aut quaſi protenſa talum corporis operit, quoniam bona actio ante Dei oculos vſque ad vitæ nos terminum tegit. Tintinnabula verò, eiuſdem vitam in omnibus debere eſſe vocalem. *Tanta*, inquit Diuus Hieronymus, *debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, vt & egreſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet, & ornatu, vt quidquid agit, quidquid loquitur doctrina ſit populorum, abſque tintinnabulis enim, & diuerſis coloribus, & gemmis floribuſque virtutum, nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen antiſtitis poſſidere.* Cui conſonat & illud Diui Chryſoſtomi homil. 73. in Matth. *Sicut*, inquit, *homo vbicumque fuerit, cæteris animantibus præſtat, ita doctorem decet, ſiue loquatur,*

quatur, ſiue ſileat, ſiue in conniuijs, ſiue alibi ſit, cæteris hominibus præcellere, adeo vt inceſſu, & aſpectu, & habitu, omnibuſque ſimpliciter in alijs rebus, præſtantior eſſe videatur. Nam vt idem ait homil. 3. in 1. ad Corinth. *Hæc eſt ratiocinatio, cui contradici non poteſt, quę fit per facta*; Item ex Origene homil. 9. Pontificem in ora, & fine veſtus habere hæc tintinnabula; ſignificat eos de extremis temporibus, & fine mundi nunquam ſilere, debere; ſed inde ſemper ſonare iuxta illud Eccleſ. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Hęc tintinnabula erant aurea ad denotandum omnem Sacerdotum ſermonem debere eſſe aureum, hoc eſt de charitate, de ſanctitate, ac rebus diuinis. Diuus tandem Gregorius ait lib. 1. regiſt. cap. 24. *Ideo in inceſſu Sacerdotem habere tintinnabula, vt vita viam cum linguæ ſonitu, ipſa quoque bona opera Sacerdotis clament: diciturque mala punica iungite, quaſi dicat, per omne quod dicitis vnitatem fidei teneatis.* Nam malum punicum, quod vno cortice multa grana complectitur, rectè fidei vnitatem deſignat.

Tunica linea, quam Scriptura vocat byſſum, quia ex lino præſtantiſſimo, quarta Sacerdotis veſtis, corpori proxima, quam nimirum proximè ſuper femoralia induebat, ſignificabat caſtitatem, ſanctimoniamque ſacerdotum, linum enim eſt mundiſſimum. Hinc etiam apud Gentiles, pręſertim Aegyptios cæteris religioſiores, tunica byſſina, vel linea erat veſtis Sacerdotum, apud Herodotum lib. 2. num. 46. *Sacerdotes,* inquit, *Aegyptij veſtem tantum lineam gerunt, nec aliam eis induere fas eſt.*

Zona, quinta, & ſexta Pontificis veſtis, hæc enim fuit duplex vna, qua tunicam lineam ad crura tantum pertingentem inſtar camiſiæ, altera, qua hyacinthinam ad pedes vſque deſinentem cingeret, Leuit. 8. deſignabat carnis caſtigationem, & compreſſionem, apprimè neceſſariam ad caſtitatis conſervationem; item fortitudinem, & humilitatem, ſeu inanis gloriæ, neue caſtitas ſuperba ſit, repreſſionem; ac tandem refrænationem omnium ſuperfluitatum, & modeſtiam, quia cingulo, vel zona veſtes laxæ ſtringuntur, & continentur. Erat autem zona duplex; quia tàm corpore, quàm ſpiritu purus, ac mundus debet eſſe Sacerdos. Vel etiam ob duplicem charitatem, duplicemq; virtutum congeriem, quam debet habere, ſcilicet internam pro conſcientia, & externam pro aliorum auxilio, & ædificatione; ex Origene homil. 6. in Leuit. Allegoricè demum zona maximè extima, quæ tunicam hyacinthinam cum Ephod, & rationali, in quo depictæ erant omnes tribus Iſrael, & conſequenter omnes alias veſtes interiores cingebat, fuit ſymbolum amoris Chriſti in nos, qui tunicam carnis noſtræ aſſumpſit, atque eam, & in ea homines arctiſſimè ſibi aſtrinxit, idque renibus, & lumbis ſuis (hi enim cinguntur zona) vbi ſedes eſt amoris, & concupiſcentię, id eſt ardentiſſimo amori, & affectui ſuo. Sic Ieremias cap. 13. v. 1. populum Iſrael vocat Lumbare, id eſt cingulum Dei; eo quod ei per fidem, & religionem intimè copulatus adhæreret, quaſi cingulum. Et S. Ioannes Apocal. 1. v. 13. vidit Chriſtum veſtitum podere, & præcinctum zona aurea, quę charitatem eius repræſentat.

Tiara, quæ cidaris, & mitra dicitur, ſeptima Pontificis veſtis, habens laminam auream annexam, cui inſculptū erat nomen tetragrammaton, ad diſtinctionem tiaræ aliorum Sacerdotum illam non habentis, ſicut etiam, quod coronulæ in tiara Pontificis eſſent aureæ, in tiara verò aliorum Sacerdotum byſſinæ, & quaſi orbes byſsini, ſeu vitta linea ſępe in orbem replicata, Tropologicè ſignificabat, omnium ſenſuum conſecrationem, quæ peculiariter in Sacerdote eſſe debet. Deoque per vittam, id eſt, per continentiam, ſuique abnegationem aſtringendum eſſe; La-

mina

mina verò aurea Dei nomine inſcripta, eiuſdem cognitionem, fideique profeſſionem. Item eminentiam ſapientiæ, & virtutum; quodque ſacerdos, cum ſuo fungitur miniſterio, non ſolùm prinatis hominibus, verùm etiam cunctis regibus eminentior eſt. Ac tandem puritatem intentionis, qua maximè omnes actiones ſuas in Deum dirigeret; ſic enim fiunt ipſæ vtiles, ſanctæ, diuinę, meritoriæ; quæ alias ſępe inutiles ſunt, & vanæ, vt enim ait Sapiens cap. 13. v. 1. *Vani ſunt omnes homines* (pariter & actiones) *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, hoc eſt Dei cognitio, intentio gloriæ eius, amor, & cultus. Vnde S. Auguſtinus in Pſalm. 31. *Non valde*, inquit *attendas, quid homo faciat, ſed quid aſpiciat cum facit.* Et S. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 6. *Per bona intentionis radium, merita illuſtrantur actionis* Et Richardus à S. Victore lib. 1. de ſtatu inter. homin. cap. 7. *Quod eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus ſine intentione bona.*

Octaua tandem Pontificis veſtis, fuere feminalia, ſeu femoralia linea, ex lino non quouis, ſed byſſino, eoque retorto, & duplicato firmitatis cauſa, ſignificabant caſtitatem, puritatemque corporis, & animæ maximè in Sacerdote requiſitam; erant ex lino varie carminato, & præparato, quia huiuſmodi puritas gignitur, & conſeruatur per iugem carnis, & ſenſuum mortificationē. Rurſum erant ex lino byſſino retorto, quia cum caſtitas mollis, ac delicata ſit, magis quam aliæ virtutes muniri, & conduplicari debet, vt ſit firma, conſolidaturque ſpiritus fornicationis. Linum enim, licet tenue, neruoſum tamen eſt, ac robuſtum, adeò vt apros, in eius retia ſe induentes, concidat.

Cum Summus Pontifex, aliquod munus Sacerdotale obiens, octo iā dictis veſtibus indueretur, minores verò Sacerdotes quatuor tantùm, ſcilicet primò, feminalibus, ſecundò, tunica linea, tertiò zona, quartò tiara: Excepto feſto expiationis, quo etiam Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, vt omnia expiaret, induebatur vt communis ſacerdos, erat enim illa dies afflictionis. Et in huiuſmodi veſtibus totus repræſentatetur orbis, iuxta illud Sapient. 18. 24. *In veſte poderis* (vbi per poderem Synecdochice omnes aliæ Pontificis veſtes intelliguntur) *totus erat orbis terrarum.* Nam primo, femoralia linea figurabant terram, ex qua linum naſcitur. Secundo, zona figurabat oceanum, qui quaſi zona terram cingit. Tertio, tunica hyacinthina figurabat aerem, eius verò mala punica, fulgura, & tintinnabula, tonitrua. Quartò, Ephod varium figurabat cœlum ſydereū: duo onychini duo hemiſphæria, vel ſolem, & lunam: duodecim gemmæ in pectore, duodecim ſigna Zodiaci. Quinto, tiara figurabat cælum empyreum, lamina eius aurea habens inſcriptum nomen tetragrammaton, Deum quidem omnibus, ſed ibi ſpecialiter præſentem; cum, inquam, in præfatis veſtibus Pontificijs ſic eſſet totus orbis repręſentatiuē, illis ſimul ſumptis ſymbolice ſignificabatur, ſacerdotes Creatoris mundi eſſe miniſtros, omnēque creaturam Dei miſericordia indigere, & ad illam impetrandam tam habitu, & veſte, quam voce, & mente intercedere debere. Vel, vt conſiderata vniuerſi, quam geſtabant, imagine, vitam ducerent à natura non degenerē, ſed ſicut elementa, aliaque creata Deo per omnia obediunt, ita obedirēt & ipſi, talemque cęteros obedientiam docerent. Tandem Diuus Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 9. harum omnium veſtium tropologiam ſic breuiter explicat. *Feminalia*, inquit, *ſignificant caſtitatem; tunica linea ſignificat vitæ vniuerſæ puritatem, & innocentiam: zona moderationem diſcretionis: tiara rectam intentionem. Et hæc communia ſunt omnibus Sacerdotibus. Pontifici verò inſuper propria erat lamina aurea cum nomine Iehoua, ſignificans iugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere Pontifex. Secundo, Ephod, id eſt,* compaſ-

quatur, ſiue ſileat, ſiue in conniuijs, ſiue alibi ſit, cæteris hominibus præcellere, adeo vt inceſſu, & aſpectu, & habitu, omnibuſque ſimpliciter in alijs rebus, præſtantior eſſe videatur. Nam vt idem ait homil. 3. in 1. ad Corinth. *Hæc eſt ratiocinatio, cui contradici non poteſt, quæ fit per facta*; Item ex Origene homil. 9. Pontificem in ora, & fine veſtus habere hæc tintinnabula; ſignificat eos de extremis temporibus, & fine mundi nunquam ſilere, debere; ſed inde ſemper ſonare iuxta illud Eccleſ. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Hęc tintinnabula erant aurea ad denotandum omnem Sacerdotum ſermonem debere eſſe aureum, hoc eſt de charitate, de ſanctitate, ac rebus diuinis. Diuus tandem Gregorius ait lib. 1. regiſt. cap. 24. *Ideo in inceſſu Sacerdotem habere tintinnabula, ut vita viam cum linguæ ſonitu; ipſa quoque bona opera Sacerdotis clament: diciturque mala punica iungit, quaſi dicat, per omne quod dicitis vnitatem fidei teneatis*. Nam malum punicum, quod vno cortice multa grana complectitur, rectè fidei vnitatem deſignat.

Tunica linea, quam Scriptura vocat byſſum, quia ex lino præſtantiſſimo, quarta Sacerdotis veſtis, corpori proxima; quam nimirum proximè ſuper femoralia induebat, ſignificabat caſtitatem, ſanctimoniamque ſacerdotum, linum enim eſt mundiſſimum. Hinc etiam apud Gentiles, pręſertim Aegyptios cæteris religioſiores, tunica byſſina, vel linea erat veſtis Sacerdotum, apud Herodotum lib. 2. num. 46. *Sacerdotes*, inquit, *Aegyptij veſtem tantum lineam gerunt, nec aliam eis induere fas eſt*.

Zona, quinta, & ſexta Pontificis veſtis, hæc enim fuit duplex vna, qua tunicam lineam ad crura tantum pertingentem inſtar camiſiæ, altera, qua hyacinthinam ad pedes vſque deſinentem cingeret; Leuit. 8. deſignabat carnis caſtigationem, & compreſſionem, apprimè neceſſariam ad caſtitatis conſeruationem; item fortitudinem, & humilitatem, ſeu inanis gloriæ, neue caſtitas ſuperba ſit, repreſſionem; ac tandem refrænationem omnium ſuperfluitatum, & modeſtiam, quia cingulo, vel zona veſtes laxæ ſtringuntur, & continentur. Erat autem zona duplex; quia tàm corpore, quàm ſpiritu purus, ac mundus debet eſſe Sacerdos. Vel etiam ob duplicem charitatem, duplicemq; virtutum congeriem, quam debet habere, ſcilicet internam pro conſcientia, & externam pro aliorum auxilio, & ædificatione; ex Origene homil. 6. in Leuit. Allegoricè demum zona maximè extima, quæ tunicam hyacinthinam cum Ephod, & rationali, in quo depictæ erant omnes tribus Iſrael, & conſequenter omnes alias veſtes interiores cingebat, fuit ſymbolum amoris Chriſti in nos, qui tunicam carnis noſtræ aſſumpſit, atque eam, & in ea homines arctiſſimè ſibi aſtrinxit, idque renibus, & lumbis ſuis (hi enim cinguntur zona) vbi ſedes eſt amoris, & concupiſcentię, id eſt ardentiſſimo amori, & affectui ſuo. Sic Ieremias cap. 13. v. 1. populum Iſrael vocat Lumbare, id eſt cingulum Dei; eo quod ei per fidem, & religionem intimè copulatus adhæreret, quaſi cingulum. Et S. Ioannes Apocal. 1. v. 13. vidit Chriſtum veſtitum podere, & præcinctum zona aurea, quę charitatem eius repræſentat.

Tiara, quæ cidaris, & mitra dicitur, ſeptima Pontificis veſtis, habens laminam auream annexam, cui inſculptū erat nomen tetragrammaton, ad diſtinctionem tiaræ aliorum Sacerdotum illam non habentis, ſicut etiam, quod coronulæ in tiara Pontificis eſſent aureæ, in tiara verò aliorum Sacerdotum byſſinæ, & quaſi orbes byſsini, ſeu vitta linea ſępe in orbem replicata, Tropologicè ſignificabat, omnium ſenſuum conſecrationem, quæ peculiariter in Sacerdote eſſe debet. Deoque per vittam, id eſt, per continentiam, ſuique abnegationem aſtringendum eſſe; La-

mina verò aurea Dei nomine inſcripta, eiuſdem cognitionem, fideique profeſſionem. Item eminentiam ſapientiæ, & virtutum; quodque ſacerdos, cum ſuo fungitur miniſterio, non ſolùm priuatis hominibus, verùm etiam cunctis regibus eminentior eſt. Ac randem puritatem intentionis, qua maximè omnes actiones ſuas in Deum dirigeret; ſic enim fiunt ipſæ vtiles, ſanctæ, diuinę, meritoriæ; quæ alias ſępe inutiles ſunt, & vanæ, vt enim ait Sapiens cap. 13. v. 1. *Vani ſunt omnes homines* (pariter & actiones) *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, hoc eſt Dei cognitio, intentio gloriæ eius, amor, & cultus. Vnde S. Auguſtinus in Pſalm. 31. *Non valde*, inquit *attendas, quid homo faciat, ſed quid aſpiciat cum facit.* Et S. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 6. *Per bona intentionis radium, merita illuſtrantur actionis.* Et Richardus à S. Victore lib. 1. de ſtatu inter. homin. cap. 7. *Quod eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus ſine intentione bona.*

Octaua randem Pontificis veſtis, fuere feminalia, ſeu femoralia linea, ex lino non quouis, ſed byſsino, eoque retorto, & duplicato firmitatis cauſa, ſignificabant caſtitatem, puritatemque corporis, & animæ maximè in Sacerdote requiſitam; erant ex lino varie carminato, & præparato, quia huiuſmodi puritas gignitur, & conſeruatur per iugem carnis, & ſenſuum mortificationē. Rurſum erant ex lino byſſino retorto, quia cum caſtitas mollis, ac delicata ſit, magis quam aliæ virtutes muniri, & conduplicari debet, vt ſit firma, conſolidaturque ſpiritus fornicationis. Linum enim, licet tenue, neruoſum tamen eſt, ac robuſtum, adeò vt apros, in eius retia ſe inducentes, conſtidat.

Cum Summus Pontifex, aliquod munus Sacerdotale obiens, octo iā dictis veſtibus indueretur, minores verò Sacerdotes quatuor cantùm, ſcilicet primò, feminalibus, ſecundò, tunica linea, tertiò zona, quartò tiara: Excepto feſto expiationis, quo etiam Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, vt omnia expiaret, induebatur vt communis ſacerdos, erat enim illa dies afflictionis. Et in huiuſmodi veſtibus totus repræſentaretur orbis, iuxta illud Sapient. 18. 24. *In veſte poderis* (vbi per poderem Synecdochice omnes aliæ Pontificis veſtes intelliguntur) *totus erat orbis terrarum.* Nam primo, femoralia linea figurabant terram, ex qua ſinum naſcitur. Secundo, zona figurabat oceanum, qui quaſi zona terram cingit. Tertio, tunica hyacinthina figurabat aerem, eius verò mala punica, fulgura, & tintinnabula, tonitrua. Quartò, Ephod varium figurabat cœlum ſydereū: duo onychini duo hemiſphæria, vel ſolem, & lunam: duodecim gemmæ in pectore, duodecim ſigna Zodiaci. Quinto, tiara figurabat cælum empyreum, lamina eius aurea habens inſcriptum nomen tetragrammaton, Deum quidem omnibus, ſed ibi ſpecialiter præſentem; cum, inquam, in præfatis veſtibus Pontificiis ſic eſſet totus orbis repręſentatiuè, illis ſimul ſumptis ſymbolice ſignificabatur, ſacerdotes Creatoris mundi eſſe miniſtros, omnēque creaturam Dei miſericordia indigere, & ad illam impetrandam tam habitu, & veſte, quam voce, & mente intercedere debere. Vel, vt conſiderata vniuerſi, quam geſtabant, imagine, vitam ducerent à natura non degenerē, ſed ſicut elementa, aliaque creata Deo per omnia obediunt, ita obedirēt & ipſi, talemque cęteros obedientiam docerent. Tandem Diuus Thomas 1.2.q. 102. art. 5. ad 9. harum omnium veſtium tropologiam ſic breuiter explicat. *Feminalia*, inquit, *ſignificant caſtitatem: tunica linea ſignificat vitæ vniuerſæ puritatem, & innocentiam: zona moderationem diſcretionis: tiara rectam intentionem. Et hæc communia ſunt omnibus Sacerdotibus. Pontifici verò inſuper propria erat lamina aurea cum nomine Iehoua, ſignificans iugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere Pontifex. Secundo, Ephod, id eſt,* compaſ-

compaſſio, qua ſuis quaſi humeris ferat infirmitates populi. Tertio, tunica hyacinthina, id eſt conuerſatio cæleſtis. Quarto, rationale, id eſt, cura, & charitatis viſcera erga ſubditos.

Quibus addi poteſt, hoc quoque omni ornatu exteriori Sacerdotum, ſignificatum fuiſſe, qualis in Sacerdotibus maximè Chriſti, ſiue noui Teſtamenti, debeat interior eſſe ornatus, quamque præ populo eminere, & effulgere eos oporteat, ſiue in eis nihil debere eſſe plebeium; vt rectè docet S. Ambroſius epiſt. 6. ad Irenæum his verbis: *Vides nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine? Sobriam à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitatis ſibi vendicat dignitas Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo, qui nihil habet ſecretum à populo, diſpar à multitudine? Quid enim in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat? ſi nihil in te aſpiciat, quod vltra ſe inueniat? ſi quæ in ſe erubeſcit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, & ſtrata quædam gregalis conuerſationis, & quæramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſolentium.* Et infra: *Sit noſtra via anguſtior, virtus exuberantior, trames preſſior, fides ſublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, ſemita rectæ ſit greſſus ad ſuperiora.*

Artificioſa thymiamatis compoſitio, quod Exodi 30. Deus voluit ſibi adoleri, ex ſtacte, & onycha, Galbano, & thure, tropologicè ex Baſilio in cap. 1. Iſaiæ ſignificat corporis ſanctimoniam per temperantiam, & frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis cõſtat; ſtacte enim ad aquam refertur, thus ad aerem, onycha ad terram ob ariditatem, galbanum ad ignem ob calorem præferuidum. Hæc ergò inter ſe contemperat, & moderatur ſanctimonia, quaſi thymiama ſanctum ex aromatibus compoſitum. Item commode per thus religio, per ſtacten mortificatio, per galbanum, vt pote calidum, & pingue, charitas, & miſericordia, per onycham, vt pote colore ſimilem vngui, & odore nardo, caſtitas ſignificari poteſt. Maximè verò thymiama eſt oratio. Ad quod alludens S. Ioan. Apocal. 5. 8. ait Sanctis illis quatuor animalibus tantas fuiſſe *Phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorũ*; Quorum ſuffitui non autem cuiuis alteri rectè comparantur orationes Sanctorum; *Primò*, quia oratio inſtar odoramentorum ſurſum aſcendit: *Secundò*, quia ſicut odoramentum, vel thymiama ex aromatibus compoſitũ recreat olfactum, placatque iram, quocirca ſicut Deus paſci voluit victimis antropopatos, ita voluit & recreari odoribus, ſicque placari; quia iræ, & indignationis ſignum eſt in naribus, vnde Iob 41. 11. dicitur: *de naribus eius procedit fumus*: nares autem mulcentur ſuaui odore, atque adeò placationis aptum eſt ſymbolum; ita quoque oratio Deum oblectat, eiuſque iram mitigat. *Tertiò*, vti bonus thymiamatis odor fœtorem, ita oratio peccatum abigit. *Quartò*, thymiama fiebat ex aromatibus contuſis, vt perfectior fieret commixtio, indeque odoratius thymiama; quia etiam oratio ex animo mortificato, & humili procedere debet. *Quintò*, thymiama in igne adolebatur, & oratio in igne tribulationum exardeſcit. Vndè Cantic. 4. ait Sponſa: *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris*. Et apud veteres cor in thuribulo poſitum ſignificabat orationes preceſque puro, humili, contrito, & ardenti corde prolatas ad Deum.

Vltimum denique artefactum permanens, quod vt cæteris dignitate præcellens, ita quoque abundantiſſimam ſacrorum ſymbolorum materiam ſubminiſtrat, fuit templum Salomonis, quo ad omnes eius partes interiores, & exteriores, variamque & ſumptuoſam eius ſuppellectilem, vt deſcribitur lib. 3. Reg. cap. 6. & 7. nec non Ezechielis cap. 44. quæ hic omitto, tum ne præter intentum hic liber in nimiam excreſcat

creſcat molem; tum quia facilè de his conſuli poſſunt ibi Sacri interpretes, quique in ſpeciali de Templo Salomonis ſcripſerunt.

CAPVT V.

De artefactis fluentibus, quæ in Sacra Scriptura materiam Sacris ſymbolis præbent.

GEneſeos 3. v. 21. Adam tunica pellicea à Deo indutus allegoricè typus, vel ſymbolum fuit Chriſti Domini, ſecundi Adami; qui licet purus eſſet, & Sanctus, indui tamen voluit pellibus, id eſt veſtiri peccatis noſtris, dum habitu inuentus vt homo, in ſimilitudinem carnis peccati factus eſt. Moraliter quoque pelliceæ tunicæ, quia pellis eſt mortuorum animalium, ſymbolum fuerunt mortalitatis, & fragilitatis humanæ, ac totius miſeriæ, in quam inciderunt per peccatum, noſque cum ipſis, primi parentes.

Tunica polymita, quam Geneſ. 37. Iacob fecit Ioſeph; allegoricè ſignificare poteſt Eccleſiam, quæ eſt polymita, quia ex varijs gentibus collecta; & intincta in ſanguine hædi, carnem Chriſti ſanguine reſperſam. Ex Cypriano de ſimp. præl. Ambroſio lib. de Ioſeph cap. 3. Hieronymo Zachariæ 3. Tropologicè etiam ſignificare poteſt variegaturam virtutum. Ex Ruperto. Sanctus Gregorius verò lib. 1. Moral. cap. vlt. qui tunicam hanc talarem cum verſione Aquilæ accipit, dicit eſſe perſeuerantiæ virtutem, quæ ad talos, id eſt ad terminum vitæ protenditur.

Tandem Philo lib. de Ioſeph vult, hac toga polymita deſignari varietatē legum ciuilium, & caſuum humanorū, quibus rector, vel princeps ciuilis occurrere debet, tum multiformem eiuſdem prudentiam. Princeps enim, qualis euaſit Ioſeph, debet eſſe polymitus: quia alius debet eſſe in pace, alius in bello, alius cum hoſtibus, alius cum amicis, &c. adeoque debet eſſe polytropos, qualem fuiſſe Vliſſem deſcribit Homerus, qui nimirum pro ratione rerum, temporum, ac perſonarum, in omnes formas, & figuras ſe vertere, ac verſare poſſit.

Virga Moſis Exodi 4. in colubrum verſa, & iterum in virgam, allegoricè ſignificat Chriſtum, qui eſt potentia Patris, quique tenet virgam, ſiue ſceptrum regni, & æquitatis. Hæc in ſerpentem verſa eſt in Incarnatione; humana enim natura per peccatum Adæ facta eſt maligna, vt ſerpens; peccatoris autem naturam, ac ſimilitudinem induit Chriſtus: hinc ſerpens in deſerto exaltatus, ſignificabat Chriſtum in cruce exaltatum, vt dicitur Ioann. 3. ſerpens hic per reſurrectionem rurſum factus eſt virga, id eſt Dominus, Rex, iudex, triumphator, & princeps cæli, & terræ. Rurſum hæc virga allegoricè eſt crux Chriſti lignea, quæ in ſerpentem verſa eſt Iudæis, & impijs: hi enim crucem, quaſi ſupplicium malefactorum exhorreſcunt, ſed per caudam, id eſt in fine mundi eam apprehendent, ſcientque non colubrum eſſe, ſed virgam, id eſt Dei virtutem, & ſapientiam, ex Origene homil. 4. Auguſtino ſer. 86. de temp. & Cyrillo in collectan. in Exodum.

Tropologicè etiam hæc virga eſt diſciplina, correctio, & caſtigatio, quæ initio pueris, imperfectis, & immortificatis horrida videtur, vt ſerpens, ſed in fine, cum eius fructum experiuntur, agnoſcunt eſſe virgam paternam, & paſtoralem: nam vt ait Apoſtolus Hebr. 12. v. 11. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur, non eſſe gaudij, ſed mæroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.*

Cum ſupra cap. 2. ſub diuiſione rerum artefactarum veluti fluentium cōprehenderimus etiam ritus, aut ceremonias, quæ ſunt entia quædam moralia artificialia; in illo qui præſcribitur Exodi 12. immolandi, & comedendi Agnum Paſchalem, plura eaque inſignia

ſignia continentur ſymbola. Allegorice enim *Agnus* ſignificat Chriſtum, qui in Paſchate quaſi agnus manſuetus innocens, & puriſſimus immolatus eſt pro nobis Iſaiæ 53.7.& Ieremię 11.19 Vndè & S. Ioannes Baptiſta Ioann. 1. ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Dicitur *maſculus*, quia Chriſtus maſculus eſt ille inuiſus draconi Apocal. 12. nihil habens fœminei id eſt molle, fluxum, & inſtabile. *Anniculus*, id eſt habens, vel agens annum, quia ſicut agni vnius anni ſpatio in perfectam ætatem adoleſcunt, & ſol curſum ſuũ abſoluit, omnia progignit, & ad ſui exordium redit: ita Chriſtus, ſui ſemper ſimilis, in ſe rediens, virtutum orbem progignit. *Immolandus ad veſperam*, ſiue in plenilunio menſis Niſan cum Martio conuenientis, quia Chriſtus venit, & immolatus eſt in plenitudine temporum, ad Galatas 4. vel ſicut illo die fuit plenilunium, quo luna oppoſita ſoli toti lucebat orbi, ita Chriſtus tunc moriens toti illuxit orbi. Vel etiam quia, ſicut tunc luna recepta ſui luminis plenitudine, ſole iam occidente, in oriente exoritur, ita moriente Chriſto, qui eſt verus Sol iuſtitiæ, Eccleſia, quæ in luna figuratur, caliginem peccati diſcutiens noua luce exoritur, & ad vitam conſurgit. *Aſſus igne*, non lixatus, aut aqua coctus, vel quia Chriſtus amore noſtri in cruce toſtus; vel quia nihil habuit aquæ, id eſt nihil mitigationis, nihil ſolatij in pœnis, ſed tam dolore, quàm amore noſtri fuit aſſus, & toſtus.

Tropologicè per *agnum*, animal manſuetum, & innocens, ſignificatur nos debere eſſe victimam Dei puram, & innocentem: *Nihil enim* ex Lactantio lib.6. diuin. inſtit. *Sancta, & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam; quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis piè, religioſèque litauit*. Vel nihil eſſe Deo gratius, quam ſi cum Chriſto innocente, innocentes quoq; patiamur, & moriamur: ſic enim Chriſtus ipſe, ex Cypriano tract. de liuore, *ſuos, oues nominat, vt innocentia Chriſtiana ouibus æquetur*. Quod & ipſimet Gentiles agnouerunt: *Templum*, inquit Xiſtus Pythagoricus, *ſanctum eſt Deo, mens pij: & altare eſt optimum ei, cor mundum, & ſine peccato*. Et Socrates ad mortem damnatus Apollodoro comploranti, dicentique, Innocens morieris? reſpondit, *quid, num me nocentem mori malles?* Quatenus eò libentius mors etiam ſubeunda eſt, in qua criminis innocentia homo excuſatur. Ille agnus debebat eſſe *maſculus*; quia maſculos animos, & maſcula opera, etiam à fœminis offerri ſibi vult Deus. Vndè lib. 2. Machabæorum cap. 7. dicitur quod *Mater fœmineę cogitationi maſculinum animum inſerens ſeptem filios ad ſubeundum martyrium hortata fuerit*. *Anniculus*, quia Deus ſummoperè deſiderat nos à teneris ſibi ſeruire, ſibiq; primam ætatem dicare, vti fecit Chriſtus, Beatiſſima Virgo, S. Ioannes Baptiſta, alijque innumeri Sancti ad eorum exemplum. De quo præclarè Hugo à S. Victore lib.3. de clauſtro animę cap.10. *In illa ætate*, inquit, *quando flaueſcunt crines, caro niteſcit eburnea, oculorum gemmis facies roſea decoratur, valetudo corporis vires ſubminiſtrat, iuuenilis ætas longioris vitæ ſpatium promittit, quando viget ratio, vigent etiam corporis ſenſus, viſus acutior, auditus promptior, inceſſus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate ſe donant, & Deo ſociant, præmium Ioannis expectent*. Et rurſum: *Tales offerunt hoſtiam viuentem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc ſenum ſera conuerſio, quibus ex defectu ſenectutis aures obturantur, oculi turbantur, & vt cuncta breuiter perſtringam, ipſi in ſe per ſe deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, ſed vt ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus immunditijs: ſic ſenex tacens in vitijs: & ſicut porcus ſiliquis paſcitur, ſic ſenex fabulis, & rumoribus delectatur*.

Debebat comedi, non crudus; aut

coctus

coctus aqua, ſed aſſus tantùm igni. Non *crudus*, ad ſignificandum, qua ad Deum reuerentia accedere debemus. Cruda, enim caro, inquit Gregorius hom. 22. in Euangelia, eſt inconſiderata, & irreuerens diuinæ bonitatis, & excellentiæ conſideratio, aut potius obliuio. Sic crudum comedunt in Euchariſtia, qui non conſiderant excellẽtiam tanti Sacramenti, dignationem, ac præſentiam Dei Domini noſtri, qui nos ſuo corpore, & ſua deitate paſcit. Nec *coctus aqua*, ſed tantum *aſſus igni*, ad denotandum fidem, & charitatem, qua ad myſteria fidei, maximè ad Euchariſtiã accedi debet. Iudęi namque negantes Chriſti deitatem, & ad litteram omnia accipientes omnia, quæ de Meſſiæ regno, & gloria diuinæ tradunt Scripturæ, eum veluti crudum comedunt. Hæretici Chriſtum comedunt aqua coctum, quia omnia eius myſteria ſuo ingenio, & humana ratione, quæ eſt veluti aqua effuſa, niſi fidei repagulis cõtineatur, ſcrutari, & comprehendere volunt: & ſic per humanam ſapientiã Sacramenta humanitatis, & deitatis Chriſti euacuant. Catholici verò ſobriè, & piè myſteria eius meditantes, indeque fidem, & charitatem accendentes, Deoque fideliter ſeruientes comedunt Chriſtum aſſum.

Comedendus inſuper erat, *cum lactucis agreſtibus*, ſeu ſylueſtribus, quæ ſunt quidem inſtar lactucarum hortenſium, minores tamen illis, & aſperi, amarique ſaporis; ad deſignandum contritionem, & pœnitentiam, recogitando annos vitæ ſuæ in amaritudine animæ ſuæ, præmittendam eſſe Euchariſtiæ, eamque ſumendam in memoriam amariſſimæ paſſionis eius. Item, *renibus accinctis, cum calceamentis in pedibus, baculis in manibus, & feſtinanter.* Quia ex Diuo Gregorio homil. 22. in Euangelia, qui vult phaſe chriſtianum, ſeu Euchariſtiam comedere, debet accingere renes, id eſt voluptates edomare, carnem à luxuria reſtringere; calceos habere in pedibus, id eſt Sanctorum mortuorum vitam, & exempla conſpicere, vt ſua veſtigia à peccati vulnere cuſtodiat; tenere baculum in manu, id eſt paſtoralem curam gerere eorum, qui ſibi commiſſi ſunt, comedere feſtinanter, id eſt ad ſolemnitatem patriæ cœleſtis anhelare, quippè qui in Euchariſtia futuræ gloriæ nobis pignus datur. Rurſus ex Algero lib. 1. de Sacram. Altaris cap. 22. *Lex dedit in calceamentis cautelam, ne à vitijs fallamur: in baculo diſciplinam, qua perpetrata corrigamus: in lactucis compunctionem: in feſtinatione deſiderij ardorem, quo ad cæleſtia ſuſpiremus: in accinctis renibus cõtinentiam, & caſtitatem: quia Chriſto agno immaculato, & Virginis filio crucifixo, eiuſque vnitioni nihil ita aduerſatur, vt voluptas, & fornicaria ſocietatis vnitas.* Ac tandem ex Philone per hunc ſymbolicum agni eſum denotatur, eos, qui tendunt ad culmen virtutum, ſiue tranſeunt à paſſionibus ad exercitia virtutum debere eſſe accinctos lumbis, id eſt expeditos ad Deo miniſtrandum, & virtutum exercitio laborandum: indutos calceis, quibus carneam molem ratione contineant: ſtare rectos firmatis pedibus, & diſciplinam habere, quaſi virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia, atque ita feſtinare in virtutis ſtadio.

Sanguis huius Agni poſitus ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedebatur, ne percuterentur hebręorum primogenita, præclarum fuit ſymbolum, mundum ab æterna morte fore liberandum per ſanguinem Chriſti, vndè & poſtes cum ſuperliminari, quod vtrique poſti ſuperiùs incumbit (quæ omnia ſanguine Agni tingenda erant) typum, & formam crucis exhibebant: vti docet S. Cyprianus lib. 2. teſtim. contra Iudęos cap. 22.

Comeſtio denique azymorum, id eſt panum ſine fermento, ſeptem diebus, non tantùm litteraliter ſignificat diligentiam, & inſtantiam proficiſcendi,

aut

aut cibi parandi facilitatem, & promptitudinem, panis enim azymus ſtatim coquitur, cum in fermentato expectandum ſit, dum fermentum digerat, & attenuet paſtam ex qua fit panis; verum etiam tropologicè, quod egrediendo ex Aegypto, hoc eſt ex ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ, nullum prioris, ſeu mundanæ vitæ veſtigium renere nos conuenit. *Quia*, inquit Ven. Beda in Luc. 22. *Chriſtus ſemel pro nobis in pleniſudine temporum paſſus in carne, per omne nobis huius ſeculi tempus, quod ſeptem diebus agitur in azymis ſinceritatis, & veritatis præcipit eſſe viuendum, totoque ſemper niſu deſideria ſeculi, quaſi Aegypti retinacula, fugere, & quaſi à mundana conuerſatione ſecretam ſolitudinem, iter nos admonet ſubire virtutum.*

Sanctificatio primogenitorum Exodi 13. tropologicè ſignificare poteſt, primordia operum, quæque nobis magis ſunt chara Deo offerenda eſſe; vel etiam cor noſtrum, quod cum ante alia membra primò in embryone formetur, rectè primogenitum noſtrum vocari poteſt.

Sanctio fœderis inter Deum, & populum, aſperſo ſanguine victimarum in populum Exodi 24. allegoricè ſignificabat Chriſtum nouum fœdus, & teſtamentum ſancientem ſeipſo, & ſanguine ſuo, quaſi victima, & ſanguine victimæ fœderalis, præſertim quia hac victima, & ſanguine promeruit nobis redemptionem, gratiam, hæreditatem, & omnia bona, quæ in hoc fœdere ſuo nobis promiſit Hebręor. 9. idque expreſſit in inſtitutione Euchariſtiæ dicens: *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti*.

Quæ Exodi 29. à Deo pręſcribuntur Moſi circa ritum conſecrandi Aaronē, & filios eius Sacerdotes, tot ſunt attefacta tranſeuntia copioſam ſacrorum ſymbolorum mareriam ſubminiſtrātia. *Primò* enim, quod in huiuſmodi conſecratione offerri deberent vitulus, & duo arietes, ſignificare poteſt, Sacerdotes, qui futuri ſunt populi rectores, debere interficere, quicquid tumidum de ſuperbo ducatu ſapiebant, in virulo enim ſiue tauro noratur ceruix ſuperbiæ, in ariete ducatus gregum. *Secundò*, quod vngerentur oleo Sacerdotū omnium manus, & inſuper Pontificis caput, tali vnctione ſignabatur, ſpiritalem ſacris myſterijs ineſſe pinguedinē; tum quod ſicut oleum liquidis omnibus ſupernatat, ita Sacerdotalis dignitatis excellentia omnes ſtatus, & gradus tranſcendat; tum denique quod illa præditus debet eſſe vir miſericordiæ, fiebat in manibus, vt etiam ſciret ſe manus habere debere caſtas, & puras ob omni immunditia veneris, ſanguinis, & auaritiæ; *vt dum manus imponit poſſit libera conſcientia dicere*, inquit Philo lib. de victimis. Manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti ſanguine pollutæ ſunt, noxam, iniuriam, vulnus, vim intulerunt nemini, nulli rei turpi præbuerunt miniſterium, ſed rebus honeſtis, ac vtilibus, quæ viris iuſtis, honeſtis, ſapientibuſque probantur. Summo autem Pontifici erat peculiare, vt & caput eius vngeretur, non ſolùm ad ſignificandum, quod ab ipſo quaſi à capite deriuaretur poteſtas offerendi, & conſecrandi ad alios, verùm etiam, vt allegoricè figuraret pontificale munus legis nouę, ex Diuo Thoma 1.2. q. 102. art. 5. ad 8. Hinc dicitur Pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*. *Tertiò*, adipis, ac duorum renum inſtar thuris oblatio, ſignabat cuilibet quidem, ſed maximè Sacerdoti, & prælato, mortificanda eſſe membra ſua ſuper terram; cum renes prima ſint concupiſcentiæ officina, & adipes effręnem illam faciant. *Quartò*, extremum auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum eius, pollices item manus dexteræ, ac pedis dextri vngebantur ſanguine arietis, vt innueretur, Sacerdotem teneras habere debere aures promptiſſimamque obedientiam ad legem diuinam implendam, tum firmiſſimam illius executionem, idque vſque ad finem,

nem, hoc enim ſignificat *extremum*, ex Cyrillo lib. 12. de adorat. in ſpiritu, & veritate; nec non quod ex ariete immolando tolleretur cauda, ex Gregorio lib. 1. moral. cap. 40. *Cauda*, inquit, *iubetur adoleri Deo, vt omne bonum, quod incipimus, etiam perſeuerantiæ fine compleamus*. Tandem quod Sacerdos à populo pectus, & armum dextrũ reciperet, ſignificabat ex eodem Gregorio 2. p. poſt. cap. 3. ipſum, Deo debere reddere pectus ſuum, vt nonniſi, quæ recta ſunt cogitet; & armum, id eſt brachium dextrum, vt fortiſſimè nedum aduerſa, ſed & proſpera omnia contemnendo, generosè ea, quæ Dei ſunt exequatur.

Iuge ſacrificium Agni, hoc eſt, quod tam mane, quam veſpere offerebatur Exodi 29. indeque vocabatur ſacrificium matutinum, & veſpertinum, allegoricè ſignificabat Chriſtum Dominũ ex Diuo Bernardo ſerm. 2. & 3. de purificatione, per agnum matutinum intelligendo Chriſtum infantem in templo præſentatum, & oblatum in feſto purificationis: per agnum verò veſpertinum, eumdem Chriſtum iam virum, & in fine vitæ immolatum in cruce. Ita & S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium docet, veſpertinum agnum figuraſſe, non tantùm Chriſti mortem in cruce, ſed & tempus mortis: ſub veſperam enim Chriſtus mortuus eſt. Allegoricè adhuc iuge ſacrificium agni, ſignificabat iuge ſacrificium Chriſti in Euchariſtia, quod omnibus diebus offertur, & offeretur vſque ad Antichriſtum, qui illud auferet, ſaltem ne publicè fiat in regnis, & locis ſibi ſubditis, vt patet Daniel 11. 31. Chriſtus igitur eſt agnus hic iugis, ſed qui tollit peccata mundi, quod facere non poterat agnus iugis, & legalis; qui mane mundi, id eſt ab ipſa mundi origine occiſus eſt, pro peccatis veterum Patrũ; & qui veſpere, ab aduentu ſcilicet ſuo vſque ad finem ſeculi immolatur, tanquam iuge ſacrificium, pro filijs noui teſtamenti. Cum agno offerebatur ſimila, & vinum: quia Chriſtus non ſolùm occidi voluit pro nobis, verum etiam in ipſo ſacrificio reliquit nobis Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui, ſub ſpeciebus panis, & vini, quo mirificè animæ noſtræ aluntur, confirmantur, & recreantur.

Quæ in Leuitico à Deo præſcribuntur de ipſis ſacrificijs, eorumque varietate, & diſtinctione à cap. 1. ad 2. tum de perſonis offerentibus, earumque præparatione, & diſpoſitione à cap. 8. ad 23. ac demum de temporibus oblationi deſtinatis, ſeu de feſtis, à cap. 23. ad finem, innumera continent ſymbola, maximè ſacrificij Chriſti, quod hiſce potiſſimum figurabatur.

Primò igitur, quod, cum multa alia animalia eſſent munda ad cibum, & eſum, ex illis tamen iuſſerit ſibi Deus offerri octo tantùm, ſcilicet ex animalibus terreſtribus, ouem, capram, hœdũ, bouem, vitulum; ex volucribus autem columbam, paſſerem, & turturem; allegoricè cauſa fuit, quia hæc animalia aptiſsimè figurabant Chriſtum, qui eſt vnica legis nouæ victima, ad quam ſignificandam præcipuè erant ordinata, Hebr. 10. bos enim ſignificabat Chriſti fortitudinem, & labores; ouis innocentiam; hædus formam peccatoris; turtur arctam cum Deo coniunctionem; pipiones, ſiue pulli columbarum, manſuetudinem. Piſces excludebantur à ſacrificijs, quia humore, & ſemine abundantes ſymbolum ſunt ignauiæ, & luxuriæ. Tropologicè autem, *offert Deo vitulum, qui carnis ſuperbiam labore vincit; ouem offert, qui irrationales iræ motus, inſipienteſque corrigit (nam ſi ex corde remiſeris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore depoſito, mitem intra te, & ſimplicem recollegeris animum, immolaſſe te arietem, vel agnum puta) hædum offert, qui laſciuiam ſuperat; par turturum, qui mentem ſuam verbo Dei, vt coniugi ſociat; pullos, qui oculos columbinos ſponſæ imitatur*; ex Origene homil. 2. in Leuiticum.

Item artuum victimæ in fruſta conciſio

ciſio denotabat, diligenter inſpici vnũquodque membrum eius, qui Deo dicatus eſt, à ſermone eius, qui pertingit vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum, & medullarum, cui omnia nuda, & aperta ſunt, vel eum, qui ſe Deo conſecrare deſiderat, ſubtiliter virtutis intima, membratimq; cogitare debere; ſicut quod in holocauſto tota victima excepta pelle cremaretur, ſignabat à mentis noſtræ oculis ſuperficiem virtutis amouendam eſſe, ex Diuo Gregorio lib. 1. moral. cap. vlt. *Pellem, inquit, hoſtiæ detrahimus, cum à mentis noſtræ oculis ſuperficiem virtutis amouemus; cuius artus in fruſta concidimus, cum diſtinguentes ſubtiliter eius intima, membratimque cogitamus.*

Totius denique immolationis tropologia ſymbolica hæc eſt; quod altare ſit cor noſtrum; ligna ſint ſanctæ cogitationes, & affectiones; manuum impoſitio, deuotio offerentis; ſanguinis effuſio, prauarum cupiditatum expulſio: pellis detractio, diligens interioris voluntatis examen, aut diſcuſſio; membrorum conciſio, operum charitatis diſcreta diſtributio: ignis, charitas; caput immolandum, recta operis intentio: inteſtina, id eſt, animæ interiora, & pedes, id eſt actiones externæ, lauanda, & purganda ſint, vt victimæ ſimus dignæ Deo. Ex Radulpho in Leuit. cap. 1.

Inſuper cum eſſent tres holocauſti ſpecies, prima vituli, vel bouis; ſecunda pecudum, ſiue gregum ouium, & caprarum; tertia auium, nimirum turturum, vel pullorum columbarum; non incongruè dici poteſt holocauſtum vituli figuraſſe Chriſtum; agni, vel ouium, Sanctos Martyres; auium autem, ſiue turturum, & columbarum, Confeſſores, & Virgines, qui per carnis macerationem, & mundi contemptum, per ſcientiam, & contemplationem in cœlum euolant. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*, inquit Regius Propheta pſal. 54. Columba enim velocis, diuturnique volatus eſt; rurſum fœcunda eſt, manſueta, & felle carens. Turtur caſtitatem, & ſolitudinem amat, & gemit. Sic iuſti volant celeriter, nec deficiunt, aut labore defatigantur; fœcunditatem bonorum operum habent, manſueti ſunt, felle carent, vicem in iniurijs referre neſciunt, caſtitatis ſtudioſi, & amantes ſunt; ſolitudinem ad orationem, & Deo vacandum quærunt: pro cantu gemitum edunt: quia dum alij lætantur in ſuis voluptatibus, ipſi pœnitentiæ gemitibus ſua, & aliorum peccata deflent; de quibus dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Huc ſpectat, quod ait D. Hieronymus in Pſal. 95. *Virginitas hoſtia Chriſti eſt*; & S. Ignatius Martyr epiſt. ad Tharſenſes, Virgines vocans Sacerdotes Chriſti: *Eas, inquit, quæ in virginitate degunt in pretio habete, tanquam Chriſti Sacerdotes.*

Quod in holocauſto auium, ſiue turturum, & columbarum non amputaretur, ſed retorqueretur collum, inhæreretque corpori, figurabat ex Diuo Gregorio homil. 1. in Ezechiel. Chriſtum Dominum, *qui*, inquit, *pro nobis quidem paſſus eſt; ſed à nobis per paſſionem ſeparatus non eſt, quin imò nos ſibi coniunxit*. Item tropologicè ſignificare poteſt à voluptate carnis mentem ſublimem inciſam eſſe debere, & tamen non eſſe abſciſſam; fouere enim carnem tenemur, vt viuat, non vt luxu diffluat, ex eodem S. Gregorio. Tropologicè etiam in holocauſto auium, veſicula gutturis, et plumæ non cremabantur in altari cum ipſa aue, ad ſignificandum in auibus, id eſt in doctoribus abijciendum eſſe tumorem, & faſtum, per veſicam aptè figuratum; leuitatem verò, & curioſam ſuperfluorum inquiſitionem, per plumas, eiſque mentem defigendam eſſe in puluerem, & cinerem, ex quo orti, & in quem reuerſuri ſumus. Ex Iſychio, & Radulpho. Vel etiam ex Cyrillo lib. 16. de adorat. per veſicam gutturis intelligitur ventris ingluuies; cibi enim voluptas non ſentitur niſi

niſi in ore, & in hac veſica gutturis; cumque eam tranſijt cibus, tranſijt,& voluptas. Vndè Philoxenus optabat ſibi collum,& guttur gruis, vt longiùs, & diutiùs cibi voluptatem experiretur. Hæc ergo quaſi immunda, & peccatorum ſtercora conſeruans, proijcienda eſt ſapientiæ ſtudioſis, & amatoribus. Plumæ molles ſignificant veſtes pretioſas, & delicatas, quas pariter abijcere debet, qui holocauſtum, perfectuſque Dei ſeruus fieri vult,ad exemplum S. Ioannis Baptiſtæ Matt.34. Tādem quod auium confringerentur aſcellæ, denotabat, virtutem ſublimis ſcientiæ, ac contemplationis, non omninò reſecandam, findendam tamen eſſe, atque ita retorquendam, & reprimendam, vt altiora non præſumat, ſuæ infirmitatis ſemper memor, nec altiora ſe eſſe quærenda. *Aſcellas*, inquit Radulphus, *frangere, eſt acumen ingenij nō ſibi tribuere; ſed ſub diuino munere humiliter infirmitatem propriam cogitare.*

Cum ſacrificium in genere aliud eſſet animatum, aliud inanime, rurſus animati tres eſſent ſpecies, prima, holocauſtum, ſecunda, victima pacifica, tertia, hoſtia pro peccato; inanime verò aliud eſſet ſolidum, vt panis, ſimilæ, ſalis, thuris, manipuli ſpicarum virentium, & triticum, quæ leuabat Sacerdos in altum, varièque conficiebat, & immutabat, in qua immutatione conſiſtebat ratio ſacrificij, nam panis in fruſta diſſecabatur, ſimila, ſartagine, clibano, vel craticula coquebatur, ſal vrebatur, thus adolebatur, manipulus ſpicarum torrebatur, triticum contere-batur; aliud autem liquidum, nimirum ſanguinis, vini, olei, quæ effuſione, vel libamine offerebantur; præcipuum ſacrificium ſolidum fuit farreum, Hebræis Mincha, quod ex farre, aut ſimila fiebat; idque dupliciter, ſcilicet primò ex ſimila puta, & incocta, quæ erat prima ſpecies Mincha; ſecundò ex ſimila ſubacta, & cocta, quæ ſecunda erat ſpecies Mincha. Quot autem modis coquitur ſimila, & panis, totidem ea ſibi ſacrificari voluit Deus. Vndè ſicut panis tripliciter coquitur, ſcilicet clibano, ſartagine, & craticula; ita & Mincha, ſeu ſacrificium ſimilæ, & panum ex ea erat triplex, ſcilicet panum clibani, ſartaginis, & craticulæ.

Hoc ergò ſacrificium Mincha, fuit figura, & typus Euchariſtiæ; quatenus illo ſignificabatur, Chriſti carnem, & ſacrificium etiam panis, vti & vini rationem habuiſſe, & habere in Euchariſtia. Vndè & caro Chriſti vocatur panis, Ierem. 11. 19. Ioannis 6. Hocq; eſt ſacrificium Mincha, quod à Gentibus Chriſtianis in omni loco, totoque orbe offerendum prædixit Malachias cap. 1. v. 11. Quemadmodum enim victimæ animalium iugulatorum, ſignificabant, ſymbolumque erant ſacrificij cruenti Chriſti in cruce occiſi, ita ſacrificium Mincha ſignificabat eiuſdem ſacrificium in Euchariſtia, ſub ſpeciebus panis, & vini. Oleum illi infuſum ſignificabat charitatem,& miſericordiā, quam ipſe in ſuo ſacrificio, tum Crucis, tum Euchariſtiæ, nobis exhibuit. Triplex coctio clibani, ſartaginis, & craticulæ, carnem Chriſti primò in clibano, id eſt in vtero B. Virginis in Incarnatione coctam; ſecundò in ſartagine, id eſt paſſione crucis frixam; tertiò in craticula eiuſdem crucis mortuam. Mel excludebatur ab hoc ſacrificio, & omni alio,ad denotandum in ſacrificio crucis Chriſti omne mel,id eſt omnem ſuauitatem, & lætitiam defuturam. Sale autem condiebatur, quia ipſe ſua gratia, & gloria, tam corpora, quam animas condit, & ſeruat æternitati, vt reſurgant ad vitam immortalem. Sal enim ſymbolum eſt incorruptionis, & æternitatis.

Tropologicè ſimila in hoc ſacrificio ſignificabat puritatem conſcientiæ, quę eſt ſacrificium Deo gratiſſimum,& ſine qua nullum aliud eſt tale: oleum hilaritatem, qua eius obſequio inhærere debemus, hilarem enim datorem diligit. Sartago eſt mentium frixura, & zelus Sanctorum ob peccata hominū, de

de quo Regius Propheta Pſal. 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua*; vel ærumnas proximorum, quæ iuſtos per compaſſionem frigunt, & excruciant. Clibanus preſſura huius mundi, ſiue malorum, ac tyrannorum afflictio, & perſecutio. Craticula quotidiana cuiuſque crux, cui ſuperpoſitus vir iuſtus lento, ſed aſſiduo æſtu coquitur; verum oleum, id eſt charitas erga Deum, & proximum hæc omnia hilariter excipit, ac ſuſtinet, offertque indè Deo ſacrificium, dicens cum Paulo Philipp. 2. 17. *Sed etſi immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis*; & 1. Corinth. 15. 25. *Quotidiè morior per veſtram gloriam fratres*. Fermentum in ſacrificio fuit vetitum, ad ſignificandum nequitiam, & omne vitium, ac corruptelam procul debere abeſſe à Sacris Dei. 1. Corinth. 5. Mel autem ad oſtendendum, ab iiſdem pariter debere abeſſe, voluptatem vanam, & carnalem, tanquam Deo diſplicentem; quodque reſoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non poſſint myſteriorũ Dei eſſe participes. Vnde Phaſe comedi debebat cum lactucis agreſtibus, vel vt Hebraicè legitur amaris, quia ſemper auſtera eſt diſtrictio veritatis; & vt dicitur Pſal. 50. *Sacrificium Deo*, eſt, *Spiritus contribulatus*. Siquidem mel eſt ſymbolum 1. hominis voluptuarij. 2. adulatoris, mel in ore habentis, ſed in occulto caudæ ſpiculum gerentis, quo ferit, & vulnerat. Vnde Sapiens Prouerb. 5. labia meretricis comparat fauo mellis. Sal denique, quo quicquid offerebatur ſacrificij cōdiendum erat, ſymbolum erat ſapientiæ, prudentiæ, & diſcretionis, quæ in omni ſacrificio, omnique opere, etiam pœnitentiæ, & mortificationis, quod ad Dei obſequium fit, adhibenda eſt; vndè monet Apoſtolus Roman. 12. vt rationabile ſit obſequium noſtrum. Nam vt ait D. Bernardus ſerm. 49. in Cantica: *Diſcretio eſt moderatrix, & auriga virtutum, affectuum, morum: omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.*

Hoſtia pro peccato Pontificis Leuitici 4. cuius hic erat ritus, primò vt illam ipſe adduceret, ſcilicet vitulum ad altare, eique ſuas manus imponeret, quaſi imprecans, & imponens ei peccatum ſuum. Secundò ibidem eum iugularet, & immolaret. Tertiò, cratere eius ſanguinem exciperet, quem inferebat in tabernaculum, ſepties eo aſpergens velum oppoſitum Sancto Sāctorum, eodemque tingens cornua altaris thymiamatis, reliquum verò ſanguinem referebat in atrium, eumque infundebat iuxta baſin altaris holocauſtorum. Quarto, in altari holocauſtorum cremaret adipem, & renes huius hoſtiæ. Quinto reliquum eius, hoc eſt totum vitulum, cum pelle, inteſtinis, & fimo fieret extra caſtra, eaque omnia cremaret in loco mundo, vbi cineres victimarum effundi ſolebant; Huiuſmodi inquam hoſtia, eiuſque ritus allegoricè ſignificauit ex Apoſtolo Hebr. 13. 12. Quod *Chriſtus extra caſtra*, id eſt, extra portam vrbis Ieruſalem torrendus erat in cruce, & abolito caſtrorum Iudaicorum tabernaculo, & templo, Eccleſiam Gentium per totum orbem diffundendam paſſione, & morte ſua erat inſtiturus; hoc eſt enim, quod ait S. Leo ſerm. 9. de paſſione, *nec intra ſepta ciuitatis ob meritum ſui ſceleris diruendę, ſed foris, & extra crucifixus eſt Chriſtus, vt veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia nouo imponeretur altari, & crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi*. Sanguis autem victimarum expians Sanctum, & Sanctum Sanctorum denotabat Chriſtum ſanguine ſuo expiaturum Eccleſiam, & cælum ipſum: non quaſi cælum in ſe immundum ſit, ſed quod legaliter, & ſymbolicè cenſeretur immundum, & quaſi aſpergine quædam peccati (peccatum enim morali quadam æſtimatione cenſetur, & in ſcriptura dicitur contaminare

nare ipſam terram, cælum, totumque mundum) maculatum, ideoque clauſum, perinde ac templum pollutum clauditur. Chriſtus ergo ſuo ſanguine peccata noſtra expians, cælumque ob illa nobis clauſum aperiens, & reſerans, non incongruè dicitur cælum ipſum peccatis noſtris quaſi contaminatum quodammodo expiaſſe, & reconciliaſſe; ex Radulpho in Leuiticum.

Item ex eodem Apoſtolo loco citato verſu 13. hæc ceremonia tropologicè ſignificabat, nos omnes, qui ad Chriſtum, & altare Euchariſticum accedere cupimus, exire debere *extra caſtra* pompæ, voluptatum, luxus, & legum tabernaculi, id eſt mundi huius caduci, & mobilis, vt portemus improperium crucis Chriſti, imitando ſcilicet, ac voluntariè amplectendo eius ignominiam, paupertatem, abſtinentiam, humilitatem, contemptum, perſecutiones, tormenta, mortemque ipſam. Ibi enim Apoſtolus dictis verbis excitat Hebræos, vt Iudæorum perſecutiones, contumelias, & dira quæque pro Chriſti fide fortiter ſuſtineant, & in ijs glorientur, tanquam qui cum Chriſto extra caſtra Iudaiſmi, & mundanæ felicitatis egrediantur portantes improperium crucis ipſius; ſicut de Apoſtolis legitur, quod *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Ex Cyrillo lib. 15. de adoratione, Anſelmo, & D. Thoma in cap. 13. ad Hebræos.

Anagogicè etiam ſignificabatur, ex eodem Diuo Paulo v. 14. hac ceremonia, nos in hac vita, & mundo non habere manentem ciuitatem, ſed quod in eo degamus quaſi in caſtris, & tabernaculis, vt ſciamus nos hic eſſe peregrinos, ac milites, qui futuram ciuitatem in cælis inquirere, & pro ea generosè contra carnem, mundum, & dæmonem dimicare, totiſque ad eam viribus tendere, & conniti debeamus.

Quod in hoſtia pro peccato imponeretur ſal, non autem thus, nec oleũ, ſymbolicè denotabat peccatorem expertem eſſe lætitiæ, & lucis. Oleum enim vtriuſque eſt ſymbolum, ex Cyrillo lib. 15. de adoratione. Nam vt ait S. Martialis epiſt. ad Burdigalenſes, *Peccata ſunt ſpinæ, quæ per multas amaritudines, inuidias, & doloſitates, non ſinunt gaudium, & oleum Spiritus Sancti in vobis dominari.* Ex Radulpho autem, & Iſychio hoſtia pro peccato carebat oleo, quia *peccator non debet ſe mulcere oleo*, id eſt non debet præſumere de peccati venia, & indulgentia, ſed anxiari, & timerè ne forte eam aſſequatur; vnde Ioelis 2. dicitur, *Conuertimini ad Dominum, quia benignus eſt. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem*. Ob eamdem cauſam, thus quoque non adhibebatur, quia cum illud ſit orationis ſymbolum, neſcit peccator vtrum boni odoris ſit eius oratio, quam frequenter preuaricatus eſt.

Leuitici 7. vbi Sacerdoti, qui offert holocauſti victimam, dari iubetur pellis eius, tropologicè denotat patientiam, cuius pellis ſymbolum eſt Iob. 2. 4. & 19. v. 20. quę Sacerdotis, vel perfecti, qualis debet eſſe Sacerdos, propria eſt virtus, & veſtis. *Ille enim*, ex S. Gregorio lib. 5. moral. cap. 14. *verè perfectus eſt, qui erga imperfectionem proximi impatiens non eſt. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deſerit, ipſe teſtis eſt, quod perfectè nec dum profecit. Hinc in Euangelio veritas dicit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Patiens ergo animam poſſidet, quia cunctis mentis motibus ex virtute dominetur. Et quoſe laudabiliter vincit, & frangit, infractum ſe fortiter exſerit: quia cum in ſuis ſe voluptatibus ſuperat, ſe ſe ad contraria inuictum parat*. Quod autem ibidem ex hoſtia pacifica pectuſculum, & armus dexter cederet Sacerdoti, per pectuſculum ſignificatur fides, ſana doctrina, & cordata ſapientia: per armum autem, ſiue brachium dextrum, conſtans ſecundũ fidem, & virtutem operatio; quibus

vtriſque

vtriſque fulgere, & populum erudire debet Sacerdos. Ex Origene homil. 5. in Leuiticum; vbi ſic ait: *Quod ergo Sacerdotis pectus, aut quale? plenum ſit ſapientia, plenum ſcientia, plenum omni diuina intelligentia, imo plenum Deo. Quale brachium? multa ſollicitudo, labor, vigiliæ, quibus conuertat peccatorem, qui proinde offerat hoſtiam ſalutaris, Deo gratias agat; in qua hoſtia pars Sacerdotis efficitur pectuſculum, vt ſit indicium, quod pectus, & cor, quod ante mala cogitabat, Sacerdotis labore conuerſum, recipit bonas cogitationes, & ita mundatum eſt, vt Deum poſſit videre: ſimiliter & brachium indicium eſt, quod mala eius opera, & ſiniſtra conuertit in dextra, vt eſſent ſecundum Deum*. Et ex D. Gregorio 2. parte Paſtoralis cap. 3. *Diuina*, inquit, *lege armum Sacerdos dextrum in ſacrificium accipit, & ſeparatum: vt non ſolum ſit eius operatio vtilis, ſed & ſingularis, nec inter malos tantum quæ recta ſunt faciat, ſed bene quoque operantes ſubditos ſicut honore ordinis ſuperat, ita etiam morum virtute tranſcendat: cui in eſu quoque pectuſculum cum armo tribuitur, vt quod de ſacrificio præcipitur ſumere, hoc de ſeipſo diſcat immolare, & non ſolum pectore, quæ recta ſunt cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia arma operationis inuitet: nulla proſpera præſentis vitæ appetat, nulla aduerſa pertimeſcat*.

Vnctio Pontificia, & Sacerdotalis Leuitici 8. olei, & ſanguinis ſignificabat ſuperiorem maximè ſpiritualem, ita cum peccatoribus ſeuerum eſſe debere iudicem, vt tamen miſericordia, cuius ſymbolum eſt oleum, ſuperexaltet iudicio. *Hoc eſt enim*, ex Gregorio in Paſtorali, *magiſterium diſciplinæ, vt culpis diſcrete nouerit parcere, & pie reſecare*. Et ex Diuo Bernardo ſerm. 22. in Cantica, cum quatuor vnguenta Chriſti Pontificis ſint ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio; quatuor item Virtutes Cardinales, hiſce quoque imbui, & roborari debere Pontificem, & quemuis fidelem Dei obſequio ſe addicentem, Pontificia ſignificabatur vnctione.

Quæ circa ciborum obſeruantiam, & animalium mundorum ab immundis diſcretionem quo ad eſum ſancita, & præcepta à Deo leguntur Leuit. 11. etſi plures habeant cauſas; potiſſima tamẽ fuit ſymbolica, vt nimirum hæc animalia immunda ſignificarent immunditiem peccatorum, & vitiorum vitandorum, munda verò virtutes maximè amplectendas, quarum ipſa appoſitè ſunt ſymbola, vt communiter docent Patres, Tertullianus in libro ab ipſo ſcripto, dum eſſet adhuc Catholicus, de cibis Iudaicis, in quo fusè, & minutim animalia loco citato vetita, per vitia eis ſignificata explicat: Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. Origenes homil. 7. in Leuitic. Euſebius lib. 8. de præparat. Euangel. cap. 3. Cyrillus lib. 9. contra Iulianum; ac tandem D. Auguſtinus lib. contra Adimantum, qui cum oppugnaret, vt pote Manichæus, vetus Teſtamentum, tanquam à Deo malo datum, ac nominatim hanc abſtinentiæ legẽ argueret ex illo Matt. 15. *Quod intrat in os non coinquinat hominem*; reſpondet Sanctus Auguſtinus hos cibos Iudæis non fuiſſe vetitos, quod per ſe mentem coinquinent: ſed hæc de eis præcepta populo carnali fuiſſe poſita, ad ſignificationem humanorum morum, & vt futuram diſciplinam ſpiritalis populi Chriſtiani prophetarent. Vndè etiam, vt notat Sanctus Cyrillus lib. 14. de adoratione in ſpiritu, quædam ibi vetantur, quæ comedi non ſolent, quæque omnes naturaliter reſpuimus, & abhorremus, vt Stellio, muſtella &c. Igitur cum ſola animalia quæ ruminant, & inſuper habent vngulam fiſſam, eſſent munda ad eſum, tropologicè his denotabatur, quanta in omnibus prudentia procedere debeamus. Ruminare enim, pedemque diuiſum habere ſymbolum eſt prudentiæ; ſiquidem prudens eſt cogitabundus, & ſingula mente ruminans, videt quid in quaque re expediat, quo-

modo

modo Deo, & hominibus ſatisfaciat: ac veluti pedem etiam diuidit, dum in actione bonum à malo ſecernit. Sic definitur prudentia, virtus intellectus, qua ſcitur quid honeſtum ſit, quid turpe, in quouis negotio occurrente, ſeu in ſingulis quibuſque actionibus humanis obeundis. Vel ex D. Auguſtino lib. 1. de libero arbitrio cap. 3. ſcientia rerum appetendarum, & fugiendarum; hoc eſt certa notitia ſingularum actionum, verè honeſtarum vt appetantur; & verè inhoneſtarum, vt vitentur.

Nominatim ex animalibus terreſtribus tanquam immunda prohibentur, Camelus ruminans quidem, & habens vngulam, ſed non diuidens eam; Chærogryllus, ſiue porcellus rupium, quod eſt animal Palæſtinæ inſtar cuniculi, ruminans pariter, ſed vngulam non diuidens; Lepus quoque; & Sus, qui cum vngulam diuidat, non ruminat; Ad ſignificandum hiſce quatuor animalibus quatuor vitia, quorum ſunt ſymbola, quatuor virtutibus cardinalibus contraria. 1. camelus gibboſus ſymbolum eſt ſuperbi, & ſuperbiæ, quæ prudentiæ, & ſapientię eſt contraria. Inter cuius documenta, & indicia, hoc eſt potiſſimum, quod, ſicut quo directius nos ferit Sol radijs ſuis, hoc minor eſt vmbra noſtri: quo verò obliquius, hoc magis increſcit vmbra corporis: ita quoque, quanto plus quiſque aſſecutus eſt veræ ſapientiæ, eiuſq; lumine præditus, hoc minus magnificè de ſe ſentit: & quo longius abeſt ab ea, hoc ſe magis dilatat ſtultiſſima perſuaſione ſapientiæ. 2. Lepus timidus ſymbolum eſt acediæ; & puſillanimitatis, quæ fortitudini, & conſtantiæ opponitur. 3. Chœrogryllus vaſtans, ac depaſcens agros alienos, iniuſtitiæ contrariæ iuſtitiæ. 4. demum ſus ſordida ſymbolum eſt gulæ, & libidinis, quæ temperantiæ aduerſatur. Ex Iſychio.

Ex piſcibus cum illi ſoli eſſent ad eſum mundi, qui habent pinnulas ſimul, & ſquamas quæ totum pene corpus contegant; ſquamis tanquam ſymbolo ſignificabatur grauitas morum, & firmitas bonæ conuerſationis in medio ſeculi; pinnulis, ſenſus ſuperna cogitantes. Piſces namque qui pinnulas habent ſaltus dare ſuper aquas ſolent. Squamas igitur habent, ac veluti piſces ſquamati ſunt, qui rigore virtutis muniti, ſecularis occupationis appetitum non admittunt; pinnulas verò habent, qui ſubinde ſecretum contemplationis petunt, & vndis ſecularium curarum ſupernatant, quique mentis ſaltibus ad ſuperna conſcendere ſciunt vt eos amoris ſummi, quaſi liberi aeris, aura contingat; ex Gregorio lib. 5. Moral. cap. 6.

Quæ autem eodem cap. 11. Leuitici prohibentur expreſsè viginti aues denotant ſymbolicè viginti vitia, maximè potentium, vel eorum qui ſublimes habent ſpiritus. 1. Aquila notat potentium ſuperbiam. Vndè Ezechiel 17. Nabuchodonoſor cōparatur aquilæ grandi magnarum alarum. 2. gryphes, non quales à veteribus fabuloſè deſcribuntur, ſed qui ſunt aquilæ maximę, & rapaciſſimæ, ſignificant potentium crudelitatem, & auaram rapacitatē. 3. Haliæetus, qui eſt aquila marina, nec eſt tantis viribus, ſed tamen prædo, nam vt ait Plinius lib. 10. cap. 3 Haliæetus eſt ſpecies aquilę clariſſima oculorum acie, librans ex alto ſe ſe, viſoque in mari piſce præceps in eum ruens, & diſcuſſis pectore aquis rapiēs, ſignificat violentos in pauperes. 4. miluus ſignificat potentium inſidias. 5. vultur caſtra, & cadauera affectans, ſignificat eos, qui quaſi vultures principum, & aularum ſunt aſſeclæ, ad hoc vt eorum ope alios exſpolient: inde illud Senecæ epiſt. 96. Qui amico ægro aſſidet hæreditatis cauſa, vultur eſt, cadauer expectat. 6. Corui ſunt, qui mortibus paſcuntur alienis. 7. Struthio, qui herodio ſimilis eſt pennis, ſed non volatu, Iob 39. 16. notat hypocritas, qui ſub religionis ſpecie alijs nocent, eoſque decipiunt. *Struthio*, inquit D. Gregorius lib. 1. moral. *Volandi ſpeciem habet*

bet, ſed uſum velandi non babet: Sit hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere viam ſanctitatis ignorat. 8. noctua noctu acutum cernens, notat Sapientes in malo. 9. larus, ſiue grauia, vt eam vocat Ariſtoteles, natans in aquis, & volans in aere, piſciumque prædo, ſymbolum eſt gulæ, vndo Alciatus in emblemate gulæ, guloſum ita piogit.

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur aluo
Qui larum, aut manibus geſtet onocrotalum.

10. Accipitet rapax, quique vbi manſuefactus eſt, poſſeſſoribus ad prędas, & tapinas ſeruit, ſignificat famulos ad domioorum nutom pauperes deprædantes. 11. bubo figurat eos, qui fœdiſſimis ſceleribus oppleti, lucem & homioes, maximè pios, & ſanctos fugiūt. 12. mergulus ſignificat eos, qui voluptatibos carnis abſorbentur. 13. ibis, auis Aegyptia, roſtri aduncitate ſignificat eos, qui in ſe, id eſt corpora, & animas ſuas, iniqui, & crudeles ſunt. 14. cygous ſymbolum eſt illorum, qui de ſolis veſtibus, ſeu terrena apparentia, aut affluentia gloriantur, illique cor apponunt: 15. Onocrotalus, alijs pellicaous, ita dictus ab onos, id eſt aſinus, & crotaloo, id eſt crepitaculum, eo quod abſona voce crepitando rudētem aſinum referat, ab alijs verò gutturoſus, ob ingluuiem, quę in gutture eius ioſtar ſtrumæ propendet, atque in nonnullis tanta eſt, vt quinquilibres viuos piſces vorēt ſorptu vno, ſignificat auaritiam inexplebilem. 16. porphyrio, habens in capite veluti criſtā, magnitudine par gallinis, ſed crura ei longiora, ita dictus, id eſt purpureus, quod roſtrum habeat rubicundum vti & crura, ſolus morſu bibens, omnemque cibum aqua tingens, deindè pede ad roſtrum veluti manu afferens, ſignificat contumaces, qui nihil niſi tinctum aqua propriæ voluntatis, & delectationis ſuſcipiunt. 17. herodio, qui aliquibus eſt aquilæ ſpecies nobiliſſima; alijs fulica; alijs falco; alijs tandem probabilius ciconia, in iſta vltima acceptione, ſignificat ſtoliditatem ad capienda cæleſtia. 18. Charadrio, noctis amicus inſtar noctuæ, auis garrula ſignificat loquacitatem. 19. vpupa gemitum in cantu inter ſtercora ſimulans, ſignificat triſtitiam ſeculi: in hanc enim, atque in ſordes, & dolores, ſeculi delitiæ, & lætitia deſinunt. 20. veſpertilio ſignificat ſecularem, humanamque ſcientiam, ſola naturalia, & terrena ſapientem. Ita fere ex Radulpho in Leuit. & D. Thoma 1.2. q. 102. art. 6. ad 1.

Aduertendum eſt ſolum tam has aues, quàm alia etiam animalia immunda ob dictas, aliaſque ſimiles malas proprietates, aut qualitates ita eſſe vitiorum ſymbola, vt ſub alijs bonis virtutes, reſque etiam bonas ſignificare poſſint in diuinis Scripturis; atque adeo pro huiuſmodi diuerſis eorū qualitatibus nunc in bonum, nunc in malum capi, vt iam ſupra notauimus; ſicque Leoni comparari tam Chriſtum, ob fortitudinem Apocal. 5. quam diabolum ob crudelitatem, & rapacitatē 1. Petri 5. Aquilæ, tam ſuperbos potentes, quam viros contemplatiuos; onocratolo, ſiue pellicano, tam pænitentes, & gementes ob rudem, & lugubrem eius vocem Pſal. 101. quam auaros, & guloſos, ob eiuſdem ingluuiem.

Quod autem quicquid ex volucribus quatuor tantum habet pedes æquales, abominale eſſet, & immundum, ſecus autem qui poſteriores habent longiores, quibus ſaliant, atque adeo non omnino terrei ſunt, ſed ignei aliquid ſe habere, per ſaltum oſtendunt, vt eſt bruchus in genere ſuo, & attacus, atque ophiomacus, ac locuſta, ſignificabat ſanctos, ac iuſtos, qui in carne, & pompa ſeculari conſtituti, non ſecundum illam militant, ſed à ſeculi ſordibus reſiliunt, & in æternitatis cogitationem, ac deſiderium exſiliunt. Ex Radul-

Radulpho, & Iſychio in Leuit.

2 In ſpecie, cum omnia reptilia ſint immunda, octo præ reliquis prohibentur. 1. muſtella. 2. mus, ſignificantia pauperum fraudes, vel pauperes fraudulentos ex Radulpho, & ex Cyrillo lib. 9. contra Iulianum, timida; & minus virilia, obſtreperaque furum genera. 3. crocodilus, ſignificans latrones publicos, ex eodem Radulpho. 4. mygale, ſeu mus araneus, ſignificans pariter vitium edacitatis, & furti, quod trahit ex mure, & muſtella, quibus aſſimilatur, eſt enim muris magnitudine, muſtellina facie, ore oblongo, cauda gracili, indeque dicitur mygale quaſi mus, & gali, id eſt muſtella. 5. Chamæleon figurans eos, qui vento honoris, & muſcis deliciarum ſe paſcunt. Cum enim iſtud animalculum ſit tardæ digeſtionis, diuque ſine cibo viuens, cumque eum ſumit, tenuem, & leuem ſumat, vti rorem, muſcas &c. orta eſt illa vulgi opinio, eum ex aere viuere; abſolutè enim eſt falſum; nullum ſiquidem eſt animal quod ſine cibo ex ſolo aere viuat. 6. Stellio 7. lacerta, parum inter ſe diſſimilia, ſignificantia fraudulentum, vnde crimen Stellionatus vocatur crimen doli, & impoſturæ. 8. talpa, figurans homines mundanos, qui clauſis rebus cæleſtibus oculis, tantummodo terreſtribus inhiant, illiſque paſcuntur.

En igitur, præter litteralem cauſam mundorum animalium, quo ad eſum conceſſorum, quod nimirum eſſent bonę complexionis, atque adeo boni nutrimenti, immundorum autem prohibitorum, quod talia non eſſent, ſymbolica inſuper, maximeque intenta cauſa, vt animalia munda ſignificarent munditiem virtutum, quas amplecti, immunda verò immunditiem peccatorum, & vitiorum, quæ vitare, & fugere debemus. Videturque ſatis apertè colligi, quod Deus, ſtabilita ibi huiuſcemodi lege, tandem concludit. Sancti, id eſt mundi eſtote, quia ego Sanctus, id eſt mundus ſum, voloque vos ſanctitatem meam ſpiritalem, non ſolum hac corporis, ſeu legali ſanctitate imitari, & repræſentare veſcendo cibis mundis, & abſtinendo ab immundis, ſed potiſſimum animæ, exercendo virtutes, & fugiendo vitia, quorum pręfata animalia ſunt appoſitè ſymbola.

Quæ Leuitici 12. præſcribitur lex purificationis, tropologicè ſymbolum erat pęnitentiæ, qua puritatem animi per peccatum amiſſam recuperamus. Triginta autem tribus diebus mulierē manere in ſanguine purificationis ſuæ, eſt ærumnam mortalitatis ſuſtinere, in quam peccando lapſi ſumus, per quam tamen patienter, & ex amore Dei toleratam, ab his, quæ commiſimus, peccatis emundamur: vt quadrageſimo die reſurrectionis, Domino in templo cœleſti immortales, & glorioſi ſiſtamur. Ex Radulpho. Vel etiam dici poteſt hac purificatione ſignificatum fuiſſe, caſtitatem coniugij nō accedere ad cęlibatum; ſed impuram eſſe; & coniuges in coniugio ſæpe egere purificatione. Vt enim rectè ait Caſſianus collat. 21. cap. 23. *In lege, in qua coniugiorum iura ſeruantur, quamuis cohibita luxurię vagatio, vni tantum, fœmina tamen mancipatur. Hinc nequaquam poſſunt carnalis concupiſcentiæ aculei non vigere; & difficile eſt, vt ignis, cui ſtudiosè pabula ſuggeruntur, ità præfixis terminis includatur, vt non etiam extrauagatus amburat quicquid attigerit*. Vnde plena puritas eſt in caſtitate, & continentia, vt clarè probant innumera Patrum elogia; de quibus potiſſimum videri poteſt S. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ, & apud illum author libri de ſingulit. Clericorum. Item S. Ephrem ſerm: de caſtitate. Nec non, quod ad hanc puritatem aſſequendam legamus coniuges nonnullos illuſtres continentiam in coniugio ex mutuo conſenſu ſeruaſſe. Quare etiam hoc caſtitatis donum nemini ſine peculiari Dei gratia, & multa oratione obtingit. Vt de ſeipſo teſtatur D. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 19. *Tota ſpes*, inquit, *mea non*,

ſcitu claudus, qui videt quidem, ſed per infirmitatem mentis, quæ videt, perfectè implere non valet: naſo eſt paruo, cui parua diſcretio. Vnde Cantic. 7. dicitur Naſus tuus, ſicut turris, quæ eſt in Libano: quia Sancta Eccleſia, quæ ex ſingulis cauſis tentamenta prodeant, per diſcretionem conſpicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit: naſus grandis, & tortus eſt, diſcretionis ſubtilitas immoderata, quæ dum pluſquam decet excreuerit, actionis ſuæ rectitudinem ipſa confundit. Eſt fracto pede vel manu, qui bonorum operum exori vacat; vel ex Diuo Cyrillo, qui non integrè ad probas actiones graditur, ſed opus Dei facit imperfectè, & negligenter. *Gibboſus eſt, quem terrena ſollicitudo deprimit, ne vnquam ſuperna reſpiciat: lippus eſt, cuius ſenſum, & mentem natura exacuit, ſed conuerſationis prauitas confundit: albuginem habet, qui candorem iuſtitiæ, vel ſapientiæ ſibi tribuens, à luce ſupernæ cognitionis ſe per arrogantiam excludit: iugem habet ſcabiem, cui carnis petulantia dominatur: impetiginem, cui auaritia: hernioſus eſt, qui in abditis, id eſt in mente pondus turpitudinis geſtat.* Ita D. Gregorius loco citato; & ex eo Radulphus.

Hac quoque corporali Sacerdotum ab omni indecentia, & macula, puritate, vel munditie, quam maximè figurabatur perfectio, & ſanctitas animæ, quæ omnes, potiſſimum autem Sacerdotes, perſonæque Deo conſecratæ præcellere debent; nam ſi mortale corpus ſacerdotis inſpici oportet, ne quo contractum ſit vitio, quanto magis immortalem animam formatam ad Dei imaginem? idque adhuc magis in Sacerdotibus nouæ legis. Primò enim cum Sacerdotes in terris Dei perſonā repræſentent; eius quoque ſanctitatem ſpecialiter in ſe exprimere, & referre debent. Secundò, quia etiam comparantur Angelis, imo officio eos ſuperant ſacerdotes nouæ legis, peccata condonando, & corpus Chriſti conſecrando. Tertiò, quia alios ſanctificare debent, tanquam Satores æternitatis. Quartò, quia ipſi mediatores ſunt inter Deum, & homines. Quintò tandem, quia eorum munia ſunt ſanctiſſima, ſcilicet baptizare, à peccatis abſoluere, ſacrificare, & conſecrare ſanctiſſimam Chriſti carnem, & humanitatem. Vndè S. Chryſoſtomus homil. 60. ad populum ſic infert: *Quo igitur non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod igne ſpiritali repletur? lingua, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit.* Quod etiam apertè probant plura exempla, quibus ſacerdotes impuros, & alios a Deo punitos fuiſſe legimus, è contrà verò puris, & Sanctis, Chriſtum, & Angelos aſtitiſſe, & miniſtraſſe, quin & ſubinde ſacram hoſtiam detuliſſe.

Feſtum Pentecoſtes, quod erat tertium Hebræorum Leuit. 23. allegoricè ſignificabat Pentecoſten Apoſtolorum, qua Spiritus Sanctus in eos per linguas igneas deſcendit, legemque nouā promulgauit in Sion, quo recepto ſtatim metere cæperunt regiones albas ad meſſem, vt ait Chryſoſtomus homil. 2. in Acta, & offerre Domino duos panes primitiarum, de duobus populis Iudæorum, & Gentium, cumque Deo immolati ſunt multi Martyres, partim agni, id eſt innocentes; partim arietes, id eſt Doctores, & Principes Eccleſiæ; partim vituli, qui ſcilicet olim ſuperbi fuerant in ſeculo; partim hædi, qui nimirum prius in ſordibus, & fætore peccatorum vixerant. Tropologicè quinquagenarius hic numerus Pentecoſtes index, ac ſymbolum fuit perfectæ pænitentiæ, ac remiſſionis peccatorum, vti fusè docet S. Hieronymus lib. 2. in Iſaiam ſub initium. Tunc enim offerimus duos panes, id eſt amorem Dei, & proximi; Pentecoſtenque celebramus non Iudaice, ſed Chriſtiane, hoc eſt non tantum littera, ſed & ſpiritu. Anagogicè tandem hoc feſtum, ſeu Sabbatum Hebdomadarum ſignabat vniuerſalem requiem omnium Sancto-

rum

rum in cælo. Vt ſicut ſecundo die azimorum præceſsit oblatio manipuli ſpicarum, id eſt Chriſti reſurrectio, ita ſeptima exindè hebdomada, & die 50. omnes qui per fidem, & dilectionem adheſerunt, ad eum quaſi ad caput ſuũ congregentur, æternam cum illo requiẽ habituri, tuncque offerent duos panes primitiarum, gloriam ſcilicet animæ, & corporis, eaque Deo, Deique laudibus æternis conſecrabunt ex Radulpho.

Duæ tubæ argenteæ ductiles, quibus Num. 10. conuocabatur populus, primò, ad mouenda caſtra. Secundò, ad feſta. Tertiò, ad ſacrificia. Allegoricè ſignificabant duos Chriſti aduentus, ſcilicet primum in carnem, ſecundum ad iudicium. Primò enim Chriſtus inſonuit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit Regnum Cælorum*. Secundò inſonabit: *Ite maledicti in ignem æternum*. Per has tubas ſignificari etiã tropologicè poſſunt minę inferni, & promiſſiones cæli, quas exemplo Chriſti populo iugiter inſonare debent cõcionatores, vt æternitatis, & metu, & ſpe, corda hominum feriant, & compungant. Vel tandem duplex genus prædicationis in Eccleſia vſitatum; primum, quod fidem roborat, & dilatat, ſecundum, quod mores corrigit. Argenteæ ſunt ob ſplendorem, ſummamque ſinceritatem. Ductiles ſunt, quia neceſſe eſt, vt hi, qui venturam vitam prædicant, tribulationum præſentium tunſionibus, & ductibus creſcant, ex D. Gregorio lib. 30. Moral. cap. 7. & ex Procopio, vna tuba doctrinalis eſt, ſecunda moralis.

Aqua luſtrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combuſtæ, confecta Numer. 19. allegoricè fuit typus, vel figura ſanguinis Chriſti. Nam, *ſi cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti*; ex Apoſtolo Hebr. 9.

Serpens æneus in ligno erectus, per cuius aſpectum Numer. 21. ſanati fuere, qui à ſerpentibus ignitis morſi fuerant, allegoricè ſymbolum fuit Chriſti in cruce erecti, tanquam noxij, & ſcelerati, cuius intuitu per fidem, & contritionem, ſanamur à lethalibus peccatorum morſibus. Quemadmodum enim ſerpens hic habebat formam ſerpentis, ſed non venenum: ita Chriſtus aſſumpſit quidem formam peccatoris, ſed non peccatum. Et hoc eſt, quod de ſe ait Ioann. 3. *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari* (in cruce ſcilicet) *oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Effigies inquit Tertullianus lib. de idololatria cap. 5. ænei ſerpentis ſuſpenſi figuram deſignauit Dominicæ Crucis, quæ à ſerpentibus, id eſt Angelis diaboli nos erat liberatura, dum per ſemetipſam diabolum, id eſt ſerpentem interfectũ ſuſpendit. Serpens hic fuit æneus, vt ſignificaret 1. diuinitatem, & æternitatem Chriſti: æs enim duriſſimum eſt, incorruptibile, & quaſi æternum. 2. crucis Chriſti claritatem, & gloriam, quæ omnes gentes perſuaſit, quaque à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum, & ardentes diadematum gemmas condecorat; ænea enim vaſa, inter omnia metalla, maximum ſolent edere ſonum, & tinnitum. 3. igneam charitatem tum Dei, tum Chriſti in cruce, tam dolore, quàm amore noſtri aſſi, & toſti. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Chriſtus ergo crucifixus eſt ſaraph, id eſt ſerpens ignitus, vrens, accendens, & comburens nos ſua charitate; quem nos ex Diuo Bernardo pigere non debet videre in patibulo pendentem, ſi tandem velimus videre Regem in ſolio reſidentem. *Crux enim*, ex D. Auguſtino ſerm. in paraſceue, *nobis totius cauſa beatitudinis eſt: hæc nos à cæcitate liberauit erroris: hæc à tenebris reddidit luci*:

luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: hæc peregrinantes ciues oſtendit. Hæc diſcordiæ amputatio eſt, hæc pacis firmamentum, hæc donorũ omnium abunda largitio. Hodiè Crux fixa eſt, & ſeculum ſanctificatum eſt. Hodiè crux fixa eſt, & dæmones diſperſi ſunt. Hodiè crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt. Hodiè crux vicit, & mors victa eſt. Hodiè diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt. Et libro de Virgin. *Inſpice,* ait, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in cruce.*

Vltimum denique veluti fluens artefactum, quod ſacris etiam ſymbolis eſt plenum, fuit Templi Salomonis, introducta in ipſum arca, dedicatio, nebula illud implente, ita vt non poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter illam; repleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quam autem nubes ſit aptum diuinæ prouidentiæ, & gubernationis, præmiationis, ac punitionis ſymbolum, ſeu quaſi per velum ſignificatio, & oſtenſio, iam explicuimus ſupra cap. 2. Tantumque ſit de huiuſmodi artefactis in ordine ad efformanda ſacra ſymbola.

CAPVT VI.

De apparitionibus, rebuſue apparentibus, quarum fit mentio in Sacra Scriptura, quæque Sacrorum ſymbolorum materia eſſe poſſunt.

Scala, quam Geneſ. 28. vidit Iacob in ſomnis ſtantem, cum Angeli in ea deſcendentes felicem eius aditum in Haran, aſcendentes autem felicem reditum in Chanaan litteraliter ſignificarent, copioſa eſt inſuper plurium ſymbolorum materia. Primò enim ſignificat prouidentiam, & gubernationem diuinam; vndè Deus illi innititur, quaſi prima cauſa, primumque omnium mouens. Angeli aſcendentes, & deſcendentes ſunt miniſtri, & executores eiuſdem prouidentiæ Dei, ſua cuique munia ſigillatim diſtribuentis. Hæc ſcala à cęlo terram pertingit, quia Deus inferiora per ſuperiora, homines per Angelos gubernat. Duo eius latera ſunt ſuauitas, & fortitudo. Deus enim ſua ſapientia mundum gubernans, attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Varij demum eius gradus, ſunt varij diuinæ prouidentiæ modi, variæque rerum ſpecies, & perfectiones indè manantes.

Item allegoricè ſymbolum eſt Incarnationis Verbi, ſeu generationis Chriſti ex Iacob naſcituri, & deſcenſuri per varios gradus, id eſt generationes, & genitores, quorum vltimus eſt Ioſeph cum Beatiſſima Virgine, ſummus eſt Adam, qui proximè, & immediatè à Deo creatus eſt. Duo ſcalæ latera, ſunt miſericordia, & veritas, ſiue fidelitas Dei de promiſſo Meſſia: Hæc enim duo fecerunt diuinum Verbum ad nos deſcendere, noſtramque carnem mortalem ſuſcipere. Hæc ſcala tangit terrã, quia Verbum incarnatũ in terra, eamque ſuo incarnationis tactu benedixit; tangit cælum, quia Chriſtus, qui incarnatus eſt, eſt filius Dei, ſiue Deus homo; Chriſtus enim cæleſtia terrenis, ima ſummis, Deumque ipſum homini in ſe coniunxit; vndè ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.* Ipſeque eſt ſcala noſtra per quam ad Deum aſcendimus, nemo enim venit ad Patrem niſi per Chriſtum. Deſcendunt Angeli, vt hoc Incarnationis myſteriũ hominibus annuntient: & aſcendunt, vt ardentia Patriarcharum deſideria, & orationes ſurſum ferant ad Deum. Gradus denique huius ſcalæ ſunt variæ Chriſti virtutes, ac præſertim quatuor, humilitas in natiuitate, paupertas in præſe-

præſepio, charitas in progreſſu vitæ, & obedientia in paſsione. Ex Auguſtino lib.12. contra Fauſtum cap. 26. Beda Gen.28. Ruperto ibidem.

Allegoricè quoque ſignificat hæc ſcala Crucem Chriſti. Ego puto, inquit Hieronymus in pſalm.98. crucem Saluatoris illam eſſe ſcalam, quam vidit Iacob. In iſta ſcala deſcendebant Angeli, & conſcendebant. In iſta ſcala, hoc eſt, Cruce, deſcendebant Iudęi, & conſcendebant Gentiles. Et Auguſtinus: Iacob dormiebat, & Dominum in cacumen ſcalæ videbat incumbere. Quid eſt in ſcalam incumbere, niſi in ligno pendere. De quo plura vide ſerm.79 de tempore, & tract. de Catechyſmo. Item Chryſoſtomus, Crux Chriſti eſt ſcala Paradiſi.

Tropologicè verò Scala Iacob denotat virtutes, quibus ſcandimus in cælum. Scala hæc, inquit Tertullianus in fine lib.3. contra Marcionem, eſt via, quia iuſti aſcenſiones in corde ſuo diſponunt in cælum. Idem inſinuat Spiritus Sanctus Sap.10. v.10. vbi de Iacobo, & viſione huius ſcalæ ſic ait: *Hæc* (Sapientia) *profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei.* Duo latera huius ſcalæ, ſunt fides, & opera, vel verbũ Dei, & Sacramenta: gradus ſunt variarum legum, & virtutum aſcenſus, aut ex Baſilio in Pſal. 1. huius ſcalæ, quæ eſt aſcenſus ad perfectionem, culmen eſt charitas, gradus, ſunt decem gradus abrenuntiationis, quos ibi enumerat; vel denique hi gradus ſunt incipientium, proficientium, & perfectorum, quibus Deus in vertice ſe vnit, in iiſque habitat, & deliciatur. Angeli aſcendentes ad Deum ſignificant vitæ contemplatiuæ, deſcendentes verò ad humana, vitæ actiuæ ſectatores ex D. Gregorio lib.5. Moral. & ex D.Thoma 2.2. q.181. art.vlt. In hac autem Scala nemo ſubſiſtit, quia ex Diuo Bernardo epiſt.253. in via perfectionis, inter profectum, & defectum, nihil eſt medium; ipſumque non progredi, regredi eſt.

Trina apparitio, qua Dominus apparuit Iacob. Primo fugienti Eſau, innixus Scalæ. Secundò redeunti ex Meſopotamia in Lucta Geneſ.32. Tertio in Bethel cap. 35. ſymbolicè ſignificat triplicem eiuſdem, vel Chriſti apparitionem. Apparet enim dormientibus in contemplatione: apparet & luctantibus in tribulatione: apparet tandem vincentibus in æterna benedictione. De prima dicit S.Bernardus, Chriſtus videri vult, non videre; quaſi ſtrenuus dux, deuoti militis vult vultum ſuſtolli in ſua vulnera: ſua non ſentiet, dum illius intuebitur vulnera Chriſti miles; hoc eſt videre Chriſtum innixũ Scalæ, vnde ait Apoſtolus Hebr. 12. *Aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* De ſecunda dicit idem S. Bernardus, ſuſtinuit te dilectus: ſuſtine tu dilectum, non illum vicere, peccata tua: te quoque illius flagella non ſuperent, & obtinebis benedictionem. De tertia dicitur 1.Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem:* & Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria Tua.* Ex Hugone Cardinali.

Quæ Exodi cap.3. habetur Domini apparitio Moyſi in flamma ignis de medio rubi, qui ardebat, & non comburebatur, innumeris plena eſt ſymbolis. Cum enim hic ignis, & rubus ardens, & incombuſtus litteraliter ſignificaret Iudęos in afflictione illęſos; Primùm aptiſſimum eſt diuinitatis ſymbolum ob plures analogias, vt diximus ſupra cap.2. Secundò ignis in rubo, allegoricè eſt Deus in carne, ſiue Verbum caro factum. Rubus enim ſpinoſus, aſper humilis & vilis ſignificat Chriſti humanitatem, quam ipſe ſpontè multis ærumnis, laboribuſque ſubiectam, pauperem, humilem, & deſpicabilem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcepit. Iam ſicut ignis rubum, ita deitas humanitatem, eiuſque mortalitatem, & infirmitatem non conſumpſit. *Per ſuccenſum rubum,*

bum, inquit Diuus Gregorius lib. 28. Moral. cap. 2. Moſen alloquens Deus, quid aliud oſtendit, niſi quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis noſtræ dolores, quaſi rubi ſpinas ſuſciperet, & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam etiam in ipſa diuinitatis flamma ſeruaret. Hinc, & Cyrillus Alexandrinus contra Eutychetem probat duas naturas in Chriſto manſiſſe integras, illæſas, & inconfuſas, ſicut in rubo hoc, integer manſit tam rubus, quam ignis. Rurſum allegoricè ignis in rubo, eſt Deus in Beata Virgine conceptus, & natus illæſa eius virginitate; ita Theodoretus, Rupertus, S. Bernardus ſerm. de B. Maria in illud Apocalip. 12. *Signum magnum apparuit.* Et Gregorius Nyſſenus orat. de Chriſti Natiuitate: *Vt frutex*, inquit, *incendit ignem, & non crematur; itidem etiam Virgo, & lumen parit, & non corrumpitur.* Hinc tota canit Eccleſia: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Sancta Dei genitrix.* Meritò autem virginitas comparatur rubo, quia per humilitatem, ac vitæ aſperitatem conſeruari debet: in delicijs enim, æquè ac in ſuperbia, caſtitas eſt in periculo.

Tropologicè ignis in rubo, eſt tribulatio in homine Sancto, humili, & mortificato: talem enim tribulatio non vrit, non lædit, ſed illuſtrat, & roborat. Rubus autem cum frutex ſit vilis, & aſper, rectè ſignificat virum humilē, & mortificatum; in quo ignis, id eſt Deus habitat, & ſe ſuaque manifeſtat. Item hic rubus figura eſt hominis perfecti, in quo iungitur ignis, id eſt charitas, & rubus, id eſt humilitas, & auſteritas vitæ. Perfectus enim inſtar ignis auſtera quæque, & dura amplectitur, propoſito ſibi maximè Chriſti in cruce exemplo, exclamans cum Apoſtolo, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* veniat tribulatio, veniat anguſtia, veniat fames, nuditas, contemptus: certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit me ſeparare; nec non cum Sancto Martyre Ignatio: *Ignis, crux, beſtiæ, oſſium confractiones, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantùm vt Chriſto fruar.* Symbolum quoque eſt conſummatæ ſapientiæ, conſiſtentis in cognitione Dei, hic enim eſt ignis, & noſtri, homines enim ſunt rubus. Ac demum ſuperioris, ſeu rectoris aliorum, qui debet eſſe ignis per ſapientiam, qua ſciat eos docere, & regere: & per charitatem, ac compaſſionem, qua norit ſubditorum neceſſitatibus ſubuenire, vitia tolerare, infirmitatibus condolere. Vel etiam ſuperior debet eſſe rubus, id eſt ſapientiæ, & charitati coniunctas habere ſpinas iuſtitiæ, & ſeueritatis ad puniendum, & caſtigandum errantes; maximè inobedientes, & rebelles. Anagogicè tandem ignis in rubo, eſt lumen gloriæ, ipſaque beatitudo, & gloria in anima, & carne humana.

Quæ apparuit Hebræis columna nubis dux viæ per diem, & columna ignis per noctem, allegoricè præclarum fuit Chriſti ſymbolum. Primò enim eſt columna propter rectitudinem, & ſtabilitatem, & quia ipſe fulcit Eccleſiam, ita vt indè ſit columna, & firmamentum veritatis; item ob crucem, quam Diuus Hieronymus in pſal. 95. vocat *humani generis columnam*: Secundò, eſt nubes quà homo; & ignis quà Deus: nam vt ait Diuus Ambroſius in Pſal. 119. nubes eſt nebula corporis noſtri, ſed in Chriſto leuis, id eſt cæleſti Spiritus Sācti operatione facta, nullaque ſorde grauis Iſaiæ 19. Sol ergo; vt tolerari poſſit, quemadmodum venit in nube, ita verbum diuinum, vt cum hominibus verſaretur indutum eſt carne, qua deitatem ſuam velauit. Tertiò, Chriſtus inſtar columnæ huius fideles ſuos obumbrat, protegit, & ad terram viuentium, quam electis ſuis promiſit deducit. Ipſe enim eſt dux noſter, qui de ſe ait. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Fuitque hæc columna ignis per noctem, nubis autem per diē,

vt ſigni-

vt ſignificaretur ex Diuo Gregorio homil. 21. in Euangelia, Chriſtum in die, id eſt in vita iuſti eſſe nubem, id eſt blandũ; ſed in nocte, id eſt in vita peccatoris eſſe ignem, id eſt terribilem. Vel etiam Chriſtus in die, id eſt in hac vita oſtendit ſe leuem, vt nubes, ſed in nocte hoc eſt in morte, & in altera vita, ſeu in iudicio, & gehenna, ſe quaſi ignem formidabilem oſtendet. *In fulgure*, inquit S. Gregorius, *terror timoris eſt, in niue autem blandimentum candoris: hinc in reſurrectione Chriſti Angelus talis apparuit, vt ſua ſpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios. Vndè Hebræos per deſerta gradientes columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die: in igne enim terror eſt, in nube viſionis lene blandimentum: dies autem vita iuſti, & nox accipitur vita peccatoris: in die igitur columna nubis monſtrata eſt, & in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis manſuetudinem blande iuſtos demulcebit, peccatores autem per iuſtitia diſtrictionem terrebit.*

Tropologicè etiam hæc columna ignis ſimul, & nubis ſymbolum eſt fidei, ita ſua luce, vt ignis, intellectum illuminantis in ordine ad cognoſcendum, & credendum omnia eius myſteria, vt tamen ratione obſcuritatis ſit nubes, ſeu argumentum non apparentium, ratione cuius debemus captiuare intellectum noſtrum in eius obſequiũ.

Quæ habetur Exodi 24. apparitio Dei, habentis ſub pedibus quaſi opus lapidis Sapphirini, ſymbolum eſt ſplendoris, & maieſtatis Dei, quæ omnem cæli, & gemmarum fulgorem, & ſplendorem longè tranſcendit, & pedibus premit. Allegoricè ſcabellum hoc Dei ſapphirinum ſignificabat claritatem puriſſimam B. Virginis. in qua veluti in ſcabello ſedere dignatus eſt Dei filius, dum in ea conceptus, & natus eſt. Item Anagogicè ex Ruperto, & S. Auguſt. quæſt. 102. regni cæleſtis, in quo nobis Deus promittitur, ſerenitatem, & æternitatem.

1 Viſio velleris, quod Iudic. 6. poſuit Gedeon in area, prius rore madidi, area manente ſicca: poſtea verò ſicci, manente area madefacta, allegoricè ſignificabat ſynagogam, quæ prius habuit pluuiam fidei, & donorũ Dei; poſtmodum verò translata fide in aream Gentilitatis, ipſa arida remanſit. Vel etiam differentiam Synagogæ, & vniuerſalis Eccleſiæ in nouo teſtamento ob manifeſtationem gratię in eo, ex D. Auguſtino ſerm. 2. de verbis Apoſtoli. *Repete*, inquit, *tempus veteris teſtamenti: gratia occultabatur tanquam imber in vellere: attende tempus noui teſtamenti; diſcute gentem Iudæorum, quaſi vellus ſiccum inuenies: orbis verò totus tanquã area plenus eſt gratia, non occulta, ſed manifeſta.*

Item allegoricum fuit ſymbolũ Incarnationis Verbi Diuini in vtero Beatiſsimæ Virginis. Cum enim Gedeon interpretetur circumiens in vtero, quid eſt, inquit Rupertus, circumiens in vtero, niſi omnipotens Deus, ſua diſpenſatione nos redimens, & ſua diuinitate cuncta complectens: vt in vtero incarnatus eſſet, vt clauſus non eſſet? Cuius rei inſignis habetur Prophetia pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Communiter enim Sancti Patres hunc locum ad litteram, ſiue propriè de myſterio incarnationis interpretantur, atque ad vellus Gedeonis alludi exiſtimant. Inter quos D. Ambroſius ſer. 13. de Natiuitate Domini hæc habet: *Quid tam ſilenter, & ſine ſtrepitu fit, quam cum imber in lana vellus infunditur? nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſsionis aſpergit, ſed ſine inquietudine hominum, totum imbrem per multiplices effuſum partes, toto corpore in ſe trahit, vnius meatus ſciſſuram neſciens, ſolida mollitie plures præbens meatus, & quod clauſum videtur per denſitatem, eſt patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauſerit corpore, nec diſciſſuram corporis paſſa ſit, ſed om-*

nino mollis fuerit ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam. Rectè, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta teruntur. Vellus planè Maria eſt, ſi quidem de molli ſinu eius agnus eſt egreſſus, qui & ipſe matris laniciniam, hoc eſt, carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fruitur ſanguine, & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur. Hactenus Diuus Ambroſius. In cuius verbis illa maximè Virginis deſcriptio obſeruanda eſt, qua per ſimilitudinem, vel analogiam ad velleris mollitiem, & ſoliditatem, dicitur mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctitatem, hæc enim duo in primis enituerunt in ea, ad peragendum Incarnationis myſterium. Solida ſiquidem ad Sanctitatem fuit, cum dixit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*; mollis verò ad obſequium, cum addidit, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*.

Inter alias figuras, hanc quoque de vellere Gedeonis allegoricè Diuus Bernardus accommodat Beatiſſimæ Virgini Mariæ homil. 2. ſuper Miſſus eſt, nec non ſerm. 3. de Annuntiatione.

Deueniendo ad viſiones Prophetarum prima, quæ facta eſt Iſaiæ cap. 6. de Deo ſedente ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; Seraphinis ſuper ſtantibus, quorum ſinguli ſenas alas habebant, quarum duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant; & clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Hæc, inquam, viſio nihil non plenum myſterijs, ſacriſque ſymbolis habet. 1. Seſſio Dei in throno, vel ſolio ſignificat tam authoritatem iudicandi, quam maieſtatem abſolutè, & infinitam præ cæteris eminentiam, cumque Daniel. 7. plurium ſedium, ac thronorũ fiat mentio, hic autem vnius duntaxat, ſymbolum eſt perfectiſſimi Dei iudicij, perindeque eum ſufficienter iudicare ſolum, ac ſi quamplurimos ad iudicandum aſſeſſores haberet. Dici etiam poteſt, plures illos thronos in veteriteſtamento vacuos expectaſſe iudices legis gratiæ; iuxta illud Chriſti Domini Matth. 19. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael*; Et Diui Ioannis Apocal. 4. *Sedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes*.

2. Seraphim faciem, ac pedes Dei velantes ſignificabant ex D. Hieronymo, præterita ante mundum, & futura poſt ipſum ſciri nunc non poſſe; ſed media tantùm, quæ ſex diebus facta ſunt, nobis patere. Vel ex Cyrillo lib. de Spirit. & Litt. duabus alis velabant faciem Dei, ad denotandum nullum eſſe eius principium; & duabus pedes, quia eius viæ, ſiue opera ſunt etiam inſcrutabilia. Vndè illud Pſal. 76. *In mari via tua*; id eſt, tam non poſſunt opera tua comprehendi, quam nec in mari veſtigia.

3. Seraphim ſtabant ſimul, & volabant, ad ſignificandum ex Ambroſio in Pſal. 76. ſtare, & volare tempora; præteritum ſcilicet, & futurum ſtare, præſens autem volare. Vel ex Diuo Gregorio lib. 18. Moral. cap. 28. ſtando denotabant quietem, & complementum appetitus in beatitudine; volando autem, non eſſe in ea quiete faſtidium; vndè illud D. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Vel demum dici poteſt per Seraphim ſtantes ſignificari beatitudinem eſſentialem, in qua, vt ait Diuus Auguſtinus, non mobiles, aut volubiles ſunt cogitationes noſtræ; per volatum autem eorumdem beatitudinem accidentalem, quæ per nouas reuelationes contingit in beatis.

Moraliter tandem per huiuſmodi Seraphinorum habitum deſignatur inſignis obedientia. Per alas enim extenſas ad volatum denotatur promptitudo ad exequenda Superiorum mandata; per alas, quibus velatur facies, ſiue caput, abnegatio proprij iudicij, vt ſit obedientia cęca; per eas, quibus teguntur

tur pedes, compreſſio partis inferioris ſuperiori in obediendo maximè repugnantis, & reſiſtentis. Vel obedientem ita debere eſſe totum alatum, vt prælati mandata alato iudicio, alatis humeris, alatis pedibus exequatur.

4. Denique Seraphim clamantes alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſignificabant Sanctam Trinitatē, cuius myſterium, ſeu clara eius notitia fuit quidem noui teſtamenti propria, ſufficienter tamen in veteri inſinuata, vt ſatis fusè oſtendimus 2. p. tom. 5. lib. 4. ſect. 11. cap. 7. expendendo etiam hunc Iſaiæ locum.

Virga vigilans, quam vidit Ieremias cap. 1. ſymbolum fuit vigilantiæ, ac prouidentiæ diuinæ, ſeu prouidæ Dei vigilantiæ. Sic Aegyptij pingebant Deum quaſi oculum baculo innixum, vt ſignificarent eius omniſcientiam, & peruigilem curam, quaſi paſtoralem, tanquam qui omnia videat, & regat quaſi paſtor, & rex, cuius inſigne eſt ſceptrum, & virga, qua bonos paſcit, malos percutit, ex Cyrillo lib. 9. contra Iulianum. Sed etſi virga vigilans aptiſſimum ſit prouidæ Dei vigilantiæ ſymbolum, loco tamen citato Ieremiæ magis propriè ſymbolum eſt celeris Dei vltionis; ſeu huiuſmodi viſione, virgæ vigilantis, quam alij oculatam, alij amygdalinam vocant, quæ primò inter arbores veluti euigilat, quia prima ſollicita eſt, vt ſuos flores emittat: ideoque amygdalus Hebraicè dicitur *Scaked*, id eſt vigilans; ſignificare voluit Deus Ieremiæ, ſe citò acceleraturum pœnas, & captiuitatem Babylonicam, quam Iudæis comminatus fuerat. Etſi enim Deus plerumque tardus ſit ad iram, & vindictam; aliquando tamē ipſe, eiuſque vindicta ad peccata excubat, & vigilat, vt ea citò plectat, & puniat. Ita ad Caini fratricidium vigilauit Deus, dicens: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, nunc igitur maledictus eris ſuper terram vagus, & profugus,* &c. Geneſ. 4. Et Danielis 4. v. 10. & 14. *Vigil, & Sanctus de cælo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, id eſt, Nabuchodonoſorem ſuperbū regno ad beſtias eycite.* Item cap. 5. Balſaſar ſacrilegus, & temulentus mox vidit manum ſcribentem in pariete: *Mane, techel, phares,* quæ eadem nocte ipſi, & regno exitium attulit, & ſic de alijs exemplis.

Quam ibidem vidit Ieremias ollam ſuccenſam à facie Aquilonis verſus Ieruſalem ſymbolum quoque fuit eiuſdem vindictæ diuinæ confirmatiuum. Tropologicè etiam dici poteſt per virgam exhiberi, vel ſignificari tempus correctionis hic pœnitentibus exhibitum; quam ſi nolint, reſeruat impœnitentibus ollam gehennæ, vti Theodoricum Regem poſt mortem in Vulcani ollam proijci, vidit Sanctus ille Eremita, apud S. Gregorium lib. 4. Dialogi cap. 3.

Duo calathi pleni ficis oſtenſi Ieremiæ, vnus ficus bonas habens nimis, & alter malas nimis, cap. 24. ita litteraliter primus ſignificabat Ioachin cum ſuis, obedientem Deo; ſecundus autem Sedeciam cum ſuis inobedientem Deo in cruce, & captiuitate ſuſcipienda, vt tropologicè duo hi calathi ſint duæ ciuitates, vna Dei, altera diaboli; ſecundò, ſint Chriſtiani, & Iudęi; tertiò, electi, & reprobi, ſiue gehenna, & cælum; quartò, religioſi boni, & mali; hi enim ſunt quaſi in templo Domini, & terreſtri paradiſo Dei, vt ficus, & fructus, cæleſtes proferant offerantque Deo. Hinc rectè ait D. Auguſtinus epiſt. 137. *Sicut non inueni meliores ijs, qui in monaſterio profecerunt, ſic nec deteriores ijs, qui in monaſterio defecerunt.*

Quæ Ezechieli cap. 1. facta eſt viſio 1. turbinis à vento Aquilonari excitati, quem conſecuta eſt atra nubes, & in cuius medio ſplendidus viſebatur currus, habens ignitas rotas quatuor, eaſque vitali ſpiritu præditas, & altitudinis horrendæ. 2. rotarum, quas circumſtabant quatuor animalia, aut potius quatuor iuuenes alati, toti flammantes, & ſcintillantes; quorum quiſque ante habe-

niſi in magna valde miſericordia tua. O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris charitas, Deus meus, accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis. Quod in partu maſculi tantum 40. in partu verò fœminæ ſtatuantur 80. dies purificationis mulieris, tropologicè eſt, ex Radulpho, quia mulier pariens maſculum eſt anima perfecta, perfectas, & heroicas excolens virtutes; quę vna quadrageſima, id eſt pænitentia huius vitę ante mortem purgatur, vt ſtatim poſt eam euolet ad cælum: ſed fœmina pariens, id eſt, quæ remiſſior ad virtutum culmina non contendit, hæc poſt hanc quadrageſimam pænitentiæ, aliam in purgatorio ſubibit. Demum quod à puerpera pro immunditia, ac veluti irregularitate legali in partu contracta offerretur turtur, & columba, ita fiebat in ſignum fidei, & caſtimoniæ coniugalis, vt etiam tropologicè ſignificaretur, pænitentem ceſſare non debere gemere donec purificetur, nam turtur, aut columba gemens ſymbolum eſt luctus, & pænitentię.

Quæ Leuitici cap. 13. deſcribitur lepra, quęque dantur leproſis quinque præcepta, præter moralem, quam habent ſignificationem, vt quod lepra vniuerſim ſit cujuslibet peccati ſymbolum, ex Radulpho, varię autem eius ſpecies, reliquorum peccatorum in particulari, v. g. lepra capitis, ſit ſymbolũ hæreſis ex eodem authore, & Iſychio; inſuper allegoricè fuere typus carnis Chriſti flagellis, & plagis dilaniatæ, & deſiguratæ. Chriſtus enim lepram noſtram, id eſt peccatum, in ſe luendum ſuſcepit. Vndè in cruce factus eſt quaſi leproſus; ſic enim Iſaiæ cap. 53. dicitur: *Nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Idque 1. quia ſicut leproſus toto corpore maculatus, ſui horrorem intuentibus incutit: ita Chriſtus toto corpore flagellis, & vulneribus liuidus, horrorem ſimul, & commiſerationem aſpicientibus commouebat: vt merito Pilatus eum Iudæis proponens, dixerit: *Ecce homo.* 2. leproſus habebat veſtes diſſuras: ita milites ſciderunt veſtes, quin & carnem Chriſti, latus eius lancea aperiendo. 3. leproſus habebat caput nudum; Sic Chriſtus nudo fuit capite, ſpinea duntaxat corona coronato. 4. leproſus habebat os veſte contectum; & de Chriſto ait Iſaias: *quaſi abſconditus vultus eius*; quodque *quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* 5. leproſus ſe leproſum, ac ſordidum clamare debebat: Chriſtus autem totus cruentus quid clamat? niſi, *O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* 6. leproſi caro erat viliſſima, & abiectiſſima. Et Chriſtus ait: *Ego ſum vermis, & non homo opprobriũ hominum, & abiectio plebis.* Similiſque fuit S. Iob, qui ſedens in ſterquilinio non fuit agnitus ab amicis: quia *non erat ei aſpectus neque decor.* 7. Si lepra ſolebant puniri ſuperbi: ita Chriſtus noſtræ ſuperbię, quaſi lepræ ſpeciem geſſit, eamque curauit ſua hac abiectione, *liuore enim eius ſanati ſumus.* 8. tandem leproſi vrbe pellebantur, nemo eos aditu, congreſſu, ſermone dignabatur, omnes illos aſpernabantur, & quaſi peſtem fugiebant: ita Chriſtus, quaſi leproſus, extra portam eiectus, & crucifixus eſt, Hebr. 13. & Pſalm. 37. 12. vbi dicitur: *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt.* Diuus Hieronymus vertit: *Quaſi contra lepram meam ſteterunt, & qui iuxta me erant, de longe ſteterunt.*

Qui Leuitici 14. offerebantur paſſeres pro mundatione leproſi allegoricè figurabant Chriſtum Dominum rectè paſſeri comparatum, ſicut & quilibet iuſtus, ob analogias cap. 2. adductas, qui lepram noſtrorum peccatorũ ſuo ſanguine pretioſo expiare debebat. Item aſpergillum cedrinum cum cocco, & hyſſopo, tincto in ſanguine paſſeris immolati, quo aſpergi debebat, qui mundandus à lepra erat allegoricè ſignificabat lepram, id eſt peccatum,

eatum, primò per lignum cedrinum, fortiſsimum, & imputribile, eſſe deſtruendum, omniaque vincenda, & ſuperanda: ſecundo per coccinum, id eſt per ſanguinem paſſionis Chriſti, ſeu ab eo in cruce effuſo. Tertio per hyſſopū quæ boni odoris eſt, id eſt per gratiam Spiritus Sancti, quæ in virtute huius ſanguinis nobis communicatur. Quartò per paſſerem viuum ſignificabatur Chriſti diuinitas impaſſibilis, & immortalis, per paſſerem autem morientem eiuſdem humanitas immolata. Sexto per aquas viuas, vel baptiſmus, vel aqua, quæ exijt è latere Chriſti. Vel etiam hæc omnia complectendo, Chriſtoque crucifixo adaptando, dici poteſt, cum in ligno crucis, charitatis vinculo ligatum, veram eſſe hyſſopū, ligno cedrino per filum coccineum colligatam. Chriſtus enim ſua humilitate inflationem cordis noſtri ſanat, ſicut hyſſopus herba humilis, prodeſt purgandis, & ſanandis præcordijs: hæc hyſſopus tincta in cruce proprio ſanguine, aſpergit per fidem credentes in ipſum, iuxta illud Iſaię 52. *Iſte aſperget multas gentes.* Hine & Dauid orat: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor*; cupiens ſcilicet perfectè mundari: in veteri enim lege purificabantur immundi, vel aſperſione, vel ablutione.

In hac demum luſtratione, & aſpergillo, tropologicè hyſſopus eſt fides, cedrus eſt ſpes, coccinum eſt charitas, paſſer viuus eſt humilitas, paſſer moriens eſt mortificatio: aquæ viuæ ſunt lachrymę pęnitentis: hiſce enim à lepra peccati emundamur. Ex Auguſtino quæſt. 33. in num. Hyſſopus namque herba humilis radicibus hæret in terra; vnde apte fidem, quæ Deo, Deique veritate infallibili nititur, ſignificat: cedrus altiſsimè ſe erigens, ſpei eſt ſymbolum: coccinus autem rubens inſtar ignis, charitatis: porro hæc omnia tinguntur ſanguine: quia per paſsionis Chriſti vim, efficaciam, & memoriam hæ omnes virtutes, & aliæ excitantur.

Cum Sanctum Sanctorum in tabernaculo ſignificaret cælum: Sanctum autem, viros perfectos huius vitæ; & atrium communem laicorum vitam, tropologicè quotidiana atrij expiatio Leuit. 16. quia in altari holocauſtorū, quod erat in atrio, quotidie ſacrificabatur, figurabat imperfectos ob frequentes lapſus, frequenti quoque, & continua indigere pænitentia. Sanctum verò ſemel in anno expiatum, quod viri perfecti per illud deſignati, licet inculpatè videantur viuere, tamen ex hac vita egredi non debent ſine pęnitentia, vti docuit & exemplo ſuo oſtendit Diuus Auguſtinus ex Poſſidonio in eius vita. Sanctum etiam Sanctorum expiabatur, quia licet in cœlum per illud figuratum, nihil ſit aut intret coinquinatum, pænitentia tamen aperitur, cum prius eſſet per peccata noſtra clauſum.

Lex de non ſerendo agro diuerſo ſemine, & de veſte, quæ ex duobus texta eſt, non induenda, ſymbolum fuit, quò Deus in ſe ſimpliciſsimus, ipſaque ſimplicitas, eamdem hominibus commendare voluit, biformeſque mores vetare: Hinc Chriſtus ait: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Prudentia enim abſque ſimplicitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Ex Cyrillo lib. 8. de adoratione. Item ex Radulpho, diuerſum ſemen ſeminat Eccleſiaſtes, qui bona loquitur, & mala operatur, qui verbo triticum ſpargit, ſed exemplo peccati ſementem diſcipulorum cordibus inijcit. Et veſtem bilicem, ſiue ex lana, & lino contextam induunt, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autē in cordibus eorū; lana enim, quia craſſior eſt, opus viſibile: linum, quia ſubtilius eſt, occultam malitiam ſignificant.

Macula, ſeu vitia corporis, quibus Leuitici 21. carere debebant Sacerdotes, documenta ſymbolaque erant vitiorum fugiendorum. Ex Diuo enim Gregorio 1. par. paſtor. cap. vltimo. *Cæcus eſt, qui tenebris præſentis vitæ preſſus, quo greſſum operis porrigat, neſcit,*

ſcius; claudus, qui videt quidem, ſed per infirmitatem mentis, quæ videt, perfectè implere non valet: naſo eſt paruo, cui parua diſcretio. Vnde Cantic. 7. dicitur Naſus tuus, ſicut turris, quæ eſt in Libano: quia Sancta Eccleſia, quæ ex ſingulis cauſis tentamenta prodeant, per diſcretionem conſpicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit: naſus grandis, & tortus eſt, diſcretionis ſubtilitas immoderata, quæ dum pluſquam decet excreuerit, actionis ſuæ rectitudinem ipſa confundit. Eſt fracto pede vel manu, qui bonorum operum exors vacat; vel ex Diuo Cyrillo, qui non integrè ad probas actiones graditur, ſed opus Dei facit imperfectè, & negligenter. *Gibboſus eſt, quem terrena ſollicitudo deprimit, ne vnquam ſuperna reſpiciat: lippus eſt, cuius ſenſum, & mentem natura exacuit, ſed conuerſationis prauitas confundit: albuginem habet, qui candorem iuſtitiæ, vel ſapientiæ ſibi tribuens, à luce ſupernæ cognitionis ſe per arrogantiam excludit: iugem habet ſcabiem, cui carnis petulantia dominatur: impetiginem, cui auaritia: hernioſus eſt, qui in abditis, id eſt in mente pondus turpitudinis geſtat.* Ita D. Gregorius loco citato; & ex eo Radulphus.

Hac quoque corporali Sacerdotum ab omni indecentia, & macula, puritate, vel munditie, quam maximè figurabatur perfectio, & ſanctitas animæ, quæ omnes, potiſſimum autem Sacerdotes, perſonæque Deo conſecratæ præcellere debent; nam ſi mortale corpus ſacerdotis inſpici oportet, ne quo contractum ſit vitio, quanto magis immortalem animam formatam ad Dei imaginem? idque adhuc magis in Sacerdotibus nouæ legis. Primò enim cum Sacerdotes in terris Dei perſonã repræſentent; eius quoque ſanctitatem ſpecialiter in ſe exprimere, & referre debent. Secundò, quia etiam comparantur Angelis, imo officio eos ſuperant ſacerdotes nouæ legis, peccata condonando, & corpus Chriſti conſecrando. Tertiò, quia alios ſanctificare debent, tanquam Satores æternitatis. Quartò, quia ipſi mediatores ſunt inter Deum, & homines. Quintò tandem, quia eorum munia ſunt ſanctiſſima, ſcilicet baptizare, à peccatis abſoluere, ſacrificare, & conſecrare ſanctiſſimam Chriſti carnem, & humanitatem. Vndè S. Chryſoſtomus homil. 60. ad populum ſic infert: *Quo igitur non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod igne ſpiritali repletur? lingua, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit.* Quod etiam apertè probant plura exempla, quibus ſacerdotes impuros, & alios à Deo punitos fuiſſe legimus, è contrà verò puris, & Sanctis, Chriſtum, & Angelos aſtitiſſe, & miniſtraſſe, quin & ſubinde ſacram hoſtiam detuliſſe.

Feſtum Pentecoſtes, quod erat tertium Hebræorum Leuit. 23. allegoricè ſignificabat Pentecoſten Apoſtolorum, qua Spiritus Sanctus in eos per linguas igneas deſcendit, legemque nouã promulgauit in Sion, quo recepto ſtatim metere cæperunt regiones albas ad meſſem, vt ait Chryſoſtomus homil. 2. in Acta, & offerre Domino duos panes primitiarum, de duobus populis Iudæorum, & Gentium, tumque Deo immolati ſunt multi Martyres, partim agni, id eſt innocentes; partim arietes, id eſt Doctores, & Principes Eccleſiæ; partim vituli, qui ſcilicet olim ſuperbi fuerant in ſeculo; partim hædi, qui nimirum prius in ſordibus, & fætore peccatorum vixerant. Tropologicè quinquagenarius hic numerus Pentecoſtes index, ac ſymbolum fuit perfectæ pænitentiæ, ac remiſſionis peccatorum, vti fusè docet S. Hieronymus lib. 2. in Iſaiam ſub initium. Tunc enim offerimus duos panes, id eſt amorem Dei, & proximi; Pentecoſtenque celebramus non Iudaice, ſed Chriſtiane, hoc eſt non tantum littera, ſed & ſpiritu. Anagogicè tandem hoc feſtum, ſeu Sabbatum Hebdomadarum ſignabat vniuerſalem requiem omnium Sancto-

rum in cælo. Vt ſicut ſecundo die azimorum præceſsit oblatio manipuli ſpicarum, id eſt Chriſti reſurrectio, ita ſeptima exindè hebdomada, & die 50. omnes qui per fidem, & dilectionem adhęſerunt, ad eum quaſi ad caput ſuū congregentur, æternam cum illo requiē habituri, eaneque offerent duos panes primitiarum, gloriam ſcilicet animæ, & corporis, eaque Deo, Deique laudibus æternis conſecrabunt ex Radulpho.

Duæ tubæ argenteæ ductiles, quibus Num. 10. conuocabatur populus, primò, ad mouenda caſtra. Secundò, ad feſta. Tertiò, ad ſacrificia. Allegoricè ſignificabant duos Chriſti aduentus, ſcilicet primum in carnem, ſecundum ad iudicium. Primò enim Chriſtus inſonuit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit Regnum Cælorum.* Secundò inſonabit: *Ite maledicti in ignem æternum.* Per has tubas ſignificari etiā tropologicè poſſunt minę inferni, & promiſſiones cæli, quas exemplo Chriſti populo iugiter inſonare debent cōcionatores, vt æternitatis, & metu, & ſpe, corda hominum feriant, & compungant. Vel tandem duplex genus prædicationis in Eccleſia vſitatum; primum, quod fidem roborat, & dilatat, ſecundum, quod mores corrigit. Argenteæ ſunt ob ſplendorem, ſummamque ſinceritatem. Ductiles ſunt, quia neceſſe eſt, vt hi, qui venturam vitam prædicant, tribulationum præſentium tunſionibus, & ductibus creſcant, ex D. Gregorio lib. 30. Moral. cap. 7. & ex Procopio, vna tuba doctrinalis eſt, ſecunda moralis.

Aqua luſtrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combuſtæ, confecta Numer. 19. allegoricè fuit typus, vel figura ſanguinis Chriſti. Nam, *ſi cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti*; ex Apoſtolo Hebr. 9.

Serpens æneus in ligno erectus, per cuius aſpectum Numer. 21. ſanati fuere, qui à ſerpentibus ignitis morſi fuerant, allegoricè ſymbolum fuit Chriſti in cruce erecti, tanquam noxij, & ſcelerati, cuius intuitu per fidem, & contritionem, ſanamur à lethalibus peccatorum morſibus. Quemadmodum enim ſerpens hic habebat formam ſerpentis, ſed non venenum: ita Chriſtus aſſumpſit quidem formam peccatoris, ſed non peccatum. Et hoc eſt, quod de ſe ait Ioann. 3. *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari* (in cruce ſcilicet) *oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Effigies inquit Tertullianus lib. de idololatria cap. 5. ænei ſerpentis ſuſpenſi figuram deſignauit Dominicæ Crucis, quæ à ſerpentibus, id eſt Angelis diaboli nos erat liberatura, dum per ſemetipſam diabolum, id eſt ſerpentem interfectū ſuſpendit. Serpens hic fuit æneus, vt ſignificaret 1. diuinitatem, & æternitatem Chriſti: æs enim duriſſimum eſt, incorruptibile, & quaſi æternum. 2. crucis Chriſti claritatem, & gloriam, quæ omnes gentes peruaſit, quaque à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum, & ardentes diadematum gemmas condecorat; ænea enim vaſa, inter omnia metalla, maximum ſolent edere ſonum, & tinnitum. 3. igneam charitatem tum Dei, tum Chriſti in cruce, tam dolore, quàm amore noſtri aſſi, & toſti. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Chriſtus ergo crucifixus eſt ſaraph, id eſt ſerpens ignitus, vrens, accendens, & comburens nos ſua charitate; quem nos ex Diuo Bernardo pigere non debet videre in patibulo pendentem, ſi tandem velimus videre Regem in ſolio reſidentem. *Crux enim*, ex D. Auguſtino ſerm. in paraſceue, *nobis totius cauſa beatitudinis eſt: hæc nos à cæcitate liberauit erroris: hæc à tenebris reddidit luci:*

luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: hæc peregrinantes ciues oſtendit. Hæc diſcordiæ amputatio eſt, hæc pacis firmamentum, hæc donorũ omnium abunda largitio. Hodiè Crux fixa eſt, & ſæculum ſanctificatum eſt. Hodiè crux fixa eſt, & dæmones diſperſi ſunt. Hodiè crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt. Hodiè crux vicit, & mors victa eſt. Hodiè diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt. Et libro de Virgin. *Inſpice*, ait, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite; vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in cruce.*

Vltimum denique veluti fluens artefactum, quod ſacris etiam ſymbolis eſt plenum, fuit Templi Salomonis, introducta in ipſum arca, dedicatio, nebula illud implente, ita vt non poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter illam; repleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quam autem nubes ſit aptum diuinæ prouidentiæ, & gubernationis, præmiationis, ac punitionis ſymbolum, ſeu quaſi per velum ſignificatio, & oſtenſio, iam explicuimus ſupra cap. 2. Tantumque ſit de huiuſmodi artefactis in ordine ad efformanda ſacra ſymbola.

CAPVT VI.

De apparitionibus, rebuſvè apparentibus, quarum fit mentio in Sacra Scriptura, quæque Sacrorum ſymbolorum materia eſſe poſſunt.

SCala, quam Geneſ. 28. vidit Iacob in ſomnis ſtantem, cum Angeli in ea deſcendentes felicem eius aditum in Haran, aſcendentes autem felicem reditum in Chanaan litteraliter ſignificarent, copioſa eſt inſuper plurium ſymbolorum materia. Primò enim ſignificat prouidentiam, & gubernationem diuinam; vndè Deus illi innititur, quaſi prima cauſa, primumque omnium mouens. Angeli aſcendentes, & deſcendentes ſunt miniſtri, & executores eiuſdem prouidentiæ Dei, ſua cuique munia ſigillatim diſtribuentis. Hæc ſcala à cęlo terram pertingit, quia Deus inferiora per ſuperiora, homines per Angelos gubernat. Duo eius latera ſunt ſuauitas, & fortitudo. Deus enim ſua ſapientia mundum gubernans, attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Varij demum eius gradus, ſunt varij diuinæ prouidentiæ modi, variæque rerum ſpecies, & perfectiones indè manantes.

Item allegoricè ſymbolum eſt Incarnationis Verbi, ſeu generationis Chriſti ex Iacob naſcituri, & deſcenſuri per varios gradus, id eſt generationes, & genitores, quorum vltimus eſt Ioſeph cum Beatiſſima Virgine, ſummus eſt Adam, qui proximè, & immediatè à Deo creatus eſt. Duo ſcalæ latera, ſunt miſericordia, & veritas, ſiue fidelitas Dei de promiſſo Meſſia: Hæc enim duo fecerunt diuinum Verbum ad nos deſcendere, noſtramque carnem mortalem ſuſcipere. Hæc ſcala tangit terrã, quia Verbum incarnatũ in terra, eamque ſuo incarnationis tactu benedixit; tangit cælum, quia Chriſtus, qui incarnatus eſt, eſt filius Dei, ſiue Deus homo; Chriſtus enim cæleſtia terrenis, ima ſummis, Deumque ipſum homini in ſe coniunxit; vndè ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* Ipſeque eſt ſcala noſtra per quam ad Deum aſcendimus, nemo enim venit ad Patrem niſi per Chriſtum. Deſcendunt Angeli, vt hoc Incarnationis myſteriũ hominibus annuncient: & aſcendunt, vt ardentia Patriarcharum deſideria, & orationes ſurſum ferant ad Deum. Gradus denique huius ſcalæ ſunt variæ Chriſti virtutes, ac præſertim quatuor, humilitas in natiuitate, paupertas in

præſe-

præſepio, charitas in progreſſu vitæ, & obedientia in paſsione. Ex Auguſtino lib. 12. contra Fauſtum cap. 26. Beda Gen. 28. Ruperto ibidem.

Allegoricè quoque ſignificat hæc ſcala Crucem Chriſti. Ego puto, inquit Hieronymus in pſalm. 98. crucem Saluatoris illam eſſe ſcalam, quam vidit Iacob. In iſta ſcala deſcendebant Angeli, & conſcendebant. In iſta ſcala, hoc eſt, Cruce, deſcendebant Iudęi, & conſcendebant Gentiles. Et Auguſtinus: Iacob dormiebat, & Dominum in cacumen ſcalæ videbat incumbere. Quid eſt in ſcalam incumbere, niſi in ligno pendere. De quo plura vide ſerm. 79 de tempore, & tract. de Catechyſmo. Item Chryſoſtomus, Crux Chriſti eſt ſcala Paradiſi.

Tropologicè verò Scala Iacob denotat virtutes, quibus ſcandimus in cælum. Scala hæc, inquit Tertullianus in fine lib. 3. contra Marcionem, eſt via, quia iuſti aſcenſiones in corde ſuo diſponunt in cælum. Idem inſinuat Spiritus Sanctus Sap. 10. v. 10. vbi de Iacobo, & viſione huius ſcalæ ſic ait: *Hæc* (Sapientia) *profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei.* Duo latera huius ſcalæ, ſunt fides, & opera, vel verbũ Dei, & Sacramenta: gradus ſunt variarum legum, & virtutum aſcenſus, aut ex Baſilio in Pſal. 1. huius ſcalæ, quæ eſt aſcenſus ad perfectionem, culmen eſt charitas, gradus, ſunt decem gradus abrenuntiationis, quos ibi enumerat; vel denique hi gradus ſunt incipientium, proficientium, & perfectorum, quibus Deus in vertice ſe vnit, in iiſque habitat, & deliciatur. Angeli aſcendentes ad Deum ſignificant vitæ contemplatiuæ, deſcendentes verò ad humana, vitæ actiuæ ſectatores ex D. Gregorio lib. 5. Moral. & ex D. Thoma 2. 2. q. 181. art. vlt. In hac autem Scala nemo ſubſiſtit, quia ex Diuo Bernardo epiſt. 253. in via perfectionis, inter profectum, & defectum, nihil eſt medium; ipſumque non progredi, regredi eſt.

Trina apparitio, qua Dominus apparuit Iacob. Primo fugienti Eſau, innixus Scalæ. Secundò redeunti ex Meſopotamia in Lucta Geneſ. 32. Tertio in Bethel cap. 35. ſymbolicè ſignificat triplicem eiuſdem, vel Chriſti apparitionem. Apparet enim dormientibus in contemplatione: apparet & luctantibus in tribulatione: apparet tandem vincentibus in æterna benedictione. De prima dicit S. Bernardus, Chriſtus videri vult, non videre; quaſi ſtrenuus dux, deuoti militis vult vultum ſuſtolli in ſua vulnera: ſua non ſentiet, dum illius intuebitur vulnera Chriſti miles; hoc eſt videre Chriſtum innixũ Scalæ, vnde ait Apoſtolus Hebr. 12. *Aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* De ſecunda dicit idem S. Bernardus, ſuſtinuit te dilectus: ſuſtine tu dilectum, non illum vicere, peccata tua: te quoque illius flagella non ſuperent, & obtinebis benedictionem. De tertia dicitur 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* & Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria Tua.* Ex Hugone Cardinali.

Quæ Exodi cap. 3. habetur Domini apparitio Moyſi in flamma ignis de medio rubi, qui ardebat, & non comburebatur, innumeris plena eſt ſymbolis. Cum enim hic ignis, & rubus ardens, & incombuſtus litteraliter ſignificaret Iudęos in afflictione illęſos: Primùm aptiſſimum eſt diuinitatis ſymbolum ob plures analogias, vt diximus ſupra cap. 2. Secundò ignis in rubo, allegoricè eſt Deus in carne, ſiue Verbum caro factum. Rubus enim ſpinoſus, aſper humilis & vilis ſignificat Chriſti humanitatem, quam ipſe ſpontè multis ærumnis, laboribuſque ſubiectam, pauperem, humilem, & deſpicabilem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcepit. Iam ſicut ignis rubum, ita deitas humanitatem, eiuſque mortalitatem, & infirmitatem non conſumpſit. *Per ſuccenſum rubum,*

luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: hæc peregrinantes ciues oſtendit. Hæc diſcordiæ amputatio eſt; hæc pacis firmamentum, hæc donorũ omnium abunda largitio. Hodiè Crux fixa eſt, & ſæculum ſanctificatum eſt. Hodiè crux fixa eſt, & dæmones diſperſi ſunt. Hodiè crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt. Hodiè crux vicit, & mors victa eſt. Hodiè diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt. Et libro de Virgin. *Inſpice*, ait, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite; vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in cruce.*

Vltimum denique veluti fluens artefactum, quod ſacris etiam ſymbolis eſt plenum, fuit Templi Salomonis, introducta in ipſum arca, dedicatio, nebula illud implente, ita vt non poſſent Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter illam; repleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quam autem nubes ſit aptum diuinæ prouidentiæ, & gubernationis, præmiationis, ac punitionis ſymbolum, ſeu quaſi per velum ſignificatio, & oſtenſio, iam explicuimus ſupra cap. 2. Tantumque ſit de huiuſmodi artefactis in ordine ad efformanda ſacra ſymbola.

CAPVT VI.

De apparitionibus, rebuſuè apparentibus, quarum fit mentio in Sacra Scriptura, quæque Sacrorum ſymbolorum materia eſſe poſſunt.

SCala, quàm Geneſ. 28. vidit Iacob in ſomnis ſtantem, cum Angeli in ea deſcendentes felicem eius aditum in Haran, aſcendentes autem felicem reditum in Chanaan litteraliter ſignificarent, copioſa eſt inſuper plurium ſymbolorum materia. Primò enim ſignificat prouidentiam, & gubernationem diuinam; vndè Deus illi innititur, quaſi prima cauſa, primumque omnium mouens. Angeli aſcendentes, & deſcendentes ſunt miniſtri, & executores eiuſdem prouidentiæ Dei, ſua cuique munia ſigillatim diſtribuentis. Hæc ſcala à cęlo terram pertingit, quia Deus inferiora per ſuperiora, homines per Angelos gubernat. Duo eius latera ſunt ſuauitas, & fortitudo. Deus enim ſua ſapientia mundum gubernans, attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Varij demum eius gradus, ſunt varij diuinæ prouidentiæ modi, variæque rerum ſpecies, & perfectiones indè manantes.

Item allegoricè ſymbolum eſt Incarnationis Verbi, ſeu generationis Chriſti ex Iacob naſcituri, & deſcenſuri per varios gradus, id eſt generationes, & genitores, quorum vltimus eſt Ioſeph cum Beatiſſima Virgine, ſummus eſt Adam, qui proximè, & immediatè à Deo creatus eſt. Duo ſcalæ latera ſunt miſericordia, & veritas, ſiue fidelitas Dei de promiſſo Meſſia: Hæc enim duo fecerunt diuinum Verbum ad nos deſcendere, noſtramque carnem mortalem ſuſcipere. Hæc ſcala tangit terrã, quia Verbum incarnatũ in terra, eamque ſuo incarnationis tactu benedixit; tangit cælum, quia Chriſtus, qui incarnatus eſt, eſt filius Dei, ſiue Deus homo; Chriſtus enim cæleſtia terrenis, ima ſummis, Deumque ipſum homini in ſe coniunxit; vndè ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* Ipſeque eſt ſcala noſtra per quam ad Deum aſcendimus, nemo enim venit ad Patrem niſi per Chriſtum. Deſcendunt Angeli, vt hoc Incarnationis myſteriũ hominibus annuncient: & aſcendunt, vt ardentia Patriarcharum deſideria, & orationes ſurſum ferant ad Deum. Gradus denique huius ſcalæ ſunt variæ Chriſti virtutes, ac præſertim quatuor, humilitas in natiuitate, paupertas in

præſepio, charitas in progreſſu vitæ, & obedientia in paſsione. Ex Auguſtino lib. 12. contra Fauſtum cap. 26. Beda Gen. 28. Ruperto ibidem.

Allegoricè quoque ſignificat hæc ſcala Crucem Chriſti. Ego puto, inquit Hieronymus in pſalm. 98. crucem Saluatoris illam eſſe ſcalam, quam vidit Iacob. In iſta ſcala deſcendebant Angeli, & conſcendebant. In iſta ſcala, hoc eſt, Cruce, deſcendebant Iudęi, & conſcendebant Gentiles. Et Auguſtinus: Iacob dormiebat, & Dominum in cacumen ſcalæ videbat incumbere. Quid eſt in ſcalam incumbere, niſi in ligno pendere. De quo plura vide ſerm. 79 de tempore, & tract. de Catechyſmo. Item Chryſoſtomus, Crux Chriſti eſt ſcala Paradiſi.

Tropologicè verò Scala Iacob denotat virtutes, quibus ſcandimus in cælum. Scala hæc, inquit Tertullianus in fine lib. 3. contra Marcionem, eſt via, quia iuſti aſcenſiones in corde ſuo diſponunt in cælum. Idem inſinuat Spiritus Sanctus Sap. 10. v. 10. vbi de Iacobo, & viſione huius ſcalæ; ſic ait: *Hæc* (Sapientia) *profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei.* Duo latera huius ſcalæ, ſunt fides, & opera, vel verbũ Dei, & Sacramenta: gradus ſunt variarum legum, & virtutum aſcenſus, aut ex Baſilio in Pſal. 1. huius ſcalæ, quæ eſt aſcenſus ad perfectionem, culmen eſt charitas, gradus, ſunt decem gradus abrenuntiationis, quos ibi enumerat; vel denique hi gradus ſunt incipientium, proficientium, & perfectorum, quibus Deus in vertice ſe vnit, in iiſque habitat, & deliciatur. Angeli aſcendentes ad Deum ſignificant vitæ contemplatiuæ, deſcendentes verò ad humana, vitæ actiuæ ſectatores ex D. Gregorio lib. 5. Moral. & ex D. Thoma 2. 2. q. 181. art. vlt. In hac autem Scala nemo ſubſiſtit, quia ex Diuo Bernardo epiſt. 253. in via perfectionis, inter profectum, & defectum, nihil eſt medium; ipſumque non progredi, regredi eſt.

Trina apparitio, qua Dominus apparuit Iacob. Primo fugienti Eſau, innixus Scalæ. Secundò redeunti ex Meſopotamia in Lucta Geneſ. 32. Tertio in Bethel cap. 35. ſymbolicè ſignificat triplicem eiuſdem, vel Chriſti apparitionem. Apparet enim dormientibus in contemplatione: apparet & luctantibus in tribulatione: apparet tandem vincentibus in æterna benedictione. De prima dicit S. Bernardus, Chriſtus videri vult, non videre; quaſi ſtrenuus dux, deuoti militis vult vultum ſuſtolli in ſua vulnera: ſua non ſentiet, dum illius intuebitur vulnera Chriſti miles; hoc eſt videre Chriſtum innixũ Scalæ, vnde ait Apoſtolus Hebr. 12. *Aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* De ſecunda dicit idem S. Bernardus, ſuſtinuit te dilectus: ſuſtine tu dilectum, non illum vincere, peccata tua: te quoque illius flagella non ſuperent, & obtinebis benedictionem. De tertia dicitur 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem:* & Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria Tua.* Ex Hugone Cardinali.

Quæ Exodi cap. 3. habetur Domini apparitio Moyſi in flamma ignis de medio rubi, qui ardebat, & non comburebatur, innumeris plena eſt ſymbolis. Cum enim hic ignis, & rubus ardens, & incombuſtus litteraliter ſignificaret Iudęos in afflictione illęſos: Primùm aptiſſimum eſt diuinitatis ſymbolum ob plures analogias, vt diximus ſupra cap. 2. Secundò ignis in rubo, allegoricè eſt Deus in carne, ſiue Verbum caro factum. Rubus enim ſpinoſus, aſper humilis & vilis ſignificat Chriſti humanitatem, quam ipſe ſpontè multis ærumnis, laboribuſque ſubiectam, pauperem, humilem, & deſpicabilem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcepit. Iam ſicut ignis rubum, ita deitas humanitatem, eiuſque mortalitatem, & infirmitatem non conſumpſit: *Per ſuccenſam rubum,*

bum; inquit Diuus Gregorius lib. 28. Moral. cap. 2. Moſen alloquens Deus, quid aliud oſtendit, niſi quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis noſtræ dolores, quaſi rubi ſpinas ſuſciperet, & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam etiam in ipſa diuinitatis flamma ſeruaret. Hinc, & Cyrillus Alexandrinus contra Eutychetem probat duas naturas in Chriſto manſiſſe integras, illæſas, & inconfuſas, ſicut in rubo hoc, integer manſit tam rubus, quam ignis. Rurſum allegoricè ignis in rubo, eſt Deus in Beata Virgine conceptus, & natus illæſa eius virginitate; ita Theodoretus, Rupertus, S. Bernardus ſerm. de B. Maria in illud Apocalip. 12. *Signum magnum apparuit.* Et Gregorius Nyſſenus orat. de Chriſti Natiuitate: *Vt frutex*, inquit, *incendit ignem, & non crematur: ilidem etiam Virgo, & lumen parit, & non corrumpitur*. Hinc tota canit Eccleſia: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Sancta Dei genitrix*. Meritò autem virginitas comparatur rubo, quia per humilitatem, ac vitæ aſperitatem conſeruari debet: in delicijs enim, æquè ac in ſuperbia, caſtitas eſt in periculo.

Tropologicè ignis in rubo, eſt tribulatio in homine Sancto, humili, & mortificato: talem enim tribulatio non vrit, non lædit, ſed illuſtrat, & roborat. Rubus autem cum frutex ſit vilis, & aſper, rectè ſignificat virum humilem, & mortificatum; in quo ignis, id eſt Deus habitat, & ſe ſuaque manifeſtat. Item hic rubus figura eſt hominis perfecti, in quo iungitur ignis, id eſt charitas, & rubus, id eſt humilitas, & auſteritas vitæ. Perfectus enim inſtat ignis auſtera quæque, & dura amplectitur, propoſito ſibi maximè Chriſti in cruce exemplo, exclamans cum Apoſtolo, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* veniat tribulatio, veniat anguſtia, veniat fames, nuditas, contemptus: certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit me ſeparare; nec non cum Sancto Martyre Ignatio: *Ignis, crux, beſtiæ, oſſium confractiones, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantùm vt Chriſto fruar*. Symbolum quoque eſt conſummatæ ſapientiæ, conſiſtentis in cognitione Dei, hic enim eſt ignis, & noſtri, homines enim ſunt rubus. Ac demum ſuperioris, ſeu rectoris aliorum, qui debet eſſe ignis per ſapientiam, qua ſciat eos docere, & regere: & per charitatem, ac compaſſionem, qua norit ſubditorum neceſſitatibus ſubuenire, vitia tolerare, infirmitatibus condolere. Vel etiam ſuperior debet eſſe rubus, id eſt ſapientiæ, & charitati coniunctas habere ſpinas iuſtitiæ, & ſeueritatis ad puniendum, & caſtigandum errantes; maximè inobedientes, & rebelles. Anagogicè tandem ignis in rubo, eſt lumen gloriæ, ipſaque beatitudo, & gloria in anima, & carne humana.

Quæ apparuit Hebræis columna nubis dux viæ per diem, & columna ignis per noctem, allegoricè præclarum fuit Chriſti ſymbolum. Primò enim eſt columna propter rectitudinem, & ſtabilitatem, & quia ipſe fulcit Eccleſiam, ita vt indè ſit columna, & firmamentum veritatis; item ob crucem, quam Diuus Hieronymus in pſal. 95. vocat *humani generis columnam*: Secundò, eſt nubes quà homo, & ignis quà Deus: nam vt ait Diuus Ambroſius in Pſal. 119. nubes eſt nebula corporis noſtri, ſed in Chriſto leuis, id eſt cæleſti Spiritus Sãcti operatione facta, nullaque ſorde grauis Iſaiæ 19. Sol ergo, vt tolerari poſſit, quemadmodum venit in nube, ita verbum diuinum, vt cum hominibus verſaretur indutum eſt carne, qua deitatem ſuam velauit. Tertiò, Chriſtus inſtar columnæ huius fideles ſuos obumbrat, protegit, & ad terram viuentium, quam electis ſuis promiſit deducit. Ipſe enim eſt dux noſter, qui de ſe ait. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Fuitque hæc columna ignis per noctem, nubis autem per diē, vt ſigni-

vt ſignificaretur ex Diuo Gregorio homil. 21. in Euangelia, Chriſtum in die, id eſt in vita iuſti eſſe nubem, id eſt blandũ; ſed in nocte, id eſt in vita peccatoris eſſe ignem, id eſt terribilem. Vel etiam Chriſtus in die, id eſt in hac vita oſtendit ſe leuem, vt nubes, ſed in nocte hoc eſt in morte, & in altera vita, ſeu in iudicio, & gehenna, ſe quaſi ignem formidabilem oſtendet. *In fulgure*, inquit S. Gregorius, *terror timoris eſt, in nube autem blandimentum candoris: hinc in reſurrectione Chriſti Angelus talis apparuit, vt ſua ſpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios. Vndè Hebraos per deſerta gradientes columna ignis in nocte, & columna nubis praebat in die: in igne enim terror eſt, in nube viſionis leue blandimentum: dies autem vita iuſti, & nox accipitur vita peccatoris: in die igitur columna nubis monſtrata eſt, & in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis manſuetudinem blande iuſtos demulcebit, peccatores autem per iuſtitia diſtrictionem terrebit.*

Tropologicè etiam hæc columna ignis ſimul, & nubis ſymbolum eſt fidei, ita ſua luce, vt ignis, intellectum illuminantis in ordine ad cognoſcendum, & credendum omnia eius myſteria, vt tamen ratione obſcuritatis ſit nubes, ſeu argumentum non apparentium, ratione cuius debemus captiuare intellectum noſtrum in eius obſequiũ.

Quæ habetur Exodi 24. apparitio Dei, habentis ſub pedibus quaſi opus lapidis Sapphirini, ſymbolum eſt ſplendoris, & maieſtatis Dei, quæ omnem cæli, & gemmarum fulgorem, & ſplendorem longè tranſcendit, & pedibus premit. Allegoricè ſcabellum hoc Dei ſapphirinum ſignificabat claritatem puriſſimam B. Virginis. in qua veluti in ſcabello ſedere dignatus eſt Dei filius, dum in ea conceptus, & natus eſt. Item Anagogicè ex Ruperto, & S. Auguſt. quæſt. 102. regni cæleſtis, in quo nobis Deus promittitur, ſerenitatem, & æternitatem.

Viſio velleris, quod Iudic. 6. poſuit Gedeon in area, prius rore madidi, area manente ſicca: poſtea verò ſicci, manente area madefacta, allegoricè ſignificabat ſynagogam, quæ prius habuit pluuiam fidei, & donorũ Dei; poſtmodum verò translata fide in aream Gentilitatis, ipſa arida remanſit. Vel etiam differentiam Synagogæ, & vniuerſalis Eccleſiæ in nouo teſtamento ob manifeſtationem gratię in eo, ex D. Auguſtino ſerm. 2. de verbis Apoſtoli. *Repete*, inquit, *tempus veteris teſtamenti: gratia occultabatur tanquam imber in vellere: attende tempus noui teſtamenti; diſcute gentem Iudæorum, quaſi vellus ſiccum inuenies: orbis verò totus tanquã area plenus eſt gratia, non occulta, ſed manifeſta.*

Item allegoricum fuit ſymbolũ Incarnationis Verbi Diuini in vtero Beatiſsimæ Virginis. Cum enim Gedeon interpreteur circumieus in vtero, quid eſt, inquit Rupertus, circumiens in vtero, niſi omnipotens Deus, ſua diſpenſatione nos redimens, & ſua diuinitate cuncta complectens: vt in vtero incarnatus eſſet, vt clauſus non eſſet? Cuius rei inſignis habetur Prophetia pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Communiter enim Sancti Patres hunc locum ad litteram, ſiue propriè de myſterio incarnationis interpretantur, atque ad vellus Gedeonis alludi exiſtimant. Inter quos D. Ambroſius ſer. 13. de Natiuitate Domini hæc habet: *Quid tam ſilenter, & ſine ſtrepitu fit, quam cum imber in lana vellus infunditur? nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſsionis aſpergit, ſed ſine inquietudine hominum, totum imbrem per multiplices effuſum partes, toto corpore in ſe trahit, vnius meatus ſciſſuram neſciens, ſolida mollitie plures præbens meatus, & quod clauſum videtur per denſitatem, eſt patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauſerit corpore, nec diſciſſuram corporis paſſa ſit, ſed om-*

nino mollis fuerit ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam. Rectè, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta teruntur. Vellus planè Maria eſt, ſi quidem de molli ſinu eius agnus eſt egreſſus, qui & ipſe matris lanicinium, hoc eſt, carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fruitur ſanguine, & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur. Hactenus Diuus Ambroſius. In cuius verbis illa maximè Virginis deſcriptio obſeruanda eſt, qua per ſimilitudinem, vel analogiam ad velleris mollitiem, & ſoliditatem, dicitur mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctitatem, hæc enim duo in primis enituerunt in ea, ad peragendum Incarnationis myſterium. Solida ſiquidem ad Sanctitatem fuit, cum dixit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*; mollis verò ad obſequium, cum addidit, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*.

Inter alias figuras, hanc quoque de vellere Gedeonis allegoricè Diuus Bernardus accommodat Beatiſſimæ Virgini Mariæ homil. 2. ſuper Miſſus eſt, nec non ſerm. 3. de Annuntiatione.

Deueniendo ad viſiones Prophetarum prima, quæ facta eſt Iſaiæ cap. 6. de Deo ſedente ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; Seraphinis ſuper ſtantibus, quorum ſinguli ſenas alas habebant, quarum duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant; & clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Hæc, inquam, viſio nihil non plenum myſterijs, ſacriſque ſymbolis habet. 1. Seſſio Dei in throno, vel ſolio ſignificat tam authoritatem iudicandi, quam maieſtatem abſolutè, & infinitam præ cæteris eminentiam; cumque Daniel. 7. plurium ſedium, ac thronorũ fiat mentiò, hic autem vnius duntaxat, ſymbolum eſt perfectiſſimi Dei iudicij, perindeque cum ſufficienter iudicare ſolum, ac ſi quamplurimos ad iudicandum aſſeſſores haberet. Dici etiam poteſt, plures illos thronos in veteri teſtamento vacuos expectaſſe iudices legis gratiæ; iuxta illud Chriſti Domini Matth. 19. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael*; Et Diui Ioannis Apocal. 4. *Sedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.*

2. Seraphim faciem, ac pedes Dei velantes ſignificabant ex D. Hieronymo, præterita ante mundum, & futura poſt ipſum ſciri nunc non poſſe; ſed media tantùm, quæ ſex diebus facta ſunt, nobis patere. Vel ex Cyrillo lib. de Spirit. & Litt. duabus alis velabant faciem Dei, ad denotandum nullum eſſe eius principium; & duabus pedes, quia eius viæ, ſiue opera ſunt etiam inſcrutabilia. Vndè illud Pſal. 76. *In mari via tua*; id eſt, tam non poſſunt opera tua comprehendi, quam nec in mari veſtigia.

3. Seraphim ſtabant ſimul, & volabant, ad ſignificandum ex Ambroſio in Pſal. 76. ſtare, & volare tempora; præteritum ſcilicet, & futurum ſtare, præſens autem volare. Vel ex Diuo Gregorio lib. 18. Moral. cap. 28. ſtando denotabant quietem, & complementum appetitus in beatitudine; volando autem, non eſſe in ea quiete faſtidium; vndè illud D. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: Vel demum dici poteſt per Seraphim ſtantes ſignificari beatitudinem eſſentialem, in qua, vt ait Diuus Auguſtinus, non mobiles, aut volubiles ſunt cogitationes noſtræ; per volatum autem eorumdem beatitudinem accidentalem, quæ per nouas reuelationes contingit in beatis.

Moraliter tandem per huiuſmodi Seraphinorum habitum deſignatur inſignis obedientia. Per alas enim extenſas ad volatum denotatur promptitudo ad exequenda Superiorum mandata; per alas, quibus velatur facies, ſiue caput, abnegatio proprij iudicij, vt ſit obedientia cęca; per eas, quibus teguntur

tur pedes; compreſſio partis inferioris ſuperiori in obediendo maximè repugnantis, & reſiſtentis. Vel obedientem ita debere eſſe totum alatum, vt prælati mandata alato iudicio, alatis humeris, alatis pedibus exequatur.

4. Denique Seraphim clamantes alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſignificabant Sanctam Trinitatē, cuius myſterium, ſeu clara eius notitia fuit quidem noui teſtamenti propria, ſufficienter tamen in veteri inſinuata, vt ſatis fuſè oſtendimus 2.p. tom.5. lib.4. ſect.11. cap.7. expendendo etiam hunc Iſaiæ locum.

Virga vigilans, quam vidit Ieremias cap.1. ſymbolum fuit vigilantiæ, ac prouidentiæ diuinæ, ſeu prouidæ Dei vigilantiæ. Sic Aegyptij pingebant Deum quaſi oculum baculo innixum, vt ſignificarent eius omniſcientiam, & peruigilem curam, quaſi paſtoralem, tanquam qui omnia videat, & regat quaſi paſtor, & rex, cuius inſigne eſt ſceptrum, & virga, qua bonos paſcit, malos percutit, ex Cyrillo lib.9. contra Iulianum. Sed etſi virga vigilans aptiſſimum ſit prouidæ Dei vigilantiæ ſymbolum, loco tamen citato Ieremiæ magis propriè ſymbolum eſt celeris Dei vltionis; ſeu huiuſmodi viſione virgæ vigilantis, quam alij oculatam, alij amygdalinam vocant, quæ primò inter arbores veluti euigilat, quia prima ſollicita eſt, vt ſuos flores emittat: ideoque amygdalus Hebraicè dicitur *Scaked*, id eſt vigilans; ſignificare voluit Deus Ieremiæ, ſe citò acceleraturum pænas, & captiuitatem Babylonicam, quam Iudæis comminatus fuerat. Etſi enim Deus plerumque tardus ſit ad iram, & vindictam; aliquando tamē ipſe, eiuſque vindicta ad peccata excubat, & vigilat, vt ea citò plectat, & puniat. Ita ad Caini fratricidium vigilauit Deus, dicens: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, nunc igitur maledictus eris ſuper terram vagus, & profugus*, &c. Geneſ.4. Et Danielis 4. v.10. & 14. *Vigil, & Sanctus de cælo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, id eſt, Nabuchodonoſorem ſuperbū regno ad beſtias eijcite.* Item cap.5. Balſaſar ſacrilegus, & temulentus mox vidit manum ſcribentem in pariete: *Mane, techel, phares*, quæ eadem nocte ipſi, & regno exitium attulit, & ſic de alijs exemplis.

Quam ibidem vidit Ieremias ollam ſuccenſam à facie Aquilonis verſus Ieruſalem ſymbolum quoque fuit eiuſdem vindictæ diuinæ confirmatiuum. Tropologicè etiam dici poteſt per virgam exhiberi, vel ſignificari tempus correctionis hic pœnitentibus exhibitum; quam ſi nolint, reſeruat impœnitentibus ollam gehennæ, vti Theodoricum Regem poſt mortem in Vulcani ollam proijci, vidit Sanctus ille Eremita, apud S. Gregorium lib.4. Dialogi cap.3.

Duo calathi pleni ficis oſtenſi Ieremiæ, vnus ficus bonas habens nimis, & alter malas nimis, cap.24. ita litteraliter primus ſignificabat, Ioachin cum ſuis, obedientem Deo; ſecundus autem Sedeciam cum ſuis inobedientem Deo in cruce, & captiuitate ſuſcipienda, vt tropologicè duo hi calathi ſint duæ ciuitates, vna Dei, altera diaboli; ſecundò, ſint Chriſtiani, & Iudæi; tertiò, electi, & reprobi, ſiue gehenna, & cælum; quartò, religioſi boni, & mali; hi enim ſunt quaſi in templo Domini, & terreſtri paradiſo Dei, vt ficus, & fructus cæleſtes proferant offerantque Deo. Hinc rectè ait D. Auguſtinus epiſt.137. *Sicut non inueni meliores ijs, qui in monaſterio profecerunt, ſic nec deteriores ijs, qui in monaſterio defecerunt.*

Quæ Ezechieli cap.1. facta eſt viſio 1. turbinis à vento Aquilonari excitati, quem conſecuta eſt atra nubes; & in cuius medio ſplendidus viſebatur currus, habens ignitas rotas quatuor, eaſque vitali ſpiritu præditas, & altitudinis horrendæ. 2. rotarum, quas circumſtabant quatuor animalia, aut potius quatuor iuuenes alati, toti flammantes, & ſcintillantes; quorum quiſque ante habe-

habebat faciem hominis, à dextris faciem leonis, à ſiniſtris faciem bouis, deſuper faciem aquilæ. 3. quod hi iuuenes haberent ſinguli quatuor alas, binis velarent femora, binis volarent iunctis, id eſt, pariter, & æqualiter extenſis; idque cum tanto fragore, vt caſtra viderentur audiri collatis ſignis dimicantia; vel mare ad ſcopulos alliſum; aut tonitruum. Item haberent, & ſinguli ſuas manus. Singuli autem ſtarent à ſingulis lateribus currus, id eſt ad ſingulas rotas, & ſic quadrum efficerent; atque ab omni parte ſtiparent quadrigam Dei. 4. Super iuuenes cælum videretur extenſum, pellucidum, quaſi cryſtallus; cui impoſitum erat ſolium regale, in quo ſedebat homo, toto corpore ſplendens, & ignitus: habebat enim supernè corpus ex electro, id eſt, ex aurichalco interius ignito; infernè tibias planè igneas; idemque iride fulgenti erat circumamictus. 5. ante hunc hominem, ſiue regem inter rotas, eſſet arula, vel foculus ignis, ac demum ſpiritus Dei ageret tam Cherubinos, quam rotas, & currum directè verſus Ieruſalem. Huiuſmodi, inquam, Ezechielis viſio, innumeris fœcunda eſt ſymbolis, quoad omnes ſuas partes, ac circumſtantias.

Primò enim, cùm ventus, turbo, & ignis litteraliter ſignificarent iram, & indignationem Dei, quę iam per Chaldęos erat effundenda in Iudæos, & in alias gentes; allegoricè quoque ex Diuo Gregorio homil. 2. referri poſſunt ad diem iudicij, quo Chriſtus veniet in nube fulgida, & quaſi turbo, ac ignis conuoluet reprobos in gehennam.

Secundò per currum Cherubim, & quadrigam Dei, tropologicè ex Origene, & D. Gregorio Nazianz. orat. 47. quæ inſcribitur, *Significatio in Ezechielem*, denotari poſſunt quatuor microcoſmi, id eſt hominis, facultates. Nam pars rationalis eſt, homo; iraſcibilis, leo; concupiſcibilis, vitulus; ſyntereſis, ſiue conſcientia, eſt aquila. Hæc enim eſt oculatiſſima, & perſpicaciſſima inſtar aquilæ, ac ſecreta, & intima mentis perſpicit, pungit, & mordet. Quas omnes facultates, earumque paſſiones regit, & frænat Deus, vt explicat Nazianzenus. Item currus hic eſt ſymbolum gloriæ Dei, id eſt, eſſentiæ, & beatitudinis; prouidentiæ, & poteſtatis eius. Quatenus quaſi auriga pro voluntate omnia regit: adſtant quaſi ſtipatores, & adminiſtri cum ſumma reuerentia, obedientia, & celeritate Cherubim. Cumque ſoleat fortuna vni inſiſtens rotæ dipingi, ad ſignificandam eius mobilitatem, & inconſtantiam; Dei prouidentia fortunæ contraria rectè hic pingitur inſidens quadrigæ, vt eius conſtantia, & æqualitas deſignetur. Quatuor rotæ, quatuor animalia, & quatuor vtrorumque facies denotant eam in omnes mundi partes, ęqualiter firmiter, & conſtanter peruadentem. Alæ extenſæ declarant eius celeritatem: quæ verò corpus tegunt indicant, multa nos in Dei prouidentia latere, ob quæ exclamare cum Apoſtolo debemus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; multaque inſuper eſſe, quę Dei conſilio fiunt, quę tamen, quia cauſas ignoramus caſu fieri videntur. Splendor eiuſdem, prouidentię quoque ſplendorem repręſentat, qui in rerum omnium temperatione, ordine, modo, & adminiſtratione relucet. Hinc ſtipatores eius non Seraphim, ſed Cherubim, qui à ſcientia, & ſapientia nomen habent. Sapientia enim in prouidentia, & regimine primum tenet locum. Porrò diuina prouidentia quatuor habet facies; quia fortis eſt vt leo; velox, & penetrans vt aquila; ſuauis, & amabilis, vt homo; longanimis, & patiens, vt bos. Rota in medio rotæ, ſignificat connexionem cauſarum, & rerum omnium inter ſe, qua Deus eas iugi, & continua ſerie inſtar rotæ innectit, & connectit; vnde eius ſymbolum apud veteres erat catena, ſeu annuli annulis conſequenter ſemper inſerti, & innexi, hac inſcriptione: *arcanis nodis*.

Alle-

Allegoricè etiã, currus hic eſt ſymbolum Eccleſiæ à Chriſto Rege, quaſi auriga gobernatæ, Cantic. 1. 4. *Equitatui meo*, id eſt quadrigæ, vel carrucæ, *aſſimilaui te*. Hæc dicitur regnum cælorum, & cęlum multipliciter. Primò, quia de cælo deſcendit eius inſtitutum. Secundò, quia verſatur in cælis fide, ſpe, & cæleſti conuerſatione. Tertiò, quia Regem habet Chriſtum, qui eſt Rex cælorum. Quartò, quia ad cælũ nos ducit. Quatuor rotæ ſunt quatuor Euangeliſtæ, vel Apoſtoli, & Euangeliſtæ, paſtores, & doctores; qui rectè vocantur rotæ, quia terram vix extremis digitis pedum tangunt, ait D. Hieronymus. Inſuper veloci impetu, & efficaci, quaſi fulgura feruntur ad vlteriora, quæ retrò ſunt obliuiſcentes, & in altum aſſurgunt ſemper, id eſt in cælum arduum iter, hoc eſt perfectam viam, & vitam, moliuntur, ex D. Gregorio homil. 3. Currum Euangelij, & Eccleſiæ agunt, dum illam propagant per vniuerſum orbem. Rota in rota ſignificat mutuum eorum, & fidelium amorem inter ſe, & cum capite Chriſto. Pleni ſunt oculis, quia ſunt vigilantiſſimi, & ad animarum cuſtodiam deſtinati.

Tertiò per quatuor animalium facies, quatuor primariæ Dei virtutes, & dotes ſignificabantur, ſcilicet fortitudo, vel potentia, beneficentia, æquitas, & ſapientia. Leo enim eſt ſymbolum maximæ fortitudinis; vitulus ſummæ beneficentiæ; homo rationis, & æquitatis; aquila altiſſimæ ſapientiæ. Per eaſdẽ quatuor facies denotari poſſunt allegoricè, quatuor præcipua Chriſti myſteria; humana enim facies ſignificat Chriſti incarnationem; vitulina mortem; leonina reſurrectionem, in qua potentiam oſtendit; aquilina aſcenſionem in cęlum, indeque miſſionem Spiritus Sancti in Eccleſiam. Vel etiam quatuor Euangeliſtæ, ita vt quatuor facies, ſint quatuor trophęa, & excellentię Chriſti, quas ſuis Euangelijs exprimunt. S. Ioannes eſt aquila, quia canit Chriſti diuinitatem; S. Matthęus eſt homo, quia humanitatis opera deſcribit; S. Lucas eſt bos, quia incipit à Sacerdotio Zachariæ: S. Marcus eſt leo, quia incipit à rugitu S. Ioannis. Hæ facies omnes ſunt in vno, & quolibet animali; quia omnes hęc quatuor de Chriſto annuntiant; ſed facies, id eſt initium eos diſtinguit. Tropologicè tandem quatuor facies ſunt quatuor Eccleſiæ ſtemmata. Illi enim quaſi Regno ſuo Chriſtus Rex ſua quoque ſtemmata communicauit, quibus quatuor Eccleſię membra conſtituuntur. Aquila enim ſignificat Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas, homo Rectores, Paſtores, Epiſcopos; vitulus, victimas, ſcilicet Martyres; leo Principes, Eccleſię defenſores. Vel etiam ſunt Eccleſię prælati, hi enim debent eſſe pleni cęleſti ſcientia, eſſeque homines, id eſt humani; & leones, id eſt, pro iuſtitia, & diſciplina fortes; & vituli, id eſt, mortificati, ac ſtrenui pro bono communi; & aquilę, id eſt contemplatiui, & orationi dediti.

Quartò, ſicut currus ſignificat Dei maieſtatem, prouidentiam, regnum, & gloriam; ita per rotas habentes quatuor facies, æquè vt Cherubim, ſignificatur Dei ęternitas, celeritas, efficacitas in operando, eiuſque immenſitas. Vndè Empedocles: *Deus*, ait, *eſt circulus cuius centrum eſt vbique circumferentia nuſquam*. Hinc rotę plenę ſunt oculis; quia Dei prouidentia, & imperium eſt oculatiſſimum: quia Deus ipſe totus eſt oculus, vti eum pingebant Aegyptij. Sed rotę ex ſe maximè deſignant iugem Dei, & eius inſtar Angelorum, & hominum diuinorum actionem, vel operationem. Propterea Aegyptij laboris perpetui ſymbolum, vel hieroglyphicum pinxere cęlũ, appicto quoque corde, cui foculus ardens ſubijciebatur, ex Plutarcho in Iſide, & Oſiride. Quatenus viri magni, & cęleſtes, iugibus, grauibuſque curis ſemper agitantur, atque inſtar cordis, aut cęli ſemper mouentur, & rotantur,

Vndè

Vndè Pacatus in Panegyrico Theodoſij: *Gaudent*, inquit, *diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas: & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt: vt indefeſſa vertigo cælum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit: ita tu Imperator continuatis negotijs, & in ſe quodã orbe redeuntibus, ſemper exercitus es.* Item quã hic currus allegoricè Chriſti eſt Eccleſia, rotæ ſunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ, eiuſque prælati; qui quales eſſe debeant, tropologicè ſignificatur per quatuor facies rotarum, vt per quatuor facies animalium, ſeu Cherubim. Rota in medio rotæ eſt eorum concordia, nec non ſubordinatio, & hierarchia Eccleſiaſtica, qua inſtar cœleſtis hierarchiæ alij in Eccleſia ſuo ordine præſunt, alij ſubſunt; alij mandant, alij exequuntur. Aliter rota in medio rotæ, eſt teſtamentum nouum adumbratum, & quaſi inuolutum in veteri, ex Diuo Gregorio homil. 6. *Quod enim*, inquit, *vetus promiſit, hoc nouum exhibuit. Prophetia ergo teſtamenti noui, teſtamentum vetus eſt, & expoſitio teſtamenti veteris, teſtamentum nouum eſt.* Et Sanctus Ambroſius lib. de Spiritu Sancto cap. 22. *Rota*, ait, *eſt intra rotam, eo quod Iudæa intra Eccleſiam ſit, lex intra gratiam.* Vel tandem ex Diuo Hieronymo, rota in medio rotæ eſt Euangeliorum conſonantia, & cohærentia, myſteriorumque fidei connexio.

2 Tropologicè etiam ſignificant hæ rotæ, omnia regna, omneſque creaturas à Deo rotari, volui, & gubernari: Vel nos quaſi rotas eſſe in manu Dei: & ſic nos debere ſinere ab eo regi, & rotari; & in omnibus eius impulſum, & ſpiritus impetum ſequi, niſi à via ſalutis, & à ſalute aberrare velimus. Vndè Sanctus Bernardus lib. de natura amoris cap. 8. *Rotæ, in quibus eſt ſpiritus vitæ, ſemper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec reuertuntur ad faciendam ſuam. Si iubentur præeſſe, præſunt in ſollicitudine: Si iubentur ſubeſſe, in humilitate: Si aliquibus coeſſe, in charitate. Si prælati ſunt, ſunt ſicut patres ad filios: Si ſubiecti, vt filij ad patres ſuos; Si conniuentes, omnium ſeruos ſe faciunt.* Rotæ hæ plenæ ſunt oculis, quia in corpore hoc cæco, tot miſerijs, illecebris, & tentationibus obnoxio, multa vigilantia, & circumſpectione vti debemus. Quocirca Diuus Gregorius homil. 7. in Ezechiel. *Circumſpecta*, inquit, *eſt vita Sanctorum, ne ſic ſit libera, vt ſuperba ſit: nec ſic ſit humilis, vt formidoloſa: nec ſic ſit parca, vt tenax ſit: nec ſic ſit miſericors, vt effuſa ſit.*

5 Quinto denique per thronum ſuper firmamentum, & per ſpeciem hominis ex electro, & igne, huic throno inſidẽtis, qui ue ſuperne videbatur eſſe ex electro intrinſecus ignito, inferne verò eſſe igneus, & amictus iride, ita ad litteram ſignificabatur iudiciaria Dei poteſtas, Iudæos, & alias gentes impias tunc pro meritis punientis, aut vindictam de illis ſumentis: in Scriptura enim, & apud omnes, thronus ſiue ſolium, eſt ſymbolum iudicij, ac ſedis iudicis; vt etiam extendi allegoricè poſſit ad omnes prorſus gentes. Ideo autẽ ſupra lumbos aureo ſplendore, quaſi aurichalcum coruſcabat, ad denotandũ fauorem, & amorem ſuum in bonos, & ſanctos; infra autem lumbos ignitus erat, ad ſignificandam iram, & vindictam, in malos, & impios; ſiue Deum ſimul eſſe miſericordem, & iuſtum, cumque iratus fuerit, miſericordiæ recordari; *Auriga*, inquit Origenes hic homil. 1. *quatuor animalium non totus eſt igneus, ſed pube tenus, & exinde vſque ad ſummum electri fulgore rutilat; non ſolum enim tormenta habet Deus, ſed ſunt in eo etiam refrigeria: punit peccatores, ſed per ea miniſteria, quæ deorſum ſunt.* Idem ſignificat iris ſub pedibus eius, nimirum vindictam lenitate, & miſericordia temperatam, Deus enim punit homines, non vt eos diſperdat; ſed vt caſtiget, emendet, & ſaluet.

2 Allegoricè etiam per ſolium Dei ſignificari poteſt Beatiſsima Virgo, per

ſpeciem

ſpeciem autem hominis ex electro, & igne, ſedentis in illo, Chriſtus ex ea conceptus, verus Deus, & homo. Quemadmodum enim hæc ſpecies electro, & igne conſtabat: ita Chriſtus cõſtat diuinitate, & humanitate; *Cum humanitas*, inquit D. Gregorius homil. 2. *ad maieſtatis gloriam excreuit, diuinitas à ſui fulgoris potentia humanis ſe oculis temperauit, & quaſi electrum in igne eſt Deus factus homo in perſecutione.* Vndè S. Ioannes Apocal. 1. 15. *Pedes*, inquit, *eius*, ſcilicet Chriſti, *ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Quia, vt explicat Rupertus, ſicut aurichalcũ, multis ignium impendijs ex ære perducitur ad colorem auri; ita humanitas Chriſti, per multas tribulationes paſſionis, & mortis perducta eſt ad gloriam maieſtatis. Chriſtus ſuperne eſt electrinus, id eſt, beneficus, & pius in ſuos fideles, & electos; infernè verò eſt igneus, id eſt, vindex terribilis in peccatum, dæmones, & reprobos. Iris in circuitu eius, eſt gloria miraculorum eius; item ſplendor operum, doctrinæ, Sacramentorum, virtutum, & gratiarum eius.

Per librum ſcriptum intus, & foris, quem idem Ezechiel vidit cap. 2. ſymbolice deſignari poteſt S. Scriptura, quę ex Diuo Gregorio homil. 7. *eſt liber ſcriptus intus per allegoriam, foris per hiſtoriam, intus quia inuiſibilia promittit; foris, quia viſibilia præceptorum ſuorum rectitudine diſponit, intus, quia cæleſtia pollicetur: foris autem, quia terrena contemptibilia qualiter ſunt vel in vſu habenda, vel ex deſiderio fugienda præcipit. Inuolutus eſt, vt ipſa obſcuritate occaſio ſit plurium ſenſuum.* Allegoricè adhuc ex D. Bernardo ſerm. 1. de Reſurrect. liber ſcriptus intus, & foris, dici poteſt Chriſtus: in quo eſt diuinitas, & humanitas, eſtque ſignatus ſigillis ſeptem Apocal. 5.

Vir vnus in medio ſex virorum vas interitus in manibus tenentium, veſtitus lineis, quem vidit Ezechiel cap. 9. ita ad litteram fuit Angelus tutelaris piorum Iudęorum, ſupplicans pro ſalute eorumdem, eoſque quaſi notarius atramento litera *tau* ſignans, vt etiam fuerit typus, ac ſymbolum Chriſti mediatoris inter Dei iuſtitiam, & homines ſaluandos. *Vir*, inquit D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 13. *veſtibus lineis eſt Redemptor noſter, qui etiam de tribu ſacerdotali parentes aliquos habuit. Linea enim erat veſtis ſacerdotum, ſignificans puritatem conſcientiæ, qua pollere debet ſacerdos. Vel certè, quia linum de terra, non autem, ſicut lana, de corruptibili carne naſcitur: ipſe autem indumentum ſui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commixtionis ſumpſit; profecto ad nos veſtitus lineis venit.* Per litteram autem Tau, quæ ante Eſdram apud priſcos Hebræos habuit figuram crucis; ſimiliſque fuit litterę *tau* Græcorum, & Latinorum, ſignum hic datur liberandorum à nece, æque ac ſalutis per Chriſti crucem conſequendæ. Tropologicè etiam hinc habetur crucem eſſe ſignaculum, & teſſeram amicorum, & electorum Dei, ideoque eam non fugiendam, ſed ambiendam eſſe, libèreque confitendam, ac profitendam.

Idem Angelus, ſeu vir ille linteatus, qui cap. 9. pios ſignauit, & liberauit, capite autem 10. iubetur impios plectere eorum vrbem comburendo, allegoricè quoque ſignificat Chriſtum, qui ſuos hic ſignat *tau*; in die verò iudicij, in reprobos immittet ignem gehennæ. Ita vt ſit hic elegans ſymbolum duplicis aduentus Chriſti, illum vna manu *tau*, ſiue crucem; altera ignem præferentem depingendo; primi enim aduentus ſymbolum eſt crux, ſecundi ignis.

Vt ſub typo oſſium aridorum reuiuiſcentium, quæ vidit Ezechiel cap. 37. ſignificabatur captiuorum in Babylone liberatio; ſub eodem quoque ſymbolice figurabatur peccatorum à morte animæ ſuſcitatio, & reductio ad Eccleſiam

ſiam per Chriſtum. Sicut etiam cap. 40. templi reſtauratio ſignificabat mortui Chriſti reſurrectionem: eius enim mors, fuit mors ſynagogæ; eius reſurrectio, fuit reſurrectio; & inſtauratio Eccleſiæ. Tam autem, quæ hoc capite, & ſequentibus de idea, & fabrica templi, quam quæ capite 45. de vrbis, & terræ ſanctæ diuiſione, & dimenſione poſt reditum è Babylone viſa ab Ezechiele habentur, vt innumeris ſunt plena myſterijs, ita quoque SS. Symbolorum ampliſſima ſunt ſeges, de quibus ibi Sacri Interpretes conſulendi ſunt. Cum enim hæc vrbis, & terræ, æque ac templi idea, & menſura Ezechieli propoſita, à Zorobabele, & Iudæis Babylone redeuntibus non fuerit opere planè completa ob metum Cyri, & Perſarum; tum impediente Sanaballat, alijſque vicinis hoſtibus, vt patet Nehem. 4. tum ob Iudæorum paupertatem, potiſſimum tamen Deus oſtendere voluit, hæc myſtice in Eccleſia Chriſti perfectè fore complenda; ſeque eam magis hic ſpectaſſe, & delineaſſe, quam templum Iudæorum. Vide S. Hieronymum lib. 4. in Ezechielem.

Demū viſio de egredientibus aquis è limine ſanctuarij, de earum incremēto, & profunditate, de piſcatione, & arboribus prope ripas cap. 47. primùm, quo ad aquas egredientes, allegoricè ſignificabat aquas baptiſmi, quæ è limine templi, id eſt à Chriſto, eiuſque latere profluxuræ erant; omniaque gratiarum genera inde emanatura, tum Euangelicam doctrinam per totum orbem diſpergendam. Quod autem ſecundò, hæ aquæ ſenſim creſcerent, ſeu ſenſim profundiores eſſent, ſcilicet primò profundæ vſque ad talos; deinde vſque ad genua; tertiò vſque ad femora, & renes; quartò excedentes ſtaturā hominis, vt natando tranſeunda forent; ſignificat Eccleſiam, & Euangelicam doctrinam paruo ſumpto initio, ab Ieruſalem per totum terrarum orbem, longe lateque propagandam, donec dominetur Chriſtus à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, omneſque gentes, ad quas baptiſmus doctrinaque Euangelica peruenerit, à corruptione morum, errorumque prauitate curandas. Tertiò piſces ſunt Chriſtiani vel fideles, qui renati aquis baptiſmi vitam gratiæ cōſequuntur; Piſcatores autem Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, qui audierunt à Chriſto: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*. Vocantur piſcatores potius, quam venatores; quia ipſi non violentis cædibus, ſed dulcibus ſermonibus, & moribus ſuauiter homines ad Deum, & Chriſtum traxerunt; ac ſenſim ſine ſenſu eos in retia Eccleſiæ compulerunt, vt viuos caperent, & ad meliorem vitam transferrēt. Eſca eorum fuit promiſſio vitæ cæleſtis. Quartò tandem ligna multa, id eſt arbores multæ, quas aquæ irrigando produeunt, & nutriunt, ſunt ijdem Chriſtiani aquis baptiſmi loti, & rigati, vt proferant poma, id eſt virtutum fructus.

Viſio facta Danielis 2. Nabuchodonoſor de ſtatua quadriformi, ſeu ex auro optimo, quo ad caput; ex argento, quo ad pectus, & brachia; ex ære, quo ad ventrem, & femora; ex ferro autem, quo ad tibias ſimulque ex luto, quo ad pedes; vt fuit ſymbolum quatuor Monarchiarum, ſcilicet Chaldæorum per caput aureum; Perſarum, per pectus, & brachia argentea; Græcorū, per ventrem æreum; Romanorum, per tibias ferreas, & pedes, quarum pars erat ferrea, quædam autem fictilis, vt alibi explicuimus tom. 4. lib. 3. ſect. 9. ita & Chriſti Regni, de quo ibi dicitur, *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabat Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc; & ipſum ſtabit in æternum*: comparatur lapidi, dum dicitur; *De monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus*: quia Chriſtus eſt

petra,

petra, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, quæ eſt regnum eius æternum: Et quia Chriſtus in ſtar Dauidis, percuſſit Goliath, id eſt, dæmonem, lapide, id eſt humilitate, & duritie paſſionis, & crucis ſuæ.

Rectè dicitur *abſciſſus de monte*, quia de populo, & Eccleſia Iudaica, quæ inter gentes, vt mons eminebat, vt ait D. Auguſtinus tract. 9. in Ioann. vel potius de Beata Virgine, quæ quaſi mons habuit omnium gratiarum, & virtutum ſublimitatem, ex eodem Auguſtino in ſerm. ad Catechum. Abſciſſus eſt *ſine manibus*, tum quia Chriſtus, qua Deus, à Patre genitus eſt ſine manibus creationis, ex D. Ambroſio ſerm. 70. tum quia, qua homo, à Spiritus Sancto formatus eſt in vtero B. Virginis, ſine opera virili. Vnde Diuus Hieronymus epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia Virginit. cap. 22. notat hic, vti, & Cant. 6. manus ſumi pro opere nuptiali. Lapis igitur hic coniectus in ſtatuam, eamque comminuens, & confringens, vti lapide ſoler ſtatua deijci, & confringi, ſymbolicè ſignificabat, quod regnū Chriſti ſpirituale euerteret omnia regna mundi, omneſq; gentes ſubderet Chriſto, & Eccleſiæ. Etſi enim Chriſtus, qua homo, ob gratiam, & dignitatem vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, eſſet etiam temporalis rex orbis, imo rex regum, & monarcha mundi; tamen ipſe hoc regno, & hac poteſtate regali vti noluit, ſed tantum regno, & poteſtate ſua ſpirituali, & æterna, quæ inchoatur hic per fidem, & gratiam, atque in cælo conſummabitur per gloriam. Vnde hoc ſpirituale eius regnum tantum inculcat Daniel, alijque Prophetæ; eoque dicitur Meſſias, non autem temporali, vel terreno, vt dicunt Iudæi, contriturus omnia mundi imperia; & hoc adhuc, non quo ad temporale, & terrenum dominium, quod parui, vel nullius eſt momenti; ſed quo ad myſticum, & ſpirituale, quo ſcilicet per gentiliſmum, & idololatriam dominabantur tam mentibus, quam corporibus hominum, eoſque dæmoni, & æternis inferni pœnis mancipabant. Quam tyrannidem acerbiſsimam, & ſub qua duram ſeruitutem ſeruiebant omnes gentes, gementes ſub eius iugo, euertit Chriſtus, hominesque ab ea liberauit, dum eos ſuæ fidei ſubijciens, in Dei gratiam, libertatem, & ſalutem æternam aſſeruit. Quod ergo ſubinde Prophetæ dicunt, Chriſti regnum fore potens, & abundans auro, argento, vino, oleo, &c. id myſticè accipiendū eſt. Gratias enim, & dona ſpiritualia Chriſti vocant metaphoricè aurum, argentum, vinum, oleum; quia Iudæi carnales hæc tantum, aut ſimilia bona vocabant, & adamabant; nec ſpiritualia, niſi per corporalia myſticè repræſentata, capiebant, vt ſatis oſtendimus agēdo tomo 5. 1. par. contra ipſos.

Quæ ab eodem Daniele referuntur viſiones cap. 4. de arbore miræ magnitudinis, ſub qua omnia animalia terræ, & in ramis eius volucres cœli conuerſantur, ac de eiuſdem exciſione. Cap. 7. de quatuor beſtijs aſcendentibus è mari magno. Cap. 8. de pugna arietis, & hirci. Cap. 9. De viro veſtito lineis, corpore Chryſolitum, facie fulgur referente. Amos 7. de Fictore locuſtarum ad deuaſtandam terram 10. tribuum. Item de Deo in igne ſedente, & vocāte ad iudicium duas tribus. De viro ſtante ſuper murum litum, cum trulla cæmentaria in manu dextra. Et cap. 8. de vncino pomorum, quo viſa ſunt trahi poma longe poſita. Zachariæ 1. de equite inter myrteta. Cap. 2. de viro funiculum habente lineum, ad metiendum ſolum ædificandæ Ieruſalem. Cap. 3. de Ieſu Summo Sacerdote filio Ioſedec. Cap. 4. de candelabro aureo, & de duabus oliuis, ac ſeptem infuſorijs. Cap. 5. de volumine volante, viginti cubitos longo, lato decem. Et de muliere ſedente ſuper amphoram, & de duabus fœminis alatis leuantibus amphoram. Cap. 6. de quatuor quadrigis,

drigis, & duobus montibus æneis egredientibus, & coronatione Ieſu Filij Ioſedec; huiuſmodi inquam viſiones, ſeu res per illas viſę, ampliſsima ſine dubio ſunt ſymbolorum materia, quæ quia nimis longum eſſet ſingula explicare, ſicut quæ habentur in nouo Teſtamento in Apocalypſi Diui Ioannis, huc vſque dicta ad præſens ſufficiant intentum. Et de alijs conſuli poſſunt Sacri Interpretes.

Finis Libri Sexti.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE THEOLOGICÆ

LIBER SEPTIMVS

De Sacra Doctrina, quatenus dirigendo, vel prouocando affectum in Deum, dicitur Myſtica.

SECTIO PRIMA.

In qua traditur notio tàm quid nominis, quàm quid rei Theologiæ Myſticæ, tum eiuſdem diuiſio, nec non huius Libri.

CAPVT PRIMVM.

Aſſertur huius nominis, Myſterium, *vndè Myſticum formatur, etymologia, tum variæ eius acceptiones.*

OMISSIS varijs huius nominis, *Myſterium*, vndè *Myſticum* deducitur, etymologijs, duæ ſunt, quæ propriùs ad noſtrum inſtitutũ pertinent. Prima, qua deriuatur à verbo Græco *meo*, quod eſt *claudo*, & nomine *ſtoma*, quod eſt *os*: quaſi myſterium, aut res myſtica, ſit quid ſilentio honorandum. Altera, qua formatur à duobus verbis, *muſtein*, & *tirein*, hoc eſt abſcondere, & ſeruare, quaſi myſterium, ſit quid occultè, & ſecretò tenendum.

Licet autem hæ duæ ſint præcipuę horum nominum, *myſterium*, ac *myſticum*, id eſt myſterium habens, vel continens etymologiæ, alias tamen plures habent ſignificationes; interdum enim ſumuntur pro iuramento, pro Sacramento, pro re ſpirituali, quomodo ſenſus ſcripturæ ſpiritualis, vt diſtinctus à litterali, vocatur Myſticus; pro rè ſilentio honoranda, quæque, potius admiratione, quam verbis exprimi queat; ideoque Myſterium apud Paulum Apoſtolum, idem eſſe ac quid ineffabile, & admirabile, & inintelligibile docet Chriſoſtomus.

Sumuntur inſuper pro re arcana, & ſecreta, vel occulta, adeò vt quidquid

occultum, Myſterium vocari poſſit; myſteriumque Græcis idem ſit, ac Latinis arcanum, vel ſecretum; ad ſacra pertinens; quod nefas ſit communicare niſi initiatis: atque ita vſurpatum fuiſſe legimus Matth. 13. dicente Chriſto diſcipulis: *Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum*. Et Lucæ 8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*. Ibi enim nomen myſterium idem ſignificare, ac quid ſecretum, vel occultum communiter docent Sacri Interpretes, nec non Diuus Thomas cap. 24. Iſaiæ, vbi explicans illa verba: *Dei magnalia ſunt ſecreta*, triplicem huius affert rationem, citato in ſecunda, præfato Chriſti dicto Matth. 13. *Primo*, inquit, *propter eorum magnitudinem*, *Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, & Ioann. 3. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis. Secundo, propter eorum dignitatem, Matth. 13. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. Tertiò propter aliorum inidoneitatem, Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus.*

Tandem Myſticum idem eſt, ac Sanctum, ex Diuo Thoma in 4. diſt. 8. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. aliquid autem dicitur Sanctum dupliciter, vno modo ſimpliciter, & per ſe, ſicut quod eſt ſubiectum Sanctitatis, ſicut Chriſtus Dominus. Alio modo ſecundario, & ſecundum quid ex eo quod habet ordinem ad hanc Sanctitatem.

Igitur cum tot ſint huius nominis *myſticum* acceptiones, vel ſignificationes, totidem etiam Sacræ doctrinæ, vel Theologiæ communicat, vbi illi adijcitur: adeò vt Theologia Myſtica idem ſit ex vi nominis, ac ſcientia Dei arcana, ſecreta, occulta, ſancta, & ſpiritualis.

Si quis inquirat, à qua propriè ex huiuſmodi ſignificationibus Theologia denominetur Myſtica? Reſpondeo nullam ex ipſis ita conuenire per ſe Theologiæ Myſticæ, quin etiam eidem conueniat ſecundum omnia alia ſua munera, præſertim vtendi metaphoris, vndè vocatur ſymbolica, quæ etiam arcana, ſecreta, occulta, ſancta, & ſpiritualis dici poteſt, vt ſatis per ſe patet, & ex dictis ſuperiori libro. Ex vſu tamen, iã inter doctores recepto, Theologia Myſtica, de qua agimus in præſenti, hoc eſt ſecundum munus dirigendi, vel prouocandi affectum in Deum, quo diſtinguitur ab alijs Theologijs, idem eſt propriè, ac Theologia ſecreta, & ſpiritualis, non ſolum quia eſt de rebus ſecretis, ac ſpirtualibus, ſicut ſunt cæteræ partes Theologiæ, eo ipſo, quod agunt de Deo, & diuinis, ſed potiſſimum quia eſt de operationibus, quæ in ſupremo mentis apice, & cordis intimo diuina patientibus finaliter perficiuntur; vt enim ait Diuus Thomas explicans illud Diui Pauli Hæbreor. 4. lect. 2. *Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis*; Ex duobus contingit, quod aliquid non cognoſcatur, ſcilicet, aut quia eſt aliquod intra occultatum, & ſic maximè ſunt occulta, quæ latent in corde, quia ipſum eſt valdè inſcrutabile. Ierem. 7. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile*. Alio modo non cognoſcitur aliquid, quia eſt omninò ignotum, & inuiſibile: & ſic ea, quæ ſunt in voluntate ſunt ignota. Quod adhuc magis verum eſt, quando Deus in vtraque potentia ſpecialiter operatur, vt contingit in affectibus, & effectibus myſticis, de quibus infra.

Vltimò notandum eſt Theologiam myſticam in prædicto ſenſu acceptam, duplicem eſſe, vnam voco directiuam, ſiue docentem, alteram eliciriuam, ſiue vtentem, & experimentalem. Explico breuiter terminos, ex quorum ignorantia ſolet oriri magna in præſenti materia confuſio. Theologia igitur myſtica directiua, vel docens, eſt illa ſacræ doctrinæ pars, quæ modo ſcientifico, ſemper tamen ad regulas fidei, agit de elicitiua, nimirum de eius natura, proprietatibus, operationibus,

effecti-

effectibus, alijſque ſimilibus; ſicut in alijs Theologiæ partibus agitur de virtutibus tam in communi, quam in particulari. Myſtica autem Theologia elicitiua, in ſua ſaltem vltima perfectione, eſt ipſemet habitus ſupernaturalis, vel donum Spiritus Sancti, quodcumque ſit illud, de quo infra, quo Deo ſpecialiter mouente producuntur actiones myſticæ; Quarum ob dignitatem, ac præ cæteris excellentiam non incongruè ponitur pars ſacræ doctrinæ circa illas verſans, illarumque explicationi, ac directioni deſtinata, & ab illis ſpecialiter denominata.

CAPVT II.

Breuiter explicantur, quæ ad Theologiam Myſticam directiuam, ſeu docentem pertinent.

EX vltimo præcedentis capituli notando, primum, facilè reſoluitur quæſtio, Vtrum Theologia Myſtica ſit habitus ſpecie diſtinctus à Theologia vt ſic. Reſpondetur enim Theologiam Myſticam directiuam, ſeu docentem minimè ab ea diſtingui ſpecie, ſed eſſe partem eius, quæ ſub eadem ratione formali qua virtualis reuelationis, ac cæteræ partes ſacræ doctrinæ circa ſua obiecta materialia, verſatur circa Theologiam myſticam elicitiuam, reſque ad illam pertinentes, eas explicando, & dirigendo, ex quo munere vocatur Theologia Myſtica, ſicut & Polemica ex munere reflectendi ſupra ſua principia, eaque defendendi aduerſus omnia infidelium genera, & ſic de alijs, vt ſuo loco diximus tom. 1. lib. 2.

At ſi loquamur de Theologia Myſtica elicitiua, ſeu vtente, certum eſt, eſſe habitum ſpecie diſtinctum à Sacra doctrina, vel Theologia vt ſic, ſicut fides, licet ſit habitus primorum principiorum Theologiæ, eſt tamen habitus ab ea diſtinctus, nec non obiectum eiuſdem, quo ad illam partem, quæ agit de fide diuina, & rebus ad illam ſpectantibus. Ratio eſt, quia habitus Theologicus, vt ſuo loco diximus, non eſt ſubſtantialiter ſupernaturalis, ſed naturalis, mero diſcurſu humano, ſuppoſita ſemel fide, acquiſibilis: At Theologia Myſtica elicitiua, ſaltem conſummata, ſiue habitus elicitiuus operationum myſticarum, eſt ſubſtantialiter ſupernaturalis, nullaque induſtria humana acquiſibilis, ſed à Deo ſpecialiter infuſus animæ diuina patientis, non autem agentis, vt infra explicabitur. Inter ſe ergò diſtinguuntur ſpecie huiuſmodi habitus.

Propterea quotidiana docet experientia, multos eſſe idiotas, & ignaros, diuina patientes, & guſtantes, quam bonus ſit Deus; qui tamen illorum rationem ſcientificè reddere non poſſunt, imo in hoc, ne periculum incurrant, ſæpè dæmone ſe transformante in Angelum lucis, tenentur ſe humiliter ſubijcere examini, & iudicio doctorum virorum, qui eos dirigant; idque ſcientificè præſtare poſſunt, etiamſi nullam habeant experimentalem ſcientiam alicuius operationis myſticæ quam ſi haberent ſimul cum ſcientia ſpeculatiua, dubium non eſt, quin longè perfectiores eſſent huiuſmodi animarum directores; monente Apoſtolo Apocalip. 22. v. 17. *Et qui audit, dicat veni*.

Ex Diuo enim Thoma 2.2. q. 45. art. 2. Rectitudo iudicij poteſt cōtingere dupliciter. Vno modo ſecundum perfectum vſum rationis: alio modo propter connaturalitatem quandam ad ea, de quibus iudicandum eſt, ſicut de his, quæ ad caſtitatem pertinent, per rationis inquiſitionem rectè iudicat ille, qui didicit ſcientiam moralem. Sed per quamdam connaturalitatem ad ipſam rectè iudicat de eis ille, qui habet habitum caſtitatis. Sic ergo circa myſticas Dei in anima operationes, qui illas experiuntur, etſi rectum iudicium habe-

habere de eis poſſint ſecundum quamdam connaturalitatem ad ipſas, non tamen ſi ſint perſonæ idiotæ,illud ſemper habent ex rationis inquiſitione, niſi etiam in hoc eſſent teodidactæ; ſed hoc pertinet ad inſignes Theologos, quos propterea tam diligenter,tamque anxiè quærebat, & expetebat Sancta Virgo Tereſia Mater, & Magiſtra noſtri Carmeli Diſcalceati,ſimulque orationis, ac Theologię Myſticæ, ita eam vocante Eccleſia, & petente cæleſtis eius doctrinæ pabulo nutriri; ſolebatque argutè dicere, quod Deus ipſam à ſemidoctis viris liberaret.

Secundò habetur ex dictis,quodnam ſit Theologiæ Myſticæ directiuę obiectum. Loquendo enim de obiecto formali quo, eſt virtualis reuelatio diuina, communis ipſi cum cæteris Theologiæ partibus: obiectum verò quod, ſeu materiale ſunt operationes myſticæ, vt dirigibiles, per dictam reuelationem. Doctrina enim ſpiritus, non innititur principijs humanæ ſapientiæ, ſed veritati diuinæ, & reuelatæ, quæ excedit omnem humanam cognitionē, & locutionem, quæque deficere non poteſt, cum ſapientia humana plerumque decipiat, ſecundum illud Iſaiæ 47. *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc, decepit te.*

Hæc denique pars Theologię,quam vocamus Myſticam directiuam, non ſolum eſt ſpeculatiua,ſed & etiam practica. Quia non ſolum finis illius eſt cognitio, aut ſpeculatio actuum Myſticorum, circa quos verſatur tanquam circa ſuum obiectum; quod eſt propriū ſcientiæ ſpeculatiuæ; ſed inſuper ex principijs fidei, quæ ſunt principia Theologicæ, deducit concluſiones ex ſe, & immediatè directiuas præfatorū actuum, vel operationum, vt quod ſit ita, vel ita in illis procedendum; & ad illas etiam inducat, quod eſt proprium ſcientiæ practicæ; vt vidimus tom. 1. lib. 1. ſect. 2. cap. 6. neque hoc maiorem habet difficultatem ſuppoſitis ibi dictis. Definiri igitur poteſt quod *ſit ſcientia ex diuinitus reuelatis procedens, ac verſans circa actus myſticos, vel Deum per illos conſequibilē, & vnibilem*; modo in decurſu huius libri explicando.

CAPVT III.

Quod Theologia Myſtica directiua, vel docens rectè vtatur terminis, ac phraſibus ſibi proprijs.

NOn deſunt animales homines nō percipientes, vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 2. *quę ſunt ſpiritus*; qui aut Theologiam Myſticam abſolutè irrideant, aut ſaltem maiori ex parte terminos, quibus animę diuina patientis affectus, & effectus declarare conatur. Sed quam immerito patebit conſideranti, nullum ex illis eſſe, qui aut expreſsè non habeatur in Scriptura Sacra, aut illi non ſit valdè conformis.

A quibus enim nonnulli maximè abhorrent, ſunt, quæ de operationibus animæ paſſiuis dicuntur, quæ de potentiarum eius ſeceſſu, ſuſpenſione, ſilentio, & otio; quod interdum dicatur liquefieri, annihilari, transformari; quod Deus oſculetur, & amplectatur eam; quod ſponſalitium, & matrimonium ſpirituale ineat cum illa; quod ſit ebria; & ſic de alijs ſimilibus loquendi modis, de quibus agetur in decurſu huius libri, & plenè conſtabit nihil prorſus falsi, vel abſurdi continere, quodue alienum ſit à Sacra Scriptura, aut Eccleſiæ doctrina. Interim tamen breuiter explicantur.

Primò quod dicitur de paſſiuis animæ operationibus, ſiue eam diuina pati, non debet intelligi, quaſi anima, in ſtatu perfectæ, intimæque vnionis cum Deo, non eliciat ſuas operationes intellectus, & voluntatis, ſed tantùm paſſiuè ſe habeat reſpectu illarum à Deo tunc infuſarum, vel immiſſarum. Etſi enim nonnulli Theologi crediderint minimè repugnare Diuinæ Omnipotentiæ, quod actiones etiam vitales diuini-

diuinitus animæ infundantur, aut in ea ſuppleantur, ipſa merè paſſiuè ſe habente, id tamen ſaniori tam Philoſophicę, quàm Theologicæ doctrinæ repugnar, vt infra ſuo loco oſtendetur. Anima igitur dicitur diuina pati, quia non exercet huiuſmodi operationes niſi ex principio formali elicitiuo ſupernaturali, quod anima contemplatiua prius debuit cælitus recepiſſe; & inſuper ad eas exercendas à Deo applicatur, non ſolum ea ratione generali, qua concurrit ad cæteras actiones etiã ſupernaturales, verum etiam ſpeciali inferius explicanda; hæc enim vt per ſe patet aliqualem ſignificant, & important in operante paſſionem, ratione quorum rectè dici poteſt pati; & iuxta iſtum ſenſum ait Apoſtolus Roman. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Et Diuus Dionyſius ſcribit de Hierotheo, *quod erat diuina patiens.* Vndè Theologi eamdem phraſim, loquendique modum vſurparunt, vt explicarent illum vnionis modum, quo Deo ſpecialiter animam agenti.& mouenti, intimè vnitur.

Secundò quæ de animæ, & potentiarum eius receſſu, ſuſpenſione, ſilentio, & otio, ſimilibuſque dicuntur, non ſunt intelligenda, vt ſatis ineptè putãt aliqui, quaſi anima contemplationi vacans maneat ſine vllo actu, id enim Theologi myſtici non docent, imò cõtrarium, apertè dicentes contemplationem, quę eſt propria perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ, conſiſtere in intima vnione animæ cum Deo per actus intellectus, & voluntatis. Vnde receſſus myſticus, & ſupernaturalis, de quo agunt myſtici, non enim quilibet ad interiora veluti ingreſſus eſt talis, vt dicetur infra, nihil eſt aliud quam animæ contemplatiuæ omniumque eius potentiarum ab exterioribus, omnique eo, quod non eſt Deus, aut ad illum non conducit, ex ſingulari eius gratia eidem auocatio, vt attentius vacet, eũque in ſe loquentem audiat. Quo ſenſu ait Deus Oſee 2. v. 14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.*

Per ſuſpenſionem autem intelligitur, mentis in Deum, ex ſingulari quoque eius gratia, defixio, ſeu immobilis contemplantis intentio, non obſtante connaturali potentiarum animæ mobilitate, ſiue excurſu, & recurſu. Quod Richardus à S. Victore lib. 1. Contempl. cap. 5. familiari volatilium exemplo, ac ſimilitudine declarat: *Viuacitas,* inquit, *intelligentia in contemplantis animo mira agilitate modo it, atque redit: modoſe quaſi in gyrum flectit: modo autem ſe quaſi ad vnum colligit, & velut immobiliter figit. Huius ſane rei formam, ſi rectè perpendimus in cæli volatilibus quotidie videmus,* quorum varijs per aera circuitibus, ſemper tamen in ipſum redeuntibus, allatis, demum concludit. *Videre licet alia, quomodo tremulis alis, ſæpeque reuerberatis, ſe in vno eodemque loco diutius ſuſpendunt, & mobili ſe agitatione quaſi immobiliter figunt, & ab eodem ſuſpenſionis ſuæ loco, diu multumque hærentia penitus non recedunt, ac ſi operis, & inſtantiæ ſuæ executione prorſus videantur exclamare, & dicere: Bonum eſt ſic nos eſſe.*

Silentio myſtico, ſeu metaphoricè dicto de anima, illiuſque potẽtijs, quarum locutiones ſunt internæ, loquitur enim anima per intellectum, petendo, poſtulando, laudando, alijſque modis, quod intus gerit, aperiendo: per volũtatem optando, deſiderando, aſpirando, tali, inquam, ſilentio, Doctores Myſtici ſignificant quidem huiuſmodi actuum, & ſimilium plerumque ceſſationem, cum ſilere, vel tacere, vnde hæc metaphora ducitur, ſit ceſſare à loquendo, non tamen omnimodam, quia ſemper anima Deo manet intimè vnita per actus intellectus, & voluntatis; verum cum in illa vnione potius audiat, quid loquatur in ea Dominus, quam ipſamet loquatur, iuxta illud Diui Pauli dicentis, in ſuo ad tertium cælum raptu, *Se audiuiſſe arcana Dei, quæ non licet homini loqui,* 2. Corinth. 12. inde myſtici ad declarandum hunc

ſtatum

ſtatum vtuntur nomine metaphorico ſilentij animæ, potentiarumque eius. Quo ſilentio tantùm abeſt, vt ceſſent à laudando Deum, quin potius, etſi nihil poſtuletur, neque per multa Dei encomia intellectus diffundatur; neq; voluntas pia deſideria multiplicet, eo tamen perfectiſſimè laudari colligatur ex illo Scripturæ, Pſalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*. Quod S. Hieronymus legit, *Tibi ſilentium Laus Deus in Sion*. Ad quod hortatur Dionyſius, ſiue cum incomprehenſibilitatem, ac ineffabilitatem Dei deprædicat, ſiue dum ſæpe aſſerit arcana cæleſtia ſilentio veneranda eſſe.

2. Sunt qui per otium myſticum idem intelligant, ac ſilentium, verum melius coincidere videtur cum quiete Myſtica. Cum enim quies nihil ſit aliud quã ceſſatio ab opere, aut motu: ſeu tranquillitas, laxamentum, remiſſio, otium maximè, ſi ſit poſt laborem; per otium, aut quietem myſticam, vt talem intelligitur ceſſatio, vel pauſa, non quidem ab omni actu, ſed ab vlteriori inquiſitione Dei iam poſſeſſi; donec namque hoc modo in Deo eſſe anima cogitetur, apprehenditur eſſe in motu continuo: ſiquidem verè dixit Auguſtinus lib. 1. Confeſſionum cap. 1 *Quia feciſti nos ad te, inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*. Nimirum eſt Deus tanquam centrum ad quod niſi corda perueniant, non cenſentur quieſcere. Vt enim rectè docet Diuus Thomas in 1. diſt. 1. q. 4. art. 1. ad 5. *Eſt duplex quies, ſcilicet quies deſiderij, & quies motus; quies deſiderij eſt, quando deſiderium ſiſtit in aliquo, propter quod omnia facit, & quærit, & non deſiderat aliquid vlterius, & hoc modo voluntas iuſti quieſcit in via in Deo. Quies autem motus eſt, quando peruenitur ad terminum quæſitum, & iſta quies voluntatis erit in Patria. Hæc autem quies facit perfectam fruitionem, ſed prima imperfectam*. Rurſus idem Sanctus Doctor explicans illud ad Hebr. 4. *Ingrediemur enim in requiem*, ait: *Eſt autem duplex requies. Vna in bonis exterioribus, & ad iſtam egreditur homo à requie mentis. Alia eſt in bonis ſpiritualibus, quæ eſt intima, & ad iſtam ingreditur. Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui. Cant. 1. Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Vnde ſatis patet quietem, vel otium myſticum non importare ceſſationem ab omni actu, ſed tantùm, vel à tumultibus internis, vt dicunt aliqui, vel quod verſimilius eſt in illo ſtatu, ab vlteriori conatu, & labore quærendi, & inueniendi Deum, eo iam obtento, & anima in ipſo tanquam in centro, aut firma in ſede conquieſcente. Qua de cauſa hic ſtatus, etſi quies, & otium modo explicato vocari poſſit, ex alia tamen parte negotiũ potius grauiſſimum appellari debet, tunc anima ſoli Deo vacante, tranſacto labore multitudinis, & remanente vnitate charitatis.

Tertiò, dum myſtici dicunt, animam in ſtatu intimæ vnionis cum Deo, liquefieri, non ſolum nihil falſi, aut abſurdi continet, ſed potius huiuſmodi metaphora deſumitur ex multis Scripturæ locis; Pſalm. 21. vbi ait Regius Propheta *Et factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens*; Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt*, ſcilicet dilectus; ſcite & accommodate ad naturam amoris. Vt enim ait D. Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 5. ad 2. *Liquefactio importat quamdam mollificationẽ cordis, quia opponitur congelationi: ea enim quæ ſunt congelata, in ſeipſis conſtricta ſunt, & non poſſunt de facili ſubintrationem alterius pati: ad amorem autem pertinẽt, quod appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum eſt in amante. Vnde cordis congelatio, vel duritia eſt diſpoſitio repugnans amori; ſed liquefactio importat quamdam mollificationem cordis, quia exhibet ſe cor habile, vt amatum in ipſum ſubintret*. Et in 3. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. ad 4. *Quia verò nihil à ſe recedit, niſi ſoluto eo, quod intra ſe continebatur, ſicut res naturalis non amittit formam, niſi ſolutis diſpoſitionibus, quibus forma in materia*

retine-

retinebatur: ideo oportet, quod ab amante illa, qua intra terminos ſuos tantum continebatur, amoueatur. Et propter hoc amor dicitur liqueſacere cor, quia liquidum ſuis terminis non continetur. Et contraria diſpoſitio dicitur cordis duritia. Anima igitur in ſtatu intimæ vnionis liquefit, vt ſponſus in ipſam ingrediatur, & veluti terminis non contineatur; atque adeò myſtica animæ liquefactio præcipuè conſiſtit in omnimoda eius conformitate ad voluntatem Dei, ſiue quod eius voluntas penitus transfundatur in voluntatem Dei, ſolumque illi viuat; vt ait Diuus Bernardus explicans illud Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt dilectus; Quomodo*, inquit, *ſtilla aquæ multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini inducit, & colorem: & quomodo ferrum igneum, & candens igni ſimillimum fit, priſtina, propriaque forma exutum: & quomodo ſolis luce perfuſus aer in eamdem transformatur luminis claritatem; adeò vt non tam illuminatus, quam lumen ipſum eſſe videatur: Sic omnem in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem; alioquin quomodo omnia in omnibus erit, ſi in homine de homine quidquam ſupererit.*

Doctori Mellifluo adſtipulatur Angelicus exponens eumdem Canticorum locum, ſeu verba Sponſæ, quaſi diceret: Quantò vicinius aduentum Sponſi mei perſenſi ad tactum ſecretæ inſpirationis, tanto magis quidquid in me erat frigidum incaluit, ita vt nihil mihi libeat iam niſi lachrymis reſolui. Loquitur enim Sponſus interna ſui inſpiratione, cum Chriſtus Sanctam Animam inſpirat, eique cæleſte deſiderium ſuggerit. Et ideò eo loquente, liquefit, quia quo magis cæleſtibus afflatur deſiderijs, eo amplius terrenis emoritur, & quaſi inſenſibilis mundo efficitur, ſolumque deſiderio cæleſti viuit.

Quartò, dum ijdem Myſtici aſſerũt, animam in ſtatu intimæ vnionis annihilari, ſi id propriè acciperetur, vel loquerentur de annihilatione, ſicut de totali deſitione rei, quatenus ſicut omnis natura creata eſt capax exiſtendi per beneficium Creatoris, & liberam voluntatem Dei, ita eſt capax deſinendi eſſe, Deo volente ſuum concurſum ſuſpendere, iuxta illud Sap. 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet conſeruaretur?* Si, inquam Doctores Myſtici vterentur in hoc ſenſu termino annihilationis, ſine dubio, nedum quid abſurdum, ſed & omnino erroneum eſſet, Fideique Catholicæ contrarium, ſiquidem animæ ſubſtantia in vnione Myſtica non deſinit eſſe, atque adeò non annihilatur. Eo igitur vtuntur ad ſignificandam annihilationem Myſticam, id eſt figuratam, impropriam, moralem, non phyſicam: in eo conſiſtentem, quod anima ad imitationem Chriſti, qui vt ait Apoſtolus ad Philipp. 2. *Exinaniuit ſemetipſum*, ſeipſam quoque coram Deo ſic deſpiciat, vt pro nihilo ſe reputet, ſuique & omnium rerum creatarum obliuiſcatur, ſolo contenta Deo, cui ſe totaliter tradidit. Cum enim annihilari, ex vi vocis, idem ſit quod in nihilum redigi: qui ita mutatur, vt nihil præcedentium conſuetudinum, nihil imperfectionum, deſideriorumque carnalium retinere videatur, quantum ad hoc non incongruè à Myſticis annihilatus dicitur.

Eodem modo debet intelligi, quod aiunt, animam mori, loquentes tantum non de morte phyſica, ſed morali, & myſtica, qua illa ita peccato moritur, tranſilitque omnia carnis oblectamenta, & illecebras, vt ſit illis omnino inſenſibilis, ſoli Deo viuens, dicereque propterea poſſit cum Apoſtolo ad Galat. 2. *Viuo autem ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, quaſi eius vitam Chriſti præſens vita peremiſſet; vt enim ait Deus Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet*, ſcilicet

vita carnali, vt ait Diuus Thomas.

Quintò, *amoroſam vnionem mentis cum Deo, quæ fit per Theologiam Myſticam congruè Transformationem nominari, ſicut B. Dionyſius, & SS. Patres loquuti ſunt*, expreſsè affirmat Gerſon conſid. 41. Theolog. Myſt. Etſi in explicationis modo varietas inueniatur. Qua relicta, breuiter dico, per transformationem, vel deificationem, quæ fit in vnione myſtica, non debere intelligi tranſmutationem, vel conuerſionem propriæ naturæ, in diuinam, aut quod accipiat anima amorem diuinum ſubſtantialiter, quo amet Deum; hæc enim, & ſimilia ſunt impoſſibilia; ſed quod præter gratiam ſanctificantem, qua dicitur fieri conſors diuinæ naturæ, adeò vt accidentaliter ſit, quod Deus eſt ſubſtantialiter, quæque eſt communis omnibus iuſtis, inſuper habeat ex ſingulari, & ſpeciali motione Dei perfectiſſimos intellectus, ac voluntatis actus, per quos etiam ſpecialiter dicitur in eum transformari, aut deificari. Quemadmodum enim, qui terram intelligit, qui terram diligit, in eſſe intelligibili, & affectiuè terra eſt; *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*, Pſal. 113. ſic qui Deum, erit Deus. Quod deſcribens Diuus Bernardus libro de vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei, ait: *Super hanc autem alia eſt adhuc ſimilitudo in tantum propriè propria, vt non iam ſimilitudo, ſed vnitas ſpiritus nominetur; cum ſit homo cum Deo vnus ſpiritus, non tantum vnitate volendi idem, ſed expreſsiore quadã vnitate virtutis aliud velle non valendi, &c.*

Sextò, quod in ſtatu intimæ vnionis dicatur Deus oſculari, & amplecti animam, iuxta illud Sponſæ deſiderium Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*; & *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; per huiuſmodi oſculum myſticum, & ſpirituale denotatur ſumma quædam ſuauitas, qua à Deo perfunditur in Diuini Spiritus cõmunicatione, per oſculum enim materiale, ex quo ſit iſta metaphora, ſpiritus, ſeu halitus ſe ſuauiter oſculantium mutuò communicatur. Cum autem iuxta celebrem Diui Bernardi diuiſionem ſerm. 3. in Cant. triplex ſit oſculum, nimirum pedis, manus, & oris Domini: quorum primum pertinet ad incipientes, qui ſunt in via purgatiua; ſecundum ad proficientes, in via illuminatiua conſtitutos; tertium ad perfectos, viam vnitiuam iam aſſecutos; ſecundum communem Doctorũ Myſticorum ſententiam, ſolum oris oſculum dicitur oſculum myſticum, perfectorum duntaxat proprium. Sicut per amplexum myſticum ſignificatur quidam excellens animæ tactus à Deo factus, qui ſapit æternæ vitæ delicias, vt explicabitur infra ſuo loco.

Septimò, cum Deum inire ſponſalitia, ac matrimonium ſpirituale cum anima ſancta, fiat media vnione cum illa, in qua, vt dicetur infra principaliter conſiſtit Theologia myſtica, ideo fuſius ibi de illis agetur. Hos interim terminos nihil abſurdi continere, probant innumera Scripturæ loca eis vtẽtis, præſertim Cant. 1. 4. & 5. Oſee 2. *Sponſabo te mihi in fide*.

Octauò tandem, & vltimo, ebrietas ſpiritualis, aut myſtica ea eſt, qua, qui tenentur, multa operantur, quæ inſolens quid habent; ſiue id proueniat ex amoris exceſſu, ſiue alterius alicuius affectus. Quemadmodum enim, qui ebrietate corporali, proprièque dicta laborant, agunt, & dicunt multa, quæ à rectæ rationis prǽſcripto aliena ſunt, vt rectè obſeruant Diuus Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio, & Hieronymus epiſt. 1. ad Titum: *Nam videas*, inquit, *alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem iacere conuiuæ: alios ſciſsis veſtibus in vulnera aliena proruere: alios clamare, alios dormitare*; ita, quos ſemel cæleſtis Sponſus introduxit in cellam vinariam perfectæ vnionis, Spirituſque Sancti feruore repleuit, cum multa operentur, ob quę interdum oculis carneis alienati à mente, ac ſenſu videntur, con-

cōgruè ebrij myſtici appellari poſſunt. Quia autem ex Patribus triplex eſt Ebrietas Myſtica, nimirum, illa, quam caufat peccatorum conſideratio, ac dolor peculiaris in Incipientibus, de qua intelligi poteſt illud Iſaiæ 16. 9. *Inebriabo te lachryma mea*. Tum illa, quā cauſat diuinum verbum, ſeu ſpiritualis inſtructio, aut diuinorum Myſteriorum contemplatio in Proficientibus, ac demum illa, quam amor feruidus, contemplationiſque exceſſus cauſat in Perfectis, hæc eſt, quæ peculiariter dicitur Ebrietas Myſtica. Tantùm de præcipuis Theologiæ Myſticæ phraſibus, & quæ nonnullis maiorem difficultatem, ac nauſeam parere ſolent; ſed immeritò, vt ſatis patet ex dictis.

Igitur, licet omninò reprehendendi ſint, & condemnādi, qui in hac materia phraſibus loquendique modis vtuntur à doctrina fidei, & Eccleſię vſu alienis; parumque laudandi illi, qui Platonicorum, & Gnoſticorum more, quoſdam terminos emphaticos, ventoque plenos adhibent, vel etiam obſcuros, quaſi propheticè, & apocalipticè loquentes; aut innumera ſine neceſſitate verba, ac phraſes multiplicant; his omnibus ad nihil aliud deſeruientibus, quam vt oneretur memoria, reddatur magis obſcurum, quod iam eſt intellectu valdè difficile, nec non magis ardua ad illud via: Etſi, inquam, ita ſe habeat, rationabiliter tamen negari non poteſt, quin, ſi aliæ ſcientiæ, & artes proprios habent terminos, nouoſque adinuenire poſſunt, quibus, vbi ita exigit neceſſitas, ſuas veritates, quæq; ad illas pertinent, exprimant, vel explicent, id quoque concedi debeat Theologię Myſticę de tam ſecretis veritatibus, & arcanis myſterijs tractanti. Cuius proindè, vt facilius apprehendantur, termini, & phraſes illa explicantes, & pauciores, & clariores, quam ſit poſſibile, eſſe debent, ſiue ſint proprię, ſiue metaphoricæ, ſiue negatiuæ, ſiue affirmatiuæ, aut poſitiuæ.

Quibus adhuc ſi minus res intelligatur, maximè, quid ſit in illa intima vnione animæ cum Deo, illo ſeu verbo ſponſo frui, quod eſt Theologiæ Myſticæ ſumma, indeque aliquis conqueratur; audiat Bernardum ſic de hoc myſterio loquentem ſerm. 85. in Cantica: *Pergat quis forſitan quærere à me, quid ſit verbo frui? Reſpondeo quærat potius expertum, à quo id quærat: Aut ſi id mihi experiri daretur, putas me poſſe eloqui quod ineffabile eſt? Audi expertum: ſiue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis. Hoc eſt: Aliud mihi cum Deo ſolo arbitro, aliud vobiſcum, mihi illud licuit experiri, ſed minimè eloqui. O quiſquis curioſus es ſcire, quid ſit hoc verbo frui! Para illi non aurem, ſed mentem; non docet hoc lingua, ſed docet gratia: abſconditur à ſapientibus, & prudentibus, & reuelatur paruulis. Magna, fratres, magna, & ſublimis virtus humilitas, quæ promeretur, quod non docetur: digna adipiſci, quod non valet addiſci: digna à verbo, & de verbo concipere, quod ſuis ipſa verbis explicare non poteſt. Cur hoc? non quia ſit meritum, ſed quia ſit placitum coram Patre Verbi Sponſi animæ Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Hactenus Doctor Mellifluus, cui concordat Seraphicus Diuus Bonauentura cap. 7. Itinerarij mentis in Deum: *Si autem quęras quomodo hæc fiant? interroga gratiam, non doctrinam: deſiderium, non intellectum: gemitum orationis, non ſtudium lectionis: ſponſum, non magiſtrum: Deum, non hominem: caliginem non claritatem: non lucem, ſed ignem totaliter inflammantem, & in Deum exceſſiuis vnctionibus, & ardentiſſimis affectionibus transferentem.*

CAPVT IV.

Traditur notio quid rei, ſeu definitio Theologiæ Myſticæ elicitiuæ, ſiue vtentis, latè, ac veluti genericè ſumptæ, tum eiuſdem diuiſio.

PAter ex iam dictis Theologiam Myſticam elicitiuam, ſiue vtentē, eſſe quid ſpecie diſtinctum ab habitu Theologiæ circa illam verſantis, & ab illa denominatæ, tanquam à ſuo partiali obiecto. Nunc autem, vt melius inueſtigemus quid rei, ſeu definitionem illius, ſciendum eſt eam multipliciter conſiderari poſſe, ſed præcipuè attenta diuerſitate graduum charitatis, per cuius augmentum homo ſecundū diuerſa ſtudia dicitur tendere ad vnionem cum Deo. Quos Diuus Thomas 2.2. q. 24. art. 9. cæterique Theologi cum illo in tres diuidunt; & ab eis vocantur, Incipiens, Proficiens, & Perfectus.

Nam primò incumbit homini ſtudium principale, ad recedendum à peccatis, & reſiſtendum concupiſcentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent. Et hoc maximè ſpectat ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda, & fouenda ne amittatur. Secundum autem ſtudium huic ſuccedens, in hoc conſiſtit vt homo per illud principaliter intendat proficere in bono: & propterea dicitur pertinere ad proficientes, potiſſimum diuinæ charitatis augmento attendentes, per omnigenū virtutum exercitium. Tertium denique ſtudium eſt, vt homo purgatis iam vitijs, virtutibuſque acquiſitis, Deo inhæreat, eoque fruatur, quantum in hac vita fruibilis eſt, quod eſt perfectorum proprium, indè cupientium diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Hi ſunt tres gradus charitatis, ſiue notabiles eiuſdem effectus, qui in eam habentibus relinquuntur, penes quos Diuus Thomas varijs in locis, nimirum in 3. diſt. 29. quæſt. 1. art. 8. 2. 2. q. 24. art. 9. opuſc. 58. cap. 19. in expoſitione cap. 44. Iſaiæ, docet debere attendi differentiam ſtatuum, vel graduum in eodem ſtatu perfectionis, ſeu diuiſionē illorum in Incipientes, Proficientes, & Perfectos; nec non triplicem viam, ſcilicet, Purgatiuam, incipientium propriam; Illuminatiuam, proficientium; & Vnitiuam, perfectorum. Circa quæ tamen breuiter aduertendum eſt, ita aliqua eſſe vniuſcuiuſque horum ſtatuum, vel graduum, & viarum propria, vt tamē in ſingulis vijs reperiri poſſint; quod maximè noto, quia, ſi interdum incipientibus, viaque purgatiua adhuc incedentibus aliqualiter communicetur amor perfectorum, viæque vnitiuæ proprius, certum eſt id ipſis non competere ex vi ſui ſtatus, aut gradus, ſed ex beneplacito Dei ita diſponentis. Ea ferè ratione, qua, licet lex vetus ex ſe eſſet lex timoris ad diſtinctionem legis Euangelicæ, quæ eſt lex dilectionis, hæc tamen illi non deerat. Sicut etiam plures laici habent perfectionem Religioſorum, nec non Epiſcoporum, ſed non ex vi ſtatus ipſis congruētem, ſicut competit Religioſis, & Epiſcopis longè excellentiorem laico ſtatum cōſtituentibus. Vndè apparet, quam malè nonnulli inferant ex hoc, quod in ſingulis tribus vijs, & ſtatibus reperiantur, quæ ſunt reliquarum propria, illa minimè inter ſe diſtingui debere.

His animaduerſis clarè conſtat Theologiam Myſticam elicitiuam, ſiue vtentem, duobus modis conſiderari poſſe. Primò, latè, ac veluti genericè, hoc eſt, prout abſtrahit à tribus præfatis ſtatibus, ac vijs; ſecundò, ſtrictè, ac veluti ſpecificè, hoc eſt, quatenus propria eſt vniuſcuiuſq; ſtatus, & maximè tertij. Vndè etiam habetur illam dupliciter definiri poſſe, nimirum genericè, & in communi, tum ſpecificè, & in particulari, quod valdè obſeruandum eſt, ex hac enim indiſtinctione, vt non parua in hac materia oritur confuſio, ita illa ſemel facta, facilè ſaluatur bonitas plu-

rium definitionum, applicando illas Theologiæ Myſticę ſecundum diuerſas conſiderationes.

Nunc igitur loquendo de illa veluti genericè, de illa enim ſpecificè ſumpta acturi ſumus in ſequentibus ſectionibus, definiri poteſt, *Notitia ſupernaturalis, ac ſapida Dei, diuinorumque*. Vbi locum generis habet particula, *notitia*, ſeu cognitio, vel ſcientia, quibus tamen vocibus non vtimur, quia nomen eſt generalius, *notitia*, quæque hic non adſtringitur ad actualem, vel habitualem, ſed abſtrahit ab vtraque, cum etiam hic Theologia Myſtica à nobis accipiatur, quam latiſſimè. Dicitur *ſupernaturalis*; ad diſtinctionem naturalis, quam habere poſſumus, ſoliſque naturæ viribus habuere Philoſophi Gentiles, qui cæterum praui, & omni vitiorum genere coinquinati, in multiſque errantes, per diſcurſum tamen ad veri Dei cognitionem peruenerunt, & gradu per ſimplicem cogitationem ad eius meditationem, & contemplationem etiam facto in ea perſtiterunt, illis quoque ſua non deficiente delectatione, vel ſapore. Vndè illorum quoque de Deo, ac diuinis notitiam, vel ſcientiam vocari poſſe ſapientiam docet Diuus Bonauentura opuſc. de Donis Spiritus Sancti, tit. de Dono Sapientiæ: *Sapientia*, inquit, *creata quadam eſt, per ſtudium humanum acquiſita, & eſt virtus intellectualis, de qua Ariſtoteles in Metaphyſica: Et poteſt dici Sapientia aliqualiter, cum in ea ſapor quidam inueniatur. Habet enim Philoſophia admirabiles delectationes, vt dicitur in Ethicis, licet ſapor ille non ſit oleo gratia conditus*. Ad diſtinctionem igitur huiuſmodi notitiæ, vel ſcientiæ naturalis Philoſophorum etiam Gentiliũ, de Deo, & diuinis, de qua videri poteſt Hugo Victorinus cap. 1. Comment. in Cæleſt. Hierarch. item Dionyſius Carthuſianus in cap. 5. Theologiæ Myſticæ Diui Dionyſij, Theologia Myſtica Chriſtianorum dicitur notitia *ſupernaturalis*; & inſuper per excellentiam ſapientia, quaſi ſapida ſcientia, quia oleo gratiæ condita; nec non etiam ad diſtinctionem omnium aliarum notitiarum ſupernaturalium merè ſpeculatiuarum, quatenus hæc vox *ſapida* reſpectum dicit ad voluntatem, in qua ſingularis quædam eſt delectatio ex cõtemplatione Dei ſupernaturali. Quare etiam non ſpeculatiua tantùm, aut ratiocinatiua, ſed ſpeculatiuo-practica, quæ eſt experimentalis appellatur. Vt enim rectè ait Diuus Thomas 1. p. qu. 64. art. 1. *Cognitio qua habetur per gratiam, eſt duplex. Vna quæ eſt ſpeculatiua tantùm, ſicut cum alicui aliqua ſecreta diuinorum reuelantur. Alia verò quæ eſt affectiua producens amorem Dei. Et hæc pertinet ad donum ſapientiæ*. Et 2. 2. q. 162. art. 3. ad 1. *Cognitio veritatis eſt duplex, vna purè ſpeculatiua: & hanc ſuperbia indirectè impedit, ſubtrahẽdo cauſam. Superbus enim neque Deo intellectum ſuum ſubijcit, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat, ſecundum illud Matth. 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, id eſt, ſuperbis; qui ſibi ſapientes, & prudentes videntur: & reuelaſti ea paruulis, id eſt, humilibus. Neque etiam ab hominibus addiſcere dignatur, cum tamen dicatur Eccleſ. 6. Si inclinaueris aurem tuam, ſcilicet humiliter audiendo, excipies doctrinam. Alia autem eſt cognitio veritatis, ſcilicet affectiua. Et talem cognitionem veritatis directè impedit ſuperbia: quia ſuperbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis faſtidiunt, vt Gregorius dicit 23. Moral. Quod ſuperbi etſi ſecreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non poſſunt*. Dubiũ igitur non eſt, quin ad Theologiam Myſticam neceſſariò requiratur actus voluntatis, in eoque aliqualis diuinorum ſapor, aut guſtus, eodem adhuc Sancto Doctore teſtante 2. 2. qu. 97. art. 2. ad 2. quod *eſt duplex cognitio diuina bonitatis, vel voluntatis. Vna quidem ſpeculatiua. Et quantum ad hanc non licet dubitare, nec probare, vtrum Dei voluntas ſit bona; vel vtrum Deus ſit*

ſit ſuauis. Alia autem eſt cognitio diuinæ voluntatis, ſiue bonitatis affectiua, ſeu experimentalis; dum quis experitur in ſeipſo guſtum diuinæ dulcedinis, & complacentiam diuinæ voluntatis. Sicut de Ierotheo dicit d. Dionyſius cap. 2. de diuinis nominibus. Et ibidem Diuus Thomas, *quod didicit diuina ex compaſſione.* .

Cæteræ particulæ, *Dei, diuinorumque*, pertinent ad obiectum Theologiæ Myſticæ, cum omnis Theologia ex vi nominis verſetur circa Deum, & diuina, tanquam circa ſuum obiectum materiale, differatque penes modum magis, vel minus perfectum in illud tendendi, quod pertinet ad obiectum formale, ſeu ſpecificatiuum.

Quia autem Theologia Myſtica, quæ conuenit omni ſtatui ſecundum proportionem, includit neceſſario tam actum intellectus, quam voluntatis; indè eſt quod definitur à Patribus, & Doctoribus, nunc per intellectus, nunc per voluntatis operationes, & iuxta diuerſas eorum opiniones, nunc minus nunc magis principaliter per vnum, quam per alium, ſicut etiam per varios earumdem operationum effectus, aut circumſtantias, adiunctave nonnulla ſingularia. Cum enim Theologia Myſtica ſit quædam in hac vita participatio cæleſtis beatitudinis, magis, vel minus perfecta pro diuerſitate triũ dictorum ſtatuum, aut graduum, ac viarum; eodem modo proportionaliter debemus ratiocinari de illa, ac de iſta.

Igitur quemadmodum in ſententia illorum, qui beatitudinem æternam formaliter conſtituunt in ſola viſione Dei, & ex conſequenti in amore eius fruitiuo, deberet definiri magis principaliter per actum intellectus, quam voluntatis; aut vice verſa, in ſententia illorum, qui volunt eamdem beatitudinem formaliter conſiſtere in ſolo amore fruitiuo, præſuppoſitiuè autem in viſione: ex æquo vero per vtrumque actum, in ſententia illorum, qui volunt etiam ex æquo illos pertinere ad formalem beatitudinem; ita quoque ſe habent in definitione Theologiæ Myſticæ actus intellectus, & voluntatis, prout ad illam pertinent, iuxta diuerſa doctorum placita.

Inſuper cum cæleſtis beatitudo poſſit conſiderari præcisè quoad ſua eſſentialia, tum quoad ſtatum, prout nedum eſſentialia, ſed omnia accidentalia includit; proindèque definiri ſolet, Cæleſtis beatitudo, quod *ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; ſatis patet ex iſta definitione communiter recepta, aliter definiendam eſſe beatitudinem, quoad ſua eſſentialia duntaxat conſideratam, & aliter quoad ſuum ſtatum plura etiam accidentalia complectentem. Quia ergò plures Doctores nedum eſſentialia Theologiæ Myſticæ, ſed & ſtatum eius aliquando attenderunt, hoc eſt omnia illa, quæ ad intimam cum Deo vnionem per actus intellectus, & voluntatis, in qua eſſentialiter, & formaliter conſiſtit Theologia Myſtica, veluti quædam eius accidentia conſequuntur; inde quoque illam congruè per ea interdum definire, vel potius deſcribere potuerunt, varijſque etiam nominibus appellare; exempli gratia, contemplationis, ingreſſus in diuinam caliginem, fruitionis Verbi, oſculi, & amplexus eius, curſus in odorem vnguentorum eiuſdem, & auditionis vocis; raptus, extaſis, liquefactionis, transformationis, ebrietatis, exultationis, iubili, ingreſſus in cubiculum Sponſi, introductionis in diuina eius cellaria, quietis, ſomni, aliorumque plurium ſimilium; quæ licet non omnia naturam Myſticæ Theologiæ plenè explicent, conferunt tamen ſingula ad nobiliſſimæ huius diſciplinæ notitiam aliquam, & eſſentiam, ac præſtantiam quadam tenus concipiendam. Vt enim docet Diuus Thomas, ea eſt rerum magnarum, & excellentium conditio, quod plura habeant nomina, vt quod vnico nomine, aut conceptu ob ſui eminentiam expri-

mere

mere non poſſumus, illis multiplicatis explicare, vtcumque valeamus. Quamobrem minus laudandus eſt quidam modernus, vir alioquin religioſus, qui adductis quindecim diuerſis variorum Doctorum definitionibus Theologiæ Myſticæ, indè plus æquo videtur occaſionem arripere cauillandi, & carpendi diuinam hanc diſciplinam, nec non loquendi modos, quibus plures doctiſſimi, & ſanctiſſimi viri illam nobis explicare ſtuduerunt.

Quod attinet iam ad eius diuiſionē, aliqui rem altius repetentes illam diuidunt in naturalem, ſeu acquiſitam, & ſupernaturalem, per naturalem intelligentes eam Dei notitiam, ad quā etiam Philoſophi Gentiles ſine vllo prorſus fidei lumine peruenire potuerunt, vt notauimus ſupra; verum cum huiuſmodi notitia Theologiæ Myſticæ nomen haud mereatur, noſque agamus in præſenti de Theologia Myſtica ſupernaturali elicitiua, ſiue vtente, & experimentatiua, quam iam diſtinximus ſupra à directiua, ſiue docente, & ratiocinatiua, quam poſſident Theologi, qui illius præcepta, ac regulas callent, de iiſque norunt differere, & præſcribere, etiam ſi illa non experiātur, imo nequiſſimi ſint, quo ſenſu verum eſt eos plura ſcire de Deo quam probos, cum, inquam, hic tantum agamus de Theologia ſupernaturali elicitiua, ſiue vtente, & experimentatiua, qua nonnulli affirmant, ſolos bonos, ac deuotos cognitionem veram Dei accipere, quæque eſt propria trium ſtatuū, Incipientium ſcilicet, Proficientium, & Perfectorum, nec non trium viarum illis correſpondentium, Purgatiuæ nimirum, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ, ſic primo diuidimus illam per ordinem ad hæc tria in tres partes, ac veluti ſpecies, & iuxta hanc diuiſionem agimus in iſto libro de Theologia Myſtica, duabus ſequentibus ſectionibus explicaturi, quæ pertinent ad ipſam, vt eſt propria duorum priorum ſtatuum, ac viarum, cæteris autem, quæ maximè ad eamdem ſpectant, vt eſt propria tertij ſtatus, tertiæue viæ.

Secundo Theologia elicitiua ſic cōſiderata poteſt diuidi in acquiſitam, & infuſam. Vbi per acquiſitam non intelligo illam, quæ ſolis naturæ viribus de Deo gigni poteſt notitia cum aliquali delectatione, quæ coincidit cū merè naturali, fuitque in Philoſophis lumine fidei deſtitutis; ſed illam, quæ licet ſit ſupernaturalis ex parte principij, quia procedit ex gratia Dei, & ex parte obiecti, quia verſatur circa ipſum, vt auth orem ſupernaturalem, per fidē cognitum; attamē quia per illam mens eleuatur modo humano, nec tranſcendente limites orationis, vt eſt virtus moralis religionis ſiue acquiſita, ſiue infuſa, lento ſcilicet gradu, ac paulatim in Deum conſcendendo, materiam aliquam, circa quam verſetur, præueniēdo, & nonnullas quoque regulas obſeruando, ac denique proprio labore, quamuis, vt ſuppono, non ſine cooperante gratia, ad cæleſtia aſſurgendo, ideò rectè vocatur Theologia Myſtica, ſiue oratio veluti quo ad modum acquiſita, propria Incipientium, ad diſtinctionem alterius infuſæ, propriæ Proficientium, & Perfectorum, qua nō modo humano, ſed diuino operantur, vt infra declarabitur. Vndè ſufficit hāc diuiſionem breuiter hic inſinuaſſe, quæ valdè notanda eſt, multiſque difficultatibus ſoluendis facem interim præferre poteſt.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

In qua agitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria primi gradus charitatis, nimirum Incipientis, ſeu viæ Purgatiuæ.

CAPVT PRIMVM.

Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ, propriæ Incipientium, ſeu viæ Purgatiuæ.

THEOLOGIA Myſtica in hoc ſenſu accepta, definiri, vel deſcribi vtcunque poteſt, quod ſit *notitia ſupernaturalis, ac ſapida, adhuc imperfecta Dei, diuinorumque ordinata ad peccatorum præteritorum, præſertim mortalium emundationem, & futurorum præcautionem.* Vbi primæ particulæ ſuperiori ſectione, capite vltimo explicatę rationem habent generis; reliquæ autem differentiæ, quæ aliunde non poteſt deſumi melius, quam ex eo, quod eſt maximè proprium Incipientium, ſeu viæ purgatiuæ ſtudium, nec non dictæ notitiæ effectus, prout ab alijs vijs diſtinguitur, qualis eſt emundatio à peccatis præteritis, & præcautio à futuris. Vt expreſsè docet Diuus Thomas in 3. diſt. 29. q. 1. art. 8. cujus hæc ſunt verba in corpore. *Quod, ſicut in augmento corporali diſtinguntur diuerſæ ætates, ſecundum diuerſos effectus notabiles, in quos natura proficit, quos prius exercere non poterat; ita etiam in augmento ſpirituali aſſignantur gradus diuerſi charitatis, ſecundum aliquos notabiles affectus, quos in habente charitatem charitas relinquit. Primus autem effectus charitatis eſt, vt homo à peccatis diſcedat: & ideo mens charitatem habentis, in primis circa hoc maximè occupatur, vt à peccatis præteritis emundetur, & à futuris præcaueat: & quantum ad hunc effectum dicitur charitas incipiens. Secundus effectus eſt, vt iam fiduciam de liberatione peccatorum habēs in bonum adipiſcendum ſe extendat: & quantum ad hunc effectum dicitur charitas proficiens, non quia in alijs ſtatibus non proficiat, ſed quia in hoc ſtatu præcipua cura eſt de adipiſcendis bonis, dum homo ſemper ad perfectionem anhelat. Tertius effectus eſt, vt homo iam ad ipſa bona, quaſi connutritus quodammodo ſibi naturalia habeat ipſa, & in eo quieſcat, & delectetur; & hoc ad perfectam charitatem pertinet. Status autem medius duo habet. Vnum, ſecundum quod comparatur ad primum ſtatum, quia roboratur contra mala, de quibus charitas incipiens ſollicita eſt. Aliud, quod nutritur, ſecundum quod tendit in ſtatum tertium ſemper magis, ac magis bona quaſi ſibi comparando. Similiter etiam perfecta charitas duos habet gradus. Vnus eſt, ſecundum quod in bonis cōmunibus, quaſi iam ſecura conquieſcit; & ſecundum hoc dicitur perfecta. Alius, ſecundum quod ad qualibet difficilia manum mittit: & ſecundum hoc dicitur perfectiſſima, vel perfecta quantum ad ſtatum viæ, perfectiſ-*

ſima

ſima quantum ad ſtatum patriæ. Ex qua Diui Thomæ doctrina, quam tradit vbique, 2.2.q.24 art.9.& q.183. art.1. clarè conſtat, quam rectè ponantur in definitione Theologiæ Myſticæ primi ſtatus incipientium propriæ, præfatæ particulæ, pro ſpeciali eius differentia. Quæ etiam vocatur notitia ſupernaturalis, & ſapida *adhuc imperfecta*, quia ad hunc ſtatum, præfatumque effectũ eius proprium, ſufficit quod intellectus per ſolam fidem illuminetur, ſiue per illam multis diſcurſibus adiutam cognoſcat, aut iudicet; voluntas autem ſapiat per charitatem incipientem, ſique aliter fiat, id fit via extraordinaria, Deo vbi vult, & quando vult ſpirante, non autem ordinaria, de quamodò tantùm agimus. Patebitque ex dicendis ſectione ſequenti, agendo de præfatorum donorum neceſſitate ad operandum.

Quod autem ad hunc ſtatum requiratur,& ſufficiat præciſè lux ſupernaturalis fidei diuinæ illuſtrantis incipientium mentem, vel meditationem, perpetua eſt eiuſdem Angelici Magiſtri doctrina, cuius nonnulla hic proferam loca, alia verò citabo, vtpotè valdè conducentia ad præſentis materiæ intelligentiam. Primùm igitur 1. 2. q.62. art.3.& 22. q.5. art. 1. affirmat: Quod ſicut homo per naturalem inclinationem ordinatur ad finem naturalẽ; ita pijſsimus Deus per virtutes ſupernaturales voluit ordinare hominem in finem ſupernaturalem. Et primò quidem, quantum ad intellectum per fidẽ, quæ eſt fundamentum totius vitæ ſpiritualis, per quam cognoſcit Deum eſſe ſummum bonum, ſapientiſſimum, omnipotentem, æternum, incomprehenſibilem: quam virtutem dedit Angelis in ſui creatione, & primo parenti Adamo: Ergo quando ita cognoſcit Deum per fidem, & vnitur ipſi, & ceſſat ab operationibus actiuis naturalibus, tunc verè diſponitur homo ad diuinas illuminationes. Idem prorſus habet 1.2.q.63.art.3.nec nõ 2.2.q.171. art.2. & in 1. diſt.3. q.4. art.2. nec non in cap.1. & 7. Diui Dionyſij de diuinis nominibus, de neceſſitate fidei, ſiue lucis eius ad fructuoſam incipientium meditationem; docente Apoſtolo 2. Corinth. 3. *Quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Quod explicans Diuus Thomas, in quolibet, inquit, proceſſu operis, primo eſt aſſenſus, qui fit cogitando: deindè collatio per verbum: & poſt modum impletio per opus: Vndè fit, vt ſic, nec cogitare quis ex ſe habeat, ſed à Deo; non eſt enim dubium, quod non ſolum perfectio operis boni eſt à Deo, ſed etiam inchoatio. Philipp. 1. *Qui cæpit in vobis opus bonum*. Quod egregiè probat.1.2. q.68.art.1. ex hoc quod *in homine eſt duplex principium mouens, vnum quidem interius, quod eſt ratio, aliud autem exterius, quod eſt Deus. Manifeſtum eſt autem, quod omne quod mouetur, neceſſe eſt proportionatum eſſe motori: & hac eſt perfectio mobilis in quantum eſt mobile, diſpoſitio, qua diſponitur ad hoc quod benè moueatur à ſuo motore. Quantò igitur mouens eſt altior, tantò neceſſe eſt, quod mobile perfectiori diſpoſitione ei proportionetur. Manifeſtum eſt autem quod fides Theologica melius diſponit ad hoc, vt homo illuſtretur à Deo lumine ſupernaturali, quam virtutes morales, & operationes naturales, imò iſta multoties impediunt illuſtrationem*. Igitur, vt meditatio, & oratio incipientium ſit ſalutaris, vlteriorque diſpoſitio ad viam illuminatiuam, dubium eſſe non poteſt, quin requiratur fides.

Ita autem in hoc ſtatu fidem requiri, vt præciſè ſufficiat, docet idem Diuus Thomas 2.2. q. 180. art. 6. ad 2. *Omnes*, inquit, *operationes animæ reducuntur ad ſimplicem contemplationem intelligibilis veritatis, vt ceſſante diſcurſu figatur eius intuitus in contemplatione vnius ſimplicis veritatis. Et quamuis verum ſit, quod quando ratio naturalis illuſtratur à lumine fidei poſſit ſe extendere in ſuis meditationibus ad veritates ſuper-*

ſupernaturales, *impedit tamen aliam illuſtrationem eiuſdem fidei in ſua puritate*, *& donorum infuſorum*, *quæ ipſam comitantur*. Et in 3. diſt.35.q.2.art.2. quæſtiunc. 1. *Fides, quæ ſpiritualia in ſpeculo, & in ænigmate quaſi inuoluta tenere facit*, *humano modo*, *mentem perficit, & ideo virtus eſt: ſed ſi ſupernaturali lumine mens in tantum eleuetur, vt ad ipſa ſupernaturalia aſpicienda introducatur, hoc ſupra humanum modum eſt: & hoc facit intellectus donum*, *quod de auditis mentem illuſtrat, vt ad modum primorum principiorum*, *ſtatim audita probentur*, *& ideò intellectus donum*. Ex hac enim doctrina colligitur, ita fidem ſimul cum donis Spiritus Sancti illi correſpondentibus neceſſariam eſſe ad perfectam, quæ habetur cum Deo vnionem in via vnitiua, vt dicetur infra, vt tamen ſola fides ex parte intellectus ſufficiat ad eamdem per gradum charitatis, qui eſt proprius incipientium in via purgatiua ordinariè loquendo.

Quantum ad obiectum Theologiæ Myſticæ huc vſque definitæ, pertinentis ad ſtatum incipientium, eiuſque propriæ, loquendo de obiecto materiali, ſeu circa quod verſatur, certum eſt illud comprehendere tam Deum, quã creaturas, quibus ratio formalis diuinitatis, ſiue deitatis, conuenit, Deo eſſentialiter; creaturis autem participatiuè; quod eſt ipſi commune cum cæteris ſcientijs Theologicis, & ideò in eius definitione diximus, quod eſt notitia *Dei*, *diuinorumque*: Loquendo verò de obiecto formali quo, ſeu ratione ſub qua, comprehendente, ſicut in alijs ſcientijs, aut potentijs, tum lumen ſub quo tendunt, tum media, quibus tendunt, dico illud conſiſtere in eo, quod tendat in Deũ, præſuppoſito quidem fidei lumine, cognitum, ſed cum multis inſuper diſcurſibus naturalibus; & in eumdem vnibilem, vt vltimum finem, per charitatem incipientem, ſiue ſecundum ſtudium recedendi à peccatis, & reſiſtendi concupiſcentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent. Ratio eſt, quia illud eſt obiectum formale quo, vel ratio formalis ſub qua alicuius ſcientiæ, vel notitiæ, quod illam ſpecificat, ac primò diſtinguit à cæteris alijs; ſed reſpicere Deum præfato modo, eſt illud quod ſpecificat, & primo, ſeu principaliter diſtinguit Theologiam Myſticam incipientium, ſeu viæ purgatiuæ ab omnibus alijs notitijs, vt vidimus. Id igitur eſt formale eius obiectum, ſeu ratio formalis ſub qua; ſuppoſitiſque dictis maiorem non petit explicationem.

CAPVT II.

De purgatione actiua partis intellectiuæ animæ.

Poſt lapſum primi parentis Adami, communemque in eo naturæ humanæ ruinam, qua non ſolum gratuitis iuſtitiæ originalis donis ſpoliata fuit, ſed, multis inſuper plagis impoſitis, veluti ſemiuiua relicta, eam purgatione, ac reformatione indigere, libenter admittunt omnes Theologi. Hoc ergo viam Dei aggredientibus, & ad vlteriorem perfectionem tendere volentibus, primum, principaleque ſtudium eſſe debet. Etſi enim, vt iam ſupra notauimus, in hoc ſtatu aliquando non deſint, quæ ſunt aliorum propria, loquendo tamen de proprio eius ſcopo, quique ei conuenit ex vi ſua, ille eſt, peccatorum expurgatio, omniaque in hunc finem adhibere media neceſſaria.

Quia autem illorum, quos Deus ſua ineffabili miſericordia à peccatis ereptos ad vlteriorem adhuc perfectionẽ vocat, duplex eſt purgatio, vna actiua ex parte hominis incipientis, ſeipſum proprio veluti valore, ſẽper tamẽ diuina præueniente, & cooperante gratia, liberantis ab imperfectionibus, & paſſionum illecebris; altera paſſiua tantùm, ſolo Deo ipſum, veluti aurum in fornace probante, de prima nunc agimus, poſtea de ſecunda. Quæ prima cum ſit

ſit adhuc multiplex, iuxta quatuor pręcipua vulnera naturæ humanæ, etiam per Chriſtum Saluatorem reparatæ, ex peccato originali relicta, quæ Diuus Thomas 1. 2. q. 85. art 3. ſic eleganter deſcribit: *Per iuſtitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores anima partes, & ipſa ratio à Deo perficiebatur ei ſubiecta: hac autem originalis iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, & ideo omnes vires anima remanent quodammodo deſtituta proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipſa deſtitutio vulneratio dicitur natura. Sunt autem quatuor potentia animę, qua poſſunt eſſe ſubiecta virtutum: ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia: voluntas, in qua eſt iuſtitia: iraſcibilis, in qua eſt fortitudo: concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantia: in quantum verò voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitia: in quantum verò iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: in quantum verò concupiſcibilis deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentia. Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanę natura ex peccato primi parentis,* concludit Diuus Thomas loco citato. Cum, inquam, iuxta hęc quatuor pręcipua naturæ corruptę vulnera, ex quibus innumerę aliæ, tanquam ex vitiata radice, pullulant peccatorum, & imperfectionum maculæ, alia ſit purgatio actiua partis intellectiuæ, alia ſenſuum internorum, alia externorum; ſiue partis cognoſcitiuæ diuiſæ in intellectiuam, & ſenſitiuam internam, & externam; tum partis affectiuæ, quoad omnes ſuas partes, in hoc capite agimus de purgatione partis intellectiuę animæ.

Primùm igitur, vt partis intellectiuę, in qua ſunt realiter idem intellectus, & memoria; ſiquidem intellectus, vt conſeruatiuus ſpecierum intelligibilium dicitur memoria intellectiua, ſiue reminiſcentia, ad diſtinctionem aliorum animalium, quę ſolo inſtinctu naturæ, vel data ſolum occaſione, præteritorum recordantur, cum homo id faciat propria induſtria, & artificio, vt inquam; huius partis intellectiuæ apprehenſiones, ſeu notitiæ naturales ſunt in triplici differentia; quędam ſcilicet moraliter malę, quę vel à peccatis cauſantur, vel inducunt ad illa, ſiue ſint mortalia, ſiue ſint venialia; quędam indifferentes ex propria ſpecie, ac tandem quædam moraliter bonę; certum eſt, virum ſpiritualem, nedum ad perfectionem, ſed ad ipſam ſubſtantiam vitæ ſpiritualis ab ipſo initę, non tantùm debere à ſuis actibus deponere omnes prorſus morales defectus, verum etiam eorum notitias ab intellectu, & memoria penitus eijcere, ita vt nunquam eorum recordetur, niſi fortè ad errata prioris vitæ deflenda; cum huiuſmodi notitiæ, ſi ſint practicę, & in materia graui, ſint incompoſsibiles cum gratia, & charitate, ſi autem in materia leui, eius perfectioni, & tendentiæ ad illam repugnantes. De hac totali purgatione videtur loquutus eſſe Apoſtolus Petrus epiſt. 1. c. 2. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem; ſi tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.*

Quantùm ad notitias, & apprehenſiones naturales ex propria ſpecie ad bonum, vel malum indifferentes, cuiuſmodi ſunt notitię ſcientiarum naturalium, diuerſorum euentuum, hiſtoriarum, negotiorum ſecularium, ac ſimiles, ſi ex concurſu, vel defectu alicuius circumſtantię redderentur in indiuiduo malæ, aut peccaminoſæ, idē prorſus de illis aſſerendum eſt, ac de prioribus ex natura ſua moraliter malis, quia, licet nō ſint ęquè pernirioſę, ac vt nociuę, cum non ſint intrinſecè malæ, non deſinunt tamen eſſe ex circumſtantia malę, atque adeò memoriam inficę-

ficere. Imò quamuis huiuſmodi notitię naturales indifferentes ex aliquo bono fine poſſint cohoneſtari, reddique hic, & nunc bonę, quia tamen non ſunt intrinſecè bonę, ac plerumque nonnullę materia diſtractionis, vanæq; curioſitatis, tutius, perfectiuſque eſt, imo neceſſarium tendenti ad maiorem perfectionem illas non admittere; difficile enim eſt, & quaſi impoſſibile, vt qui huiuſmodi notitijs, quę parum, aut nihil proprię, aliorumve ſaluti prodeſſe poſſunt occupantur, contemplationi vacare, vel circa eam benè diſponi poſſint; quę autem prodeſſe poſſunt, vt ſcientię, aliaque honeſta exercitia, etſi liberius illis dari locus poſsit, ſic tamē debent moderari, vt animam à diuinorum, ac cęleſtium contemplatione, non impediant, aut retardent, nimia curioſitate.

Quantum denique ad notitias, & apprehenſiones naturales moraliter bonas, quę ſcilicet inducunt ad actus virtutis, vel ab illis cauſantur; cuiuſmodi ſunt notitię tam ſpeculatiuę, quàm practicæ eorumdem actuum, ac virtutum; dicendum eſt eas non eſſe abſolute reijciendas; imo neceſſarium eſſe viam perfectionis ingredientibus, vt illas acquirant, indeque orandi materiā ordinariè ſumant, niſi Dominus eos ad altiorem contemplationis gradum pro ſua miſericordia eleuare vellet, tunc enim eo loquente ſilere, & audire deberent, quid loqueretur. Incipientes enim primum cognoſcere debent grauitatem peccati mortalis, ſcireque illā ponderare ex omnibus illis capitibus, vndè poteſt deſumi, vt ſi fuerit ab ipſis aliquando commiſſum illud efficacius deteſtari, iamque per gratiam iuſtificati, deinceps vitare poſſint; nec non etiam ipſamet venialia peccata, quia, licet non ſint incompoſſibilia cum gratia, & charitate, minimèque illam deſtruant, eius tamen feruorem minuunt, ſique ſcienter, & ex affectu ad illa committantur, plerumque ſunt diſpoſitiones ad mortale, in quo explicando magis hic non eſt immorandum. Tum denique debent habere, ſique adhuc non habent, omni diligentia comparare claram virtutum notitiam, iam, vt media illa, alias moraliter malas, prius collectas excludant ab intellectu, & memoria, quam vt indè virtutes ſuo ſtatui maximè proprias acquirāt. Quas interim dum, vitiaque illis oppoſita breuiter explicemus, ſequenti ſectione, notandum eſt ex Diuo Thoma, 2. 2. q. 61. art. 5. Virtutes Cardinales diuidi, in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi, ſiue heroicas, & exemplares; quod probat, quia *ſicut dicit Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ, oportet quod anima aliquid ſequatur ad hoc, vt ei virtus poſsit innaſci: Et hoc Deus eſt, quem ſi ſequimur benè viuimus. Patet igitur, quod exemplar humanæ virtutis in Deo præexiſtat, ſicut etiam in eo præexiſtunt omnium rerum rationes. Sic igitur virtus poteſt conſiderari, vel prout eſt exemplariter in Deo, & ſic dicuntur virtutes exemplares, ita ſcilicet, quod ipſa diuina mens in Deo, dicatur prudentia: temperantia verò conuerſio diuinæ intentionis ad ipſum, ſicut in nobis temperantia dicitur per hoc, quod concupiſcibilis conformatur rationi: fortitudo autē Dei eſt eius immutabilitas: iuſtitia verò Dei eſt obſeruatio legis æternæ in ſuis operibus. Et quia homo ſecundum ſuam naturam eſt animal politicum: virtutes huiuſmodi prout in homine exiſtunt, ſecundum conditionem ſuæ naturæ politicæ vocantur, prout ſcilicet homo ſecundum virtutes rectè ſe habet, in rebus humanis gerendis: ſecundum quem modum hactenus de his virtutibus locuti ſumus,* inquit S. Doctor, intelligens per virtutes politicas, virtutes morales acquiſitas, ab infuſis diſtinctas, quarum etiā ſtudio, & exercitio incumbere dici poſſunt incipientes, cum diuino tamen gratiæ auxilio, vt eorum ſtatus diſtinguitur à ſtatu proficientium, licet eo ipſo, quod habeant gratiam, virtutes quoque habeant infuſas, ſi dentur, vt dicetur ſectione ſequenti. *Sed quia,* proſequitur

idem

idem Sanctus Doctor, *ad hominem pertinet, vt etiam ad diuina ſe trahat, quantum poteſt, & hoc nobis in Sacra Scriptura commendatur multipliciter, ſecundum illud Matthæi 5. Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, neceſſe eſt ponere quaſdam virtutes medias inter politicas, quæ ſunt virtutes humanæ, & exemplares, quæ ſunt virtutes diuinæ; quæ quidem virtutes diſtinguntur ſecundum diuerſitatem motus, & termini, ita ſcilicet, quod quædam ſunt virtutes tranſeuntium, & in diuinam ſimilitudinem tendentium: & hæ vocantur virtutes purgatoriæ, ita ſcilicet, quod prudentia omnia mundana diuinorum contemplatione deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in diuina ſola dirigat: Temperantia verò relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit: fortitudinis autem eſt, vt anima non terreatur propter exceſſum à corpore, & exceſſum ad ſuperna. Iuſtitia verò eſt, vt tota anima conſentiat ad huiuſmodi propoſiti vitam. Quædam verò ſunt virtutes iam aſſequentium diuinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi, ita ſcilicet quod prudentia ſola diuina intueatur, temperantia terrenas cupiditates neſciat, fortitudo paſſiones ignoret, iuſtitia cum diuina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus eſſe beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſſimorum.* Hactenus Diuus Thomas, vbi per virtutes purgatorias, eo, quo illas explicat modo, ſignificat virtutes morales infuſas, quas in ipſius ſententia probabilius eſt dari, & ab acquiſitis diſtingui, quæ ſunt propriæ proficientium per viam illuminatiuam incedentium; per virtutes autem purgati animi intelligit virtutes heroicas, quæ ſimul cum habitibus virtutum infuſis habent annexa Spiritus Sancti dona, ex quorum motione operari proprium eſt perfectorum, quique iam ad perfectam cum Deo vnionem peruenerunt, vt dicetur infra ſect. 3.

Reuertendo iam ad notitias naturales moraliter bonas, cum inter illas, ſuppoſita tamen fide, reponi poſſit ſimplex notitia, aut meditatio præcisè, Sanctorum, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Sacratiſſimæ humanitatis Chriſti Domini, perfectionumque, aut virtutum eorumdem; illam minimè excludi debere certum eſt, & quoad ſacroſanctam Chriſti humanitatem demonſtraturi ſumus infra ſect. 5. Etſi enim aliquando in ſublimi contemplationis ſtatu, ac ſimplici diuinitatis intuitu fieri poſſit, quod anima ipſius nõ recordetur, nunquam tamen vllam adhibere debet diligentiam, aut ſtudium, vt eius obliuiſcatur.

Cum præter notitias naturales, quæ medio, vel modo naturali acquiruntur, dentur aliæ ſupernaturales medio, vel modo ſupernaturali tantùm comparabiles, quid de ipſarum purgatione ſentiendum ſit, breuiter hic aperiemus; ſupponendo tot eſſe ſpecies notitiarũ ſupernaturalium, quot & naturalium, ambæ ſiquidem iiſdem potentiis comparantur, etſi diuerſo medio, vel modo. In vtroque igitur ordine, primò ſunt notitiæ, ſeu apprehenſiones per quinque ſenſus externos, ſcilicet viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactũ, quorum operationes, ſcilicet viſiones, auditiones, olfactiones, guſtus, & tactus, tam via naturali ordinaria, quàm via ſupernaturali extraordinariè fieri poſſunt. Secundò ſicut in ordine naturali ſunt aliæ notitiæ, ſeu apprehenſiones per ſenſus internos, quæ communiter imaginariæ appellantur; ita quoque in ordine ſupernaturali dantur viſiones, dictæ tantùm imaginariæ: Tertiò tandem habentur vtriuſque ordinis notitiæ, ſeu apprehenſiones intellectuales, quarum in ordine ſupernaturali, quatuor ſunt ſpecies præcipuæ; *Viſio* ſcilicet, tum corporea, tum imaginaria, tum intellectualis; *Reuelatio*, tam vt eſt declaratiua alicuius myſterij ſupernaturalis in ordine ad fidem, quam vt eſt manifeſtatiua alicuius diuinæ veritatis; *Locutio*, tam vt importat verba ſucceſſiua, quam verba formalia, nec non etiam

etiam ſubſtantialia; Et *Tactus* internus animæ, de quibus, & ſimilibus, quia acturi ſumus infra ſuis locis, ideo ſufficit hæc breuiter inſinuaſſe pro præſenti inſtituto.

Ad quod exiſtimo, duo eſſe diſtinguenda in notitijs ſupernaturalibus, nimirum obiecta ipſarum, & modum illa repræſentandi; ſi loquamur de obiectis, ſi illa ſint increata, & diuina, vel Deus humanatus, cuius præſentia ſeu recordatio plurimum prodeſt, cum ſit via, veritas, & vita, quam diligentiſſime debent in memoriæ ſacrario conſeruari; ſi vero ſint creata, aduertatque anima ſe aliqualem ex eorum recordatione fructum percipere, poteſt quidem eorum recordari, non vt eis adhæreat; ſed mediantibus illis maiorem Dei notitiam, & amorem acquirat, hic enim eſt fructus, qui debet maximè intendi, quique ſi non daretur, ſatius eſſet huiuſmodi obiectis totaliter memoriam purgare; tanto enim magis illa in Deo firmatur, eoque repletur, quo magis his, quæ non ſunt Deus, aut ad illum non ordinantur, eſt purgata, & vacua.

Si verò loquamur de modo repræſentandi huiuſmodi notitiarum, excedente naturæ limites, tutius eſt illum non curare. Cum enim aliquando à Dæmone ſe transfigurante in Angelum lucis, etiam cauſari poſſit, tunc, qui illi adhæreret, multa inde damna contrahere poſſet ſtatim adducenda, quibus minimè eſſet obnoxius, qui talem modum paruifaceret; quamuis à ſolo Deo eſſet, ſi quidem ſtatim ac animæ communicatur, non deſinit habere effectum à Deo intentum, & aliundè ipſe non infundit huiuſmodi notitias, eiſque animam illuſtrat, vt illis afficiatur, aut in illis affectum collocet, ſed potius vt illas humiliter tanquam indigna recuſet, eiſque recuſatis melius Deo adhæreat: Vnde anima, quod ſatis ineptè obijciunt aliqui, hæc Dei dona non reijcit, aut paruifacit ex motu ſuperbiæ, quaſi credat ſe propria virtute, & abſque huiuſmodi diuinis auxilijs poſſe ad Dei vnionem pertingere, ſed ex motiuo maioris adhæſionis cum illo, relictis omnibus creatis, nec non humilitatis, quaſi cum Diuo Petro diceret, Luc. 5. *Exi à me Domine quia peccatrix ſum*.

Mala autem, quæ ex præfatis notitijs animæ contingere poſſunt, ſi eis plus æquo adhæreat, plura ſunt. Ad quinque genera illa reducit B. P. N. Ioannes à Cruce lib. 3. Aſcenſus Montis Carmeli cap. 7. & ſequentibus. Primum eſt; quod ſæpius decipietur in ſuis iudicijs, vnum ſcilicet accipiendo pro alio: ſecundum, quod in proxima manet occaſione cadendi in præſumptionem aliquam, aut vanitatem. Tertium, quod Dęmon facilius, & commodius ipſam decipere poſſit medijs huiuſmodi notitijs, & apprehenſionibus: Quartum, quod impeditur vnio Dei in ſpe: Et Quintum, quod regulata, & directa talibus notitijs non condignè iudicat de Deo ſecundum eius eminẽtiam, ſed valdè defectuosè, quaſi non excederet limitatam huiuſmodi notitiarum ſupernaturalium conditionem. De quibus videndus eſt præfatus author. Qui etiam prudenter notat; multo plura, eaque maiora damna poſſe prouenire animę curioſæ, & incautæ ex ſupernaturalibus notitijs, quam ex naturalibus.

Ratio eſt, quia iſtæ pertinent ad ordinariam hominis directionem, vnde vix poſſunt vllius detrimenti cauſa eſſe, & neceſſariæ ſunt, vt iam excluſis notitijs moraliter malis, de rebus diuinis cogitet, & ad Deum tendat: at verò notitiæ ſupernaturales diſtinctæ, cũ ſpectent ad extraordinariã hominis directionẽ, nõ poſſunt nõ eſſe interdũ occaſio iam allatorum damnorum, aliorumque ſimilium, ac proindè in illis collocandus non eſt affectus, ſed eis potius purgandus, vt explicuimus, & iterum redibit ſermo ſectione ſequenti, cum hæc purgatio ſit magis Proficientium, quam Incipientium propria.

C A-

CAPVT III.

De purgatione actiua animæ, quoad partem cognoſcitiuam, in ſenſibus externis conſiſtentem.

QVantum pars cognoſcitiua ſenſitiua externa, nociua ſit animæ viam Dei aggredienti, & iam per gratiam iuſtificatæ ad vlteriorem perfectionem aſpiranti, atque adeo ex hac parte purgatione indigeat,patebit breuiter diſcurrendo per ſingulos quinq; ſenſus externos. Primumque de viſu plura ſuppetunt Scripturæ tum exempla, tum loca, quibus apertè probatur, quantum ſit pernicioſus, niſi per mortificationem diligenter cuſtodiatur. Geneſeos enim 3. dicitur: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum &c.* quem locum explicans Diuus Thomas ibi ait: *Ponitur poſt tentationem ipſa prævaricatio, & tria per ordinem. Primò, vidit: poſtea, tulit; deindè comedit, propter tria, quæ ſunt in peccato, videlicet cogitatus, cum dicit, vidit,ideo ſummè cauendum eſt, quod homo in corde reuoluet: quia omne malum intrat per ſenſus, & cogitatus. Vnde ille eſt ianitor diaboli, ſcilicet oculus, & malus cogitatus, qui introducit beſtias infernales, quæ animos vaſtant, ſecundum illud Threnor. 3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Et ponuntur tria, quæ ſunt in cogitatu, quæ ſolent mouere affectum,ſcilicet bonum vtile, quod ponitur cum dicitur, bonum ad veſcendum, bonum honeſtum, cum dicitur pulchrum oculis; bonum delectabile, cum dicitur, aſpectu delectabile; & cum iſta affectum moueant, ſequitur,quod tulit de fructu, quia poſt cogitatum,vel conſenſum ſequitur effectus, & comedit, quo fuit completum peccatum. Fortiſſimus Samſon vidit mulierem de filiabus Philiſtijm, vidit, & adamauit, & vxorem accepit, & in præmium viſionis, aut in vltionem vanæ curioſitatis, vires, & libertatem, & vitam amiſit. Dauid vidit mulierem ſe lauantem (quam fortaſſis nunquam viderat) vidit, ſed qui Philiſtæum vicit, ab impura fuit voluptate deuictus, & in maximas pœnas, quæ ex eo peccato ortum habuerunt. Dina egreditur, vt videat mulieres illius regionis, vidit, & oculos curioſè pauit, ſed curioſitatem ſuam pudoris, & famæ amiſſione perſoluit. Dicit Salomon, omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis. Quid autem inde ſequutum, attenta meditatione eſt cognoſcendum. Nam mulieres alienigenas vidit, viſas concupiuit, concupitas poſſedit, poſſeſſas cordi ſuo dominari permiſit. Et miſeria Salomonis longius ſe protraxit, quia cauſa mulierū, quas viderat, idolis phana conſtruxit. Deos falſos, qui non ſunt Dij, inſipienter adorauit, & à Deo, id eſt ab omni bono diſceſſit. Quo intelligimus quam ſit ſalubre conſilium Domini Ieſu: Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proijce abs te. Melius enim illi fuiſſet oculos non tantum clauſiſſe, ſed,& amiſiſſe,quam in damnationem ſuam tanta facinora perpetraſſe.* Hactenus Doctor Angelicus adducens præclariora Scripturæ exēpla, ex quibus colligitur, quanta inordinatus oculorum, ſeu viſus vſus mala inferat. Quod & idem docet explicans illud Iobi, 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine*; nec non illud Ieremiæ Threnor. 3. *oculus meus deprædatus eſt animam meam.*

Super quem etiam locum ait Venerabilis Beda: *Semel ſpecies formæ cordi per oculum alligata, vix magnitudinis manu ſoluitur. Nemo de ſenectute, de canis, ac frigido ſanguine confidat, nemo ſe adepta ſanctitate ſecurum reddat, nemo de ſeruata per multos annos caſtitate ſibimet ipſi blandiatur, quia vniuerſa hæc vnus incircumſpectus mulieris aſpectus ſolet contemnere, & ſenes, & caſtos debellare. Iudices illi Iſraelis ſenes erāt, videndo Suſannam capti ſunt eius amore. Dauid Sanctus erat, & cæleſticus, & per aſpectum vnius mulieris cecidit. Dicitur enim Eccleſiaſtici 9. Ne reſpicias mulie-*

mulierem multiuolam, id eſt, ad multorũ concupiſcentiam euolantem, ne forte incidas in laqueos illius.

Qui igitur viam perfectionis iam ingreſſus, illi conſeruandæ, tum augẽdæ ſerio intendit, debet quoque diligenter oculos cuſtodire, nedũ ab obiectis illicitis, verum etiam licitis, & indifferentibus, quando potius ſunt materia curioſitatis, & diſtractionis, quam pietatis, ſæpe enim non parum mentis tranquillitatem, & orationis puritatem impediunt. Ideoque Regius Propheta Pſalm. 118. dicebat, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me*: dicit, *ne videant vanitatem*, quia. rectus oculorum vſus, & vbi ad Deũ, & cæleſtia ducit, minimè condemnandus eſt; nec id affirmant Doctores Myſtici, dum ſenſus viſus purgationem, ac mortificationem ſuadent, ſed tam de ipſo, quam de cæteris ſenſibus proportionaliter intelligenda ſunt, quæ ſuperiori capite diximus de notitijs intellectualibus.

Similiter, & ſi negari non poſſit, quin ſenſus auditus aliquando nos introducat ad audiendam ſpiritualem Dei doctrinam; vnde S. Thomas explicans illa verba Iob cap. 37. *Audiet auditionem in terrore vocis eius, & ſonum* &c. ait: *Poſt viſum autem, qui eſt cognoſcitiuus lucis corporalis, maximè deſeruit intellectui auditus, in quantum eſt perceptiuus vocum, quibus intellectuales conceptiones exprimuntur, ſicut autem per viſionem lucis corporalis homo reducitur in cognitionem, & ſpectationem cuiuſdã altioris lucis: ita etiam & per auditum corporalium ſonorum diuina virtute formatorum, homo manuducitur ad audiendum ſpiritualem Dei doctrinam; vnde ſubdit (audiet) ſcilicet homo à Deo (auditionem) ſcilicet ſpiritualis doctrinæ (in terrore vocis eius) id eſt ſigno tonitrui: quod quaſi terribilis vox Dei eſt.* Etſi. inquã, ita ſe habebat in ſenſu auditus ex Diuo Thoma loco citato, nec. non in illud Pſalm. 43. *Deus auribus noſtris audiuimus*, vbi ait: *Auditus eſt neceſſarius ad ſapientiam. Eccleſ. 16. Si dilexeris audire, ſapiens eris. Et etiam eſt neceſſarius Sapienti Prouerb. 1. Audiens ſapiens, ſapientior erit. Similiter cuilibet eſt neceſſarius, quia nullus eſt ſufficiens ad excogitanda omnia, quæ ad ſapientiam pertinent*, atque adeò ex hac parte hic ſenſus non ſit purgationi actiuæ obnoxius; nihilominus qua ex eodem multa prouenire poſſunt mala, audiendo iniquos, & mendaces ſermones, vt enim ait Sapiens Prouerb. 17. *Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labijs mendacibus*: Iuſtus, vt iuſtitiam ſeruet, & iniquus non fiat, ab huiuſmodi ſermonibus aures cuſtodiat, neceſſe eſt; quales ſunt prophani, & amatorij, iuxta illud Amos 5. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Item qui in propriam laudem, & in proximorum detractionem, nugaces, ſcurriles, riſum excitantes, inutiles, alijque ſimiles, ſicut enim hæc dicere leuis eſt animis, ita eadem audire libenter, diſtractæ, & vanæ mentis argumentum, ac ſignum.

Inordinatum quoque ſenſus olfactus vſum, ſeu non ob aliquam neceſſitatem, ſed ob ſolam curioſitatem, & corporis oblectationem odorum ſuauitate mulceri, reprimendum eſſe, & ab eo animam purgari debere certum eſt; iuxta illud Iſaiæ 3 vbi prędicens ſuperbiam, & curioſam laſciuiam filiarum Sion in ignominiam vertendã, ſiue pro ornamentis laſciuiæ comminans cultum miſeriæ, inter huiuſmodi ornamenta ponit olfactoriola, quæ erant quædam pixides, in quibus ponebant muſcum, & huiuſmodi; vel etiã quædam vaſa ſicut poma de argento facta, perforata ad modum thuribuli, in quibus ponitur ignis & aliquid odoriferum, vt ibi explicat Diuus Thomas, quibus ait Propheta ſucceſſurum fœtorem: *Et erit pro ſuaui odore fœtor.* Sed hęc purgatio non ſufficit viro ſpirituali, niſi adhuc à licitis in hac materia abſtineat, aliud non ſuadente neceſſitate,

ceſſitate, aut aliqua iuſta cauſa.

Cum etiam ſenſus guſtus immortificatus ſit valdè periculoſus & animæ, & corpori, vt plura probant Scripturæ loca, & exempla, eiuſque inordinatio conſiſtat, vel in ipſo cibo aſſumpto, vel in eius acceptione, vt docet Diuus Thomas 2.2. quæſt. 14. art. 4. In cibo enim tria ſunt, quæ poſſunt rationis metes prætereire. Vnum eſt ſubſtantia cibi, ſi lautior, & pretioſior cibus quæratur, quam ſtatus noſter, aut neceſſitas fert. Alterum, qualitas cibi, ſi exquiratur præparationis exceſſus. Tertium, quantitas, ſi vltra menſuram ingeratur. In acceptione verò cibi, duo ſunt quæ rationi diſſonant, aut tempus, aut modus ſumendi, quæ omnia continentur in iſto verſu.

Præpopere, laute, nimis, ardentèr, ſtudioſè. Qui perfectioni Chriſtianæ attendit, in his non ſolum vbi ſunt peccaminoſa, & illicita, verum etiam quãdoque licita, ſenſum guſtus debet mortificare, & inſipida, quæque non conueniunt ad delectationem guſtus, eligere, aut libenter acceptare, memor fellis, & abſinthij Chriſti Domini.

Tandem, vt ſenſus tactus eſt omniũ periculoſiſſimus, & quod verſetur circa delectationes carnis, & toto ſit diffuſus corpore, eoque authore mors ab alijs ſenſibus cæpta perficitur, vndè quatuor alij ſenſus, ſicut quidam latrunculi, animam quidem vexant, & aliqua eius bona diripiunt, ſed tactus, vt immanis tyrannus, eam veluti à ſua libertate dimouet, & miſera opprimit ſeruitute; tanto magis vir ſpiritualis ad illum reprimendum, & mortificandum, omnes diligentias, omniaque media adhibere debet, quæ paſſim præſcripta reperiuntur apud vitæ ſpiritualis Magiſtros, quare ſufficit hæc breuiter inſinuaſſe ad complementum præſentis doctrinæ.

CAPVT IV.

De purgatione actiua animæ, quoad partem cognoſcitiuam ſenſuum internorum.

PRæter quinque ſenſus externos, dari quoque in homine quatuor ſenſus internos, nimirum, ſenſum cõmunem, phantaſiam, ſeu imaginatiuam, cogitatiuam, ſeu æſtimatiuam, & memoriam, communis eſt, ac certa Philoſophorum doctrina, quam hic ſupponimus. Senſus communis in anteriori parte capitis ad frontem reſidens, eſt commune receptaculum, ad quod omnes ſenſus externi omnes ſuas ſpecies intentionales referunt, vt quodammodo iudicet de illorum obiectis, eaque inter ſe diſcernat.

Phantaſia, ſeu imaginatiua, cuius organum fere eſt coniunctum organo ſenſus communis, magis tamen ſiccum, eſt potentia ordinata ad conſeruandas ſpecies ſenſatas, quas etiam ſimul cõponit, vt ex monte v. g. & auro format montem aureum, tum ad cognoſcendas plures res inſenſatas, & imaginatas, hoc eſt à nullo prius ſenſu cognitas, aut perceptas, quarum ſpecies ipſa componendo format, ac producit, cum enim non repræſententur in ſenſibus externis præfatæ res, vel intentiones, & tamen cognoſcantur ab imaginatiua, neceſſe eſt ſpecies horum inſenſatorum generari, & produci ab ipſo animali, à quo ſolo percipitur iſta intentio, idque virtute animæ vtentis potentia imaginatiua, vt formatiua illarum ſpecierum. Ad quod etiam valdè iuuare virtutem cęleſtem, quę eminentiam habet ad influendum ſupra actiones intentionales, docet D. Thomas queſt. 5. de potentia art. 8. qui etiam 2. 2. quæſt. 173. art. 2. declarat quomodo talis potentia, nimirum imaginatiua ex illis ſpeciebus, quas in ſe habet, producere poteſt infinitas ſpecies inſenſatas: *Sicut*, inquit, *ex di-*

uerſa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diuerſi intellectus: ita etiam ſecundum diuerſam diſpoſitionem phantaſmatum reſultant in intellectu diuerſæ ſpecies intelligibiles, & imaginatio facit, quod faciunt omnes ſenſus externi, videt colores, audit voces, guſtat ſapores, olet odorifera, tangit blanda. Experientia habetur in ſomnis, in nocte quiete, quando ſenſus externi ſunt impediti, & ligati, audiuntur cantus, videntur flora, percipiuntur odores, & omnia iſta ſunt virtute imaginatiuæ. Vtrum autem in hoc ſtatu viæ ita alligatus ſit intellectus phantaſiæ, ſeu imaginatiuæ, vt ſine illa operari, ſeu intelligere non poſsit, explicabitur infra ſect. 5.

Aeſtimatiua, quæ in homine dicitur cogitatiua ex eo, quod coniuncta intellectui aliqualem diſcurſum participat, eſt potentia non ſolum recipiẽs ſpecies ſenſatas à ſenſu communi, aut phantaſia, ſed inſuper vtitur ſpeciebus inſenſatis, quas ipſamet producit, ad cognoſcendas eaſdem res ſenſatas, ſeu à ſenſu communi, & phantaſia iam perceptas, ſub noua ratione conueniẽtis, & diſconuenientis, amicitiæ, aut inimicitiæ, quæ appellatur per excellentiam inſenſata, quia à nullo prorſus ſenſu antea eſt cognita; neceſſarium enim eſt animali, vt quærat aliqua, vel fugiat, non ſolum quia ſunt conueniẽtia, vel non conuenientia ad ſentiendum, quod præſtatur per alios ſenſus, ſed etiam propter aliquas alias commoditates, vel incommoditates, quod fit per æſtimatiuam; ſicut ouis, v. g. videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, ſed quaſi inimicum naturæ; & ſimiliter auis colligit paleam, non quia delectat ſenſum, ſed quia eſt vtilis ad nidificandum.

Memoria tandem, quæ in homine vocatur reminiſcentia, quia in alijs animalibus ſolo inſtinctu naturæ, vel data ſolum occaſione præteritorum recordatur, in homine autem propria induſtria, & artificio: eſt potentia ad retinendas, & conſeruandas ſpecies non ſenſatas, verſandumque proinde circa illas vt abſentes, vel vt abſtrahunt à præſentia, & abſentia, ſicut imaginatio reſpectu ſenſatarum; vnde ea ratione, qua ſenſus communis in ordine ad ſpecies ſenſatas eſt facile receptiuus, & male retentiuus, imaginatio verò eſt male receptiua, bene autem retentiua; ſic in ordine ad ſpecies inſenſatas æſtimatiua quidem eſt facile receptiua, male retentiua, memoria verò bene retentiua, & male receptiua; vnde ſecundum Auicennam, & alios ſituatur in poſteriore parte capitis, poſt æſtimatiuam, quæ præ alijs eſt magis ſicca, & ideo bene retentiua.

His breuiter ſuppoſitis, circa has quatuor potentias ſenſitiuas internas, quæ paulo fuſius explicuimus tom. 4. lib. 3. ſect. 7. cap. 11. oſtendentes, quantum vnaquæque ſcientia, vel diſciplina naturalis referat, ſitque neceſſaria ad perfectum ſacræ doctrinæ ſtudium, dico etiam breuiter de iſtis potentijs quantum ad earum notitias tum naturales, tum ſupernaturales eodem modo diſcurrendum eſſe, quoad earum purgationem, ac de notitijs intellectualibus.

Quia autem imaginatiua in ſtatu naturæ lapſæ, ſeu poſt peccatum Protoparentis Adæ, ita fuit debilitata, vt ea potiſſimum in quiete orationis bellum nobis inferat, mentiſque tranquillitatem perturbet, adeo vt ſancti etiam viri, ex Diuo Thoma 2. 2. q. 85. art. 13. orando quandoque euagationem mentis patiantur, ſecundum illud Regij Prophetæ Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me*; & illud aliud Patientis Iob cap. 17. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum &c. quia videlicet*, inquit idem S. Thomas, exponens illa verba, *iſtæ cogitationes à ſuaui conſideratione veritatis erant deductæ in cogitationes corporales imaginatiuæ, quæ ſemper vigilat*; propterea qui ſtudet perfectioni, omnem diligentiam adhibere debet ad illas repellendas, &

ſedan-

ſedandas, maximè in principio orationis, obſeruans illud dictum S. Bernardi lib. de amore Dei cap. 1. *Curę, ſollicitudines, anxietates, labores, pœna expectate me hic, cum aſino corpore, donec ego, ratio ſcilicet, cum intelligentia vſq; illuc properantes, poſtquam adorauerimus, reuertamur ad vos*. Vbi Sanctus alludit hiſtoriæ Abrahæ, quando tulit filium, vt ſacrificaret illum Domino in monte, qui fuit figura contemplationis, aſcendens cum illo ſolus, & præcipiens famulis, vt expectarent eum in radice montis, cum iumento.

Etſi enim in noſtra poteſtate non ſit malarum, aut inanium, ac ſuperfluarū cogitationum moleſtia carere, in ea tamen eſt, cum diuinæ gratiæ auxilio eas conſtanter reſpuere; quod eleganti tropologia deſumpta ex Numer. cap. 8. vbi præcipitur Leuiticis, vt radant pilos carnis ſuæ, non vt eorum radices exſcindant, declarat Diuus Gregorius: *Raſis pilis*, inquit, *in carne radices remanent, vt creſcant, & iterum radantur, quia magno quidem ſtudio ſuperflua cogitationes amputanda ſunt: Sed tamen amputari nequaquam poſſunt, ſemper enim caro ſuperflua generat, quę ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis reſcindat*.

Cum autem huiuſmodi cogitationes, quas Diuus Bernardus ad triplex genus reducit, primum cogitationum immundarum, ſiue ad vitia carnis, ſiue ad alia vitia pertinentium, quæ niſi cito abijciantur mortem animæ inferunt: ſecundum cogitationum otioſarum, inutilium, & curioſarum, quibus homo quaſi vento paſcitur: Tertium cogitationum rerum neceſſariarum, vt cibi, & potus, veſtimenti, & habitationis, aliorumque ſimilium; cum inquam hæ, & aliæ huiuſmodi cogitationes ex diuerſis cauſis prouenire poſſint, aliquādo ex ipſa humani cordis inſtabilitate; aliquando ex concupiſcentijs noſtris, quæ enim concupiſcimus, & amamus, libenter, ſi non opere, ſaltem cogitatione apprehendimus; ac tandem ab ipſomet dæmone phantaſmata mouente, quia habet poteſtatem ad hoc, Deo volente, & permittente, prius implorata diuina gratia, debemus iuxta diuerſitatem cauſarum, diuerſa quoque, & illis oppoſita remedia adhibere, nimirum contrà cordis inſtabilitatem, nos munire cogitationibus ſanctis, reducendo Deum in memoriam quantū ad quatuor, vt ait Diuus Thomas in cap. 43. Iſaiæ. Primum, quantum ad mirabilia quæ fecit ad venerandum, Pſal. 104. *Mementote mirabilium eius, quæ fecit*. Secundum, quantum ad beneficia, quæ dedit, ad regratiandum, Eccleſ. vlt. *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ, quæ à ſæculo ſunt*. Tertium, quantum ad tormenta; Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, abſintij, & fellis*. Quartum, quantum ad præcepta, quæ dedit ad obſeruandum Pſal. 102. *Memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea*.

Item, vt ait idem S. Thomas opuſc. 58. memoriam Chriſti habendo, vt noſtri Redemptoris, Ezechiel 9. *Signa Thau ſuper frontes virorum dolentium, & gementium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in ciuitate*: Thau ſignū crucis habet, id eſt paſſionis Chriſti, quę ſemper eſt bonis in mente ferenda. Secundò, vt noſtri *Inſpectoris*, Pſal. 99. *Scitote quoniam Dominus eſt Deus*, omnia ſcilicet implens, omnia videns, vbique præſens. Pſal. 5. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Eccleſ. 39. *Opera omnis carnis coram Domino, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius*. Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietē noſtrum*, id eſt indutus parietem carnis noſtræ, *proſpiciens per cancellos*, quia licet intus degens à nobis videri non poſſit, tamen omnia noſtra videt. Tertiò, vt iuſti *Iudicis*, Iſaiæ 30. *Ecce nomē Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum*. Ecce venit, id eſt attendite, quia cito venit ad diſtrictum iudicium. Hieronymus, ſiue comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, ſemper intonat in auribus meis, quaſi tuba vehemens vox illa

terribilis, Surgite mortui, venite ad iudicium. Hactenus D. Thomas, quatenus contra omnes malas cogitationes, ſeu ad firmandum cor contra illas, nullum aliud habemus fortius propugnaculum, quam continuam Saluatoris noſtri memoriam. Sicut ibidem ait idem Sanctus Doctor, quod memoria eius ſi fuerit derelicta, ſequitur triplex malum, ſcilicet amiſſio gratiæ, Deuteron. 32. *Deum qui te genuit dereliquiſti &c.* & ait, *abſcondam faciem meam, & conſiderabo*, id eſt, ſubtraham gratiam. Vbi fons perit, riuus areſcit. Iſaiæ 17. *Eris deſerta, quia oblita es Dei Creatoris tui.* Secundum ſubiectio poteſtatis diabolicæ. Iudic. 5. *Obliti ſunt Dei ſui, & tradidit eos in manu Siſaræ*, id eſt poteſtati diaboli. Tobiæ 6. *Qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, in eo habet poteſtatem dæmon*. Tertium, magna deformitas culpæ. Ad Rom. 1. *Sicut non probauerunt*, id eſt noluerunt, *habere Deum in notitia, tradidit illos in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Et heu hoc ſæpè fit vſque ad mortem. Et Ioel 1. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Iumenta impudica, & inſipientia ſunt homines ſtulti, & carnales Deum præ oculis non habentes.

Contra malas autem, ac ſuperfluas cogitationes ex concupiſcentijs noſtris prouenientes, reiectis omnibus terrenis affectibus, quibus ſequenti capite dicemus purgandam eſſe partem animæ appetitiuam, ab alio amatore quã Chriſto nos præueniri ſinere non debemus. Quibus ſemel muniti præſidijs facile quoque omnes dæmonis incurſus ſuperare, telaque eius ignita extinguere valebimus.

CAPVT V.

De purgatione actiua animæ, quo ad partem eius appetitiuam, ſeu affectiuam.

PRæter vim, ſeu partem animæ cognoſcitiuam, complectentem, vt vidimus tam intellectum, quam ſenſus omnes internos & externos, eorumque operationes; datur quoque vis, ſeu pars eius appetitiua, vel affectiua, comprehendens tam appetitum intellectiuum, ſeu voluntatem, omneſque eius motus, & affectiones, quam ſenſitiuum, omneſque eius paſſiones; de quibus omnibus eorumque purgatione acturi ſumus in præſenti capite, licet diſtinctis paragraphis, vt ſimul ob oculos verſetur incipienti, viamque Dei primum ingreſſo, quid in hac parte ſibi purgandum ſtudioſè incumbit.

Datur ergo duplex potentia appetens, ſiue appetitus. Primus eſt animalis, ſeu ſenſitiuus, qui nihil eſt aliud, quam potentia paſſiua, vitalis, tamen, quæ nata eſt moueri ab apprehenſo per ſenſum: vnde appetibile apprehenſum per ſenſum eſt mouens, non motum, appetitus autem mouens motum; ex quo ſatis patet, nomine potentiæ paſſiuæ non intelligi potentiam paſſiuam qualemcumque, ſed potentiam paſſiuam eleuatiorem, quæ ſit potentia paſſiua vitalis, id eſt (quo ad præſens inſtitutum) quæ ita moueatur ab apprehenſo, vt ipſa etiam ſe moueat ad illud. Hic appetitus diuiditur in concupiſcibilem, & iraſcibilem; quæ diuiſio non eſt in duo munera tantùm eiuſdem potentiæ appetitiuæ, vt volunt aliqui, ſicut dum intellectus in ſpeculatiuum, & practicum diuiditur; ſed in duas vires, & potentias appetitiuas realiter inter ſe diſtinctas; cum reſpiciant diuerſa obiecta formalia, habeãtque diſtinctos etiam realiter actus; quia obiectum concupiſcibilis eſt bonum

num delectabile ſecundum ſenſum: obiectum verò iraſcibilis eſt bonum arduum, quod quidem multoties eſt conueniens animali ſecundum alias commoditates; licet non ſit delectabile ſecundum ſenſum; appetit enim iraſcibilis ea, quæ conducunt ad conſeruationem, & defenſionem animalis, etſi non ſint delectabilia. Vnde iraſcibilis reſpicit ea, quæ reſpiciunt bonum ſenſibile, non quidem fugiendo ea; ad hoc enim ſufficit concupiſcibilis, ſed potius reſiſtendo illis, & contranitendo. Et ideò reſpicit illa impedimenta, tanquam mala, quæ ſunt impugnanda, & vincenda; & hac ratione reſpicit illa, tanquam ardua, & difficilia. Et quoniam impugnare, & vincere huiuſmodi impedimenta habet rationem boni, idcirco abſolutè dicitur, quod iraſcibilis habet pro obiecto bonum arduum, & per hoc diſtinguitur à concupiſcibili.

Quod inſuper hi duo appetitus habeant actus adæquatos realiter diſtinctos, non ſolùm patet ex eo, quod iraſcibilis ſubſequitur ad æſtimatiuam, & mediante eius apprehenſione in ſuum ducitur obiectum, ſcilicet in bonum arduum: concupiſcibilis verò ſubſequitur ad imaginatiuam, & mediante eius apprehenſione habet pariter duci in ſuum obiectum, nimirum in bonum delectabile ſecundum ſenſum: ſed etiā ex eo, quod concupiſcibilis habet ſe ad inſtar potentiæ paſſiuæ, tendendo ad ſuum obiectum quaſi per modum recipientis: iraſcibilis verò ad inſtar potentiæ purè actiuæ, quia tendentia actualis, & in actu ſecundo illius eſt per modum actionis, id eſt acquirendo victoriam ſuper id, quod eſt aduerſum naturæ, debellando, & propulſando malum, quod impedit bonum illius: & propterea Diuus Thomas 1. par. quæſt. 81, art. 2. & quæſt. 25. de veritate art. 2. ait: quod ſecundum Auicennam, ad iraſcibilem pertinet fortitudo, & debilitas cordis, quaſi virtuti ordinatæ ad agendum: ad concupiſcibilem autem dilatatio, & conſtrictio ipſius, quaſi virtuti ordinatæ ad recipiendum.

Præter appetitum animalem, ſiue ſenſitiuum, datur quoque rationalis, ſeu intellectiuus ab illo diſtinctus, nomineque incomplexo voluntas dictus; Potentia enim appetitiua, vt ſic eſt potentia paſſiua, quæ nata eſt moueri ab apprehenſo: paſſiua autem, & mobilia diſtinguntur ſecundum diſtinctionem actiuorum, & motiuorum, quia oportet motiuum eſſe proportionatum mobili, & actiuum paſſiuo, & ipſa potentia paſſiua propriam rationem habet ex ordine ad ſuum actiuum. Quia igitur eſt alterius generis apprehenſum per intellectum, & apprehenſum per ſenſum; conſequens eſt, quod appetitus intellectiuus ſit alia potentia à ſenſitiuo. Qui appetitus eſt etiam potentia purè ſpiritualis, nam appetitus debet eſſe eiuſdem rationis, vel ordinis cum potentia cognoſcitiua, per quam immediatè dirigitur: vndè ſicut intellectus, per quem immediatè voluntas dirigitur, eſt purè ſpiritualis, ita etiam voluntas. Similiter cum intellectus, & voluntas debeāt ſibi mutuò in obiectis adæquatis correſpondere, ſicut intellectus adæquatè ſumptus habet pro obiecto adæquato ens, vt verum, generaliſſimè ſumptum; ita obiectum adæquatum voluntatis debet eſſe idem ens vt bonum, generaliſſimè etiam acceptū, adeò vt ſemper ad illud, & nunquam ad malum, vt malum, vel quid indifferens ad bonum, & malum ferri poſſit. Etſi autem apprehenſio habeat ita indiſpenſabiliter ſaltem per modum cognitionis requiri, ad hoc vt bonum moueat voluntatem, quod implicet contradictionem dari volitionem boni, abſque præuia cognitione, eiuſmodi tamen cognitio, ſeu apprehenſio boni non ſpectat ad rationem motiuam, ſeu obiectiuam voluntatis, ſed ſolùm requiritur, vt conditio, ſiue quod idem eſt, bonum terminat formaliter voluntatē ſecundum ſuum eſſe reale, non verò ſecun-

ſecundum ſuum eſſe apprehenſum.

Sicut dantur duo appetitus ſenſitiui realiter inter ſe diſtincti, ita etiam diſtinguere poſſumus duplicem veluti voluntatem virtualiter illis correſpondentem, ſcilicet iraſcibilem, & concupiſcibilem, cuius tamen motus, non paſſiones, ſed affectiones dici debent; paſſiones enim propriè loquendo ſunt appetitus ſenſitiui; & in iraſcibili ſunt quinque; ſcilicet *ſpes*, & *deſperatio* circa bonum poſſibile, vel impoſſibile: *timor*, & *audacia* circa malum vincendū, vel non vincendum; *ira* circa malum præſens, & imminens. Sex autem ſunt in concupiſcibili, ſcilicet *amor*, & *odiū*, quæ reſpiciunt bonum abſolutè; *deſiderium*, & *fuga*, quæ reſpiciunt bonum, & malum abſens: *delectatio*, & *triſtitia*, quæ reſpiciunt bonum, & malum præſens. Quarum omnium paſſionum nomina, vbi voluntati tribuuntur, v.g. odium, ita, amor, paſsionem quoque non ſignificant, ſed ſimplicem actum, ſeu affectum voluntatis, illis correſpondentem, vt dicetur infra.

Igitur ſi præfata breuiter definire volumus; Appetitus ſenſitiuus, ſiue animalis, vt ſic, eſt potentia animæ proſequens bonum ſenſibile apprehenſum per ſenſum. Cui appetitui ſenſitiuo ſynonyma eſt ſenſualitas; ſi quidem ſenſualitas nihil eſt aliud, quam facultas naturalis animæ, inclinans ad boni ſenſibilis appetitionem; cum autem alias accipiatur pro appetitus ſenſitiui corruptione in ſtatu naturæ lapſæ, ſic accepta definiri ſolet, inordinata pronitas habitualis, vel actualis appetitus ſenſitiui, in bonum ſenſibile, difforme rectæ rationi.

Quia verò appetitus ſenſitiuus eſt duplex, concupiſcibilis, & iraſcibilis; primus definiri poteſt, potentia animæ proſequens bonum ſenſibile, delectabile, ſeu conueniens ſenſibus, iiſque voluptatem, & quietem afferens, iuxta apprehenſionem imaginationis; & conſequenter fugiens malum ſenſibile: Iraſcibilis autem, potentia animæ, proſequens bonum ſenſibile arduum, iuxta aprehenſionem æſtimatiuæ: & fugiens malum ſenſibile arduum. Bonum arduum eſt quid conueniens, difficile adeptu. Malum arduum eſt quid diſconueniens, euitatu ſuperatuve difficile. Qui appetitus iraſcibilis datus eſt, concupiſcibili in auxilium, ad ſuperandas difficultates in bono ſenſibili proſequendo, & malo fugiendo, ſuperandoque occurrentes.

Appetitus denique rationalis, ſeu voluntas eſt potentia animæ, proſequens bonum in vniuerſali, iuxta apprehenſionem rationis, ſiue intellectus. Hic appetitus, ſicut & quilibet alius, proſequitur res ſingulares; ſed ſub ratione vniuerſali boni, communiter conſiderati, ſiue ſit bonum vtile, delectabile, honeſtum, ſenſibile, &c. Aduertendum eſt autem, appetitum rationalem, ſiue intellectiuum, ita coincidere cum voluntate abſolutè, vt tamen hæc ſumatur aliquando generaliter, & comprehendat appetitum, non ſolùm rationalem, ſed etiam ſenſitiuum, & naturalem. De ſenſitiuo communiter intelligitur illud Ioann. 1. *Neque ex voluntate carnis*; & Epheſ. 2. *Facientes voluntatem carnis*. De naturali verò, & ſenſitiuo illud Chriſti Domini Lucæ 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*.

Appetitus naturalis eſt cuiuſque rei inclinatio in id, quod eſt naturæ ſuæ conſentaneum, vel conueniens, abſque propria cognitione. Et quamuis aliqui eum ab inſtinctu non diſtinguant, verius tamen eſt, inter ſe differre. Appetitus enim naturalis, eſt habitualis, rebuſque omnibus cum natura impreſſus ab authore naturæ, nec dicit vehementiam: cum inſtinctus naturalis ſit tantùm actualis, vehemenſque & impreſſus ſolis rebus ſenſibilibus. Vndè inſtinctus, vt diſtinguitur ab appetitu naturali, definiri, vel deſcribi poteſt, quod ſit actualis vehemens inclinatio, ſeu motio, à natura, id eſt ab authore naturæ impreſſa rebus ſenſibilibus ad agendum aliquid, vel non agendum,

ſeu

ſeu ad proſequendum ſibi conueniens, & fugiendum diſconueniens, ſine propria cognitione. Quare dicitur, quod opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Cum ita definiatur inſtinctus naturalis generalis, ſciendum eſt inſtinctum particularem eſſe triplicem: diuinum, angelicum, & diabolicum. Duo primi ſunt ſemper ad bonum, tertius ſemper ad malum. Inſtinctus Diuinus eſt actualis vehemens motio, qua creatura intellectualis, à Deo mouetur ad bonum ſalutare. Vndè coincidit cum inſpiratione diuina, quæ nihil aliud eſt quàm actualis vehemens incitatio gratiæ preuenientis, qua quis à Deo inſtigatur ad boni ſalutaris volitionem, & executionem. Inſtinctus Angelicus eſt actualis vehemens motio, qua quis ab Angelo bono inſtigatur ad bonum ſalutare. Sicut per oppoſitum inſtinctus diabolicus eſt actualis vehemens motio, qua quis à dæmone inſtigatur ad malum.

Ex his patet, quod loquendo de appetitu in tota ſua latitudine pro vt nimirum eſt cuiuſque rei inclinatio, vel habitualis, & tunc eſt ipſa potentia appetitiua; vel actualis, & tunc eſt actus ipſius ad proſequendum bonum, & fugiendum malum, loquendo, inquam, de appetitu hoc modo, triplex eſt; naturalis, ſenſitiuus, & rationalis, huc vſque breuiter deſcripti. Quorum naturalis eſt innatus; ſenſitiuus, & rationalis, ſi conſiderentur in actu, ſunt eliciti. Et vt ſenſitiuus eminenter cõtinet naturalem: ita rationalis vtrumque. Naturalis in homine non habet organum determinatum, ſed eſt diffuſus per totum corpus, in quo ſubiectatur. Senſitiuus habet cor pro organo determinato, & ſubiecto ſuo. Etſi enim paſsiones concupiſcibilis naſcantur in hepate, propterea que dicatur appetitus concupiſcibilis reſidere in eo, iraſcibilis autem in corde, perficiuntur tamen in corde, quod omnibus paſſionibus vrgetur. Rationalis non habet organum determinatum, cui alligetur; neque ſubiectatur in corpore, ſed in anima rationali, à qua dimanat. Rationalis proſequitur bonum, non reſtrictum ad præſens, abſens, intelligibile, ſenſibile, vtile, delectabile, honeſtum, ſed omnia complectitur; naturalis, & ſenſitiuus proſequuntur bonum, ſub ratione particulari, quatenus eſt conueniens naturæ, & ſenſibus. Naturalis non ſequitur vllam apprehenſionẽ potentiæ cognoſcitiuæ, in ſubiecto exiſtentem, ſed extrinſecam directionem authoris naturæ, omnia ordinantis in fines ſuos: vndè ſemper fertur in bonum reale, & verè conueniens. Senſitiuus ſequitur apprehenſionem imaginationis, & æſtimatiuæ: rationalis apprehenſionem intellectus: vterque fertur in bonum apprehenſum, non tamen ſemper verum, aut verè conueniens, ſed aliquando apparens, & in ſe diſconueniens. Omnes autem appetitus ſunt de ſe cæci, id eſt non recipiunt in ſe ſimilitudinem obiectorum, in quæ tendunt; ſed feruntur immediatè in ſua obiecta, abſque illorum ſimilitudine in ſe recepta. Senſus autem, & intellectus tendunt in ſua obiecta, mediante ſimilitudine, ſeu ſpeciebus. Appetitus ſenſitiuus non ſubiacet perfectè imperio voluntatis, quam ipſe, & phantaſia mouet, non immediatè, ſed mediante intellectu; qui proponit voluntati obiectum ſub ratione honeſti, vtilis, vel delectabilis; vel ſub ratione mali, inutilis, non neceſſarij, imperfecti, ſenſibus incommodi, nimis ardui, & conſequenter fugiendi, aut non appetendi.

Cum autem actus, motio, ſiue operatio appetitus ſenſitiui, tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis vocetur paſſio; appetitus autẽ rationalis, affectio; breuiter explicandum eſt, quid ſit vtrumque. Paſſio igitur ſolet definiri in communi, quod ſit appetitus ſenſitiui motio immediatè efficiens extraordinariam corporis tranſmutationem. Paſſio, ſic dicta, quia ab ea patitur, vel recipit corpus extraordinariam ſui altera-

terationem. Eſt motio deliberata, vel indeliberata, conformis, vel difformis rectæ rationi; vel indifferens in ordine ad illam; efficiens corporis tranſmutationem, id eſt extraordinariam eius alterationem, eidem conuenientem, vel diſconuenientem; V.g. cordis dilatationem, aut conſtrictionem: feruorem, aut frigus; tremorem, pallorem, ruborem, &c. nam cor lætitia dilatatur, triſtitia conſtringitur, feruet ira, friget timore; facies rubet pudore, pallet metu, &c. Etſi autem paſſio hoc modo deſcripta, ſiue in genere nullam videatur includere imperfectionem, ſi quidem ex ſe, nec eſt indeliberata, nec inordinata; quia tamen in nobis, ſtante corruptione naturæ, ſæpè eſt indeliberata, præueniensque iudicium rationis; inordinata etiam, inſurgenſque contra rectam rationem: Nullatenus autem in Chriſto Domino; in quo nullus omninò motus præueniebat iudicium rectæ rationis; ſed expectabat nutum illius, cui etiã perfectiſſimè ſubdebatur: ideò à patribus ſolet vocari propaſſio: & Synodus ſexta act. 11. ait: *Chriſtus arbiter, & Dominus erat motuum naturalium, & omnium ſuorum affectuum, & paſsionum, qui, niſi eo annuente non mouebantur*: Vndè hæc propaſſio, eſt inchoata paſſio; ſiue relicto hoc nomine, appetitus ſenſitiui motio; rectæ rationi perfectè ſubdita. Affectio autem eſt appetitus rationalis motio, abſque immediata corporali tranſmutatione; dicitur, immediata, quia voluntas motione ſua poteſt eſſe mediata cauſa tranſmutationis corporalis: ſcilicet per ſuum imperium, & redundantiam in appetitum ſenſitiuum; qui motione ſua [illegible] immediatè tranſmutat corpus.

§. I.

De amore eiuſque cauſis, & effectibus, tum diuiſione.

LOquendo iam de paſſionibus in particulari, Amor, qui nomen, ac rationem habet paſsionis, definitur ordinariè, quod ſit appetitus ſenſitiui motio, circa bonum ſenſibile abſolutè, cum quadam ſenſibili, & corporali immutatione. Amor autem vt ſic, quod ſit boni per ſe ſimplex effectus; ſiue appetitus tam ſenſitiui, quam rationalis mera complacentia in bono per ſe. Qui amor ſimplex in appetitu rationali eſt ſynonymus volũtatis actui; quæ voluntas eſt potentiæ voluntatis primus actus, quò inefficaciter afficitur bono per ſe. Quomodo potentiæ intellectiuæ primus actus, verſans circa primo-vera, vocatur intellectus principiorum. Ad cuius maiorem intelligentiam, & tollendam nominum æquiuocationem, notandum eſt ex Diuo Thoma 1. 2. q. 26. art. 3. hæc quatuor nomina, ſcilicet amor, dilectio, charitas, & amicitia, ita plerumque confundi, vtpotè ad idem quaſi pertinentia, vt tamen inter ſe, ſi ſumantur ſtrictè, differant; nimirum quod amicitia ſit quaſi habitus, amor autem, & dilectio ſignificentur per modum actus, vel paſſionis; charitas vtroque modo ſumi poſsit; qui adhuc actus differenter ſignificatur per iſta tria; nam amor vt ſic communis inter ea eſt, omnis ſiquidem dilectio, vel charitas eſt amor, ſed non è conuerſo; vndè amor vt ſic eſt tam in appetitu ſenſitiuo concupiſcibili, quam in voluntate; dilectio autem, & charitas in ſola voluntate, ſunt enim amor cum libero arbitrio, & electione, quod pertinet ad ſolam voluntatem; & ita, licet diſtinguantur eſſentialiter ab amore ſenſitiuo, qui eſt paſſio; attamen ſi ſumatur amor communiter, prout nimirum abſtrahit à ſenſitiuo, & intellectiuo, vel rationali, ſic

dile-

dilectio, & charitas non condiuidunrur ab illo, ſed ſuperaddunt ad illum, ſuam ſcilicet propriam differentiam, quæ in charitate, prout à cæteris actibus diſtinguitur, conſiſtit in hoc, quod amet cum æſtimatione quadam, & pretio rei amatæ, quia pretioſa ſunt cara.

Amor etiam vt ſic diuidirur in amorem concupiſcentiæ, & amicitiæ; quæ diuiſio aliquando eſt tantùm penes diuerſos modos, ſeu reſpectus vnius, & eiuſdem amoris erga obiecta, in quæ fertur. Reſpicere enim poteſt amor duplex obiectum, ſcilicet obiectum cui vult bonum, id eſt perſonam, & obiectum quod vult tanquam rem volitam, ſiquidem amare eſt velle bonum alicui, vnde & datur obiectum cui, & obiectum quod. Reſpectu boni amati, vt quod, ſeu vt res volita, dicitur amor concupiſcentiæ, quia res illa non eſt perſona, cum qua contrahitur, ſed res quædam volita. Reſpectu verò perſonæ, cui eſt volita, vel concupita, datur amicitia. Et ſic in eodem amore poſſunt iſta duo concurrere, ſcilicet ratio amicitiæ, & concupiſcentiæ penes diuerſos reſpectus; tuncq; eſt diuiſio tantùm penes prius, & poſterius, ſimpliciter enim, & per ſe amatur perſona, ſeu obiectum cui; & per illud, ſeu ratione illius amatur res volita, ſiquidem ordinamus illam ad perſonam, cui eam volumus. Aliquando etiam hæc eadem diuiſio poteſt fieri in duplicem ſpecie amorem ex parte obiecti cui, quod eſt principalius in amore, ſi quidem ad ipſum alia ordinantur; nempè quod amor concupiſcentiæ deſideret aliquod bonum ſibi ipſi tantum, amor autem amicitiæ alteri, eo quod amor amicitiæ petit mutuam redamationem, & communicationem ad inuicem; & hæc non eſt eiuſdem ad ſe, ſed ad alterum. Qui tamen duo amores ſic diſtinguntur ſpecie, vt interdum miſceantur, ſiue amor amicitiæ præſuppoſitiuè, & virtualiter, poſſit includere amorem concupiſcentiæ, quandò ſcilicet amicitia eſt vtilis, aut delectabilis, ſeu bonum amico volitum cedit etiam in emolumentum proprium; quatenus enim aliquis vult bonum amico, in hoc ſaluatur ratio amoris amicitiæ, quatenus verò illud idem bonum refert vlterius ad propriũ commodum, amicabilia enim ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad ſe, quia aliquis reputat amicum, vt partẽ ſui, aut alterum ſe; in hoc reperitur ratio amoris concupiſcentiæ; ad quem tamen quantum trahitur amicitia, ſeu iſta vtilis eſt, aut delectabilis, tantùm deficit à ratione, & perfectione veræ amicitiæ.

Quantùm ad cauſas, vel principia amoris, ex quibus ſcilicet oritur, & nutritur, duo ſunt, ſcilicet obiectum, eiuſque conditio ad alliciendum requiſita, & diſpoſitio, ſeu contemperantia ſubiecti, in quo debet eſſe inclinatio, & pondus in obiectum amatum.

Ex parte obiecti cauſa amoris per ſe eſt bonum, hoc enim eſt quod omnia trahit, quodque omnia appetunt. Conditio autem requiſita ex parte obiecti eſt cognitio vel ſenſitiua, vel intellectiua pro qualitate obiecti amati, vel ſubiecti amantis, quia incognita amare non poſſumus. Et ſic bonum, & cognitio ſunt cauſa amoris, ita tamen quod ſub bono etiam apparens bonum comprehendatur, quod in re eſt malum, & nociuum, ſed non apparet vt tale cognoſcenti. Et cognitio ita eſt cauſa amoris, quod cum ſit conditio, & quaſi applicatio obiecti, ſæpius amor poteſt excedere cognitionem propter diſpoſitionem ſubiecti amantis, quia videlicet vt appetitus totum, quod eſt in obiecto amet, vel appetat, ſufficit illud in confuſo cognoſcere, inde enim etiam latentia cupimus, quamuis latẽtia non videamus in ſe expreſsè. Vnde cognitio ſolum perfecta eſt, quando eſt diſtincta, & expreſſa: amor verò perfectus eſſe poteſt etiam circa abſentia, & latentia, atque adeo circa confusè cognita, & ſic cum imperfecta cognitione

tione ſtare perfectus amor; quia ad eius perfectionem ſufficit, quod ad rem pro vt eſt in ſe tendat; ad perfectionem autem cognitionis quod rem, prout eſt in ſe cognoſcat; non poteſt autem in ſe cognoſcere niſi diſtinctè attingat cõponendo, vel diuidendo: At poteſt aliquid amari in ſe, licet cognitio, qua proponitur obiectum ſit confuſa, & non perfecta, quia amor trahit animũ ad res, non res ad animum, iuxta illud Diui Auguſtini, *Amor meus pondus meũ, illo feror quocumque feror*. Et ſic apprehenſa, vel propoſita re, quantumuis confuſè tantum, amor ſemper rem ipſam cupit, non confuſionem, ſi quidem ex paruo quod videt, & inde ſentit, vlterius mouetur ad acquirendum id quod non videt, & adhuc latet, & abſens eſt, imo, ipſa experientia teſte, circa hæc ſolet impatientius, & vehementius ferri amor, quia hoc eſt ferri ad rem ipſam in ſe, non autem vt apprehenſam duntaxat.

Ex diſpoſitione autem ſubiecti cauſatur amor, ex ſimilitudine ſiue propria, ſiue proportionali cum obiecto per ſe loquendo, licet hæc conditio ſimilitudinis refundi etiam poſſit in obiectum, cum ſimilitudo ſit relatio æquiparentię, & conſequenter reperiatur in vtroque extremo. Ex ſimilitudine igitur, & proportione ad alterum oritur amor, quia vnumquodque amat, quod eſt ſibi congruum, & conueniens: illud autem eſt conueniens, cum quo habet proportionem, maioremue vnitatem; & hæc eſt ſimilitudo; aliquando quidem in actu, vt duo alba; aliquando autem in potentia, vt cum aliquis eſt capax alicuius rei, & illi deeſt, amat illam in eo, in quo deeſt. Prima ſimilitudo æqualis dicitur fundare amorem amicitiæ, quia ſimiles melius ſociantur, licet per accidens cauſetur odium, & rixa inter ſimiles, quando illa paritas eſt proprij vtilis vel commodi impeditiua. Secundæ verò potentialis fundat amorem concupiſcentiæ, quia vnuſquiſque appetit quod ſibi deficit, ſi ad illud habeat capacitatem. Poteſt tamen diligere in alio, quod in ſe non vult habere, ſicut vult medicum, aut muſicum, quod ipſe non vult eſſe, quia habet ſimilitudinem, & proportionem ad fruendum his, quæ facit medicus, aut muſicus, non ad habendum in ſe officium illorum, quod non deſiderat.

Vt amor ſuas habet cauſas, ita & effectus; quorum alij ſunt intra ipſum appetitum, ſeu voluntatem, alij ad extra, ſeu exteriores; & iſti ſunt, illa omnia, quæ operatur amans ex amore ſuis, ex tali enim amore eſſe non poſſunt, quin ſint effectus amoris. Primi autem, ſcilicet interiores, ſeu intra ipſam voluntatem exiſtentes, ſunt quatuor præcipui, ſcilicet *Vnio*, *inhæſio mutua*, *ſeu intima*, *exſtaſis*, *& zelus*: ad quos reducuntur, *liquefactio*, *ſeu vulneratio*, *fruitio*, *languor*, *& feruor*, quæ omnia ſic breuiter explicantur.

Vnio eſt effectus amoris, non quidẽ affectiua, cum ſit ipſa amoris affectio, ſed effectiua, qua tendit ad realem aſſecutionem, & amplexum amati. Vnde triplex vnio ſolet diſtingui, quædam antecedens amorem, quædam conſtituens, quędam ſubſequens, & iſta eſt effectus eius. Vnio antecedens erga alios, eſt ſimilitudo, ſeu proportio, erga ſeipſum identitas, inde enim cauſatur amor. Vnio conſtituens eſt ipſe affectus amoris, quo quis ſe habet ad amatum vt ad aliquid ſui in appetitu. Vnio conſequens eſt vnio realis, ad quam quærendam mouetur quis ex amore, quatenus quærit realem præſentiam amati, & ei conuiuere. Et in hac excellit vnio amoris vnionem cognitionis, ſed in ſecunda vnio cognitionis ſuperat vnionem amoris, quia vnio amoris ſolum eſt per affectum, & inclinationem ad aliud; cognitionis autem per ſimilitudinem, qua eſt ipſa res intentionaliter, vel in eſſe intelligibili, ſed non quærit realem vnionem ſicut amor.

Mutua inhæſio non accipitur præciſè

pro coniunctione, ſic enim idem eſt ac vnio, ſed pro intima perſcrutatione, vel penetratione, qua amans ingreditur ad amatum, nec ſola ſuperficiali tentione eſt contentus, quæ intima adhæſio fit tam in apprehenſione, quam in voluntate;in apprehenſione quidem, quatenus continuè cogitatur de re amata etiam quo ad intima, perſcrutando ſigillatim omnia; in voluntate verò quatenus complacet in re amata, & his, quæ ad eam pertinent, radicando intimè iſtam complacentiam in his, quæ illius ſunt, & ſic dicuntur viſcera charitatis, quaſi intima complacentia non ſolum ad rem, vel perſonam amatam, ſed ad omnia, quæ illius ſunt, quatenus perfectè amans non quærit ſuperficialiter tantùm alterum tenere, vel frui, ſed perfectè, & quoad intima. Et ſic adhæſio eſt conglutinatio amātis ad amatum, ſicut dicitur 1.Reg.18. *Anima Ionathę conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Hæc eſt adhęſio amoris, id eſt intima conglutinatio, & affectus ad amatum in omnibus, quæ illius sūt, ſicut propriæ animæ; in amore autem concupiſcentiæ complacentia, & fruitio vſque ad intima rei, eſt adhæſio. & conglutinatio. Et non videtur iſta adhæſio diſtingui, aut condiuidi in voluntate ab affectu ipſo amoris, ſeu ab vnione affectiua; ſed addit aliquem nouum reſpectum, vel extenſionem ad intima amati; in cognitione verò dicit continuam de amato cogitationem.

Extaſis eſt quædam vis amoris, qua ponitur amans extra ſe. Eſt autem aliquis extra ſe, tam in vi apprehenſiua, quam appetitiua; in apprehenſione, quia ponitur extra modum ordinarium cognoſcendi, vel per eleuationem ad ſuperiora, vel per abſtractionem à ſenſibus, vel per caſum in furiā, & amentiam. In appetitiua autem ponitur extra ſe, in quantum quærit ea, quæ extra ſe ſunt, & quaſi extraneatur quis à ſe propter alterius amorem, & facit ea, quæ non videntur ſibi conue-nire, Et hic effectus non eſt entitas diſtincta ab amore, ſed vehemens extenſio eius extra ſe.

Zelus eſt motus animæ per modum doloris, aut triſtitiæ contra id quod impedit quietam, & adæquatam fruitionem, aut conſecutionem rei amatę, ſicut zelus inuidiæ eſt motus contra impedimentum excellentiæ intentæ. Et quia in vxore maximè impeditur eius fruitio, ſi conſortium habeat cum alio, ideò zelus maximè eſt ad coniuges. Erga amicos etiam zelus eſt, quatenus mouetur aliquis contra omne impeditiuum boni amicorum.

Qui ad iſtas reducuntur, alij effectus, nimirum *liquefactio*, eſt quædam reſolutio duritiæ cordis, ne obſiſtat amato, vt intret ad ſe:& ad idem pertinet *vulneratio* cordis, qua aperit animum alteri, vt in corde locum habeat, & hæc apertio eſt vulneratio, præſertim ſi fit cum quodam ſenſu, & violentia nondum fruendi amato. *Fruitio* eſt effectus amoris pro re pręſenti in qua quieſcit. Pro abſenti verò ſequuntur duo effectus, nimirum *triſtitia* de ipſa abſentia, quæ eſt *languor* animi, & *feruor* de conſecutione amati per intenſum deſiderium. In quibus omnibus ipſe amor ſecundum ſe, & formaliter non eſt lęſiuus amantis, quia potius de ſe vnit rei conuenienti, & proportionatę: quod ad conſeruationem pertinet potius, quam ad lęſionem. Per accidens tamen poteſt lędere, aut ratione ipſius obiecti, ſi in re ſit malum, & abominandum, ſolum autem apparenter ſit bonum; aut ratione immutationis corporalis in amore ſenſibili, ſi tanta ſit, vt feruore ſuo lædat corpus, ſed hoc materialiter ſe habet ad actum amoris.

Paſſio autem amoris, ſicut & cæteræ appetitus concupiſcibilis, moderantur mediante virtute temperantiæ, & alijs ad eamdem ſpectantibus. Vt enim docet Diuus Thomas 2.2.q. 141. art.2. Temperantia retrahit ab his, quæ contra rationem appetitum alliciunt. Et art.3. Temperantia, quæ importat mo-deratio-

derationem quamdam, præcipuè conſiſtit circa paſſiones tendentes in bona ſenſibilia, ſcilicet circa concupiſcentiam, & delectationem, ex conſequenti autem circa triſtitias, quę contingũt, ex abſentia talium delectationum. Et art. 4. Oportet quod temperantia ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum, & quia delectatio conſequitur operationem connaturalem; tãtò aliquæ delectationes ſunt vehemẽtiores, quanto conſequuntur operationes magis connaturales. Maximè autem naturales animalibus ſunt operationes, quibus conſeruatur natura indiuidua per cibum, & potum, & natura ſpeciei per coniunctionem maris, & fœminæ; & ideo circa delectationes ciborum, & potuum, & circa delectationes venereorum eſt præcipuè temperantia; quæ delectationes conſequuntur ſenſum tactus. Eaſdem quoque paſſiones moderari omnibus virtutibus ad temperantiam ſpectãtibus, nempè verecundia, & honeſtate, quę ſunt partes integrales eius; abſtinentia, ſobrietate, caſtitate, & patientia, quæ ſunt partes ſubiectiuæ; continentia, humilitate, manſuetudine, clementia, & modeſtia, quæ ſunt partes potentiales, docet idem Diuus Thomas agendo de illis.

Ex dictis colligo amorem, vt ſic multipliciter diuidi poſſe, nimirum in naturalem, & ſupernaturalem, qui per excellentiam vocatur charitas, de qua ait Apoſtolus Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Ex qua, ſi ſumatur pro habitu, reddimur capaces amandi Deum ſuper omnia, tanquam ſummum bonum, nec non patrẽ noſtrum, atque adeo tendendi ad gloriam, ſeu ad æternam eius poſſeſſionẽ, tanquam ad hæreditatem noſtram, ſi autem pro actu, vtrumque actualiter præſtamus: Amor autem naturalis eſt mera complacentia, ſeu ſimplex affectus appetitus circa bonum naturale per ſe, hoc eſt naturæ conſonum, vel conueniens. Iterum diuiditur in rationalem, voluntatis proprium, quique in ſe magis virtutis, quam paſsionis nomen meretur; & in ſenſitiuum, appetitus nimirum ſenſitiui proprium; & hic eſt paſsio propriè dicta, vterque rurſus diuiditur in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ.

§. II.

De odio, eiuſque diuiſione cauſis, & effectibus.

ODium, provt eſt paſsio, definiri poteſt, quod ſit appetitus ſenſitiui diſſonantia quædam ad illud ſenſibile, quod apprehenditur, vt repugnans, & nociuum, cum quadam ſenſibili & corporali immutatione; vbi particula diſſonantia non ſumitur pro relatione, ſed pro ipſomet affectu, ſeu actu appetitus ſenſitiui fundante illam. Odium verò, provt abſtrahit ab actu tã appetitus ſenſitiui, quàm rationalis, ſeu voluntatis, definiri abſolutè poteſt, diſſonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur vt repugnans, et nociuum, ſiue ſit verè, ſiue ſit apparentèr ſolùm tale; ſicut amor vt ſic, eſt conſonantia appetitus ad ſuũ conueniens, verum, aut apparens; vndè odium eſt actus amori oppoſitus.

Sicut datur duplex amor, ſcilicet concupiſcentiæ, & amicitiæ, ita quoque duplex eſt odium, ſcilicet *abominationis* oppoſitum amori concupiſcentiæ, & odium *inimicitiæ* oppoſitum amori amicitiæ.

In vtroque obiectum repugnans, ſeu malum, aut nociuum, eſt cauſa odij, quia eſt cauſa diſſonantiæ, & abnegationis voluntatis erga ipſum. Abnegatio enim & diſſonantia non eſt niſi circa repugnans, quod enim eſt conueniens vt tale non diſſonat, ſed conſonat. Quemadmodum autem in amore duplex interuenit obiectum, *cui*, & *quod*, ita quoque in odio. Taliter tamen, quod in odio abominationis corre-

ſpon-

reſpondente amori concupiſcentiæ, diſſonantia eſt circa rem amatam, ſeu obiectum *quod*: circa verò obiectum *cui*, eſt amor, ſeu conſonantia; abominatur enim quis id quod ſibi repugnat, quia diligit ſe. In odio autem inimicitiæ diſſonat ipſa perſona inimici, *cui* volo malum; res verò volita, ſeu obiectum *quod*, non diſſonat, ſed eſt volitum, & amatum, non quatenus malum formaliter, ſed quatenus id, quod eſt malum alteri, ſeu inimico, reputatur bonum, & conſonum mihi, & ex hac parte induit rationem appetibilis, quatenus fundatur in aliquali ratione boni; nec id quod in ratione inimicitiæ habet de malo poteſt eſſe volitum, etiam ſub formalitate inimicitiæ, niſi prout fundatur in aliquo bono concupiſcentiæ, aut bono proprio, ex quo omnis amicitia, vel inimicitia originem ducit. Vnde licet cauſa odij ex parte obiecti, ſit obiectum repugnans, & diſſonans; attamen ex parte ſubiecti, amor eſt cauſa odij, ex eo enim aliquid eſt repugnans, quia eſt nociuum, vel deſtructiuum conuenientis, quod amatur, & ex hoc ſumit rationem volendi alteri malum, quia illud mihi eſt bonum. Minimeque repugnat odium diuidi contra amorem, & eſſe cum illo, cum ſint reſpectu diuerſorum, ſcilicet amor ſui, & odium alterius cui volo malum, quatenus bonum mihi. Imò non incongruè dici poſſet amorem, & odium, vnum, & eamdem eſſe in appetitu ſenſitiuo paſsionem; in voluntate verò vnum, & eumdem affectum, amorem dictum, quando eſt complacentia in bono, odium verò, quando eſt diſplicentia mali, ſeu diſconuenientis auerſio.

Odio, quod eſt paſsio, commune quoque eſt, quod paſsioni amoris, illud ſcilicet ſæpe præuenire vſum rationis, eaque inconſulta formari, vno fere momento: licet in hoc differat ab amore, quod propter ſui obiecti repugnantiam facilius, & celerius percipiatur ab habente, quam amor, difficilius verò deleatur. Cum quo tamen ſtat, quod amor ſit fortior odio, ſimpliciter loquendo, quia eſt cauſa eius, & præbet illi vires; quantò enim quis fortius amat id quod eſt conueniens, fortius etiam repugnat oppoſito talis conuenientis, ſiue illud auerſatur. Nec odium ſuperat, aut deſtruit amorem alicuius, niſi quia naſcitur ex fortiori amore ſui, vel alterius. Et ſic, vt ſtatim dicebamus, odium inimicitiæ non vult alteri malum ſub ratione mali obiecti, ſed mali effectus pro illo, qui apparet mihi bonum, & appetibile, quatenus deſtruit inimicum.

Odium denique, ſicut, & amor, pro ratione ſuæ ordinationis, vel inordinationis, boni, vel mali vſus, poteſt quoque habere bonos, vel malos effectus tum internos, tũ externos. Quibus curandis, & expurgandis potiſſimum quod adhiberi poteſt remedium, eſt amor rectus, vt enim ait Diuus Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 6. *Homo qui ſecundum Deum, non ſecundum hominem viuit, oportet vt ſit amator boni: vnde ſit conſequens vt malum oderit.* Quemadmodum enim malus, inordinatuſque amor, eſt cauſa mali, inordinatique odij, effectuumque eius, quales ſunt tot iniquæ perſecutiones, tot homicidia, de quibus ait Cyprianus epiſt. 1. ad Donatum: *Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis poſſit occidere, peritia, vſus eſt, ars eſt, quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit, & gloria eſt quod peremit.* Ita per oppoſitum rectus, ordinatuſque amor, eſt cauſa boni, ordinatique odij, & vſus eius, iuxta conditionem mali odibilis, malum ſimpliciter, quale eſt ſolum peccatum, & alia ei annexa, abſolute deteſtando: iuxta illud Regij Prophetæ Pſalm. 118. *Iniquos odio habui*: & Pſal. 138. *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*: per iniquos, & peccatores ibi intelligentis non eorum perſonas, quas debemus amare, ſed peccata, & iniquitates, quas debemus odio

odio habere. Ex Diuo enim Auguſtino lib. de vera Innocent. *Perfectum odium eſt, quod nec iuſtitia, nec ſcientia caret, vt nec propter vitia oderis homines, nec vitia propter homines diligas.*

Cætera præter peccatum, cum non ſint mala ſimpliciter, abſolutè quoque non ſunt odio digna, niſi quatenus ad illud conducunt, & induunt rationem mali; & hoc modo debemus nedum carnaliter propinquos, quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo; & fugiendo neſcire, ſed & noſmetipſos; iuxta illud Chriſti Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem, & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et Ioann. 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* Qui enim ſic odio habent animam ſuam, ſiue corpus ſuum, quatenus ad illicita feruntur, eaque proindè mortificant, verè tunc illa amant, vt docet Diuus Auguſtinus tract. 51. in Ioann. *Magna,* inquit, *& mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat: Si malè amaueris, tunc odiſti: Si bene oderis, tunc amaſti: fælices, qui oderant cuſtodiendo ne perdant amando:* Et ex eodem Auguſtino lib. de decem chordis cap. 8. *Odit te Deus qualis es, ſed amat te qualem vult te eſſe. Et tu debes te odiſſe qualis es. Ægrum enim attende, æger ægrotantem ſe odit qualis eſt: indè incipit concordare cum medico, quia & medicum odit eum qualis eſt. Nam ideo vult ſanum eſſe, quia odit eum febricitantem & eſt medicus febris perſecutor, vt ſit hominis liberator. Sic peccata tua febres ſunt animæ tuæ, & ideo debes eas cum Deo medico odiſſe.* Mirum igitur non eſt, ſi quam homines carnales ita oderunt corporis mortificationes, pœnas, contemptus, opprobria, perſecutiones, aliaque id genus, libenter amplectantur homines ſpirituales, tamque aſperè corpus ſuum caſtigent, & in ſeruitutem redigant, vt ſic peccata commiſſa redimant, & futura deinceps facilius euitent. De quo ſancto ſui odio malo amori oppoſito; nec non ſancta inimicorum dilectione à Chriſto præcepta, maloque odio cõtraria, vacat iterum audire S. Auguſtinum lib. 1. de ſerm. Domini, cap. 25. *Quam verum eſt quod Regnum Cælorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud: Quanta enim vi opus eſt vt homo diligat inimicum, & oderit ſeipſum: vtrumque enim iubet, qui ad Regnum Cælorum vocat.*

§. III.

De deſiderio, & concupiſcentia, eiuſque cauſis, diuiſione, & effectibus.

QVia concupiſcentia, ſeu cupiditas, quæ coincidit cum deſiderio, vt eſt paſsio dupliciter accipi poteſt; Vno modo largè pro omni appetitu boni, ſiue ſit amor, ſiue ſit ſpes, ſiue fruitio. Alio modo ſpecialiter pro vt diſtinguitur à delectatione, & amore ſtrictè ſumptis; de illa ita conſiderata agimus in præſenti, definirique poteſt, motus appetitus ſenſitiui ad bonum delectabile ſenſibile, abſens adipiſcendum, cum quadam ſenſibili, & corporali immutatione. Qui motus potius vocatur concupiſcentia, quam deſiderium, quia illud propriè loquendo, non tam pertinet ad inferiorem appetitum ſenſitiuum, quam ad ſuperiorem intellectiuum, ſeu voluntatem; non enim deſiderium importat aliquã conſociationem vtriuſque appetitus in cupiendo, ſicut illam importat concupiſcentia, propriè enim concupiſcere, eſt cum alio appetere, ſed ſignificat ſimplicem motum in rem deſideratam. dicitur ad bonum ſenſibile abſens, quia per hoc diſtinguitur ab amore, reſpiciente pro obiecto formali bonum delectabile ſenſibile abſolutè; à delectatione, reſpiciente illud vt præſens; nec non à ſpe; quæ reſpicit quidem

bonum

bonum abſens, aut futurum, verùm non vt concupiſcibile, ſed vt aſſequibile irrumpendo, & ſuperando difficultates, & ſic pertinet ad iraſcibilem. Variantur enim ſpecies paſſionum in appetitu ſenſitiuo penes abſens, & pręſens, quia licet præſens, & abſens ſecundum ſe ſint differentiæ accidentales rei in eſſe phyſico conſideratæ, aut etiam in genere intelligibili; tamen in genere appetibili conſtituunt diuerſas ſpecies, eo quod præſens, & abſens non ſumuntur in hoc genere pro approximatione, vel remotione cauſæ, quod ſolùm pertinet ad applicationem, & conditionem cauſandi, ſed pro motiuo proprio, & formali appetendi, quia cũ appetitus ſit ordinatio quędam, & pondus in rem, induit diuerſam rationem motiui ipſum appetibile, quando mouet vt quietans, ſeu poſſeſsum, & quãdo ſine poſſeſsione, & cum motu: ſicut in intellectu veritas, quæ reddit quietum intellectum, & veritas, quæ facit illum fluctuare, & non quieſcere, faciunt aſſenſus ſpecie diſtinctos, illa enim prima eſt veritas euidens, & conuincens, generanſque conſequenter ſcientiam, hæc eſt obſcura, & credita, faciens opinionem, vel fidem. Sic ergo abſens bonum facit appetibilitatem fluctuantem, & cum anxietate, ſeu per modum inhiabilis, quod pertinet ad concupiſcentiam, vel deſiderium, ea enim concupiſcimus, & inhiamus, quę nondum habemus, ſecundum illud D. Auguſtini: *Appetitus inhiantis ſit amor fruentis*; præſens autem, & poſſeſſum, facit appetibilitatem tranquillantem, & quietantem, quæ in ipſa ratione motiui, & appetibilis, formaliter, & ſpecificè facit differte.

Hæc paſsio, tam à pręuio amore cauſatur, quam ab ipſomet obiecto in quod tendit; poſtquam enim bonum placuit appetitui, ſeipſum ad illud conſequendum veluti expandit; ita quod ſicut bonum placãs appetitui abſolutè, primùm in eo cauſat actum, aut motum amoris; ſic iſte amor ſimul cũ bono ſuauiter alliciente appetitum ad ſui conſecutionem, cauſat in ipſo motum, aut actum concupiſcentiæ, ſiue deſiderij. Etſi autem huiuſmodi bonum apprehenſum, vel cognitum non cauſet phyſicè deſiderium, ſed moraliter tantum, alliciendo nimirum appetitum ad realem ſui conſecutionem; hæc tamen motio non deſinit eſſe efficaciſsima, ſi bonum mouens fuerit magnum, debitèque apprehenſum, vel cognitum.

Quantum ad eius diuiſionem, concupiſcentiæ aliæ ſunt *naturales*, aliæ *non naturales*. Dicuntur *naturales* illæ, quarum obiectum importat conuenientiam, & delectabilitatem reſpectu naturæ animalis, puta reſpectu vitæ, vel conſeruationis, vt cibus, & potus, veſtitus, ac ſimilia. *Non naturales* autem, quando ſunt de obiecto conuenienti, & delectabili ipſi apprehenſioni, aut ſecundum apprehenſionem, vt in his, quæ ſecundum æſtimationem concupiſcuntur, cuiuſmodi ſunt honores, diuitiæ, & id genus alia. Quæ diuerſitas harum concupiſcentiarum, cum ſit in ipſa formali ratione appetibili, ſeu in ipſa ratione motiua appetitus, quia diuerſo modo mouet, quod ſolùm naturæ conueniens, & delectabile eſt, aut quod apprehenſioni ipſi, licet ad vtrumque appetitus mediante apprehenſione moueatur, cum appetitus elicitus ſit; propterea non ſolum materialiter, ſed formaliter, ac ſpecificè inter ſe ex obiecto diſtinguntur: Tum etiam ex diuerſo modo apprehendendi, & regulandi; naturales enim concupiſcentiæ ſufficienter regulantur apprehenſione abſoluta, cum ſint communes nobis, & brutis; non naturales autem regulantur diſcurſu formali, vel virtuali, aut æſtimatione. Neque hìc conſideratur diſtinctio iſtarum paſsionum, ſecundum rationem moralitatis in genere virtutis, & vitij, hoc enim ad aliam pertinet lineam, ſed in genere præciſo appetitiui, & ſub habitudine ad appetibile. Concupiſcentiæ autem

tem

tem naturales, ita ſunt communes hominibus, & brutis, vt non naturales ſolis hominibus propriè competant.

Quod dici ſolet, concupiſcentias eſſe infinitas, id eſt inſatiabiles, aut ſine menſura, & determinatione, debet intelligi de *non naturalibus*, quæ cum regulentur ratione, & diſcurſu, qui ad infinita ſe habet, nec determinatum finem exigit, ſed ad quemlibet ſe poteſt vertere, infinitæ ſunt, quia quidquid boni apprehendi poteſt, deſiderari poteſt; vndè hominum deſideria non ineptè dicuntur eſſe ſicut numeri, inter quos, vt nullus datur tantus, quin maior in infinitum dari poſſit, ita eſt de humanis deſiderijs, aut concupiſcentijs. Sic ait Philoſophus 1. Polit. cap. 6. *In finita concupiſcentia exiſtente, homines infinita deſiderare*. *Naturales* autem concupiſcentiæ, cum ſint de aliquo à natura determinato, & circa determinatum finem non ſunt infinitæ, ſed determinatæ, & certæ ſecundum ſe, & ſecundum ſpeciem, ex determinato fine ſumentes menſuram, qui à natura, ſeu ab authore naturæ illis apponitur, non ab eis determinatur. Licet in potentia, & ſecundum exercitium indiuiduale poſſit in infinitum ſyncategorematicè extendi ratione ſucceſſionis, ſicut poſt hunc cibum, & potum, oportet alium poſtea ſumere, *qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum*, & ſic in infinitum.

Circa huius paſsionis effectus, cum amor præexiſtens, bonumque abſens, vt diximus, ſint eius cauſa, conſequenter quanto maior eſt amor, bonumque propoſitum maius, tantò vehementiores ſunt eius effectus, & ſi talis boni deſiderati poſſeſsio, ac fruitio plus æquo interdum differatur, ſolet deſiderium inualeſcere vſque ad ardorem, qui feruor appellatur, & ei ſuccedit languor, grauis ſcilicet mæſtitia, quæ aliquando hominem perimit; vndè vulgo dicitur, quod deſideria dilata creſcunt. Propterea rectè ait Sapiens Prouerb. 21. quod *deſideria occidunt pigrum*; quatenus ex pigritia ea executioni mandare non curat, quantumuis de illis vehementer vrgeatur. Et Seneca Conſolat. ad Helu. cap. 18. refert de quadam matre, quæ cum enixè diligeret filium condemnatum ad exilium, illud pati maluit, quam deſiderium; quod ex abſentia filij, ei oriri poterat, adeò verum eſt, paſſionem deſiderij tantam in hominibus cauſare animi mœrorem, & anxietatem, vt ei exilium, morſque ipſa aliquando poſtponatur. Indeque natura præuidens, quam graue eſſet ſupplicium deſiderantis animi ſuſpirium, prouidit ei de ſpe, ad illud vtcunque temperandum, dum enim ſumus in via, nulla ferè efformamus deſideria, quorum ſimul adimpletionem nobis non promittamus.

Vt huius paſsionis inordinatio, maluſque vſus prouenit, vel ex parte boni concupiſcibilis, vel ex modo concupiſcendi, ſi oriatur ex primo capite, quia nimirum fertur in illicita, mutari debet obiectum; ſi autem ex ſecundo, quia nimirum fertur in licita, & alias laudabilia, ſed indebito modo, talis modus corrigi debet, atque purgari, verùm quia inter huiuſmodi obiecta licita dantur plura non neceſſaria, ſed indifferentia, & ex ſolo duntaxat fine indiuidualiter bona, qui ad ſummam aſpirant perfectionem, debent quoque ab illis abſtinere, & tam concupiſcentias naturales, quam non naturales circa illa verſantes apprimè mortificare, tum quia, tantò quiſque à ſe licita debet abſcindere, & ſic condignos fructus pœnitentiæ facere, quanto ſe meminit, & illicita perpetraſſe, vt docet Diuus Gregorius; tùm vt conſilium Chriſti abnegandi noſmetipſos ſectantes, abundantiorem recipiant mercedem; tum vt aſſueti ad relinquenda licita, quæ placent, facilius illicita, cum eos tentauerint contemnant, & ab eis appetitum coerceant; vt enim ait Diuus Gregorius lib. 5. moral. cap. 8. *Solus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando & à licitis cautè reſtringit*.

Tum denique quia mortificando concu-

concupiſcentias noſtras, & purgando illas nedum ab illicitis, cum nimirum illas cohibemus ne tendant ad obiecta prohibita, verum etiam à licitis, cum eaſdem propter Deum continemus, ne aliquam in illis capiant recreationē, facilius Deo vnimur; quod eſt totius perfectionis ſcopus, & finis, indeque noſtra deſideria replentur, plenèque tranquillantur; vt enim ait Diuus Auguſtinus, vel alius quicumque ſoliloquiorum ſub eius nomine circumlatorum author cap. 30. Deum alloquens; *Cum te habet anima, plenum eſt deſiderium eius; & iam nihil aliud, quod deſideretur, exterius reſtat. Dum autem aliquid exterius deſiderat, manifeſtum eſt, quod te non habet interius: quo habito nihil eſt, quod vltra deſideret. Si autem creaturam deſiderat, continuam famem habet. Quia licet quod deſiderat de creaturis adipiſcatur, vacua tamen manet, quia nihil eſt, quod eam impleat niſi tu, ad cuius imaginem eſt creata.* Mirum ergo non eſt ſi Diuus Paulus Philip. 1. 6. multique Sancti, & iuſti cum illo, *deſiderium habuere diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, ſique beatitudo in poſſeſsione Dei conſiſtens, vocetur: *Deſideriorum quies.*

Virtutes autem, quæ ex Diuo Thoma magis conducunt ad huius paſsionis, concupiſcentiarumque eius mortificationem, & emundationem, tam in illicitis, quam etiam in licitis, ſunt in naturalibus circa venerea, caſtitas, & Virginitas, vt docet 2. 2. q. 151. art. 1. & in opuſc. 18. cap. 18. & 19. in quo vltimo aſsignat remedium ſeptuplex caſtitatis contra concupiſcentiam, & luxuriam, ſcilicet macerationem carnis per abſtinentiam, vigilias, & huiuſmodi contemplationem diuinorum, orationem, ſtudium Scripturarum, cogitationes ſanctas, exercitium contra otium, laborem, & anguſtiam; & ſollicitudinem. Circa cibum autem, & potum, abſtinentia, & ſobrietas, ex eodem Diuo Thoma 2. 2. q. 146. art. 1. & q. 149. art. 1. Quemadmodum ad refrenandas, purgandaſque non naturales concupiſcentias diuitiarum, ſeu bonorum temporalium, valet virtus liberalitatis, quæ eſt pars iuſtitiæ, oppoſita auaritiæ, de qua agit Diuus Thomas 2. 2. q. 118. Honorum, ſcientiæ, apparatus exterioris, & ſimilium, virtus humilitatis, quæ eſt pars modeſtiæ, atque adeò temperantiæ, de qua agit Diuus Thomas 2. 2. q. 161. vbi etiam explicat, conuenienter diſtingui ſecundum Diuum Benedictum duodecim gradus humilitatis; Virtus ſtudioſitatis, quæ pariter eſt pars temperantiæ potentialis, habens pro materia cognitionem; nam temperat, ſeu moderatur hominis deſiderium: ne ſtudendo velit tranſcendere limites Sanctorum Patrum, id eſt, *non ſapere pluſquam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, Rom. 12. opponiturque vitio curioſitatis, verſantur quoque circa cognitionem intellectiuam, hominemque inficientis ſex modis, ſcilicet Vel ſtudendo ad ſciendum veritatem, vt exindè ſuperbiat: Vel ſtudendo addiſcere aliquid ad peccandum: Vel quando per ſtudium minus vtile retrahitur ab illo, quod ei de neceſſitate incumbit: Vel appetendo per ſtudium cognoſcere veritatem circa creaturas, non referendo hoc ad debitum finem, id eſt, ad cognitionem Dei: Vel, quod omnium peſſimum eſt, & hæreticis familiare, ſtudendo ad cognoſcendum in Sacra Scriptura præſertim, aut alibi aliquid veritatis ſupra proprij ingenij facultatem; de ſe tamen præſumendo quidquid ſibi verum videbitur. Per hunc ſiquidem vltimū modum hominibus paratur via ad facillimè labendum in errores; iuxta illud Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris; & in pluribus operibus Dei ne fueris curioſus. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum; & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Quod etiam curioſitatis vitium poteſt eſſe circa cognitionem ſenſitiuam tripliciter. In quantum ſcilicet cognitio ſenſitiua aliquando Vel non ordinatur ad aliquid vtile: Vel auertit mentem ab aliqua

aliqua vtili cogitatione: Vel ordinatur ad aliquid noxium. De quibus omnibus egit Diuus Thomas 2.2. q. 166. & 167. nec non q. 169. de modeſtia in particulari, ſecundum quod conſiſtit in exteriori apparatu; vbi art. 1. oſtendit circa exteriorem apparatum non poſſe eſſe virtutem, & vitium; niſi ex parte hominis illo vtentis; vel moderatè, vel immoderatè; articulo verò 2. docet, ornatum mulierum non eſſe ſine peccato, niſi ſobrius ſit, & coniugatorum reſpectu virorum ſuorum tantum. Quod & de maribus quoque intelligendũ eſt.

§. IV.

De gaudio, ſeu delectatione, eiuſque diuiſione, cauſis, & effectibus.

Obtento bono concupito, exurgit in animali motus, quo in illo iam adepto, & præſenti quieſcit; vocaturque generaliter hic motus delectatio cunctis animalibus communis, ſpecialiter autem in homine dicitur gaudium, quia rationi ſubditur, ſicut ob eamdem rationem ſupra diximus, concupiſcentiam in homine appellari deſiderium.

Etſi autem hæc paſſio, ſeu motus appetitus ſenſitiui ſpeciale nomen non habeat, quo ab actu ſimplici voluntatis diſtinguatur; ſi quidem tam delectatio, quam gaudium ſimul dicuntur de appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo, vt conſtat ex Scriptura Pſal. 36. *Delectare in Domino*, & Philipp. 4. *Gaudete in Domino ſemper*; non propterea deſinit habere veram rationem paſſionis in appetitu ſenſitiuo, quæque definiri poteſt quod ſit motus eius, vel complacentia in bono ſenſibili delectabili iam adepto, & præſenti, cum aliqua ſenſibili, & corporali immutatione. Dicitur motus, vel complacentia, quia delectatio non eſt per ceſſationem ab omni operatione, ſicut quies in lapide, eo quod res naturales quieſcunt non ſentiendo; animal autem quieſcit, ſeu delectatur ſentiendo id, quo fruitur, & ſic oportet quod ſit quies apprehenſa, & percepta; & complacentia in illa, affectio eſt, & delectatio; ſed quia eſt per modum quietis, importat rem conſtitutam in termino, non in ipſo fluere, & conſtitui, ideoque delectatio formaliter non eſt generatio, vt exiſtimauit Plato (licet de generatione, vt de obiecto dicatur delectatio) ſed eſt quies, cum operatione tamen, ſiue motu animæ, quia ſentitur. Vndè colligitur, quomodo delectatio dicatur eſſe, vel non eſſe in tempore, nam ſecundum ſe, cum ſe habeat per modum quietis, conſtituitur in termino motus, & conſequenter extra tempus, quia tempus numerat motum, non terminum eius. Per accidens autem eſt in tempore, quatenus res ipſa in qua quieſcitur, & delectatur, ſubiacet tempori. Nec refert, quod in definitione dicatur motus animæ, vel appetitus, id enim intelligitur de motu per modum actus perfecti, ſicut viſio, & alij actus immanentes, qui ſunt in inſtanti, non autem de motu per modum actus imperfecti ſubiacentis tempori, quia exit de potentia ſucceſſiuè in actum. Cum autem ſit motus, qui eſt vera paſsio, debet quoque eſſe cum aliqua mutatione corporali, non tamen ſemper corruptiua, ſed aliquando in bonum, & perfectum tendente, vt dicetur infra.

Cæterum delectatio, quæ fit in voluntate, nõ eſt paſſio, ſed ſimplex actus fruitionis, illi correſpondens, qui dicitur gaudium, quod, vt diximus, propriè non attribuitur, niſi ratione vtentibus, ſicut & alia nomina, quæ ratione aliquorum effectuum interiorum, vel exteriorum gaudium ſignificant, vt lætitia, à dilatatione cordis, quaſi lætitia; exultatio, & iucunditas, vel iubilum ab exterioribus ſignis, vel effectibus lætitiæ; iubilum enim eſt animi gaudium ineffabile, quod ore, ſigniſque externis aliquatenus exprimitur, ſed non ſufficienter; ſiue eſt gaudium immenſum; quod animo non poteſt conti-

neri, nec ore ſatis exprimi.

Non deſunt tamen, qui exiſtiment, delectationem voluntatis non eſſe operationem ab eo elicitam, ſed paſſionem in ipſa receptam, & ab obiecto impreſſam, ita quod voluntas merè paſſiuè ſe habeat: quia, inquiunt, non eſt in eius poteſtate, non tangi ab obiecto, & lætari de bono, aut triſtari de malo: imo triſtitia accidit nobis nolentibus, & multo minus volentibus; & ſic iſtæ paſſiones, nec ſunt velle, quia triſtia non volumus; nec nolle, quia datur nolle ſine triſtitia, vt in beatis in Deo. Solet attribui hæc ſententia Scoto in 3. diſt. 15.

Verior tamen & communior eſt oppoſita, ſcilicet non dari talem paſſionē in voluntate per meram receptionem, & impreſſionem ab obiecto; ſi quidem omnis eius motus, ſiue ſit delectatio, ſiue ſit triſtitia, vitalis motus eſt, eo quod vigilante voluntate, & apprehendente intellectu fiat. Apprehenſio autem non tangit voluntatem tanquam appetitum naturalem, ſed tanquam elicitum, & vitalem; qui vt diximus ſupra diſtinguitur ab appetitu naturali, quod ille, non autem iſte, apprehenſione regulatur. Igitur cum omnis delectatio, eique contraria triſtitia, imprimatur mediante obiecto apprehenſo, conſequenter exercetur mediante actu elicito, & vitali, atque adeò non purè paſſiuè ſe habendo, ſed verè eliciendo, & operando. Et licet triſtitia accedat nobis nolentibus, non tamen nobis non elicientibus, quia ipſum nolle elicientia eſt, qua refutatur, & fugitur ab ipſo obiecto, fugere autem actus eſt. Dum ergo obijcitur, nec eſſe velle, nec nolle concedendum eſt, non eſſe quidem velle, aut nolle per modum amoris, vel odij; negandum autem abſolutè, ſeu per modum fruitionis, vt triſtitiæ, vel fugæ. Velle enim multis modis fit, aliquando amando, deſiderando, fruendo, & oppoſito modo nolle per modū odij, vel triſtitiæ, quod totum fuga eſt; ſiue quod idem eſt; appetitus elicitus fertur circa ſua obiecta, vel motu conuerſiuo, vel motu auerſiuo. Quod autem non ſit ſemper in manu noſtra non triſtari, non ideo eſt, quia talis motus à nobis non eliciatur, ſed quia iſtud nolle non ſemper fit cum plena aduertentia, ſed aliquando per ſubitum motum, impoſſibile enim eſt, quin illis tangamur. Beati verò habent nolle, ſed non triſtitiam, quia illud quod nolunt, non eſt eis nociuum, aut diſconueniens, atque adeo ſine vlla anxietate refutatur.

Delectationes, ſicut & concupiſcentiæ, ſi ſumantur prout abſtrahunt ab appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo, diuidi poſſunt in naturales, & non naturales, quarum primæ, pertinentes ad conſeruationem corporis, ita ſunt nobis, & brutis communes, vt non naturales ſint propriæ tantùm hominis. Quamuis ſi naturalis ſumatur pro eo, quod eſt proprium ſpeciei humanæ, ſic intellectuales delectationes dici etiā poſſunt naturales; non tamen ſi ſumatur pro eo, quod eſt commune nobis, & brutis ſecundum, quod diuiditur contra rationem. Vndè etiam huiuſmodi delectationes aliæ ſunt ſpirituales, aliæ corporales, quæ ſi conferantur ad inuicem, certum eſt, quod ſpirituales ſecundum ſe excedunt corporales, verùm quoad nos vehementius mouent corporales; & inter illas delectationes tactus, loquendo in linea corporali; vt enim deſeruiunt ſenſus intellectui, eique miniſtrant, potiores ſunt delectationes viſus.

Quod attinet ad delectationis cauſas, plures adducit D. Thomas 1. 2. qu. 32. in quibus diſtinguenda eſt ratio formalis per quam, vel ratione cuius ſolet aliquid cauſare delectationem; tum cauſa materialis, ſeu materia, ex qua ſumitur delectatio ſiue directè, & per ſe, ſiue indirectè, & per accidens. Ratio formalis delectandi eſt illa, in qua concurrunt duæ conditiones, quibus delectatio fit, ſcilicet coniunctio, ſeu præſentia, & poſſeſſio boni amati, ſeu

aliqua vtili cogitatione: Vel ordinatur ad aliquid noxium. De quibus omnibus agit Diuus Thomas 2.2. q. 166. & 167. nec non q. 169. de modeſtia in particulari, ſecundum quod conſiſtit in exteriori apparatu; vbi art. 1. oſtendit circa exteriorem apparatum non poſſe eſſe virtutem, & vitium; niſi ex parte hominis illo vtentis; vel moderatè, vel immoderatè; articulo verò 2. docet, ornatum mulierum non eſſe ſine peccato, niſi ſobrius ſit, & coniugatorum reſpectu virorum ſuorum tantum. Quod & de maribus quoque intelligendũ eſt.

§. I V.

De gaudio, ſeu delectatione, eiuſque diuiſione, cauſis, & effectibus.

Obtento bono concupito, exurgit in animali motus, quo in illo iam adepto, & præſenti quieſcit; vocaturque generaliter hic motus delectatio cunctis animalibus communis, ſpecialiter autem in homine dicitur gaudium, quia rationi ſubditur, ſicut ob eamdem rationem ſupra diximus, concupiſcentiam in homine appellari deſiderium.

Etſi autem hæc paſſio, ſeu motus appetitus ſenſitiui ſpeciale nomen non habeat, quo ab actu ſimplici voluntatis diſtinguatur; ſi quidem tam delectatio, quam gaudium ſimul dicuntur de appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo, vt conſtat ex Scriptura Pſal. 36. *Delectare in Domino*, & Philipp. 4. *Gaudete in Domino ſemper*; non propterea deſinit habere veram rationem paſſionis in appetitu ſenſitiuo, quæque definiri poteſt quod ſit motus eius, vel complacentia in bono ſenſibili delectabili iam adepto, & præſenti, cum aliqua ſenſibili, & corporali immutatione. Dicitur motus, vel complacentia, quia delectatio non eſt per ceſſationem ab omni operatione, ſicut quies in lapide, eo quod res naturales quieſcunt non ſentiendo; animal autem quieſcit, ſeu delectatur ſentiendo id, quo fruitur, & ſic oportet quod ſit quies apprehenſa, & percepta; & complacentia in illa, affectio eſt, & delectatio; ſed quia eſt per modum quietis, importat rem conſtitutam in termino, non in ipſo fluere, & conſtitui, ideoque delectatio formaliter non eſt generatio, vt exiſtimauit Plato (licet de generatione, vt de obiecto detur delectatio) ſed eſt quies, cum operatione tamen, ſiue motu animæ, quia ſentitur. Vnde colligitur, quomodo delectatio dicatur eſſe, vel non eſſe in tempore, nam ſecundum ſe, cum ſe habeat per modum quietis, conſtituitur in termino motus, & conſequenter extra tempus, quia tempus numerat motum, non terminum eius. Per accidens autem eſt in tempore, quatenus res ipſa in qua quieſcitur, & delectatur, ſubiacet tempori. Nec refert, quod in definitione dicatur motus animæ, vel appetitus, id enim intelligitur de motu per modum actus perfecti, ſicut viſio, & alij actus immanentes, qui ſunt in inſtanti, non autem de motu per modum actus imperfecti ſubiacentis tempori, quia exit de potentia ſucceſſiuè in actum. Cum autem ſit motus, qui eſt vera paſsio, debet quoque eſſe cum aliqua mutatione corporali, non tamen ſemper corruptiua, ſed aliquando in bonum, & perfectum tendente, vt dicetur infra.

Cæterum delectatio, quæ ſit in voluntate, nõ eſt paſſio, ſed ſimplex actus fruitionis, illi correſpondens, qui dicitur gaudium, quod, vt diximus, propriè non attribuitur, niſi ratione vtentibus, ſicut & alia nomina, quæ ratione aliquorum effectuum interiorum, vel exteriorum gaudium ſignificant, vt lætitia, à dilatatione cordis, quaſi lætitia i exultatio, & iucunditas, vel iubilum ab exterioribus ſignis, vel effectibus lætitiæ; iubilum enim eſt animi gaudium ineffabile, quod ore, ſignisque externis aliquatenus exprimitur, ſed non ſufficienter; ſiue eſt gaudium immenſum, quod animo non poteſt conti-

neri,

neri, nec ore ſatis exprimi.

Non deſunt tamen, qui exiſtiment, delectationem voluntatis non eſſe operationem ab eo elicitam, ſed paſſionem in ipſa receptam, & ab obiecto impreſſam, ita quod voluntas merè paſſiuè ſe habeat: quia, inquiunt, non eſt in eius poteſtate non tangi ab obiecto, & lætari de bono, aut triſtari de malo: imo triſtitia accidit nobis nolentibus, & multo minus volentibus; & ſic iſtæ paſſiones, nec ſunt velle, quia triſtia non volumus; nec nolle, quia datur nolle ſine triſtitia, vt in beatis in Deo. Solet attribui hæc ſententia Scoto in 3. diſt. 15.

Verior tamen & communior eſt oppoſita, ſcilicet non dari talem paſſionẽ in voluntate per meram receptionem, & impreſſionem ab obiecto; ſi quidem omnis eius motus, ſiue ſit delectatio, ſiue ſit triſtitia, vitalis motus eſt, eo quod vigilante voluntate, & apprehendente intellectu fiat. Apprehenſio autem non tangit voluntatem tanquam appetitum naturalem, ſed tanquam elicitum, & vitalem; qui vt diximus ſupra diſtinguitur ab appetitu naturali, quod ille, non autem iſte, apprehenſione regulatur. Igitur cum omnis delectatio, eique contraria triſtitia, imprimatur mediante obiecto apprehenſo, conſequenter exercetur mediante actu elicito, & vitali; atque adeò non purè paſſiuè ſe habendo, ſed verè eliciendo, & operando. Et licet triſtitia accedat nobis nolentibus, non tamen nobis non elicientibus, quia ipſum nolle elicientia eſt, qua refutatur, & fugitur ab ipſo obiecto, fugere autem actus eſt. Dum ergo obijcitur, nec eſſe velle, nec nolle concedendum eſt, non eſſe quidem velle, aut nolle per modum amoris, vel odij; negandum autem abſolutè, ſeu per modum fruitionis, vt triſtitiæ, vel fugæ. Velle enim multis modis fit, aliquando amando, deſiderando, fruendo, & oppoſito modo nolle per modũ odij, vel triſtitiæ, quod totum fuga eſt; ſiue quod idem eſt; appetitus elicitus fertur circa ſua obiecta, vel motu conuerſiuo, vel motu auerſiuo. Quod autem non ſit ſemper in manu noſtra non triſtari, non ideo eſt, quia talis motus à nobis non eliciatur, ſed quia iſtud nolle non ſemper fit cum plena aduertentia, ſed aliquando per ſubitum motum, impoſſibile enim eſt, quin viſis tangamur. Beati verò habent nolle, ſed non triſtitiam, quia illud quod nolunt, non eſt eis nociuum, aut diſconueniens, atque adeo ſine vlla anxietate refutatur.

Delectationes, ſicut & concupiſcentiæ, ſi ſumantur prout abſtrahunt ab appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo, diuidi poſſunt in naturales, & non naturales, quarum primæ, pertinentes ad conſeruationem corporis, ita ſunt nobis, & brutis communes, vt non naturales ſint propriæ tantùm hominis. Quamuis ſi naturalis ſumatur pro eo, quod eſt proprium ſpeciei humanæ, ſic intellectuales delectationes dici etiã poſſunt naturales; non tamen ſi ſumatur pro eo, quod eſt commune nobis, & brutis ſecundum, quod diuiditur contra rationem. Vndè etiam huiuſmodi delectationes aliæ ſunt ſpirituales, aliæ corporales, quæ ſi conferantur ad inuicem, certum eſt, quod ſpirituales ſecundum ſe excedunt corporales, verùm quoad nos vehementius mouent corporales; & inter illas delectationes tactus, loquendo in linea corporali; vt enim deſeruiunt ſenſus intellectui, eique miniſtrant, potiores ſunt delectationes viſus.

Quod attinet ad delectationis cauſas, plures adducit D.Thomas 1.2. qu. 32. in quibus diſtinguenda eſt ratio formalis per quam, vel ratione cuius ſolet aliquid cauſare delectationem; tum cauſa materialis, ſeu materia, ex qua ſumitur delectatio ſiue directè, & per ſe, ſiue indirectè, & per accidens. Ratio formalis delectandi eſt illa, in qua concurrunt duæ conditiones, quibus delectatio fit, ſcilicet coniunctio, ſeu præſentia, & poſſeſio boni amati, ſeu

ſeu conuenientis, & eius cognitio. Cum enim delectatio formaliter loquendo oriatur ex bono coniuncto, ſeu præſenti, & cognitione eius, quieſcit enim delectatio in bono præſenti, quod ſentit; quæ iuuant, vel ad præſentiam, & coniunctionem boni conuenientis, aut remotionem impedientis mali, vel ad apprehenſionem talis præſentiæ, & coniunctionis, pertinent ad cauſam formalem delectationis. Ex parte autem cauſæ materialis, Diuus Thomas octo enumerat, quæ delectationem cauſant, videlicet, *Motus, Spes, Memoria, Triſtitia, Actiones aliorum, Benefacere alijs, Similitudo, Admiratio*. Quę in tantum ſunt materia, & cauſa delectationis, in quantum ſunt cauſa, vel maioris cognitionis, vel maioris coniunctionis cum bono, aliqua quidem per ſe, alia per accidens, ſeu per aliud, vt explicat Diuus Thomas. Aduertendum eſt autem ita amorem, & deſiderium præcedere ordine executionis paſsionem, vel affectum gaudij, & delectationis, vt tamen hæc ſit prima ordine intentionis, cum cæteræ paſsiones ad hoc tendant, vt appetitus in bono adepto quieſcat, & illo ſuauiter fruatur.

Quoad effectus, idem Sanctus Doctor ait, quod delectationes propriæ hominis, & moderatæ cauſant tres; ſcilicet *dilatare cor*, tam propter conſecutionem boni, quod aduenit, & perficit, & ſic addendo bonum magnificat apprehendentem; tum propter quietationem appetitus, qui hoc ipſo non conſtringitur, quia quieſcit. *Perficere operationem*, quia ex tali delectatione augetur inclinatio, vbi autem maior eſt inclinatio, eſt quoque vehementior operatio. *Cauſare ſitim, & deſiderium ſui*, tum *propriè* in delectationibus corporalibus, quæ cum per ſucceſsionem acquirantur, dum aliquid de illis habetur, reliquum, quod reſtat, deſideratur, & ſimiliter delectatio pro vt in intentione, ſeu memoria, & non in actu, agit deſiderium ſui. Tum *impropriè*, ſumendo ſitim, & deſiderium pro excluſione faſtidij, qua ratione etiam ipſæ delectationes ſpirituales, & perfectæ cauſant ſui ſitim, quia excludunt faſtidium, ſicut dicitur 1. Petri 1. Quod in Spiritum Sanctum *deſiderant Angeli proſpicere*: corporales verò delectationes cum habitæ ſunt, faſtidiunt. Extraneæ autem, & ſuperexcedentes delectationes habent etiam alium effectum, ſcilicet *impedire vſum rationis*, propter contrarietatem ad ipſam, quæ conſiſtit in moderantia proportionata, & eleuatione, ſeu abſtractione à corporalibus; delectationes autem corporales, & excedentes ligant rationem, & abſorbent ad ſe.

Cum de delectationibus, quoad rationem bonitatis, vel malitiæ, eodem modo ſit diſcurrendum, ac de pręcedētibus paſſionibus, vel affectibus, ita quoque de illarum purgatione, & remedijs; ſi enim ſint ex obiecto illicitæ nedum grauiter, ſed & venialiter ſolùm ſunt omninò reijciendæ, animæque ad perfectionem tendenti, mors potius eligenda quam in illis morari; & eodem modo ſentiendum eſt de illis, ſi ferantur in licita, ſed modo illicito, aut indebito. Si autem ſint licitæ tam ex obiecto, quia bonum, vtpotè rectæ rationi conforme; quam ex modo etiam tendendi, quia moderatus eſt, & ordinatus; cum tamen huiuſmodi delectationes plerumque non ſint neceſſariæ, veri perfectionis Chriſtianæ amantes debent ab illis, quantum poſſunt abſtinere, & in ſolo Deo ſuam delectationem collocare iuxta illud Prophetæ Habac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo*. Et vt ait Diuus Auguſtinus lib. 2. de verbis Domini ſerm. 14. *Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in ſæculo: gaudium in Domino ſemper augeatur, gaudium in ſæculo ſemper minuatur, donec finiatur*. Etſi enim moderatus delectationum licitarum vſus, non ſit malus, aut de ſe illicitus, quia tamen facile illis abutimur, V. g. in ſumendo

cibo,

cibo, & potu, quod pertinet ad delectationem corporalem, vt ob eam ſumantur, aut in ſtudendo, quod pertinet ad delectationem ſpiritualem, cui ſe admiſcet curioſitas, vanaque gloria, tutius eſt ab illis, vbi neceſſitatæ non ſunt maiori ſaltem ex parte, ſi non ſemper, ſe continere. De prima ait Diuus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 14. & idem de alijs proportionaliter dicendum eſt; *Cum ſalus ſit cauſa edendi, ac bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere, vel dico, vel volo*. De ſecunda autem ibidem lib. 5. cap. 4 *Infelix homo, qui iſta ſcit omnia, te autem neſcit: Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat: Qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt*. Tantum Auguſtinus de humana ſcientia. Cui conſonat Diuus Bernardus in Cant. vbi de eadem, quantumuis ex ſe bona ait: *Sunt qui ſcire volunt tantum, vt ſciant: & turpis curioſitas eſt. Sunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant: & turpis quæſtus eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt*. Adeò verum eſt, res etiam meliores in malum vſum degenerare. Cæterum, vt ſubiungit, Qui ſcire volunt, vt ædificent, charitas eſt: Et qui ſcire volunt, vt ædificentur prudentia eſt.

Quia igitur malus delectationis vſus, ſiue abuſus, tot inter à peccato inuentos, tam ex parte obiecti, quàm ex parte modi in illud tendendi, in quatuor potiſſimum conſiſtit, ſi nimirum in voluptatibus, in honoribus, in ſcientijs, & diuitijs collocetur, debet ad bonum vſum reduci, tantiſque malis mederi per virtutes illis oppoſitas, ſicut diximus de concupiſcentijs; omnis enim virtus, quæ circa materiam ſibi propriam medium in illa conſtituit, non poteſt non eſſe efficaciſſimum, & opportuniſſimum vitijs oppoſitis remedium, tam vt purgentur, quàm vt deinceps caueantur.

§. V.

De fuga, ſeu abominatione, eiuſque diuiſione cauſis, & effectibus.

Ex odio mali conſurgit fuga ipſius, quæ in appetitu ſenſitiuo eſt paſſio, in homine autem propter rationem cui coniungitur, vocatur abominatio. Opponitur concupiſcentiæ, vel deſiderio, ſicut diximus odium opponi amori, eique in ſua contrarietatis oppoſitione correſpondet. Vnde ſic definiri poteſt, quod ſit actus appetitus ſenſitiui malum ſenſibile abſens auerſantis, & ab eo reſilientis, cum quadam ſenſibili, & corporali immutatione; ſiue quidam receſſus à malo ſenſibili abſenti diſſono; aut motus retentionis, quo appetitus animalis ab illo, tanquam à nociuo recedit. In communi pro vt abſtrahit tam ab appetitu ſenſitiuo, quam rationali, in quo non eſt vera paſsio, definiri quoque poteſt, quod ſit actus appetitus vt ſic, malum abſens auerſantis, arcentiſque, ne appropinquet, & præſens fiat.

Hic motus in animali cauſatur tàm ex odio, ad quod ſubſequitur, quàm ex obiecto, quod auerſatur. Quemadmodum enim amor, quia reſpicit bonũ per modum conuerſionis, excitat in appetitu animali deſiderium, aut concupiſcentiam, tanquam motum, quo ad bonum conueniens accedit, vt illud adipiſcatur, & poſsideat; ſic odium, quia reſpicit malum per modum auerſionis, excitat in eodem appetitu fugam, aut abominationem, tanquam motum, quo à malo diſconuenienti recedit, vt illud euitet.

Inde quoque poteſt diuidi iuxta diuerſitatem mali odio habiti, quodque conſequenter appetitus fugit, & abominatur, nec non etiam concupiſcentiæ, per correſpondentiam, quam habet cum illa in ſua contrarietatis oppoſitione.

Huic pariter motui debet attribui tan-

tanquam effectus, exterior executio, qua quis recedit à malo imminenti, ne tandem caſu ipſius opprimatur: ſicut ex motu deſiderij, qui reperitur in appetitu animali, ſequitur exterior executio, qua quis tendit ad bonum deſideratum.

Quod pertinet ad huius motus moralitatem in ratione boni, vel mali vſus, cum ſequatur ad morum odij, inde eſt, quod ſimili ferè modo debet dirigi. Quia igitur duo inter quæ vocantur mala, & fugiuntur vt talia, nimirum culpa, & pœna; ſola culpa, aut peccatum eiſque annexa, ſunt verum duntaxat malum, ſic illa quoque debemus tantùm abſolutè, & ſimpliciter fugere; maluſque proindè huius paſsionis vſus in eo potiſsimum conſiſtit, ſi plus pœna, quam culpa, vt ſæpè contingit, fugiatur; vt rectè ait Diuus Gregorius: *Hominis flagella ſua dolent, peccata non dolent, propter quæ flagellantur.* Bonus autem vſus communis omnibus iuſtis in eo poſitus eſt, vt quodcumque malum pœnæ præeligant, quantumuis minimo culpæ malo, ſed inſuper veri perfectionis Chriſtianæ amatores, quæ de illa minus ſolliciti non ita cautè fugiunt peccandi pericula, & occaſiones, & ideò ſæpè in illis pereunt, totis viribus euitare conantur, maximè autem in materia puritatis; vt enim ait Diuus Auguſtinus lib. de honeſt. mulier. cap. 2. *Inter omnia Chriſtianorum pia certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria. Grauem caſtitas ſortita eſt inimicum: cui ſemper reſiſtitur, & ſemper timetur. Nemo ergo ſe falſa ſecuritate decipiat; nec de ſuis viribus periculosè præſumat, nec cum mulieribus habitans, putet continentia obtinere triumphum.*

Quæ demum à maiori etiam Chriſtianorum parte fugiuntur animi, corporiſque pœnalitates, quales ſunt omnes corporeæ auſteritates, deſpectus, opprobria, perſecutiones, idque genus alia, viri ad perfectionem tendentes, tanquam veri Chriſti diſcipuli, & imitatores, non ſolum libenter amplectuntur, ſed & anxiè quærunt, dicentes cum Apoſtolo ad Galatas 2. *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Vt enim ait Ambroſius, *Configitur cruci, qui æmulus veſtigiorum eius, nulla mundi concupiſcentia capitur, Deo viuens, mortuus videtur.* Vel vt interpretatur Chryſoſtomus loquens de Apoſtolo, *Quoniam ſeipſum Chriſto Domino, ac cruci præbuerat, cunctaque reiecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, ideo non dicit, viuo Chriſto, ſed quod longe maius eſt, viuit in me Chriſtus.* Qui enim non agit quæ mundi ſunt, mortuus eſt mundo, & viuit in eo Chriſtus: non quod naturam humanam perdat, ſed in Chriſtum transformatus, ſimilitudinem quamdam ſanctitatis eius induat.

§. VI.

De dolore, ſeu triſtitia, eiuſque diuiſione, cauſis, & effectibus.

QVod delectatio, & gaudium ſunt reſpectu boni, idem quoque ſunt dolor, & triſtitia reſpectu mali; delectamur enim, & gaudemus de bono conuenienti nobis coniuncto; dolemus autem, & triſtamur de malo illato. Vndè, cum ad potentiam, ad quam ſpectat frui bono, pertineat quoque refugere malum, quia contraria vt talia ſunt circa idem, quemadmodum delectatio reperitur in appetitu ſenſitiuo, & ibi habet mutationem corporalem coniunctam, ideoque paſſio eſt; ita quoque in eodem appetitu inuenitur dolor, ibique rationem paſsionis habet magis, quam delectatio, quia eſt paſsio immutans, & trahens in defectum. Attamè ſicut delectatio translata ad voluntatem dicitur gaudium, eſtque ſimplex actus voluntatis erga bonum poſſeſſum, ſine tranſmutatione corporali, ita dolor dicitur paſsio circa malum coniunctum in appetitu ſenſitiuo

ſitiuo, & triſtitia eſt affectio in voluntate circa malum ſibi illatum.

Igitur dolor ſumptus pro paſsione propriè dicta definiri poteſt, quod ſit actus appetitus ſenſitiui, malum ſenſibile præſens auerſantis, & ſub eo fatiſcentis, cum aliqua ſenſibili, & corporali immutatione; vel quod ſit paſsio appetitus ſenſitiui, conſequens apprehenſionem imaginationis obiecti diſconuenientis præſentis. Si autem ſumatur, pro vt plerumque ſumitur, & confunditur cum triſtitia ad appetitũ rationalem pertinente, definiri poteſt huiuſmodi triſtitia, quod ſit actus appetitus rationalis, malum præſens auerſantis, & ſub eo ſuccumbentis; ſiue quod ſit affectio voluntatis conſequẽs apprehenſionem intellectus obiecti diſconuenientis præſentis. Vnde patet, quod delectatio, & dolor, gaudium, & triſtitia ſibi ſint contraria, quia verſantur circa obiecta etiam contraria in eodem, ſcilicet circa bonum, & malũ, conueniens, & diſconueniens. Si enim non ſint de eodem, ſed de diuerſis, ſic non contrariantur, ſed ſimul eſſe poſſunt, gaudente aliquo de Deo, & dolente de peccato. Quod verò triſtitia aliqua poſsit interdum eſſe cauſa gaudij non tollit contrarietatem, quæ ſolum eſt cauſa per accidens; ſeu occaſionaliter, ſicut in naturalibus vnum contrarium intendit aliud per antiperiſtaſim.

Sicut diximus ſupra de amore, & odio, quod amor eſt fortior odio, quia quæ ſunt circa bonum fortiora ſunt, quam quæ circa malum, cum ex adhæſione ad bonum repellamus malum nec agat malum per ſe, ſed in vi alicuius boni: ita etiam fortius delectationes inſectamur, quam fugimus triſtitias, quia vt cõſequamur illas, fugimus iſtas. Similiter, vt principalior eſt delectatio ſpiritualis, & in volũtate exiſtẽs, quam quæ in appetitu ſenſitiuo, quia perfectiores cauſas habet tum ex parte apprehenſionis regulantis, tum ex parte boni apprehenſi; ſic interior voluntatis triſtitia, maior eſt omni dolore ſenſibili, propter perfectiores cauſas interioris triſtitiæ. Cuius eſt ſignũ, vel argumentum, quod aliquis eligit pati ſenſibilem dolorem, ad euitandam interiorem triſtitiam circa honorem, vel intelligentiam.

Quatuor ſolent aſsignari ſpecies triſtitiæ, ſcilicet, *Accidia*, *Anxietas*, *Miſericordia*, & *Inuidia*; quæ tamen non ſunt ſpecies eſſentiales, aut propriæ eius, ſed veluti accidentales, & materiales, quatenus ſumuntur ex aliqua extrinſeca materia, cui diuerſimodè applicatur fuga, ſeu triſtitia appetitus, aut ex diuerſis effectibus, quos cauſat. Etenim obiectum proprium, & per ſe triſtitiç eſt malum proprium triſtantis, malum autem extraneum reputatum, vt proprium, diuerſimodè cauſat triſtitiam; ſi enim eſt malum in alio, & mouet ad compaſsionem vt ſubleuetur, eſt *Miſericordia*; ſi verò non eſt malum in altero, ſed bonum quod in ipſo eſt reputatur, vt malum proprium, ſic eſt *Inuidia*, ſub qua continetur *Zelus*, de excellentia aliena, & *Nemeſis*, quæ triſtatur de proſperitate malorũ, ſeu de bono proximi, tanquam illo indigni; ſicut etiam *æmulatio* eſt triſtitia de proximi bono, tanquam proprij boni priuatione; quia ſcilicet æmulus nõ habet eiuſmodi bonum. Ex parte autem effectuum ſumitur *Anxietas*, & *Accidia*, *Anxietas* enim, ſeu *Anguſtia*, eſt aggrauatio animi, quæ nullum relinquit effugium. *Accidia* verò, quando aggrauatio iſta peruenit vſque ad mẽbra exteriora, & ponit in eis quaſi torporem, aut ſtupotem, præſertim vocẽ impediendo. Pœnitentia autem etiam triſtitia eſt, ſed cum ſit de proprio malo, non de extraneo, non computatur in his ſpeciebus, ſed in eſſentialibus.

Quo ad triſtitiæ cauſas, loquendo de hoc quod ſe habet in illis per modũ rationis formalis; ſicut in delectatione, eſt bonum conueniens coniunctum, &

appre-

apprehenſum, ita formalis cauſa triſtitiæ eſt malum coniunctum, vel bonum amiſſum, licet principalius ſit malum coniunctum, eo quod malum ſeu diſconueniens, licet in re ſit priuatio boni, apprehenditur tamen in ratione, vt contrarium, ratione diſconuenientiæ, proptereaque induit rationem obiecti, quaſi formæ tollentis formam conuenientem, & ponentis diſtinctionem; amiſſio autem boni conſideratur vt corruptio illius conſecuta ad hanc formam. Et ideò licet vtrumque concipiatur in mente ad inſtar entis, tamē diuerſimodè, illud vt forma, hoc vt corruptio. Loquendo autem de ratione materiali; licet tot ſint doloris materiæ, vel obiecta materialia, quot mala diſconuenientia ſubiecto, tamen generaliter ad tria genera reducuntur. Per ſe enim, & directè eſt cauſa triſtitiæ, poteſtas cui reſiſti non poteſt in inferendo malum; ſiquidem triſtitia cauſatur ex adhæſione, & coniunctione mali contra inclinationem appetitus. Per accidens autem cauſatur triſtitia ex concupiſcentia, ſeu deſiderio, & ex appetitu vnitatis, quatenus natura diſſolutionem ſuarum partium, vel perfectionum abhorret.

Effectus veluti generalis triſtitiæ eſt, quod ſit maximè impeditiua operationum, præſertim ſi ſit nimia, cum enim cauſetur triſtitia ex coniunctione mali, ſeu diſconuenientis, non relinquit facultatem expeditam ad ſuas actiones, quia remanet diſconuenienter diſpoſita. Et quia actiones oriuntur à voluntate, & appetitu, ſi ex malo adiuncto eſt inconuenienter diſpoſitus, non poſſunt conuenienter oriri operationes. Et ſic aggrauatio, ſeu pondus animi eſt effectus triſtitiæ, quatenus conſtringit, & premit cor, ſicut gaudium dilatat. Specialiter autem ex parte animi, & intellectus impedit dolor, ſeu triſtitia hoc quod eſt addiſcere, & quidquid ad ſtudium pertinet, quia hoc maximam attentionem requirit, qua diſtrahitur à dolore, & quandoque abſorbetur, ſi ſit nimius, ita vt non relinquat de alia re cogitare. Ex parte autem corporis iſta paſſio eſt maximè nociua, quia cum oriatur ex malo præſente aggrauante, eius impreſſio eſt fortior, & conſtrictio cordis eſt maior. Ex conſtrictione autem motus cordis directè vita diſſoluitur, quæ in motu cordis conſiſtit. Et ideò dicitur Eccleſiaſtic. 38. *A triſtitia feſtinat mors.* Aliæ verò paſſiones ex ſua ſpecie non ita habent affligere, licet ex aliqua ægritudine adiuncta plus poſſint nocere.

Quantum ad bonitatem, vel malitiam moralem triſtitiæ, certum eſt non omnem triſtititiam eſſe malam moraliter, ſed iuxta obiectum eius, & circumſtantias in ſingulari iudicandum eſt, an ſit mala, vel bona: triſtitia enim moderata per rationem, & circa obiectum honeſtum eſt bona, vt pænitentia, & miſericordia; triſtitia verò immoderata, & circa obiectum prauum eſt mala, vt inuidia, & accidia. Etſi igitur loquendo de naturali, & phyſica malitia, non poſsit dubitari, quin triſtitia ſemper ſit mala; cum enim ſit de malo coniuncto, & ſic appetitus habeat impedimentum quietis in bono, hoc ſemper eſt ipſi malum, ſi quidem eſt priuatio alicuius boni ipſius, nempè delectationis, & quietis. Attamen in ordine morali eſt paſſio indifferens, licet in hoc genere non ſit eorum, quæ omnino indifferentia ſunt, vt leuare feſtucam, & ire in campum; ſed eorū, quæ ſolitariè, & vt ſic conſiderata ſonant malum, poſſunt tamen debitis veſtiri circumſtantijs, & ſic eſſe bonum; ſicut enim occidere hominem ſonat in malum, poteſt tamen bene fieri, ſi à iuſtitia fiat: ſic etiam triſtari ſonat in malum, quia ſupponit malum contriſtans, ſicut verecundia turpe commiſſum: poteſt tamen ſuppoſito hoc malo, bene fieri ab ipſo ſentiente, & ſufferente malum, aut refutante.

Si igitur triſtitia fuerit mala ex parte obiecti, quia ſcilicet apprehenditur vt malum, quod re vera non eſt malū, ſed potius bonum, vt dum quis triſtatur ex priuatione voluptatum illicitarum, ex remotione ab occaſionibus peccandi, ex correctione de commiſſis peccatis, alijſque ſimilibus, omninò reijcienda eſt, conuertendaque in triſtitiam oppoſitam de malo opere, qualis eſt triſtitia de peccatis, & rebus illis annexis, tum proprijs, tum alienis; de qua rectè intelligi poteſt illud Eccleſiaſtici 7. *Cor Sapientum, vbi triſtitia; & cor ſtultorum, vbi lætitia*; nec non, quod ait Chriſtus Dominus Matth. 5. *Beati qui lugent*.

Si verò triſtitia fuerit ſolùm mala, aut immoderata, quoad modum, vt dū in morte parentum, in amiſsione charorum, in iactura bonorum, in paſsione tormentorum, ad quorum præſentiam, aliorumque ſimilium obiectorū, ſæpè licitè, & aliquando laudabiliter ad triſtitiam excitamur, nimium tamen eis damus locum, tunc defectuoſus ille exceſſus moderandus eſt, tum remedijs naturalibus, ne talis triſtitia noceat ſanitati, qualia ſunt ſomnus, & vſus balnei, aliaque fomenta naturæ triſtitiam mitigantia, quatenus alleuiant corpus, & in ſtatum conuenientem reducunt, ex quo oritur delectatio, & vitales motus viuaciores redduntur, nec ita aggrauantur: item fletus, & lachrymæ; tum eiuſdem alicui amico manifeſtatio, indeque orta ipſius compaſsio, quorum omnium reddit rationem Diuus Thomas 1.2. q.38. Tum maximè remedijs ſupernaturalibus, qualia ſunt contemplatio diuinorum, & futuræ beatitudinis. Exemplum Chriſti Domini, quem Iſaias 53. vocat nouiſsimum virorum, & virum dolorum, primò, vt ibi explicat Diuus Thomas, propter doloris acerbitatem. Secundò propter mortis turpitudinem. Tertiò propter impoſitionem criminis. Conſideratio propriæ innocentiæ, ſi quis innocenter patiatur; paſsionem enim doloris minui per innocentiam patientis, ſaltem quantum ad numerū, docet Diuus Thomas 3. p. quæſt. 46. art. 6. ad 5. quia cum nocens patitur, dolet non ſolùm de pœna, ſed etiam de culpa, innocens autem ſolum de pœna; quam etiam non parum mitigat aliquando idem teſtimonium bonæ conſcientiæ. Ac tandem virtus ipſa patientiæ præfatis, aut ſimilibus medijs, aut motiuis vtentis, vt aſſerit idem Sanctus doctor 2.2. qu. 136. art. 1. *Virtutes*, inquit, *morales ordinantur in bonum, in quantum conſeruant bonum rationis contra impetum paſsionum. Inter alias autem paſsiones triſtitia efficax eſt ad impediendum bonum rationis, ſecundum illud 2. Corinth. 7. ſæculi triſtitia mortem operatur. Et Eccleſiaſtici 30. Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Vndè neceſſè eſt habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conſeruatur contra triſtitiam, ne ſcilicet ratio ſuccumbat triſtitiæ. Hoc autem facit patientia. Vnde Auguſtinus dicit in libro de patientia, quod patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, id eſt, ſine perturbatione triſtitiæ, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus*. Et art. 2. ad 1. ait: *Quod patientia dicitur habere opus perfectum in aduerſis tolerandis, ex quibus primò procedit triſtitia, quam moderatur patientia*.

Tandem quia prauus huius paſsionis vſus in duobus maximè conſiſtit. Primò, quod homines plerumque plus de pœnis contriſtentur, quam de peccatis. Secundò, quod ex inuidia triſtentur de proximi bono, tanquam malo proprio, propriæque excellentiæ diminutiuo. Priori opponendus eſt bonus, ac rectus eiuſdem vſus, per doloroſam nimirum de peccatis noſtris pœnitentiam, quæ ſola vera, perfectaque triſtitia eſt; quæque vt ait Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 9. *Cum proſternit hominem, magis releuat: cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cum accuſat, excuſat: cum condemnat abſoluit*.

Poſteriori autem, ſeu inuidiæ de bono proximi triſtanti, opponenda eſt miſericordiæ virtus, qua de malo eiuſdem reputato, vt proprio dolere debemus, indeque moueri ad compaſſionē, vt ſubleuetur. Vt enim ait Diuus Auguſtinus, epiſt. 145. ad Sebaſt. *Bonum eſt dolere de malis aliorum, & pia eſt illa triſtitia, & ſi dici poteſt, beata miſeria.* Cum per opoſitum ex eodem, *Inuidia ſit vitium diabolicum, quo ſolo Diabolus reus eſt: Non enim ei dicitur, vt damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti: villam alienam rapuiſti, ſed homini ſtanti inuidiſti. lib. 1. de doctr. Chriſt.* Et ex Chriſoſtomo in homil. *Inuidia peſtiferum malum hominem in dæmonem conuertit, per eam mors venit in mundū; propter ipſam Abel eſt interemptus, Dauid cadis periculum, & Iudai Chriſtum interfecerunt.* Tandem, *cum mala cætera habeant terminum;* inquit Cyprianus ſerm. de liuore, *inuidia eſt malum iugiter perſeuerans, & ſine fine peccatum; hinc vultus minax, pallor in facie, ſtridor in dentibus, manus ad cędem prompta, etiamſi à gladio interim vacua, odio tamen furiata mentis armata.* Vndè ſatis patet, & ex alijs ſimilibus, quæ congeri poſſent, quanta ſit inter triſtitiam ex miſericordia prouenientem differentia, ab ea, quę ex innidia, quamque conſequenter iſta ſit deteſtanda, & fugienda, illa autem laudanda, & amanda; cuius tamen motum ſeruire rationi monet Diuus Auguſtinus lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 5. *quando ita prabetur, vt iuſtitia conſeruetur, ſiue cum indigenti tribuitur, ſiuè cum ignoſcitur pęnitenti.*

§. VII.

De ſpe, eiuſque cauſis, & effectibus.

ET ſi regulatiuè, aut directiuè ſpes ſupponat vim apprehenſiuam, formaliter tamen pertinet ad appetitiuam, eſtque prima appetitus ſenſitiui iraſcibilis paſſio, verſans circa bonum arduum, futurum, poſſibile adipiſci, quæ ſunt conditiones requiſitæ ad ſpē; vndè poteſt definiri, quod ſit actus, vel motus appetitus ſenſitiui iraſcibilis, tendentis in bonum ſenſibile abſens, ſeu futurum, arduum, poſsibile adipiſci, cum quadam ſenſibili, & corporali immutatione; ſi autem ſumatur ſpes, vt ſe extendit ad voluntatem, in qua nō eſt paſsio, ſed ſimplex eius affectus, vel vt abſtrahit ab vtroque appetitu, ſenſitiuo nimirum iraſcibili, & rationali definiri poteſt, quod ſit actus appetitus, vt ſic tendentis in bonum abſens, ſeu futurum, arduum, poſsibile adipiſci. Dicitur *bonum*, quia ſpes propriè loquendo non eſt niſi de bono; & per hoc differt à timore, qui eſt de malo; *Abſens*, vel *futurum*; quia ſpes non eſt de præſenti iam habito, & per hoc differt à gaudio, bonum præſens, iamque poſſeſſum reſpiciēte: *Arduum*, id eſt cum difficultate aſſequibile; propriè enim loquendo, non dicimur ſperare aliquid minimum, aut quod eſt in noſtra poteſtate, vt ſtatim habeatur, & per hoc diſtinguitur ab amore, & deſiderio, nam amor reſpicit bonum, vt ſic: deſiderium autem, ſeu cupiditas, et ſi, quando eſt efficax reſpiciat illud vt abſens, ſiue futurum, & adipiſci poſsibile, non tamen vt arduum, ſiue aſſequibile, etiam vincendo difficultates, firmandoque appetitum contra illas; ſed huiuſmodi ſpecialis ratio ardui, vel difficulter adipiſcendi eſt propria ſpei; indeque habetur illam non ſolum diſtingui à præfatis paſsionibus, ſed & pertinere ad appetitum iraſcibilem; quia firmari, & conſtans reddi ad aliquid aſſequendum, proprium eſt iraſcibilis, concupiſcibilis enim non firmatur, nec induratur, ſed potius laxatur in amore, quem habet; datur ergo hic ſpecialis affectus appetitus, ſic ſpecialiter tendens cum firmitate in bonū quatenus aſſequibile, etiam vincendo difficultates, qui communiter vocatur ſpes, quæ, vt iam notauimus in appetitu ſenſitiuo eſt paſsio, in voluntate autem ſimplex affectus tendens in bo-

num quatenus aſſequibile cum victoria difficultatum.

Et ſi bruta non apprehendant futurũ formaliter, id eſt, futuritionem ipſam cognoſcendo, quatenus eſt in reſpectu ad præſens, & præteritum; quia tamen cognoſcunt rem abſentem, & futuram, quatenus ſibi ſentiunt non eſſe præſentem, & poſſeſſam, & deſiderant illam, non collatione futuritionis, ſed inſtinctu vtilitatis, vndè videmus illa tendere ad res abſentes,& conari ad prędam & victoriam, quod ſine aliquali ſpe eſſe non poteſt: indè probabilius eſt, eam quoque reperiri in brutis.

Quamuis omnia illa, quæ iuuant,vt bonum illud arduum, quod eſt obiectum ſpei,exiſtimetur futurum,& poſſibile, ita quod reddatur facilis eius conſecutio,referri inter eius cauſas poſſint: *experientia* tamen præ cæteris ad ſpem firmandam multum cõducit duplici via: *Tum*, quia ex diuturna experientia, & multiplicatione negotiorum maior poteſtas acquiritur, & augetur, vt plures diuitiæ, plures amici, quod iuuat ad cõſequendum quod intenditur: *Tum*, quia multiplex experientia, plures notitias parit, vndè etiã poſſunt plures viæ innoteſcere,& aperiri, ad poſſibilitatem, vel aſſequibilitatem rei, eiuſque conſecutionem: licet etiam ex hac parte poſſint aperiri viæ ad cognoſcendum melius impoſſibilitatem rei, & conſequenter ad deſperandum, ratione cuius ſenes nõ ſunt multæ ſpei in negotijs, quia multa experientia facit in eis exiſtimationem de impoſſibili. In iuuenibus autem,& ebrioſis abundat ſpes: *Tum* propter inexperientiam impedimentorum, & difficultatum, vndè facilia omnia arbitrantur: *Tum* propter caliditatem cordis, & multitudinem ſpirituum, vndè dilatatur cor, & de facili audent,& ſperant.

Effectus ſpei ſunt, quod cauſet amorem, & iuuet ad operationem, vt ſcilicet promptius quis operetur. Dicitur autem cauſare amorem non reſpectu boni ſperati, quamuis, & hunc augere poſſit, quia cum ſpe creſcit ardor habendi, & acquirendi, ſed reſpectu eius, à quo ſperat obtinere rem ſperatam; ſpes enim ſupponit deſiderium,& amorem de ipſo bono, quod concupiſcit ſibi, & ſic ſpes ſupponit amorem concupiſcentiæ, cauſat verò amorem amicitiæ reſpectu eius, à quo ſperat illud bonum, quia ab ipſo auxilium habet. Et ſic ſpes in nobis præcedit charitatem. Confert autem ad melius operandum, quia ſpes præmij ſtimulat operantem: *Tum*, quia exiſtimat eſſe poſſibile, & futurum: *Tum*, quia per ſe habet delectationem de appropinquatione ad ipſum, & delectatio confert ad melius operandum. Deſperatio autem in bello cauſat audaciam per accidens, quatenus volunt aliqui mortem ſuam vindicare acrius, ex ſuppoſitione, quod vident ſe ſine remedio.

Quantùm ad moralem huius paſſionis bonitatem,vel malitiam, bonumve, aut malum vſum, eodem modo diſcurrendum eſt, ac de præcedentibus, nec non de eiuſdem purgatione; cum igitur tripliciter mala, vel inordinata eſſe poſſit,primò ex parte obiecti, quãdo nimirum eſt de rebus illicitis, quales ſunt carneæ voluptates, falſæ diuitiæ, vani honores, aliaque id genus. Secundò ex parte modi tendendi, quia, licet res ſperatæ ſint bonæ, aut licitæ, aliquis tamen abſque conſilio, & prudentia iudicans omnia ſibi eſſe poſſibilia, ſperat de bono, aut felici earum euentu, quando foret deſperandum; vndè in eius proſecutione non ſolùm poſtea in vanum laborant, ſed etiam plerumque incurrunt notabile damnũ. Tertiò ex parte medij, quando etiam res licitæ ſperantur inordinato aliquo medio, V.g.nimium confidendo in hominum poteſtate,eo ſenſu quo ſcriptura ait, non eſſe ſpem noſtram in illis collocandam, in quibus non eſt ſalus; aut eum eſſe maledictum, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

ſuum. Cùm, inquam, tribus præfatis modis, ſpes immoderata, inordinataq; eſſe poſſit; quando eſt talis ex parte obiecti, omninò reijci debet, & ad aliud melius conuerti, maximè autem ad bona cæleſtia. Et quamuis aliqua etiam bona terrena, ordinato medio, & modo licitè ſperari poſsint, vbi tamen non ſunt neceſſaria, ab ijs quoque ſatius, perfectiuſque eſt ſpem noſtram auertere. Quando autem eius inordinatio proueniret ex parte modi, vt diximus, tunc eſſet corrigendus, nulluſque alicui bono arduo conſequendo accingere ſe deberet, niſi prius adhibitis pro eius arduitate prudentum conſilijs, aut facta circa illam debita reflexione; ſimiliter ſi inordinatio oriretur ex parte medij, quia nimirum, quæ à ſolo Deo, eiuſque ope ſperanda ſunt, ab hominibus expectaremus; aut etiam, vbi ab iſtis ſperari poſſent, magis principaliter, quam à Deo illa obtinere crederemus; tunc quoque tollenda eſſet, firmiter credendo, omnia bona noſtra, quæcumque ſint illa, aut à ſolo Deo immediatè prouenire, aut nonniſi dependenter, magiſque principaliter, vbi media aliqua creatura vult nos ad illorum conſecutionem peruenire.

Vndè patet, quod cum maiori ex parte malus ſpei vſus conſiſtat in nimia rerum temporalium, ac terrenarum ſollicitudine; de qua ait Seneca epiſt. 101. *Quàm ſtultum eſt ætatem diſponere, ne craſtino quidē dominemur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium: Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt: Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere;* quo ſanè ab homine Chriſtiano nihil magis appoſitè dici poteſt ad illud Chriſti Domini Matth. 6. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi, ſufficit dici malitia ſua*; viri ſpirituales in rebus temporalibus ſibi neceſſarijs debent potiſsimum iactare cogitatum ſuum in Dominum, qui ipſos enutriet; *ſcientes ſe peregrinos in terris agere, inter extraneos facilè inimicos inuenire, genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in cælis habere*, vt ait Tertullianus in Apologet. Et Diuus Auguſt. lib. 3. de Verb. Dom. *Non eſt ſpes noſtra de hoc ſæculo, ab amore huius ſæculi vocati ſumus, vt aliud ſæculum ſperemus.*

Præcipuæ autem virtutes paſsionē ſpei moderantes, purgantes, & ad bonum vſum reducentes, ſunt. *Primo, Spes diuina, quæ*, vt ait Diuus Bernardus ſerm. 37. in Cantica, *non confundit, quia infundit certitudinem, per hanc enim ipſe Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Secundo, patientia*, quæ eſt virtus pertinens ad fortitudinem, qua formatur animus in tolerantia afflictionum, itavt propter illas, & alia quæcumque mala in bono arduo virtutis conſequendo occurrentia, illud non deſerat, nec cōmittat peccatum. *Tertio* virtus ipſa fortitudinis; cum ea non ſolùm cōſiſtat in æquamini perpeſsione, aut tolerantia dictarum afflictionum, quod præſtatur per patientiam, quæ propterea eſt fortitudo inadæquatè concepta; ſed inſuper in repulſione malorum, quod præſtatur per fortitudinem, cuius munus eſt reddere animum conſtantem, & inconcuſſum in repulſa terribilium, iuxta præſcriptum rationis moderando motus animi, ſcilicet timorem mali imminentis, triſtitiam mali præſentis, & audaciam in repellendo malo. *Quarto humilitas*, quæ eſt virtus pertinens ad temperantiam, vt docet Diuus Thomas 2.2. q. 161. art. 1, *Bonum arduum*, inquit, *habet aliquid, vndè attrahit appetitum, ſcilicet ipſam rationem boni, & habet aliquid retrahens, ſcilicet ipſā difficultatem adipiſcendi: Secundum quorum primum inſurgit motus ſpei: & ſecundum aliud motus deſperationis. Dictum eſt autem 1.2. q. 60. art. 4. quod circa motus appetitiuos, qui ſe habent per modū impulſionis, oportet eſſe virtutem moralem moderantem, & refrænantem. Circa illas autem, quæ ſe habent per modum re-*

tracta-

tractationis, & reſilitionis ex parte appetitus, oportet eſſe virtutem moralem firmantem, & impellentem. Et ideò circa appetitum boni ardui neceſſaria eſt duplex virtus: Vna quidem quæ temperet, & refrenet animum, ne immoderatè tendat in excelſa: & hoc pertinet ad virtutem humilitatis. Alia verò, quæ firmet animum contra deſperationem, & impellat ipſum ad proſecutionem magnorum, ſecundum rationem rectam, & hæc eſt magnanimitas. Quæ eſt virtus pertinens ad fortitudinem.

Et ſolutione ad 3. ait, quod *humilitas reprimit appetitum ne tendat in magna præter rationem rectam.* Articulo autem 2. *ad eam præcipuè pertinere, vt aliquis reprimat ſeipſum, ne feratur in ea, quæ ſunt ſupra ſe. Ad quod neceſſarium eſt, vt aliquis cognoſcat id, in quo deficit à proportione eius, quod ſuam virtutem excedit. Et ideo cognitio proprij defectus pertinet ad humilitatem, ſicut regula quædam directiua appetitus; ſed in ipſo appetitu conſiſtit humilitas eſſentialiter.* Et in reſponſ. ad 3. quod *refrenare præſumptionem ſpei pertinet ad humilitatem.* Demum art. 4. docet, *eam eſſe partem temperantiæ, quia omnes virtutes refrenantes, ſiue reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes ponuntur partes temperantiæ, & cum humilitas reprimat motum ſpei, qui eſt motus ſpiritus in magna tendentis, ponitur pars temperantiæ.*

§. VIII.

De deſperatione, eiuſque cauſis, & effectibus.

DEſperatio, vt eſt paſſio propria appetitus ſenſitiui iraſcibilis, definiri poteſt, quod ſit actus eius diffidentis, fugientiſque proſecutionem boni ſenſibilis ardui abſentis, tanquam impoſſibilis adeptu, aut nimis difficilis, & conſequenter apprehenſi ſub ratione incommodi, & mali, cum aliqua ſenſibili, & corporali immutatione: Quæ vltimæ particulæ, nec non aliæ *ſenſibilis*, ſi auferantur, poteſt hæc quoque definitio, vel deſcriptio adaptari affectui voluntatis, huic paſſioni correſpondenti, vel deſperationi, vt ſic, abſtrahenti tam ab hoc affectu, quam ab ipſamet paſsione.

Paſſionem, vel affectum deſperationis contrariari ſpei, patet ex ipſis nominibus; quia tamen eſt fuga, & receſſus ab arduitate, & difficultate boni ſperati, difficultas enim ipſa habet quãdam rationem mali, ſeu diſconuenientis, deſperatio non contrariatur ſpei, quia propriè verſetur circa terminum contrarium, V.g. Spes circa bonum, & deſperatio circa malum, ſicut amor, & odium, cæteræque paſsiones appetitus concupiſcibilis ſibi contrariantur, ſed quia verſatur circa idem bonum contrarijs vijs, ſcilicet ſpes accedendo, deſperatio recedendo, eo quod bonum arduum habet conditiones fundantes aduerſos motus, ſi enim reſpiciatur pro parte boni, allicit, atque adeò ſi ſit magnum bonum ita trahit, quod firmat ad vincendum arduum: ſi verò reſpiciatur pro parte ardui, retrahit; & ſi ſit excellens difficultas, ita retrahit quod repellit, & facit ſuccumbere, & vinci, & ſic eſt deſperatio. Cum igitur in mutationibus duplex inueniatur contrarietas; vna ſecundum acceſſum ad contrarios terminos, qualis eſt tantùm in paſsionibus concupiſcibilis; alia verò per acceſſum, & per receſſum reſpectu eiuſdem termini, hæc propriè reperitur inter ſpem, & deſperationem, cæteraſque paſſiones iraſcibilis. Vnde patet, quod deſperatio non importet ſolam ſpei priuationem, ſed inſuper verum motum poſitiuum, cuiuſdã ſcilicet receſſus à re deſiderata, propter æſtimatam impoſſibilitatem, illam conſequendi.

Huius paſsionis cauſa ex parte obiecti, eſt ipſummet bonum arduum, à quo recedit, ſecundum quod conſideratur, cum impoſsibilitate obtinendi, vndè contrariatur ſpei, ſicut receſſus

acceſſui; ex parte verò ſubiecti eſt deſiderium, quod præſupponit, ſicut & ſpes; de eo enim, quod ſub deſiderio noſtro non cadit, neque ſpem, neque deſperationem habemus; & propter hoc etiam vtrumque eorum eſt de bono, quod ſub deſiderio cadit.

Quo ad eius effectus ſunt boni, vel mali phyſicè immutando corpus, & moraliter inficiendo animam, ſecundū quod ipſa eſt moderata, vel immoderata, bona, vel mala moraliter. Inter malos eius effectus potiſsimum debet recenſeri, quod multi huius paſsionis grauitate oppreſsi, & deiecti leguntur ſibi violentas iniecíſſe manus.

Et ſi hoc nomen deſperatio ſonet malè, & propterea ſoleat in malam ſumi partem, nihilominus non eſt ſemper mala moraliter, ſiſtendo præcisè intra limites moralitatis purè naturalis. Igitur inter duo extrema, primum eorum, qui deſperationem aſſerunt, ſemper bonam eſſe, & nunquam malā, etiam homines ad proprium ſui homicidium præcipitantem; imò ita extollunt, vt nihil magis, quam illam hominibus perſuadere videantur; quodque miſeri præ illa violentas ſibi manus inijcere vereri non debeant; vt patet ex Seneca de Prou. cap. 2. vbi laudans Catonem Vticenſem, quod Cæſaris dominationem ferre non potens, cum prius æquanimiter illam Pompei toleraſſet, indeque in deſperationem coniectus, ſibi ipſi mortem intulerit, eo vſque deuenit, vt fingere non dubitarit, omnes Deos ad tantum accurriſſe ſpectaculum, ſuaque præſentia hanc Philoſophi Stoici deſperationem honorare voluiſſe: *Liquet mihi*, ait Seneca loco citato, *cum magno ſpectaſſe gaudio Deos, cum vir ille acerrimus ſui vindex gladium ſacro pectori infigit, cum viſcera ſpargit, & animam manu educit.* Inter hos inquam, extremum, & aliud eorum, qui exiſtimant nunquam eſſe licitam, ſed ſemper malam deſperationis paſsionem, media incedendū eſt via, dicendumque, illam quidem eſſe malam, quando eſt immoderata, vel ex parte obiecti; deſperante v.g. aliquo de adeptione boni tantum apparentis, & non veri, imo quod eſt verum malum, vt ſunt vani honores mūdi, carnis voluptates, aliaque ſimilia, & inde triſtitiam concipiente; vel ex parte medij, vt quando quis ex puſillanimitate deſperat de aliquo vero bono arduo adipiſcendo, etiā per media eius conſecutioni proportionata, & aliqualiter in eius poteſtate poſita, ideoque relinquit proſecutionem boni.

Cæterum quando deſperatio prouenit ex ſolo ſuperexceſſu boni, cuius adeptioni vires iudicantur impares, nō ſolum eſt bona, & licita, verum etiam laudabilis; cum enim humanæ vires limitatæ ſint, ac finitæ, maiorque pars rerum ab hominibus ſuſceptarum impoſsibilis, deſperatio, magis prudens, quam animoſa, non poteſt non laudabiliter eos retrahere, à ſuſcipiendis, aut proſequendis multis rebus, ad quas plerumque ſpes, & audacia temeratio quodam ardore homines incitare ſolet, deficientibus medijs ad illarum conſecutionem, vel neceſſarijs, vel proportionatis. Igitur moderatio huius paſsionis, vel affectus, in hoc conſiſtit ex parte obiecti, quod recedat non ſolum à bono arduo apparenti, ſed & à vero, ſi ſit adeptu impoſsibile, vel non neceſſarium, minimè autem ab iſto, ſi ſit poſsibile, ſimulque neceſſarium; ex parte autem medij, quod recedat ab illis, quæ tali bono proſequendo ſunt inutilia, vel improportionata, minimè autem ab illis, quę etſi aliquam habeant difficultatem, ad illud tamen conſequendum, ſiue ſit bonum vtile, ſiue honeſtum, ſiue delectabile iuuare poſſunt. Quod ad rationē pertinet iudicare, ſique bonum ſit legitimum, & quod iuſtè expeti poſſit, & expectari, nunquam de illo deſperandum eſt, eoque in caſu pertinacia, vt ita dicam, laudabilis eſt, cum non ſit amplius verè pertinacia, ſumpta pro vitio

vitio dante animo inordinatam firmitatem, & perſiſtentiam, vbi non oportet, aut pluſquam oportet, quomodo opponitur conſtantiæ per exceſſum; ſed potius quædam conſtantię ſpecies, qua contra vitium mollitiei ipſi per defectum oppoſitum, quod efficit animum, temere reſilientem à bono, tædio difficultatis, aut diuturnitatis, redditur idem animus immutabilis in bono, vt in eo ſibi conſtet, inuariabiliſque perſeueret contra omnes difficultates. Si autem obiectum ſit impoſſibile, multoque magis ſi ſit bonum aliquod caducum, contra eius deſideria, vanamque ſpem, in remedium eorum rectè adhibetur deſperatio.

Verum ſi in ordine naturali deſperatio nonnunquam moraliter bona, licitaq; eſſe poteſt, in ordine tamen ſupernaturali, nunquam talis eſt. Cum enim ſpes naturalis proprijs innitatur viribus, licitum eſt eam aliquando deſerere, vt deſperationi detur locus; nullum ſiquidem eſt inconueniens, quod homo cognita propria infirmitate, ac miſeria ſua, ab eorum proſecutione deſiſtat, cui rationabiliter iudicat impares eſſe, vel non ſufficere ſuas vires; At loquẽdo de ſpe ſupernaturali, & Theologica cum ſit virtus, qua beatitudinis æternæ, per media à Deo ordinata, & promiſſa, aſſequendæ fiducia habetur; nunquam illa cadere licitè poſſumus; quique de ſua deſperant ſalute, quaſi Deus nec vellet, nec poſſet eorum peccata dimittere, grauiter eius bonitatem, & potentiam offendunt. Et ſi igitur deſperatio non ſimpliciter, ſed in ordine ad proprias vires, vbi agitur de ęterna ſalute, ſit licita, dicente Domino per Prophetam: *Perditio tua ex te Iſrael, in me tantummodo auxilium tuum*; ſic enim aliqualem videtur habere oppoſitionem cum præſumptione ſpei diuinæ per exceſſum oppoſitæ, quatenus ſcilicet eſt temeraria expectatio beatitudinis, vel innitendo nimis proprijs viribus, vel innitendo inordinatè diuinæ miſericordiæ, & potentiæ; attamen loquendo de deſperatione ſimpliciter, ſeu quatenus opponitur ſpei Theologicæ, eſtque diffidentia beatitudinis per media aſſequendæ, vel diffidentia aſſequendi beatitudinem, mediave ad illam, datur enim duplex deſperatio, vna quæ eſt verſans circa ipſam beatitudinem: alia circa media, neceſſaria ad illam aſſequendam; nunquam prorſus eſt bona, aut licita; deque illa rectè ait Diuus Auguſtinus, lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 5. *Adhuc cum diffidit, & ſuam nequitiam comparat Dei benignitati, finem imponit virtuti Dei, dans finem infinito, & perfectionem auferens Deo, cui nihil deeſt, etiam quod cogitari non poteſt*. Et lib. 3. de verbis Domini ſerm. 10. tam in remedium deſperationis, quàm præſumptionis, hæc habet: *Propter illos qui deſperatione periclitantur, Deus propoſuit indulgentiæ portum, propter eos vero, qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertam*.

Ad moderandum ergo iſtam paſſionem, purgandamque animam ab inordinatis eius effectibus maximè conducit ſpes diuina, vel Theologica, virtuteſque ad illam ſpectantes, ſpecialiter tamen Magnanimitas, quæ, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 129. art. 2. poſt elegantem diſcurſum, *firmat animum contra deſperationem, & compellit ipſum ad proſecutionem magnorum ſecundum rationem rectam*; quod idem habet quæſt. 161. art. 1.

§. IX.

De timore, eiuſque ſpeciebus, cauſis, & effectibus.

Timor, vt eſt paſſio propria appetitus ſenſitiui iraſcibilis, definiri, vel deſcribi poteſt, quod ſit actus eius malum ſenſibile, arduum, imminens, ſaltem apprehenſum, vt tale auerſantis, cum quadam ſenſibili, & corporali tranſmutatione. Si autem ſumatur pro ſim-

ſimplici affectu appetitus rationalis, paſſioni timoris reſpondente, definiri poteſt, quod ſit actus, vel motus eius, quodcunq; malum arduum imminens, ſaltem apprehenſum vt tale, auerſantis; pro vt autem abſtrahit ab vtroque, quod ſit motus appetitus vt ſic, &c.

Contrariatur ſpei ex parte obiecti, cum huius obiectum ſit bonum futurũ arduum poſsibile adipiſci; obiectum verò timoris eſt malum futurum arduum, cui reſiſti vix poteſt. Ex parte autem modi tendendi contrariatur audaciæ, quatenus hæc tendit ad arduum, quod habet rationem mali, per modum acceſſus; aggreditur enim difficultatẽ, vt eam ſuperet; at timor reſpicit malum per modum receſſus, fugit enim, ne per illud timens inuoluatur, ac penitus opprimatur. Et ſic differt à triſtitia, quæ eſt de malo iam coniuncto, & præſenti, & ab ira, quæ eſt de malo, vt vindicando, & repellendo, non vt incumbente, & vincente, vt eſt timor. Dicitur tamen à Philoſopho, quod timor eſt triſtitia, quia eius obiectum eſt contriſtatiuum, quando eſt præſens, & ſic ad illam diſponit; ſicut dicitur deſideratiuus, quia oritur à deſiderio boni contrarij. Maxima tamen poſt triſtitiam paſſio eſt timor, in genere paſſionis, cum enim fiat cum aliqua tranſmutatione corporis, magis propriè, maximèque illi motus paſſiones vocãtur, qui cauſant aliquod nocumentum; Certum eſt autem, quod timor, quia eſt de malo arduo, cui reſiſti vix poteſt, magnum cauſat nocumentum, in contractione ſcilicet cordis, vndè plures timore moriuntur, minus tamen, quam triſtitia, cum timor ſit de malo futuro, triſtitia verò ſit de malo præſenti: malum autem præſens plus premit, plus affligit, pluſque nocet, quam futurum, quod adhuc eſt abſens.

Quoniam, vt dictum eſt, obiectum timoris, eſt malum imminens, quod vix poteſt vitari, ſiue quod non de facili repelli poteſt, vndè contrahitur, ac deijcitur appetitus; manifeſtè ſequitur ad timorem eſſentialiter requiri, quod malum ſit abſens, non præſens, & cum aliqua ſpe euadendi; ſi enim ſemel eſt præſens, vel omninò amittitur ſpes euadendi, tunc enim apprehenditur, ſeque habet ac ſi eſſet præſens, vt accidit in eo, qui iam decapitatur, recedit timor, & ſuccedit triſtitia. Indè quoque eſt, quod malum naturę corruptiuum, vel afflictiuum, vt mors, & morbus, dum apprehenditur propinquum, & cum aliqua ſpe tunc euadendi, eſt obiectum timoris, ſecus autem ſi nulla prorſus ſpes adſit. Inſuper etſi malum culpæ aliquo modo ſub timore cadere poſsit, quatenus dependet ab exteriori cauſa potenter inclinante ad peccatum; nihilominus ſi conſideretur, prout ſubiacet proprię voluntati, non eſt obiectum timoris, illud enim ſolum eſt malum terribile, quod habet cauſam extrinſecam. Malum inſolitũ, ac repentinum, ſi ſit magnum, cum magis irreparabile videatur, magis etiam timetur.

Sed adhuc magis timetur malum illud, quod, ſi ſemel acciderit, nullo poteſt remedio vitari, ſicuti eſt damnatio æterna: vndè ait Philoſophus lib. 2. Rethor. cap. 5. *Omnia timenda ſunt terribiliora, quæcumque ſi peccauerint, corrigi non contingit, aut quorum auxilia non ſunt, aut non facilia.* Cuius rationem reddit S. Thomas 1.2. q.43. art. 5. Quia obiectum timoris eſt malum, vndè illud quod facit ad augmentum mali, facit ad augmentum timoris; malum autem augetur non ſolum ſecundum ſpeciem ipſius mali, ſed etiam ſecundum circumſtantias, inter cæteras autem circunſtantias diuturnitas, vel etiam perpetuitas magis videtur facere ad augmentum mali; mala autem, quæ poſtquam aduenerint, non poſſunt habere remedium, vel non de facili, accipiuntur vt perpetua, vel diuturna; atque adeò maximè redduntur timenda.

Theologi communiter ex Diuo Damaſce-

maſceno lib. 2. de fide cap. 15. ſex timoris ſpecies aſſignant, nimirum *Segnitiem*, *erubeſcentiam*, *verecundiam*, *admirationem*, *ſtuporem*, & *agoniam*, quas Diuus Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. ſic declarat: Tunc eſt *ſegnities*, cum aliquis operari refugit, propter timorem excedentis laboris: Tunc eſt *erubeſcentia* cũ turpitudo timetur in actu committendo; Tunc eſt *verecundia*, cũ eſt turpitudo in actu iam facto; Tunc eſt *admiratio*, cum quis conſiderat aliquod magnum malum, cuius exitum conſiderare non ſufficit; Tunc eſt *ſtupor*, cum aliquod malum inconſuetum noſtræ conſiderationi offertur; Tunc eſt *agonia*, cum quis conſiderat malum imminens improuiſum, cui ſcilicet prouideri non poteſt, ſicut timentur futura infortunia.

Alia diuiſione timor, non tam vt paſſio, quam ſimplex voluntatis affectio ad virtutem ſpei pertinens, diſtinguitur in *mundanum*, *ſeruilem*, *initialẽ*, *filialem*, & *reuerentialem*. Timor *mundanus* eſt motio voluntatis, malum temporale fugientis, mediante peccato; ſiue eſt fuga temporalis mali, per offenſam Dei. Nam hoc mundano timore perculſa voluntas, ſtatuit offendere Deum, ad auertendum temporale malum.

Timor *ſeruilis* eſt motio voluntatis, fugientis peccatum, vt cauſatiuum pœnæ; ſiue eſt fuga peccati, vt pœnæ cauſatiui, non vt offenſæ Dei; ſine affectu tamen illius committendi, ſi pœna abeſſet; ideoque eſt bonus, ad diſtinctionem timoris ſeruilis cum ſeruilitate, qui eſt fuga peccati, vt pęnæ cauſatiui, cum affectu illius committendi, ſi hæc abeſſet. Timoris enim ſeruilitas eſt æſtimatio pœnę peccati, prę culpa, & reſolutio huius committendi ſi illa abeſſet.

Timor *initialis* eſt fuga peccati, vt mali culpæ; ſecundario vt cauſatiui pœnæ; vocatur initialis, quia competit incipientibus ambulare viam mandatorum Domini: qui partim ducuntur virtutis amore, partim formidine pœnæ. Et quia, *Initium ſapientiæ timor Domini. Pſal.* 110.

Timor *filialis*, ſiue *caſtus* eſt motio voluntatis, auerſantis offenſam Dei, vt patris, & ab eo ſeparationem.

Timor *reuerentialis* eſt motio voluntatis, in cultu diuino indecentiam ſollicitè cauentis, ſeu agendi modum minus decentem diuinam maieſtatem, & propriam colentis ſubmiſſionem.

Alia tandem diuiſione timor, ſeu metus, prout pertinet ad rationem voluntarij, & inuoluntarij, diſtinguitur in *leuem*, & *grauem*: & hic ſubdiuiditur in grauem abſolutè, & reſpectiuè.

Metus, ſeu timor *leuis* eſt inquietudo voluntatis, leue malum, quodque non eſt tanti, vt metui debeat, ſed potius contemni, auerſantis; coincidere videtur cum *vano* timore, qui pariter eſt inquietudo voluntatis, abſque cauſa perſuaſæ malum arduum ſibi imminere: cum re vera non immineat; aut non ſit graue, nec arduum, difficileue euitatu, aut ſuperatu. Eiuſmodi timor *vanus*, appellatur etiam panicus; quo perculſi *trepidauerunt timore, vbi non erat timor* ex Pſalmiſta pſal. 13. & 52.

Metus *grauis* eſt inquietudo voluntatis, malum arduum imminens auerſantis. Item vocatur metus iuſtus, quamuis ſit iniuſtè incuſſus; metus enim iuſtus eſt mentis trepidatio, iuſtè meritoque concepta, ratione grauis, arduique mali inſtantis.

Metus *abſolutè grauis* eſt ardui mali, verè inſtantis causâ, mentis trepidatio: ad quem tria requiruntur: 1. vt malum ſit graue. 2. vt arduum, & euitatu ſuperatuvè difficile. 3. vt moraliter certo immineat. Hic metus abſolutè grauis, idem eſt ac cadens in conſtantem virum; cum nihil aliud ſit, quam mentis trepidatio, qua vir conſtans meritò percellitur, ratione mali ardui impendentis.

Metus *reſpectiuè grauis* eſt mentis trepidatio, qua aliquis particularis metuens, meritò percellitur, cauſa inten-

tati mali, quod quidem conſtantem virum non percelleret, meritò tamen hic & nunc percellit perſonam, cui intentatur; vt potè meticuloſam, non planè ſui compotem, apprehenſione præoccupatam, &c. Quando tamen eſt metus, vt reddat hominem ſui prorſus impotem, tunc omninò tollit voluntarium: aliàs cauſat voluntarium abſolutum, & ordinariè inuoluntarium ſecundum quid; dicitur ordinariè, quia hoc non eſt vniuerſaliter verum; vti patet in attritione ſalutari, concepta metu damnationis æternæ; quam alibi diximus eſſe fructuoſam, ſufficientemque vnà cum Sacramento diſpoſitionem ad iuſtificationem. Igitur quod metu fit, tunc demum eſt ſecundum quid inuoluntarium, haberque actualiter, aut virtualiter conditionatam hanc volitionem voluntatis annexam, Niſi malum mihi immineret, nollem hoc agere; quando metus ſolus eſt totale motiuum actus; & hic actus nullam habet rationem boni, in ſe appetibilē, præter mali imminentis euaſionem, ſecus eſt quando aliam rationem boni habet. Vti re vera habet dicta attritio, ſcilicet conformitatem ad rectam rationem, ad legem æternam, ad iuſtitiam, mandatorumque diuinorum obſeruantiam; ideoque non eſt cenſenda inuoluntaria, etiam ſecundum quid, atque adeò infructuoſa, aut peccaminoſa: niſi eliciatur voluntas non pœnitendi, ſi abeſſet gehennæ metus.

Duplicem timoris cauſam aſſignat Diuus Thomas 1. 2. q. 43. vnam intrinſecam, aliam verò extrinſecam. Cauſa timoris intrinſeca per modum diſpoſitionis materialis eſt amor: cum enim aliquid amamus, timemus non adipiſci, vel adeptum amittere. Cauſa autem extrinſeca, eſt virtus, aut robur alicuius potentis inferre malum. Ad timorē quoque diſponit defectus propriæ virtutis, qua aliquis non poteſt imminenti malo reſiſtere. Qui etiam defectus ex parte eius, qui infert malum, poteſt inducere timorem, non directè, ſed per accidens, & occaſionaliter, quatenus ſentiens in ſe defectū, procurat vindictam, & procurando illam timetur ab alio.

Idem Sanctus Doctor loco citato, quæſt. 44. quatuor aſſignat timoris effectus: Primum in appetitu, ſcilicet *contractionem*, ſeu *ſtrictionem cordis*; Secundum in intellectu per accidens, ſcilicet facere, *ſollicitum*, & *conſiliatiuum*, niſi ſit timor ſuperabundans; Tertium in corpore, ſcilicet, *tremorem*, *pallorem*, ac *ſtridorem dentium*. Quartū vniuerſaliter in omni operatione, tam corporali ob debilitatem membrorum ex cōtractione caloris naturalis, & ſpirituum ad interiora prouenientem; quam ſpirituali, perturbando iudiciū, ſi timor magnus fuerit, & immoderatus; nam ſi moderatus fuerit potius operationem iuuat faciendo hominem magis ſollicitum, & conſiliatiuum.

Immoderatio, maluſque huius paſſionis, vel affectus vſus poteſt prouenire, vel ex parte obiecti, vel ex parte modi tendendi. Si ex parte obiecti, vt quando mundana ſolum timentur mala, tunc moderari, & ad bonum vſū reduci per timorem verorum malorū, quæ ſolus Deus poteſt inferre, qualia ſunt, damnatio æterna, indeque omnia conſequentia mala; quemque propterea Chriſtus nos docet ſolum timere, quia cum occiderit corpus, poteſt animam mittere in gehennam. Si autem immoderatio, maluſque timoris vſus proueniat ex parte modi tendendi, quia nimirum hæc mala viſibilia, quæ poſſunt aliàs licitè timeri, vt mors, infirmitas, parentum, vel amicorum iacturà, aliaque ſimilia, plus nimio timentur, debet, qui ita timet, defectuoſum illum exceſſum moderari, tum naturalibus, tum ſupernaturalibus motiuis, quibus diximus ſupra eumdem triſtitiæ, ac deſperationis exceſſum mitigari poſſe; maximè autem conformando ſe diuinæ voluntati huiuſmodi mala immittenti, nec non conſiderando, ſe longè maiora pro peccatis meritum

fuiſſe

fuiſſe, eaque non eſſe condigna ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Virtutes paſſionem, vel motum timoris potiſſimum moderantes, malumque eius vſum purgantes ſunt fortitudo, & perſeuerantia, de prima ait Diuus Thomas 2.2.q.123.art.3. *Ad virtutem fortitudinis pertinet remouere impedimentum, quo retrahitur voluntas à ſequela rationis. Quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat receſſum quemdam à malo difficultatem habente. Et ideo fortitudo principaliter eſt circa timores difficilium rerum, quæ retrahere poſſunt voluntatem à ſequela rationis. Oportet autem huiuſmodi rerum difficilium impulſum non ſolùm firmiter tolerare, cohibendo timorem; ſed etiam moderatè aggredi: quando ſcilicet oportet exterminare ad ſecuritatem in poſterum habendam, quod videtur pertinere ad virtutem audaciæ. Et ideo fortitudo eſt circa timores, & audacias, quaſi cohibitiua timorum.* Item in reſponſione ad 2. dicit, quod, *res periculoſa, & actus laborioſi non retrahunt voluntatem à via rationis, niſi in quantum timentur. Et ideo oportet quod fortitudo ſit immediatè circa timores, & audacias; mediatè autem circa pericula, & labores, ſicut circa obiecta prædictarum paſſionum.* Et in reſponſione ad 3. quod *Spes opponitur timori ex parte obiecti; quia ſpes eſt de bono, timor de malo. Audacia autem eſt circa idem obiectum, & opponitur timori ſecundum acceſſum, & receſſum. Et quia fortitudo propriè reſpicit temporalia mala retrahentia à virtute, inde eſt, quod fortitudo propriè eſt circa timorem, & audaciam*; nimirum moderanda, & purganda à ſuis imperfectionibus, vel defectibus.

Eidem quoque fini inſeruire perſeuerantiam, quæ eſt virtus ad fortitudinem ſpectans, docet idem Sanctus Doctor 2.2. q.137.art.1. *Opus virtutis, inquit, poteſt habere bonitatem, & difficultatem ex duobus. Vno quodam modo, ex ipſa ſpecie actus, quæ accipitur ſecundum rationem proprij obiecti. Alio modo ex ipſa diuturnitate temporis. Nam hoc ipſum quod eſt diu inſiſtere alicui difficultati, ſpecialem difficultatem habet. Et ideo diu perſiſtere in aliquo bono, vſque ad conſummationem, pertinet ad ſpecialem virtutem. Sicut ergo temperantia, & fortitudo ſunt ſpeciales virtutes, eo quod altera earum moderatur delectationes tactus: quod de ſe difficultatem habet, altera autem moderatur timores, & audacias circa pericula mortis, quod etiam ſecundum ſe difficile eſt: ita etiam perſeuerantia eſt quædam ſpecialis virtus, ad quam pertinet in his, vel in alijs virtuoſis operibus diuturnitatem ſuſtinere, prout neceſſe eſt.* Vndè perſeuerantia, vt eſt virtus pertinens ad fortitudinem, definitur quod ſit virtus, firmans animum, efficienſque boni operis laborioſi, ac diuturni continuationem; firmans, inquam, animum, vincendo moleſtiam, & tædium obrepens ex opere laborioſo, ac diuturno, efficienſque continuationem vſque ad finem à recta ratione præfixum: ideò, quia eiuſmodi continuatio eſt per ſe honeſta. Conſtantia autem ei affinis, quod ſit virtus dans animo immutabilitatem in bono, vt in eo ſibi conſtet, inuariabiliſque perſeueret, contra omnes difficultates.

§. X.

De audacia eiuſque cauſis, & effectibus.

AVdacia pro paſſione ſumpta definiri poteſt, quod ſit actus appetitus iraſcibilis, fidenter aggredientis malum ſenſibile arduum imminens, cum perſuaſione illius ſuperandi, cum quadam ſenſibili, & corporali transmutatione in impetu cordis aggredientis, licet ſi excedat rationis moderationem, vitij nomen ſit, ſicut & cæteræ paſſiones, alias ex ſe ad bonum, vel malum indifferentes, vt dicetur infra,

malæque, aut bonę, ſecundum quod ratio benè, vel malè illis vtitur.

Audacia contrariatur timori, conſequitur verò ad ſpem, vt eius effectus, non vt pars, ſicut enim deſiderium eſt quædam amoris progreſſio, ſic & ſpei eſt audacia. Vndè Philoſophus 3. Ethic. cap. 8. docet, quod illi qui ſunt bonæ ſpei ſunt audaces. Diſtinguitur à timore, quia licet habeat idem obiectum cum illo, ſub contraria tamen ratione, & tendentia. Timor enim reſpicit malum, vt ei ſuccumbens, aut ab eo fugiens: Audacia verò vt ſuperans, & ſuſtinens, ſiue aggrediendo, ſiue tolerãdo. Dicitur audacia eſſe circa malum, quamuis ſit actus proſecutiuus, de cuius ratione eſt, quod ſit circa bonum, quoniam propriè aggreditur malum, quia tamen non ratione ſui, ſed ratione victoriæ, quam de ipſo intendit, quæque habet aliquam rationem boni, indè vocatur actus proſecutionis: Itaque non fugit malum audacia, nec proſequitur illud amando vt bonum in ſe, ſed tanquam materiam victoriæ, quæ eſt bonum; proſequitur malum vt vincendum, non fugit ab illo vt vincente, ſicut timor, & ita non proſequitur malum appetendo ſub ratione mali, ſed vt veſtitum habitudine boni, ſcilicet propter bonum victoriæ illi adiunctum. Hoc tamen bonum dicitur per accidẽs adiungi illi malo, quia non ex proprijs audaciæ habetur, ſed ex participatione ſpei, ad quam directè pertinet intendere conſecutionem rei ſpectatæ, quæ eſt victoria: ad audaciam verò pertinet ponere media, non bona poſitiua acquirendo, ſed mala impedientia tollendo. Vndè ſicut dantur poſt ſpem intentum electiones mediorum, quibus tenditur ad finem, & quæ appetuntur non ratione ſui, ſed finis, ita dantur executiones circa media impedientia, quæ ſunt mala, & hoc eſt directum obiectum earum, ſcilicet aggreſſio malorum: ratio autem proſequendi non ex talibus medijs deſumitur, ſed ex participatione ſpei, ſeu finis intenti à ſpe, quæ eſt victoria. Et ſic audacia, vt dicebam, ſequitur ad ſpem, diſtinguiturque ab ea, ſicut effectus eius, non autem vt pars. Voluntas enim, & executio mediorum eſt effectus intentionis finis.

Ex quo ſequitur audaciam cauſari ex his omnibus, quæ prouocant ſpem, & erigunt illam, nec non ex his, quæ excludunt timorem, qui contrariatur audaciæ. Erigitur autem ſpes per exiſtimationem poſſibilitatis adipiſcendi, & per amplitudinem cordis, ad quod confert caliditas, & copia ſpirituum vitalium. Excluditur verò timor per excluſionem eorum terribilium, quæ nos circumſtant. Quare audacia non cauſatur per ſe ex defectu, ſed ex abundantia, niſi per accidens, in quantum ignorantia, quæ eſt quidam defectus, excluditur cognitio periculorum, & timorum, vndè cauſari, vel creſcere poteſt audacia per accidens.

Effectus audaciæ eſt promptitudo in aggreſſione prima, & deficientia in continuatione quando oritur ex illa ſenſitiua apprehenſione, quæ non habet præuidentiam in futurum, ſed ſubitum motum ex præſentibus, & ſic facilè mouetur ad aggreſſionem, quia non videt omne periculum, poſtea autem periculis inſurgentibus deijcitur. E contra verò audacia orta ex ratione, & diſcurſu, melius præuidet pericula futura, nec ducitur ſolis præſentibus, & propterea tardat aggredi propter ſola præſentia, poſita autem præuiſione futuri periculi, etiamſi poſtea accidat, non deijcitur, ſed perſeuerat: Tum etiam, quia non eſt improuiſum. Tum quia ducitur motiuo virtutis, quæ eſt conſtans, & perſeuerans.

Cum inordinatio, vel immoderatio huius paſſionis, ſicut & cæterarum poſſit prouenire vel ex parte obiecti aggrediendo nimirum, quę potius ſunt fugienda; vel ex parte modi tendendi in ea etiam, quæ non ſunt fugienda, vt ſi nimia promptitudine, vel ardore;

debe-

debemus per oppoſitum illam moderari, nonniſi verè ſperanda aggrediendo, ſeruatoque modo, & medio illis proportionato. Vt virtus fortitudinis eſt moderatrix timoris, ex dictis ſupra, ita & audaciæ, quamuis ſit magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas; Quod probat Diuus Thomas 2. 2, qu. 123. art. 6. ex Philoſopho ita dicente in 3. Ethic. *Difficilius enim eſt timorem reprimere, quã audaciam moderari: eo quod ipſum periculum, quod eſt obiectum audaciæ, & timoris, de ſe confert aliquid ad repreſſionem audaciæ, ſed operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinem, ſecundum quod moderatur audaciam: ſed ſuſtinere ſequitur repreſſionem timoris: & ideò principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere, id eſt immobiliter ſiſtere in periculis, quam aggredi.* Ita ex Sancto Doctore. Ex Seneca autem lib. 2, benef. cap. 34. *Fortitudo eſt scientia periculorum excipiendorum, repellendorum, & prouocandorum.*

Ad frænandam quoque audaciam ad malum plurimum valet diuinæ iuſtitiæ conſideratio, qua Deus ſic audentes, ſuaque mandata tranſgredientes punit, & eorum conatibus potenter obſiſtit. In iuſtis autem ad eamdem cohibendam circa ea præſertim, quæ vltra vires ſunt, multum valet humilitas; conſiderantes enim, quia ſine Deo nihil poſſunt facere, nihil aggrediuntur, niſi inuocata prius eius ope, eaque ſolum, ſe Deo adiutore habituros, firmiter ſperant. Vndè rectè ait Diuus Auguſtinus in pſal. 92. *Quod omnis fortitudo in humilitate ſita eſt, quia fragilis eſt omnis ſuperbia.* Et ſerm. 6. de Natiu. Dom. *Re vera fortis pugnat, qui contra ſe pugnat;* quatenus verum ſui odium, partaque ſemel de amore proprio victoria non parum, imo vnicè cõducit ad perfectum huius paſſionis audaciæ vſum, in ſuperandis omnibus difficultatibus in via cæli occurrentibus.

§. XI.

De ira, eiuſque diuiſione, cauſis, & effectibus.

CVm ex Diuo Thoma 1. 2. qu. 45. art. 1. ira, ſicut & cætera paſſionum nomina dupliciter accipi poſſint. Vno modo ſecundum quod importans abſolutè motus appetitus ſenſitiui in aliquod obiectum bonum, vel malum, ſeu indifferens ad illa: & ſic ſunt nomina paſsionum: Alio modo ſecundũ quod ſimul cum huiuſmodi motu, important receſſum ab ordine rationis; & ſic ſunt nomina vitiorum; de ira non agimus nunc in hoc poſteriori ſenſu, ſed in priori: Definirique poteſt, quod ſit appetitus ſenſitiui iraſcibilis exacerbatio, & ad vindictam concitatio, cum aliqua ſenſibili, & corporali tranſmutatione, ſcilicet accenſionis ſanguinis circa cor.

Ira igitur non eſt paſſio generalis, neque per modum prædicationis, quia non prædicatur de alijs paſſionibus, vt de amore, deſiderio, ſpe, &c. quia ſine ira inueniuntur; neque per modum cauſalitatis, quia hoc pertinet ad amorem, qui eſt principium, & cauſa cæterarum paſſionum, licet ex pluribus paſſionibus conſurgat, veluti effectus; nimirum ex triſtitia mali illati, ex ſpe, & deſiderio vlciſcendi, ex audacia, &c. Ira, inquam, nec præfatis, nec alijs modis eſt paſsio generalis, ſed ſpecialis à cæteris diſtincta, quia reſpicit ſpeciale obiectum, ſcilicet *quod*, & *cui*. Vult enim vindictam, eamque proſequitur vt obiectum *quod*, & ex parte reſpicit, & appetit aliquam rationem boni, ſcilicet vindictam ſatisfactiuam ſuæ læſionis, licet ſit mala, & nociua lædenti. Ex parte obiecti *cui*, id eſt, perſonæ, cui vult inferre vindictam, & hanc reſpicit, vt malum, vt nociuam, & læſiuam. Et ſic obiectum iræ componitur ex bono, & malo reſpectu diuerſorum, id eſt reſpectu obiecti *quod*, & *cui*.

Et

Et quamuis aliquæ aliæ paſsiones habeant etiam obiectum *quod*, & *cui*, quæ vel ſibi, vel alteri volunt aliquid, tamen non omnes id habent explicitè ſicut ira, amicitia, inimicitia, & ſimiles. Non eſt autem ira in concupiſcibili, ſed in iraſcibili, quia non reſpicit bonum, aut malum abſolutè, ſed cum quadam arduitate, & eleuatione, aut difficultate, quia vindicta non quæritur niſi circa aliquid, quod exiſtimatur magnum; id eſt, dignum vltione, & ſatisfactione, quam ſumere intendit, & ſic appetitus vindictæ ſolet etiam libido appellari ob multum impetum. Cauſari tamen poteſt, vt ſtatim diximus, ex paſsionibus concupiſcibilis, vt ex triſtitia, odio, deſiderio, &c. & ſic eſt in illa cauſaliter, non formaliter.

Comparatione facta inter iram, & concupiſcentiam, iuxta diuerſas conſiderationes ira dicitur magis naturalis, quam concupiſcentia, & è conuerſo. Nam ſi in homine ſpectetur natura generica, ſic naturalior eſt concupiſcẽtia, quatenus ex communi natura habetur inclinatio ad vitam, quæ fit appetendo concupiſcibilia cibi, aut potus, aut veneris. Si verò ſpectetur natura ſpecifica, ſcilicet in quantum homo eſt naturalis, & diſcurſiuus, ſic naturalior eſt ira, quia appetit vindictam, quæ magis accedit ad quamdam rationem iuſti, & ſatisfactiui, de quo iudicatur per rationem, & diſcurſum. Vnde etiam ſicut ratio mouet ad iram conferendo de ipſa vindicta, & denuntiando cauſam iræ, ita ad rationem pertinet illam ſedare.

Denique ſi conſideretur natura indiuidualis iuxta complexionem particularem, ſic naturalior eſt ira, quam concupiſcentia, quando prædominatur cholerica complexio, quæ ad iram ſuccendit. Et quia facilius mouetur cholera inter omnes humores, naturalius ex cholera ſequitur ira, quam ex alijs humoribus concupiſcentia, etiamſi prædominentur.

Ex hoc autem, quod ira ſit quodammodo rationalis præ alijs paſſionibus, ſiue quod illa ex ipſo appetitu vindictæ habeat quemdam modum rationis, in quantum fit hoc ſecundum quãdam collationem, qua menſuratur pœna, ſeu vltio, & ſatisfactio cum iniuria; quod inuenitur in brutis ſolùm per inſtinctum, quatenus ſine comparatione, & collatione inſtigantur ad propulſandum nocumentum; Ex hoc, inquam, ſequitur, propriè ſolùm moueri hominem per iram, erga illos, ad quos eſt iuſtitia, ſcilicet ad creaturas rationales, quia propriè inter illas eſt iuſtum vindicatiuum, & ſatisfactiuum, quod reſpicit ira. Sed tamen inuenitur ira etiam circa res inanimatas, vel irrationales, quantum ad motum appetitus ad repellendum quoduis nocumentum, ſicut eſt in brutis, non tamen cum omni proprietate iræ, id eſt, per modum vindictæ, quia de his, qui non ſentiunt, ſeu non intelligunt non vindicamur, quia vindicta requirit quod alter doleat, & ſentiat ſe propter iniuriam percuti, & iuxta menſuram ſatisfactionis.

Sequitur inſuper hanc paſſionem cæteris iuſtiorem apparere, vnde ſemel excitata non tam facilè quieſcit; imò eſt efferatiſſima paſsio, cum ex ſuperbia læſa procedat: feruet, quoties ſe contemni exiſtimat, & eo magis appetitum irritat, quo ſe iuſtius putat agere, nam malum appetit ſub ratione boni, vindictam ſcilicet ſub ratione cuiuſdã æquitatis.

Tres iræ aſsignantur ſpecies, accidentales tamen, vt potè ſumptæ ex diuerſa diſpoſitione ſubiecti ad iraſcendum, non autem ex diuerſis motiuis obiecti formalibus. Huiuſmodi ſunt *fel*, *mania*, & *furor*. Tria enim concurrunt ad iram, ſcilicet *concitatio* motus iraſcentis; *Triſtitia* ex læſione, & iniuria illata; *Vindicta* deſiderata per iram. Quando præualet concitatio motus, dicitur *fellea*, quia fel cito concitatur ex cholera, & tales irati vocantur *acuti*. Quando dominatur triſtitia de iniuria illata, dicitur *Mania*, quia

diu

diu manet in memoria, & tales vocantur *amari*. Quando præualet deſiderium vindictæ, dicitur furor, quia non quieſcit, niſi puniat, & tales dicuntur *difficiles*.

Cauſa iræ poteſt ſumi, vel ex parte rationis formalis eius, vel ex parte materialis cauſæ, ſeu materiæ iræ. Si ſermo ſit de prima, formalis ratio motiua iræ, eſt aliquod læſiuum, ſeu factũ contra ſe: reducunturque omnia talia motiua ad *paruipenſionem*, quæ non ſolùm eſt circa honorem, & famam, ſed etiam circa quodcumque bonũ, in quo quis vult excellere, aut quieſcere, ab illo enim deijci, minorari eſt, & paruipendi, quia nõ multũ curamus de eo, quem aut lædimus, aut obliuiſcimur. Et in hoc ſenſu etiam ad bruta animalia extenditur *paruipenſio*, vt quando vulnerantur, aut cibus, vel aliquid ſimile eis adimitur, quia in hoc minorantur à bono quod appetunt, & hoc eſt paruipendi; & ſimiliter homines, quãdo hæc illis fiunt, aut bona ab eis tolluntur, apprehendunt ſe ab alijs paruifieri, & quaſi caſtigari, dum hæc contra illos audent, & ſub hac ratione inſurgunt ad vindictam. Vnde Philoſophus 2. Rethoric. tres ſpecies *paruipenſionis* ponit, ſcilicet *deſpectum*, *contumeliationem*, & *epiriaſmum*, id eſt impedimentum propriæ voluntatis, ſub quo comprehenditur cuiuſcunque boni ablatio, ſeu diminutio. Et ex hoc diſcernere quis poteſt affectus ſuos, ſi ex ira, vel ex odio proueniunt, quia ſi quis appetit punitionem, & ſatisfactionem, eſt ira; ſi appetit malum ſimpliciter alteri, etiam ſine punitione, eſt odium.

Ex parte autem cauſæ materialis, ſeu materiæ ad iram concitantis, duo maximè debent attendi, vnum ex parte iraſcentis læſi, alterum ex parte lædẽtis, & ad iram mouentis. Ex parte iraſcentis, excellentia eius magis auget motiuum iræ, quia quanto in aliqua re excellimus, tanto eſt iniuſtior paruipenſio, & magis vltionem prouocat, quamuis ex parte diſpoſitionis in ſubiecto ad iram requiſito, non tam excellentia, quam defectus, & infirmitas conducat, quatenus infirmi facilius triſtantur de nocumento illato, & ex triſtitia diſponuntur ad iram. Verum hoc non ſe tenet ex parte motiui formalis, quod eſt paruipenſio; ſed ex parte diſpoſitionis ſubiecti.

E contra verò in ipſo lædente, vel offendente, defectus eius, & paruitas in lædendo, & offendendo magis ad iram mouet, quia tanto eſt maior, & iniuſtior paruipenſio, quanto à minoribus fit, quia iſti tenentur magis honorare Superiores. Vndè & illud Iob 30. *Nunc autem derident me iuniores, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei*. Quamuis ex alia parte, quia honorariores abundantius honorare poſſunt, ſi ab eis deſpiciamur, magis ſentimus, quia magnum honorem nobis impediri credimus; ſed ſi non debetur, non iraſcimur contra illos, nec vlciſci deſideramus, & ſic non prouocat ad iram, ſed ad triſtitiam. Quod ſi is, qui lædit, paruitatem habeat, & oſtendat non in lædendo, ſed in pœnitendo, & humiliando ſe, hoc magis mitigat iram, quia ex hac paruitate, & humiliatione ſui alter magis æſtimatur.

Effectus iræ, pro varietate ſubiectorum, in quibus reperiuntur ſcilicet in *appetitu*, in *corpore*, & in *mente*, ſeu *ratione*, varij quoque ſunt. Nam in *appetitu* cauſat *delectationem*; & in ea terminatur. Incipit enim à triſtitia de nocumento ſibi illato, & quia quærit eius repulſam per vindictam, maximè in tali repulſa delectatur, conſummatè quidem, quando vindicta eſt præſens, in ſpe autem, quando ad eam conatur. In *corpore* cauſat duplicem effectum. Primò circa cor *accenſionem* ſanguinis, & *euaporationem* fellis, vndè & fit cum amaritudine, quia tendit ad punitionẽ contrarij, & naturaliter vnumquodque fortius, & impetuoſius mouetur ad præſentiam contrarij, quia fortificatur natura

tura

ſcuta, vt illud propulſet, & ſic in animali fit magna impetuoſitas ad vltionem, & repulſionem contrarij, & ideò accenditur cor. Ex quo prouenit ſecundus effectus, nimirum manifeſtatio huius impetus, & perturbationis cordis, maximè in illis membris, in quibus expreſſius relucet veſtigium cordis, & motus ſpirituum vitalium, vt in facie, in oculis, in lingua, & in tantum quod aliquando, impeditur præ ira vſus linguæ in loquendo, & ſic habet pro effectu ſilentium, ſeu taciturnitatem.

Tandem in *mente*, ſeu *ratione* habet pro effectu perturbationem iudicij, quia licet ira incipiat à ratione, vt à denuntiante, & diſcurrente circa iniuriam, & vltionem, tamen perturbato ſemel corde, & accenſo ſanguine cum tanta euaporatione ad cerebrum, perturbantur vires ſenſitiuæ à quarũ miniſterio dependet opus rationis, & ſic nõ ſerenato ſenſu cõturbatur in ira oculus; nec enim perfectè obedit ira rationi, licet à principio aliquantulum eam audiat. Cum autem Philoſophus ait, quod iratus non eſt inſidiator, ſed manifeſtus, concupiſcentia autem eſt latens, & inſidioſa: hoc dicitur, quia ira quærit vlciſci iniurias manifeſtando excellentiam, quia offenſa eſt, & læſa, & in ſui manifeſtatione maximè laboratur; concupiſcentia autem eſt mollis, nihil excellentiæ, & ardui habens, ſed plurimum turpitudinis; & ideò quærit latere, & maximè dolet, ſi prodatur.

Cum autem huius paſſionis inordinatio, prauuſque vſus oriri poſſit, vel ex parte obiecti, vt quando appetitur vindicta, ſiue vltio alicuius offenſæ, vel paruipenſionis, ea tamen non dignæ; vel ex parte modi, vt quando in illa, quamuis alias licita, exceditur, ita eius moderatio, & purgatio conſiſtit in hoc, quod non ſolum vindictam non ſumamus de paruipenſione illam non promerente, verum etiam, vbi illam promeretur, ne in ea excedamus; & inſuper, quod ſummæ perfectionis eſt, à iuſta ira, & vindicta abſtineamus, maximè vbi agitur de propria paruipenſione, vincentes in bono malum, orantesque pro inimicis noſtris, *vt*, inquit Auguſtinus lib. de vera Innocent, *aut obtineatur eorum conuerſio, aut in nobis diuinæ bonitatis inueniatur imitatio.* Dixi vbi agitur de propria paruipenſione, quia ſi agatur de bono publico, vel proprio in illud vergente, maximè autem de gloria Dei, vbi læditur, & offenditur, tunc iuſtæ iræ & vindictæ contra offendentes dari locum in Republica non tantum bonum, ſed & plerumque neceſſarium eſt. Sicut & de peccatoribus ait Diuus Auguſtinus homil. 4. ex 50. *Volo vos iraſci, vt non peccetis, quibus habetis iraſci niſi vobis? Quid enim eſt homo pœnitens, niſi ſibi iratus homo?*

Virtutes ad huius paſſionis moderationem, & purgationem apprimè cõducentes ſunt manſuetudo, & clementia, ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 157. art. 1. *Paſſiones*, inquit, *interiores ſunt exteriorum actionum principia, aut etiam impedimenta. Et ideo virtutes, quæ moderantur paſſiones, quodãmodo in eundẽ effectũ concurrunt cũ virtutibus, quæ moderantur actiones, licet ſpecie differant. Sicut ad iuſtitiam propriè pertinet cohibere hominem à furto, ad quod aliquis inclinatur per inordinatum amorem, vel concupiſcentiam pecuniæ, quæ moderatur per liberalitatem. Et ideo liberalitas concurrit cum iuſtitia in hoc effectu, qui eſt abſtinere à furto. Et hoc etiam conſiderandum eſt in propoſito. Nam ex paſſione iræ prouocatur aliquis ad hoc, quod grauiorem inferat pœnam. Ad clementiam autem pertinet directè, quod ſit diminutiua pœnarum. Quod quidem impediri poſſet per exceſſum iræ. Et ideo manſuetudo, in quantum refrænat impetum iræ, concurrit in eumdem effectum cum clementia. Differunt tamen ad inuicem, in quantum clementia eſt moderatiua exterioris punitionis, manſuetudo autem propriè diminuit paſſionem iræ.* Et in reſponſ. ad 3. ait, *quod manſuetudini, quæ*

eſt

eſt directè contra iras, propriè opponitur vitium iracundiæ, quod importat exceſſum iræ. Sed crudelitas importat exceſſum in puniendo. Qui autem in pœnis hominum propter ſe delectantur, etiam ſine cauſas poſſunt dici ſævi, vel feri, quaſi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem. Idem habet art. 2. nec non in 3. diſtinct. 44. quæſt. 2. art. 2. ad 3. vbi ait, *quod manſuetudo ad fortitudinem reducitur, quia obiectum fortitudinis eſt in maximis moleſtijs, quæ ſunt circa mortem, ſicut ſunt bellica. Sed manſuetudo habet pro obiecto reliquas moleſtias, quæ ſunt iram excitantes, in quo medium tenet manſuetudo.*

Hactenus de vndecim appetitus ſenſitiui paſſionibus, quibus homo ad aliquid afficitur, vel ab aliquo refugit; quæ licet in ſe veræ ſint operationes, dicuntur tamen paſſiones, quia vt ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 22. iſti actus nati ſunt tranſmutationem facere in corpore è naturali ſua diſpoſitione. Illa autem tranſmutatio propriè dicitur inferre paſſionem, quando ſubiectum patiens mutatur ad aliquid cum abiectione alterius. Et adhuc magis propriè, & ſtrictè, quando accipit aliquid cum remotione eius, quod eſt ei conueniens, & naturale, & recipit id, quod inconueniens, & innaturale eſt. Si autem nihil deperdatur, ſed præcisè aliquid recipiatur, dicitur paſsio provt eſt idem quod receptio, quæ largo modo eſt paſsio; & illo etiam ſenſus dicuntur pati ab obiectis, dum recipiunt ſpecies, & actus ſuos, per quorum receptionem nihil deperdunt, nec abijciunt. Quod igitur ad actum appetitus ſenſitiui elicientiam ſequatur, vel concomitetur tranſmutatio ſubiecti corporaliter ſecundo modo, ſcilicet cum remotione conuenientis, & receptione diſconuenientis, vt patet in triſtitia, quæ contractione ſua valdè lædit corporalem diſpoſitionem, & in concupiſcentia, aut effuſa lætitia, quæ etiam dilatatione ſua nocere ſolent; propterea iſti actus appetitus ſenſitiui, licet immanentes cum omni proprietate, denominantur paſsiones. Et quamuis ſi ſint moderatæ, & ad mediocritatem redactæ non inferant actu paſſionem deteriorantem ratione moderationis, ſunt tamen natæ inferre, vt patet ſi creſcant, & moderantiam excedant: quod ſufficit, verba enim in definitione poſita non dicunt actum, ſed aptitudinem. Sicut etiam per accidens eſt, quod etiam ſi moderantiam excedant, tranſmutent aliquando hominem in melius, & non in deterius, vt quando ægrotus per lætitiam conualeſcit, & melius habet. Hoc enim prouenit ex diſpoſitione ſubiecti vergentis in vnũ extremum, & per aliud extremum reducti in medium; ſicut igitur qui nimio calore ferueſcit, per frigidum excellens curatur, cum tamen tale frigidum de ſe natum ſit alterare corpus alteratione, qua patiatur, ſi in ſua eſſet naturali diſpoſitione; Ita nimia lætitia de ſe nata eſt facere paſſionem, niſi ſubiectum inueniat in contrarium male diſponi per ægritudinem. Cuius ſignum eſt, quod ſi multum duret illa lætitia, etiam paſsionem faciet.

In præfato autem ſenſu paſsiones ita ſunt propriæ appetitus ſenſitiui, vt formaliter non reperiantur in intellectiuo, ſeu in voluntate, vt pote abſtractiori, & ſpirituali. Etſi enim obiectum voluntatis ſit vehementius, & actiuius, tamen cum non reguletur paſsio propriè dicta penes actiuitatem agentis, ſed penes potentialitatem patientis, quatenus eſt capax tranſmutationis contrariorum, quibus remouetur à ſua connaturali diſpoſitione, quod ſolum fit in tranſmutatione corporali, & ex maiori receſſu, vel receſſu à tali tranſmutatione, iudicatur aliquid magis, vel minus habere de paſsione propriè dicta, inde illa non reperitur propriè in voluntate, ſed quando illi attribuuntur nomina paſsionum, v.g. amor, odium, ira, timor &c. non paſsionem ſignificãt, ſed ſimplicem actum, ſeu af-

fectum voluntatis, ex quo reſultat idē effectus, qui ex paſsione, v. g. ex ira, punitio; ex odio, abiectio, vel repulſio alterius; verum quia hoc eminentius fit per actum voluntatis, ideò, licet non ſit paſsio formaliter, dici tamen poteſt eminenter talis.

Præter allatam iam paſsionum diuiſionem, qua ſex pertinent ad appetitum ſenſitiuum concupiſcibilem, quinque autem ad iraſcibilem; multipliciter adhuc diuidi, vel diſtingui poſſunt in vno, & eodem appetitu; primò ratione contrarietatis, quæ ſumitur, vel ex contrarietate obiectorum inter ſe, vel ex contrarietate tendentiæ, ſeu modi tendendi in illa. Contrarietas obiectorum eſt penes bonum, & malum, id eſt, conueniens, aut diſconueniens ipſi appetitui. Ex hac quippe contrarietate obiectorum oriuntur motus contrarij, ſcilicet proſecutionis prò bono, auerſionis pro malo. Et ſic diſtinguuntur inter ſe, amor, & odium, gaudium, & triſtitia, deſiderium, & fuga, eo quod amor, deſiderium, & gaudium verſantur circa bonum; odium autem, triſtitia, & fuga circa malum. Contrarietas ratione tendentiæ attenditur penes acceſſum, vel receſſum ab eodem termino, ſicut in naturalibus aſcenſus in vnum locum, & deſcenſus ab eodem loco, dicuntur contrario modo ſe habere, quia contrarijs vijs fiunt. Sic in motibus, vel affectibus animæ receditur, vel acceditur ad aliquod obiectum tendentijs contrarijs, ſicut ſpes tendit ad aliquod bonum adipiſcendum, deſperatio verò recedit, & derelinquit illud ob eius difficultatem. Ex iſtis autem contrarietatibus, ſola prima, ſeu ex parte obiecti reperitur inter paſsiones appetitus concupiſcibilis, vtraque autem in paſsionibus iraſcibilis.

Nam ſpes, & deſperatio, timor, & audacia dicunt contrarietatem penes acceſſum, & receſſum ab eodem termino, quia reſpectu boni ardui, ad quod tendit, & accedit ſpes, recedit propter nimiam difficultatem deſperatio. At verò inter ſpem, & timorem datur contrarietas non ratione acceſſus, vel receſſus ab eodem termino, ſed propter contrarietatem obiectorum, quia timor eſt de malo, & ſpes de bono. Non ſic in appetitu concupiſcibili, etſi enim amor, & odium contrarientur propter obiecta contraria, tamen amor, deſiderium, & gaudium nō contrariantur: ſed eorum differentia ſumitur penes diuerſam rationem formalem eiuſdem obiecti materialis, quæ licet contrarietatem non habeat, habet tamen diuerſitatem ſufficientem ad diuerſam ſpeciem, vt iam explicuimus de vnaquaque agentes.

Ratio autem huius differentiæ inter appetitum concupiſcibilem, & iraſcibilem, quo ad eorum paſsiones deſumitur ex eorumdem obiecto, quod reſpectu concupiſcibilis eſt bonum abſolutè, ſcilicet, vt conueniens, aut delectabile, cui cum abſolutè ſumpto ſolum contrarietur malum, ſcilicet diſconueniens, vel repugnans, propterea ſolum penes iſtam contrarietatem reperitur in eius paſsionibus contrarietas. At obiectum iraſcibilis eſt bonum non abſolutè, ſed vt difficile, & arduū, atque adeo habens in ſe vndè inuitet ad acceſſum ratione boni, & vndè repellat ab illo, & recedere faciat ratione ardui; & ſic conſequenter in eo non ſolum datur contrarietas penes bonum, & malum, ſed etiam penes acceſſum, & receſſum.

Diuiduntur inſuper, ſeu diſtinguntur præfatæ vndecim paſsiones ratione ordinis ipſarum inter ſe, qui tripliciter diſponi poteſt. *Primò*, comparando paſsiones vnius appetitus cum paſsionibus alterius, nimirum concupiſcibilis cum iraſcibili. *Secundò*, comparando paſsiones vnius appetitus tātum inter ſe, v. g. in concupiſcibili, quænam ſit prior alia. *Tertiò*, attendendo ad principalitatem paſsionum abſolutè, ſiue ſint iraſcibilis, ſiue concupiſcibilis.

 Pri-

Primo modo paſsiones taliter ordinantur inter ipſos appetitus, quod ordine executionis, & via generationis prius ſunt paſsiones concupiſcibilis, deinde iraſcibilis, ac tertiò redeunt, & terminantur in ipſa concupiſcibili; vndè habet vtrumque extremum, ſcilicet initium, & terminum eorum, quæ appetuntur, incipiendo per amorem, & conſummando per fruitionem; iraſcibilis autem tenet locum medium, quaſi aperiens viam, & difficultates vincens ad conſequendam rem amatam & deſideratam.

Secundo modo ſic ordinantur, vt in appetitu concupiſcibili prima paſsio ordine executionis ſit amor, poſtea deſiderium, vltimo delectatio; ordine verò intentionis è conuerſo. Paſsiones verò circa malum his contrariæ ſemper ſunt poſteriores; quia ordine naturæ prius eſt quærere bonum, quam fugere malum, cum iſtud fugiatur, quia illud quæritur. Et ſic paſsiones circa bonum præcedunt eas, quæ verſantur circa malum oppoſitum. Inter ipſas autem, quæ reſpiciunt bonum, prior eſt amor, deinde deſiderium, ac demũ quies, ſeu delectatio perfecta, & aſſecuta in re, ſiquidem delectatio, ſeu fruitio quędam imperfecta cum primo etiã amore reperitur. Ratio huius ordinis eſt, quoniam in tendente ad finem aliquem, prius eſt quod ſit aliqua proportio, vel coaptatio cum tali fine, quam quod moueatur ad illum, & prius eſt, quod moueatur ad illum, quam quod adipiſcatur, & quieſcat in illo: prima autem coaptatio, & proportio ad finem fit per amorem, quia per illum affectus vnitur rei amatæ, tanquã ſibi conuenienti, & ſic vniri eſt proportionari; motus verò in finem abſentem fit per deſiderium, ac tandem quies, ſeu delectatio in fine preſenti fit per fruitionem, perfectamue rei iam aſſecutæ delectationem: Inter paſsiones igitur concupiſcibilis bonum reſpicientes, rectè ponitur prius amor, deinde deſiderium, poſtremo delectatio.

In appetitu autem iraſcibili prior via executionis eſt ſpes, deinde audacia, vltimo ira: in genere verò malorũ deſperatio opponitur ſpei: deinde timor opponitur audaciæ, & ſequitur deſperationem, id eſt deiectionem animi non potentis vincere Ira autem eſt effectus audaciæ, quia nullus tendit ad exequendam vindictam, niſi audeat vindicare. Verum in ordine intentionis non ita ſe habet, quia cum ad iraſcibilem pertineat tantum intentio rei, vt adipiſcibilis quantum ad ſpem, inde mouetur executiuè circa finem intentũ, ſuperando difficultates. Ratio eſt, quia iraſcibilis excitatur ad acquirendum bonum, vel ad repellendum malum, ſemper autem eſt prior reſpectus ad bonum, quam ad malum, & reſpectus acquiſitionis, quam repulſionis: in ordine autem ad bonum acquirendum directè ſe habet ſpes, quæ tendit ad bonum, quod ſperat, quamuis ſit difficile, deſperatio autem eſt receſſus à bono non vt bono, ſed vt excedente in arduitate. Audacia, & timor ſunt circa malu n vt futurum, aut imminens. Sequitur autem audacia ſpem, quia nullus audet, niſi vbi eſt ſpes victoriæ ad repellendum malum, timor verò ſequitur deiectionem, ſeu deſperationem de tali ſpe. Et demum ira reſpicit malum præſens, vt repellendum per vltionem, aut vindictam, & ſic eſt effectus audaciæ, quia ex apprehenſione victoriæ ſuper malum aggrediens, mouetur ira ad illud repellendum. Iam ergò ſi conſiderentur omnes vtriuſque appetitus paſſiones ordine executionis, ſic ſe habent. Primò eſt *amor*, & ſtatim *odium* oppoſitæ rei. Tertiò *deſiderium*. Quartò *fuga* de oppoſito Quintò *ſpes*. Sextò *deſperatio*. Septimò *timor*. Octauò *audacia*. Nonò *ira*. Decimò *gaudium* de re adepta. Vndecimò *triſtitia* de perdita.

Tertiò tandem attendendo ad prin-

cipalitatem earumdem paſſionum abſolutè, quatuor ſunt principales, in concupiſcibili duæ, *gaudium*, & *triſtitia*: in iraſcibili *ſpes*, & *timor*. Sumitur principalitas iſta ex eo quod ſunt paſſiones magis conſummatæ, & completæ reſpectu obiecti ſui. Nam obiectum appetitus eſt bonum ad proſequendum, malum verò ad fugiendum, & vtrumque poteſt eſſe vel præſens, vel futurum. Si bonum eſt præſens conſummatur in eo gaudium, ſi malũ, triſtitia. Si eſt futurum, completur motus ad bonum per ſpem, non per deſiderium, vel per amorem, quia potius ibi incipit. Ad malum autem futurum completur in timore, qui deijcitur à malo iam imminenti. Ira autem non eſt principalis paſsio in hoc ſenſu, quia circa malum præſens eſt effectus, & quaſi inſtrumentum audaciæ ad depellendum illud; non verò eſt conſummata repulſio.

Quantum ad harum paſsionum bonitatem, vel malitiam moralem; Stoici exiſtimauerunt, omnes paſſiones eſſe malas. Peripatetici autem, tales quidem eſſe immoderatas, bonas verò per rationem moderatas. Quæ ſententiarum differentia proceſſit ex hoc, quod Stoici non diſtinguebant appetitum ſenſitiuum ab intellectiuo, ſeu à voluntate, ſicut neque intellectum à ſenſu; atque adeo dicebant quod in illo vnico appetitu, rationabilis motus dicebatur *voluntas*, irrationabilis autem, *paſſio*. At Peripatetici diſtinguentes hos duos appetitus, ſenſitiuum, & intellectiuum, vocabant omnes actus appetitus ſenſitiui, *paſſiones*, eo quod, vt ſupra explicuimus, faciunt pati corpus ſecundum aliquam alterationem. Sed tamen, quia tam in his actibus, vel motibus appetitus ſenſitiui, quam in illis, qui ſunt voluntatis, aliqui inueniuntur ſubijci, & conformari regulis rationis, aliqui difformari; inde quoque aſſeruerunt, dicendos eſſe bonos omnes illos, qui recto rationis moderamini ſubijciuntur, ſiue ſint paſſiones, ſiue actus voluntatis; malos autem qui illi non conformantur. Iuxta quam ſententiam omnino certam, certum quoque eſt paſſiones, ſeu actus appetitus ſenſitiui, ſi conſiderentur entitatiuè, & ſecundum ſe præciſè, non eſſe bonos, aut malos moraliter ex ſua ſpecie, ſed prout ab imperio rationis mouentur, multo magis, quam exteriores actus membrorum, in quibus tamen moralitas inuenitur, adoratio enim, & cultus religionis externus ſunt bona, homicidium autem, ac furtum mala. Sic ergo paſsiones appetitus ſenſitiui, quatenus voluntariæ tantùm, induunt rationem moralitatis, id eſt regulabilis per rationem: ſunt autem voluntariæ tantum, vel quia à voluntate imperantur, vel quia ab illa non coercentur. Et hæc conſequenter ratio voluntarij, & regulabilis per rationem competit accidentaliter duntaxat paſſionibus, entitatiuè, ſeu in genere naturæ conſideratis, quia eadem entitas, ſeu qualitas eſt in affectu, & actu v. g. amoris, vel odij, procedente ab appetitu ſine imperio rationis, ac procedẽte cum illo. Hoc autem, quod eſt procedere à voluntate, & ratione eſt aliquid eis conueniens, vel impreſſum à potentia illis extrinſeca, & à qua eſſentialiter non pendet appetitus in operando, ſiquidem ſæpius operari poteſt ſine imperio, aut influxu illius, imo ei reſiſtere: talis igitur ſubordinatio ad voluntatem, & rationem eſſentialis, & propria illis paſsionibus non eſt, ſed tantum congruit illis, vt mouentur à ratione, eiuſque regulationi, & imperio ſubiacent. Quemadmodum enim ſpectat ad perfectionem moralis actus interni, quod extendatur ad exteriores actus, & conſummetur, vel perficiatur in opere, quod concipitur corde, ita ad eamdem actus moralis interni perfectionem attinet, quod à voluntate tranſeat ad appetitum ſenſitiuum, qui iam pertinet ad id, quod

eſt

eſt corporeum. Quamobrem iſtæ paſſiones, cum poſsint ſe habere ad iudicium rationis, vel antecedenter, vel ſubſequenter, ſi antecedant, magis obtenebrant, & impediunt iudicium rationis, atque adeo minuunt bonitatem actus, ſi fiat ex paſsione potius, quam ex ratione. Si ſubſequuntur, vel eſt per redundantiam, quatenus ex vehementia voluntatis commouetur etiam pars inferior, vel per electionem, quatenus aduertenter eligit voluntas mouere appetitum; Et primo modo paſſio ſubſecuta non tam addit moralitatem ſiue bonam, ſiue malam, quam ſignificat, eſſe additam, & multiplicatam in voluntate; Secundo verò modo addit illam in ſe, tanquam operatio volita, & electa à voluntate.

Ex huc vſque paulo fuſius, ſed neceſſariò ſuppoſitis, ex doctrina D. Thomæ 1. 2. à quæſt. 22. ad 48. & iiſdem fere eius verbis, circa naturam appetitus tam ſenſitiui, quam intellectiui, eorumque paſsiones, & affectus, vt ſimul appareret, quanta, & qualis ſit incipientibus in via Dei, materia purgationis actiuæ animæ, quo ad vim eius appetitiuam, vel affectiuam; patet quoque, quanta ſit eiuſdem purgationis neceſsitas, tam pro eradicandis vitijs, quam pro comparandis virtutibus; vt enim rectè ait Diuus Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima cap. 4. *Animæ affectus omnium ſunt vitiorum, & virtutum quaſi quædam principia, & communis materia.* Quemadmodum ergo inordinatæ, & immoderatæ paſſiones in ſtatu naturæ lapſæ, & corruptæ, ſunt radix, aut ſemen omnium vitiorum, nec non defectuum, & imperfectionum, in quæ viri, etiam iuſti, in principio ſui curſus plerumque præcipites ferri ſolent, ita præcipuum eorum ſtudium, præcipuaque diligentia collocari debet in paſsionibus expurgandis, per earumdem moderationem, rectumque vſum; nulla ſiquidem eſt, vbi rectè moderatur, quæ in præclaras virtutes, earumue materiam tranſire non poſsit, vt iam oſtendimus, agentes de vnaquaque in particulari. Vndè Sanctus Auguſtinus ait lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 5. *In diſciplina noſtra non tam quæritur, vtrum plus anima iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec vtrum ſit triſtis; ſed vnde ſit triſtis, nec vtrum timeat, ſed quid timeat; Iraſci enim peccanti vt corrigatur, contriſtari pro afflicto, vt liberetur, timere periclitanti ne pereat, neſcio vtrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat*: Et lib. de ſpiritu, & anima cap. 4. *Quoniam virtus eſt habitus mentis bene compoſitæ, componendi, inſtituendi, atque ordinandi ſunt animi affectus ad id quod debent: vt virtutes proficere poſſint. Cum ergo prudenter, modeſtè, fortiter, & iuſte amor, & odium inſtituuntur, in virtutes exurgunt, ſcilicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam.* Item lib. de ſubſtantia dilectionis cap. 2. agens de paſsione amoris ait; *Amor eſt motus cordis, qui cum ſe inordinatè mouet, id eſt ad ea, quæ non debet, cupiditas dicitur: cum verò ordinatus eſt, charitas appellatur*: De triſtitia, lib. de vera Innocentia, *Melior eſt triſtitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis*. De timore ſerm. 15. de Martyribus; *Metuamus ergo, vt non metuamus, hoc eſt prudenter metuamus, ne inaniter metuamus*: Et lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 3. *Metuunt enim*, ſcilicet Chriſtiani, de quibus ibi loquitur, *pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re, quia adhuc ingemiſcunt adoptionem Filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis ſui, gaudent in ſpe, quia mors abſorbebitur in victoriam*; item ibidem, *Metuunt peccare, cupiunt perſeuerare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis*. Tam verum eſt nullam eſſe paſsionem, quæ, diuina præſtante gratia, aut materia virtutum eſſe, aut in eas exurgere non poſsit, *Amor*, in charitatem, ſanctamque amicitiam; *Odium*, in iuſtam indignationẽ; *Deſideria moderata*, in media virtutibus omnibus comparandis aptiſsima;

Fuga

Fuga, in præcipuum caſtitatis munimentum; *Spes*, erigendo animum ad præclara quæque ſuſcipienda; *Deſperatio*, auertendo illum, à temerario eorumdem auſu; *Timor*, prudentiæ inſeruiendo, *Audacia*, fortitudini; *Delectatio* innocens, æternam prægustando felicitatem; *Dolor*, vel *triſtitia*, momentea, & leui pænarum in hac vita pro Deo tolerantia, ab æternis nos liberando.

Etſi autem olim Philoſophi exiſtimarint, inordinatas paſſiones ſola ratione naturali duce moderari poſſe; quarum enim inordinationem nobis à natura, vel inſitam eſſe, vel prouenire credebant, earumdem ab illa conſequenter moderationem, vel ordinationem repetendam eſſe volebant; ſed cum, docente fide, res aliter ſe habeat, vt enim ait Auguſtinus lib. de vera Innocentia cap. 260. *Quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum non eſt præcedens natura hominis inſtituti, ſed conſequens pæna damnati*; inde eſt, quod in ſtatu naturæ lapſæ & corruptæ, neceſſarium eſt, quod natura diuina firmetur gratia, vt paſſiones rectæ rationi difformes, ac rebelles illi ſubijciantur, & in veras, atque perfectas virtutes euadãt. Quod eleganti probat diſcurſu idem Auguſtinus libro citato cap. 337. *Natura humana*, inquit, *etiam ſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Cum ergo ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodò ſine Dei gratia poſſet reparare, quam perdidit?* Et ſerm. 2. de Catechiſmo, *Si vis vincere noli de te præſumere, ſed illi aſſigna victoriæ gloriam, qui tibi donat vt victoria referas palmam.* Nec mirum ſanè, attentis tot difficultatibus, quas in illa referenda, ipſamet experientia teſte perſentimus, concupiſcente carne aduerſus ſpiritum, ipſoquemet ſpiritu in ſeipſum ſæpe diuiſo.

Quod de purgatione animæ docet, & ſuadent Theologi Myſtici, quo ad vtramque eius partem, ſcilicet cognoſcitiuam, & appetitiuam, huc vſque explicata, malè à nonnullis reprehenditur, quaſi hac ratione velint, ad quemdam inſenſibilitatis, & impeccabilitatis ſtatum in hac vita perueniri poſſe, id enim eſt ab eorum mente prorſus alienum, neque ex doctrina ab eis tradita de purgatione animæ vllo modo ſequitur.

Quo ad primum enim de inſenſibilitate, ſiue apathia, qua Stoici homines ſtupidos efficiebant, non ſolum Myſtici illam non aſſerunt, ſed tanquam vitium patientiæ oppoſitum cõdemnant, cum enim hæc ſit virtus, firmans animum in tolerantia malorum, & afflictionum, ita vt propter illa, non deſerat bonum virtutis, nec committat peccatum; vt illi per exceſſum afflictionis opponitur impatientia, quod eſt vitium, excedens modum in dolore malorum, illiuſque impulſu à recto diſcedens; ita per defectum illi opponitur inſenſibilitas, quod eſt vitium, quo quis afflictionibus non tangitur, velut ſtolidus, aut inhumanus; in hoc, inquam, ſenſu loquendo de inſenſibilitate, prout ſcilicet reſtringitur ad mala, & afflictiones, patientiæque per defectum opponi dicitur, eam Myſtici reprehendunt. Multoque magis in illo, quo diceretur ad tantam in præſenti vita perfectionem perueniri poſſe, quod nulla ſentiretur paſsio indeliberata, præuenienſque iudicium rationis; aut inordinata, inſurgenſque contra rectam rationem; ſique aliqui Theologi Myſtici in his ſenſibus, aut ſimilibus inſenſibilitatem, vel apathiam ſuaderent, eſſent omnino reprehenſione digni; cum hoc fuerit ſingulare Chriſti Domini priuilegium, quod nullus in eo appetitus ſenſitiui motus præuenire poſſet iudicium rectæ rationis, ſed expectaret nutum illius, cui etiam perfectiſsimè ſubdebatur; ideoque à Patribus,

tibus, vt iam notauimus ſupra, vocatur *propaſſio*; eo quod iam in ſtatu naturæ corruptæ, nomen paſsionis motuũ dicti appetitus inordinationem ſignificet; non autem quod illos motus verè non habuerit, cum de ſemetipſo dicat; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; & de illo Sanctus Ioannes cap. 11. *Turbauit ſemetipſum*. Vnde rectè ait Diuus Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 9. *Ipſe Dominus in forma ſerui, vitam agere dignatus humanam*, adhibuit paſsiones vbi adhibendas eſſe indicauit: neque enim in quo verum erat hominis *corpus*, & *verus hominis animus*, *falſus erat hominis affectus*. Quod ergo Theologi Myſtici aſſerunt, agentes de purgatione actiua animæ, quo ad vim eius appetitiuam, non eſt, iuſtos, quantumuis in hac vita perfectos, ita concupiſcentiam moderari poſſe, vt paſsionum inordinationem amplius non ſentiant, ſed tantum nullam earum eſſe, quam, diuina opitulante gratia, coercere, & vincere non poſsimus; nam ex eodem Auguſtino de verbis Apoſt. ſerm. 5. *Non concupiſcere omnino perfecti eſt*, vbi per omnino perfectum iam beatum intelligit, *poſt concupiſcentias ſuas non ire pugnantis eſt, luctantis eſt, laborantis eſt. Vbi feruet pugna, quare deſperetur victoria, quando erit victoria, quando abſorbebitur mors.*

Minus adhuc per dictam purgationem aſſeritur impeccabilitas, quaſi iuſti ita paſsiones purgare, & moderari poſsint, vt nullum vnquam peccatum, etiam veniale committant, cum Scriptura dicat, *Septies*, hoc eſt, multoties, *cadere iuſtum*, quod enim aliqui addunt *in die* non habetur illo Prouer. loco cap. 24. & Diuus Ioannes epiſt. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Vnde Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. dicit anathema aſſerenti, *hominem ſemel iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia*. Quatenus abſque ſpeciali priuilegio, nulli alteri à Beatiſsima Virgine Dei Genitrice Maria conceſſo, nullus poteſt, etiam ordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs adiutus, ab omnibus peccatis venialibus abſtinere, quamuis poſſit à ſingulis in particulari. At quia iuſti tripliciter cadere poſſunt in peccata venialia, nimirum ex *malitia*, cum ſcientes, & volentes illa committunt: ex *paſsione*, cum proprijs agitati paſſionum motibus; ac demum ex *infirmitate*, cum per ſurreptionem, vel inaduertentiam; non deſunt multi, qui per omnia peccata venialia, quæ definit Concilium in tota vita non poſse vitari, ſine ſpeciali auxilio, intelligant tria dicta illorum genera, vel ſimilia, non autem quæ ex malitia tantum procedunt ſeparatim ſumpta, quæ ſecundum plures Theologos, Viri iuſti cauere poſſunt, cum ordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs, non ſolùm diuiſiuè, ſeu in particulari, ſed & collectiuè.

Cum autem præfata venialium genera ita ſe habeant, vt quæ ex infirmitate, & paſsione oriuntur minus officiant, vel noceant, quam quæ ex malitia, maximè ſi habitualiter, & ex quodam inueterato ad illa affectu committuntur, illis potiſsimum expurgandis, & corrigendis ſuum ſtudium adhibere debent, qui in quocumque ſtatu perfectioni acquirendę operam nauant, maximè autem, qui ex proprio ad id tenentur, vt ſunt religioſi.

CA-

CAPVT VI.

De purgatione paſſiua animæ, Deo illam probante, quoad partem inferiorem, ſeu ſenſitiuam.

POſtquam in præcedentibus capitibus egimus de purgatione actiua, qua ſcilicet iuſti primum incipientes, proprio labore, propriaque induſtria, ſemper tamen diuina præueniente, concomitante, & ſubſequente gratia, poſſunt, ac debent, ad diuinas tandem impreſſiones facilius recipiendas, animam emundare, tam quoad partem eius cognoſcitiuam, quam appetitiuam, ſeu affectiuam, ab omni peccatorum, vitiorum, & imperfectionum labe; In præſenti agemus de purgatione paſsiua, ſic dicta, quia Deo ipſo, vel immediatè, vel medijs quandoque creaturis, eoſdem purificante, & probante, ſicut aurum in fornace, non tam agere, quam pati dicuntur, diuina pariter gratia roborati, vt & Dei voluntati ſemper ſint in hoc eius purgationis opere conformes, & ab eo internos fructus percipiant. Quæ igitur ab alijs diffusè tractantur de hac purgatione breuiter cõtrahemus intra huius, & ſequentis capitis limites, primumque in iſto agemus de illa reſpectu partis inferioris, ſeu ſenſitiuæ, comprehendentis, tam vim cognoſcitiuam ſenſuum internorum, & externorum, quam appetitiuã concupiſcibilem, & iraſcibilem.

§. I.

In quo conſiſtat purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ.

HAc purgatio nihil eſt aliud, quam ſubtractio gratiæ, vel potius deuotionis ſenſibilis, plerumque ex abundantia diuinæ gratiæ redundãtis in partem ſenſitiuam, facta à Deo in finem ſubordinandi illam parti ſuperiori, & vtramque ſibi. Vbi adducuntur omnes eius veluti cauſæ; *Materialis*, pars nimirum ſenſitiua, in qua hæc purgatio exercetur, tam quoad cognitionem, quam quoad affectum; *formalis*, dum dicitur, quod ſit ſubtractio deuotionis ſenſibilis, atque adeò hæc purgatio non conſiſtit formaliter in aliqua forma poſitiua, ſed potius in priuatione eius, motus ſcilicet deuotionis ſenſibilis, quam ſubtrahit Deus & ad eius ſubtractionem, adhuc variæ, & graues ſequuntur anguſtiæ, deſolationes, ariditates aliaque ſimilia in ſenſu. Quia autem deuotio multipliciter ſumi poteſt; *Primò* pro ſpeciali actu religionis, quo quis ſe Deo deuouet, & cultui ipſius, vndè ſolet definiri deuotio, interna ſui ad cultum diuinum oblatio, & traditio; *Secundò* pro generali conditione omnium actuũ religionis, ſecundum quam acceptionem definitur, promptitudo voluntatis, & feruor affectus, ad ea, quæ ſunt cultus diuini; hic autem feruor eſt intenſio affectus excludens acediam, & teporem; *Tertiò*, pro quadam partis ſenſitiuæ teneritudinẽ, vel cordis dilatatione, de qua non incongruè poteſt intelligi illud Regij Prophetæ, cum de ſe ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Pſal. 118 nec non illud aliud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; Pſal. 83. in hoc vltimo duntaxat ſenſu purgatio paſsiua ſenſitiua dicitur ſubtractio deuotionis, dictæ ſenſibilis, quia ſolum afficit ſenſum, non autem ſi ſumatur deuotio in duobus prioribus ſenſibus, ſic enim Deus non ſolum illam non ſubtrahit, ſed potius faciens in tentatione prouentum vberioribus ſuæ diuinæ gratiæ auxilijs illam promouet, cuius eſt ſignum quaſi manifeſtum, ſi huiuſmodi purgatio paſsiua prouenit à Deo, non autem ex propria culpa, quod iuſti non recedunt propterea à diuino cultu, ſed potius, quãtumuis afflicti, & aridi, debito voluntatis feruore omnia ad illum ſpectantia libenter amplectuntur.

Cauſa

Cauſa efficiens eſt Deus, non ſolum vniuerſalis, qua ratione omnia pendēt ab illo. verum etiam particularis, quatenus ipſe totum hoc purgationis opus quaſi proprium aſſumit perficiendum. Cum enim ordinariè iuſtos adhuc incipientes, & in vita ſpirituali tenellos veluti lacte deuotionis ſenſibilis paſcere ſoleat, vt potè ſolidiori cibo nondum aptos, poſtea, ne illi plus nimio adhæreant, aut indè ſuperbiendi occaſionem ſumant, aliosque ob fines, infra adducendos, illam ſubtrahit, vt ſic de lectulo ſuo ſurgentes, & per regiam Sanctæ Crucis viam, laboribus, & anguſtijs plenam Chriſtum ſequentes, illi tandem ſoli adhæreant.

Cauſa demum finalis, præter diuinam in hoc opere gloriam, eſt, quod pars inferior aptè purificata, perfectè ſubordinetur, & conformetur ſuperiori, à ſuis etiam prauis diſpoſitionibus expurgandæ, vt ſic ambabus rectè diſpoſitis, ſimulque conſentientibus, facilius, & promptius iuſti, in via perfectionis procedere, & ad diuinam tandem vnionem peruenire poſſint. Fines ſecundarij ſunt omnes illi, ob quos infra dicemus, hanc in iuſtis purgationē eſſe vtilem, ac neceſſariam; nunc ſermo ſit de diuerſis medijs, ac modis, quibus vltra deuotionis ſenſibilis ſubtractionem, indeque ortam ariditatem, Deo volente, aut ſaltem permittente, perficitur adhuc purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ.

§. II.

De diuerſis medijs, vel modis, quibus perficitur purgatio paſſiua, partis ſenſitiuæ.

INcipiendo à medijs veluti extrinſecis, primum occurrit manifeſta etiam dęmonum perſecutio, qua ad ſeruos ſuos purificandos, ac demum victores, & triumphatores reddendos contra illos, Deum plerumque vti, innumera teſtantur exempla in vitis, & hiſtorijs Sanctorum paſſim occurrentia. Quæ perſecutio, quanto maior eſt, vtpotè ab infenſiſsimis, & aſtutiſſimis hoſtibus illata, tantò magis eſt timenda; quique ea affliguntur, debent ſe coram Deo humiliare, virium ſuarum impatitatem agnoſcendo, diuinamque opem implorando, & ad ſuam conſolationem ſibi perſuadere, huiuſmodi perſecutionem ſiue viſibilem, ſiue inuiſibilem, non in malum ipſorum, ſed in bonum ſpirituale, non in ruinā, ſed in gloriam, ſi ea benè cum diuina vtantur gratia à Deo permitti; propoſito ſibi Chriſti Domini exemplo, qui per dæmonem tentari, & per membra dœmonis crucifigi voluit.

Alterum medium extrinſecum, quādoque eſt hominum perſecutio; quæ ſiue iuſta, ſiue iniuſta; ſiue facta præter intentionem, ſiue ex illa; ſiue quocunque alio modo contingat, in varias claſſes diſtinguitur, iuxta perſequentium hominum diuerſitatem: ex quibus nonnulli ſunt boni, nonnulli mali; quidam amici, quidam inimici; alij affines, & conſanguinei, alij extranei; ac demum alij fratres religioſi, alij prælati, vel ſuperiores; quorum omnium perſecutiones exercentur, vel dictis, vel factis; & quibus Deum nonnunquam vti ad virtutum exercitium, incipientiumque probationem, nedum habemus ex Diuinis, & Eccleſiaſticis hiſtorijs, verum etiam quotidianæ docent experientiæ. Nec mirum, cum huiuſmodi perſecutiones, vt potè viſibiles, & ſenſibiliores, quam illæ dęmonum, plerumque etiam nobis grauiores, & intolerabiliores videantur. Ad quas patienter ſuſtinendas, præter hoc, quod credi debet illas non caſu, ſed ſuaui diſpoſitione Dei accedere, mirum in modum iuuat exemplum Chriſti Domini, in quo omnia pręfata perſecutionum genera ad ſuorum conſolationem exercita fuere. In perſonis autē religioſis, ſi à ſuis ſuperioribus aliquā vel factis, vel dictis perſecutionem patiantur, non parum valet ſibi perſuadere,

re, non tam eſſe perſecutionem, quam ſalutarem correptionem ad virtutis exercitium, aut ex zelo iuſtitiæ potius, quam ex ſenſu naturæ procedentem.

Tertium medium, veluti intrinſecum purgationis paſſiuæ ſenſitiuæ cõprehendit iacturam omnium rerum ſenſibilium, nimirum parentum, amicorum, bonorum fortunæ, honorum, nec non corporis, per aliquam eius deformitatem, infirmitates, membri alicuius carentiam, aut ſenſus priuationem, aliaque ſimilia; quorum omniũ iactura, Deum iuſtos, quandoque illis non ita ordinatè affectos, aut etiam licitè, ad maiorem tamen eorum perfectionem purgare voluiſſe, plura quoque demonſtrant exempla, tum in Scripturis, vt Sanctorum Iob, Tobiæ, & aliorum, tum etiam in hiſtoria Eccleſiaſtica contenta. Quæ ad eamdem quoque iacturam patienter de manu Domini ſuſcipiendam plurimum iuuare poſſunt; nec non attenta conſideratio vanitatis mundi, cuius omnia bona, cum præ æternis ſint caduca, & marceſcibilia, propterea parui ſunt facienda, vbi præſertim, vel minimum ab iſtorum amore nos retrahunt, vel retardant.

Quartum, ſunt carnis ſtimuli, ſeu tentationes cõtra caſtitatem, etſi enim de nonnullis Sanctis legatur, eos talia nunquam probaſſe, plures tamen eorũ hoc etiam modo rigoroſè purgatos fuiſſe, narratur quoque in eorum vitis. Sufficiet modo Diui Pauli exemplum; intèr huius tentationis anguſtias ſuſpirantis, & dicentis: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ; Angelus Sathanæ, qui me colaphiſet* 2. Corint. 12. Vix enim concipi poteſt, quantum hoc modo, incipientes præſertim, nonnunquã ex receptis ſenſibilis gratiæ fauoribus aliquantulum elati, nedum ad propriæ vilitatis, & tunc apparentis infirmitatis confuſionem adducantur, ſed & inſuper grauiter torqueantur; Tum ſcrupulis conſenſus, qui paſsim exurgunt: Tum fœditate materiæ, cum enim incipientes potiſsimum affectent tam corporis, quam animæ puritatem, mirum eſt, quam ſit illis moleſtum, quamque graue, dum ſe fœdis imaginationibus, impuriſque corporis motibus agitari ſentiunt: Tum metu ruinæ ſpiritualis, quam indè ſibi imminere ſuſpicantur: Tum quia huiuſmodi tentationem, velut effectum alicuius grauis peccati, de nouo commiſſi, ſibi tamen ignoti, conſiderant: Tum denique, quia per illam ſe Deo puritatis amatori reddi credunt abominales, & exoſos; adeo vt niſi prudentis directoris conſilio iuuarentur, in deſperationem præcipites irent. Quare primum huic tentationi remedium, omnium vehementiſſimæ, quia ad illam ſuſcitandam, & fouendam conſpirant tres quaſi domeſtici hominis inimici, mundus, caro, & dæmon; nec non ſupramodum cruciatiuæ, ob quamplurimos inſurgentes de conſenſu ſcrupulos, quia cum hæc tentatio ſit valdè conformis, & in ſtatu naturæ corruptæ quaſi connaturalis parti inferiori concupiſcibili, indeque per illam ad illicita delectabilia vehementer inclinetur, vix diſcerni poteſt, tanta eſt partis inferioris contra ſuperiorem violentia, an hæc illi præbuerit conſenſum, nec ne; quod nõ mediocriter incipientes maximè perturbat; quare primum, vt dicebam, ſic tentatis remedium eſt, habere prudentem, ac doctum Confeſſarium, vel directorem, cui fideliter, & humiliter ſuas aperiant in hac re anguſtias. Vix enim credi poteſt, quantum ad hanc tentationem ſuperandam valeat humilitas, propriæque infirmitatis agnitio, & confeſſio. Secundò fugere omnia illa, quæ quocumque modo eam fouere, aut illi locum dare poſſent, videndo, legendo, audiendo, loquendo, nimiſque familiariter cum fœminis, vbi nulla eſt neceſſitas, conuerſando, vt communiter docent Patres, nec non iſtas contra caſtitatem tentationes, non tam ſuperari reſiſtendo, quam dimiſſo fræno, longius fugiendo. Tertiò demum,

mum, repititis orationibus iaculatorijs, diuinum auxiliũ depoſcere, qui enim Deus non ſinit nos vltra vires tentari, & facit cum tentatione prouentum, confidenter, & humiliter dicenti, Salua nos perimus, præſto aderit, & fiet tranquillitas in mari.

§. III.

De neceſſitate purgationis paſſiuæ partis ſenſitiuæ.

ET ſi primus, principaliſque finis huius purgationis ſit, vt pars ſenſitiua inferior ſubordinetur parti intellectuali, & ſuperiori, eique in ſpiritualibus exercitijs cooperetur, nec non ad intimam eius cum Deo vnionem; quibus interdum obſtat, quod pars inferior ſenſibilibus obiectis, aut guſtibus intentius occupatur, vel abſorbetur; Quamobrem licet Diuus Thomas 2. 2. q. 158. art. 8. affirmet, quod appetitus inferior ſequitur motum appetitus ſuperioris, ſubdit tamen, niſi aliquid repugnet; quod idem habet 1. 2. q. 74. art. 3. ad 1. vndè 1. p. qu. 81. aſſerit, quod appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis obediunt rationi non deſpoticè, ſed politicè; non propterea eiuſdẽ purgationis, ſeu ſubtractionis ſenſibilis deuotionis, plures deſunt alij fines ſecundarij, ob quos vtilis, adhuc, vel neceſſaria incipientibus dici debeat; huiuſmodi ſunt.

Primò, quod, cum dœmones, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 80. art. 2. facilè ſe immiſcere poſſint huiuſmodi ſenſibilibus guſtibus, directè etiam illos cauſando, & ita incipientes adhuc inexpertos decipere, cum dijudicare non valeant, an ſint à Deo, vel à dœmone transfigurante ſe in Angelum lucis; mediante paſſiua dictorum guſtuum purgatione liberantur, ne ab illo in errorem, indeque in peccatum inducantur.

Secundò, quia eodem dœmone cooperante, vel etiam ſine illo, hi quoque guſtus ſenſibiles poſſunt prouenire à naturali diſpoſitione, vt docet Richardus à S. Victore ſerm. 33. in Cantica, nec non Diuus Bonauentura Proceſſu 7. Religionis cap. 18. Igitur, ne incipientes ignari gratiæ, dum mouentur carnali gaudio, vel naturali alacritate, moueri ſe credant ſpirituali conſolatione; valdè vtile eſt illis, quod à Deo priuentur huiuſmodi dulcedinibus ſenſibilibus.

Tertiò, quoniam adhuc concesso, quod eſſent à Deo, non autem à dœmone, aut à diſpoſitione naturali, cum tamen etiam impijs communes interdum ſint, vt ait idem Richardus in Cant. cap. 6. & in Pſal. 80. ne plus æquo à iuſtis incipientibus æſtimentur, qui ad diuinas communicationes ſolis iuſtis, & perfectis proprias potiſſimum debent anhelare, conuenienter, vt ad iſtas peruenire poſſint, ab illis purgantur. Sed eſtò quod ſolis iuſtis concederentur, quia tamen non ſunt ita perfectæ, ac ſpirituales diuinæ gratiæ impreſsiones, nimiuſque affectus ad illas, vtpotè magis connaturales, poſſet eſſe impedimentum ad iſtas, aut etiam videri incipientibus ſe plus amare, aut diligere Deum, quam re verà diligant; vt enim ait Richardus cap. 6. in Cantica: *Affectuoſa dilectio interdum plus afficit minus diligentem, & minus perfectum: non enim tantum diligit quiſque quantum hanc ſenſit, & quando in illo ſtatu ſibi diligere videatur; ſed quantum in virtutibus, & in charitate fundatus fuit, & in ſeruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis eſt & fallax, & humanitatis interdum potius quam gratiæ, cordis, quam ſpiritus, ſenſualitatis, quam rationis: ita vt magis accedat aliquando ad minus bonum, & minus ad maius, & ad aliquid quod ſapit magis, quam quod expedit:* vndè patet, quam ſit vtilis, quam proficua huiuſmodi communicationum, ac dulcedinum ſenſibilium purgatio, factaque à Deo ſubtractio, vbi ita vult, & diſponit.

Quartò expedit, ad remouendam ſuperbiæ occaſionem; etſi enim huiuſmodi communicationes, vbi à Deo procedunt, ex ſe ad virtutem inducant, attamen ex imperfectione recipientiũ, & ſuggeſtione dæmonum ſæpè præbent occaſionem elationis, item ne ſanitati noceant, quotidiana enim docet experientia communicationes ſenſitiuas nimium guſtatas, non mediocriter ſanitatem lædere, vireſque corporales exhaurire: Ac tandem, quia ad illas multæ ſequuntur impuritates; quare ne incipientes, nondum in virtute firmati conſenſum eis præbeant; & carne conſummeut quod ſpiritu inceperunt; melius eſt eis deuotione ſenſibili carere, quam cum illa tali periculo ſubiacere. De quibus videri poteſt Richardus cap.6. citato, & cap.37. item Diuus Bonauentura proceſſu 7. Relig. cap. 18. & 21. quorum primo hæc habet verba de dictis impuritatibus: *De his verò qui cum aliquando dulcedinem ſpiritualem ſentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu fœdantur; neſcio quid iudicem, niſi quod potius eligo his carere floribus, quos de luti ſordibus legere deberem: & ſicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque in huiuſmodi ſpiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita eriã excuſare neſcio, qui tali fluxu ex conſenſu condelectantur, qualiſcumque eorum intentio videatur.*

§. IV.

De effectibus purgationis paſſiuæ partis ſenſitiuæ.

QVamuis ex dictis nonnulli fructus, vel effectus, quos purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ producit in anima, ſatis pateant; tamen claritatis gratiâ, quæ de illis docent Theologi Myſtici, breuiter attingam, & diſtinguam. Igitur cum purgatio iſta duo præſtet: Primò ordine generationis, ſeu in executione, ac ex parte incipientis, remouere omnia impedimenta diuinæ vnionis, ad quam vltimatè ordinatur, proximè autem ad perfectã partis inferioris ad ſuperiorem ſubordinationem: Secundò inducere debitas ad vtrumque finem diſpoſitiones; quãuis ordine intentionis, ac ex parte Dei agentis aliter ſe habeat; nam inducendo tales diſpoſitiones in incipientibus, remouet quoque impedimenta ad illos fines; atque adeo quod in priori ordine tanquam primum aſſignatur, in poſteriori eſt ſecundum, & vice verſa quod in illo eſt ſecundum, in iſto dicitur primum; cum, inquam, purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ ad hæc duo ordinetur, eius quoque fructus, vel effectus quidam ſunt priuatiui, quidam poſitiui. Priuatiuis annumerandi ſunt; quod, vt ſuperiori paragrapho oſtendimus, per iſtam purgationem incipientes liberentur à multis dœmonum illuſionibus, à multis vanis ſuis imaginationibus, aut imperfecto ſaltem operandi modo, etiamſi ſint bonæ obiectiuè; tum à multis periculis cadendi in anima per peccatum, & deficiendi in corpore, quantum ad ſanitatem, ac vires naturales; alijſque ſimilibus, quæ impedire poſſunt, ne pars ſenſitiua intellectuali debitè ſubijciatur, & vtraq; perfectè in ordine ad diuinam vnionem diſponatur.

Effectus poſitiui præcipui ſunt; 1. dicta ſubiectio, vel ſubordinatio, quod enim in intentione habet rationem finis, in executione habet rationem effectus. 2. Robur animæ, non ſolùm quia, ſi illa purgatio eſt à Deo, ipſe maiora ſolet conferre gratiæ auxilia, ne incipientes illi ſuccumbant, verum etiam quia virtus animæ, in varia prius diſtracta, indeque debilitata, ſoli Deo intenſius vacare poteſt. 3. perfectior conſequenter tam ſui, quam Dei notitia: indèque profundior humilitas. 4. Paupertas ſpiritualis. 5. Conformitas cum diuina voluntate. 6. patientia, & perſeuerantia in laboribus; ac tandem facilius omnium virtutum exercitium;

citium, quod ſufficit breuiter inſinuaſſe, cum res ſatis ex ſe pateat.

§. V.

De ſignis, quibus dignoſci poteſt hanc purgationem paſſiuam eſſe à Deo.

CVm in iuſtis defectus deuotionis ſenſibilis, indeque prouenientes anguſtiæ, & ariditates, tales, vt qui illas patiuntur, ſint plerumque ſibimetipſis graues, aliundè quam à Deo ſpecialiter operante procedere queant, nimirum ab actualibus peccatis venialibus, vel ab aliquo exuberante humore, præſertim melancolico, vel ab ipſomet dæmone partem inferiorem mouente; non deſunt ſigna, vel argumenta, quibus dignoſci, vel argui poſſit, huiuſmodi deuotionis ſenſibilis ſubtractionem eſſe opus Dei, volentis probare animam, illamque transferre à ſtatu imperfecto incipientium, ad ſtatum proficientium, ac tandem perfectorum, ſuas proindè communicationes de ſenſitiuis mutando in purè ſpirituales. Huiuſmodi ſigna ſunt primò omnes effectus ſtatim adducti, qui vbi reperiuntur in anima, ſatis indicant dictam purgationem eſſe à Deo.

Verùm alia tria magis adhuc propria ſolent aſsignari, eaque fusè, & doctè proſequitur Beatus Pater noſter Ioannes à Cruce lib. 1. noctis obſcuræ cap. 19. Primum eſt, ſi nullum Incipientes guſtum, nullamque conſolationem, ſiue ex rebus diuinis, ſiue ex obiectis creatis percipiant. Cum enim homo naturaliter ſine aliqua delectatione diu eſſe non poſſit, ſi quis, ſemel inter anguſtias, & ariditates purgationis paſſiuæ de nulla re ſenſibili delectetur, ſiue bona, ſiue mala, ſiue indifferenti, ad quam tamen appetitus ſenſitiuus adeò propendet, & inclinatur, videtur eſſe ſignum quaſi manifeſtum, huiuſmodi purgationem, ſeu dulcedinis ſenſibilis ſubtractionem, ſuam non habere originem à diſpoſitione naturali, aut aliunde, ſed à Deo operante, vel purgante.

Alterum huius ſignum eſt, ſi incipientes, aut etiam perfecti, quantumuis afflicti, & anguſtiati, ſubtrahente illis Deo omnem prorſus deuotionem, aut conſolationem ſenſibilē, non propterea memoriam eius amittunt, aut ab eius cultu recedunt, quantumuis pars ſenſitiua maximè ab illo abhorreat, præſertim ab oratione, conſueta illius tempora deſerendo; ſed illa potius diligenter obſeruant, eo ducti ſpiritu, quod orent, Deoque in omnibus deſeruiant, non vt ſibi guſtum, ſed ſoli Deo gloriam, & honorem afferant. Nam cum, vt ſtatim dicebatur, pars ſenſitiua ita vehementi feratur motu circa obiecta ſenſibilia, ſi talis ariditas, quam iuſti interdum patiuntur, à Deo non eſſet, ſed ab aliqua diſpoſitione corporali melancolica, vel alia, aut naturam omninò obrueret, aut cæleſtium potius vt potè remotorum, quam terrenorum paſſim occurrentium memoriam excluderet; & acediam, ſiue quod idem eſt, tædium benè operandi induceret. Vbi igitur, non obſtante huiuſmodi ariditate, aut deficiente omni ſenſibili dulcedine, iuſti tamen omnia dicta præſtant, ſignum eſt euidens talem ariditatem eſſe opus Dei, quamuis etiam humor melancolicus, aut dæmon illi admiſceretur. Vnde iſta duo valde inter ſe diſtinguntur, ſi ſumantur propriè ariditas, & acedia; Ariditas enim purgatiua à Deo proueniens, maximam ſecum affert, aut ſaltem compatitur in diuino obſequio ſollicitudinem; quamuis pars ſenſitiua propter inſipiditatem in ſuis actibus prædominantem, infirma in operando, & remiſſa videatur; At verò acedia, licet ſit peccatum veniale tantùm ex genere ſuo, quia non tam repugnat charitati, quam eiuſdem feruori, ſemper tamen eſt peccatum cauſans horrorem quemdam præſertim orationis, nec nõ triſtitiam, ac torporem animi in omnibus,

bus, quæ pertinent ad cultum diuinũ; vt expreſse docet Diuus Thomas varijs in locis. Cœterum ariditas, etſi à Deo in pœnam peccati poſſit immitti, ex ſe tamen ſolum eſt pœna, qua, vbi hæc, vel alia reperiuntur ſigna, Deus ordinarie intendit purgare animam incipientium, vt ad perfectiorem ſtatũ tranſire valeant, aut ſaltem ad exercitium patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum.

Tertium denique Signum eſt, quando incipientes prius aſſueti meditationibus, ac pijs diſcurſibus, illos amplius imaginatione formare nequeant, quantumcumque conentur; Deo tunc illos ad ſublimiorem orationis gradum vocante. Etenim ſi hæc imaginationis impotentia prouenriet ex diſpoſitione naturali, aut aliquo humore malo, illo ſemel euacuato, vel temperato ad priſtinum ſtatum rediret anima, & eadem qua prius facilitate imaginationis viribus vteretur: vbi ergo contrarium accidit, Deo altiori modo ſe communicante animæ, ad quem ſenſus tam interni, quam externi pertingere non poſſunt; ſignum eſt, huiuſmodi eorum purgationem, vel ſterilitatem in operando, Deo attribuendam eſſe.

§. VI.

Quomodo incipientes, tempore huius purgationis, ſe gerere debeant.

Sicut diuerſis modis, aut medijs purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ fit à Deo, quorum tamen præcipuum eſt ſubtractio omnis dulcedinis, vel deuotionis ſenſibilis, tam quoad partem cognoſcitiuam, quam appetitiuam, ſeu affectiuam, ita etiam, qui illa exercentur, diuerſimode ſe gerere debent, ſeu diuerſis vti motiuis, ne huius viæ difficultatibus, & horrore perterriti ſuccumbant; de quibus eum ſufficienter actum ſit ſupra, examinando dicta ſingula media; nunc generaliter loquẽdo, primùm, nullas vnquam ob anguſtias exercitia ſpiritualia, maxime orationis, debent deſerere, ſed in illis fideliter perſeuerare: ſecundo, ſemper ob oculos Chriſti paſſionem habere, qui non ſolum ab hominibus, verum etiam à Patre ſuo derelictus, in vltimo mortis agone conſtitutus, ad eum clamauit, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me*? tertiò conſiderare, & perpendere, quanti ex laboribus patienter, & pro Deo toleratis percipiantur fructus; quodque ſi fuerimus paſſionum Chriſti in hac vita ſocij, longe maiorum in altera conſolationum erimus cum eodem participes, etiamſi nullas prorſus in præſenti conferret. Quartò tandem in omnibus directoris, ſeu Patris ſpiritualis conſilium adhibere; quem, ſi fieri poteſt, ſimul doctum, & expertum debet eligere; quo deficiente, egregiè doctus preferri debet experto; iſte autem ſemidocto iuxta documenta Sanctæ Matris noſtræ Thereſiæ.

CAPVT VII.

De purgatione paſſiua animæ, Deo illam probante quo ad partem intellectiuam.

Qvamuis hæc purgatio ſit magis propria proficientium, etiam poſt longum virtutum, contemplationiſque exercitium, quam incipientũ; quia tamen, ſicut paſsiua purgatio partis ſenſitiuæ, iſtorum magis propria, ſæpe etiam in proficientibus exercetur, ita & purgatio partis intellectiuæ, licet iſtis magis ordinaria, nonnunquam etiam cum incipientibus à Deo vſurpatur, propterea, nec non etiam ob materiæ connexionem, breuiter hic de illa agemus, eodem ordine quo de purgatione paſſiua partis ſenſitiuæ.

§. I.

In quo conſiſtat purgatio paſſiua partis intellectiua.

HAec purgacio fit à Deo in parte intellectiua, immiſſa illi luce clariſſima, qua anima, quæ purgatur, omnes ſuos defectus quantumuis latẽtes, & exiguos perfectè cognoſcens, indè grauiſſimè cruciatur, obuoluto nimirum intellectu tanta huiuſmodi defectuũ caligine, vt ad diuina, & cæleſtia vix poſſit, vel audeat ſe eleuare; voluntate autem redacta ad tales anguſtias, tantumque præſertim ſui errorem, vt potè cauſã, & radicem omnium huiuſmodi defectuum, vt quaſi de diuina bonitate videatur ſibi deſperare, quam tot modis ſe offendiſſe ſupponit: Et ita ad perfectam cum Deo vnionem diſponitur.

Quibus verbis explicantur quatuor pariter cauſæ huius purgationis paſſiuæ partis intellectiuæ: *Materialis*, dũ dicitur fieri, vel exerceri in parte intellectiua, comprehendente tam intellectũ, quam voluntatem; *formalis* eſt lux illa clariſſima diuinæ irradiationis, vel contemplationis; vndè diſtinguitur à purgatione paſſiua ſenſitiuæ partis, quod, vt diximus, cauſa formalis iſtius non conſiſtit in aliquo poſitiuo, ſed priuatiuo, ſcilicet in ſubtractione omnis dulcedinis, vel deuotionis ſenſibilis: At verò cauſa formalis purgationis paſſiuæ partis intellectiuæ, conſiſtit in aliquo poſitiuo, ſeu cauſatur ab illo, cuiuſmodi eſt præfata lux. Cauſa efficiens eſt Deus, nedum vniuerſalis, ſed & particularis, qui purgando ſuorum electorum animas, illas ad ſui vnionem diſponit, quæ vnio eſt cauſa finalis præcipua, ſecundariæ autem, omnia illa motiua, quibus oſtendemus infra, aliũdè etiam talem purgationem conuenire. Etſi enim, qui ita purgantur, non ſemper ad perfectam cum Deo vnionem omnes perueniant, ſed quos vult, & elegit Deus, non propterea deſunt aliæ huius purgationis motiua, ſeu congruentiæ.

§. II.

De varijs modis, ac medijs, quibus perficitur purgatio paſſiua partis intellectiua.

ETſi ob connaturalem ſympathiam partis inferioris, ſeu ſenſitiuæ, & ſuperioris, ſeu intellectiuæ, nec non idẽtitatem ſuppoſiti vtriuſque, qui modi, vel media purgandæ parti ſenſitiuæ deſeruiunt, ab intellectiua non excludantur, adhuc tamen ſunt aliqua iſti proportionata, & propria. Huiuſmodi ſunt, ex Theologis Myſticis, primò quod aliqui ad tempus, aliqui verò, toto vitæ decurſu, ſine vlla prorſus conſolatione ſpirituali viuant, ſed in perpetuis tenebris, ex parte intellectus, & ariditatibus ex parte voluntatis. Secundò, quod graues contra fidem tentationes patiantur. Tertiò, quod ſpiritu blaſphemiæ vexentur. Quartò, quod timore, ac horrore reprobationis, concomitanteque deſperationis tentatione affligantur. Quintò, ſcrupulorum importunitate. Sextò timore derelictionis, & indignationis diuinæ.

Quibus adhuc afflictionibus, vel tentationibus aliæ plures annumerari poſſunt occaſione huius purgationis ſatis frequenter exurgentes, ceſſandi à bonis operibus; regrediendi à via perfectionis; murmurandi contra Deum; negandi eius prouidentiam, aut accuſandi eum iniuſtitiæ, & ſic de alijs multis. Si enim ex Diuo Bonauentura de his agente proceſſ. 4. Relig. à cap. 2. vſque ad 10. *Nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates, & dolores plenè poteſt cognoſcere; quantò minus ſpirituales morbos tentationum, & paſſionum, quæ ſubtiliores ſunt, valet aliquis plenè diſcernere, niſi Spiritu Sancto pleniſſimè illuſtratus? Acerbiſſimæ tamen tentationes videntur, heſitatio in fide Catholica, & de-*

& deſperatio de Dei miſericordia, & ſpiritus blaſpemia contra Deum, & Sanctos, & tentatio iniiciendi ſibi manus, & ſe perimendi, & quadam perplexitas querulosę conſcientia medicinale conſilium non admittendi. Quorum omnium exemplis, vt refertæ ſunt plurium Sanctorũ hiſtoriæ, ita qui eadem purgatione à Deo exercentur, tam indè, quam ex Magiſtrorum ſpiritualium documentis proportionata quoque ſuis anguſtijs ſumere debent, tum remedia, tum conſolationis motiua, tum denique virtutum incitamenta.

§. III.

De neceſſitate purgationis paſſiuæ partis intellectiuæ.

QVi concurrunt fines ſuperius adducti in purgatione paſſiua partis ſenſitiuæ, eiuſque arguunt neceſſitatem, vel vtilitatem; multò magis concurrunt, ſiue intenduntur à Deo in purgatione paſſiua partis intellectiuæ; & inſuper primò, vt defectus tam habituales, quam actuales, quos purgatio paſſiua partis ſenſitiuæ non potuit tollere, per illam eradicentur. Huiuſmodi autem defectus habituales ſunt ex parte intellectus, diſtractio, & euagatio eius à Deo ad creaturas; ex parte verò voluntatis, innatus amor proprius, & nimia ad guſtus ſpirituales propenſio. Actuales ſimiliter ex parte intellectus ſunt, quod ſæpè decipiatur, vera iudicando falſa, & è conuerſo, maximè autem in diſcernendis diuinis communicationibus; ex parte autem voluntatis ſunt præſumptio, ſuperbia, arrogantia, ſæpè ex abuſu dictarum communicationum prouenientes.

Secundò, vt vera animæ humilitas ingeneretur, qua proprios defectus videns, & de propria virtute diffidens, in ſola bonitate diuina ſpem ſuam collocat. Dum enim ex vna parte anima in hoc ſtatu tam clarè ſe cognoſcit, ſingulosque defectus ſuos, ex alia verò diuinæ maieſtatis excellentiam, non poteſt non viliſſimè de ſe ipſa ſentire, altiſſimè autem de Deo, in quo conſiſtit vera, & perfecta humilitas, quæ eſt virtus inclinans creaturam intellectualem ad ſui vilitatem profitendam; ſeu qua quis veriſſima ſui cognitione, ſibi ipſi vileſcit, iudicio, & affectu; vnde eſt duplex humilitas, iudicij, & affectus. Iudicij humilitas eſt ea, qua quis ſeipsũ intuens ad lumen veritatis, maximè vbi tale lumen ſpecialiter immittitur à Deo, vt contingit in purgatione paſſiua, agnoſcit ſuam vilitatem, & ſe coram Deo demittit. Affectus verò humilitas eſt ea, qua quis cupit ab alijs contemni, ſeu vilis haberi, qualem ſe coram Deo iudicat. Cui tamen humilitati, vt per exceſſum opponitur ſuperbia, quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ita per defectum nimia ſui abiectio, quæ eſt inordinata propriæ excellentiæ demiſſio, redundans in iniuriam proprij ſtatus, malamve proximi ædificationem; Eiuſmodi foret Epiſcoporum, Sacerdotum, aliorumve Prælatorum Eccleſiaſticorum abiectio ad aliqua indecentia officia, à qua proindè abſtinendum eſt.

Tertiò, vt inde maiori in cælo gloria coronentur à Deo, qui ita ab eo purgantur, ſi enim quælibet afflictio, multo magis iſta omnium ſumma, quæ in hac mortali vita haberi poteſt, æternum gloriæ pondus operabitur in illis, qui patienter diuinæque voluntati conformes illam ſuſtinuerint.

His quoque finibus, ac ſimilibus adiungi poſſunt, qui dicuntur huius purgationis effectus ſtatim addocendi; quæ enim in ordine executionis ſunt effectus, in ordine intentionis pertineant ad genus cauſæ finalis.

§. IV.

§. IV.

De effectibus purgationis paſſiuæ partis intellectiuæ.

SIcut in ordine intentionis, primus ac præcipuus huius purgationis finis eſt perfectior vnio partis ſuperioris cum Deo; ita primus, præcipuuſque eius effectus in executione eſt eadem vnio, vbi ita Deo placet. Cum enim purgatio ſenſitiua ad hoc potius tendat, vt partem inferiorem ſubordinet, ſubijciatque ſuperiori; ne eius vnioni cum Deo motibus inordinatis paſſionum reſiſtat, quàm quod immediatè, & directè ad illam concurrat, hoc eſt proprium munus, propriuſve purgationis intellectiuę effectus; atque adeò quātò maior eſt diſtantia inter animæ impuritatem, & ſummam Dei puritatem, cui vnitur, quam inter ſenſum, & ſpiritum, tantò efficacior, potentiorque eſt purgatio paſſiua intellectiua, quam ſenſitiua; Vnde cum purgatio ſenſitiua maiores tantùm, magiſque apparentes ſenſus imperfectiones attingat expurgandas, minores latentioreſque purgationi intellectiuæ mundandas inſuper relinquit, vt potè magis obſtantes perfectioni contemplationis, & charitatis feruori, ſeu vnioni diuinæ per illam, ad quam purgatio paſſiua partis intellectiuæ immediatè ordinatur, quā obſtent incipientibus in ſtatu purgationis paſſiuæ partis ſenſitiuæ, cui ſufficit, quod vitent peccata mortalia, aut venialia pręcipua, plenaque deliberatione commiſſa; vndè etiam iſta purgatio eſt propria ſolùm incipientium ex vi ſtatus ipſorum, non autem purgatio paſſiua intellectiua, vt iam notauimus ſupra, quæ eſt propria proficientium, & quo maior perfectorum.

Secundus effectus huius purgationis eſt, clara eius, qui illa exercetur ſui cognitio, cum humilitate, ſummaque animæ afflictione. Cum enim ex dictis, diuina irradiatio, ſeu lux contemplationis infuſæ, quæ eſt principiū huius purgationis, vtpotè longè maior illa, quæ incipientibus ex vi ſtatus conferri ſolet, peruadendo omnia animæ ſecreta, nedum graues, ſed & etiam leuiſsimos defectus ſuos illi manifeſtet, ea ferè ratione, qua radio ſolis aerem intenſius illuminante, minimos atomos percipimus, qui prius cum luce ordinaria erant inuiſibiles, non poteſt non inde anima ſeipſam ſic impuram, & miſeram, maximè comparatioǹe ad Deū, agnoſcendo, viliſsimam de ſe ipſa, abiectiſsimamque habere æſtimationem; & ſimul grauiter affligi. Tum quia generaliter loquendo propriorum defectuum cognitio plurimum eſt afflictiua, multoque magis, vbi eſt tam minuta, & perſpicua; quemadmodum enim connaturale eſt cuilibet rei propriam appetere perfectionem, ita connaturale eſt naturæ cognoſcitiuæ de propria affligi imperfectione cognita. Tum etiam quia, ſicut lux ſolis in ſeipſa maximè viſibilis reſpectu viſus hominis illum affligit, vt potè improportionata, ac nimis vehemens, ita quoque, animæ nondum perfectè purgatæ, cum non poſſit non eſſe improportionata lux puriſſima contemplationis infuſæ, non poteſt quoque illi non eſſe moleſta, maximè tunc ſuam impuritatem cognoſcenti, quam tamen poſtea purificatam ſummoperè conſolari, ac recreare ſolet.

Tertius effectus eſt, omnimoda vitiorum emundatio, & perfecta virtutum acquiſitio. Nam ſicut in agentibus naturalibus requiritur, quod prius à ſubiecto remoueant diſpoſitiones formis introducendis contrarias, & inſuper cauſet, quæ illis ſunt conſentaneæ; V.g. ignis ligno viridi, vel humido applicatus, prius de illo frigiditatem, humiditatem; & denſitatem formæ ignis introducendæ contrarias ſua remouet actiuitate; deinde calorem, ſiccitatem, & raritatem eidem formæ conuenientes in ipſo producit, ſibique tandem ſimile efficit: Ita etiam, cum hæc

hæc purgatio paſſiua intellectiua ordinetur ad intimam cum Deo vnionem, per illam remouentur à ſubiecto diſpoſitiones tali vnioni repugnantes, & contrariæ, cuiuſmodi ſunt omnes defectus morales, quarum etſi præcipui tollantur purgatione paſſiua ſenſitiua, cæteri minores auferuntur purgatione paſſiua intellectiua, deindè introducuntur virtutes ad dictam vnionem conducentes, & diſponentes; quod quia pertinet ad ſtatum proficientium, ſeu viæ illuminatiuæ, ſequenti ſectione paulò fuſius explicabitur.

Vltimò tandem, qua ratione in inferioribus diſperſa, eminentiori modo congregantur, & reperiuntur in ſuperioribus, omnes effectus purgationi paſſiuæ ſenſitiuæ competentes tribui quoque poſſunt perfectiori modo purgationi paſſiuæ intellectiuæ.

§. V.

De ſignis, quibus dignoſci poteſt, purgationem paſſiuam intellectiuam eſſe à Deo.

CVm anguſtię ſpiritus, modo ſuperius explicato, potiſsimus ſint, ex Theologis Myſticis, huius purgationis effectus, qui tam à Deo miſericorditer purgante, & ita animam ad ſui vnionem præparante prouenire poteſt, quam ab eodem iuſtè puniente aliquod peccatum de nouo, ſed ſecretè commiſſum; ab ijſdem propterea aſſignantur nonnulla ſigna, quibus id dignoſci poſsit. Præcipuaque ſunt primò, ſi anima diligenti examine facto nihil ſibi ſit conſcia, quantum attinet ad peccata aut mortalia, aut venialia de nouo commiſſa. Cum enim hæc purgatio, paſſiua dicta, quia ſolus Deus in anima patiente illam operatur, tam actiuè ſumpta, prout nimirum formaliter importat diuinam operationem, ſiue actiuam lucis ſupernaturalis infuſionem, proprios animæ defectus manifeſtantis, eorumdemque horrorē cauſantis, ſecundum quam acceptio non eſt ipſa formaliter, ſed tantùm cauſaliter horror, vel afflictio; quam paſsiuè, prout nimirum formaliter importat paſsionem huius horroris afflictiui, ex dicta luce cauſati, eum, inquā hæc purgatio, tam actiuè, quam paſsiuè conſiderata, vel ſit ſimplex, & pura quando nimirum non vt pœna peccatorum immittitur, ſed vt diſpoſitio ad diuinam vnionem requiſita, vel pęnalis, quando in pœnam peccatorum; certè, vbi anima ſemel iuſtificata, nullius peccati de nouo commiſſi ſibi eſt conſcia, quod etſi certitudine phyſica cognoſci non poteſt, morali tamen poteſt, vt aliàs diximus, videtur habere aliquod ſignum, vel argumentum, quod talis purgatio ſit ſimplex, & pura, non autem pænalis, ſeu in pęnam alicuius noui peccati. Siue ſi quis tale, etiam graue commiſiſſet, Deo ita permittente, poſt longum pœnitentiæ rigorem, poſt longam inculpatæ vitæ durationem, ſed tamen ex illo ſtatim, diuina cooperante gratia, reſurgens maiori humilitate, ac feruore Deo inſeruiret, non poſſet adhuc non eſſe eiuſdem purgationis ſignum, Deumque tali medio ad illam vti voluiſſe, ea ratione, qua Theologi communiter docent, diligentibus Deum omnia, etiam peccata, cooperari in bonum; quia, vt ait Diuus Auguſtinus in Enchirid. cap. 11. *Deus cum ſit ſummè bonus, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi eſſet adeò omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.*

Alterum ſignum eſt, ſi quis diu à peccatis plenè deliberatis, etiam minimis abſtineat, nullumque affectum ad illa habeat, ſed potius anteacta defleat, recogitans annos vitæ ſuæ in amaritudine animæ ſuæ. Quia, vt communiter docent Theologi moraliter eſt impoſsibile, quod qui diuina priuatus eſt gratia, & charitate, diu poſsit abſtinere ab omni peccato, non habens ex vna parte affectum benè ordinatum

per

per gratiam, & charitatem circa Deũ, & ex alia per præcedens peccatum viã ad aliud apertam. Vbi igitur aliquis inter huius purgationis preſſuram, & anguſtias diu tamen ab omnibus abſtinet peccatis, maximè deliberatis, nulloque inordinato affectu deprehendit ſe alicui creaturæ adhærere; ſignum eſt talem purgationem à Deo prouenire, ea volente ipſum perficere.

Tertium, illudque magis euidens ſignum eſt, ſi nedum à terrenis auertatur affectibus, ſed inſuper ſi frequentius diuinæ vacet contemplationi, ſæpius Dei memoriam habeat, feruentiori amore illum proſequatur, & quia probatio amoris exhibitio eſt operis, quacumque occaſione data, libenter amplectatur omnia, quæ ad diuinum pertinent cultum. Hæc, inquam, & ſimilia, maximè ſimul, & collectiuè ſumpta, videntur eſſe certum, & irrefragabile argumẽtum purgationis paſſiuæ intellectiuæ in eo, qui illa affligitur, & à Deo probatur, vt has tandem tenebras faciat in lucem ſplendeſcere.

§. V I.

Quomodo, qui hac purgatione exercentur ſe gerere debeant.

QVanto hæc purgatio paſſiua partis intellectiuæ moleſtior eſt altera partis ſenſitiuæ, cum iſta habeat pro cauſa formali ſolam ſubtractionẽ deuotionis, vel dulcedinis ſenſibilis, illa autem diuinam illuminationem, ſiue radium diuinæ contemplationis infuſæ, ita omnia cordis intima penetrantem, vt minimos, ac leuiſſimos etiam defectus detegat, vnde mirabiliter anima cruciatur, vt diximus ſupra; tanto ſuperius adducta documenta circa modum, quo ſe gerere debent, qui purgatione paſſiua partis ſenſitiuæ exercentur, ſunt magis obſeruanda ab eo, qui ſubeſt manui Dei in purgatione paſſiua partis intellectiuæ. Primò, fiducialiter recurrendi ad Deum, fontem miſericordiæ, & Deum totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Secundò conformandi ſe voluntati Dei, ſic illum manu ſua tangentis. Tertiò, quod ita Chriſto perfectius aſsimiletur, eiuſque cruci configatur; ac tandem, cum huius purgationis via non adeò ſit trita, pluresque habeat difficultates, quærendi in ea ducem, vel directorem doctum, & expertum, cuius conſilio, & obedientiæ in omnibus ſe humiliter ſubijciat.

CAPVT VIII.

De oratione incipientium, ſeu via purgatiua incedentium propria.

STante orationis neceſsitate ad obeunda omnia munera incipientium propria, maximè fouendi gratiam, & charitatem, iam in iuſtificatione infuſam, ne amittatur, media purgatione actiua animæ, quoad omnes eius vires, aut potentias, tam cognoſcitiuas, quam appetitiuas; imo cum ipſamet Theologia myſtica nihil ſit aliud, quam magis, vel minus perfecta cum Deo vnio, per orationem magis quoque, vel minus perfectam, pro diuerſitate principiorum ad actus intellectus, & voluntatis, quibus conſtat ex dictis, concurrentium in his tribus vijs, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua; nunc breuiter agendum eſt de illa, quæ eſt incipientium, ſeu primæ viæ purgatiuæ propria, quod præſtabimus ſequentibus paragraphis.

§. I.

In quo conſiſtat oratio incipientium propria.

PRo huius intelligentia primò notandum eſt, orationem eſſe actũ religionis, quia per illam homo exhibet reuerentiam Deo, quod eſt proprium virtutis religionis, in quantum ei ſe

ei ſe ſubijcit, & profitetur orando ſe eo indigere, per quod maximè Deus honoratur, cum ipſi ſubijciamur petendos vt omnium Creatori, Prouiſori, & Redemptori; Vndè communiter definitur ex Diuo Damaſceno lib. 3. de fide cap. 14. *Eleuatio, vel aſcenſio mentis in Deum, cum decentium petitione*: Siue ex D. Thoma 2.2. q. 83. *deſiderij coram Deo explicatio practica, ad aliquid impetrandum ab eo*: Item ex D. Auguſtino ſerm. 230. de tempore, *aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium*.

Secundò animaduertendum eſt, hæc ita eſſe certa inter Theologos, vt tamen diſputent ad quamnam pertineat potentiam oratio, qua enim ratione, eſt propriè actus religionis, quæ reſidet in voluntate, cum ſit pars potentialis iuſtitiæ, ipſam quoque in eadem ſubiectari aliqui docent, alij verò in intellectu; quæ eſt ſententia Diui Thomæ loco citato, communiſque in eius ſchola: quia orare, quantum ad ſubſtantiã actus, nihil eſt aliud, quam internum noſtrum conceptum ad Deum ordinare, ipſi exprimere, intimare, ac notum facere; quod eſt munus intellectus: quarè ſi quis ſola voluntate deſideret, & non ordinet in Deum deſiderium ſuum, intellectualiter illi loquendo, nõ erit ibi vera oratio; quæ tamen ordinatio, vel deſiderij explicatio non fit, vt illud innoteſcat Deo, vtpotè omniſcio; ſed vt dignetur concedere deſiderata, quæ ſtatuit dare rogantibus, & nonniſi rogantibus.

Quomodo autem oratio, cum ſit actus intellectus, vocetur nihilominus à Diuo Thoma actus virtutis religionis, quæ eſt in voluntate, ſic breuiter explicatur, ſupponendo, eumdem S. Doctorem in aſſignando virtutibus proprios actus potius reſpexiſſe ad idẽtitatem ipſarum virtutum, quàm ad identitatem potentiarum: & ideo omnem actum, qui non reſpicit niſi vnicã virtutem, appellat proprium talis virtutis, in quacunque potentia ſit. Quod ſi plures virtutes reſpiciat, illius vocat proprium, à qua habet primam ſpeciẽ boni, & virtuoſi actus, ac proindè cuius finem primario reſpicit. Qua ratione idem S. Doctor 2. 2. qu. 3. art. 1. confeſſionem externam fidei dicit eſſe actum eius proprium, quamuis illa ſit in potentia externa, & hæc in intellectu; quia prima bonitas talis confeſſionis oritur ex fide, & eius finem reſpicit, non verò ex alia virtute. Et generaliter omnes actus externi, ſiue virtutis, ſiue vitij, adſcribuntur vt proprij illis habitibus, à quibus ſumunt primam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis, rectitudinis, vel deformitatis, vt comeſtio temperantiæ, externus luxus luxuriæ, & ſic de alijs, non curando an ſint in eadem potentia, vel diuerſis. Igitur cum prima, & eſſentialis bonitas orationis tota ſit à religione, quia eſt bonitas reuerentiæ, & cultus, propterea oratio dicitur propriè actus religionis, quamuis ſit in diſtincta potentia, nimirum in intellectu, virtus autem religionis in voluntate. Et indè etiam dicitur actus eius nedum imperatiuè, ſed & eliciti uè, in ampliori tamen ſignificatione; dupliciter ſiquidem poteſt aliquis actus dici elicitus ab aliqua virtute; vel propriè, & ſtrictè, quia eſt immediata eius operatio, ac proindè manet in eadem potentia; vel largè, ex eo ſolum quod non fit media alia virtute, quamuis mediet alia potentia; dicitur enim talis actus elicitus, quia non eſt propriè imperatus; nam actus propriè imperatus ab aliqua virtute dicitur ille, qui fit media alia virtute eliciente: ſicut actus, qui elicitur ab humilitate propter Deũ, vel ab ipſamet religione, dicitur imperari à charitate: & ideo vbi vna tantùm eſt virtus, quomodocumque influat in actum, dicitur hic procedere ab ea elicitiuè, larga quadam ſignificatione; & in iſta, oratio dicitur elici à religione exiſtente in voluntate; in prima verò deuotio, quæ in voluntate exiſtit, ſimul cum religione.

Tertiò,

Tertiò, quidquid ſit de hac controuerſia, parum referente ad præſens inſtitutum, an nimirum oratio, vt eſt actus religionis, formalius conſiſtat in actu intellectus, quam voluntatis, aut vice verſa, iterum certum eſſe debet, eam hoc etiam modo conſideratam includere vtrumque actum tam rationis ſpeculatiuæ, quàm virtutis appetitiuæ; idque claré probant definitiones ſuperius allatæ ex Patribus. Per hoc enim quod dicitur, eleuatio mentis in Deum, vel aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, denotatur actus rationis ſpeculatiuæ; per hoc verò, quod dicitur decentium petitio, vel deſiderium inuiſibilium, denotatur actus virtutis appetitiuæ; taliſque etiam petitio, ſeu explicatio deſiderij per orationem, verè eſt practica, vt pote ordinata ad aliquid impetrandum à Deo: ſcilicet boni ſalutaris conſecutionem, & mali illi contrarij euitationem, ſi quidem in hoc differunt ratio ſpeculatiua, & practica, quod ratio ſpeculatiua ſolum eſt apprehenſiua rerum, ratio verò practica non ſolum eſt apprehenſiua, ſed etiam aliquo modo cauſatiua. Quare dubitari non poteſt, quin oratio, vt eſt actus religionis, exiſtens tamen in intellectu, ſaltem cauſaliter nõ ſit actus voluntatis, quatenus eius efficacia, innoteſcentibuſque per eam noſtris ad Deum petitionibus, diuinæ gratiæ impetramus auxilia ad diligendum Deum, nec non ad alios plures virtutum moralium actus, quibus indigemus.

Verum quia oratio ex Diuo Thoma in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. ſumitur adhuc quadrupliciter. Primò pro opere intellectus practici, quo intendit mouere voluntatem ad opera exteriora cuiuſcunque virtutis; quo in ſenſu nihil aliud eſt quam bona, & ſancta cogitatio, vel meditatio, qua homo excitat ſuam voluntatem ad opus bonum cuiuſcunque virtutis intra ſe, Exempli gratia cogitat, vel meditatur modos, quibus debeat credere res ſidei, amare proximum, patienter ſe gerere in laboribus, & ſic de alijs. Secundò accipitur pro operibus eiuſdem intellectus practici, quibus ſe mouet homo ad petendum à Deo quidquid licitum, honeſtum, vtile, & conueniẽs eſt ad ipſius obſequiũ. Tertiò pro iiſdem operibus intellectus, quibus excitamus voluntatem, maximè ad amãdum Deum, quo in ſenſu oratio nihil eſt aliud quam ſancta cogitatio, & meditatio, qua excitamur ad amandum Deum, & de qua ait Regius Propheta, *In meditatione mea exardeſcet ignis* Pſal. 38. Et in hoc ſenſu melior, eleuatiorque eſt oratio, quia idem eſt, ſiue coincidit cum contemplatione myſtica, vel notitia ſupernaturali, & ſapida Dei, diuinorumque, in qua ſect. 1. c. 4. oſtendimus conſiſtere Theologiam myſticam, vt ſic, ſeu generice conſideratam: differtque oratio in iſta acceptione à præcedentibus, quod per eam propriè nihil petimus à Deo, ſed operationes intellectus, ſeu ſanctæ cogitationes ordinantur ad amorem Dei, & vtrumque ad vnionem cum Deo. Quartò tandem, & ſatis frequenter in Scriptura, & Patribus ſumitur oratio pro quocunque bono deſiderio, & pro quocunque opere bono cuiuſcunque virtutis, in qua exercetur voluntas. In his quoque omnibus ſenſibus oratio aliqualiter includit actus tam intellectus, quam voluntatis, illiſque ſtantibus, tot etiam, vt iam notauimus loco ſtatim citato, diuerſæ à Patribus datæ ſunt orationis definitiones, nunc per vtrumq; ſimul actum, nunc per vnum, aut alterum.

Quartò notandum eſt, orationem diuidi ex parte actus in mentalem, & vocalem; mentalis interno mentis affectu duntaxat perficitur, vocalis autẽ externa inſuper voce exprimitur; & ſine mentali, ſeu eleuatione mentis in Deum, non eſt vera oratio.

Ex parte autem principij diuiditur in naturalem, & ſupernaturalem, ſiue acquiſitam, & infuſam; ſupernaturalis

autem

autem ſeu infuſa, ſecundum diuerſos eius gradus, Deique voluntatem illam infundentis, in magis, vel minus perfectam, magis, vel minus ordinariam. Qua tamen in diuiſione per orationē naturalem, vel acquiſitam non intelligitur illa, quæ ſolis naturæ viribus fit, ſine diuinæ gratiæ auxilijs, ſed quæ vna cum illis potentia, vel habitu naturali v. g. virtutis religionis acquiſitæ poteſt proprio ſtudio iuxta regulas communiter præſcriptas exerceri, & acquiri; aut ſi fit ex aliquo habitu infuſo religionis, vel alio, fit tamen modo humano, ſeu per proprium laborem, aut induſtriam; ad diſtinctionem orationis ſupernaturalis, vel infuſæ, in qua non ſolum habitus, ſed & etiam operandi modus plerumque eſt ſupernaturalis, ſuperatque omnem prorſus induſtriam humanam. Et quamuis ad eam recipiendam anima ſe diſponere, aut præparare poſſit, ad eius tamen infuſionem actiuè non concurrit, ſed gratuito infunditur ei, cui Deus voluerit miſericorditer illam impertiri.

Iam ergo loquendo de oratione propria, vel ordinaria incipientium, viæque purgatiuæ ex vi ipſius, eſt oratio naturalis, ſiue acquiſita modo explicato, cuius communiter Theologi Myſtici ſex aſſignant partes, aut quaſi partes, id eſt actus ad illam vel præuiè vel ſimultaneè concurrentes, & pro vnoquoque ſuas leges, ac regulas. Huiuſmodi partes ſunt, præparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, oblatio, & petitio. Incipientes igitur volentes ſe tradere huic ſancto, & ſalutari orationis mentalis exercitio, vt ſemel admiſſis in ea cæleſtibus notitijs, & affectibus, purgent facilius animam à nociuis, & inutilibus, prædictas omnes partes eodem ordine ſequi debent, vt ſic gradatim procedentes, cum minori moleſtia tempus orationi deſtinatum implere poſſint, minorique cum diſtractione, ſic determinata per has partes mente, veluti per quaſdam eius metas. De quibus omnibus breuiter agemus in ſequentibus.

§. II.

De præparatione ad orationem mentalem.

Duplex eſt huiuſmodi præparatio, vna remota, altera proxima. Præparatio remota vniuerſim loquendo conſiſtit, Primo in fuga eorum omnium, quæ internam quietem, vel recollectionem tempore orationis impedire, vel turbare poſſunt. Secundò in frequenti præſentię Dei actiuæ exercitio, qua nimirum aſſidua eius memoria per actus anagogicos habetur: cum enim oratio mentalis ſit familiaris cũ Deo conuerſatio, mentiſque ad eum eleuatio, mirum eſt quantum ad illam iuuet, iam præuiè habere mentē exercitatam orationibus iaculatorijs; quāque compendioſa via, ſi anima fidelis continuo per inflammatas inſpirationes, & frequentes virtutum actus, affectus, ac deſideria, amoris præſertim, aſſurgat in Deum: interno affectu ad ipſum aſpirando, cum ipſo colloquendo, tractando, & ei denique corde puro, & inflammato deſideret inhærere. Tertiò denique ad hanc eamdem præparationem remotam, docent omnes Magiſtri ſpirituales, puritatem vitæ, ac munditiam cordis eſſe apprimè neceſſariam; Beati enim mundo corde, inquit Chriſtus Dominus, quoniam ipſi Deum videbunt. De quo videri poteſt Richardus de Sancto Victore lib. 4. de Contemplatione cap. 6. Præfata autem tria, eiſque ſimilia dicuntur remotè mentem præparare ad orationem, quia multum præcedunt eius exercitium, mediatque alius actus, qui dicitur præparatio proxima.

Hæc enim dicitur proxima, quia debet fieri, inſtante tempore orationis, vel vbi iam deuentum ad locum eius conſtitutum, pluresque inuoluit actus; præcipui ſunt contritionis, ſiue quod oraturus pręmiſſo breui culparum actualium examine, doleat de illis, quas

quas deprehenderit, enixeque diuinam deprecetur maieſtatem, vt ſibi miſericorditer ignoſcat: Tum humilitatis, ſummæque erga Deum reuerentiæ, dicendo cum Abraham Geneſ. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulnis, & cinis*; diuinumque eius auxilium ad bene operandum implorando; docente Apoſtolo 2. Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

§. III.

De lectione in ordine ad orationem mentalem.

LEctionis, quæ eſt ſecunda pars orationis, quia cum neceſſario præcedat alias partes, ſubſequitur præparationem ſaltem remotam, nam quantum ad proximam, ſic eam ſubſequitur, vt etiam præcedere poſſit, hi ſunt canones, vel regulæ. Primò, quod eligantur aliqui pij libri, qui materiam meditationis ex parte intellectus, & motum deuotionis ex parte voluntatis præbeant; quiue aliud non ſpectent, quam animæ profectum. Eius generis ſunt Sacræ Scripturæ libri, maximè Euangeliorum, piarumque in illa meditationum, vt enim ait Chriſtus Ioan. 8. ver. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Item libri meditationum in præcipua fidei noſtræ myſteria; in feſta Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorũ, aliarumque ſolemnitatum, quę ab Eccleſia celebrari ſolent; in quatuor nouiſſima, peccatorum fœditatem, præſentiſque vitæ vanitatem; ac tandem omnes illi, quorum lectio, pro vnius cuiuſque experientia, poteſt illum excitare ad deuotionem; rerumque cæleſtium amorem, etſi enim huiuſmodi libri materiam meditationum non ita methodicè diſponant, non deſinit tamen eorum lectio, quin ſit plerumque valdè vtilis orationi, quinque illi præmitti poſſit, ac debeat. Tale eſt inſigne opuſculum Thomæ à Kempis de imitatione Chriſti: Talia opera S. Matris noſtræ Thereſiæ, de qua Eccleſia in lectionibus officij eiuſdem; *Multa cæleſtis Sapientiæ documenta conſcripſit, quibus fidelium mentes ad ſuperna patrię deſiderium maximè excitantur.*

Secundò hęc lectio debet eſſe attẽta, vt ſic rectè percipiatur, quod legitur; lenta, vt debitè memoriæ imprimatur; & breuis ne fatigetur, aut illa exhauriatur animus. Tum ex illa colligenda, & in vnum, vel plura puncta diſtribuenda, quæ aptiora ſunt, & efficaciora ad conuincendum, vel inſtruẽdum intellectum, & ad affectum excitandum.

Tertiò, ita ordinariè lectio præmitti debet meditationi, vt tamen, vbi oratio mentalis priuatim fit, reiterari poſſit, ſi quis difficultatem in meditando patiatur, vel ex defectu imaginationis, quæ nulli obiecto poteſt firmiter adhærere, vel propter inſurgentes diſtractiones, vel denique alias ob cauſas, tunc enim valdè conſultum eſt, pium aliquem librum legere, ex cuius lectione quando quis ſe excitatum ſentit, deuotè illi motioni debet locum dare; eaque tranſacta iterum ad libri ſubſidium recurrere, & ita ſæpius repetendo, vſque ad finem orationis perſeuerare, non mediocrem inde fructum percepturus; vt enim ait Diuus Auguſtinus ſerm. 112. de tempore; *Studio Sapientię cum oramus, ipſi cũ Deo loquimur, cum verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.*

Quartò, cum lectio meditationi, ſeu diſcurſui mentali materiam ſubminiſtret, etſi plerumque vtile ſit, quod inter legendum maiorem nobis vim fecit, in corde ſuo conſeruare, & tempore orationis illud ad idem meditandũ reſumere, vt ſi legendo materiam de gloria cæleſti magis aliquem moueret æterna eius duratio, quam alia conſideratio, omitti tamen debet, occurrente

te nimirum illi nouo aliquo motiuo, quo tunc efficacius ſe excitari deprehenderer.

Quintò, qui lectione materiam ſibi præparat meditationis, cauere debet, ne metuens, quod inter orandum illa ſibi deficiat, multum temporis in præcogitandis ante multis conceptibus, vel affectibus impendat, maximè vbi id tum aliqua fieret arte; tum quia iam defatigatus animus, non poſſet inde ita attente orationi vacare; tum etiã quia nimis conſtringeretur, cum tamen libere auolare ſinendus ſit, ab bonas, ſalutareſque cogitationes, & affectus; quos Deus ad ſe cum humilitate, & ſimplicitate cordis accedentibus immittere ſolet.

§. IV.

De meditatione, tertia orationis mentalis parte.

MEditatio ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 80. art. 3. ad 4. & in 4. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2. vniuerſim definitur, mentis diſcurſus, quo intellectus circa aliquam materiam de vna conſideratione ad aliam tranſit; qui diſcurſus aliquando eſt proprius, quando nimirum ex vna conſideratione aliam veluti arguitiuè colligit; aliquando verò improprius, quando vnam conſiderationem format poſt aliam. Sic igitur meditatio, quæ eſt pars orationis mentalis, definiri poteſt, quod ſit mentis diſcurſus, quo intellectus circa aliquam materiã piam tranſit de vna conſideratione ad aliam, ac plures inuenit veritates, quas poſtea contemplatur, contemplatio ſiquidem eſt terminus meditationis. Eius quoque variæ ſunt leges, & regulæ.

Prima eſt de neceſſitate ipſius. Communiter enim Sancti Patres, Magiſtrique Spirituales non ſolùm docent, meditationem eſſe primum gradum vitæ contemplatiuæ, ſiue ad eam perueniri ordinatè non poſſe, niſi præuia meditatione, verum etiam ſine illa orationẽ eſſe non poſſe perfectam; Tum quia, niſi per meditationem agnoſcamus, quid petendum ſit in oratione, petere non poſſumus; ad eam igitur cum pertineat petere, ſine meditatione erit imperfecta; Tum quia ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 82. art. 3. ita Deus eſt cauſa deuotionis extrinſeca, & principalis, vt tamen cauſa intrinſeca eiuſdem ex parte noſtra ſit meditatio. Deuotio namque eſt quidam actus voluntatis, ad hoc quod homo promptè ſe tradat ad diuinum obſequium: omnis autem actus voluntatis ex aliqua conſideratione procedit, eo quod bonum intellectum eſt obiectum voluntatis, vnde & Auguſtinus dicit lib. 14. de Trinit. cap. 8. quod voluntas oritur ex intelligentia; neceſſe eſt ergo, quod meditatio ſit deuotionis cauſa; in quantum ſcilicet homo per meditationem concipit, quod ſe tradat diuino obſequio, ſine qua deuotione; vt potè ſubſtantiali, ſatis patet orationem nihil valere, in præſenti enim de ſenſibili non loquimur, parum, ac ſæpè nihil ad maiorem eius perfectionem valente; quaque proinde ſupra diximus, animam eſſe purgandam, interdumque à Deo purgari, vbi ad vlteriorem ſanctitatem illam vult promouere.

Secunda, meditationem nec debere eſſe ſuperfluam, nec etiam diminutam. Si quidem æqualis eſſe periculi videtur, præmaturè meditationem relinquere ad minimum affectus motum; & diutius in illa perſeuerare, iam ſufficienter excitato affectu. Cum enim intellectus ſit primum moraliter mouens inter animæ potentias, per hoc quod ipſe à veritate reperta conuincatur, ſi meditatio, ad quam pertinet eius inquiſitio, deſeratur, antequam munere ſuo ſufficienter functa ſit, aut nihil mouebitur affectus, aut ita parum, vt ſatis non erit ad finem orationis, quem ſtatim dicemus, eſſe operationem vel voluntatis, vel alterius potentiæ. Si autem

tem, affectu iam plenè inflammato, diutius protrahatur meditatio, multa temporis iactura fit; meditatio namque in oratione non eſt mere ſpeculatiua, ſiue non adhibetur propter ſe, ſed propter mouendum affectum, indeque virtutes acquirendas: igitur quemadmodum fine ſemel adepto, ſuperfluum eſt medium, ita affectu iam ſufficienter per meditationem excitato, illa relinquenda eſt. Quia tamen aliquando quam facile excitatur affectus, tam facile tranſit, ita ferente naturali eius mobilitate, vbi ita contingeret, proculdubio meditatio reſumenda eſſet, ad illum iterum mouendum, & quantum poteſt, firmandum.

Tertia, vbi quis ob naturalem potentiarum inhabilitatem vix poteſt meditari, debet ex parte voluntatis ſupplere, quod deeſt ex parte imaginationis, & intellectus, certò ſperans, quod mittet Deus ſpiritum filij ſui in cor ipſius clamantem Abba Pater, & ita ad alias orationis partes tranſire, eliciendo nimirum actus gratitudinis, oblationis, & petitionis, in quibus potiſſimum conſiſtit; vt enim ait Diuus Auguſtinus referens illud Chriſti Domini, *Orantes autem nolite multum loqui*, libro de orando Deo cap. 10. Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus; abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa compunctio; Et negotium hoc plus gemitibus, quam ſermonibus agitur. Quod ſi quis talem impotentiam diſcurrendi in oratione, aliunde, quam à diſpoſitione naturali prouenire experiretur, nimirum vel ab ignorantia, vel à nimia circa alia obiecta intellectus applicatione, alijſque ſimilibus cauſis, proportionata vnicuique remedia deberet adhibere; vt enim diximus, meditatio via ordinaria eſt neceſſaria ad orationem, perfectaque eſſe non poteſt ſine illa, niſi Deus ſuppleat, quod iam attinet ad viam extraordinariam.

Quarta; ordinarie quoque loquendo, meditatio incipientium, ſeu propria orationis ipſorum, de qua nunc agitur debet eſſe imaginaria. Obiectum enim intellectus pro hoc ſtatu, iuxta doctrinam Diui, Thomæ pluribus in locis eſt ens quidditate materiali, vel ſenſibili concretum, atque adeo incipientibus, viaque purgatiua adhuc incedentibus, magis connaturalis eſt meditatio imaginaria, ſeu per ſpecies ſenſibiles.

Quinta; hæc meditatio habet pro fine veluti extrinſeco, ſeu ſiſtente in eodem intellectu, contemplationem; inuentam enim ſemel veritatem, cuius inuentio ſpectat ad meditationem, contemplatio deguſtat; vt ait Diuus Auguſtinus libro de Scala Paradiſi: *Lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio poſtulat, contemplatio deguſtat: Quærite legendo, inuenietis meditando, pulſate orando, & aperietur vobis contemplando.* Vnde ſicut quærere contemplationem ſine meditatione, eſt inordinatè velle finem ſine medio; ita ſiſtere in meditatione, non curando de vlteriori contemplatione, eſt contra rationem finis operari, ad quem omnia debent referri.

Sexta tandem, & vltima regula eſt, quod meditatio ordinanda eſt, veluti ad finem extrinſecum, hoc eſt in alijs etiam potentijs repertum, ad operationes earumdē; ex meditatione quippe oritur amor, & inde omnes virtutes iuxta illud Pſalmiſtæ, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*, diuini ſcilicet amoris; propterea S. Ambroſius in Pſal. 118. ait. *Meditationis præceptorum cæleſtium intentio, vel finis operatio eſt*; in illa enim inquirere debemus, quid ſit virtus, non vt ſciamus, præcisè ſcilicet, & vltimatè, ſed vt boni efficiamur, maximè amando; amor enim operatur magna ſi eſt, ſi verò non operatur amor non eſt.

§. V.

De gratiarum actione, quarta orationis mentalis parte.

GRatiarum actio quarta orationis mentalis pars, primus autem affectiuæ partis actus, ex ipſa meditatione veluti connaturaliter dimanans, nihil eſt aliud quam beneuola proteſtatio accepti à Deo beneficij, cum ſui ſubmiſſione erga eundem, ex virtute gratitudinis procedens, cuius enim obiectum, vt eſt ſpecialis virtus, inclinans ad beneficij accepti æſtimationem, & repenſionem, eſt debitum alteri, à quo acceptum eſt beneficium; cuius debiti ratio, vel cauſa cum primo, & principaliter inueniatur in Deo, eo quod ipſe eſt primum principium omnium bonorũ noſtrorum, ideo gratitudo, ſeu gratiarum actio primo Deũ deindè parẽtes, & benefactores reſpicit. Officium autem eſt, agnoſcere, æſtimareque beneficium acceptum; & ſatagere vt benefactori aliquatenus ſatisfiat reciproco beneficio, obſequio, cultu, & gratiarum actione conſiſtente in dicta beneuola proteſtatione. Cuĩ, vt eſt pars orationis mentalis, ſuæ quoque non deſunt regulæ.

Prima eſt, quod ſequatur immediatè meditationem, à qua ita connaturaliter procedit, vt non ſit opus ulteriori diſcurſu, vel induſtria, vt anima ſemel per meditationem excitata, pieque affecta poſſit prorumpere in feruidos gratitudinis actus; ſi tamen ſeipſam non ſentiret ſpiritu Dei ad illos agi, ſed ad alios oblationis, aut petitionis, ſatius eſſet ductum eius ſequi.

Secunda, quod fiat accommodatè ad materiam meditatam; v. g. ſi de peccatis iam miſericorditer remiſſis, gratias Deo referendo pro tali remiſſione, nec non quod tot in communi & vnicuique in particulari media præbeat ad illa vitanda, reſurgendumque ab illis iam commiſſis. Si de mundi vanitate, gratias pariter agendo, qui ſe liberum ab illa viderit, cum tot alij detineantur ea illaqueati, ſi de morte, quod cum tanti momenti ſit bona mors, det tempus, & modum ſe debitè ad eam præparandi. Et ſic de alijs materijs meditatis, ex quibus orationis exercitio iam aſſueti ex ſe, qui verò incipiunt, piorum librorum, vel magiſtri ſpiritualis ope, facili negotio plura gratiarum actionis, diuinæque laudis motiua deſumere poſſunt, maximè ſi reflectant ſupra diuina beneficia, ſibi ſpecialiter iuxta quamque materiam piè meditatam à Deo conceſſa.

Tertia, quod etſi potiſſimum debeat ab vnoquoque gratiarum actio Deo reddi pro beneficijs ſibi liberaliter ab eo, forſan præ alijs multis, collatis; poteſt inſuper fieri pro alijs, iuxta illud Apoſtoli Theſſalon. 1. *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis: memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris.*

Quarta, cum gratiarum actio corde, ore, & opere tripliciter fieri poſſit, vbi hæc tria ad illam concurrunt, perfecta quidem eſt; ſed cum ex Chriſto Domino Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum*; præferenda eſt omnibus, quæ opere perficitur gratiarum actio. Vndè etiam in oratione, niſi Deus aliter animam moueat, eamque ſpecialiter in actibus gratiarum actionis detineat, ſatius eſt, aliquibus iam peractis, ad alios oblationis, & petitionis tranſire, reliquumque orationis tempus in illis inſumere.

†

§. VI.

§. VI.

De oblatione, quinta orationis mentalis parte.

OBlatio, vt eſt pars orationis mẽtalis in hoc conſiſtit, quod anima ſemel agnito per meditationem, quantum Deo debeat, ſiue meditetur Chriſti Domini vitam, ac paſſionem, ſiue quatuor hominis nouiſsima, ſiue quamcumque aliam materiam, peractaque gratiarum interiori quam maxima poteſt actione, tanto benefactori, ſe totam inſuper ex eodem gratitudinis affectu illi conſecret, & virtutum opera propter ipſum facere proponat, earum maximè quas Deo magis placituras, ſibique magis neceſſarias iudicauerit. Vnde alia eius regula non eſt, niſi quod ab intimo cordis affectu procedat, & non ore tenus ſolùm fiat, vt ita dicam, cuius ſignum erit certum, ſi, data occaſione, promiſſa, & propoſita fideliter quis adimpleuerit, vt dicetur infra.

§. VII.

De petitione, ſexta, & vltima orationis mentalis parte.

ET ſi tota eſſentia orationis, ſi ſtrictè ſumatur pro ſimplici actu religionis, cõſiſtat in ſola petitione, eiuſque proindè pars propriè dici nequeat; quia tamen hic non agimus de illa ſic ſumpta, ſed in ampliori, & magis larga ſignificatione, prout nimirum eſt ſapida, & practica mentis eleuatio in Deum, per actus intellectus, & voluntatis, comprehenditque omnia ad id neceſſaria; orationis ſic conſideratæ petitio rectè dicitur eſſe pars ſexta, & vltima. Cum enim fide certum ſit, non poſſe hominem ſine Domini, & Creatoris ſui gratia, quæ illi prius obtulit, & pro amore ipſius facere propoſuit, adimplere, ratio poſtulat, vt vltima orationis pars ſit ea, qua ad ipſum recurramus humiliter petendo, & implorando eius opem; ſicut etiam propter eamdem rationem, illi præmitti debet, cum virtutum actus, maximè perfecti, quales ſunt gratiarum actio, & ſui ipſius oblatio, vt diximus, abſque diuinæ gratiæ auxilio fieri non poſſint.

Cum autem diuerſa ſint petendorum genera, nec non etiam perſonarum à quibus, & pro quibus petere poſſumus, ac debemus, variæ quoque ſunt iuxta illa petitionis regulæ.

Prima, quo ad petenda, eſt; debere abſolutè, & ſine vlla conditione peti bona ſupernaturalia, quibus beatificamur, & quibus beatitudinem promeremur, hoc eſt, bona gratiæ, & gloriæ; de quibus ait Diuus Thomas. 2. 2. qu. 83. art. 5. Sunt tamen quædam bona, quibus homo male vti non poteſt, quæ, ſcilicet malum euentum habere non poſſunt; hæc autem ſunt quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur; quæ quidem Sancti orando abſolutè petunt, ſecundum illud Pſalmi 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

Secunda; minus principaliter, & cum hac conditione ſaltem virtuali, & tacita, ſi ſint profutura ad ſalutem æternam, bona temporalia peti poſſe, & debere; cum enim ſint media improportionata ad æternam beatitudinem, vt pote inferioris ordinis, & quæ ſic remotè conducunt ad vltimum finem, vt etiam poſsint occaſionaliter per ſe ab illo auertere homines iis malè vtentes, manifeſtè ſequitur, huiuſmodi bona temporalia, ſiue ſpiritualia ſcientiæ, ſiue corporalia diuitiarum, ac ſimilia, peti ſolùm poſſe minus principaliter, & ſub prædicta conditione, quod ex bono eorum vſu cum gratia Dei, ſint nobis profutura ad æternæ vitæ conſecutionem.

Vel etiam, quia bona temporalia, & quæcunque alia ex ſe indifferentia, poſſunt ex adiunctis circumſtantiis vel

vel conditionibus tripliciter modificari. Primò vt reddantur abſolutè mala, vt ſi quis in diuitijs, vel honoribus conſtitueret vltimum finem, aut illa deſideraret propter malum finem. Secundò vt ſint abſolutè bona, ſaltem phyſicè, quatenus nimirum conducſit ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem, & conſeruationem. Tertiò vt ſint periculoſa, quatenus nimirum, licet ſint indifferentia, dum tamen ex ſe ſubſunt moderationi noſtræ, poſſumus illis malè, & frequentius, quam bene vti. Si conſideretur primo modo, certum eſt ea nullo modo licitè deſiderari, aut peti poſſe. Si ſecundò, cum nullam habeant indifferentiam ita ſpectata, ſed ſuam bonitatem, abſolutè peti poſſunt; ſic enim Prouerb. 30. dicitur. *Tribue tantùm victui neceſſaria*. Et in oratione Dominica petimus, panem quotidianum dari nobis. Si tertiò tandem modò conſiderentur, quatenus nimirum ſunt periculoſa, vt ſi nimia ſint, vel ſuperflua reſpectu naturæ, vel ſtatus, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timotheum 6. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*. Satius eſt ea nunquam petere, ſed totum diuinæ diſpoſitioni relinquere, & ſi talia mittat, Deum enixe rogare, vt ſimul det gratiam non malè, ſed benè illis vtendi, eleemoſynas elargiendo, vel alia ſimilia bona opera ex illis præſtando. *Diuitibus huius ſæculi*, inquit Apoſtolus loco citato, præcipe *non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè fruendum) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam*.

Tertia, cum rebus indifferentibus, quibus ſcilicet in indiuiduo benè, & malè vti poſſumus, annumerari debēt mala, quæ dicuntur pænæ, vt ægritudo, infortunia, egeſtas, & cætera id genus, illa quoque licitè poſſumus deſiderare, & petere, ſub conditione tamen, ſeu quatenus illis auferttur occaſio peccandi, aut illa patienter, & pro amore Dei tolerando poſſumus magis promereri. Nunquam tamen licet nobis inferre mortem, vel ægritudinem, vel mutilationem propter quemcumque finem. Verum quia minus eſt periculum illis abutendi, quam bonis temporalibus, iuxta illud Regij Prophetæ Pſalm. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, vt in eumdem Pſalmum interpretatur D. Bernardus, ideo etiam tutius à Deo peti poſſunt, ad exemplum Sancti Iob in veteri Teſtamento, & in nouo Diui Pauli cupientis diſſolui, & eſſe cum Chriſto; Quo etiam Spiritu ducta S. Mater noſtra Thereſia ſic Deum alloqui ſolita erat, *Domine aut pati, aut mori*; & Beatus Pater noſter Ioannes à Cruce fidiſſimus eius in Carmeli reformatione coadiutor, ſemel Deo percuntanti quid vellet pro laboribus reſpondit, *Domine pati, & contemni pro te*.

Quarta pro bonis gratiæ; quod poſſumus ſemper, & debemus petere auxilium efficax in ordine ad omnes actus virtutum, & nunquam ſuſpenſionem eius, qui enim illam peteret, determinatè peteret aliquid diminuens propriam perfectionem, & conſequenter cōtra propriam ſalutem. Eadem ratione debemus petere à Deo liberari ab omni peccato; quam petitionem ait Diuus Thomas eſſe tripliciter commēdabilem, ſcilicet ratione petiti neceſſarij, ratione Dei, non propter merita, & ratione vtilitatis, explicans illa verba Pſalm. 38. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me*. Et ſi enim Deus ſit paratus ex ſe dare præfatum auxilium tam ad bonum faciendum, quàm ad peccatum fugiendum, ſæpe tamen determinat illud dare mediante oratione; quamuis illud auxilium, quod antecedit orationem, & datur vt oremus, vel

vel petamus, ſub oratione, vel petitione non cadat.

Quinta, cum eximius gloriæ gradus poſſit conſiderari dupliciter; primò quantum ad tendentiam in ipſum; ſecundò ex parte ipſius ſtatus, ſeu excellentiæ, ad quam aliqui à Deo præ alijs, præordinati ſunt: Si loquamur de illo priori modo, poſſumus illum poſtulare; cum enim tendamus ad gloriam per actus charitatis, & virtutum, vt de iſtis ait Apoſtolus Philipp. 1. *Oro, vt charitas veſtra magis, ac magis abundet*; & Diuus Ioannes Apocalip. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, ita quoque eximium gloriæ gradum illis correſpondentem petere à Deo poſſumus; ſecus autem ſi conſideretur poſteriori modo, temerarium enim eſſet poſtulare à Deo excellentiam extraordinariã in genere gloriæ, qualem habet Beatiſſima Virgo Maria, vel Apoſtoli; nulla tamen eſſet temeritas illam ſub conditione deſiderare, ſi nimirum eſſet poſſibilis. Eodem modo diſcurrendum eſt de eximio gradu gratiæ.

Sexta, cum petitio debeat ſe tantũ extendere ad illa, quæ ſubſunt potentiæ Dei ordinariæ, magna eſſet præſumptio, ſi aliquis ab eo peteret aliquod extraordinarium genus gratiæ, v.g. fieri ſibi reuelationes, aut patrare miracula, quando non conducunt ad bonum publicum.

Septima, debent in oratione peti aliqua determinata; vt enim docet Diuus Thomas in 4. diſt. 15. q.4. art.4. quæſtiunc. 1. Determinatio eius, quod in oratione petendum eſt ad tria valet. Primò ad hoc, vt attentio orantis determinetur ad aliquid, quæ plurimum eſt in oratione neceſſaria. Secundò, vt nobis innoteſcat noſtrum deſiderium, & quantum in ipſo profecerimus. Tertio, vt feruentius petamus, quia bona, quanto particularius inſpiciuntur, tanto feruentius concupiſcuntur, ſicut de delectabilibus corporalibus dicit Philoſophus 3. Ethic. Vndè Auguſtinus in libro de orando Deo dicit. Ideo per certa interualla ipſum etiã verbis determinatis oramus Deum, vt illis rerum ſignis, nos ipſos admoneamus, quantum ad primum; & quantum in ipſo deſiderio profecerimus, nobis innoteſcat, quantum ad ſecundum; & ad hoc agendum nos ipſos acrius excitemus, quantum ad tertium. Idem etiam docet 2.2. q.83. art.5.

Octaua, huiuſmodi petendorum determinatio debet fieri accommodatè ad ſtatum, & ad neceſſitatem vniuſcuiuſque; nec non etiam iuxta meditata.

Nona, hoc præcipuè petendum eſt in oratione, vt Deo vniamur, vt docet Diuus Thomas 2.2. q.83. art. 1. ad 2. Tendit, inquit, oratio in Deum, quaſi à virtute charitatis mota dupliciter. Vno quidem modo ex parte eius, quod petitur: quia hoc præcipuè eſt in oratione petendum, vt Deo vniamur, ſecundum illud Pſal. 26. *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Alio modo ex parte ipſius petentis, quem oportet accedere ad eum: à quo petit: vel loco, ſicut ad hominem: vel mente ſicut ad Deum.

Decima, omnia in oratione petenda comprehenduntur in oratione Dominica; ita Diuus Auguſtinus epiſt. 121 ad Probam cap. 12. *Si per omnia*, inquit, *ſanctarum precationum verba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil inueniet, quod non iſta contineat, & concludat oratio* (ſcilicet Dominica.) Et iterum; *ſi rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, quam quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt.* Quod Diuus Thomas 2.2. q.83. art.9. luculenter probat ſequenti diſcurſu. Cum oratio ſit interpres deſiderij, iuxta rectum ipſius ordinem, ponitur quoque ordo petitionum. Vnde præmiſſo nomine Patris communis, quod magis excitat ad exaudiendum, quam Dei, vel Domini, petitur *primò* in hac oratione fuſa ex parte omnium fidelium, quod ſanctificetur nomen ipſius Dei,

qui

qui eſt noſtra beatitudo obiectiua; & hęc petitio procedit ex affectu charitatis, & perfectæ amicitię. *Secundò* petitur, quod adueniat nobis regnum Dei, ſiue beatitudo formalis, quæ cum ſit noſter vltimus finis quo, eſt primũ deſiderabile pro nobis ex affectu concupiſcentiæ, qui ſequitur ſpem. *Tertiò*, vt fiat voluntas Dei ſicut in cęlo, & in terra, quæ adimpletio vniuerſalis diuinæ voluntatis eſt medium directum, & principale perueniendi ad vltimum finem, meremur enim obediendo ipſi Deo. *Quartò*, dari hodiè panem quotidianum, ſiue ſuperſubſtantialem, ſub quo petitur non ſolùm panis corporalis, cum omnibus alijs ad vitæ ſuſtentationem neceſſarijs; ſed inſuper panis cæleſtis Euchariſtiæ, cũ alijs Sacramentis, qui cum ſit quotidianus reſpectu beatorum, eo quod in ſeipſo; & non ſub figuris poſſideatur Deus, petitur pro hoc die mortalis vitæ velatus ſpeciebus Euchariſticis. Tres aliæ petitiones ordinantur ad remouendum ea, quæ poſſunt impedire à conſecutione vltimi finis: vndè petitur *quinto*, quod dimittantur nobis peccata noſtra, quibus excludimur à Regno cæleſti, ſicut dimittimus debitoribus noſtris, id eſt offenſas, & iniurias in nos commiſſas, ita vt nullum ſit odium in corde propter illas, non autem tenemur illis condonare pecuniæ, vel famæ reſtitutionem. *Sexto* petitur à Deo, quod non inducat nos in tentationem, quæ impedit nos ab obſeruantia diuinæ voluntatis; non petimus autem, vt non tentemur, ſed vt non vincamur à tentatione, quod eſt non induci in illam. *Septimo* tandem petitur, quod nos liberet à malo; ſcilicet à pœnalitatibus præsẽtibus, quæ impediunt ſufficientiam vitæ, & conuenientem tendentiam ad vltimum æternæ beatitudinis finem.

De eadem oratione idem S. Thomas opuſc. 7. vbi illam explicat, docet, illam habere quinque excellentias, quæ in oratione requiruntur. Debet enim, inquit, oratio eſſe ſecura, recta, ordinata, deuota, & humilis. Secura quidem, qua *cum fiducia adeamus ad thronum gratia eius*, vt dicitur ad Heb. 4. in fide etiam non deficiens; dicitur enim Iacobi 1. *poſtulet autem in fide nihil haſitans*. Rationabiliter autem hæc oratio dicitur ſecuriſſima; eſt enim ab aduocato noſtro formata, qui eſt, ſapientiſſimus petitor, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ*, ad Coloſſ. 2. Securior etiam apparet ex hoc, quod ipſe qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare, ſecundum illud pſal. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Debet etiam oratio eſſe recta, vt petat orans à Deo, quæ ſibi conueniunt. Ni Damaſcenus dicit: Oratio eſt petitio decentium à Deo. Multoties enim non exauditur oratio, quia indecentia poſtulamus. Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Debet etiam eſſe oratio ordinata. Eſt autem hic debitus ordo, vt ſpiritualia carnalibus, cæleſtia terrenis deſiderando, & orando præferamus, ſecundum illud Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei*. Debet etiam oratio eſſe deuota, quia pinguedo deuotionis facit ſacrificium orationis eſſe Deo acceptum, ſecundũ illud Pſal. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Debet etiam oratio eſſe humilis, ſecundum illud Pſal. 101. *Reſpexit in orationem humilium*. Et Iudit. 9. *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit oratio*. Ita Diuus Thomas loco citato.

Vndecima regula, in ordine ad quos ſit oratio, vel petitio, eſt, quod ſoli Deo porrigi debeat, vt per eum implenda, Sanctis verò, & Angelis, vt apud Deum ſuis meritis, ac precibus tanquam noſtri aduocati inſiſtant pro adimpletione: ex Diuo Thoma 2. 2. q. 83. art. 4. Oratio, inquit, porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quaſi per ipſum implenda. Alio modo ſicut per ipſum impetranda. Primo quidem modo ſoli Deo orationem porrigimus: quia omnes orationes noſtræ ordinari

debent ad gratiam, & gloriam conſequendam, quas ſolus Deus dat, ſecundum illud Pſalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Sed ſecundario modo, orationem porrigimus Sanctis, Angelis, & hominibus; non vt per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat, ſed vt eorum precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocalip. 8. Quod *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Et hoc etiam patet ex ipſo modo, quo Eccleſia vtitur in orando. Nam à Sancta Trinitate petimus, vt noſtri miſereatur: ab alijs autem Sanctis quibuſcunque petimus, vt orent pro nobis. Et in ſolut. ad 1. ait: Quod illi ſoli impendimus orando religionis cultum à quo quærimus obtinere quod oramus: quia in hoc proteſtamur eum bonorum noſtrorum authorem: non autem eis, quos requirimus, quaſi interpellatores noſtros apud Deum.

Idem Sanctus Doctor in 4. diſt. 15. q. 4. art. 5. quæſtiunc. 3. docet Deum orari, in quantum eſt beatus, atque adeo ratione attributorum eſſentialiũ, non autem perſonalium. Deus, inquit, præcipuè oratur in quantum eſt beatus, & alijs beatitudinem largitur, & quia hoc conuenit ei ratione eſſentiæ, ideo ratione eſſentialium attributorum oratur. Et art. 6. qu. 2.) Oratio autem fit ad Deum ratione attributorum eſſentialium. Spiritus Sanctus ex perſonali proprietate habet, quod ſit donum, & ideo magis competit, quod ipſe petatur, quam quod ab eo aliquid petatur: quamuis etiam ad Spiritum Sanctum, Eccleſia orationes aliquas dirigat, & hymnos, qui loco orationũ in Eccleſia recitantur, ſicut patet: Nunc Sancte nobis Spiritus, &c. Veni Creator Spiritus.

Duodecima, ſuppoſito ex fide, vt ſuo loco probauimus contra hæreticos quod ad Sanctos in cœlo exiſtentes poſſimus recurrere, & ab eis petere, vt intercedant pro nobis ad Dominum, vtile eſt orare etiã Sanctos inferiores, quintuplici ratione, ex Diuo Thoma in 4. diſt. 45. q. 3. art. 2. ad 2. *Primò* ex hoc quod aliquis quandoque habet maiorem deuotionem ad Sanctum minorẽ, quam ad maiorem: ex deuotione autem maiori dependet orationis effectus. *Secundo* propter faſtidium tollendum, quia aſſiduitas vnius rei faſtidium parit; per hoc autem quod diuerſos Sanctos oramus quaſi in ſingulis nouus feruor deuotionis excitatur. *Tertio*, quia quibuſdam Sanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari, ſicut S. Antonio ad ignem infernalem. *Quarto*, vt honor debitus omnibus exhibeatur. *Quinto*, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod vnius oratione non impetratur.

Decima tertia, ex eodem Sancto Doctore 2. 2. q. 83. art. 11. ad 5. conuenienter Sancti orantur nominibus proprijs propter tria, ſcilicet, quia hoc meruerunt, plus nobis innoteſcunt, & propter fidem reſurrectionis inſinuandam. Quia, inquit, Sancti viuentes meruerunt, vt pro nobis orarent, ideo inuocamus eos nominibus, quibus hic vocabantur, quibus etiam nobis magis innoteſcunt, & iterum propter fidem reſurrectionis inſinuandam. Sicut legitur Exodi 3. *Ego ſum Deus Abraham*, &c. ibidem art. 4. ad 2. docet, Sanctis in verbo manifeſtari illud, quod decet eos cognoſcere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiam eorum decere, vt cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. Et ideo petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante, cognoſcant. Tum in 4. diſt. 45. q. 3. art. 3. dupliciter eos orare pro nobis. Vno modo oratione expreſſa, dum votis ſuis aures diuinæ clementiæ pro nobis pulſant. Alio modo oratione interpretatiua, ſcilicet per eorum merita, quæ in conſpectu Dei exiſtentia, non ſolùm eis cedunt ad gloriam, ſed ſunt

nobis

nobis etiam ſuffragia, & orationes quædam, ſicut etiam ſanguis Chriſti, pro nobis effuſus dicitur veniam petere. Vtroque autem modo orationes Sanctorum ſunt, quantum eſt ex ipſis efficaces ad impetrandũ quod petunt: ſed ex parte noſtra poteſt eſſe defectus, vt non aſſequamur fructum orationum ipſorum, ſecundum quod pro nobis orare dicuntur, ex hoc, quod merita ipſorum nobis proficiunt; ſed ſecundum quod orant pro nobis votis ſuis, nobis aliquid poſtulando ſemper exaudiuntur, quia nõ volunt niſi quod Deus vult, nec petunt niſi quod volunt fieri: quod autem Deus ſimpliciter vult, impletur, niſi loquamur de voluntate antecedente, ſecundum quam vult omnes homines ſaluos fieri, quæ non ſemper impletur, vndè nõ eſt mirum ſi etiam quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis, intercedendum non impleatur.

Decima quarta, oratio, ſeu petitio propriè ſumpta fieri non debet ad Sanctos, qui ſunt in purgatorio, vel adhuc in iſto mundo. Quia inquit D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4. ad 3. illi qui ſunt in hoc mundo, aut in purgatorio nondum fruuntur viſione verbi, vt poſſint cognoſcere ea, quæ nos cogitamus vel dicimus. Et ideo eorum ſuffragia non imploramus orando, ſed à viuis petimus colloquendo. Et art. 11. ad 3. ait: Quod illi qui ſunt in purgatorio, etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, inferiores ſunt tamen quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis, vt oretur pro eis. Idem habet in 4. diſt. 45. q. 4. art. 6. quæſtiunc. 2. Nihil petitur ab aliquo, qui non habet; vndè cum beata vita ſit, quæ in mundo petitur, ad illos ſolos dirigi poteſt, qui beatam vitam habent; non autem ad illos, qui in mundo ſunt, neque ad illos, qui in purgatorio ſunt, quamuis illis, qui in mundo ſunt, ſupplicatio, vel petitio aliqua fieri poteſt.

Decima quarta regula, in ordine ad illos pro quibus orare, ſeu aliquid à Deo petere poſſumus, vel debemus, non eſſe orandum pro beatis, ita Diuus Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. probatque primo ex Diuo Auguſtino dicente, *incuriam eſſe in Eccleſia orare pro Martyre, cuius nos debemus orationibus commendari*. Deindè quia eius eſt iuuari, cuius eſt indigere; ſed Sancti in Patria ſunt abſque omni indigentia: ergo per ſuffragia Eccleſiæ non iuuantur. Suffragium de ſui ratione importat quamdam auxiliationem, quæ non competit ei, qui defectum non patitur. Nulli enim iuuari competit, niſi in eo, quo indigens eſt, vndè cum Sancti, qui ſunt in patria, ſint ab omni indigentia immunes, inebriati ab vbertate domus Dei, eis iuuari per ſuffragia non competit.

Decima quinta, non eſſe orandum pro damnatis, nec pro pueris in limbo exiſtentibus; de primis probat Diuus Thomas loco ſtatim citato, triplici ratione, nec non etiam de ſecundis ibidẽ quæſtiunc. 3. vbi videri poteſt, hæc enim ſpecialem non habent difficultatem.

Decima ſexta, licitum eſt orare pro animabus in purgatorio exiſtentibus; quod à nobis ſuo loco fusè probatum fuit contra hæreticos, vndè hic ulteriori non indiget probatione.

Decima ſeptima, pro iuſtis viatoribus etiam orandum eſt, triplici ratione ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 83. art. 7. ad 3. Primo quidem quia multorum preces facilius exaudiuntur; vnde ſuper illud Rom. 15. *Adiuuetis me in orationibus veſtris*, dicit Gloſſa. Bene rogat Apoſtolus minores pro ſe orare. Multi enim minimi dum congregantur vnanimes fiunt magni: & multorum preces impoſſibile eſt, quod non impetrent illud, ſcilicet quod eſt impetrabile. Secundo, vt ex multis gratia agatur Deo de beneficijs, quæ conferuntur iuſtis; quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt: vt patet per Apoſtolum

ſtolum 2. Corinth. 1. Tertiò, vt maiores non ſuperbiant, dum conſiderant ſe minorum ſuffragijs indigere.

Decima octaua, orandum eſt pro omni peccatore viatore vt conuertatur; licet orantes non pro omnibus peccatoribus exaudiantur, ſed pro quibuſdam, vt loco ſtatim citato ait Diuus Thomas. Exaudiuntur enim pro prædeſtinatis, non autem pro præſcitis ad mortem. Sicut etiam correctio, qua fratres corrigimus, effectum habet in prædeſtinatis, non in reprobis, ſecundum illud Eccleſ. 7. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* Et ideò dicitur 1. Ioann. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Sed ſicut nulli quandiu viuit hic, ſubtrahendum eſt correctionis beneficium, quia non poſſumus prædeſtinatos diſtinguere à reprobis, vt Auguſtinus dicit in libro de correptione, & gratia, ita etiam nulli eſt denegandum orationis ſuffragium. Vndè etiā licet non poſſimus petere vitam æternam pro omnibus prorſus hominibus collectiuè ſumptis, cum diuina ſciamus reuelatione, non omnibus eſſe concedendam, ſcilicet reprobis; debemus tamen pro omnibus diſtributiuè ſumptis, ſiue pro ſingulis orare, vt vitam æternam conſequantur, quia non poſſumus prædeſtinatos diſtinguere à reprobis; reſpectu autem iſtorum, quamuis oratio, vel petitio non habeat hunc effectum vitæ æternæ, propter impedimentum ex parte ipſorum, non propterea ſequitur eam fore inutilem, prodeſt enim plurimum oranti, & iuſtis, qui ſunt participes omnium bonorum operum, & inſuper prodeſt ad laudem, & gloriam Dei, quod debet eſſe præcipuum orandi intentum, præcipuuſque finis.

Decima nona, tenemur orare in communi pro noſtris inimicis, non tamen in ſpeciali, niſi in aliquo caſu ſpeciali, ſicut in neceſſitatis articulo. Quia vt ait Diuus Thomas 2.2. q. 83. art. 8. Orare pro alio charitatis eſt: vnde eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro illis orare. Etſi autem teneamur in inimicis diligere naturam non culpam, ſitque in præcepto diligere illos in generali, non tamen in ſpeciali, niſi ſecundum præparationem animi; vt ſcilicet homo ſit paratus, etiam ſpecialiter inimicum diligere, & eum iuuare in neceſſitatis articulo, vel ſi veniam peteret; cæterum in ſpeciali Inimicos diligere, & eos iuuare perfectionis eſt. Eodem igitur modo neceſſitas eſt, vt in communibus orationibus noſtris, quas pro alijs facimus, inimicos nō excludamus. Quod autem pro eis ſpecialiter oremus perfectionis eſt, non neceſsitatis, niſi in aliquo caſu ſpeciali.

Vigeſima, pro omnibus tandem orandum eſt, cuius ratio eſt ex Diuo Thoma ſuper illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, quia oratio eſt interpres noſtri deſiderij. Orando enim petimus, quod deſideramus. Charitas autem requirit, quod deſideremus bonum omnibus, ad quos ſe extendit. Iacobi vltimo, *Orate pro inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua.* Specialiter autem orandum eſt pro Eccleſiæ neceſsitatibus, fidei propagatione, hæreſum extirpatione, infidelium conuerſione, pro eius prælatis, ac paſtoribus, præſertim pro Summo Pontifice Romano, pro Regibus, ac Principibus, pro parentibus, & conſanguineis, nec non etiam pro ipſiſmet excommunicatis, non tamen inter orationes pro membris Eccleſiæ, vt docet Diuus Thomas in 4. diſt. 18, q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. Similiter, inquit, & pro excommunicatis orari poteſt, quamuis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt, & tamen fructum non percipiunt quamdiu in excommunicatione manent, ſed oratur, vt detur eis ſpiritus pœnitentiæ,

tiæ, & ab excommunicatione ſoluantur. Tantumque ſit de præcipuis tam petitionis, quam cæterarum orationis partium regulis, ad quarum præſcriptum rectè inſtitui, ac dirigi poteſt.

§. VIII.

De his, quæ faciunt orationem commendabilem, & exaudibilem.

QVia vix aliqua proferri poſſunt, quæ ex Patribus commendabilem, & exaudibilem reddunt orationem, quæ in Diui Thomæ operibus non reperiantur, hic breuiter tantum aſſignabo loca vbi de illis agit, videriq; poteſt: Igitur in Pſalm 3. ſuper illa verba, *Voce mea ad Dominum clamaui*, tria ex eo ſunt, quæ faciunt orationem commendabilem, ſcilicet attentio, rectitudo, & deuotio. In Pſalm. 38. alia tria, nimirum, eleuatio mentis in Deū, continuatio, & lachrymæ, ſuper illa verba, *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas*. Ad Coloſſenſes 1. quod ſit tempeſtiua, continua, multiplex; & cap. 4. quod ſit aſsidua, grata, & vigilans. 1. ad Timoth. cap. 2. ſuper illa verba: *Volo vos viros orare*: quod ſit aſsidua, pura, & quieta.

Ex eodem Sancto Doctore in Pſal. ſuper illa verba: *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret*, requiritur, vt oratio ſit exaudibilis, quod fiat recta intentione. Et in Pſalm. 19. ſuper illa verba, *Exaudiat te Dominus &c.* docet ex tribus alijs circumſtantijs eamdem fieri exaudibilem, nimirum ex bonitate Dei, ſuffragijs Sanctorum, & merito proprio; & in Pſalm. 37. ſuper illa verba; *Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me*, quando eſt obedientis, patientis, & orantis pro inimicis. Demum in expoſitione capitis 6. epiſt. ad Epheſ. lect. 5. ponit ſeptem conditiones orationis, cum quibus vim habet impetrandi, prima quod ſit perfecta; ſecunda quod ſit humilis non præſumptuoſa; tertia quod ſit continua; quarta quod ſit deuota; quinta quod ſit vigilans; ſexta quod ſit inſtans; ſeptima quod ſit charitatiua.

Quamobrem vbi oratio, vel petitio aliqua præfatas habet conditiones, ſeu circumſtantias, maximè autem iſtas quatuor, ſcilicet quod fiat cum fide, ſeu fiducia, piè, perſeueranter, & de pertinentibus ad propriam ſalutem, ſiue in nomine Domini, docente Diuo Auguſtino, non peti in nomine Saluatoris, quando petitur aliquid alienum à ſalute, infallibiliter iuxta fidelem Chriſti promiſsionem ſuum ſortietur effectum, ſiue impetrabit quod petit, aut aliquid maius, & melius; quamuis nonnunquam conceſsio differatur ad aliud opportunum, vel congruum tempus.

§. IX.

De ſignis, ſeu effectibus bonæ, Deoque gratæ orationis.

CVm plures ſint effectus, quibus veluti ſignis dignoſci poteſt, an bona, Deoque grata ſit oratio, non agimus in præſenti de illis, qui ſunt proprij orationis mentalis extraordinariæ, ad viam proficientium illuminatiuam, & perfectorum vnitiuam ſpectantis, ſed de illis, qui aut ſunt communes orationi vt ſic, atque adeo omnibus vijs, aut proprij orationis mentalis ordinariæ Incipientium etiam propriæ.

Præcipui ſunt, primò ſi quis maiorem lucem ad ſui ipſius, & Dei cognitionem experiatur, ſeriò enim meditanti Infinitam diuinæ maieſtatis excellentiam, non poteſt non ei oriri huiuſmodi lux, ſeu maior cognitio diuinæ infinitatis, propriæque vtilitatis.

Secundò, ſi inde maior Dei amor, ſui verò ipſius odium concipiatur, alias eſſet cognitio mere ſpeculatiua, & non practica, qualis eſſe debet illa, quæ ad

veram,

veram, & perfectam orationem requiritur;vnde ſi talis eſt,non poteſt nõ parere in orante verè cognoſcente infinitam Dei bonitatem, & excellentiam, aliquem maiorem erga ipſum amorẽ, nec non maius ſui odium, magis etiam cognita propria vilitate, & imperfectione, rationem mali habente.

Tertiò, ſi maior ſit interior, exteriorque noſtra recollectio; qui enim rectè orat, ſemelque proinde guſtauit, & vidit in ſancto orationis exercitio, quã bonus ſit Deus, facilè ſe ab exterioribus rebus, & occupationibus ſegregat, & ad interiora mentis ſecreta,vbi Deus inuenitur, & velut in templo ſancto ſuo potiſſimum colitur, ſe colligit, vt vitam abſcõditam cum Chriſto in D. o ducat, ægrè ferens, vbi externis aliquando negotijs occupari neceſſe eſt, quaſi violenter extra centrum detentus.

Quartò, ſi maior ſentiatur à ſolitis prius vitijs auerſio, & ad virtutum amorem propenſio; maximè ſi orans deprehendat ſe talem habere à vitijs auerſionem, & ad virtutes propenſionem, quorum correctioni, & acquiſitioni ſpeciatim adhibuit orationis exercitium, ex bonitate enim finis facilè colligitur bonitas medij ad illum conducentis.

Quintò, contemptus, ac veluti nauſea omnium rerum præter Deum, aut ad illum ſpectantium, eſt euidens ſignum bonæ fructuoſæque orationis, cœlum enim aſpicienti, & mente verè in Deum per illam eleuato, non poteſt non terra ſordeſcere.

Sextò tandem, & vltimò deprehendi poteſt ex maiori mortificatione tum interiori mentis, tum etiam exteriori carnis; cum enim, vt diximus, mortificatio, ſeu purgatio animæ actiua, quo ad omnes eius partes tam cognoſcitiuas, quam appetitiuas, ſit diſpoſitio ad vnionem cum Deo per orationem; non poteſt, qui illi operam nauat, iamque experitur, motus paſſionum exurgentes internam quietem, ac tranquillitatem non amplius perturbare, non poteſt non clarè conijcere de bonitate ſuæ orationis, ſic factæ in pace loco eius. Deinde ſic illam per modum diſpoſitionis præcedit, vt etiam per modum effectus ad illam ſubſequatur; quis eſt enim, qui deuotè conſideret, ac meditetur Chriſtum pro ſe Crucifixum, ſuaque ob peccata, & qui non indè concipiat maiorem mortificationis affectum, maiuſque deſiderium crucifigendi carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs, eoque modo ſatisfaciendi diuinæ pro ſuis peccatis iuſtitiæ. Tantum ſit de præcipuis bonæ, & vtilis orationis ſignis, aut fructibus, ad quos omnes alij facilè reduuntur, & quos qui in ſeipſo expertus fuerit, poterit in Domino de certo orationis fructu lætari, quamque maximas illi gratias pro tanto beneficio rependere.

§. X.

De diſtractionibus, & ariditatibus in oratione mentali occurrentibus, earumque remedio.

PLuribus in oratione mentali diſtractionibus, & ariditatibus, quæ ſunt duo potiſſima eius impedimenta, primum ex parte intellectus, ſecundum ex parte voluntatis, omnes affligi, maximè autem incipientes, pluſquã euidenti conſtante experientia, alia non indiget probatione. Verum quia id ex multiplici capite oriri poteſt, proportionatè ad vnumquodque ſuum adhibendum eſt remedium. Si à Deo ita animam purgare, & probare volente, iam ſupra attulimus, & ſigna quibus dignoſci,& remedia quibus illi ſuccurri poteſt.

Nunc ergo, ſi huiuſmodi ariditates, & diſtractiones proueniunt ex nimio affectu erga res terrenas in communi, aut aliquam in particulari, exiſtente noſtra mente, & noſtro corde, vbi eſt theſaurus noſter, tunc omni diligentia

tia purganda eſt anima à ſimili affectu, quo ſemel euacuata, dubium non eſt quin futura ſit quietior oratio, minuſque obnoxia diſtractionibus; vt enim rectè ait Diuus Bonauentura lib. 2. de Profectu Religioſ. cap. 58. Qualis liquor vaſi infunditur, taliter redolebit; & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia ſemina germinabunt.

Quod ſi diſpoſitio naturalis ſit in cauſa huiuſmodi diſtractionum, v. g. nimia potentiarum viuacitas, naturaliſque inquietudo, tunc qui illa laborat, diuino implorato auxilio, cuius eſt potiſſimum irregulares naturæ noſtræ motus reformare, & componere, debet, maximè vbi oratio fit in communi, ſæpè ſæpius ſuam coram Deo renouare attentionem, & intentionem, cum intimo deſiderio, ea illum orandi, & laudandi, qua, ſi fieri poſſet, illum de facto laudant beati in cœlo; item præparatas habere deuotas aliquas orationes iaculatorias, ſibique maiorem vim inferentes, quarum ope, mirum eſt, quantum diſtractionum motus, ac tumultus ſiſtantur, atque ſedentur, ſi autem priuatim oratio fiat, poterit librũ aliquem pium identidem legere, ad mentem colligendam.

Tandem, quia diſtractiones, & ariditates non infrequenter à Deo permittuntur in pœnam alicuius defectus, aut negligentiæ prius in eius obſequio commiſſæ, qui illas patitur id diligenter examinet, & vbi ita fuerit, ex intimo corde doleat de huiuſmodi imperfectionibus, cum firmo eas emendandi propoſito, diuina fauente gratia; ſic enim placatus Deus agitatæ menti reddet tranquillitatem; ſin minus talem pęnam humiliter, ac patienter ſuſtineat, eamque Deo flagellanti in ſuę culpæ ſatisfactionem offerat. Caueat tamen diligenter, ne propterea orationis exercitium deſerat, & hoc maximè, ſi proprij ratione inſtituti ad illam teneatur; quamuis aliquando, vbi nimirum ex nimia in repellendis diſtractionibus animi contentione aliquod ſanitati periculum immineret, poterit ex conſilio ſuperioris, vel directoris illud ſuſpendere.

§. XI.

De materia orationis mentalis incipientium propria.

ET ſi qualibet pia materia, & ad excitandum diuinum in nobis affectum idonea poſſit eſſe materia cuiuſcunque orationis tam incipientiũ in via Purgatiua, quàm proficientium in Illuminatiua, & perfectorum in Vnitiua propriæ, cum potius penes modum, quàm penes materiam meditandam inter ſe differant; Nihilominus quæ magis competunt incipientibus, ſunt meditationes, ſeu conſiderationes nouiſſimorum, & earum veritatum, quæ inde educuntur, ex ijs enim clarè perſpiciuntur, apprehenduntúrque pericula, in qua ruimus præcipites, non perueniendi ad finem noſtrum, niſi aliter, quam hactenus moderando vitam noſtram, purgandoque illam ab omnibus affectibus inordinatis progrediamur.

Quo etiam tendere debent cæteræ meditationes myſteriorum Chriſti, vt nimirum vitam emendemus noſtram, ad eius exemplum, quod ad tres illos actus perfectionis, abſtinere, agere, & pati reducitur, maximè incipientium, viæque purgatiuæ proprios. Ita vt primi deſumatur exemplum ex myſterijs infantiæ Chriſti; ſecundi, inter homines verſantis, & tertij, eiuſdem patientis; vt præſcribunt innumeri huiuſcemodi meditationum authores. Et hæc breuiter pro materiæ copia, ſufficienter tamen pro inſtituti noſtri ratione, de oratione mentali Incipientium propria, potiſſimoque viæ purgatiuæ medio, ad eam rectè inſtituendam, & dirigendam in fuga mali, & proſecutione boni illi conſentanei.

CA-

CAPVT IX.

De exercitio diuinæ præſentiæ.

CVm duplex ſit præſentia Dei, vna veluti actiua, qua nimirum, ſiue de illo cogitemus, nec ne, pro ſua in omnes partes immenſitate rebus omnibus eſt præſens, eaſque inſuper ſuæ ſcientiæ infinitate præſentes facit, vt ait Regius Propheta Pſalm. 138. Altera verò paſſiua, qua, hanc Dei præſentiam agnoſcentes, & ſæpius de illo cogitantes, reddimus quoque illum nobis obiectiuè præſentem, actiuè quidem ex parte noſtra, ſed paſſiuè reſpectu ipſius, quatenus eſt ſanctæ cogitationis noſtræ obiectum, proptereaque dicitur, & vocatur præſentia Dei paſſiua: de hac tantum agimus in præſenti; tum quia ad perfectionem Chriſtianam, profectumquè ſpiritualem incipientium, non ſufficit ſcire, Deum intimè nobis adeſſe, niſi & nos illi adſimus, præſentemque nobis frequenti memoria faciamus; tum quia, ex dictis, frequens hoc exercitium optima eſt diſpoſitio, & præparatio ad orationem mentalem, de qua ſuperiori capite egimus; tum maximè quia, attento præſenti viæ ſtatu, cum continuo orare, aut ſæpè longas orationes protrahere non poſſimus, id exercitio præſentiæ Dei mirabiliter ſuppletur; indeque etiam incipientes, illis adhuc non aſſueti, vberrimos percipiunt fructus.

Quia igitur exercitium præſentiæ Dei, modo ſtatim explicato, nihil aliud eſt, quam breuis, vel interrupta, aut per modum tranſeuntis oratio, eadem ratione de illo, ac de iſta, quo ad eius naturam diſcurrere poſſumus. Quemadmodum ergo ad orationem mentalem non ſufficit ſolus actus intellectus; nec ſolus actus voluntatis, ſed conſiſtit in eleuatione animæ ad Deum vel in vnione cum ipſo per vtrumque actum; ita quoque ad exercitium diuinæ præſentiæ, ſatis non eſt præſentem Deum in nobis, & nos viciſſim præſentes coram illo per fidem concipere, niſi adhuc per vlteriorem voluntatis actū illi adhæreamus, ſeu amoris pondere in illum feramur: *Vere enim*, vt ait Diuus Auguſtinus lib. 1. confeſſ. cap. *fecit nos Dominus ad ſe, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in illo.* Vndè ſicut Deus vbique eſt in omnibus creaturis per intellectum, & voluntatem operans, ita creatura rationalis, cui ſingulari priuilegio datum eſt poſſe intellectu, & voluntate nedum naturaliter, ſed & ſupernaturaliter per gratiam Deum amplecti, illique vniri, ſic eum ſibi præſentem exhibere debet, vt ſecundum eam quam habet ab eo dependentiam, inclinationem, & pondus intelligendo, & amando ſe ei quam poterit perfectiſſimè, & quibuſcumque valebit operationum vinculis, vniat, & aſtringat. Qui complexus, vel vnio quo perfectior eſt per gratiā, eo etiam præſentia & maior, & ſpecialior in homine iuſto eſſe dicitur; *Deus*, inquit Diuus Auguſtinus, *totus adeſſe rebus omnibus poteſt, & ſingulis totus: quamuis in quibus habitat, habeant eum pro ſuæ capacitatis diuerſitate, alij amplius, alij minus, quos ipſe ſibi dilectiſſimum templum gratiæ ſuæ, & bonitatis ædificat.* Et iterum, *Vnde in omnibus ſanctis ſunt alij ſanctiores, niſi abundantius habendo habitatorem Deum?* De quo redibit ſermo infra ſect. 4. vbi agemus de via vnitiua, oſtendemuſque per quam cum Deo vnionem illa perficiatur.

Interim patet, cauſam efficientem primariam huius ſancti exercitij Deū eſſe, ſiue pendere ab eius gratia, cum qua tamen proprio labore, propriaque induſtria varios poſſumus excogitare illius modos, vt dicetur infra. Cuius etiam gratiæ vis, & efficacia adeo in perfectis elucere ſolet, vt eorum vita tota pene nihil aliud eſſe videatur, quā Dei præſentis contemplatio, quę totius vitæ ſpiritualis eſt veluti ſumma, & perfe-

perfectio; vt apud Caſſianũ collat. 10. cap. 10. ait Iſaac: *Deſtinatio ſolitarij, hæc eſſe debet omnis intentio, vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore poſſidere mereatur, & quodammodo arrham cæleſtis illius conuerſationis & gloriæ incipiat in hoc vaſculo deguſtare. Hic inquam finis totius perfectionis eſt, vt eo vſque extenuata mens ab omni ſitu carnali ad ſpiritualia quotidie ſublimetur, donec omnis eius conuerſatio, vna volutatio cordis, vna & iugis efficiatur oratio.*

Huius autem gratiæ, ſiue exercitij præſentiæ Dei, licet perfectiùs, & abundantius in proficientibus, & perfectis, quam in incipientibus, ordinariè loquendo, in omnibus tamen cauſa meritoria eſt Chriſtus Dominus; ſiue quod talem gratiam, reliquaque omnia, quæ ad ſalutem nobis aliquid conferunt, Deus pro ſua infinita bonitate largiatur, Chriſti Domini veri Dei, & hominis meritum facit; illamque petijſſe non incongruè dici poteſt in ardentiſsima illa, & efficaciſsima oratione, quam ante paſsionem ſuam fudit Ioann. 17. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint*; vt explicat præfatus Abbas Iſaac apud Caſſianum citata collatione cap. 6. adeo vt ipſa Dei, diuinarumque perſonarum pręſentia, qua ſcilicet ſibi viciſsim præſentes ſunt, perfectiſsimũ ſit exemplar, ac veluti cauſa formalis extrinſeca pręſentiæ Dei in nobis, qua ſcilicet illum præſentem, & operantem in nobis cogitare, & complecti debemus.

Quod ergò primum pertinet ad huius exercitij cauſas, vnde clarè conſtabit eius natura, Prima, & principalis efficiens eſt Deus, homini addens dona gratiæ, vt non naturali ſolùm inſtinctu, & impetu Deum agnoſcat, & cõplectatur, vt creaturæ omnes, ſed etiam pro ratione libertatis ſponte omninò, & voluntariè id faciat; vnde cauſa efficiens ſecunda, minuſque principalis, eſt homo ſuis gratiæ donis vtens, & cooperans in reddendo ſibi Deo præſenti; formalis intrinſeca, ſunt ipſimet actus intellectus, vel etiam imaginationis, vt dicetur infra, & voluntatis eliciti, formalis verò extrinſeca, ſeu exemplaris, ipſa Dei præſentia, qua nimirum ſibi in ſeipſo præſens eſt, nec non Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ; quatenus ſicut Pater æternus, dum ſeipſum ſemper præſentem contemplatur, generat filium non extra ſe, ſed in ſeipſo, ſibique ipſi pręſentiſſimum, vterque verò dum mutuo ſe ſe amore pręſentes complectuntur, in ſe etiam Spiritum Sanctum producunt: adeo vt quælibet perſona diuina cuilibet perſonæ præſentiſſimam, vnamque omninò diuinam repręſentet naturam, indeque veluti coniunctiſſimæ inter ſe, & in ſe ipſis tres diuinæ perſonæ ſine vlla confuſione, modo prorſus ineffabili, & admirabili circuminſeſſione verſentur; ita & nos, præſentem nobis Deum, diuinaſque perſonas noſtra conſideratione efficiendo, cum illis quoque amice, & familiariter verſari poſſumus, dicereque cum Apoſtolo, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Vndè cauſa materialis, ſeu materia circa quam huius ſancti exercitij, eſt ipſemet Deus, factus nobis, & à nobis obiectiuè præſens; ac finalis tandem intima cum Deo inde reſultans vnio, maior vel minus perfecta, iuxta trium ſtatuum diuerſitatem.

Secundò varij ſunt modi, variæque praxes diuini huius exercitij, quæ etiã accommodatè ad vniuſcuiuſque affectum, vel deuotionem vſurpari poſſunt. Primum enim ex parte potentiarum diuiditur præſentia Dei in intellectualem, & ſenſitiuam, & hæc rurſus in eã, qua habetur, vel per ſenſus internos, v.g. imaginationem, vel per alios ſenſus externos.

Pręſentia Dei intellectualis eſt illa, qua abſque vlla determinata notitia, ſed confusè tantùm, ſimplicique actu fidei, Deum eſſe in nobis, & viciſsim nos in eo, apprehendentes, aut ab eo peti-

petimus diuinæ gratiæ auxilia in communi, aut aliquem alium virtutis actum elicimus in particulari. Pręclariſsimum primi habetur exemplum in illo verſiculo, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* docente apud Caſſianum loco citato Abbate Iſaac; id vnum deuotè vel corde, vel ore pronuntiatum, ad perpetuam Dei memoriam poſsidendam, indeque perfectionem acquirendam ſatis eſſe. *Erit itaque*, inquit alloquens Monachos, *ad perpetuam Dei memoriam poſsidendam, hæc inſeparabiliter propoſita vobis formula pietatis. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Hic namque verſiculus non immeritò de toto ſcripturarum excerptus eſt inſtrumento; recipit enim omnes affectus, quicunque inferri humanæ naturæ poſſunt, & ad omnem ſtatum; atque vniuerſos incurſus propriè ſatis, & competenter aptatur.* Quod deinceps pluribus oſtendit, & probat, ibique videri poteſt.

Pręſentia Dei imaginaria eſt illa, qua ſenſibili, & determinata alicuius rei forma, vel figura, diuinā præſentiā in nobis, & noſtrā in Deo aptè repręſentātis, imaginatione iuuante; ita illum nobis, & nos illi adeſſe concipimus; v. g. ſub figuris vaſtiſsimi, & profundiſsimi oceani, cui vndequaque immergimur, regni, ciuitatis, domus, palatij, templi, cubiculi ſecreti, tribunalis, ſolij, agri, vineæ, horti, & ſimilium, quibus diuinæ ſcripturæ, veluti ſacris ſymbolis vtuntur, ad ſignificandum Deum nobis etiam pręſentem eſſe debere, quatenus ibi non ſolum nos, cordaue noſtra in ſuum tabernaculum, domum, & templum ſibi conſecrata, & addicta eſſe vult, quod pertinet ad pręſentiam inhabitantis actiuam, ſed etiam ſeipſum nobis dignatur exhibere in habitaculum, in domum, in caſtrum, in templū, ciuitatem, centrum, & alia huiuſmodi; quod pertinet ad præſentiam inhabitati paſsiuam; quatenus vult, vt ſuam diuinam immenſitatem vndique nos ambientem intellectu, & voluntate concipientes, intelligamus quoque nos in ea velut in proprio loco concluſos, extra quem nihil eſſe poſſumus, nihilque habere.

Ad imaginariam quoque Dei præſentiam pertinet illa, qua Chriſti Dei ſimul, & hominis ſacroſanctam humanitatem, latentemque ſub ea diuinitatem, imaginatione concipimus vbique nobis adeſſe, & nobiſcum operari, vel aliqua vitę, & paſsionis eius myſteria nobis meditanda, & imitanda repræſentamus.

Senſibus quoque externis, vel eorū ope nō deeſt nobis exercitium pręſentiæ Dei veluti ſenſibilis, nimirum per piarum eius imaginum, nec non Chriſti Domini, & myſteriorum paſſionis, & vitæ eius vſum; cùm præter alias vtilitates, de quibus ſuperiori tomo contra hæreticos egimus, negari non poſſit, quin etiam ad Dei præſentiam apprehendendam mirum in modum conferant. Dum enim imagines oculis noſtris obiectas intuemur, facile eſt in Deo pręſente, eadem illa, quæ in imaginibus nobis proponuntur, ſiue ſint pręterita, vt miſeriæ vitæ, & paſſionis Chriſti, ſiue futura, vt diuinum iudicium, aut Paradiſi gloria, & inferni pœna, aliaque ſimilia per imagines repręſentata, facilè eſt, inquam illa in iſtis veluti etiamnum reipſa, verèque præſentia, ac viua contemplari.

Spectat quodque ad hanc ſenſitiuā Dei præſentiam, illa, qua ex omnibus creaturis, quæ ſub ſenſus externos cadunt, veluti tot gradibus, aut ſcalis ad Dei cognitionem, & amorem aſcendimus; duplicem enim librum creaturarum, & ſcripturarum ad hoc dedit Deus, inquit Auguſtinus, vt ipſe quæratur, ipſe diligatur, & qui illas creauit, & qui iſtas inſpirauit. Quorum poſterior dicitur liber deſcenſus Dei ad hominem, quia vt diſertis verbis docuit S. Petrus 2. epiſt. 1. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Prior autem liber aſcen-

aſcenſus, quatenus, cum omnes creaturæ, & earum operationes Dei ſint effectus, ac veſtigia, veluti tot characteres nobiliſſimum librum componentes, ex eius ſtudio, aſſiduáque lectione ad Creatoris contemplationem, & amorem cum eius gratia aſcendimus. Nam vt rectè ait Richardus à S. Victore lib. 2. de contemplat. cap. 17. *Dum imaginatio rationi rerum viſibilium formas repræſentat, & ipſam ex earumdem rerum ſimilitudine ad inuiſibilium inueſtigationem informat, illuc eam conducit, quò per ſe ire neſciuit: nunquam enim ratio ad inuiſibilium contemplationem aſſurgeret, niſi ei imaginatio rerum viſibilium formas repræſentando exhiberet, vndè ad illa ſimilitudinem traheret, & inueſtigationis ſuæ modum formaret.* Atque hoc modo vſos fuiſſe ſæpè viros Sanctos, maximè Sanctum Antonium exercitio præſentiæ diuinæ, cum maxima ſpiritus ſuauitate, & fructu, legitur in eorum hiſtorijs, illúmque valdè etiam commendant Magiſtri ſpirituales, præſertim pro incipientibus, iuuareque poteſt Theologiæ ſymbolicæ vſus, de qua ſuperiori libro.

In omnibus autem his modis exercendi Dei præſentiam, ſiue anagogicè tendendi in illum, motus, ſiue actus anagogici poſſunt eſſe, vel diuerſarum virtutum, v.g. fidei, ſpei, charitatis, religionis, humilitatis, & ſic de cæteris; vel vnius dumtaxat, v.g. illius ad cuius acquiſitionem maximè tenditur, aut illius, cuius illa die in oratione mentali facta fuerint ſpecialia propoſita, iuxta diuerſitatem rerum, vel myſteriorũ meditatorum, quibus etiam tales actus conformari poſſunt.

2. Alter modus, iſque valde vtilis exercendi Dei præſentiam, eſt ille, quo propoſito nobis Deo tanquam fine vltimo omnium noſtrarum operationum, primoque exemplari omnis humanæ perfectionis (tanta ſiquidem eſt perfectionis homini propoſitæ excellentia, vt ſicut eius artifex Deus eſt, Chriſtus verò Deus & homo, per merita ſua conſummator, ita prima eius idea alia eſſe non poſſit, quam illa ipſa Dei perfectio; vndè Chriſtus ait: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*) in principio cuiuſcunque operationis noſtræ, quantumuis minimæ illam principaliter ad maiorem eius gloriam dirigimus, ſicut ipſe omnia propter ſemetipſum operatur, ſe ſolo contentus, ſe ſolo beatus, habentes in hunc finem præparatas plures orationes iaculatorias, vnicuique actioni faciendæ proportionatas, & accommodatas.

Verum quia diuinum hoc exemplar ſublime admodum eſt, & tale, vt nec pateat noſtris ſenſibus, nec poſſit intellectus noſter ita facile illud concipere, atque adeo ad eius imitationem noſtras actiones componi: propterea Deus ipſe factus eſt homo, vt faciliorem haberemus omnium ad hoc exemplar virtutum imitationem. Quamobrem hic quoque modus excellens eſt, diuinam exercendi præſentiam, dum quis in principio cuiuſcunque actionis proponit ſibi in ideam, aut exemplar illius faciendæ Chriſtum Dominum, eo deſiderio ſe in illa gerendi, ſi fieri poſſet, ſicut ipſemet Chriſtus ſe gereret, aut aliquando geſſit, talem exercens actionem; cum etiam dixerit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Vltimus tandem modus exercendi præſentiam Dei eſt ille, quo præter duo tempora, quibus ex inſtituto examini conſcientiæ longius vacare debent, qui ſuæ perfectionis ſtudioſiores ſunt, quis ad ſingulas fermè horas animum tantiſper colligens, ſeque Deo tanquam iudici præſentem ſiſtens, conſcientiam ſuam examinat, expenditque, an quæ in illis agenda occurrerint, rectè, nec ne egerit, vt, ſi rectè, gratias Deo referat, ſi verò quid minus rectum, perfectumque deprehenderit, id agnoſcens coram Deo, ab eo veniam petat, tum proponat, ſequenti hora melius facere. Quod totum breuiſſimè debet fieri, & ita occultè, vt, ſi aliqui præſentes

tes ſint, nihil poſſint aduertere; & quã-uis initio nõ ita expeditè fieri id queat, ipſo tamen vſu facile obtinetur, vt vel vno penè momento clarè, diſtinctèque perficiatur. Porrò tam ex his, quam ex alijs ſimilibus modis exercendi preſentiam Dei, quos ingenioſus amans, verèque habens cor ſuum, vbi eſt verus theſaurus ſuus, nempè Deus, adinuenire poteſt, vt frequenter illius recordetur, vnuſquiſque poteſt illum eligere, quem experientia ſibi magis vtilem, magiſque ſuauem eſſe probauerit.

Tertiò denique ſancti huius exercitij, quamplures, & vberes ſunt fructus. Primus, quod hoc exercitium ita ſit interrupta oratio, vt tamen ob frequentiam actuum anagogicorum videatur eſſe continua, & ita ſatisfieri Chriſti præcepto Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; negarique non poteſt, quin per hoc exercitium magna acquiratur promptitudo ad omnem orationem.

Secundus, quod ſit preſentiſſimum, efficaciſſimumque remedium ad ſuperandas omnes tentationes, vitandaſque peccati occaſiones, non ſolum quia nihil timet, qui habitat in adiutorio altiſſimi, & cui Deus eſt in domum, aut locũ refugij, vndè aiebat Dauid pſ. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris mihi eſt, ne commouear*; verum etiam, quia, ſi ait Diuus Bernardus in pſal. 90. cap. 12. loquens de Angelo Cuſtode: *Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes?* id à fortiori dicendum eſt de Deo præſente, quemque in nobis præſentem contemplamur. Sic ait Diuus Ignatius Martyr epiſt. ad Hieron. *Memento Dei, & non peccabis*: & Clemens Alexandr. lib. 3. pædagogi cap. 5. *Hac ſolum ratione fit, vt quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat.* Sibique dicebat Macharius, ex Palladio in Lauſiaca cap. 20. *Habes Angelos, Archangelos, omnes ſupernas poteſtates, Cherubin, & Seraphim, Deum borum omnium effectorem, illic verſare: ne ſub cælos deſcenderis: ne incideris in mundanas cogitationes.*

Tertius, quod non ſolùm valeat ad vitandum malum, verum etiam parata ſit via, aptiſſimumque medium ad Sanctitatis perfectionem acquirendam; quid enim aliud ex continua cum Deo per hoc exercitium familiaritate, & conuerſatione afflari poteſt; propterea Geneſ. 17. ait Dominus Abrahæ: *Ambula coram me, & eſto perfectus*.

Quartus, quod in rebus arduis, & ſuſcipiendis ad Dei gloriam, & proſequendis, & ad finem vſque perducendis, oriatur ex hoc ſancto exercitio, ingens animi vis, ac fortitudo, fiduciaque in Deo, cum humilitate profundiſſima, propriarumque virium diffidentia coniuncta; iuxta illud Sanctiſſimi Prophetæ Eliæ 3. Reg. 17. dicentis: *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto*; cum cælum triennio clauſurus eſſet. Et Machabæi lib. 2. 15. & 16. *Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt Nicanorem cum 35. millibus, præſentia Dei magnificè delectati.*

Quintus tandem & vltimus eſt, quod in omnibus ſpiritualibus exercitijs, orationis, ſacrificij Miſſæ, officij diuini, perceptionis diuinorum Sacramentorum, & ſimilium, in quibus diſtractiones plerumque moleſtiores eſſe ſolent, ſit congruentiſſimum ad illas repellendas medium, plena deuotionis, & pietatis attentione inde ad omnes vitæ partes, & actiones ſe ſe veluti è ſacro fonte diffundente, nec non in illis ſolius Dei gloriæ quærendæ deſiderio, ſeu habendi illum ſolum bonorum noſtrorum operum Inſpectorem, quorum ſperamus futurum aliquando Iuſtum, ac miſericordem remuneratorem. Hi ſunt præcipui, magiſque proprij exercitij præſentiæ Dei fructus, ſique ſunt alij, aut ad iſtos reducuntur, aut ſunt alijs etiam exercitijs communes.

CAPVT X.

De mortificatione incipientium, ſeu viæ purgatiuæ propria.

CVm mortificatio ſit comes indiuidua orationis, vnde Cantic. 3. dicitur de Sponſa, ſcilicet de anima fideli per orationem Deo coniuncta; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*; in quæ verba ſic ait Richardus à S. Victore: *Simul aſcendit vtique fumus, mortificationis ſcilicet, & deſiderij, atque orationis; quia alter ab altero fulcitur, ita vt neuter per ſe poſſit aſcendere, vel Deo placere: ſuperna enim deſiderare non poſſumus, niſi terrena deſpiciamus, & terrena non deſpicimus, niſi ſupernorum deſiderio trahamur: abſque delectatione enim cor eſſe non poteſt, ſed aliqua ideo trahi neceſſe eſt, quia trahit ſua quemque voluptas; vnde cum alia illi ſubtrahitur, ad aliam facilius inclinatur; & quia vacuum eſt, ad aliquid capiendum amplius eſt diſpoſitum.* Poſtquam in præcedentibus capitibus egimus de oratione incipientium, viæque purgatiuæ propria, & illi annexo præſentiæ Dei exercitio; nunc breuiter aliquid attingemus de mortificatione eorumdem propria.

Igitur, conſtante hominis natura ex duabus partibus, vna ſuperiore, intellectuali ſcilicet, qua per intellectum, & voluntatem in ſupremam veritatem, & bonitatem ſe ſe erigat; altera verò inferiori, ſcilicet ſenſitiua, quæ ei communis eſt cum belluis, atque adeo ad omnia ſenſibilia procliuis: inter quas continua eſt pugna, maximè in ſtatu naturæ corruptæ, ſcribente Apoſtolo ad Galatas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*; quam pugnam, tanquam in ſeipſo ſæpius expertam fusè deſcribit Rom. 7. Quæque non alijs armis fit, quam proprijs cuiuſque partis actionibus, quibus vna aliam impetit, & in ſua illa bona trahere omni ope contendit: Inde fit quod mortificatio in tota ſua latitudine nihil ſit aliud, quam actio, qua pars ſuperior diuinæ gratiæ auxilijs munita, inordinatam partis inferioris in bona ſenſibilia inclinationē ſiue actualem, ſiue habitualem veluti occidit, & interimit.

Cuius adhuc varij ſunt gradus, primus dici poteſt abnegationis, ſecundus renuntiationis, tertius crucifixionis; etſi enim omnes hi gradus in hoc conueniant, & conſpirent, vt motus partis inferioris mortificent, cum tamen id perfectius per vnum, quam per alium præſtetur gradum, inde quoque præfata eorum diſtinctio habetur, conſtituique Primus abnegationis, ſi ſumatur ſtrictè, nam ſæpe inter ſe confunduntur, & pro vno, & eodem ſumuntur, in hoc quod motus, & affectus partis inferioris intra terminos rationis concludat, eam duntaxat priuando ab illicitis, maximè in re graui, quæque charitatem deſtruere poſſunt: Secundus renuntiationis, in priuatione nedum ab illicitis, quantumuis venialibus, verum etiam à licitis, & honeſtis, ex ardentiori charitate proueniente; Tertius denique crucifixionis, cuius meminit Diuus Paulus, quando ait: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*, conſiſtit in abnegatione, & renuntiatione omnium prædictorum per actus virtutum heroicos, ita omnem appetitum conſopiente, vt iã perindè ac ſi vita quis priuatus eſſet, in nullum proprium bonum, vt proprium eſt tendere poſſit. Quare per excellentiam vocatur abnegatio, renuntiatio, mortificatio, vtpotè ex perfectiſſimo Dei amore procedens, taliq; odio noſtri, quod cum non ſimplici ſolùm partis inferioris mortificatione contentum ſit, ſed exquiſita etiam, atque adeò crudelia in hunc finem adhibeat tormenta, qualis Chriſti Domini crux fuit, ideo ab Apoſtolo loco citato vocatur crucifixio. Et in hoc ſenſu abnegationem, quæ ſcilicet ſine maxi-

mo ſui odio exerceri non poteſt, atque adeo non tam in præcepto, quam in conſilio poſitam, fuiſſe à Chriſto Domino commendatam Matth. 16. & Luc. 14. docet ibi Chriſoſtomus, præclaris his verbis: *Si intelligis, quid ſit, alium abnegare, tunc rectè percipies quid ſit abnegare teipſum. Qui alium abnegauit, fratrem puta, aut ſeruum, aut quemuis alium, ſi cædi eum virgis videat, ſi arceri vinculis, quicquid aliud mali pati eum conſpexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorſus vllo modo mouetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus eſt. Sic igitur nullo pacto corpori noſtro parcere vult, vt neque ſi cæditur, neque ſi pellitur, nec ſi quid aliud patitur ei parcamus*. Et paulò poſt. *Chriſtus non dixit ne parcas, ſed ſignificantius, & expreſſius, denega temetipſum, pericula ſubi, certaminibus te offer, & quaſi alius hæc patiatur, ſic afficiare*.

Ex his autem gradibus, cum ſecundus ſit proprius Proficientium in via illuminatiua, tertius Perfectorum in vnitiua, primus, vt potè minus adhuc perfectus, eſt proprius Incipientium in via purgatiua, luctantium cum peccatis mortalibus pro gratia, & quorum conſequenter gradus victoriæ cuiuſque vitij, aut motus vitioſi conſiſtit in hoc, quod ita compeſcatur, vt nihil poſſit ad Dei amicitiam labefactandam. Sicut gradus victoriæ Proficientium eſt, quod ita exerceatur, vt ne quidem ad venialia peccata, ſaltem ita crebro, facilèque impellat; Perfectorum autem, quod ita omnes partis inferioris, vitiorumque eius motus comprimantur, vt vix exigua eorum veſtigia remaneant, &, ſi ſe ſe aliquando moueant tenuiter, ſtatim contineantur, iam totaliter victrice diuina charitate.

Sed cum mortificationis actus alij ſint interiores, earum ſcilicet virtutū, quarum ope inordinatos partis inferioris motus mortificamus, alij exteriores, cuiuſmodi ſunt omnia opera pænalia, quibus corpus, eiuſque membra mac-eramus, ita quoque datur duplex mortificatio vna interior, altera exterior, de prima non agimus in præſenti, cum huiuſmodi mortificatio interior nihil ſit aliud, quam ipſamet purgatio actiua, de qua ſufficienter iam ſupra egimus; ſed tantum de ſecunda, laborioſis operibus corpus affligente, & in ſeruitutem redigente.

Quam primò aliquando neceſſariam eſſe, multa probant, in primis diuinarum Scripturarum authoritas, tam veteris, quam noui teſtamenti; in illo, enim habemus, vt omittam plura alia, Iſaiæ exemplum cap. 20. quem tribus annis nudum inter populum verſari Deus voluit: Ieremiæ 27. ex eiuſdem præcepto graues ad collum catenas quindecim annorum ſpatio circumferentis; & Ezechielis trecentis nonaginta diebus in vnum latus incumbentis, coctoque ſub cineribus è ſtercore hominum pane, & aqua veſcentis; vt huiuſmodi exemplis populo repræſentarentur captiuitatis Babyloniæ, ſed multo magis diabolicæ per peccatum calamitates, & indè ad pœnitentiæ, mortificationiſque etiam exterioris remedia confugeret, ne in tales miſerias deueniret. In nouo autem habemus exemplum Diui Pauli de ſe dicentis: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar*; quatenus corpus ſuum non vt animæ ſocium indulgenter, ſed vt vilem, & proteruum ſeruum aſperè, & rigide habebat. Item eiuſdem documenta Coloſſ. 3. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*: & alio loco: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*.

Id ipſum probant innumera alia Sanctorum, provt in eorum hiſtorijs referuntur, exempla pœnitentiarum, & mortificationum corporalium, quarum etſi plures magis admirandæ, quam imitandæ ſint, omnes tamen clarè oſtendunt earum vtilitatem, ac neceſſitatem, mirumque in modum noſtram puſillanimitatem excitare debent: Nec non

non quod in Eccleſia tot, tamque auſteri fuerint ſemper religioſi ordines ad eorumdem exempla.

Nec mirum, cum plures ſint mortificationis etiam exterioris fructus. Etſi enim abſque interiori, aut niſi ordinetur ad illam parum profit, vt docent Patres ex illo Apoſtoli: *Exercitatio corporalis ad modicum valet, pietas autem ad omnia*: Quemadmodum etiam ex ijſdem interior abſque exteriori diu durare nequit, quamuis ſit potior exteriori; quælibet tamen valdè bona, valdèque vtilis eſt, dummodo altera alteram non excludat.

Primuſque mortificationis exterioris, de qua nunc agimus, fructus, & effectus, eſt, quod per illam pro peccatis præteritis ſatisfacimus, tantùm dantes nobis tormentum, & luctum, quantum glorificauimus nos, & in delitijs quoque corporalibus fuimus; atque is finis, vel fructus pœnitentium proprius eſt, & ad virtutem pœnitentiæ pertinet.

Secundus, quod futura etiam peccata per illam præcauemus. Cum enim maximè dependeat interior affectuum ordinatio, vel inordinatio, ab externa ſenſuum ordinatione, vel inordinatione, nam vt ait Diuus Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2. ſenſus externi, quaſi quædam viæ mentis ſunt, quibus foras venit, & ea, quæ extra eius ſubſtantiam ſunt concupiſcit; aut quaſi feneſtræ per quas exteriora quæque anima reſpicit, reſpiciens concupiſcit; vnde Ieremias ait: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras*; dubium non eſt, quin, ſi ſemel per mortificationem debitè ſubiugatur corpus, quibuſque conſtat ſenſus externi, id multum conducat ad interiorem affectuum ordinationem, atque adeo ad præcauenda peccata ex eorum inordinatione prouenientia.

Tertius, quod valeat ad virtutum acquiſitionem; quatenus in ipſo mortificationis exterioris vſu, poteſt haberi ratio comparandæ virtutis in communi, aut illius in particulari, cui correſpondet talis mortificationis actus. Imò nulla prorſus virtus exerceri poteſt ſine aliqua corporis afflictione, vel mortificatione, hoc eſt, quin ab ijs occupationibus, aut inferioribus bonis, quæ placent, caro & vetus homo auocetur, & ad illa applicetur, quæ repugnant. Quod ſine aliqua mortificatione exteriori fieri non poteſt; cuius tamen adiumentum maximè relucet in ijs virtutum actionibus, quæ non poſſunt eſſe veræ virtutis actiones, niſi ab aliquo bono contrario externo auertantur.

Quartus, quod mortificatio externa coniuncta orationi eam longè efficaciorem reddat, neſcio quo modo diuinum cor tenerius afficiendo, vt ea auxilia, præſertim gratiæ conferat, quibus indigemus; ad eum fere modum, quo mater etſi petentem aliquid filiolum repulerit, ſi tamen ipſe inde ſe affligat, cõcedit illicò id quod ante denegauerat. Sic enim cum orationi adduntur gemitus, & corporis afflictiones, teſtamur melius quanto teneamur deſiderio illius boni, quod petimus, quod noſtra etiam pelle, vt dicitur emere volumus. Nec ſolùm valet vbi aliquid pro nobis petimus, ſed ad quiduis etiã pro proximi ſalute impetrandum, & iuſtam Dei vindictam ab Eccleſiæ, & totius populi ceruicibus auertendam. Vt patet innumeris Sanctorum exemplis, quorum duo præclara his nouiſſimis temporibus habuimus in Sancto Carolo Borromęo, & in Sancta Virgine, & Matre noſtra Thereſia. De primo enim legitur, quod tempore, quo peſtis Mediolani graſſabatur, humillimis interim precibus reconciliator accedens, publica ſupplicatione indicta, fune ſibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem baiulans, ſemetipſum pro peccatis populi hoſtiam offerens diuinam indignationem auertere ſatagebat. De ſecunda verò, quod infidelium, & hæreticorum tenebras perpetuis deflebat lachry-

lachrymis, atque ad placandam diuinæ vltionis iram voluntarios proprij corporis cruciatus Deo pro eorum ſalute dicabat: idque ad exemplum Chriſti Domini, qui chirographum damnationis æternæ ſua morte expunxit, cruci illud affigens, & proprio ſanguine diuinæ iuſtitiæ furorem in miſericordiæ diuitias conuertit.

Quintus, quod valeat ad repellendas, & vincendas tentationes, vt habetur ex Diuo Paulo Coloſſ. 3. vbi cũ dixiſſet: *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*: quo fine, quo fructu, ſtatim ſubiungit: *fornicatio, aut immunditia, aut turpiloquium non nominetur in vobis*. Sed & hoc etiam probant multa Sanctorum exẽpla, vt Sancti Benedicti, cui cum quodam die ardentes ad libidinem faces à diabolo ſubijcerentur, ſe in vepribus tamdiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur. Hi ſunt præcipui, magiſque proprij mortificationis exterioris fructus, qui etiam eiuſdem fines ſecundarij dici poſſunt, cum primarius ſit ſummum placendi Deo, conformandique ſe Chriſto crucifixo deſiderium, quo etiam adeo flagrabat Sancta Thereſia, vt quamuis ſecus ſuaderent morbi, quibus affligebatur, corpus cilicijs, catenis, vrticarum manipulis, alijſque aſperrimis flagellis ſæpè cruciaret, & aliquando inter ſpinas volutaret, ſic Deum alloqui ſolita: Domine aut pati, aut mori.

Secundò quod attinet ad modum, ſeu regulas in mortificatione exteriori obſeruandas, plures quoque à Magiſtris ſpiritualibus præſcribuntur. Prima quod ſit diſcreta. Etſi enim mortificationis interioris nullus ſit modus, ſed quod de amoris diuini modo ait Diuus Bernardus, debere nimirum eſſe ſine modo, ſtatui etiam poſſit de mortificatione interna, quatenus ad mortem vſque partis inferioris pugnãdum eſt, donec ſcilicet vita beata, & perfectio vitæ alterius vitam hanc beſtialem prorſus occiderit; mortificationi tamen externæ diſcretio modum imponere debet, ne in nonnulla indiſcreta prorumpat exercitia. Ad quod iuuat Tyronibus, ſi ſint religioſi, vt in hoc genere ſine ſuperioris, alij verò ſine directoris conſilio, & licentia nihil ſuſcipiant. Quod ſi à quo regantur neminem habeant, ad præſcriptas à Magiſtris ſpiritualibus leges confugere debent, nimirũ vt habeatur ratio viriũ tum corporis, tum animi; accommodetur fini intento; ſit in materia vniuſcuiuſque ſtatui proportionata, vigiliæ enim, ieiunia, cilicia, catenæ, diſciplinę, humicubationes, & cætera huiuſmodi non ſunt æquè omnium; & quãtum ad formam ne ſingularitas in eis affectetur maximè ſi ſint publicæ.

Secunda, cum Martyrem faciat non pęna, ſed cauſa, ad mortificationem externam, quæ eſt veluti quoddam martyrij genus, vt ſit grata Deo, requiritur quod ex eius amore procedat, hic eſt enim vera, & viua Chriſtianæ mortificationis forma, non excludens tamen aliarum virtutum fines; & licet ad hunc amorem ſufficiat, quod ſit æſtimatiuè ſummus, in ipſo tamen mortificationis vſu, niſi amoris eiuſdem feruor accedat, nedum ſuo magno priuabitur ornamento, verum etiam vix diuturna, aut efficax eſſe poterit. Quocirca etiam hic animi feruor incipientibus longe magis neceſſarius eſt, illumque Deus ipſis concedere ſolet, vt pote qui longe plures, magiſque importunos hoſtes habent, & periculoſiori bello aſſiduè confligunt. Ad quem etiam feruorem comparandum, vel in nobis excitandum mirum in modum iuuat Chriſti exemplum, deuotaque vitæ, & paſſionis eius meditatio; vt quemadmodum ipſe ſuæ etiam carni, & vitæ, amicitiam Dei, & gloriam longiſſimè præpoſuit, nec veritus eſt in boni eius procurationem ſeipſum conſumere; ita & nos faciamus, dicentes cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia?*

ſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

Quod attinet tertiò ad huius mortificationis praxim, ſeu materiam, circa quam exerceri debet; ſicut mortificatio interior habet pro materia hominẽ interiorem, hoc eſt internos omnes animæ motus, & affectus, quibus mortificandis, ac refrænandis potiſſimum incumbit; ita mortificatio exterior pro materia habet hominem exteriorem, hoc eſt corpus, ſeu ſenſus externos, quibus coaleſcit, caſtigandum. *Viſum*, reſpiciendo tantum quæ neceſſaria, & vtilia ſunt ad profectum ſpiritualem, reiectis omnibus alijs vanis, & inanibus obiectis, ac non neceſſarijs, licet alias licitis, vel indifferentibus. *Auditum*, vt plurimum ſaltem, nugas, verba ſcurrilia, ioculatoria, narrationes ridiculas, rumores ſæculares, ac ſimilia ad profectum ſpiritualem nihil conducentia fugiendo, ſemper verò murmurationes, detractiones, aliorum accuſationes, ac proprias laudes; auribus duntaxat arrectis ad neceſſaria, & vtilia, qualia ſunt verba Dei, ſiue in publicis concionibus, & exhortationibus, ſiue in priuatis conuerſationibus, in quibus ſi aliqua admiſceantur indifferentia, debent ſemper aliquo bono fine cohoneſtari. *Odoratum*, non ſolum per bonorum odorum ſubtractionem, vbi nulla eorum neceſſitas vrget, verum etiam malos aliquando propter Deum ſuſtinendo, qui directè, ac poſitiuè mortificent odoratum; vt cum viſitantur xenodochia, carceres, aliaque ſimilia loca, plerumque fætentia. *Guſtum*, non quærendo delicata alimenta, ſed communia, & aliquando inſipida; nec ſumendo etiam communia ad ſatietatem, aut immoderato appetitu, ſed debito modo cum gratiarum actione ad neceſſitatem, non ad delectationem. *Tactum* denique ſenſuum omnium periculoſiſſimum, nedum priuando corpus ijs omnibus, quæ ipſum delicatius fouere, verum etiam vtendo ijs, quæ tactum toto corpore diffuſum affligere, & vexare poſſunt. Quorum omnium exemplis cum refertæ ſint Sanctorum hiſtoriæ, ſufficit hæc breuiter pro præſenti inſtituto attigiſſe, de quibus alias integri libri componi poſſent.

CAPVT XI.

De nonnullis incipientium defectibus, & eorum remedijs.

CVm multi ſint, qui ad perfectionis gradum pertinere, ſeu incipientibus annumerari poſſe videantur, in primis recidiui, aut negligentes, quia, licet multa peccata mortalia ordinariè committant, & in eadem relabantur, certis tamen temporibus animum expiant, atque adeò aliqualem ſuæ ſalutis curam dici poſſunt habere; Tum illi, qui diuinam gratiam ſemel adepti, illam conſeruare quidem ſtudent, ſeque ab ordinarijs peccati mortalis periculis immunes præſtare, ſed tamen nec in ſtatu mutare quicquam, nec recedere à communi vitę conſuetudine, nec certiora media amplecti, nec perfectioris humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum exercitijs vacare volunt, quin potius commodis corporis pro more inſeruire, honoris ſui habere rationem, ſolitas fouere conuerſationes, humanis indulgere reſpectibus, priſtinam denique viuendi rationem retinere conſtituunt, niſi quod proximas quidem occaſiones, quibus ante expoſiti erant, tollere, remotas autem ita moderari ſtatuunt, vt ordinariè ad lethale peccatum non inducant: Ac demum illi, qui diuinæ redditi gratiæ, cum ſe, aut propter eã, in qua verſantur, vitæ conditionem, & occaſiones, aut propter naturales ad malum inclinationes, prauoſque habitus, non ſatis eſſe tutos à mortalibus cernant; ideò proximè omnibus ſe ſe modis in Dei gratia ſtabilire, & extra periculum grauioris peccati ſtatuere volunt

volunt, acre atque implacabile in hūc finē bellum ſibi, paſſionibus, & inclinationibus ſuis indicentes, paratique, ſi opus ſit, mundum ipſum deſerere, & quidquid in mutabilitate fundatur, abijcere; hic de iſtorum duntaxat defectibus magis ordinarijs breuiter aliquid attingemus, qui ſoli propriè pertinent ad ſtatum perfectionis, conſtituuntque primum illius gradum, incipientium dictum, aut viæ purgatiuæ, cum enim ex communi Theologorum ſenſu poſt Diuum Thomam, ad rationem ſtatus duo ſint omnino neceſſaria, ſcilicet obligatio, & ſtabilitas quędam, ſeu firmitas, ita vt, quo hæc duo in aliquo vitę genere perfectius inſunt, eo potiori ratione & nomen, & natura ſtatus illi conueniat; vndè religioſæ profeſſioni hæc appellatio tribuitur, quia ſingulari quodam modo à peccati ſeruitute liberat, Dei cultui ſubijcit, & firmata voto, Eccleſiæque decreto, immobilis, ac perpetua eſſe debet; maniſeſtè patet, duo illa priora hominum, ſeu fidelium genera pertinere non poſſe ad primum perfectionis gradum, ſed poſterius tantum, in quo, vt ſupponimus, incipientes non ſubſiſtere, ſed potius per illum ad vlteriores gradus perfectionis viam ſibi parare intendunt.

Primus igitur iſtorum defectus eſt, quod, Deo in via purgatiua ſupernaturali frequentius iuſtorum animas ſēſibili quadam gratia, vel deuotione alliciente, inde aliquando ſuperbiendi occaſionem ſumunt, arbitrantes ſe aliquid eſſe, cum nihil ſint; aut etiam corporali ſaluti non parum nocent, huius ſenſibilis gratiæ, vel deuotionis affluentiæ nimia animi contentione indulgendo, vel inde exteriores pœnitentias, ſeu mortificationes vltra vires corporales aſſumendo; vt docent Richardus à S. Victore in Pſalm. 80. & in Cant. cap. 6. Diuus Bernardus ad Fratres de Monte Dei; Diuus Bonauentura Proceſſ. 7. Relig. cap. 21. Taulerus cap. 18. inſtitut. alijque plures; Qui etiam primo malo aſſignant pro remedio varias conſiderationes, quod nimirum huiuſce dulcis affectus cauſa ſit interdum, non gratiæ copia, ſed mentis inopia. Exigua enim lætificant pauperem. Quod ſit etiam communis peccatoribus. Quod non omnis qui iterum, atque iterū dicit, Domine dulciter, ſcilicet affectuosè, intrabit in regnum cęlorum, ſed qui voluntatem Patris ſecerit, qui mandata cuſtodierit. Quod aliquando non à Deo, ſed à malo ſpiritu fiat affectus iſte dulcis, vt per illius occupationem ab vtiliori opere renocetur, aut inde ſe perfectum credens, ad perfectum minus exerceatur; & ſic de alijs ſimilibus. Potiſſimum autem ſecundi mali remedium eſt, nihil tunc agere ſine directoris conſilio; eoque deficiente, ſi debilitas corporis nimia ſit; à deuotione ad tempus ſe ſubtrahere, vtilius enim eſt ea ad illud carere, quam omnino exhauſtis viribus, & deſtructa virtute naturali, totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter ea carere: quia ſic deſtructi poſtea nimis incipiunt ſibimet compati, & vt recuperent vires amiſſas per indiſcretionem, non ſolum delicatius, ſed etiam diſſolutius, quam expedit ſe habere, vt rectè monet D. Bonauentura loco citato.

Alter defectus præcedenti veluti oppoſitus eſt, quod Deo interdum peccatores ad ſe trahente, non tam dulcedine, & ſuauitate deuotionis ſenſibilis, quam afflictionum, & deſolationum amaritudine, vt ait Diuus Gregorius lib. 34. Moral. cap. explicans illud Oſee 2. *Sepiam viam tuam ſpinis*, quidam inde nondum in virtute firmati, & potius amore concupiſcentiæ, ac motiuo dulcedinis, quam amore amicitiæ, ſeu vnico placendi Deo ducti motiuo, facilè terrētur, & à vitæ ſpiritualis ſtudio auertuntur, imo eius tædio affecti ad priſtinas cordis ſui vias repetendas ſollicitantur. Cui tentationi ſuperandæ adhiberi debent omnia illa remedia ſuperius allata contra ariditatem, ſeu deſola-

deſolationem ſpiritualem, ex purgatione Dei paſſiua prouenientem ....

Tertius defectus eſt, quod ſæpè propriæ plus æquo innitantur prudentiæ, ſpreta Magiſtrorum ſpiritualium directione, qua tamen maximè indigent incipientes, tum ad electionem ſtatus, qua nihil difficilius; tum vt, illo ſemel electo, viaque vitæ ſpiritualis inita, cum in ea planè rudes ſint, atque adeo fieri non poſſit, quin de plurimis dubitent, frequenterque hæreant, debitas inſtructiones percipiant. Quare præſentiſſimum huic defectui innumera mala, & pericula inuoluenti, remediũ eſt electio Magiſtri, vel directoris ſpiritualis, qui erit numeris omnibus abſolutus, ſi ſimul cum ſcientia, rerum quoque ſpiritualium experientia, virtutibuſque omnis generis exornatus fuerit. Experto tamen, vt iam ſupra monuimus ex documentis S. Thereſiæ, debet præferri egregiè Doctus, Semidoctis autem, vt ipſa ait, probi ac virtuoſi; iſti ſi quidem, nequaquam ob ſuam erubeſcentes ignorantiam, alios viros doctos conſulunt, ne decipiantur, indeque ne decipiant; illi verò ſe doctos exiſtimantes, ac pro talibus haberi volentes, iudicium ex proprijs ferunt, de his, quæ ignorant, atque adeò nonnunquam quæ eſſent diſſuadenda conſulunt; quod fieri non poteſt ſine magno animarum damno.

Simili igitur inuento, & electo directore, qui nimirum pro ſua doctrina, vel experientia poſſit, & pro ſua charitate velit huic muneri incumbere; debet ad eum diſcipulus recurrere, nedum in rebus dubijs, verum etiam & in illis, quæ interdum aperta videntur, cum plura ſciamus, ad quæ ſæpè non attendimus, aut ſcire credamus, quæ tamen ignoramus; tum ſincerè, ac fidelitèr ei aperire internum animæ ſuæ ſtatum, cum ab hac notitia pendeat tota directio; nec ab hoc retrahere quenquam debet malus pudor; ſi enim corporis vlcera quantumuis pudibunda Medicis, aut alijs expertis exponere, vt curentur, non erubeſcimus; neque etiam ſuę ſalutis ſpiritualis amantem debet pudere, internas Medico ſpirituali manifeſtare ægritudines, qui illas dignoſcat, aptaque remedia præſcribat ad illas depellendas.

Quartus defectus præcedenti etiam veluti oppoſitus eſt eorum, qui de noticia ſpirituali iam ſufficienter habita ad bene operandum nunquam contenti, aut nouos ſemper quærunt directores, aut multiplicibus vnius, & eiuſdẽ conſilijs non acquieſcentes, noua ſemper expetunt, atque adeò plus inquiſitioni conſiliorum, quam pijs vacantes exercitijs maximam incurrunt iacturã meritorum; tempuſque quod ſilentio, & collectioni mentis conſacrandum eſt, ſæpè in conſultationibus vanis, & inutilibus conſumunt. Quem defectum vt agnouit, ita ei quoque ſuum remedium adhibuit Beatus P.N. Ioannes à Cruce in quadam epiſtola ad noſtras Moniales Diſcalceatas ordine ſecunda his verbis: *Si vobis ſcribere diſtuli, non ex defectu bonæ voluntatis erga vos proceſſit, cum verè maius veſtrum bonum deſiderem; ſed hoc ideo feci, quia iudicabam ſatis ſuperque dictum, & ſcriptum eſſe, vt ad æternam ſalutem, & perfectionem neceſſaria operemur. Quod enim tanquam neceſſarium deſideratur, non eſt loqui, vel ſcribere, cum in his vt plurimum excedatur; ſed eſt tacere, & operari; maximè quia loqui mentem diſtrahit, ſed tacere, & operari mentem colligunt, & vires ſpiritus augent. Propterea cum quis iam nouit, & ab alijs didicit, quod ad profectum ipſius ſpiritualem conducit, non indiget amplius audire, & loqui, ſed tantũ illud in ſilentio; ac ſollicitè, cum humilitate, charitate, & contẽptu ſui ipſius recogitare, abſq; eo quod de nouis rebus inquirat; hoc enim tantummodo deſeruit, vt appetitui circa res exteriores ſatisfiat; quin imo nullo modo ſic ei ſatis fit; deſeruit etiam, vt relinquatur ſpiritus debilis, vacuus, ac omni virtute interiori deſtitutus. Vnde nec vnum, nec aliud prodeſt; ſicut nec de nouo ſumptus*

prodeſt

prodeſt cibus, ſi prior non fuerit digeſtus: cum enim calor naturalis ſit diuiſus, & circa vtrumque occupatus, ſufficientem non habet virtutem, vt illum in ſubſtantiam ſubiecti aliti conuertat, & inde generantur morbi. Hactenus Beatus Pater.

Inter hæc igiturduo extrema, primum cuiuſdam ſuperbiæ ſpiritualis, qua incipientes ex aliquali deuotionis ſenſu, de ſeipſis plus æquo præſumentes, Magiſtrorum ſpiritualium directionem contemnunt, vt propriæ adhæreant; Aliud verò cuiuſdam auaritię ſpiritualis, qua ſub prętextu maioris profectus ſpiritualis, aut nouos multiplicant directores, aut cum eodem plures inutiles ſermones, media incedendum eſt via, eligendi nimirum idoneũ directorem, ad quem vbi opus eſt recurramus, quidquid prauæ inclinationis, quidquid vitioſæ qualitatis in nobis eſt, & quidquid boni facimus, aut cælitus immiſſum nobis credimus, prudenti eius diſcuſſioni, & conſilio ſubmittendo.

Quintus defectus eſt nimia ſecuritas, & ſi enim commune ſit omnibus propè pænitentibus, vt ſtatim à conuerſione, quaſi excuſſo iugo, minus, quã opus eſſet, ſibi timeant; tamen ſecuritas illa animum eorum, qui maiori cũ feruore ad Deum conuertuntur, ſiue ſtatum mutent, ſiue in ſæculo hæreant, plurimum occupat. Nouo enim illo, & inſolito feruore pleni, nullo vnquã tempore, nulla tentatione, mentis conſtantiam infringendam, & à Dei amicitia dimouendam exiſtimant, dicentes cum Regio Propheta, *In abundantia mea, non mouebor in æternum*. Et quidem laudabilem eſſe propoſitũ tam generoſi firmitatem negari non poteſt; ſed hæc ſui confidentia timenda eſt, & damnanda ſecuritas, in omni perfectionis gradu, maximè autem in iſto primo incipientium, quibus nihil vtilius eſt, quam ſollicitudo grandis, & vigilantia, vt vndique pericula ſua circumſpiciãt, & peccata illa omnia, in quæ propendent, & à quibus ſibi meritò timent, ante oculos ponant. Nec enim ſufficit, vt ſciant in genere tantùm, non ſatis ſe eſſe tutos, ſed intelligant neceſſe eſt in particulari, quænam præcipuè peccata cauere, quibus cum hoſtibus decertare debeant; deindè eorum cauſas, & fontes diligenter inueſtigẽt, ad hæc iiſdem tollendis, ac purgandis conuenientia efficaciaque arma conquirant, ac demum illis inuentis legitimè vtantur.

Plures alij incipientium defectus poſſent afferri, qui ab aliquibus reducuntur ad ſeptem capita peccatorum mortalium, Superbiæ, Auaritiæ, Luxuriæ, Iræ, Gulæ, Inuidiæ, & Acediæ; verum ſufficiant iam allati, vt potè præcipui, à quibus cæteri pullulant, & quibus ſemel ſuperatis, omnes quoque alij facilè profligantur.

CAPVT XII.

Quę in hac ſectione dicta ſunt de primo gradu, vel ſtatu Theologiæ Myſticæ Incipientium propriè, ſummatim repetuntur.

CVm detur duplex via perueniendi ad Deum vltimum finem, vna veluti ordinaria, & omnibus hominibus communis, abſoluteque neceſſaria, cuſtodiendi diuina duntaxat mandata; altera veluti extraordinaria, & ſupererogatoria obſeruandi inſuper conſilia Euangelica, ſiue id fiat ex voto, vt à religioſis, ſiue ex quodam immobili tantum propoſito ſeruiendi perfectius Deo, vt à pluribus in ſæculo etiam manentibus; de hac ſecunda via, tendendi ſcilicet ad intimam cum Deo vltimo fine vnionem in hac vita, tam per præceptorum, quam per conſiliorum obſeruationem agitur in pręſenti, quæ propriè dicitur via, aut ſtatus perfectionis. Quo in ſtatu tres adhuc alij diſtinguuntur. Primus ſcilicet Incipientium in via Purgatiua cum vitijs malique

que inclinationibus fortiter pugnantium pro conſeruanda iam accepta diuina gratia, & charitate. Secundus Proficientium in via Illuminatiua ſtudioſè laborantium eiuſdem augmento, per omnigenum virtutum exercitium. Tertius Perfectorum in via vnitiua, ſumma tandem anima à vitijs purgatæ, & virtutibus omnibus ornatæ pace in Deo, ſibi dulciter vnito fruentium. Inter quos tamen ſtatus dubium non eſt, quin tertio potiſſimum hæc appellatio competat, cum in eo reperiatur, & maior à peccati ſeruitute libertas, & firmior, perfectiorque cum Deo vnio, ad quam primus, & ſecundus referuntur: qui proindè reſpectu illius dicendi ſunt potius gradus, quàm ſtatus; ſicut etiam & tertius, comparatiuè ad perfectam in Patria cum Deo vnionem per viſionem, & amorem beatificum.

Loquendo igitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria primi gradus Incipientium, ſeu viæ Purgatiuæ, nihil eſt aliud, quam notitia ſupernaturalis, ac ſapida, adhuc tamen imperfecta, Dei, diuinorumque, ordinata ad peccatorum præteritorum mortalium maximè emundationem, & futurorum præcautionem. Quæ peccata in ſtatu naturæ per illa corruptæ, quantum ad eorum cauſas, vel occaſiones, vires, & effectus, cum reperiantur in anima, primũ, propriumque Incipientium munus, ac ſtudium, qui de hoc ſtatu ad viam perfectionis Deo miſerante vocantur, debet eſſe purgatio actiua eiuſdem, quo ad omnes ſuas partes, ſuperiorem ſcilicet, intellectu conſtantem, ac voluntate; & Interiorem ſenſibus tum internis, tum externis, & paſſionibus coagmentatam, nedum in rebus abſolutè illicitis, diuinamque charitatem deſtruentibus, verum etiam in licitis, & indifferentibus, quod perfectionis eſt, & conſilij, vt ſic melius conſeruetur, & foueatur contra illicita, eam deſtruentia.

Quantum ad partem cognoſcitiuam intellectiuam, ſeu intellectum, cum propria, & præcipua eius impuritas, ſeu vulnus proueniens ex corruptione naturæ per peccatum tum originale, tum etiam actuale, conſiſtat in ignorantia maximè rerum agendarum, ſeu in defectu luminis practici ad perfectã cognitionem vltimi finis, in cuius adeptione, vt tota hominis beatitudo conſiſtit, ita nihil miſerius fingi poteſt, quã eius ignoratio: tum mediorum ad illũ, id eſt, earum rerum, per quas ad bonam, beatamque vitam peruenìri poteſt. Quodque tam facilè multa alia inania, leuia, inepta animo voluimus; & aliena etiam facta, ac præſertim errata libentius, quam noſtra obſeruamus. Primum quod incipientes, ſeu à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & perfectionis tranſire volentes præſtare debent, eſt, vt ſicut ante peccatorum tenebris obcæcati, aut verum, & ſummũ bonum ignorauerunt, aut illo relicto ad falſa, & fucata quærenda ſe inutiliter conuerterunt, ita deinceps vero fidei lumine hanc intellectus impuritatẽ purgare debent, firmiter credentes, ſolum Deum eſſe noſtrum finem vltimũ nedum naturalem, ſed & ſupernaturalem; ſeu vnicum obiectum ex quo velut ex fonte immenſo omnis hominis perfectio gratiæ promanare debet in hac vita, in altera autem perfectio gloriæ, ſeu æterna beatitudo; atque adeò omnia prorſus noſtra in illum dirigẽda eſſe, & ſtudia, & conſilia. Quemadmodum enim finis viæ locus eſt, quo tenditur, & quo cum peruenimus, quieſcimus; ſic finis vitę noſtræ Deus eſt, ad quem referre debemus quicquid cogitamus, quicquid loquimur, quicquid agimus, donec ipſo adepto omnia vota compleantur. Vt enim ait Diuus Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos ad te Domine, &. inquietũ eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Et lib. 13. cap. 8. *In eo oſtendit Deus, quam magnam fecerit creaturam rationalem, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quidquid illo minus eſt.*

Vndè bona quæcumque externa, licet

licet valdè optabilia, & excellentia videantur, & tum ab illorum vſu vita noſtra pendeat, tum pleræque noſtræ actiones circa illa neceſſario verſentur, per ſe tamen ſola, nec amari, nec quæri debent, ſed credendum eſt, ea nobis à Deo fuiſſe conceſſa, vt eorum adminiculo, & quotidiano vſu Deum ipſum in ijs exiſtentem, operantemque ſentiremus quodammodo, omniaque bona venire pariter cum illo, vt præclarè ait idem Auguſtinus in Pſalm. 102. *Quære ò anima, bonum tuum, nemo bonus niſi ſolus Deus, ſummum bonum, hoc eſt bonum tuum; ſicut & bona inferiora, quæ alijs bona ſunt: pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, ſanum eſſe? Tale tu bonum quæris? dat & hoc etiam Deus: ſed tu noli ſolum hoc quærere. Cohæres Chriſti, quid gaudes, quia ſocius es pecorum? erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium, ille erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in ſuo genere facta ſunt bona.*

Sic purgato per fidem intellectu à cæcitate, & ignoratione vltimi finis, cuius irrefragabile ſunt argumentum, tot, tamque diuerſæ de illo Philoſophorum ſententiæ, apud Diuum Auguſtinum lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 1. & ſeq. per eadem quoque purgari debet ab ignoratione mediorum ad finem, ſeu rerum, quæ ab illo auertere poſſunt, qualia ſunt omnia peccata, & vitia, aut ad illum conducere, vt ſunt omnes virtutes. Ingreſſurus ergo viam perfectionis, aut proprio ſtudio, aut aliorum magiſterio perſpectam habere debet notitiam omnium peccatorum, ac vitiorum, tam per defectum, quam per exceſſum virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, earumque partibus oppoſitorum; tum earundem virtutum, quarum ope vitia illis etiam oppoſita ſuperari, & eradicari debent. Cum enim virtutis charitatis, ex qua omnis perfectionis origo, cæterarumque virtutum, quibus veluti regina imperat, duo ſint præcipua munera, & officia: Primum præterita peccata, maximè mortalia expiandi, & ne iterum in eadem labamur, fortiter pugnandi; Alterum verò animam vlterius ornandi, quod fit per ipſarum augmentum, maioremque perfectionem; atque adeò remouendi etiam omnia impedimenta, quæ tale augmentum, talemque perfectionem retardare poſſunt, qualia ſunt peccata venialia, vt dicetur ſectione ſequenti. Huiuſmodi virtutes ſecundum primum munus, vel officium pertinent ad ſtatum incipientium, via adhuc purgatiua incedentiũ. Trium ſiquidem ſiue perfectionis, ſiue charitatis ſtatuum, aut graduum diſtinctio in incipientes, proficientes, & perfectos, non petitur ex intenſione charitatis, quæ vehementior aliquando in incipientibus, quam in alijs eſſe poteſt, ſed ex diuerſa æſtimatione, quæ in amore Dei reperitur, & actionum, ac ſtudiorum charitatis perfectione, quibus ſenſim domitis hoſtibus, cũ maiori quiete Deo adhæret, ſiue ex diuerſa eorum, qui charitate ornati ſunt, diſpoſitione, quatenus magis vel minus diſtant ab illius perfectione, quam charitas natura ſua requirit; indeque fit, vt quoſdam impellat ſolum ad eas actiones, ſtudia vel exercitia, quæ tantum bonum conſeruent: alios, vt augeant, & exornent, cæteros denique, vt perficiant, eoque fruantur.

Quo circa hæc ſtatuum diſtinctio, ſeu graduum charitatis, ex ijs impedimentis, quæ vel nata nobiſcum ſunt cum peccato, vel vſu deinde, ac conſuetudine ingenita, & ex difficultate, ac facilitate, quam quiſque habet in vſu charitatis, plurimum pendet. Et quamuis magna ſæpe, intenſaque charitas Incipientibus infundatur, quia tamen ſtatum mentis habent moltis adhuc obnoxium paſſionibus, & magnis ad priſtina peccata inclinationibus, atque adeò charitatis naturæ, & perfectioni repugnantem, propterea dicuntur eſſe in primo ſtatu, & tamdiu in illo manere, quamdiu pugna ad conſeruandam,

dam, exercendamque charitatem, & alias virtutes, ſine quibus ipſa charitas eſſe non poteſt, indigent; vel donec paſſiones moderatas, & inclinationes, prauoſque habitus ita repreſſos habeant, vt facilè tentationes, quæ in peccati mortalis periculo conſtituunt, ſuperent.

Mens, ſeu intellectus ita continuò occupatus, principaliterque intentus, ad comparandam omnium eorum cognitionem, quæ conſecutionem ſummi boni abſolutè impedire poſſunt, vt euitentur, & eorum, quæ illam promouere poſſunt, vt exerceantur, inde quoque remanebit facilè purgatus ab illis cogitationibus, quibus prius de ſolis diuitijs, corporis voluptatibus, ac delitijs, honoribus, & dignitatibus illicitò, & vſque ad peccatum mortale comparandis cogitabat; alijſque inutilibus, imo & ridiculis, quibus anima quantum ad partem cognoſcitiuam intellectiuam, directè, & immediatè maximam contrahere ſolet impuritatem, ipſam impedientem, ne quietè oret, & diuinæ vlterius vnioni diſponatur, ac preparetur. Purgabitur ſimiliter à curioſitate, qua plerumque vanis paſcitur ſcientijs, aliena facta obſeruat, mores diſquirit, & omnia temerè interpretatur, diuinum tribunal ſic præſumens inuadere, cum ſoli Deo bona, vel mala intentio, quæ ſæpè res bonas, vel malas facit, nota ſit, qui ſcrutatur renes, & corda, atque adeò ad illum ſolum propriè pertineat de noſtris actionibus ferre iudicium. Qui enim ſibi, & Deo ſeriò attendit, cætera facilè negligit, ad ſui, & Dei notitiam, aut nihil, aut parum conducentia.

Quod attinet iam ad purgationem actiuam partis cognoſcitiuæ ſenſitiuæ, cum impuritas ſenſuum interiorum, ſiue imaginationis, aut phantaſiæ in eo potiſſimum ſita ſit, quod per ſummam quocunque libuerit licentiam diuagetur, quietis impatiens, & nouitatis amans, ab ea melius emundari non poteſt, contineríque intra debitos limites, quam ſi incipiens ſibi præſentem vbique Deum ſæpè imaginetur, ſic enim difficile ea admittet in imaginatione obiecta, quę ipſum ad peccandum mortaliter, ac perdendam cum Deo amicitiam inducere poſſunt. Quia ſimiliter ſenſuum externorum, per quos tanquam per feneſtras mors in animã ingreditur, impuritas attenditur penes obiecta illicita, circa quæ verſantur, aut modum, quo ſe auidius illorum delectationibus immergunt, ab illis omnino auertendi ſunt, quæ grauium peccatorum ſemina eſſe queunt, niſi firma cuſtodia reijciantur.

At quia præter defectum luminis practici in intellectu, ſeu vulnus ignorantiæ, & cæcitatis in his maximè, quæ ad ſalutem æternam pertinent, datur inſuper vulnus malitiæ in appetitu rationali, ſeu voluntate, inde eſt, quod licet neceſſario requiratur purgatio actiua intellectus, non tamen ſufficit, ſed inſuper requiritur purgatio voluntatis ab omnibus prauis affectibus ſuis. Incipiens igitur, nouiterque ad Deum cõuerſus, poſt iam euacuata per Sacramentum, ac virtutem pœnitentiæ omnia peccata actualia à ſe poſt baptiſmum commiſſa, totus eſſe debet, ne iterum in illa labatur, in inde contractis prauis vitiorum habitibus expurganda voluntate. Vitium enim ita eſt præcedentium peccatorum effectus, quibus iteratis generatur, vt ſit cauſa ſubſequentium, ad quæ voluntatem inclinat, vnde communiter definitur, quod ſit praua diſpoſitio ex peccato relicta, & ad peccandum inclinans. Dum enim aliquis peccatum in aliqua materia commiſerit, per frequentem eiuſdem iterationem acquiritur quædã diſpoſitio praua, peccatorem inclinans, ad facile imo & delectabiliter peccandum in eadem materia, vt nimis experientia conſtat. Quemadmodum ergo hæc praua diſpoſitio, ſeu vitium paulatim per actuum frequentationem augetur, magiſque radicatur, ita quoque aptiſſimum ad illud ab anima, & volun-

voluntate radicitus extirpandum, remedium eſt, tum ceſſatio ab huiuſmodi actibus, tum multiplicatio actuum virtutis oppoſitæ. Commune ſiquidem eſt omnibus habitibus, quod hac dupliei via deſtruantur; efficacius tamen, & breuius ſecunda; difficile enim eſt, quod quis aliquo infectus vitio poſsit ab illo abſtinere, quin contrarios virtutum actus, aut charitatis omnium reginæ frequenter eliciat. De ſingulis hic vitijs agere, quia longum eſſet, interim dum ſectioné ſequenti de illis acturi ſumus, occaſione virtutũ, ibi explicandarum, vniuerſim loquendo eſt incipientis conſiderare, quænam ſint illa, quibus ante conuerſionem fuerit obnoxius, totumque ſtudium, & conatum adhibere in illis eradicandis, maximè in materia graui, quod eſt proprium Incipientium ſtudium, vt Proficientium in materia leui, & veniali.

Sed quia nihil æque noxium animæ, nihil magis contrarium, quam inferior, & quo vix quicquam differimus à brutis, ſenſitiuus appetitus; quatenus ſuperiore, ratione duce ad diuinum illud bonum, quo ſolo perfici poteſt, ſæpe tendente, inferior ad infima quæque, quæ ei proponit, hauſta per ſenſus cognitio, non ſecus atque belluæ, procumbit, & ſpecie boni voluntatem inaniter deluſam trahit, quo ſine fræno feruntur eius paſſiones, in illis proinde purgandis, ac moderandis, potiſſima, vt vidimus, verſari debet pars purgationis actiuæ; cumque omnes radicentur in proprio, vel ſui amore, omnes vno veluti ictu eradicabuntur, vero in omnibus ſui odio.

Tam autem huiuſmodi paſſionum, vbi ſunt immoderatæ, & inordinatæ, quam cæterorum vitiorum, quorum ſunt radices, in indebita cognitione, & in deordinato rerum mundanarum affectu verſantium, purgationis, & eradicationis ſigna erunt. Primò ſi poſt longam cum illis pugnam tandem miles Chriſti pacem internam experiatur: nam finis cuiuſque belli pax eſt, & maxime huius belli ſpiritualis; cum igitur paſſiones, & vitia ſint animæ rationalis hoſtes infenſiſſimi, paciſque eius perturbatiui, non leue ſignum, aut argumentum erit reportatæ ſuper ea victoriæ, pax illa interna, quam mundus dare non poteſt, & quæ exuperat omnem ſenſum. Secundò, ſi facilius, ac delectabilius virtutes oppoſitas exerceat; ſi quidem virtus, & vitium contraria ſunt, vbi igitur probatur facilius, ac delectabilius virtutum exercitium, ibi eorum prædominium, atque adeo vitiorum oppoſitorum extirpatio reperiatur, neceſſe eſt, cum contraria ſe mutuò ab eodem ſubiecto expellant. Tertiò, ſi reſtringendo rem ad ſeptem vitia capitalia, ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, inuidiæ, gulæ, iræ, & acediæ, ſub quibus omnia mala moralia continentur, qui prius erant ſuperbi, auari, luxurioſi, inuidi, guloſi, iracundi, & acedioſi, fiant poſtea humiles, diuitiarum ſæculi contemptores, puritatis amantes, de proximi bono lætantes, temperantes, manſueti, & in diuino obſequio prompti, ita vt in his materijs mortaliter amplius non peccent; hæc enim eſt purgatio propria Incipientiũ, præcipuumque eorum ſtudium.

Cum autem innumera ſint huius purgationis perficiendæ media, ſeu inſtrumenta perfectionis Incipientium, conſiſtentis propriè in abſtinentia ab omnibus mortalibus peccatis, mediante diuina gratia, virtutumque exercitio, cuiuſmodi ſunt omnia prorſus bonorum operum genera, cæteris etiam fidelibus communia, duo tamen ſunt magis huius ſtatus propria, nimirum orationis mentalis, & præſentiæ Dei exercitium, tum mortificatio exterior, ſeu corporis. In quibus omnibus ne errent, nihil magis neceſſarium, quam vt ſe regi, & inſtitui permittant ab optimo præceptore, & magiſtro ſemel electo; iter enim ignotum ſine duce aggredi, artem ediſcere ſine magiſtro, difficillimum eſt.

SECTIO TERTIA.

In qua agitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria Secundi gradus charitatis, nimirum Proficientis, ſeu viæ Illuminatiuæ.

CAPVT PRIMVM.

Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ propriæ Proficientium, ſeu viæ Illuminatiuæ.

POSTQVAM in præcedẽti ſectione egimus de Theologia Myſtica Incipientiũ, ſeu viæ Purgatiuæ propria, in præſenti erit ſermo de eadem, vt ſpectat ad Proficientes, ſeu ad viam Illuminatiuam. Et ſi enim ſpecialiter, & principaliter viæ Vnitiuæ nomen, & ratio Theologiæ Myſticæ attribui debeat, quia tamen reliquæ viæ ad illam ordinantur, ſiue, vt iam notauimus ſupra, ſe habent intra vnum, & eumdem perfectionis ſtatum tanquam tres gradus, quorum duo priores, tanquam minus perfecti, referuntur ad tertium, tanquam ad omnium in hac vita mortali perfectiſſimũ, inde quoque non incongruè Theologiæ Myſticæ partes, aut gradus appellari poſſunt.

Theologia igitur Myſtica, vt eſt ſecundi gradus Proficientium, ſeu viæ Illuminatiuæ propria definiri, vel deſcribi poteſt, quod ſit, *Notitia ſupernaturalis, & ſapida Dei, diuinorumque; ſed quo ad modum perfectior, ordinata ad purgandam etiam à peccatis venialibus animam, eamdem pacandam, & virtutibus exornandam*. Qua in definitione primæ particulæ habent rationem generis, cæteræ autem differentiæ. Dicitur enim hæc notitia, *quo ad modum perfectior*, ad diſtinctionem illius, quæ eſt propria primi gradus Incipientium, quia licet ſit ſupernaturalis tam ex parte obiecti, vt potè tendens in obiecta per fidem ſupernaturalem, ac diuinam propoſita; quam ex parte principij, vt potè elicita ex auxilio diuinæ gratiæ, & habitu ſupernaturali infuſo, vt ſupponimus, nam eo ipſo, quod incipiens recipit à Deo gratiam, recipit quoque omnes habitus ſupernaturales ad illam ordinariè conſequentes, modus tamen operandi non excedit modum, vel induſtriam humanam, ſecus autem in hoc ſecundo gradu, cum oratio eius propria ſit etiam infuſa quo ad modum, vel per infuſionem nouarum ſpecierum, vel meliorem præexiſtentium in mente coordinationem; vel etiam noui luminis ex parte potentiæ, vt dicetur infra; quare ad hoc ſignificandum ponitur particula, *quo ad modum perfectior*, in allata definitione. Vltima verò ad ſignificandum obiectum veluti practicũ, ſeu propria munera, quibus illa notitia

duce

duce habent Proficientes incumbere, ad tollenda impedimenta perfectionis. Vnde quemadmodum primi ſtatus proprium eſt, auferre peccatorum mortalium, quibus ipſum perfectionis fundamentum conuellitur, pericula, & occaſiones; comprimere inordinatas paſſiones, quatenus ad mortale peccatum pertrahere poſſunt; ita proprium eſt huius ſecundi ſtatus, ſeu charitatis proficientis, remouere inſuper perfectionis impedimenta, & comparare virtutum ornamenta, quæ Dei amicum decent. Huiuſmodi autem impedimenta ad tria capita reduci ſolent. In primo continentur tum peccata venialia, & terrena deſideria, tum habituales ad huiuſmodi peccata inclinationes, & affectus inordinati; etſi enim iſta charitatem non deſtruant, maiori tamen eius perfectioni, aut feruori, diuinæque amicitiæ ſuauitati opponuntur, atque adeò Proficientes illius cõſecutioni operam nauantes, quę ab Incipientibus non tanti fiunt venialia, cum quanta ſit eorum turpitudo, initio adhuc lateat, totis viribus, maiori iam luce illuſtrati fugere debent. Vt enim ait Diuus Gregorius: *Humana mens quo altius eleuata, quæ ſunt æterna, conſiderat, eo de factis temporalibus grauius tremefacta formidat; quia tanto ſe ream verius cernit, quanto ſe ab illo lumine diſcrepaſſe, quod ſuper ſe intermicat, conſpicit; ſicque fit vt illuminata plus metuat, quia magis aſpicit, à veritatis regula per quanta diſcordat, eamque graui formidine ſuus ipſius profectus quatiat, quæ prius quaſi ſecura nihil videbat.*

Ad ſecundum caput pertinent paſſiones inordinatæ, nõ amplius ad peccatum mortale inclinantes, vt in primo ſtatu, ſic enim pertinent ad ſtatim dictum primum caput, ſed vt perturbant, vel agitant rationem, quatenus nondum perfectè illi ſunt ſubiectæ, ac veluti medium habent ſtatum, vnde perturbationes vocantur potius, quàm malæ affectiones; cum quibus tamen, vt diuinæ contemplationi vacare quiete difficillimum eſt, ita pertinet ad Proficientes illas ſedare, donec ſine difficultate ipſi rationi parere aſſueſcant, & tãdem mentis quietem ſua importunitate interturbare deſinant.

Ad tertium denique caput ſpectat priuatio virtutis, ſeu defectus exercitij virtutum; Etſi enim fieri poſſit, vt nulla magni momenti impedimenta ſint, quæ poſitiuè perfectionis formę repugnent, deeſſe tamen poteſt ille decor, virtutumque ornatus, quem perfecti Dei amoris dignitas exigit; atque adeo hæc ipſa virtutum huic ſtatui conuenientium priuatio, cum non poſſit non eſſe aliquale perfectionis impedimentum, ſiquidem ex non humili ſuperbum, ex nõ manſueto iracundum fieri, & ſic de alijs, facillimum eſt, propterea ad hunc eumdem Proficientiũ ſtatum ſpectat, illud tollere, ſeu nedum puritati animæ ſtudere, à venialibus abſtinendo; illam pacatam, & tranquillam reddere, paſſiones rationi perfectè ſubijciendo, ſed inſuper eiuſdem nuditatem tegere, ac virtutibus exornare, eas exercendo, eo ordine, vt primum quæ venialibus peccatis excluſis puritatem pariunt; deindè quæ tranquillitatem; ac demum, quæ vel ornatum duntaxat, vel facilitatem addunt, comparentur.

Dum autem dicitur primum Proficientium ſtudium in eo poſitum eſſe, vt à venialibus ſe præſtent liberos, non ita intelligendum eſt, quaſi fieri poſſit, vt nunquam omninò peccent venialiter; id enim ſine gratia valde extraordinaria, & ſoli B. Virgini Mariæ ſingulari priuilegio huc vſque, quod ſciatur, conceſſa, fieri non poſſe, iam notauimus ſuperiori ſectione cap. 5. in fine, vbi egimus de purgatione actiua animæ: Sed debet intelligi, quod iuſti perfectionis ſtudio, vel ſuo profectui ſpirituali attendentes, ſi illis diuinæ gratiæ donis, quæ ordinariè conferuntur, vti velint, poſſint *primò* in quacunque occaſione, non quidem omnia, ſed

ſingu-

ſingula peccata venialia vitare; *Secundò*, omnia etiam, quæ ſpontè liberè, & de induſtria, aut plena animi deliberatione, ſaltem per longum tempus: dubium enim non eſt, quin multi egregia ſanctitate præditi, ita diu vixerint, vt nullum veniale de induſtria admitterent; nec id videtur ita ab ordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs alienū, vt mens, quæ ad minimam peccati vmbram exhorreſcere ſolet, ſi apertè peccati turpitudinem conſideret, illicò eum illis diffugere, & ſe ſe ad Deum conuertere non poſſit; *Tertiò* demum, & ſi diu vitare non poſſint venialia, quæ ex ſubreptione oriuntur, vel ex ſubito naturæ corruptæ impulſu, qui tantus eſt, *vt non facilè*, inquit S. Leo, *cuiquam proueniat tam incruenta victoria, vt inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etiamſi ſit liber à morte, ſit quoque immunis à vulnere*, poſſunt tamen illa minuere, ſeu vt pauciora, & leuiora exiſtant efficere, ſeipſos mortificando, vigilanter cuſtodiendo, & vtiliter tantùm occupando, ſeu ſuperflua omnia negotia, quantum patitur vniuſcuiuſque inſtituti ratio, reſcindendo.

Quia verò peccata venialia de induſtria commiſſa, quæq; proficienti charitati, ſeu eius augmento aduerſantur, ſicut eidem incipienti mortalia, planè eaſdem cauſas habent ac ipſa mortalia; vel enim ex malitia voluntatis, ſeu effræni eiuſq; libertate; & nimia in terrena bona propenſione oriuntur, vel ex intellectus ignorantia, ſeu defectu luminis practici; vel ex paſſionum non ſatis adhuc domitarum impulſu, aut vitiorum non ſatis quoque eradicatorum; propterea etiam Proficientes venialia iſta non diſsimili ratione, ac Incipientes mortalia, eorumque radices excidere debent, ſeque contra illa iiſdem munire virtutum, & mortificationum præſidijs. Quæ tamen ratione nō aduertente ſubrepunt venialia, non tam directè, aut per ſe impugnanda ſunt, quam exterminanda aſsiduo virtutum contrariarum exercitio; plerumque enim in hoc ſtatu vitiorum victoria ita à virtutum ſtudio, & exercitio dependet, vt longè vtilius ſit, directè virtutibus comparandis incumbere, quam pleriſque vitijs profligandis inſudare; cum tamen id ratio ipſa exigit, vel neceſsitas, vterque modus adhiberi poteſt.

Item quemadmodum, qui in primo Incipientium gradu verſantur, ſi, Deo ita permittente in aliqua interdum peccata mortalia incidant, non propterea debent deſpondere animum ad priſtinæ vitæ vomitum reuertentes, ſed inde potius humiliores reſurgere, ac feruentiores, ita quoque Proficientes, ſi quando in venialia quocumque modo incurrant, nihil idcirco de contentione, & ſtudio ad acquirendam perfectionis puritatem debent remittere, aut relaxare, ſed ex ſuis lapſibus, quomodo aliquem fructum percipere poſſint, ediſcere: quales ſunt humilis ſui cognitio, & abiectio, pœnitentiæ feruor, indeque maior ſanctitas, & cautela, tum denique horror huiuſmodi peccatorum, maximè ſi de induſtria fuiſſent perpetrata. Ad quem concipiendum plura non deſunt, eaque efficacia motiua. Præcipua fundantur in repugnantia quam habent cum Dei amicitia, ac omnibus eius conditionibus. Cum enim charitas, cuius augmento, & perfectioni Proficientes totis viribus ſtudere debent, ſit ipſamet Dei amicitia, nullum aliundè potentius motiuum deſumi poteſt deteſtādi peccata venialia, quàm ex eo quod per illa diuinæ amicitiæ cōditiones, quas Deus nobiſcum exactè ſeruat, nos violamus, atque adeò charitatis augmento, & perfectioni impedimentum ponimus. Si enim *prima* veræ amicitiæ conditio ea eſt, vt quod ad eſſentiam charitatis ſpectat, ſit ſumma inter amicos vnio, & ita Deus nobis perfectè vniatur præſentia, Incarnatione, Eucharistia, ſpiritu, quo, qui verè Deo adhærent, vnus cum illo ſpiritus, non habitu tantùm, ſed actu efficiuntur, iuxta illud Apo-

ſtoli Gal. 2. 20. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Hanc integram vnionem, ſicut peccatum quodlibet mortale diſcindit, ita veniale actualem in operatione conſiſtentem prorſus impedit, habitualem verò debilitat, inſtar noxij humoris, qui licet vitam non eripiat, ſenſim tamen imminuit; partim diſpoſitiuè, quia voluntatem à debita diſpoſitione benè operandi diſiungit, ad inferioris partis nutus inclinat, iiſque priuat actibus, & feruore, quo hæc in Deo vnio fouetur, & perficitur: partim demeritoriè, qui enim illam contemnit, non eſt dignus iis Dei donis, quibus vel ad maiorem cum illo vnionem peruenire, vel eam, quam iam habet, firmam, & illibatam conſeruare queat.

Secunda diuinæ amicitiæ conditio eſt, vt ſit in ſanctitate fundata, cum nihil ſit aliud, quam infiniti illius amoris, quo ſuam ipſe Deus bonitatem, ac ſanctitatem proſequitur, emanatio quædam; cui ſanctitati, vt officit peccatum veniale, ita & diuinæ amicitiæ in illa fundatæ. *Tertia*, quod ſimilitudinem quamdam exigat, ideoque Deus factus eſt homo, & indè nos Dei filij per gratiam, hanc autem ſimilitudinem peccata venialia ſua turpitudine, & quadam veluti ſcabie ita contaminant, vt inter Deum, & animam his ſordibus aſperſam vix poſſit eſſe ſuauis ille, & familiaris amplexus, quem diuinæ amicitiæ perfectio exigit, vt rectè ait Diuus Auguſtinus: *Peccatis minutis etſi occidi animam non credamus; ita tamen eam, veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie deformem faciunt, vt eadem ad amplexus illius Sponſi cæleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant*. *Quarta*, quod amicitia non ſit diuiſa, ſeu ſit inter duos, quatenus ſicut Deus amat ſe, & nos in ſe, ita nos in Deo debemus amare omnia, venialis autem erga creaturas amor, hoc ipſo, quod illas non propter Deū actu diligit, iam diuiſus eſt, eoque minus Deum diligit, vt ait Diuus Auguſtinus: *Minus enim Domine te amat, qui præter aliquid amat, quod propter te non amat*. *Quinta* eſt, voluntatum conformitas; igitur cum diuina voluntas nunquam non poſſit eſſe recta, quoties ab illa, quæ debet eſſe noſtra in operando regula per peccatum veniale deuiamus aliquam interuenire animorum, & voluntatum diſſenſionem neceſſe eſt, & conſequēter amicitiam aliqualiter diſſociari. *Sexta*, ſecretorum, & conſiliorum communicatio, quam Deus in hoc ſecundo ſtatu ſolet facere verè in eo proficientibus, quam peccata venialia maximè impediunt, & ne viciſſim ipſi tanta libertate ſuas Deo neceſſitates, & ſecreta aperire poſſint. *Septima*, quod cum Deus ita exigente perfecta amicitia, ſe & ſua bona largiſſimè profundat, noſque viciſſim, & noſtra omnia in Dei obſequium impendere deberemus, tam neceſſarias in amicitia vices peccata venialia intercipiunt; fieri ſiquidem non poteſt, vt ſua bona is Deo communicet, aut illi ſoli viuat, vt eius bonum etiam vitæ ſuæ, ſi opus ſit, anteponat, qui nimio iis affectu adhæreſcit. *Octaua*, & vltima conditio diuinæ amicitiæ eſt, quod ſit conſtans, & perpetua, dicente Apoſtolo, diuinam charitatem nunquam excidere, quatenus ſemel diffuſa in cordibus noſtris, ſi prout debet liberum in homine imperium obtineat, amitti non poteſt, niſi homo ipſe velit. Etſi autem qui venialiter peccat illam non amittat, quia tamen peccata venialia de induſtria multiplicando, ſeu de vno in aliud ſponte prolabendo, quaſi manifeſto ſe exponit periculo illam deperdendæ, vndè ait Chriſoſtomus: *Fugiamus modica mala; magna ſiquidem ab illis naſcuntur. Quiſquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit conſuetum illud, Nihil erit ab hoc damni, paulatim omnia perdet*; Manifeſtè patet, quantum Proficientes, qui non ſolùm communem omnibus iuſtis Dei amicitiam colere debent, ſed inſuper ad ſpecialem illam, ad quam magni quidam Sancti admiſſi ſunt, aſpira-

pirare, indè, quod ita omnes eius leges violet, à peccato veniali, aut commiſſo, aut committendo, præcipuè ſpontè, & ſtudioſè abhorrere teneantur.

Tandem, ſicut ſuperiori ſectione diximus, non quoſcunque iuſtos propriè pertinere ad primum Incipientium gradum, vel ſtatum, ſed illos duntaxat, qui totis viribus firmiter conantur vitare omnia peccata mortalia, tollendo pericula omnia, & occaſiones tam proximas, quam remotas, nec non comprimendo inordinatas paſsiones, quæ ipſos ad illa pertrahere poſſent: ita quoque huic ſecundo Proficientium gradui, vel ſtatui illi ſoli propriè ſunt adſcribendi, qui ita ſunt diſpoſiti, vt, licet plures adhuc in ſe non ita puros erga bona creata affectus experiantur, & nonnunquam eorum vi abrepti in aliqua venialia, ſiue ſpontè, ſiue ex ſubreptione, & infirmitate labantur; nulli tamen prorſus bono creato, quantumuis indifferenti, aut licito fixam, captamque voluntatem ſuam adhæreſcere patiuntur; ſed continua potius pugna effrenem eius cupiditatem, & in creata bona propenſionem, ne etiam venialiter peccent, comprimunt, indeque ad ſummam diuini amoris puritatem, per eius, cæterarumque virtutum exercitium cupidè aſpirant. Vndè, licet probè ſciant plura bona creata, vt diuitias, honores, famam, hominum fauorem, aliaque ſimilia, eſſe indifferentia, & conſequenter poſſe nonnunquam aliquo bono fine amari, & expeti; nihilominus quia periculum eſt, ne iis plus æquo affectus adhereſcat, & animam inficiat: Propterea quantũ vitæ conditio permittit, re omnibus ſuperfluis ſe ſpoliant, neceſſariis verò affectu; adeò vt vehementer doleant, quod pro vitæ huius conditione hæc interdum admittere cogantur.

Ratio autem, cur ita diſpoſiti, ſoli contineantur in hoc ſecundo Proficiẽtium ſtatu, deſumitur ex ipſiuſmet fine in eo poſito, vt puritati animæ ſtudeãt, pacatam illam, & tranquillam reddant, ac demum virtutibus exornent. Illi igitur ſoli in eo cenſeri debent, qui hunc finem ſibi firmiter propoſitum habent; excludendi verò, qui ab eo ſunt alieni, vt ſunt illi, qui licet abſtineant à venialibus, quæ maioris ſunt momenti, vt quæ in materia mortali, vel periculoſè verſantur: quæ animam proximè ad mortale diſponunt, quæ inſignem aliquam turpitudinem coniunctam habent, alia tamen contemnunt, ſibi blandientes, quaſi fruſtra ſit ab omnibus abſtinere velle; imò qui ita diſpoſiti ſunt, vix ad primum ſtatum pertinent, cum viam ipſam, qua ad perfectionem perueniant, ipſi ſibi intercludant; nihilque ſit facilius, quam ſic diſpoſitos prolabi vlterius. Nam *qui ſpernit modica paulatim decidet*, Eccleſ. 19. & vt ait Diuus Gregorius. *Si curare parua negligimus, inſenſibiliter ſeducti audenter etiam maiora perpetramus*.

Etſi autem ad hunc quoque ſtatum pertineant, qui non ſolum à peccato mortali abhorrent, ac propè ſecuri ſunt ſed inſuper venialia omnia deuitare conſtituerunt, minus tamen in eo benè diſpoſiti ſunt, qui adhuc affectu rebus terrenis inhærent, aut præcipua quædam, & efficaciora ad vitæ puritatem media negligunt, cum in genere tantùm, & ſpeculatiuè potius quam practicè proficere intendant, peruenireque non poſsint ad puritatem, tranquillitatem, & animæ pulchritudinem, quæ in hoc ſtatu parari debet tertio Perfectorum.

CAPVT II.

De Virtutibus in communi, multiplicique earum diuiſione, quibus adipiſcendis Proficientes ſtudere debent.

Sicut ex eo quod potiſſimum Incipientium ſtudium conſiſtit in expurganda anima ab immoderatis, & inordinatis paſſionibus, quatenus maximè ſunt radices, aut ſemina omniū peccatorum mortalium, neceſſe fuit ſuperiori ſectione breuiter agere de earum natura, cauſis, & effectibus, alijſque adiunctis, ita quoque, cum præcipuum Proficientium munus ſit, animā purgatam, ac ſedatam, vt diximus, virtutibus exornare, & illuſtrare, vndè eorum via dicitur Illuminatiua, in hac agemus de earumdem virtutum natura, & cæteris ad illam pertinentibus, breuiter, ſed ſufficienter tamen ad præſens inſtitutum: Hoc eſt afferendo earum definitiones tam in communi, quā in particulari, diuiſiones, præcipuoſq; actus; quæ enim ſubtilius à Theologis Scholaſticis de hac materia diſputantur; non ſunt huius loci.

Incipiendo igitur à definitione virtutis in genere ſiue in communi, variè ſolet definiri. Primò quod ſit diſpoſitio perfecti ad optimum. *Diſpoſitio*, id eſt qualitas perfecta bene diſponēs ſuum ſubiectum, & inclinans ad actum optimum; atque adeò hic diſpoſitio non eſt qualitas ab habitu condiſtincta; ſiue, non eſt primæ ſpeciei qualitas imperfecta, facilè à ſubiecto amouibilis, ſed eſt habitus, & qualitas perfecta. Qui habitus, vel qualitas in hac definitione ſe habet loco generis iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam, non verò tanquam ſubiectum, quaſi virtus ſolum ſit habitus præſuppoſitiuè, & materialitèr, non genericè, vt vult Scotus in 1. diſt. 17. quæſt. 2. Per *actum optimum* intelligitur actus bonus, qui reſpectiuè eſt quid optimum, nimirum reſpectu potentiæ, & habitus. Nam potentia eſt quid bonum, habitus eſt quid melius, actus ab ijs elicitus, eſt quid optimum, in genere cauſæ finalis, ſiquidem eſt finis, & complementum potentiæ, & habitus operatiui, cum vtraque ordinentur ad actum, & habitus operatiuus non dicatur bonus, niſi quia inclinat ad actum bonum. Vndè licet potentia, & habitus in ratione principij, & cauſæ efficientis præcellant actui, ipſe tamen præcellit in genere cauſæ finalis, ſecundum quam conſideratur, & menſuratur ratio bonitatis. In hac igitur definitione habitus operatiuus eſt eſſentiale genus virtutis, differentia autem eius conſtitutiua, quod ſit operatiuus boni, vel quod eo nullus malè vtatur, vt in ſequenti definitione explicabitur.

Etenim virtus in communi definiri ſolet ſecundò, quod ſit bona qualitas, vel habitus bonus mentis, quo bene viuitur, & quo nullus male vtitur. *Habitus* determinans potentiam ad actum, & reddens habilem ad eum. *Bonus*, bene diſponens ſubiectum ad ſe, & ad operationem, ſeu reddens habentem bonum, ipſiuſque actum, cum ſit operatiuus. *Mentis*, id eſt animæ rationalis, qua talis; quatenus ſcilicet eſt prædita intellectu, & voluntate. Nam virtus ſuperadditur his potentijs ad perficiendas earum operationes; intellectionem nimirum, & volitionem: vt ſit veri cognitio certa, & firma: & boni honeſti affectio conſtans, & perfecta. Quamobrem ſubiectum immediatum virtutis eſt intellectus, & voluntas, mediatum verò anima rationalis, qua talis; non qua vegetatiua, aut ſenſitiua. Vnde non poteſt eſſe ſubiectum virtutis, imaginatio ſecundum ſe; quia non poteſt ſolido iudicio diſcernere verum à falſo, neque honeſtum à turpi. Similiter appetitus ſenſitiuus non poteſt affici bono, ſub ratione honeſti, quia non poteſt ferri extra proprium obiectum, quod eſt conueniens ſenſibus, præſcindendo ab ordine ad rectam rationem.

Nam ſecundum quod potentiæ illæ inferiores ſubſunt directioni, & motioni intellectus, & voluntatis, ſic poſſunt eſſe ſubiecta virtutis: vnde eatenus temperantia acquiſita eſt in appetitu concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili.

Per particulam, *quo bene viuitur*, diſtinguitur ab habitu eſſendi; ſiue excluditur à virtutis definitione talis habitus, vti gratia habitualis, quæ eſt radicale, & remotum bonæ operationis principium, mediantibus virtutibus infuſis, quæ fluunt ab eſſentia ipſius; & virtus propriè dicta eſt principium proximum, & immediatum, quo bene viuitur vita ſecunda, ſeu exercentur operationes vitales, conformes rectæ rationi, & legi æternæ: & quo tanquã principio elicitiuo operationis *nemo male vtitur*: imo omnis habens eum, eodem inclinatur ad bonum vſum, & actum; ſique aliter fit, hoc prouenit ab extrinſeco, ſeu operantis fine, vt volunt aliqui.

At cum hæc duo pertineant ad rationem virtutis moralis, nimirũ quod non præſuppoſitiuè, aut materialiter tantùm, vel phyſicè, ſed eſſentialiter, & formaliter ſit habitus operatiuus etiam vt ingreditur lineam moralitatis, & verſatur circa regulationem, & ordinem rationis; inſuper quod ſit operatiuus boni, ſeu inclinans ad bonum, ita priuatiuè, quod non poſſit inclinare ad malum, difficultas eſt, an id ita ſit propria virtutis differentia, quod nullo modo poſſit ad malum concurrere, neque ea aliquis male vti, neque actum malum ex obiecto, neque ex circumſtantia elicere; communiter affirmant Theologi, loquendo de concurſu, & inclinatione ad actum malum, qui ex intrinſeca ratione obiecti, vel proprijs, & per ſe circumſtantijs illius malus eſt. Cumque poſſit intelligi quod ipſe habitus virtutis influat in actum malũ dupliciter, vel conſiderando habitum virtutis ratione ſuæ entitatis phyſicæ duntaxat, & in ſtatu informi; vel etiam ratione ſuæ moralitatis, quam habet in quantum virtus moralis eſt, & vt forma, vtroque modo intelligunt, virtutem non poſſe influere in actum malum extrinſecè.

Si autem ſit ſermo de concurſu virtutis ad actum ex ſola circumſtantia extrinſeca, aut ignorantia culpabili malum, diuiſi ſunt Doctores, aliqui enim abſolutè ſentiunt, virtutem poſſe concurrere ad actum prauum, ſi ipſa virtus non ſubordinetur regulis prudentiæ, & fini recto; alij diſtingunt, & concedunt, virtutem non poſſe quidẽ concurrere ad actum, qui ex circumſtantia finis extrinſeci, vel operantis prauus eſt; bene autem ad actum, qui ſolum ex alijs circumſtantijs vitiatur, v. g. ex indebito tempore, aut loco, & ſimilibus; alij demum abſolutè cenſent, quod eſt probabilius, virtutem non poſſe concurrere ad actum ex quacumque parte, aut circumſtantia malum, niſi fieret ex ignorantia inculpabili, & inuincibili; talis enim actus à virtute procedere poteſt, quia bonus eſt, ſicut acceſſus Iacob ad Liam, nec enim in tali actu mutatur dictamen, & regulatio rationis, ſecundum quam fit ille actus, & attenditur bonitas eius moralis.

Quam aliqui particulam addunt huic virtutis definitioni, quod ſit habitus, *quem Deus in nobis operatur*, non pertinet ad eius definitionem in communi, ſed per illam aut reſtringitur, & determinatur ad virtutem infuſam, aut definitur non ſolùm quo ad ſubſtantiam, & ſpeciem, ſed etiam quoad ſtatum, ſecundum quem dirigitur ad æternam beatitudinem, quod nõ conuenit ſine informatione charitatis, & virtutum infuſarum.

Virtutis ita acceptæ, ſeu in communi multiplex eſt diuiſio in ſua genera, & ſpecies, aut quaſi ſpecies. Primum enim ex parte principii diuidi poteſt in diuinam, & humanam. Virtus diuina eſt virtus diuinitus infuſa, quæ eſt duplex, vna per ſe, alia per accidens.

Virtus

Virtus infuſa per ſe, eſt ea, quæ non poteſt aliter haberi, quam à Deo eam infundente, & ordinante ad beatitudinem ſupernaturalem, quia non poteſt educi è potentia ſubiecti, ab agente naturali. Eiuſmodi eſt virtus Theologica, & moralis infuſa, in quas diuiditur virtus infuſa per ſe. Virtus infuſa per accidens eſt virtus à Deo producta, animæque donata viribus illius acquiſibilis, non tamen acquiſita. Eiuſmodi foret virtus moralis, inclinans ad operationem, merè conformē ſectæ rationi naturali, ſi diuinitus infunderetur: quæ etiam non differret ſpecie ab acquiſita; vti non differt viſus, diuinitus donatus cæco, à viſu aliorum videntium. Virtus humana eſt virtus acquiſita, viribus naturæ, inclinans ad operationem rectæ rationi conformem.

Quare hæc diuiſio coincidit cum illa, qua virtus diuiditur in naturalem, ſeu naturæ viribus acquiſibilem, & ſupernaturalem per ſe. Sed rurſus virtus humana, ſeu naturalis diuiditur in intellectualem, & moralem. Virtus intellectualis eſt virtus inclinans intellectum, ad veri aſſenſum certum, & firmum, & conſequenter ad falſi diſſenſum, iuxta præſcriptum rectę rationis naturalis. Habitus autem intellectuales poſſe eſſe virtutes, expreſsè docet Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 57. art. 1. Etſi enim non ſint virtutes applicantes ad bene vtendum, dant tamē facultatem ad bonum actum; pertinet autem ad rationem virtutis non ſolum bona applicatio, ſed etiam bona, & perfecta facultas operandi. Vnde virtus intellectualis eatenus reuocatur ad moralem, quatenus ad ſui perfectionem requirit imperium voluntatis; in qua ſubiectatur moralis, & intellectualis in intellectu.

Circa iam allatas diuiſiones, priuſquam ad alias deueniamus, breuiter explicandum eſt, an virtutes morales infuſæ dentur in nobis; cum enim certum ſit, eſſe aliquas virtutes nobis infuſas, nimirum fidem, ſpem, & charitatem, ita expreſsè docente Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. controuerſia eſt inter Theologos, an præter has tres virtutes Theologicas, dentur etiā in nobis morales infuſæ, ab illis diſtinctæ, & à donis Spiritus Sancti; aliqui enim antiqui negarunt; ſed communiter Theologi poſt Diuum Thomam 1. 2. quæſt. 63. art. 3. affirmant, imo aliqui cenſurant oppoſitam ſententiā, quam tamen, loquendo de omnibus virtutibus moralibus, nulla cenſura dignam eſſe ex Concilio Vienneſi, melius iudicant alii, reſtringuntque illam ad ſolam virtutem pœnitentiæ, ob definitionem Concilii Tridentini ſeſſ. 6. can. 3. vbi actibus credendi, ſperādi, & diligendi, annumeratur actus pęnitendi; *Si quis dixerit ſine præuenientæ Spiritus Sancti inſpiratione, atque adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, & pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*: inde enim ipſis conſtare videtur, actum pænitentię eſſe ſupernaturalem per ſe, & quo ad ſpeciem, ſicut actus credendi, ſperandi, & diligendi, quia ad omnes æqualiter requiritur Spiritus Sancti inſpiratio, atque adiutorium, quod ſupernaturale aliquid deſignat in Conciliis, quæ enim naturalia ſunt, viribus propriis acquiri poſſunt; atque adeò debere actui pœnitentiæ correſpondere habitum ſupernaturalem per ſe, & conſequenter per ſe infuſum, quia quod per ſe ſupernaturale eſt, non poteſt eſſe acquiſitum, ſed neceſſariò infuſum. Verum quidquid ſit de hac cenſura, quo ad virtutem moralem pœnitentiæ, ob authoritatem Tridentini, cui reſponderi poſſet hic tantum loqui de præfatis actibus, quatenus ſunt diſpoſitiones ad gratiam, ſeu ad iuſtificationem, atque adeò procedunt ex ſolo diuino auxilio infuſo, non autem ex habitu, cum huiuſmodi habitus infuſi, & ſupernaturales, ſi dantur, ſubſequantur ad gratiam iam receptam, veluti proprieta-

prietates eiuſdem. Vndè Concilium ſeſſ. 6. citata cap. 7. agens de his, quæ in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum ſimul intuſa accipit, veluti habitus, homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, nulla mentione facta virtutis pænitentiæ, dicit hæc eſſe, fidem, ſpem, & charitatem, non actualem, quæ in adultis præſupponitur ad iuſtificationem, igitur habitualem.

Verum quidquid ſit de huiuſmodi cenſuris, ſtandum eſt communi ſententiæ, firmiterque tenendum; dari virtutes morales infuſas diſtinctas à virtutibus Theologicis, & Donis Spiritus Sancti. Eo enim ipſo, quod dentur virtutes infuſæ, & ſupernaturales dirigentes hominem in finem ſupernaturalem, & rectificantes circa illum, quales ſunt virtutes Theologicæ, quæ tum intellectum, tum voluntatem vniunt immediatè Deo, vt fini vltimo, præſertim charitas, quæ amat ipſum ſuper omnia: debent quoque dari virtutes morales ſupernaturales, & infuſæ circa electionem, & amorem mediorum; quia rectificatio non ſolum debet fieri in ordine ad finem in ſe, verum etiã in ordine ad media, ſi enim vitientur media, non rectè appetitur & rurſus finis nõ diligitur, niſi vt aſſequendus, vtique per media: Igitur ſi ſupernaturali modo, & per virtutes Theologicas infuſas rectificatur homo circa finem, debet quoque ſupernaturali modo rectificari circa media, quod fit per electiones, & iſtæ per habitus electiuos, qui ſunt virtutes morales infuſæ; quique ita ſunt habitus electiui verſantes circa media, cum electio ſit de medijs, vt tamen illa etiam poſſint habere rationem finis proximi, ſubordinati tamen fini vltimo, circa quem non verſantur virtutes morales, ſed Theologales, in ordine autem naturali voluntas, ſeu intentio finis, in quo etiam requiruntur virtutes morales acquiſitæ, vt rectificent electiones mediorum.

Vndè quemadmodum in ordine naturali non rectificatur homo ſufficienter per ſynderesim, & voluntatem vltimi finis, ſed neceſſariæ inſuper ſunt virtutes morales rectificantes illum circa electiones mediorum, ſine quibus abſolutè, & ſimpliciter dici non poteſt homo rectificatus, eo quod rectificatio hominis non eſt ſolùm in diligendo fine, ſed etiam in aſſequendo, & finis, qui intenditur vt aſſequendus per praua media, vitiatur, & vitiat voluntatem, atque adeò vt recta ſit, neceſſe eſt eam non tantùm rectificari per ordinem ad finem, ſed etiam per ordinem ad media, quod fit per virtutes morales acquiſitas, talium mediorum electiones rectificantes. Ita quoque in ordine ſupernaturali ſatis non eſt hominem rectificari circa amorem finis ſupernaturalis, ſed perfici quoque debet, circa amorem mediorum, quod fit per electionem, ad quam, cum non ſufficiant virtutes morales acquiſitæ, etiam cum imperio, & directione Theologalium, aut Donorum Spiritus Sancti, vt mox dicemus, ſi quidem electio mediorum debet eſſe eiuſdem ordinis, & proportionis cũ ſuo fine, neceſſariò requiruntur virtutes morales ſupernaturales, & infuſæ, à quibus eliciatiuè procedant electiones quoque ſupernaturales.

Quod autem ad has electiones non ſufficiant virtutes morales acquiſitæ, etiam cum imperio, & directione Theologalium, quæ ſunt circa finem ſupernaturalem, quaſi inde poſſint eleuari ad attingenda media ſupernaturalia, vel modo ſupernaturali, ſicut qui elargitur eleemoſynam ex charitate, ſufficienter ab eius imperio mouetur virtus miſericordiæ ad dandam eleemoſynam modo ſupernaturali. Sic breuiter oſtendo. *Primò*, quia virtutes acquiſitæ non ſunt in omnibus, nec ita facile comparantur, ſed multo labore, & tempore, igitur cum vita Chriſtiana proponatur omnibus, vt communis, etiam non multum exercitatis, neceſſe fuit, vt in ipſamet iuſtificatione ſimul

cum

cum gratia,& charitate infunderentur virtutes ſupernaturales ad operandum virtuosè. *Secundò*, quia dantur virtutes ad vincendas difficultates, ita vt, vbi ſpecialis eſt difficultas, requiratur quoque ſpecialis, & diſtincta virtus; ſed ſpeciales occurrunt difficultates in materijs virtutum, v. g. fortitudinis, temperantiæ &c. quando ſolum ſecundum finem politicum tractandæ ſunt, aut ſecundum ordinem ad finem vitæ æternæ, ſeu ſecundum ſupernaturalem inclinationem, hæc enim eſt arduitas maxima, & ſupra humanas vires naturales: æque igitur in vno, ac in alio ordine ponendæ ſunt diſtinctæ virtutes morales. *Tertiò*, quia licet dubium non ſit, quin actus virtutum acquiſitarum referri in finem ſupernaturalem poſſint, eſſeque meritorij ex imperio charitatis, quia tamen huiuſmodi imperium eſt vagum, & per accidens, nec charitas connaturaliter, & proportionatè ad intentionem ſupernaturalis finis illis vtitur; inde eſt, quod poſitu rectificatione ſupernaturali per virtutes Theologicas circa finem, debeat quoque poni rectificatio ſupernaturalis circa electiones mediorum, connaturaliter, & per ſe illi annexa, mediantibus virtutibus moralibus infuſis. Vel enim ſupernaturalis vita habet intra ſuum ordinem ſupernaturalem ſufficientia media,& principia,ad ordinandum omnes actiones vitæ humanæ ſupernaturaliter, vel non? Si non habet, erit inſufficientior vita politica, aut philoſophica,naturaliſque ordinis,quæ habet ſufficientia principia ad ſui rectificationem, & directionem, ſcilicet virtutes morales acquiſitas, vita autem ſupernaturalis careret illis, eaque deberet ſupplere per virtutes acquiſitas, & naturales, quæ ſunt inferioris ordinis, atque adeò per ſe improportionati ad finem ſupernaturalem. *Quartò*; tandem, quia datur prudentia ſupernaturalis, & infuſa, igitur, cum non ſtet, quod in virtutibus moralibus detur vna ordinis ſupernaturalis, maximèque prudentia, quin dentur omnes aliæ, vt pote dependentes ab illa, tanquam à regula conſtituente illis medium determinatum, & rectum hic, & nunc; manifeſtè ſequitur illas dari,ſi datur talis prudentia. Quod autem detur, inde patet quia charitas non poteſt imperare, & imponere modum ſupernaturalem virtutibus acquiſitis, niſi media aliqua regulatione prudentiali proponente eum per intellectum, & imperante, propriè enim imperium eſt actus intellectus, & prudentiæ; prudentia autem acquiſita, vt pote inferioris ordinis, non poteſt imponere modum prudentialem, ſeu regulationem moralem ſupernaturalis ordinis, nec etiam fides, quamuis ſit ſupernaturalis, ad id ſufficit, quia prudentia vtitur diſcurſu practico, & conſilio ad inuenienda media; fides autem non diſcurrit, ſed ſimpliciter credit res diuinas, atque adeò licet poſſit eſſe regula remota, & excellentior, non tamen proxima, & applicatiua mediorum: cuius argumentum adhuc eſt, quod inter ſeptem dona Spiritus Sancti datur donum Conſilij, quod pertinet ad dirigendum prudentialiter actus noſtros altiori modo ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, igitur præter prudentiam humanam, & fidem diuinam, requiritur inſuper virtus prudentiæ infuſæ ad regulandas proximè actiones morales ſupernaturales, iuxta modum humanum, vt mox dicetur. Vnde licet admittatur rectificari poſſe hominem, per virtutes Theologicas, tanquam per principalia principia, & quantum ad fundamentum, & ſubſtantiam rectificationis, non tamen tanquam per principia ſecundaria, & conſecuta per ſe, ſed hoc fit, vt vidimus, per virtutes morales infuſas.

Ad hoc quoque officium non valere dona Spiritus Sancti, quæ correſpondent virtutibus moralibus, vt donum fortitudinis, donum Pietatis, iuſtitiæ, & religioni, donum conſilij, prudentiæ, & donum timoris, temperantiæ,

perantiæ, inde conſtat, quod hæc dona, vt infra dicetur, explicando eorum naturam, non ponuntur ad operādum iuxta regulas humanas, etiam ſupernaturales, ſed iuxta regulam, & menſuram diuinam, etiam ſupra modum ſupernaturalem ordinarium humanū. Quare dona Spiritus Sancti propriè dantur ad operandum ex inſtinctu peculiari, iuxta illud Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Qui inſtinctus etiam valdè rudibus aliquando datur, qui operantur ex quadam connaturalitate, & experientia diuinorum, quæ patiuntur. Connaturalizari autem animam noſtram diuinis, & ex tali connaturalitate, & experientia operari, ſuperat modum virtutis etiam ſupernaturalis in moralibus, quia morales virtutes infuſæ non operantur via Vnitiua, ſeu connaturalizatione diuinorum, ſed via Illuminatiua, iuxta lumen rationis ſupernaturaliter quidem eleuatum per fidem, ſed tamen oſtendente, & regulante actiones modo humano, non autem connaturalizatione diuina; Igitur præter dona Spiritus Sancti, debent dari virtutes morales infuſæ, pariterque ex dictis, nec ſuperfluas, nec impoſſibiles eſſe.

Cum autem huiuſmodi virtutes ſint per ſe infuſæ, ſunt quoque, quo ad ſubſtantiam ſupernaturales, ſpecieque diſtinctę ab acquiſitis, etſi enim verſentur circa eamdem materiam, ad diſtinctionem ſpecificam ſufficit, quod habeant diuerſas rationes formales, vt innumeris patet exemplis, & ipſorummet donorum Spiritus Sancti, quæ dubitari non poteſt eſſe ſupernaturalia, ſpecieque diſtingui à virtutibus moralibus acquiſitis; quia licet aliqua ex illis verſentur circa materias morales, ſicut donum fortitudinis circa eaſdem, circa quas verſatur virtus fortitudinis, & pietas circa eaſdem, circa quas verſatur obſeruantia, & iuſtitia ad alterū, & donum conſilij circa ea, circa quæ verſatur prudentia, verſantur tamen altiori, ſublimiorique modo, ſeu ratione formali, quam virtutes acquiſitæ. Hęc autem diuerſitas formalis inter virtutes morales infuſas, & acquiſitas conſiſtit in hoc, quod iſtę ſolum de ſe ordinantur ad rectam pręſentis vitæ diſpoſitionem, ſiue ad bonum honeſtū, conforme rectę rationi naturali, ordinatum de ſe ad finem naturalem; infuſæ autem ordinantur ad bonum honeſtum, conforme rationi ſupernaturali, legique diuinæ, ordinatum de ſe ad finem ſupernaturalem, ſeu ad vitam æternam conſequendam, & æternam damnationem vitandam; quatenus ex propria, & formali ratione ſua, non autem per accidens, vt virtutes acquiſitæ, accipiunt motiuum operandi, atque adeò ſupernaturale, ex participatione virtutum Theologicarum, quibus in operando ſubduntur. Vndè hęc ſpecificatio, licet mediatè, & remotè ſit à fine vltimo, proximè tamen eſt ab ipſomet obiecto formali, quod eſt ipſa materia vt regulata, & menſurata regulis rationis, non quomodocumque, ſed eleuatæ ad ſupernaturalem ordinem, & finem.

Quod attinet ad harum virtutum ſubiectum, ſuppoſito quod dentur, vt probatum fuit, certum eſt eas omnibus iuſtificatis infundi, quia iſtæ virtutes connexę ſunt cum charitate, ſicut recta electio mediorum connexa eſt cum recta intentione finis. Iiſdem quoque potentijs infūnt, quibus alię virtutes morales acquiſitę, ſcilicet, appetitui ſēſitiuo, quæ verſantur circa paſſiones, & moderantur illas; voluntati autem, quæ verſantur circa operationes; quāuis aliqui omnes illas ponant in voluntate ob ſuam eleuationem. Sed oppoſitum videtur probabilius; quia licet regula, qua regulantur, ſit ſupernaturalis, ipſa tamen entitas actus, qui elicitur à tali virtute, ſi eſt moderatiua paſſionum, eſt paſſio quędam, & actus appetitus ſenſitiui, ſi verò moderatur voluntatem, eſt actus eius ſpiritualis. Oportet autem habitum elicitiuum actus, cuius entitas eſt corporea, & ſenſibilis,

ſenſibilis, eſſe in potentia ſenſitiua, in ſpirituali verò, cuius actus eſt ſpiritualis. Minimèque propterea requiritur, quod appetitus ſenſitiuus formaliter diſcernat ſupernaturale à naturali, quod eſt ei impoſſibile, ſed ſufficit quod dirigatur à prudentia ſupernaturali, ad quam pertinet dijudicare iſtã ſupernaturalitatem, ad appetitum autem participare ſolum ab ea directionem ſupernaturalem; ſicut etiam ad virtutes acquiſitas, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo, non requiritur, quod formaliter diſcernat id, quod eſt rationis, & legis, ſed ſolum participare directionem à regulis rationis, quatenus proponitur aliquid faciendum ab appetitu cum ea moderatione, quam præſcribit ratio, & non aliter.

Etſi autem non ſemper, aut in omni tempore experiamur in nobis virtutes morales infuſas, ſed aliquando potius ſentiatur difficultas in operando, imo nihil operemur, ſufficit, vt aliqualem earum experientiam habeamus, eo modo quo de ſupernaturalibus haberi poteſt in hac vita, quod earum operationes aliquando experiamur, attento motiuo ſupernaturali, quo excitamur ad bene agendum. Nã licet aliquis interdum moueatur ad continentiam, vel ad abſtinentiam ex motiuo purè temporali, & pertinente ad conuictum humanum, ſeu modeſtiam communem, plerumque tamen non ſufficit hoc motiuum, præſertim in occulto, vel in tentationibus cordis, ſed requiritur altius, ſcilicet ſupernaturale, ad quod confugiens, v.g. cogitando de amiſſione beatitudinis æternæ, de ardoribus inferni, diuinorumque iudiciorum ſeueritate, aut acerbiſſimis Chriſti Domini doloribus, alijſq; ſimilibus, tunc planè omnes vincit tentationes, & ſub illa moralitate, quam virtus acquiſita non aſſequitur, experitur actum, & indè arguitiuè habitum virtutis infuſæ. Sicut etiam ex hoc, quod aliquando ſentit anima quodam extraordinario motu ferri ad bene operandum, tunc planè elicit, & ſufficienter experitur actus donorum Spiritus Sancti, qui nedum acquiſitis, ſed & infuſis virtutibus moralibus ſuperiores ſunt, regulamque habent altiorem; licet non ſemper illos, aut omni tempore ſentiat.

Tandem quemadmodum licet abſque donis Spiritus Sancti, quorum actus ſunt altiores, & eleuatiores actibus virtutum, poſſint ſeruari mandata, præſertim illa, quæ verſantur circa materias morales, vt donum Fortitudinis, Pietatis, & Conſilij; non propterea ſunt ſuperflua; quia aliquando conuenit hominem ex illis operari; ita quoque, licet mandata in iiſdem materijs ſeruari poſſint ſimpliciter, & abſolutè per virtutes acquiſitas, quia tamẽ non ita connaturaliter, & proportionatè ad finem ſupernaturalem, ac per infuſas, idcircò non ſunt ſuperfluæ; quod enim requiritur, vt aliquid fiat connaturalius, & magis proportionatè ad vnum finem, non eſt abſolutè ſuperfluum; vt patet in ipſiſmet habitibus naturalibus, ſine quibus benè poſſunt abſolutè, & quo ad entitatem produci actus à potentia, & tamen non ſunt ſuperflui, cum requirantur, vt connaturalius, & efficacius fiant. Harum autem virtutum moralium infuſarum videtur fieri ſufficiens mentio, dum ait Chriſtus, *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, eo enim ipſo, quod his verbis mandata ponuntur ſeruanda cùm ordine ad vitam æternam, ſeu ad finem, & vitam ſupernaturalem, vel expreſsè, vel implicitè, & virtualiter, inuoluuntur quoque actus virtutum infuſarum per ſe, & connaturaliter ad illius conſecutionem ordinatarum: Nõ tamen ponitur præceptum operandi illos ex ipſo habitu virtutis infuſæ, quia modus iſte operandi ex habitu non cadit ſub præcepto, vt docet S. Thomas 1.2. q. 100. art. 2. ſed ſufficit quod ſeruentur mãdata per virtutes acquiſitas, ſemper tamen ex imperio charitatis, vt ſint meritoriæ.

His ita breuiter, ſed neceſſariò ſuppoſitis circa exiſtentiam, & naturam virtutum infuſarum, priuſquam ad alias deueniremus diuiſiones; ſi enim non darentur, procul dubio nec diuidi poſſent huiuſmodi virtutes; iam dicimus, quod ſicut virtus humana, vel naturalis, ſeu viribus naturalibus acquiſibilis, primum diuiditur adæquatè in intellectualem, & moralem; ita quoque, & infuſa. Quicquid enim fieri poteſt noſtris actibus, comprehenditur duplici illa potentia intellectus, & voluntatis, ſiue appetitus: Primæ autem perficiendæ deſignatur virtus intellectualis, tum acquiſita, tum infuſa; Secundæ verò, moralis.

Rurſus virtus intellectualis eſt quintuplex, ſcilicet intellectus principiorũ, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars. Quarum tres primæ perficiunt partem ſpeculatiuam, tam in ordine naturali quàm in ordine ſupernaturali; duæ autem poſteriores partem practicam, ſcilicet prudentia quo ad agibilia; ars verò quo ad factibilia, ſeu artefacta. Ratio huius diuiſionis eſt, quia in genere ſpeculatiuo, omne verum, vel eſt notum per ſe, & ex terminis ritè explicatis, vel per aliud, ſeu per conſequentias. Quod eſt per ſe notum attingitur habitu principiorum. Quod eſt per aliud notum, vel reſoluitur in primas cauſas ſimpliciter, vel in proximas, licet in aliquo genere ſint vltimæ. Et quod primo modo procedit eſt ſapientia, quod ſecundo ſcientia. In genere autem practico, quo perficitur intellectus, non ſolùm in attingentia veri in ſe, ſed in directione, ſeu regulatione operis faciendi, cum talis directio ſit duplex, vna quæ reſpicit rectitudinem, & debitam commenſurationem ipſius effectus in ſe, ſicut ſunt omnia artefacta, hæc directio fit ab arte, quæ eſt recta ratio operum faciendorum: Altera autem, reſpicit rectitudinem, & debitam commenſurationem ipſius actionis, vt ſcilicet rectè, & debitè quis agat, & operetur, ſicut ſunt omnes actiones liberæ, & iſtæ diriguntur à prudentia, vocanturq; agibilia, ſicut quæ diriguntur ab arte factibilia, quia prudentia dirigit actiones, ars effectus. Quare non pertinet ad laudem artificis, qua voluntate faciat opus ſuum, & qua intentione, ſed quod effectus ipſe ſit iuxta ideam artis, & ad finem ſuum rectè diſpoſitus, vt domus ad habitationem, nauis ad nauigationem, &c. Ad prudentiam verò pertinet, quod ex recta voluntate, & intentione finis procedat ad electionem conuenientium mediorum. Vndè in ratione prudentiæ minus laudatur, qui ex deprauata voluntate procedit, & errat circa electionem mediorum. Ars igitur non dicitur virtus intellectualis, quia ſupponat rectificationem appetitus circa finem, & ordinet de medijs illi congruis, vel rectè applicet appetitum ad bonum vſum; ſed quod det facultatem faciendi bonum opus, & ad hoc præbeat certas, & determinatas regulas, vel ſecundum mentem ordinandum, & diſponendum ſi ſit ars liberalis, vel per actus externos, ſi ſit ars Mechanica, quocunque appetitu id fiat, bono, vel malo. Hæ autem virtutes intellectuales, ad morales cõparatæ, ita ſe habent, quod virtus moralis poſſit eſſe ſine virtute intellectuali ſpeculatiua, V. g. ſine ſapientia, & ſcientia, non tamen ſine practica, quæ eſt prudentia, quia hæc directiua & regulatiua eſt agibilium, ſeu moralium applicando illis regulas rationis; ſicut etiam prudentia eſſe non poteſt ſine virtutibus moralibus, quia rectum iudicium in practicis dependet ex recta intentione finis, quæ in materijs virtutum ſine rectitudine appetitus ſtare non poteſt, pertinetque ad ipſas virtutes. Poteſt tamẽ ſine virtutibus moralibus dari virtus ſpeculatiua, vt ſcientia in peccatore. Quæ de his virtutibus intellectualibus fuſius 12. diſputantur, omitto, & ad moralium diuiſionem tranſeo.

Virtus igitur moralis, ſiue acquiſita, ſiue infuſa per analogiam ad illam multipli-

tipliciter diuidi poteſt: Primò per ordinē ad potentias in quibus recipitur, nam prudentia eſt in intellectu, iuſtitia in voluntate, temperantia in appetitu ſenſitiuo concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili, iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam docentis, virtutes morales, quæ moderantur paſſiones, quales ſunt temperantia, & fortitudo, eſſe in appetitu ſenſitiuo, vt gubernentur à ratione, & voluntate, tanquam in ſubiecto; ad quod licet aliqui negent, vllam debere poni habitum in voluntate, melius tamen alij aſſerunt, dari nimirum in voluntate habitus, ad dirigendam moderationem paſſionū, & imperandum appetitui ſenſitiuo, vt eas moderatas eliciat; Et quamuis Diuus Thomas alibi dubitauerit de Liberalitate, & Magnificentia, an ſubiectentur in appetitu ſenſitiuo, nihilominus 1.2. q.60.art.5. expreſsè docet Liberalitatem eſſe in concupiſcibili, quia moderatur nimium amorem pecuniæ, qui licet non pertineat ad concupiſcentias naturales, quas moderatur principaliter temperantia, pertinet tamen ad concupiſcentiam animalem, quæ etiam moderatione indiget à parte aliqua temperantiæ minus principali. Quia tamen iſtam pecuniæ concupiſcentiam moderatur liberalitas in ordine ad alterum, vt ſcilicet alteri largiatur, ſecundum quod participat aliquam rationem debiti, & iuſti, non quidem rigoroſi, & legalis, ſed moralis, & ſecundum decentiam, qua ſe debet habere ad alterum, atque adeò participat aliquid de iuſtitia, quæ eſt in voluntate, propterea liberalitas ſub illo reſpectu ad eam pertinet originatiuè, & participatiuè. Magnificentiam autem ponit in iraſcibili, cuius paſſiones moderatur, nimirum ſpem, & audaciam erga magnos ſumptus faciendos, quod quia non facit abſolutè, ſed in ordine ad alterum expendendo magnas pecunias, ſiue erga aliquem priuatum, & ſic etiam participat aliquam rationem debiti ſicut liberalitas; eſt enim magnificentia magna liberalitas, propterea ad voluntatem quoque originatiue, & participatiuè pertinet, quæ ſe habet ad alterum.

Ex quo patet, non repugnare aliquā virtutem eſſe per ſe, & directè in appetitu ſenſitiuo, & tamen participare aliquid à voluntate, vel ab aliqua virtute in ea exiſtente: idque contingere præcipuè, quando aliqua virtus directè quidem moderatur paſſiones, ſed tamen induit etiam aliquem reſpectū, & ordinem ad alterum per modum debiti, aut ſubordinationis, vt patet in magnificentia, & liberalitate, modo ſtatim explicato, quæ eſſentialiter, & entitatiuè, ſeu ſubiectiuè ſunt in appetitu cuius paſſiones moderantur: liberalitas concupiſcentiam habendi, Magnificentia ſpem, & audaciam erga magnos ſumptus; ſed quia hoc præſtant in ordine ad alterum, cui ſubminiſtrant largitionem, & ſumptus, dicuntur originari à voluntate, ſeu ex natura, & ſpecie ordinem ad illam habere, cuius eſt hoc modo ſe habere ad alterum.

Similiter conſtat, bonum honeſtum, quod eſt obiectum virtutis non ſolum poſſe inueniri in materia purè ſpirituali, ſed etiam in ſenſitiua ſecundum participationem, quatenus etiam paſſiones appetitus ſenſitiui, ſeu ab eo elicitæ, poſſunt eſſe moræ, & directæ à ratione, & miniſterialiter etiam deſeruiunt appetitui rationali, ſeu voluntati. Eo enim modo, quo appetitus ſenſitiuus poteſt ſubijci rationi, darique aliquid ſenſibile rationi ſubiectum, & ab eo regulatum, poteſt etiam dari honeſtum participatum, & ſubiectum rationi. Vnde licet honeſtum purè ſpirituale ſit extra obiectum formale appetitus ſenſitiui, non tamen honeſtū participatum, & miniſterialiter deſeruiens rationi. Quemadmodum enim phantaſia, licet ſit vltra eius obiectum adæquatum, cognoſcere vniuerſale, quia hoc eſt ſine conditionibus ſingularibus, ſine quibus non poteſt aliquid ſentiri, & vllo conſequenter modo ad ſen-

His ita breuiter, ſed neceſſariò ſuppoſitis circa exiſtentiam, & naturam virtutum infuſarum, priuſquam ad alias deueniremus diuiſiones; ſi enim non darentur, procul dubio nec diuidi poſſent huiuſmodi virtutes; iam dicimus, quod ſicut virtus humana, vel naturalis, ſeu viribus naturalibus acquiſibilis, primum diuiditur adæquatè in intellectualem, & moralem; ita quoque, & infuſa. Quicquid enim fieri poteſt noſtris actibus, comprehenditur duplici illa potentia intellectus, & voluntatis, ſiue appetitus: Primæ autem perficiendæ deſignatur virtus intellectualis, tum acquiſita, cum infuſa; Secundæ verò, moralis.

Rurſus virtus intellectualis eſt quintuplex, ſcilicet intellectus principiorũ, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars. Quarum tres primæ perficiunt partem ſpeculatiuam, tam in ordine naturali quam in ordine ſupernaturali; duæ autem poſteriores partem practicam, ſcilicet prudentia quo ad agibilia; ars verò quo ad factibilia, ſeu artefacta. Ratio huius diuiſionis eſt, quia in genere ſpeculatiuo, omne verum, vel eſt notum per ſe, & ex terminis ritè explicatis, vel per aliud, ſeu per conſequentias. Quod eſt per ſe notum attingitur habitu principiorum. Quod eſt per aliud notum, vel reſoluitur in primas cauſas ſimpliciter, vel in proximas, licet in aliquo genere ſint vltimæ. Et quod primo modo procedit eſt ſapientia, quod ſecundo ſcientia. In genere autem practico, quo perficitur intellectus, non ſolùm in attingentia veri in ſe, ſed in directione, ſeu regulatione operis faciendi, cum talis directio ſit duplex, vna quæ reſpicit rectitudinem, & debitam commenſurationem ipſius effectus in ſe; ſicut ſunt omnia artefacta, hæc directio fit ab arte, quæ eſt recta ratio operum faciendorum; Altera autem, reſpicit rectitudinem, & debitam commenſurationem ipſius actionis, vt ſcilicet rectè, & debitè quis agat, & operetur, ſicut ſunt omnes actiones liberæ, & iſtæ diriguntur à prudentia, vocanturq; agibilia, ſicut quæ diriguntur ab arte factibilia, quia prudentia dirigit actiones, ars effectus. Quare non pertinet ad laudem artificis, qua voluntate faciat opus ſuum, & qua intentione, ſed quod effectus ipſe ſit iuxta ideam artis, & ad finem ſuum rectè diſpoſitus, vt domus ad habitationem, nauis ad nauigationem, &c. Ad prudentiam verò pertinet, quod ex recta voluntate; & intentione finis procedat ad electionẽ conuenientium mediorum. Vndè in ratione prudentiæ minus laudatur, qui ex deprauata voluntate procedit, & errat circa electionem mediorum. Ars igitur non dicitur virtus intellectualis, quia ſupponat rectificationem appetitus circa finem, & ordinet de medijs illi congruis, vel rectè applicet appetitum ad bonum vſum; ſed quod det facultatem faciendi bonum opus, & ad hoc præbeat certas, & determinatas regulas, vel ſecundum mentem ordinandum, & diſponendum ſi ſit ars liberalis, vel per actus externos, ſi ſit ars Mechanica, quocunque appetitu id fiat, bono, vel malo. Hæ autem virtutes intellectuales, ad morales cõparatæ, ita ſe habent, quod virtus moralis poſſit eſſe ſine virtute intellectuali ſpeculatiua, V. g. ſine ſapientia, & ſcientia, non tamen ſine practica, quæ eſt prudentia, quia hæc directiua, & regulatiua eſt agibilium, ſeu moralium applicando illis regulas rationis; ſicut etiam prudentia eſſe non poteſt ſine virtutibus moralibus, quia rectum iudicium in practicis dependet ex recta intentione finis, quæ in materijs virtutum ſine rectitudine appetitus ſtare non poteſt, pertinetque ad ipſas virtutes. Poteſt tamẽ ſine virtutibus moralibus dari virtus ſpeculatiua; vt ſcientia in peccatore. Quæ de his virtutibus intellectualibus fuſius 12. diſputantur, omitto, & ad moralium diuiſionem tranſeo.

Virtus igitur moralis, ſiue acquiſita, ſiue infuſa per analogiam ad illam mul-

tipli-

tiplicitcr diuidi poteſt: Primò per ordinẽ ad potentias in quibus recipitur, nam prudentia eſt in intellectu, iuſtitia in voluntate, temperantia in appetitu ſenſitiuo concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili, iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam docentis, virtutes morales, quæ moderantur paſſiones, quales ſunt temperantia, & fortitudo, eſſe in appetitu ſenſitiuo, vt gubernentur à ratione, & voluntate, tanquam in ſubiecto; ad quod licet aliqui negent, vllum debere poni habitum in voluntate, melius tamen alij aſſerunt, dari nimirum in voluntate habitus, ad dirigendam moderationem paſsionũ, & imperandum appetitui ſenſitiuo, vt eas moderatas eliciat; Et quamuis Diuus Thomas alibi dubitauerit de Liberalitate, & Magnificentia, an ſubiectentur in appetitu ſenſitiuo, nihilominus 1.2. q.60.art.5. expreſsè docet Liberalitatem eſſe in concupiſcibili, quia moderatur nimium amorem pecuniæ, qui licet non pertineat ad concupiſcentias naturales, quas moderatur principaliter temperantia, pertinet tamen ad concupiſcentiam animalem, quæ etiam moderatione indiget à parte aliqua temperantiæ minus principali. Quia tamen iſtam pecuniæ concupiſcentiam moderatur liberalitas in ordine ad alterum, vt ſcilicet alteri largiatur, ſecundum quod participat aliquam rationem debiti, & iuſti, non quidem rigoroſi, & legalis, ſed moralis, & ſecundum decentiam, qua ſe debet habere ad alterum, atque adeò participat aliquid de iuſtitia, quæ eſt in voluntate, propterea liberalitas ſub illo reſpectu ad eam pertinet originatiuè, & participatiuè. Magnificentiam autem ponit in iraſcibili, cuius paſsiones moderatur, nimium ſpem, & audaciam erga magnos ſumptus faciendos, quod quia non facit abſolutè, ſed in ordine ad alterum expendendo magnas pecunias, ſiue erga aliquem priuatum, & ſic etiam participat aliquam rationem debiti ſicut liberalitas; eſt enim magnificentia magna liberalitas, propterea ad voluntatem quoque originatiuè, & participatiuè pertinet, quæ ſe habet ad alterum.

Ex quo patet, non repugnare aliquã virtutem eſſe per ſe, & directè in appetitu ſenſitiuo, & tamen participare aliquid à voluntate, vel ab aliqua virtute in ea exiſtente: idque contingere præcipuè, quando aliqua virtus directè quidem moderatur paſsiones, ſed tamen induit etiam aliquem reſpectũ, & ordinem ad alterum per modum debiti, aut ſubordinationis, vt patet in magnificentia, & liberalitate, modo ſtatim explicato, quæ eſſentialiter, & entitatiuè, ſeu ſubiectiuè ſunt in appetitu cuius paſsiones moderantur: liberalitas concupiſcentiam habendi, Magnificentia ſpem, & audaciam erga magnos ſumptus; ſed quia hoc præſtant in ordine ad alterum, cui ſubminiſtrant largitionem, & ſumptus, dicuntur originari à voluntate, ſeu ex natura, & ſpecie ordinem ad illam habere, cuius eſt hoc modo ſe habere ad alterum.

Similiter conſtat, bonum honeſtum, quod eſt obiectum virtutis non ſolum poſſe inueniri in materia purè ſpirituali, ſed etiam in ſenſitiua ſecundum participationem, quatenus etiam paſſiones appetitus ſenſitiui, ſeu ab eo elicitæ, poſſunt eſſe motæ, & directæ à ratione, & miniſterialiter etiam deſeruiunt appetitui rationali, ſeu voluntati. Eo enim modo, quo appetitus ſenſitiuus poteſt ſubijci rationi, darique aliquid ſenſibile rationi ſubiectum, & ab eo regulatum, poteſt etiam dari honeſtum participatum, & ſubiectum rationi. Vnde licet honeſtum purè ſpirituale ſit extra obiectum formale appetitus ſenſitiui, non tamen honeſtũ participatum, & miniſterialiter deſeruiens rationi. Quemadmodum enim phantaſia, licet ſit vltra eius obiectum adæquatum, cognoſcere vniuerſale, quia hoc eſt ſine conditionibus ſingularibus, ſine quibus non poteſt aliquid ſentiri, & vllo conſequenter modo ad ſen-

ſenſum pertinere, poteſt tamen ex coniunctione ad intellectum, cuius operationi miniſterialiter deſeruit, ferri in ſingularia modo diſcurſiuo, & collatiuo participatiuè, quod non conuenit brutis animantibus; idque non eſt extra ſphęram eius, vt coniunctæ intellectui, indeque eleuatæ. Ita etiam, quia appetitus ſenſitiuus miniſtrat rationi, & ab ipſa participat regulationem, non eſt extra eius ſphęram, aut obiectum adęquatum, attingere honeſtatem virtutis, pro vt participatiuè ſe habet in paſſionibus; quodque eodem modo conueniat illi electio; quia electio poteſt eſſe circa ſingularia.

Secundò, cum prudentia, qua homo dirigit proprias actiones ſuas, & vitam, ſit tantùm vna, quidquid ſit, an dentur diuerſæ prudentiæ ad regendū alios, ſufficiatque ad moderandas omnes virtutes morales, quæ ſunt in voluntate, tres enim illæ virtutes ei adiunctæ, ſcilicet Eubulia, Syneſis, & Gnome, non ſunt prudentiæ diuerſæ, ſed partes quaſi integrantes eiuſdem prudentiæ, vt dicetur infra; cum, inquam, prudentia ſit tantum vna ſpecie, tam acquiſita, quam infuſa, quæque adhuc nō dicitut virtus moralis formaliter, ſed directiuè, aut regulatiuè tantum, virtutes morales formaliter ſumptæ diuiduntur, & diſtinguntur eſſentialiter in eas, quæ verſantur circa operationes ad alterum, quæ communi vocabulo cenſentur nomine iuſtitiæ; & quæ verſantur circa paſſiones, quod pertinet ad rectificationem hominis in ſe, & non ad alterum. Nec enim operationes ſumuntur in tota ſua latitudine, quando in hac diuiſione condiſtinguntur à paſſionibus, conſtat enim, vt ſuperiori ſectione diximus, quod paſſiones ipſæ ſunt operationes quædam, ſeu actus à potentia appetitiua eliciti, ſed ſumuntur operationes in alio ſenſu, videlicet non pro ſolo reſpectu ad operantem, à quo eliciuntur, ſed prout tangunt alium extra operantem, & ſic induunt, & fundant aliquam rationem debiti, quod vtique eſt alterum, quod ſi propriè, & rigoroſè ſit tale, Iuſtitia quoque propriè, & rigoroſè dicta, quæ etiam dicitur virtus Cardinalis, verſatur circa operationes tale debitum includentes, circa alias verò illud non includentes, iuſtitia minus principalis, quæ & potentialis pars iuſtitiæ ſolet appellari. Aliæ autem duę, nimirum Temperantia, & Fortitudo verſantur circa paſſiones, diſtinguunturque quod prima concupiſcibilis, ſecunda iraſcibilis actus, ſeu paſſiones moderatur. Deindè diuiduntur in alias minus principales, ſeu potentiales, quæ ad iſtas reducuntur, ſed ſunt ſpecie diuerſæ, vt dicetur infra agendo de quatuor virtutibus Cardinalibus.

Tertio igitur virtutes morales, attenta conditione materiæ earumdem, nimirum quod vna ſit principalior, aut difficilior altera, aut aliquo alio ſimili, diuiduntur in Cardinales, ſeu principales, & minus principales; & ab omnibus Theologis communiter acceptatur huiuſmodi diuiſio, quodque virtutes Cardinales ſint tantum quatuor, nec plures, nec pauciores, ſcilicet Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, iuxta illud Sap. 8. *Sobrietatem, & ſapientiam docet, iuſtitiam, & virtutem, quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus*. Vbi nomine ſobrietatis intelligitur Temperantia; nomine Sapientiæ, prudentia; eo quod in genere, vel ordine morali hæc eſt prima, & optima ſcientia. Nomine autem Virtutis intelligitur fortitudo, quæ maximè vigorem præſtat. Si enim nihil iſtis virtutibus *vtilius eſt in vita hominibus*, nō incongruè cęteris principaliores, atque adeò Cardinales vocantur, cum virtutes Cardinales idem ſint, ac magis principales.

Quarto, virtutes morales ita diuiduntur ratione principalitatis, in præfatas quatuor Cardinales virtutes, tanquam in quatuor ſuprema genera, vt in qualibet adhuc cardinali virtute reperiantur quatuor alia genera virtutum, ſiue

ſiue quælibet diuidatur in virtutes Politicas, Purgatorias, Purgati animi, & Exemplares, quæ diuiſio, an ſit eſſentialis, an ſolum accidentalis, & penes diuerſos ſtatus; vel gradus eiuſdem virtutis, dicetur infra agendo de illis in particulari.

Quintò virtutes morales diuiduntur in Philoſophicas, & Chriſtianas, ſed hæc diuiſio coincidit cum alijs in acquiſitas, & infuſas, in humanas, & diuinas, ſeu in naturales, & ſupernaturales; quatenus virtus Philoſophica eſt virtus inclinans ad actum, rectæ rationi naturali conformem, ſiſtendo in mera illa conformitate: Virtus autem Chriſtiana eſt virtus diuinitus infuſa, inclinans ad actum rationi ſupernaturali conformem, ſeu ex motiuo ſupernaturali elicitum, eumque dirigens ad æternam beatitudinem.

Quæ ſextò ſolet adduci diuiſio virtutis moralis in informem, & formatam, videtur eſſe tantum diuiſio virtutis moralis naturalis, vel humanæ, ac philoſophicæ, quæ dicitur informis, quia in peccatore deſtituta eſt gratia habituali, & charitate tanquam ſui forma extrinſeca; quod non poteſt cõpetere virtuti morali infuſæ; quæ cum vtraque ſemper coniungitur in homine iuſto: formata autem dicitur, quando gratia habituali, & charitate informatur, ſeu habet illas ſibi iunctas in anima. Aliqualiter tamen hæc diuiſio accommodari etiam poteſt virtuti morali infuſæ, vocando illam informem, quando licet ſit realiter coniuncta cum gratia, & charitate, non tamen operatur ex imperio charitatis, neque actualiter, neque virtualiter, neque habitualiter; formatam verò, quando iuxta diuerſitatem opinionum meritoriè operatur vno ex præfatis modis imperante illi charitate. Charitas enim eſt forma virtutum, quia inclinationi illarum ad ſuum particulare bonum naturale, ſi ſint naturales, ad ſupernaturale autẽ, ſi ſint infuſæ, ſuperaddit ordinationem ad ſummum bonum, & finem vltimum: quod eſt proprium charitatis obiectum. Quare hæc diuiſio coincidit cum alia, qua diuiditur virtus moralis in meritoriam, & non meritoriam, in veram, aut perfectam, ac imperfectam, intelligendo per virtutem veram, & perfectam, virtutem charitate formatam, & meritoriam, per virtutem autem imperfectam, virtutem charitate deſtitutam, ac proinde vitæ æternæ non meritoriam. Cæterum in alio ſenſu virtutes etiam morales infuſæ, & meritoriæ diuidi adhuc poſſunt in imperfectas, & perfectas, vocando illas imperfectas, quæ inclinant ad actum bonum, firmantque animum contra tentationes tantum in materia graui, vt ſunt virtutes Incipientium; perfectas verò, quæ inclinant ad actum bonum perſeueranter continuandum, firmantque animum contra quaſcunque tentationes irruentes, etiam in materia veniali, & virtuti non contraria, vt ſunt virtutes Proficientium; ac demum perfectiſſimas, quæ interim ſuperaddunt virtuti perfectæ ordinariæ excellentiam actus, vocanturque virtutes heroicæ, propriæ Perfectorum, viæque Vnitiuæ; nam virtus exiſtens in gradu heroico, ſiue Heroica eſt virtus perfecta, obiecto ſuo inexpugnabiliter inhærens, produceníque actus excellentes, vt dicetur infra.

Præter iam allatas virtutum diuiſiones, aut eſſentiales, aut accidentales, ſed tamen aliquo modo illis intrinſecas, plures aliæ adduci poſſunt arbitrariæ; *Primo* in eas, quæ per ſe ad ſalutem ſunt neceſſariæ, vt fides, & prudentia ex intellectualibus, & per accidens tantum, vt ſcientiæ, & artes tam liberales, quam mechanicæ. *Secundo* in eas, quæ vnicuique hominum ſtatui tum priuato, tum publico ſunt magis propriæ, & proportionatæ, quibuſque conſequenter tenentur magis ſpecialiter operam nauare, qui in illis ſunt. *Tertio* in eas, quæ erga Deũ, vt Fides, Spes, Charitas, Religio; quæ

erga

erga Superiores, vt obſeruantia, & obedientia; quæ erga nos, vt fortitudo, & temperantia paſſionum moderatiuę, quæ erga omnes, vt iuſtitia, amicitia, ſiue charitas; miſericordia, manſuetudo; fidelitas, ſeu veritas; Et ſic de alijs, quas vnuſquiſque pro ſuo arbitrio vel intento fine adinuenire poteſt. Tantum ergo ſit de virtute in communi, varijſque eius ſpeciebus, ac diuiſionibus, cui adipiſcendæ Proficientes incumbere debent, eo maximè perfectionis gradu, quo nedum à mortalibus, ſed & à venialibus, immoderatiſque paſſionibus animam expurgant, indeque mirum in modum exornant, quod eſt proprium, & pręcipuum Proficientium, ſeu Viæ Illuminatiuæ ſtudium, ac munus. Quod quomodo fieri poſſit, infra explicabitur, cum de praxi, & actibus vniuſcuiuſque, ſaltem præcipuarum ſermo erit.

CAPVT III.

De tribus Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate.

VIrtus Theologica eſt virtus infuſa, pro immediato obiecto habens Deũ, ſupernaturaliter cognitum. Dicitur *Theologica*, id eſt diuina per excellentiam, condiſtincta contra diuinam moralem: vocatur autem ſic, primo quia habet Deum pro immediato obiecto; ſecundo quia à ſolo Deo etiam infunditur: tertio quia per illam, peculiariter efficimur diuinæ conſortes naturæ, quatenus aut eſt ipſamet gratia, aut eſſentialiter cum ea nectitur; quarto quia illa tanquam principio ſupernaturali, dirigimur ad aſſequendum Deum, finem noſtrum ſupernaturalem. Dicitur *Virtus*, quia eſt bonus habitus operatiuus, reddens habentem, actumque ipſius bonum: imo eſt regina virtutum omniũ. *Infuſa* per ſe, non acquiſita, nec acquiſibilis viribus naturæ; diuinitus, inquam, *infuſa*, quia licet à Deo ſit producta in anima dependenter ab ea, tanquam ſubiecto ſuſtentante, non tamen propriè eſt educta è potentia illius; nã hæc virtutis infuſio eſt productio virtutis, non contentæ in potentia ſubiecti, nec indè eductæ; ſed eidem neceſſario inexiſtentis, ex eo quòd ſit accidens. Item, *pro immediato obiecto habens Deum*, quatenus ad illum directè, & terminatiuè tendit, illumque immediatè attingit actu ſuo interno: ita vt habeat Deum pro obiecto materiali, & diuinam perfectionem Deo identificatam, pro obiecto formali. V. g. Fides habet Deum, vt primam veritatem reuelantem: Spes Deum, vt ſummum bonum noſtrum: Charitas Deum, vt ſummum bonum ſuum. Vnde virtutes omnes Theologicæ habent idem obiectum materiale, Deum; diſtinctum autem formale; ideoque ſpecie diſtinguntur inter ſe: quia vnitas, & diſtinctio ſpecifica habituum deſumenda eſt ab obiecto formali. *Supernaturaliter cognitum*, id eſt, Deum conſideratum tanquam finem ſupernaturalem, aſſequendum virtutibus Theologicis, tanquam medijs ad hoc directis. Sunt autem tres virtutes Theologicæ iuxta Apoſtolum 1. Corint. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas; tria hæc: maior autem horum eſt Charitas.

§. I.

De Fide.

FIdes eſt virtus Theologica, qua creatus intellectus firmiter aſſentitur omnibus reuelatis à Deo, tanquam prima veritate. *Qua*, tanquam principio eleuante intellectum, & cum eo producente aſſenſum ſupernaturalem. *Creatus intellectus*, Angelicus, & humanus, *firmiter aſſentitur*, nam primæ veritati reuelanti, quæ nec falli, nec fallere poteſt, debetur aſſenſus firmus, abſque vlla oppoſiti formidine. Quæ formido ſi ſit deliberata, ſeu deliberatè miſceatur aſſenſui, deſtruet fidem

dem Theologicam, & relinquet tantum opinionem humanam, ſeu non erit amplius aſſenſus fidei, ſed merè opinatiuus. *Omnibus*, quia ſi diuinitus reuelatorum vni, cum pertinacia diſſentiat intellectus, amittet fidem omnium, quia amittet formalem fidei rationem. Id eſt definet aſſentiri, ideò quia reuelata ſunt à Deo, tanquam prima veritate. Si enim aſſentiretur ijs, ideo quia reuelata ſunt à Deo, etiã aſſentiretur diſcredito, quia & illud, vt ſupponitur, reuelatum eſt. Creditis ergo aſſentitur, diſcredito autem diſſentitur, quia ſic ei placet: & quia ex proprij cerebri perſuaſione iudicat illa eſſe à Deo reuelata, hoc non. *Reuelatis à Deo* interna, vel externa eius locutione, intimatis ſimpliciter, id eſt ſine vlla probatione; & obſcurè, id eſt, ſine euidentia rei, non tamen credibilitatis eius. *Prima veritate*, ſub qua Deus eſt formale obiectum fidei, ſeu ratio credendi, vt potè in quam fit vltima aſſenſus fidei reſolutio.

Secundo magis ſtrictè, ac veluti per ordinem ad ſolum hominem, fides definitur donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo, firmiter aſſentitur omnibus à Deo reuelatis, & nobis per Eccleſiam ad credendum propoſitis; ſiue in ſacris litteris illa ſcripta ſint, ſiue ex ſola traditione diuina habeantur. Dicitur *donum Dei*, ſeu munus diuinum, ſuperans vires naturæ, eique indebitũ, datumque gratuito. *Ac lumen*, ſpirituale, emanans à ſole diuino, quo creatus intellectus illuſtratur, & ad credendum reuelata iuuatur; ſicut lumine corporali oculus illuſtratur, & ad videndum colorata iuuatur. Quo lumine ſpiritnali, tanquam lucerna lucente in caliginoſo loco, id eſt, in intellectu humano, ignorantiæ tenebris obſcurato, vel etiam ob ineuidentiam, & obſcuritatem obiecti materialis fidei, illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus à Deo reuelatis, & nobis ad credendum per Eccleſiam propoſitis; nam Eccleſia, cum ſit columna, & firmamẽtum veritatis, proponit credenda, omnibus communia; illiſque applicat rationem formalem fidei Catholicæ, & vniuerſalis, de qua hic agitur, non de particulari priuatæ perſonæ, cui fit diuina interdum reuelatio. Vltimis denique particulis, ſiue in ſacris litteris illa ſcripta ſint, ſiue ex ſola traditione diuina habeantur, aperiuntur fontes, quibus diuinitus reuelata, & nobis ab Eccleſia propoſita adęquatè continentur.

Tertiò tandem ex Apoſtolo Hebręor. 11. definitur *fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Quorum verborum ſenſus eſt, quod fides ſit habitus infuſus, rebus ſperatis tribuens ſubſiſtentiam in anima credentis; facienſque illius intellectum, authoritate diuina motum, perindè ac demonſtratione, vel argumento claro conuictum, firmiter aſſentiri reuelatis obſcurè, & non apparentibus. Obiectum enim materiale fidei, quatenus fidei eſt, non poteſt eſſe viſum, ſeu ſenſu aliquo exteriori perceptum; neque ſcitum, ſeu euidenter cognitum per demonſtrationem, aut ratiocinationem, procedentem ex primo veris. Itaque in ſenſu cauſali *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, quia res ſperatas, quantumuis futuras, nondumque exiſtentes, exhibet tanquam præſentes, dando illis hypoſtaſim, ſiue ſubſiſtentiam in mente fidelium, qui eas tam certas habent, ac ſi reipſa pręſentes exiſterent. Eſt etiã *argumentum*, ſiue elenchus, oſtenſio, demonſtratio, & conuictio non *apparentium*, non quod ſit formaliter diſcurſiua, ſed quia nixa authoritate diuinæ reuelationis, ſimul cum pio voluntatis affectu, in ſeruitutem redigit omnem intellectum, tamque certo conuincit illum ad aſſentiendum à Deo reuelatis, ac ſi euidenti demonſtratione probarentur.

Ex his habetur, *fidei primum, & maximum officium eſſe, vt in verum credatur Deum*, ex Diuo Auguſtino lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 20. *Accedentem enim ad Deum*

Deum oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Heb. 11. Quocirca materiale obiectum, quod per ſe primo attingitur, ſiue formale, quod, eſt Deus ſub ratione Deitatis, aut eſſentiæ, quatenus tamen cognitionis naturalis vires tranſcendit, hoc eſt vnitas eius relatè ad Trinitatem perſonarum, cum enim exiſtentia vnius Dei euidenter demonſtrari poſſit, illã que plures Philoſophi ita cognouerint, quæ in Symbolo Eccleſiaſtico explicitè, in Symbolo autem Apoſtolico implicitè credenda proponitur exiſtentia vnius Dei, tanquam articulus fidei, debet intelligi de exiſtentia vnius Dei relatè ad Trinitatem perſonarum, ita vt Deus vnus in tribus perſonis ſit principalis articulus noſtræ fidei, hoc pacto ſolo eius lumine attingibilis, cum tam à priori, quam à poſteriori ſit penitus indemonſtrabilis. Rationes ſpecialium attributorum per ſe ſecundario, temporalia multa per accidens, denique generaliter loquendo, quidquid diuino ſubſtat teſtimonio, materialis obiecti latitudine continetur, ſecundum ordinem quem habet ad Deum, vt authorem ſupernaturalem.

Obiectum verò formale quo, ſeu ratio formalis obiecti fidei, non eſt aliquod humanum, aut naturale cognoſcendi medium, ſed prima veritas in dicendo, reuelans. Vt enim ait D. Athanaſius orat. vnum eſſe Chriſtum: *Oportet in ſublimi rationem iſtarum rerum* (ſcilicet fidei) *petere, non humi ex ſanguine, & carne conquirere, ſed ex reuelatione diuina, & cæleſti*. Vnde & Dominus Petro: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cælis. Matth.* 16. Quamuis autem iſta reuelatio in obiecto reuelato nihil intrinſecum reale ponat, ſed extrinſecè ſolùm denominet, ſimul tamen cum prima veritate in dicendo, à qua procedit, integram conſtituit obiecti formalis rationem.

Indeque fidei oritur infallibilitas, ſiquidem mendacium natura ſua planè illicitum, nulla ratione, ne quidem ob vitæ corporalis, aut ſpiritualis totius mundi præſentiſſimum periculum licitè vſurpandum, longiſſimè ab eo diſtat, quem *Impoſsibile eſt mentiri Deum. Hebr.* 6. qui non ſolum non falli, ſed neque etiam fallere poteſt, nec per ſe, nec per alium, neque potentia ordinaria, neque abſoluta: atque adeò quæ à ſumma illa veritate reuelantur, infallibilia planè ſunt, ac veriſſima, nec vllum fidei poteſt ſubeſſe falſum. Quare certè debemus diuinæ authoritati obſequium iſtud, vt intellectum noſtrum ad ea quæ reuelat, licet obſcura, & ineuidentia, propterquod neceſſaria eſt pia ex parte voluntatis affectio, firmiter credenda captiuemus. Neq; parui æſtimandũ eſt Deum occulta ſapientię ſuę certiſſima nobis, quamuis obſcura cognitione communicare voluiſſe. Quamdiu enim ſumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, & per ſpeciem ambulamus, atque in ænigmate diuini teſtimonij, cui vt aſſenſus præbeatur, non ſolum ſub iſta medij ratione oportet obiectum repręſentari obſcurum: verum omnis prorſus, iuxta probabiliorem ſententiam, excludenda eſt à ſubiecto circa idem obiectum euidentia: excepta ea, quæ prouenit ex credibilitate, qua Deus fidem noſtram muniuit.

Propterea obſcura fidei myſteria nõ ſine ratione credunt Chriſtiani. Nam etiam in materia fidei, qui cito credit, cum leuis ſit corde, qui tardè durus, nam teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis; idcircò fidelium nemo credit, quin prius, quod proponitur, fiat euidenter credibile, tanquam à Deo dictum, ac proindè certum, & infallibile: nec non ſufficienter appareat ſecundum rationem naturalem, tale obiectum eſſe credendum, talemque fidem ita alteri cuilibet ſectæ contrariæ præferendam eſſe, vt nulla alia verè credibilis vnquam apparere poſſit. Illæ ergo vocantur fidei notæ, non quibus in ſe euidens fiat; ſed quæ ceu ſigna clariſſi-

tiſsima lumine naturali nota cuilibet veritatem diligenti demonſtrent fidei noſtræ credibilitatem; eiuſque myſterijs, quantumuis ſupernaturalibus, & humanum captum ſuperantibus certiſſimum, & abſque omni formidine de oppoſito aſſenſum deberi, tanquam à Deo reuelatis: contrarias verò opiniones, ſectaſque vniuerſas veritatibus vacuas, falſitatibus eſſe plenas, vt ſuo loco fusè oſtendimus.

Per credere fide diuina non ſolum actus internus ipſius, qui ex auxilio Dei, vt oportet, elicitus, eſt iuſtificationis initium, exprimitur, ſed etiam actus exterior, qui internæ fidei eſt veluti complementum, intelligitur, dicente Apoſtolo, *Corde creditur ad iuſtitiam, & ore confeſſio fit ad ſalutem*, vt nedum actus interior fidei ſit neceſſarius viatori, ſed etiam actum exteriorem habere neceſſe ſit, hinc neque ad tuendam vitam, poteſt quis fidem rectè negare.

Præceptum aſſenſus, internique actus fidei obligat per ſe, quãdo obligatio illius eliciendi oritur directè, & immediatè ex ipſa fide, non aliunde. Idque primò quando prima vice fides proponitur ſufficienter. Secundò. in ſuſceptione Baptiſmi, & quotieſcumque eſt facienda externa fidei profeſſio, quę ſine interno aſſenſu fieri non poteſt. Tertiò aliquoties per vitam; & quidem toties, quoties opus erit ad cauendum ne omiſſio eiuſmodi aſſenſus, cenſeatur interpretatiuè fidei contemptus. Quartò, quando vrget vehemens tentatio contra fidem; ita vt ſit periculum conſenſus, niſi tentatus reſiſtat fortis in fide. Obligat autem idem præceptum per accidens, quando obligatio illius eliciendi oritur, non directè, & immediatè ex fide; ſed ex præcepto alicuius virtutis obligantis, ad cuius exercitium neceſſariò requiritur fidei aſſenſus, ſaltem virtualis. V. g. ex pręcepto pænitentię, orationis, alteriuſue virtutis: item quando vrget vehemens tentatio alia, quam contra fidem, v. g. contra caſtitatem, cui ſuccumbendi eſt periculum, niſi eliciatur actus fidei, qua credatur id eſſe diuinitus prohibitum.

Confeſſio autem fidei, quæ eſt interni eius aſſenſus externa manifeſtatio, obligat per ſe in ſuſceptione Baptiſmi, & quando quis interrogatur de fide, ab authoritate publica, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. Per accidens obligat ratione aliarum virtutum, v. g. obedientię, ſi legitimè imperatur à ſuperiore, in ſuſceptione Epiſcopatus, Paſtoratus, Canonicatus, gradus academici, & ſimilium. Ratione religionis, ſi ex fidelis taciturnitate, honor, & cultus Dei periclitetur. Ratione charitatis, ſi immineat ſcandalum, vel periculum ſalutis proximi. Ratione veracitatis, ſi alias immineat periculum mendacij.

Porro huiuſmodi actus fidei conuenienter diſtinguntur, & numerantur per credere, Deo, credere Deum, & credere in Deum. Primus actus exprimit credere Deo reuelanti, ſcilicet principio, ſecundus inſinuat credere Deum reuelatum, ſeu eſſe vltimum finem ſupernaturalem noſtrum; tertius oſtendit veluti imperium fidei per applicationem cuiuſcumque affectionis voluntatis in Deum, vel ordinando ex charitate omnia ad ipſum tanquam ad vltimum finem; qui actus iure in ſymbolo tanquam alios ſupponens, & magis perfectus exprimitur.

Cum fides tàm ſine, quàm cum charitate, vel gratia eſſe poſſit, ſolet diuidi in formatam, & informem, viuam, & mortuam, fides formata eſt fides gratia habituali, & charitate informata, tanquam ſui forma extrinſeca; habens illas ſibi iunctas in eadem anima. Fides informis eſt fides illis deſtituta. Fides viua eſt fides, quæ per charitatem operatur Galat. 5. ſiue eſt ea, quæ producit opera viua, & æternæ vitæ meritoria. Fides autem mortua eſt fides operibus charitatis deſtituta. Nam vt ait D. Iacobus cap. 2. Fides ſi non ha-

beat opera charitatis mortua eſt in ſemetipſa. Sicut enim corpus ſine ſpiritu, mortuum eſt; ita & fides ſine operibus, à charitate protectis mortua eſt.

Virtuti fidei correſpondent duo Spiritus Sancti Dona, nimirum Intellectus, & Scientiæ. Donum intellectus reddit intellectum facile mobilem à Spiritu Sancto, ad aſſentiendum firmiter ſecundum regulas ſuperiores, primis veritatibus diuinitatis; quæ sũt quaſi prima principia credendorum, de quibus egimus tom. 1. lib. 2. ſect. 3. Donum ſcientiæ reddit intellectum facile mobilem à Spiritu Sancto, ad aſſentiendum alijs veritatibus credendis per cauſas inferiores, quaſi concluſionibus, ſecundum quod inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, & creditu digna iudicantur. Dono intellectus correſpondet ſexta beatitudo; *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; Dono autem ſcientiæ correſpondet tertia beatitudo: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Ex fructibus autem Spiritus Sancti correſpondet Dono intellectus ille, quem Apoſtolus vocat fidem, conſiſtens in ſpeciali quadam certitudine de reuelatis à Deo per hoc donum habita, quæ perficit aſſenſum virtutis fidei.

Dicente Apoſtolo, *Sine Fide impoſſibile eſſe placere Deo Hebr.* 11. Inter omnia hominis negotia primi momẽti eſſe debet diuina fides; nam vt ait D. Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Domini, *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, & diligendo perficitur*; & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. & 8. vocatur, *Humana ſalutis initiũ, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua nulli vnquam contigit*. Vndè non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medij, & mediorum omniũ primi, æternę ſaluti conſequendæ neceſſaria eſt, non tamen ſufficiens, vt ſuo loco oſtendimus contra hæreticos 2. p. tom. 5.

Quantum ad vitia fidei oppoſita, aliqua directè opponuntur ipſi fidei, eiuſque actui interiori; aliqua ſpecialiter actui eius exteriori, ſcilicet confeſſioni fidei; aliqua denique donis fidei correſpondentibus. Fidei ſecundum ſe opponitur infidelitas non quidem purè negatiua, qualis inuenitur in his, qui nihil prorſus audierunt de fide, ſic enim potius eſt pæna, quam culpa, ſed infidelitas priuatiua, quæ non acquieſcit fidei cognitæ, & ſufficienter propoſitę, & diuiditur in tria genera, ſcilicet in Paganiſmum, Iudaiſmum, & hæreſim, ſub qua multi poſſunt errores contineri iuxta ſpeciales fidei veritates, quas hęretici negant, admiſſis alijs; nam ſi omnes negant, dicitur Apoſtaſia, quæ idcirco ſolet definiri receſſio à Chriſtianiſmo, totaque Fide Catholica; per acceptionem Iudaiſmi, atheiſmi, turciſmi, paganiſmi. Hæreſis autem, pertinax error in fide, ſiue, hominis Chriſtianiſmum profitentis erronea aſſertio pertinax contra aliquod dogma fidei. Vbi per particulam, *Chriſtianiſmum profitentis* excluditur error illius, qui per apoſtaſiam deſeruit Chriſtianiſmum, & includitur error non modo baptizati, ſed etiam Catechumeni, & illius, qui ex paganiſmo, aut iudaiſmo immediatè tranſit ad hęreticos, non baptizantes, ſaltem validè; dicitur *erronea*, quia hæreſis eſt error in fide. *Aſſertio*, quia furtum, homicidium ſimileue factum contra fidei veritatem non eſt hęreſis; niſi quis ſimul aſſerat illa non eſſe peccata. *Pertinax*, & obſtinata, nam ſi ſit præparatio animi ad mutandam ſententiam, eamque ſubiiciendam iudicio Eccleſiæ, non eſt hæreſis. *Contra aliquod dogma fidei*, nam error in alia materia, quam fidei, non eſt hæreſis; & ſi foret contra omnia dogmata eſſet Apoſtaſia. Quare pertinacia hæreſis propria nihil eſt aliud, quam obſtinata perſiſtentia in ſententia contra fidem, poſt ſufficientem veritatis manifeſtationem.

At verò confeſſioni fidei, quæ eſt eius

eius actus exterior opponitur blaſphemia oris, quæ eſt contumelioſa in Deum locutio externa per internæ mentis expreſſionem. Quæ triplex eſt, vna in Patrem, alia in Filium, tertia in Spiritum Sanctum; pro ratione trium ſpecialium attributorum diuinorum; ſcilicet omnipotentiæ, quæ attribuitur Patri; Sapientiæ, quæ filio; bonitatis, quæ Spiritui Sancto. Pro ratione etiã trium imperfectionum, præfatis attributis oppoſitarum. Vnde blaſphemia in Patrem, eſt contumelioſa in Deum locutio, ex paſſione, impotentiaque animi, minuente libertatem; blaſphemia in filium, eſt contumelioſa in Deũ locutio ex ignorantia, minuente etiam voluntarium, grauitatemque offenſæ: Qualis fuit D. Pauli, qui ignorans blaſphemus fuit 1. Timoth. 1. blaſphemia in Spiritum Sanctum eſt contumelioſa in Deum locutio, ex malitia abſq; ignorantia, paſſioneque antecedente. Imo particulariter blaſphemia in Spiritum Sanctum, dicitur illud peccatũ, quo homo directè ponit obſtaculum remiſſioni peccatorum, ſeu remouet ea, per quæ Spiritus Sanctus, cui appropriatur peccatorum remiſsio, ratione bonitatis eidem attributæ, impedit in nobis eorum electionem. Et eſt ſextuplex, ſcilicet, deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio cordis, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ. Ex quibus ſola impœnitentia finalis eſt ſimpliciter irremiſſibilis, tàm in hoc ſæculo, quã in futuro, alia verò dicuntur irremiſſibilia propter ſpecialem difficultatem remiſſionis, quatenus huiuſmodi peccata ex ſpecie ſua afferunt impedimẽtum, & repulſionem remedij contra peccata, eo modo, quo aliqui morbi dicuntur incurabiles, licet totam hanc reſiſtentiam poſſit vincere virtus infinita Spiritus Sancti.

Demum donis fidei correſpondentibus, ſcilicet ſcientiæ, & intellectui opponuntur tria peccata, nam ſcientię opponitur ignorantia voluntaria; dono autem intellectus opponitur cæcitas, & hebetudo mentis, quæ pertinent ad priuationem luminis ſpiritualis, quæ priuatio aliquando eſt ſolum pœna peccati, vt cum dicitur Sap. 2. *Excęcauit eos malitia*, vbi ponitur malitia cauſa cęcitatis; aliquando verò eſt voluntaria derelictio luminis intellectualis, vt cum dicitur Pſalm. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Aut cum ex nimia concupiſcentia temporalium, ſeu carnalium inhabilitatur quis ad non intelligendum, vt cum dicitur Pſal. 57. *Supercecidit ignis*, hoc eſt inordinata concupiſcentia, *& non viderunt ſolem*, id eſt lumen ſpirituale. Cæcitas autem ex luxuria, hebetudo verò ex gula potiſſimum oriuntur.

Quantum ad fidei praxim, præcipuoſque actus, quibus excoli, & perfici debet, ſuperarique omnia peccata, & vitia, etiam minima, eidem oppoſita, quod maximè ſpectat ad præſens inſtitutum, & ad quod iam fidei neceſſe fuit, & erit cæterarum deinceps virtutum naturam eodem modo breuiter explicare: Primùm ex parte obiecti materialis, qui frequentius exerceri debent actus fidei, ſunt verſantes circa præcipua eius myſteria in Symbolo Apoſtolico, & Eccleſiaſtico contenta, ſæpius illud repetendo. Quod tres ſint Sanctiſſimæ Trinitatis in vna diuinitate perſonæ. Quod ſecunda, diuinum ſcilicet verbum, in plenitudine temporis, caro factum ſit, Chriſtus dictum, verus Deus, veruſque homo, ſed vna duntaxat perſona; realiter exiſtens in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Et ſic de alijs fidei veritatibus. Non ſolum autem, qui verſantur circa illas, ſunt actus fidei, verum etiam quicquid boni cogitatur, dicitur, aut efficitur, ad quamcumque virtutem ſpectet, ſi fiat eo animo, vt fides firmetur, & augeatur, prę ſertim ſi quis deliberet, illum actum exercere, quaſi profeſſionem fidei, erit quoque huius virtutis actus.

2. Attento obiecto formali fidei, ſeu

ſeu motiuo, quo credimus, cum ſit prima veritas obſcurè reuelans, ſeu reuelatio diuina obſcura; tanto perfectiores ſunt actus fidei, quo ſecluſa ratione humana, & curioſitate, nec nō alio quocumque lumine etiam ſupernaturali diuinarum reuelationum, æque tamen certo, ac firmiter credimus res fidei, ac ſi eas oculis cerneremus, & multo magis adhuc, quia Dei licet obſcurè reuelantis, qui nec falli, nec fallere poteſt authoritate nituntur.

Et in hoc potiſſimum conſiſtit excellentia heroica, ſeu heroicitas fidei, vt nullam velit admittere credendorum experientiam, qua ſolet roborari, & augeri. Taliſque fuit in veteri teſtamento Geneſ. 12. fides Patriarchæ Abrahæ, cum iuſſus eſt mactare filium, per quem propagandam ſobolem, ad ſimilitudinem ſtellarum innumerabilium, promiſſum ei fuerat à Deo. Vndè præ ceteris vocatus eſt pater fidei ſummus. Sed & in nouo teſtamento innumera habentur eiuſdem fidei exēpla. De Sancto præſertim Ludouico Galliarum Rege Chriſtianiſſimo legitur, quod, apparente in Hoſtia Sacerdotis celebrantis Chriſto, cum rogaretur, vt etiam cum cæteris ad tale ſpectaculum accurreret, heroice reſpōdit, ſe tali ad credendum probatione minimè indigere. Item cum ad eumdem moribundum delatum eſſet Sanctiſsimum Sacramentum, peteretque Sacerdos de more, num crederet ibi eſſe Filium Dei? reſpondit, id apud ſe minus habere dubij, quam ſi videret illum in ea forma, qua aſcendit cœlos. Simile quid narratur apud Surium tomo 6. de S: Vgone Lincolnienſi, qui ante trecentos annos virtutibus paſtoralibus ornatiſſimus apud Anglos floruit. Vbi videri poteſt, nec non plura alia exempla in actis Sanctorum.

Et ſi igitur diuinæ reuelationes minimè contemnendæ ſint, quamuis examinandæ diligenter; ad fidei tamen heroicitatem pertinet, eas ſponte reijcere, etiam oblatas, & præſentes, ſuāque præferre obſcuritatem in præſenti ſtatu, cuicumque euidenti notitiæ, propter diuinam authoritatem reuelantem. Vt enim præclarè ait Tertullianus lib. de præſcript. *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cum credimus nihil deſideramus vltra credere, hoc enim prius credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus.* Item Chryſoſtomus homil. 8. in Matth. conſiderans heroicam Magorum fidem, ait, *hoc eſſe ipſius inſigne, vt abſque controuerſia vlla obediatur imperanti, nec vlla ratio expoſcatur imperij.* Et Diuus Gregorius homil. 26. in Euangelia; *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Sanctus deinum Bernardus epiſt. 109. *Quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari tranſcendere? & quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non poſſis ratione attingere.*

3. Actus fidei, ex parte proponentis conſideratus, exerceri debet, firmiſſimè credendo, vera eſſe omnia, quæ credit, & credenda proponit Sancta Mater Eccleſia, iudicio eius potius ſtando, quam ſuo, aut cuiuſquam alterius vel alioquin ſapientiſſimi hominis, aut etiam academiæ doctiſſimæ.

4. Actus fidei, ex parte motiuorum credibilitatis eius, exercendus eſt, ea attentè conſiderando, & ponderando, non vt propter illa credatur, ſic enim eſſet fides humana potius, quam diuina, ſed iudicetur de eorum conuenientia, iiſque fieri euidenter credibile, quod myſteria fidei noſtræ ſint diuinitus reuelata, dignaque proinde, quæ, licet in ſe ſint ineuidentia, certo tamen, ac firmiter credantur. Vt fusè oſtendimus 1. p. tom. 5. lib. 4. ſect. 2. Hocque iudicium maximè ſpectat ad ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti, fidei propterea correſpondens; vt dicetur infra agendo de illo.

5. Quia præter internos fidei actus, dantur etiam externi iuxta illud Apoſtoli Roman. 10. *Corde creditur ad iu-*

ſtitiam

ſitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutē. Præcipui ſunt 1. Auerſari conſuetudinem hæreticorum, horrere conſpectū, & libros; quod quam in more poſitum apud antiquos Chriſtianos, ſolemneq; illis fuerit, patet innumeris exemplis in Eccleſiaſtica hiſtoria obuijs. 2. Tradere fidei doctrinam alijs, eos cathechizando; vndè S. Thomas 2.2. qu. 9. art. 1. docet, donum ſcientiæ, quod inter gratias gratis datas ponitur ab Apoſtolo 1. Corinth. 12. eſſe circa credenda, per quod homo non ſolum ſciat quid credi debeat, ſed etiam ſciat fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere. Quod etſi maximè competat illis, qui ex officij ſui, & vocationis legibus ſaluti aliorum curam habent; vbi tamen neceſſitas exigit, id pro modulo ſuo præſtare quicumque verus fidelis ſaltem ex charitate tenetur. 3. Confiteri fidem, idque neceſſario, quando per dimiſſionem huius confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impēdenda: vt ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & inde crederetur, vel quod non haberet fidem; vel quod fides nō eſſet vera; vel alij per eius ſilentium auerterentur à fide. In huiuſmodi enim caſibus cōfeſſio fidei eſt de neceſsitate ſalutis, etiam cum vitæ diſcrimine, qua hominem teneri vult Dominus cum ait Matth. 10. *Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Cui præcepto Sancti quique præſertim Martyres, cum res poſtulauit, promptè pleneque ſatisfecerunt, & etiam plures eorum, conſilia perfectionis, Sanctique Spiritus inſtinctum ſecuti, quod pertinet ad heroicam fidei confeſsionem, ſe ſe tyrannis extra neceſsitatis occaſiones prodiderunt: cumque fuga, muneribus, officijs, armis, ſaluti ſuę facile, & ſine vllius ſcādalo conſulere poſſent, maluerunt tamen fidei amore torqueri, cruciari mortemque ipſam oppetere. Vt conſtat ex eorum actis. 5. Ad externam quoque fidei confeſsionem ſpectant plura à Sanctis hominibus patrata miracula. Quamuis enim fides, quæ appellatur miraculorum, ſeu operatio virtutum, poniturque ab Apoſtolo in numero gratiarum gratis datarum, ſit effectrix miraculorum, quę à Deo, & ſanctis, vt eius inſtrumentis fiunt, poſſunt tamen adhuc in fidem tanquam in cauſam referri. *Si habuero*, inquit Apoſtolus, *omnem fidem, ita vt montes transferram* &c. 1. Corinth. 13. nimirum quia vt ait S. Thomas 2.2. quæſt. 178. art. 2. ad 5. ordinantur illa ad fidei confirmationem, & procedunt ex Dei omnipotentia, cui fides innititur. Rectè tamen obſeruat D. Chryſoſtomus homil. 32. in 1. ad Corinthios, Chriſtum Dominum, tanquam minimam fidei partem poſuiſſe montes transferre: comparauit enim grano ſynapis, quod eſt minimum.

6. Tandem, & vltimo, ex dictis ſic efformari poteſt actus fidei vndequaque perfectus. Veraciſsime Domine ex nunc, & ſemper firmiſsime credo vera eſſe omnia, quæcumque tu, qui prima veritas es, dixiſti, reuelaſti, & propoſuiſti credenda, mediante Sancta Eccleſia; cumque ita volueris captiuari intellectum noſtrum in obſequium fidei, vt etiam rationabile eſſet, proptereaque illam tot ac tantis munire volueris credibilitatis argumentis, ac ſignis, quibus teſtimonia tua credibilia fierent nimis; profiteor illa omnia eſſe conuenientiſsima, ſeu digna, quibus omnes noſtræ fidei veritates diuinitus à te reuelatæ fuiſſe, quam prudentiſsimè exiſtimentur. Quod nedum corde coram te, ſed & ore coram hominibus conſtantiſsime confiteor; cuperemque vniuerſum de tua fide mundum inſtruere, ſi ita mihi poſsibile eſſet, omneſque ad illam conuerti infideles; ſummopere dolens, quod te non credant, proptereaque enixe te rogans, vt ſanctum iſtud fidei lumen in fidelibus augere,

augere, in infidelibus autem accendere digneris, vt confiteantur tibi populi omnes; omniſque terra adoret te,& pſallat tibi. Cui tandem offero, ſi opus fuerit, vitam, & ſanguinem pro eiuſdem fidei tuę veritate,& confeſſione; atque vtinam tibi placeret dare mihi gratiam martyrij nedum ſemel, ſed & millies pro eadem ſubeundi.

§. II.

De Spe.

CVm ſpes multipliciter accipi poſſit, nimirum pro habitu, actu, obiecto; item pro eo, à quo bonum ſperatur, tanquam principali authore, Deo; vel merente, Chriſto; vel impetrante, B. Maria, tum omnibus Sanctis; Spes pro habitu ſumpta definitur, quod ſit virtus Theologica, qua beatitudinis æternæ, per ordinata media aſſequendæ fiducia habetur. Dicitur *virtus*, quia reddit habentem, actumque ipſius bonum. *Theologica* non ſolum quia à Deo infuſa, verum etiam pro immediato obiecto habet Deum, vt ſummum bonum noſtrum, cuius poſſeſſione beandi ſumus. *Qua*, tanquam principio ſupernaturali, elicitiuo operationis, eleuante voluntatem ad actum ſupernaturalem. *Beatitudinis æternæ* obiectiuæ, ſiue Dei, vltimi finis noſtri poſsidendi per beatitudinem formalem, quæ eſt, aut viſio beatifica, aut amor beatificus, aut vtrumque ſimul iuxta diuerſitatem opinionum. *Per ordinata à Deo media aſſequendæ*: nam hæc ſpes Theologica includit deſiderium efficax finis vltimi, per media aſſequendi. *fiducia habetur*, quæ nihil eſt aliud, quam promptitudo, vel actus voluntatis, expeditæ à diffidentia, torpore, alioue impedimento, ortæ ex perſuaſione aſſequendi boni, & ſuperandi mali: ex perſuaſione, inquam, intellectus, vincendi difficultates omnes in adipiſcendo bono arduo, & ſimili malo vitando.

Secundò definiri adhuc ſolet ſpes Theologica, virtus diuinitus infuſa, per quam certa cum fiducia, noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona expectantur. Dicitur *diuinitus infuſa* per ſe, quia non eſt acquiſibilis viribus naturæ; nec poteſt aliter haberi, quam à Deo, eam animæ infundente, tanquam principium elicitiuum operationis ſupernaturalis; quo *certa cum fiducia*, certitudine non fidei, neque abſoluta, ſed morali, excludente hæſitantiam, & fluctuationem inordinatam. Eſt autem Spei Theologicæ fiducia, certa ex tribus capitibus. Primò ex obiecto,quod eſt infallibile, & certiſſimum. Secundò ex modo tendendi in illud: ſi quidem ſpes inclinat, & dirigit voluntatem in rem ſperatam, non hæſitanter,diffidentèr,& formidoloſè,ſed promptè,confidenter, & certo. Sicut enim nauis fũdatur, & ſtabilitur per anchoram; ita & ſperantis animus per ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam Heb. 6. Tertiò ex ſuppoſita fide diuinæ omnipotentię, miſericordię, promiſsionis, veracitatis, & auxilij: quod iuramento pollicitus eſt nobis Deus, ad aſſequendas res ſperatas. vti vrget Apoſtolus Hebr.6. & 11. affirmans, quod *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*. Vndè quod fidelis credit in communi per fidem; id ipſum in particulari ſibi applicat ſperans, per fiduciam. Itaque certa cum fiducia expedita promptitudine voluntatis, *Noſtræ ſalutis* bona expectantur; ſcilicet gratia diuina actualis, & habitualis, Sacramenta, merita,perſeuerantia, omniaque adipiſcenda beatitudinis media; quæ ſunt ſecundarium ſpei obiectum. *Et æternæ vitæ* bona, beatitudinis cęleſtis. Hæc enim beatitudo obiectiua, ſiue Deus, vt ſummum bonum noſtrum, cuius poſſeſsione beandi ſumus, eſt primarium ſpei obiectum. *Expectantur*, iſta ſalutis noſtrę, vitæque æternæ bona non ex proprijs viribus; ſed ex auxilio diuino obuentura ſpectantur. Nam expectare eſt

futurum

futurum quid, ex alio obuenturum ſpectare. Vndè non omnis ſpes eſt expectatio; ſed tantum illa, quæ eſt boni, alterius auxilio obueaturi. Illa autem, quæ eſt boni, proprijs viribus conſequendi, non eſt propriè expectatio.

Ex dictis habetur, quod ſpei Theologicæ obiectum materiale primarium, ſit beatitudo obiectiua: id eſt, Deus viſione beatifica poſſidendus, & fruendus. Secundarium autem obiectum eſt omne medium comparandæ beatitudinis; quod vt tale ſperatur propter bonitatem finis. Loquendo autem de obiecto formali quo, ſeu ſpecificatiuo, & per quod diſtinguitur ab alijs virtutibus, eſt Deus ſub ratione ſummi boni ardui, ſumendo ly arduum, non ſolum paſſiuè pro eo quod eſt valdè excellens in ſe, ſed etiam actiuè pro eo quod eſt vincens difficultatem, & arduitatem, quod eſt Deus vt auxilians. Vndè eſt virtus vndequaque Theologica, ſubſequens ad fidem, præcedens autem charitatem ordine generationis, non perfectionis. Item fertur in Deum amore concupiſcentiæ; eique afficitur in commodum proprium; idque ex ordinatiſſimo Dei inſtituto, quo ſe nobis propoſuit tanquam ſummum bonum noſtrum, vltimumque finem. Itaque per ſpem non referimus Deum ad nos, tanquam finem; ſed illum nobis appetimus, tanquam noſtrũ ſummum bonum, & vltimum finem. Et conſequenter illius adeptionem, viſionem, fruitionemque beatificam, nos noſtraque omnia referimus ad ipſum: quia vltimi finis gratia, cætera omnia fiunt: ſique ita non referremus, peccaremus.

Quantum ad ſubiectum quo ſpei, eſt voluntas, vt eminenter iraſcibilis, & reſpiciens bonum arduum. Subiectum verò quod ſunt ſoli viatores, in quibus certitudinem habet ſecuritatis ex parte auxilij diuini, non certitudinem euentus futuri ex parte ſubiecti ſperantis. Non inuenitur ergo neque in beatis, neque in damnatis.

Spes ſicut & fides in viuam, ſeu formatam, & informem, ſeu mortuam. Spes viua, ſeu formata, eſt ſpes animata, & informata gratia habituali, & charitate; informis verò ſeu mortua, quæ illa deſtituitur; quæque licet ſit vera virtus, quia eſt habitus inclinans ad actum honeſtum, ſub ratione honeſti; & formaliter eſt principium actus moraliter boni, non eſt tamen perfecta virtus, quia habentem non coniungit vltimo fini.

Donum Spiritus Sancti ſpei correſpondens eſt donum timoris, qui propriè eſt timor filialis, diſtinguiturque à mundano, & ſeruili, à priori, vt ſibi contrario, quia timor mundanus, vel ſeruiliter ſeruilis eſt malus, vt potè timens perdere res mundanas etiam contra Deum; à poſteriori autem, vt ab imperfecto, quia timor ſeruilis timet perdere Deum propter pœnam, timor autem filialis propter ſeipſum, & propter culpam. Et in hoc timore filiali etiam dantur diuerſi gradus, quia timor initialis, & adhuc imperfectus, qualis eſt in Incipientibus, timet magis ipſum malum, quod eſt culpa, & aliquid etiam habet adiunctum de timore pœnæ. Perfectus autem timor filialis, non tam timet ipſum malum, directè ſiue culpæ, ſiue pœnæ, quam ipſum Deum reueretur vt omnipotentem, non vt præcisè potentem benefacere, ſed vt potentem etiam malum infligere, ſaltem annihilationis, & deſtructionis: & ſic generat in animo motum quemdam contractiuum ſui, & reſilientem in propriam paruitatem, ſicque reſpicit bonum diuinum, non vt proſequibile, ſed vt refugibile cum connotatione mali poſſibilis in obliquo.

Virtute ſpei duo opponuntur vitia, ſcilicet deſperatio per defectum, quia deſtruit in bono ſperato rationem futuri, vel poſſibilis, ideoque aſſequi deſperat. Præſumptio autem per exceſſum, deſtruendo rationem ardui, quia

quia exiſtimat de facili poſſe conſequi tale bonum, v. g. ſine meritis, aut alijs medijs requiſitis. Vndè deſperatio Spei Theologicæ oppoſita, ſolet definiri, quod ſit diffidentia beatitudinis per media aſſequendæ, ſiue aſſequendi beatitudinem, mediaue ad illam. Quare duplex eſt deſperatio: vna eſt diffidentia verſans circa ipſam beatitudinem: alia circa media neceſſaria ad illius conſecutionem; hæc autem diffidentia eſt animi deſponſio, orta ex perſuaſione impoſsibilitatis aſſequendi boni, maliue vitandi. Quia Deus eſt ſpei Theologicæ obiectum, ſic tendentia in illud non poteſt eſſe exceſsiua, neque poteſt quis nimis ſperare in Deo, ſed tantum modus tendendi in Deum poteſt eſſe exceſsiuus, quia ſcilicet per media inordinata. Et ita ſpei per exceſſum opponitur præſumptio, quæ nihil eſt aliud, quam temeraria expectatio beatitudinis, mediorumue illius. *Temeraria*, id eſt futilis, inconſulta, maleque fundata, ex duobus capitibus præcipuè, ſcilicet nimis innitendo propriis viribus, vel innitendo inordinatè diuinæ miſericordiæ, & potentiæ.

Præceptum ſpei obligat per ſe, quando neceſsitas eliciendi actus ſpei, oritur directè, & immediatè, ex ipſius præcepto, non aliundè. Vti quando quis initio vſus rationis, vel prædicationis fidei, ſufficientèr illuminatur circa ſupernaturalem beatitudinem. Item quando vrget periculoſa tentatio contra ſpem: & per vitam toties, vt moraliter loquendo omiſsio actus ſpei, non reputetur eſſe interpretatiuus contemptus ſummi boni noſtri. Obligat verò per accidens, quando neceſsitas eliciendi actus ſpei non prouenit immediatè, & directè ex ipſo præcepto ſpei, ſed aliundè: ſcilicet ex præcepto alterius virtutis obligantis, ad cuius exercitium eſt neceſſarius ſpei actus, ſaltem virtualis. V. g. ex præcepto contritionis, orationis; Item quando vrget vehemens tentatio, alia quam contra ſpem, cui ſuccumbendi euidens eſt periculum, niſi eliciatur actus ſpei, ad illam vincendam.

Nunc quod attinet ad huius virtutis praxim, aut actus. 1. cum dimanet à gratia ſanctificante, vt perficiat voluntatem, erigendo illam ad firmam æternæ felicitatis expectationem; poſtquam enim intellectus fidei lumine perfuſus, ſempiterni boni magnitudinem voluntati propoſuit: ſtatim ſe illa per ſpem diuinam erigit, confidens, eo ſe peruenturam: indè liquet, primarium eius obiectum materiale, eſſe beatitudinem æternam adæquatè ſumptam, vt ſcilicet includit tam beatitudinem obiectiuam, quam formalem; ita tamen quod obiectiua beatitudo, quæ eſt ipſemet Deus poſsidendus, importetur in recto; beatitudo verò formalis, quæ eſt futura ſperantis adeptio, & poſſeſſio Dei, importetur ſolum in obliquo; attento huiuſmodi obiecto materiali, exercitatio ſpei Theologicæ potiſsimum conſiſtit in certiſsima, quia fide nititur, & promiſsione eius, qui non mentitur Deus, vitæ æternæ expectatione, cæteris omnibus contemptis, quæ ad illam non conducunt. Iuxta illud Apoſtoli Tit. 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.*

2. Cum eiuſdem virtutis obiectũ formale quo, ſeu ratio formalis, & motiua, ſub qua ad beatitudinem tendit, ſit auxilium diuinæ bonitatis, & pietatis, ſiue bonitas, ac potentia Dei infinita, auxilia gratiæ ſubminiſtrans; tum Chriſti Domini Saluatoris noſtri merita; Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum interceſsio; ac demum exiguæ illæ, & permodicæ, quibus, diuina opitulante gratia, defungimur, actiones bonæ; ſiquidem ſpes, quæ ſine illis ſola Dei miſericordia nititur, in præſumptionem degenerat; his, inquam, omnibus ad obiectum formale quo, ſeu rationem formalem ſub qua ſpei ſuo modo concurrentibus, multiplices quoque ex hac

parte

parte ſunt eius actus. *Primus* eſt, in ſolo Deo tanquam in cauſa primaria ſpem noſtræ ſalutis defigere, dicendo cum Regio Propheta Pſal. 64. *Quoniã tu es Domine ſpes mea. Secundus* in Chriſto Domino, tanquam in cauſa principali meritoria; tanta enim ſunt merita, quæ Patri ſuo pro nobis obtulit, quæque acceptauit ipſe, & quorum nomine, atque intuitu ad impertienda nobis ſalutis conſequendæ adminicula obſtrinxit, vt non ſolùm eius bonitate, & potentia ſpes noſtra fulciatur, verum etiam iuſtitia, ac fidelitate. Vnde etiam ortum habet firmitas ſpei; vt enim rectè ait Guillelmus Parisienſis lib. de moribus cap. 3. *In Dei logica nullum argumentum validius ad bene ſyllogizandum, atque probandum, quam mors vnigeniti filij Dei, nullum ad deſtruendum haſitationem adeo efficax, & validum, cum non ſolùm inferatur, ſed etiam conferatur ſecuritas de omnibus Dei beneficijs per huiuſmodi meritum.* Atque hæc eſt cauſa cur ab Apoſtolo non ſolùm mediator nominetur Chriſtus, ſed ſpes noſtra, 1. Timoth. 1. non ſolùm quà Deus, ſed quà Deus homo, atque adeò cauſa meritoria; per quam, vt ait Apoſtolus Roman. 6. *Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habemus fructum noſtrum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam. Tertiò* demum exerceri poteſt ſpes, collocando etiam illam in Angelorum, Sanctorumque hominum, qui vel apud Deum iam feliciter viuunt, vel adhuc nobiſcum in terris ſuperſtites ſunt, orationibus, & interceſſionibus, Beatiſsimæ Virginis, Deique Matris in primis. Et ſi enim ſolus Chriſtus ſit cauſa meritoria noſtræ ſalutis abſolutè, ſi quidem non eſt nobis aliud nomen ſub cælo datum, per quod ſalui fiamus; nihilominus non excludit, quin ad Beatiſſimam Virginem, Sanctoſque omnes confugere poſſimus, vt fusè oſtendimus cõtra hæreticos 2. p. tr. 5. lib. 4. ſect. 11. Orationes enim eorum non ſunt in Deum, aut Chriſtum iniuriæ, ſed diuinæ potius prouidentiæ ſeruiunt; nec ad eas recurrentes nos à Dei cura, & Chriſti ſubtrahimus, ſed committimus, cum nonniſi ab eorum amicis opem petamus, eaque non nitamur, aut vtamur, niſi quatenus eam ipſemet Deus ſuæ prouidentiæ, diuinæque ſpei famulari voluit. Propterea que Beatiſſima Virgo, & Sancti nonnunquam ab Eccleſia, & Patribus vocantur ſpes noſtra, ſecundariò ſcilicet, & modo ab eo, quo Chriſtus eſt ſpes noſtra, in infinitum diſtante.

3. Quoniam Deus non vult nos æternam expectare beatitudinem, quin etiam appetamus ea, ſine quibus ipſa obtineri non poteſt; aut illam ſperare, non ſperatis ijs, quorum adeptione beata via conſequenda eſt: quęque ſunt ſecundarium ſpei obiectum, vt remiſſio peccatorum, Dei gratia, & amicitia habitualis, tum actualis progrediendi, & perſeuerandi in perfectione, ad quã Deus nos vocauit; multipliciter quoque circa hæc virtus ſpei exerceri; ſeu eius actus elici poſſunt. *Primo* circa peccata, ſperando quod ea tametſi grauiſſima nobis remittet, & condonabit: etiamſi ad horas ſingulas in illa laberemur; imo quis ſolus peccatorum omnium, quæ ab ineunte mundo perpetrata fuere, reus eſſet; quotieſcunque ad eum humiliter per veram confugerimus pœnitentiam. Quoniam cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicis, maximè verò magna in Chriſtum crucifixum ſpe. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Ad Titum 2. Quamobrem qui deſperant peccatores, vt accidit Caimo, Iudæ, & alijs, multò grauius apud Deum offendunt, deſperatione obdurati, quam ob ea ſcelera propter quæ ſibi deſperandum ipſi cenſent. Sicut ex aduerſo plura ſpei heroicę exẽpla habemus in nocentiſſimis hominibus, & fœminis, qui in diuina miſericordia firmiter confidentes, in ſanctiſſimos heroas conuerſi ſunt. Talis inter viros Paulus fuit, Apoſtolus ex blaſphemo

phemo, & perſecutore Eccleſiæ Dei. Talis Maria Magdalena inter fœminas Chriſto longè chariſſima diſcipula, ex ea, quæ fuerat in ciuitate peccatrix ſeptem habens dæmonia. *Secundo* non minus fidenter ſperari poteſt, quod is ipſe, qui cum inimici eius eſſemus, nos ſibi per ſanguinem filij ſui reconciliauit, conceſſurus quoque nobis ſit per eiuſdem merita gratiam bene viuendi, ac finaliter perſeuerandi.

4. Vt contra deſperationem per defectum ſpei oppoſitam, cum ſit diffidentia aſſequendi beatitudinem, mediave ad illam, exercendi ſunt præfati eius actus, per quos certa cum fiducia vtrumque expectemus: ita aduerſus præſumptionem per exceſſum eidem ſpei oppoſitam, non quidem vt in ſuũ tendit obiectum, cum enim ſit Deus æternaliter poſſidendus, & fruendus, tẽdentia in illum non poteſt eſſe exceſſiua, neque poteſt quis nimis ſperare in Deo, ſed quo ad modum tendendi in illum, ideoque definitur temeraria expectatio beatitudinis, mediorumve illius, ſcilicet innitendo nimis proprijs viribus: vel innitendo inordinatè diuinæ miſericordiæ, aut bonitati, & potentiæ, ſine bonorum operum adminiculo, contra, inquam, huiuſmodi præſumptionem exerceri debent illi actus ſpei, quibus firmiſsimè ſperemus, nos tandem ex auxilio Dei, & bonis operibus gratia eius præſtitis, gloria ſempiterna fruituros.

5. Quia ſperare eſt boni ardui obtinendi fiduciam habere; hæcque arduitas ſine dubio nõ deeſt in obiecto ſpei Theologicæ, dicente Domino, Regnũ cælorum vim pati, & violentos illud rapere, inde etiam magna conſurgit materia exercendi eius actus. Primò contemnendo omnia bona terrena in ſpem vitæ æternæ; vt enim ait Diuus Auguſtinus ſerm.29. de verbis Domini. *Spes nos hortatur, vt præſentia contemnamus, futura expectemus, ea quæ retro ſunt obliuiſcentes cum Apoſtolo in anteriora extendamur. Sic enim dicit Philipp. 3. Vnum autem quæ retrò oblitus, in ea quæ ante ſunt extentus, ſecundum intentionem ſequor, ad palmam ſupernę vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Nihil enim tam inimicum ſpei, quam retro reſpicere, id eſt, in eis rebus, quæ præterlabuntur, & tranſeunt, ſpem ponere: ſed in his, quæ nondum data ſunt, ſed danda quandocunque, & quæ nunquam tranſibunt, nos ſperare. Retro reſpexit vxor Loth, & vbi reſpexit, ibi permanſit; in ſalem conuerſa eſt, vt prudentes condiret exemplo.* Secundò, nedum patienter, ſed & cum gaudio, animique iucunditate, labores, ac paſsiones tolerando; iuxta illud Apoſtoli Roman. 12. *Spe gaudentes.* Vt enim ait idem Auguſtinus ſerm.64. de verbis Domini: *Amemus vitam æternam, & ex eo nouerimus, quantum pro vita æterna laborare debeamus, cum videmus homines amatores præſentis vitæ, ac finiendæ, ſic pro illa laborare, vt cum venerit metus mortis, quicquid poſſunt, faciant, non vt auferãt, ſed vt differant mortem.* Cuius ſpei heroicę innumera habentur Sanctorum exempla, maximè Sancti Iob, qui licet omnis creatura in eius perniciem conſpiraſſe videretur, ipſumque Deum tanquam aduerſarium experiretur, ſpe tamen heroica munitus, & maiora pati paratus, dicere ſolebat: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus. De qua ſpe videri poteſt, quod ait Diuus Auguſtinus loco ſtatim citato, nec non in Pſalmum 127. vbi quærens cur à Propheta dictum ſit: *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Quis enim labores manducat, & non potius fructus? Reſpondet: *Modo labores habemus, fructus poſtea erit. Sed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio propter ſpem, modo nos ipſi labores noſtri iucundant, & lætos nos faciunt, &c.*

6. Cum vita æterna, ſiue Deus in illa poſsidendus, ita ſit obiectum materiale primarium virtutis ſpei, vt etiã ſecundario ſe extẽdat ad quodcunque bonum

bonum poſsibile tum animæ, tum corporis, non ſolum futuræ, ſed & præſentis etiam vitæ; inde quoque circa res temporales, multi eius actus poſſunt exerceri, v.g. circa ſuam, & aliorum, ſi quis ſit prælatus, ſuſtentationem, diuinis confidendo promiſſis; cum dixerit Chriſtus diſcipulis: *Nolite cogitare de craſtino; Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis*, loquens de neceſſarijs ad victum, & veſtitum; eoque maiori cũ excellentia, & heroicitate poſſunt huiuſmodi actus exerceri, quo non ſolum extraordinariæ in illis rebus, & ſimilibus acquirendis diligentię omittuntur, verum etiam, & ordinariæ, quæque iuxta prudentiam humanam adhiberi poſſent, metiendo potius illã Dei omnipotentia, qui iam ſcit, quibuſnam indigeamus, nec amat, & deſerit. Cuius ſpei plura ſuppetunt exempla in actis Sanctorum. Quodque Deus ita iactantes in eum cogitatum ſuum enutrierit; & mirabilibus etiam vijs, puta ciborum, pecuniarum, aliarumque rerum multiplicatione adiuerit.

7. Tandem præfata omnia ſimul comprehendendo, ſic efformari poteſt perfectus ſpei actus. Fideliſſime, & omnipotens Deus meus, cui conſequẽter nihil impoſſibile, ac difficile eſt, cum per hanc potentiam, & infinitam bonitatem tuam promiſeris mihi æternã beatitudinem, firmiſsimè ſpero me tandem illa fruiturum, hoc eſt, te Deo, ſummo bono, & vltimo fine meo; idque non ex viribus meis, cùm ex me nihil ſim, nihil habeam, nihil poſsim, aut alterius creaturæ ſubſidio, vana enim eſt ſalus hominis; ſed tantùm ex auxilio tuo, & bonis operibus gratia tua mihi miſericorditer conceſſa præſtitis; ſummopere gaudens, quod per te ſolum Deum meum poſsim beatus fieri, & per merita vnigeniti filij tui Ieſu Chriſti, quodque inſuper ex ijſdem meritis per ſanctos amicos, & familiares tuos, Sanctorumque omnium Reginam beatiſsimam Virginem Mariam, nos aditum habere volueris ad tribunal gratiæ tuæ. Quare non dubito, imo certiſsimam fiduciam habeo, indè conſequendi, & obtinendi omnia mihi ad ſalutem neceſſaria; in primis veniam omnium meorum peccatorum, quantumuis multorum, & enormium; tum gratiam benè agendi, & in ea finaliter perſeuerandi. Et licet innumeris vndequaque iactarer tribulationibus, ita vt omnes in me creaturæ conſpirarent, quodque grauius eſt, à te Deo meo veluti derelictus eſſem, per omnis ſenſibilis deuotionis ſubtractionem, ſemper in te ſperarem, & confiderem, dicendo cum Propheta: *In te, Domine ſperaui; non confundar in æternum. In Domino ſperans non infirmabor.* Et quia nedum in maximis, ad æternam vitam conducentibus, ſed & in minimis ad præſentem ſpectantibus conſolaris, & adiuuas, in his quoque me potiſsimum diuinæ tuæ prouidentiæ committo, non autem proprijs meis diligentijs, omnemque neceſſariam opem à te expecto, qui imples omne animal benedictione, & reples in bonis omnia deſideria noſtra.

§. III.

De Charitate.

CHaritas eſt virtus Theologica, quà Deus propter ſe diligitur, & proximus propter Deum. Eſt virtus, quia eſt habitus bonus, reddens habẽtem, actumque illius bonum. Eſtque ex ſe perfecta virtus, quia ex ſe habentem coniungit fini vltimo, datque perfectionem conſequenter alijs virtutibus, tanquam illarum forma extrinſeca. Imo eſt omnium virtutum excellentiſsima, tam in genere naturæ, quoad ſuam phyſicam entitatem, & perfectionem in eſſe habitus; quam in genere moris, quoad moralem honeſtatem, & bonitatem, *Theologica*, habens Deum pro immediato obiecto. *Quæ* tanquã principio elicitiuo ſuper-

naturali voluntati ſuperaddito. *Deus propter ſe*, id eſt, propter ſuam bonitatem eſſentialem, quæ ſcilicet bonitas, eſt eſſentia diuina, & Deus ipſe. *Diligitur*, volendo ei ſuum ſummum bonum, & complacendo in eo. *Et proximus*, quæuis ſcilicet creata perſona intellectualis, particeps aut capax æternæ beatitudinis, etiam diligitur, complacendo in bono quod habet, & deſiderando ei bonum, quod nondum habet. *Propter Deum*, ſeu propter eſſentialem bonitatem diuinam, participatam à proximo, & relucentem in eo.

Igitur cum diligere aliquem ſit ei velle bonum, diligere Deum, eſt ei velle ſummum bonum, & in eo complacere propter ſe, id eſt, propter eſſentialem ſuam bonitatem, non autem accidentalem, eſſentiæ ſuæ ſuperadditam; item propter ſe, non propter aliud tanquam finem: quia ipſe eſt vltimus finis, alio non referibilis; cuius gratia omnia alia fieri debent. Diligere Deũ ſuper omnia, eſt eum præponere omnibus; amicitiam illius præferendo omnibus bonis: & omnia mala poſtponendo offenſæ illius. Sicut eum diligere ex toto corde, eſt eum ſincerè, & perfectè diligere. Ita vt in illa particula *ex toto corde*, includantur cæteræ aliæ, *ex tota mente*, *ex tota anima*, *ex omni virtute*, ſiue *ex omnibus viribus*; quæ adduntur maioris explicationis gratia. Quod ſi accipiantur vt condiſtinctæ; tunc *ex toto corde*, eſt idem ac ex tota voluntate: *ex tota mente*, intellectu: *ex tota anima*, appetitu ſenſitiuo: *ex omni virtute*, ſiue *ex omnibus viribus*, ſiue *ex tota fortitudine*, pro virili, ex omnibus potentijs, & facultatibus interioribus, & exterioribus; ita ſcilicet, vt intellectus, voluntas, appetitus ſenſitiuus concupiſcibilis, & iraſcibilis; omnes ſenſus interiores, & exteriores ſint Deo ſubditi; inque nihil ferantur, quod non ſit conforme legi diuinæ.

Proximus per charitatem diligendus eſt quæuis perſona creata intellectualis æternæ beatitudinis particeps, vti Angelus, homoque beatus; aut capax, vti animæ purgatorij, hominesque viatores. Vndè proximus noſter non eſt dœmon, nec damnatus: quia per definitiuam Dei ſententiam vterque eſt à beatitudine excluſus: quam proinde illi charitate velle non poſſumus. Diligere autem proximum eſt ei velle bonum beatitudinis æternæ, mediaque ad illam, deſiderando, ſi non habet, & complacendo ſi habet. Diligere illũ, propter Deum, eſt illi velle bonum propter eſſentialem bonitatem diuinã ab eo participatam, & in eo relucentem; tanquam beatitudinis participe, aut capace: Diligere verò, ſicut ſeipſum, eſt eum diligere ad inſtar ſui. Vt qui ſibi benè vult, & benè facit, ſecundum animam & corpus; ita etiam proximo bene velit, & bene faciat, præſtando illi affectum, effectumque ſalutarem. Quare particula ſicut, non ſignificat æqualitatem, ſed ſimilitudinem; & ſui dilectio eſt exemplar, & regula dilectionis proximi, non è contra. Et quia regula eſt potior eo quod illi commenſuratur, hinc eſt, quod vnuſquiſque debeat ſe magis diligere, quam proximum. Vndè in hoc præcepto diligendi proximum ſicut ſeipſũ implicitè mandatur dilectio ſui, tanquam exemplar, & menſura dilectionis proximi. Charitas tamen hominis ad ſeipſum, non eſt propriè amor amicitiæ, qui tendit in alterum, ſed eſt quid amicitia excellentius, quod eſt forma amicitiæ creatæ, quæ eſt reciprocus amor beneuolentiæ, ſeu plurium, vt minimum duorum, mutua, & reciproca beneuolentia, id eſt, volitio boni in commodum amati: beneuolentia, inquam, mutua; fundata in peculiari cõmunione ſanguinis, religionis, patriæ, ciuitatis, eruditionis, militiæ, & ſimilium.

Ex dictis habetur, quod charitatis obiectum materiale primariũ ſit Deus, ſecundarium nos ipſi, & proximus noſter;

ſter; formale verò bonitas Dei in ſe. Vndè charitas noſtri, & proximi, eſt virtus Theologica, vt potè habens Deum pro immediato obiecto formali. Quod quia vnicum eſt, ideo quoque vnicus eſt charitatis habitus: cum vnitas, diuerſitaſque habituum deſumenda ſit ab vnitate, diuerſitateque obiecti formalis. Inter hæc autem obiecta materialia charitatis, ſuus datur ordo, ſcilicet vt primò, magiſque appretiatiuè, & obiectiuè, non tamen neceſſariò intenſiuè, diligatur Deus, tum propria perſona, deindè proximus & inter proximos magis, qui vel ſunt maioris, & excellentioris bonitatis, vel maioris coniunctionis ad ipſum diligentem, ex his enim duobus principijs ſumitur ordo charitatis. Diligere autem vnum plus alio obiectiuè, eſt ei velle maius bonum: ei deſiderando illud, ſi abſit: & in eo complacendo, ſi adſit: plus alio appretiatiuè, eſt illum pluris æſtimare, & maiori in pretio habere; plus alio intenſiuè, eſt ei bonum velle conatu maiori, & amore feruentiori.

Etſi igitur habitus charitatis inclinet ſuppoſitum ſuum ad diligendum Deum, magis quam ſeipſum, & proximum, obiectiuè, & appretiatiuè, non tamen intenſiuè; Adeoque In charitate, & inter illius obiecta materialia ſequens ordo teneri debet, vt *primò* Deus appretiatiuè ſuper omnia diligatur; *ſecundò* anima propria; *tertiò*, anima proximi; *quartò*, vita corpuſque proprium; *quintò*, vita, corpuſque proximi; *ſextò*, honor, fama, bonaque temporalia propria, exindè proximi. Vndè charitas obligat, maioriſque ſaltim perfectionis eſt, vt proximo in extrema neceſsitate ſpirituali conſtituto ſuccurratur, cum periculo vitæ propriæ. Eidemque proximo, in extrema neceſſitate corporali conſtituto ſubueniatur cum iactura bonorum temporalium, ſtatui proprio neceſſariorum, ſed vitæ propriæ ſuperfluorum. Cenſetur autẽ proximus eſſe in extrema neceſsitate ſpirituali reſpectu mei; quando niſi eũ inuero, certò ei imminet æterna damnatio, à qua non poteſt ſe eripere, nec eſt eripiendus ab alio, quantumuis potente, & debente. In eiuſmodi neceſſitate foret infans, ſine baptiſmo moriturus.

Inter proximos, illi ſunt magis appretiatiuè diligendi à nobis, & in neceſſitate prius iuuandi ſubſidio ſpirituali, vel temporali; qui nobis ſunt coniunctiores, coniunctione ſpirituali, carnali, vel ciuili. Iuuandi inquam, per bona ſpiritualia, vel temporalia, quæ tali coniunctioni reſpectiuè debita ſunt. In coniunctione quidem carnali, hoc ordine, pater, mater, filius, coniux (vel coniux, filius) conſanguinei ſecundum gradum ſuum; itidem affines; amici, inimici. In coniunctione ſpirituali, ſimili ordine: pater ſpiritualis, filius, frater, &c. In coniunctione ciuili: pater, mater, filius familias, &c. Violatio huius ordinis, in caſu neceſsitatis, aliquando foret mortalis, aliquando venialis.

Quantum ad ſubiectum quo, vel immediatum huius virtutis eſt voluntas; conditiones autem inde illi competentes ſunt: Prima, quod à ſolo Deo infundatur, quia ipſe ſolus intra voluntatem poteſt illabi; Secunda, quod augeatur in ſubiecto, prout magis, ac magis intenditur in illo, licet non habeat terminum augmenti ex parte principij influentis: Tertia, quod habeat diuerſos ſtatus in ſubiecto, ſecundum quod eſt charitas Incipientium, Proficientiũ, & Perfectorum; Quarta, quod poſsit, amitti, & perdi ex parte voluntatis mutabilis.

Quod attinet ad actus, & effectus charitatis; cum hæc ſit inter eos diſtinctio, vt actus virtutis propriè ſit ille, qui elicitur à virtute; effectus autem, qui vel imperatur, vel reſultat, vel relinquitur ex tali virtute, ſiue hoc fiat per redundantiam, ſiue per imperium; ſola dilectio eſt proprius actus charitatis, quæ non ſolum dicit ſimplicem

cem

cem beneuolentiam, ſed etiam addit vnionem affectiuam erga alterum. Ex hoc actu ſecundum rationem vnionis affectiuæ naſcuntur duo effectus interiores charitatis, ſcilicet gaudium, & pax, ad quos non requiritur diſtincta virtus à charitate, quia non addunt ſpecialem rationem formalem, ſeu difficultatem ſupra obiectum charitatis, ſed gaudium eſt actus quidam, vel paſſio cauſata ex vnione amati, vt præſens eſt interius; pax autem eſt tranquillitas ordinis, & concordia eſt vnio quædam ordinata, & pertinet ad ſtatum, ſeu diſpoſitionem quamdam ex charitate relictam ſecundum vnionem ad proximos. Diſtinguitur tamen pax à concordia, quod ſit vniuerſalior; in quantum ſcilicet concordia eſt ſolum ad alterum: pax autem eſt & ad alterum, & ad ſemetipſum.

Secundum rationem autem beneuolentiæ, quâ volumus bonum alteri, naſcitur effectus miſericordiæ, quæ cum addat ſpecialem difficultatem, ideo etiam requirit ſpecialem virtutem ortam ex charitate; requirit enim miſericordia moderationem triſtitiæ, ſeu doloris de malo alieno, & reſpicit ſpecialem rationem in proximo, ſcilicet, vt ſubleuandum à miſeria, ſeu defectu. Vnde definitur, quod ſit virtus inclinans voluntatem ad alienæ miſeriæ compaſſionem, & ſubleuationem.

Effectus charitatis externus eſt beneficentia, quæ oritur ex beneuolentia, vt abſolutè alteri vult bonum, & facit. Miſericordiæ autem, eleemoſyna; quæ definitur actus externus miſericordiæ ſubleuans miſeriam alienam; quæ miſeria à nobis ſubleuabilis, cum ſit duplex, ſpiritualis, & corporalis, datur quoque pro ratione illius duplex eleemoſyna ſpiritualis, & corporalis. Et vtriuſque ſunt ſeptem opera, ſequentibus verſiculis contenta.

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.
Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Inter quæ opera ſpecialem habet conſiderationem correctio fraterna, ſecunda primi verſus particula, *carpe*, ſignificata; qua quis non ſecundum iuſtitiã, ſeu regulas eius, quæ procedit per inquiſitionem, denuntiationem, aut accuſationem, ſed ſecundum charitatem, ſine læſione famæ, & honoris proximi quantum poteſt, quærit emendationẽ fratris, quaſi largiendo ei eleemoſynam correctionis, non tollendo ab illo famam honoris, contra eius voluntatem, ſic enim non eſſet eleemoſyna, ſed iniuſtitia.

Charitati, & eius principali actui, qui eſt dilectio, directè opponitur odiũ Dei, quod eſt peſſimum, & maximum vitium, & minus habet de appetibili, ſeu de morbo voluntatis, quia maximè contrariatur amori, & ideò non eſt vitium capitale, ex quo alia oriantur, ſed potius vltimum, & profundiſſimum, in quod alia terminantur, & proprium damnatorum, definiturque actus voluntatis Deum, vt diſconuenientem auerſantis; ſaltem apprehenſum, vt talem. Odium autem Dei, & etiam proximi cum ſit duplex, abominationis, & inimicitiæ, primum definitur, actus voluntatis auerſantis Deum, vt incommodum ſibi, vel amato, quem æſtimat tanquam alterum ſe: ſecundum verò, actus voluntatis Deo malum optantis, vt ei malè ſit; oriturque ferè ex primo, qui enim auerſatur aliquem, tanquam diſconuenientem, & incommodum ſibi, vel amato, facilè mouetur, vt ei mala velit. Sic impius apprehendens Deum, vt ſibi contrarium per ſuas leges, & pœnas; auerſatur illum odio abominationis; quin & odio inimicitiæ, volendo illi malum, & priuationem perfectionum ſuarum, ſuique eſſe. Similiter odium proximi in communi eſt actus voluntatis, eum vt diſconuenientem auerſantis; ſaltem apprehenſum vt talem; odium abominationis, actus voluntatis, auerſantis proximum, vt incommodum ſibi, vel amato, quem æſtimat tanquam alterum ſe;

& odium

& odium inimicitiæ, actus voluntatis, proximo malum optantis, vt ei malè ſit.

Vitia autem, quæ opponuntur effectibus charitatis, ſcilicet gaudio, paci, & miſericordiæ, ſunt ſequentia:Gaudio opponuntur duo vitia, ſcilicet acedia, & inuidia. Charitas enim & gaudet de Deo, & de proximo. Gaudio de Deo opponitur acedia, ſeu triſtitia quædam de Deo, aut rebus diuinis, in quantum generatur nobis tædium, & faſtidium quoddam de illis. Taliſque triſtitia, vt opponitur bono diuino eſt ſpeciale vitium, acedia dictum, peccatumque mortale,quia opponitur bono diuino per charitatem habito, imo vitium capitale, quia ad fugiendam triſtitiam, ſeu tædium homo multa facit, aut non refugit. Si tamen conſideretur, vt non tam charitati, quam eiuſdem feruori repugnat, eſt tantum peccatum veniale. At vero gaudio charitatis, vt eſt de bono proximi, opponitur ſpecialiter inuidia. Licet enim de bono alieno multipliciter triſtari poſſimus, tamen inuidia ſpecialiter triſtatur de bono proximi, quatenus excedit bonum proprium, quod facit quamdam inæqualitatem, & ſic reſpicit bonum proximi formaliſsimè, quatenus proximus eſt ſimilis mihi, reſpicit enim bonum alterius, vt diminutiuum propriæ excellentiæ, non quia diminuat quaſi effectiuè, & tollendo id quod eſt in me, ſic enim potius timetur, quam inuidetur, ſed ex eo præciſè, quod alter creſcit, & fit inæqualis mihi, & ſic ſolum relatiuè diminu it,proptereaque inuidia eſt inter ſimiles, & æquales, & pertinet ad puſillanimitatem,quæ non poteſt propriam gloriam augere, ſed alterius vult iuxta ſuam diminui; quare de ſe eſt peccatum mortale, & capitale, quia motiuum eius, videlicet gloria propria eſt motiuum valdè appetibile ad multa alia facienda, vel non refugienda. Sic definitur inuidia, quod ſit triſtitia de *proximi bono*, tanquam malo proprio, excellentiæque propriæ diminutiuo; Aemulatio, triſtitia de proximi bono, tanquam proprij boni priuatione: quia ſcilicet æmulus non habet eiuſmodi bonum; ac tandem Nemeſis, ſeu indignatio, triſtitia de bono proximi, tanquam illo indigni.

Secundo charitatis effectui, nimirũ paci, quæ importat vnionem, & tranquillitatem tum in corde, qua ratione dicitur concordia, tum in verbis, tum in factis, ſeu opere opponuntur ſequẽtia vitia. Ei, quatenus eſt concordia opponitur diſcordia, quæ eſt diſſenſio voluntatum, aut iudiciorum;quatenus importat tranquillitatem in verbis,opponitur contentio, quæ eſt diſſenſio verborum, importans impugnationem veritatis modo inordinato in verbis,& clamore; & eſt, ſicut & diſcordia filia inanis gloriæ, & ſuperbiæ; quatenus demum importat tranquillitatem in factis, & operibus opponuntur quatuor vitia, ſcilicet ſchiſma, bellum, rixa, & ſeditio, quæ ſic diſtinguntur, quod ſchiſma impugnat vnitatem Eccleſiæ, quæ eſt vnitas relatiua, ſeu ordinis,quo omnia membra ordinantur ſub vno capite principali in cælis, & capite Vicario in terris; & eſt vnitas charitatis, quia omnia membra perfecta vegetantur à Spiritu Sancto, qui habitare facit vnius moris in domo, & hæc dicitur communio Sanctorum, ſeu Sanctitatis, & charitatis,& qui impugnat vnitatem ordinis, nolens illam cum ſuo capite ſeruare ſchiſmaticus eſt. Itaq; ſchiſma definitur baptizati diſceſsio ab vnitate Eccleſiæ, retenta Chriſtianæ fidei profeſsione. Bellum autem importat contradictionem, & tollit vnionem inter rempublicam, & rempublicam; & ita pertinet ſolùm ad principem illius, qui habet ius vtendi gladio ad conſeruationem totius communitatis:Rixa inter perſonas particulares vnius reipublicæ vel communitatis. Seditio tandem eſt diſſolutio pacis inter plures partes eiuſdem reipublicæ, vt cum tumultuatur vna multitudo contra aliam.

Externis denique charitatis effectibus, beneficentiæ nimirum, ac miſericordiæ, plura opponuntur vitia, quæ cum etiam ſint contra alias virtutes, quæ pertinent ad partes potentiales iuſtitiæ, vt illiberalitas, ingratitudo, &c. de illis poſtea agetur. Sed beneficentiæ, vt ſpecialiter oritur ex charitate, opponitur ſcandalum, quod in dictis, vel in factis præbet alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis; & ſic præcipuè opponitur correctioni fraternæ, quæ intendit reparationem ruinæ. Quia autem iſta occaſio poteſt eſſe ſolum paſſiua, id eſt orta ex indiſpoſitione ſubiecti, ſcandalum inde proueniens dicitur quoque paſſiuum, & vbi oritur ex malitia, Phariſaicum, quod reputat, vt ſcandaloſum, quod tale non eſt: vbi verò oritur ex ignorantia, vel infirmitate ſubiecti, dicitur ſcandalum puſillorum. Et hæc non ſunt ſcandala per ſe, ſed per accidens ex indiſpoſitione ſubiecti. At quando occaſio præbetur ruinæ ſpirituali, non ſolùm ex indiſpoſitione ſubiecti, ſed ex ipſa operatione, & facto agentis, dicitur ſcandalum actiuum. Quod ſi ſolum ſe habeat, vt conſequens ad actionem alias peccaminoſam, ſed intentam ex alio fine, quam ex ruina proximi, tunc ſcandalum eſt quidem per ſe conſecutum, ſed non per ſe conſtitutiuum ſpeciei, quia iam ſupponit illam, atque adeò ſolum eſt circumſtantia aggrauans, per ſe tamen conueniens illi peccato, vt paſſio. Verum ſi intendatur ruina alterius, tanquam finis per ſe intentus, ſic ſcandalum non ſe habet, vt propria paſſio conſecuta, ſed vt ſpeciem vitij conſtituens ſpecialiter contra charitatis effectum, quod vocatur ſcandalum ſimpliciter, & definitur, dictum, vel factum, minus rectum, quo expreſsè intenditur proximi ruina ſpiritualis, illiuſque peccatum.

Iure diuino naturali, & poſitiuo obligamur ad vitandum ſcandalum actiuum. Ad vitandum autem paſſiuum, non eſt nobis omittendum vllum præceptum; quia tenemur magis vitare proprium peccatum, quam alienum; vbi non poſſumus vitare vtrumque. Tamen ad vitandum paſsiuū ex ignorantia, vel infirmitate, quod vocatur ſcandalum puſillorum, tenemur differre opus bonum, non præceptum: & opus vtile, non habens ſpeciem mali; donec ceſſet ſcandalum, aut monitus fuerit proximus, ne ſcandalizetur. Si autem monitione facta, & facti noſtri reddita ratione, ſcandalum adhuc perduret, erit merè acceptum, & non datum. Ad quod cauendum non tenemur omittere opus, nullam habens mali veritatem, nec ſpeciem; cuius faciendi ſubeſt iuſta cauſa. Scandalum actiuum mortale eſt neceſſario confitendum, præter actum principalem, v.g. furti, eo inſuper fine intenti, vt prouocetur alter ad furtum.

Præceptum dilectionis Dei obligat per ſe, quando neceſſitas eliciendi actus illius, oritur directè, & immediatè ex præcepto charitatis, non aliūdè. V. g. primò quando initio vſus rationis, homo ſufficienter illuminatur circa Deum, vt ſummum bonum, & vltimum finem. Secundò, in articulo mortis. Tertio, quando vehemens vrget tentatio odij Dei; ita vt ſit periculum conſenſus, niſi eliciatur actus dilectionis. Quarto, aliquoties per vitam; & quidem toties, vt omiſſio dilectionis non poſsit cenſeri interpretatiuus contemptus Dei ſummè diligibilis. Probabiliter ſingulis octiduis, conformiter ad inſtitutionem Dei, ſabbatū præcipientis, & qualibet hebdomada ſe coli volentis. Idem præceptum obligat per accidens, quando neceſsitas eliciendi actus dilectionis, oritur non directè, & immediatè ex præcepto charitatis, ſed aliundè. E.g. primò quando elicienda eſt contritio, actuali charitate perfecta, vt in iuſtificatione extra Sacramentum. Secundò, quando ex obligatione exercendi ſunt actus religionis, orationis, &c. Tertiò, quando euidens eſt periculum ſuccumbendi al-

di alteri peccato mortali, quam contra charitatem, niſi eliciatur actus dilectionis Dei.

Præceptum ſimiliter dilectionis proximi, obligat per ſe, primò poſt vſum rationis, ſufficientemque huiuſce obligationis notitiam. Secundò, in caſu neceſſitatis ſpiritualis, temporaliſue proximi. Tertiò, quando proximus petit reconciliationem. Quartò, quādo vrget tentatio inimicitiæ proximi, cum periculo conſenſus, niſi eliciatur actus dilectionis. Quintò aliquoties per vitam: & quidem toties, vt omiſſio actus dilectionis non cenſeatur interpretatiuus contemptus proximi, illiuſue tacitum odium. Idem præceptū obligat per accidens, quando aliarum virtutum actus ſunt ex præcepto exercendi, v.g. correptionis fraternæ, orationis &c. qui ſine actu dilectionis proximi, non poſſunt debitè exerceri.

Quando præceptum charitatis tum erga Deum, tum erga proximum obligat per ſe, tunc omiſſio dilectionis eſt ſpeciale peccatum contra charitatem. Secus eſt quando obligat tantum per accidens: tunc enim eſt peccatum contra virtutem illam, cuius actus elici deberet: vel coaleſcit cum peccato, cuius periculo quis ſe exponit. Idem affirmandum eſt, de omiſſione actuum fidei, & ſpei.

Donum Spiritus Sancti correſpondens charitati, eſt ſapientia, quod quidem eſſentialiter eſt in intellectu, quia importat iudicium de diuinis per altiſſimam cauſam, non quod ſolum importet aſſenſum ad res creditas, quod pertinet ad fidem, ſed iudicium diſcretiuum, per quamdam diuinorum experientiam, quod ad fidem non ſpectat, ſed habet radicem, & fundamentum in voluntate, & charitate, eo quod iudicare per altiſſimam cauſam dupliciter accidit, vno modo ex principijs per intellectum illuſtratis, & acquiſitis, & ſic ſe habet ſapientia humana, quæ non eſt donum; alio modo ex coniunctione, & connaturalitate ad ipſam cauſam altiſſimam quæ eſt Deus, quaſi ex guſtu, & ſapore ipſius, ſicut dicitur Pſal. 33. *Guſtate, & videte*, vbi viſus oritur ex guſtu, & ſapore, ideoque dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia; ſicut ille, cui connaturalis eſt caſtitas iudicat de illa melius, quam qui ſcientiam de illa acquirit; fit autem connaturalis, & coniuncta alicui cauſa altiſſima per vnionem charitatis, iuxta illud 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt*, & Hierotheus dicitur à Diuo Dionyſio cap. 2. de diuinis nominibus, *perfectus in diuinis, non vt addiſcens, ſed vt patiens diuina*; & talis ſapientia eſt donum Spiritus Sancti charitati correſpondens; Beatitudo verò, *Beati pacifici*, eo quod pax eſt tranquillitas ordinis, & ad ſapientem pertinet ordinare. Huic ſapientiæ opponitur vitium ſtultitiæ: quia ſicut ſapientia oritur ex purgatione cordis, & coniunctione ad Deum, ita ſtultitia, maximè oritur, ex inquinatione cordis, ideoque eſt filia luxuriæ, cuius indiuiduus effectus eſt hebetudo ſenſuum.

Iam quod attinet ad praxim virtutis charitatis omnium aliarum reginæ, ac formæ; ampliſſima quoque eſt illā exercendi materia. Cumque duplex ſit eius ratio, prior qua Deus diligitur ſuper omnia amabilia, etiam pluſquā nos ipſi: de qua præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: poſterior, qua diligitur proximus, ſicut nos ipſi: ſic enim præcipitur: *Diliges proximū ſicut teipſum*; Vnde S. Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. illam definiens: *Charitatem*, inquit, *voco, motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*; primum agemus de actibus ipſius priori modo conſideratæ; deinde poſteriori. Sed cum rurſum in charitate priori modo conſiderata, & definitur ab eodem D. Auguſtino lib. de moribus Eccleſiæ cap. 11. *virtus coniungens nos Deo, qua ipſum diligimus*

gimus; duplex ſit coniunctio cum Deo: vna, qua diligitur ad noſtram vtilitatẽ, ſiue propter beneficia vel accepta, vel ſperata, iuxta illud Regij Prophetæ Pſalm. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium, & liberator meus*. Altera, qua diligitur propter ſeipſum, & non eius beneficia.

Primus actus, & etiam gradus, ſed ordine imperfectionis, amandi Deum, eſt amare illum ob innumera ab eo collata beneficia, tam in ordine naturali, quam ſupernaturali, maximè quod ſũmum bonum, vltimumque finem noſtrum eſſe voluerit. *Ego ſum merces tua magna nimis* Geneſ. 15. Et ex Auguſtino ſerm. 49. de Verbis Domini; Deus non tibi promiſit niſi ſe, inueni aliquid pretioſius, & hoc tibi dabit. De hoc amore in nobis excitato ex cõſideratione infinitorum Dei beneficiorum, tanquam inſignium amoris eius erga nos argumẽtorum, ait Chryſoſtomus homil. 27. in Geneſim per illum præparari animum, vt omnia deſpiciamus, & vt ei, qui tot & tanta cõtulit in nos beneficia, adhæreamus. Ac propterea idem homil. 72. ad pop. Antiochen. hortatur, vt per ſingulos dies vnuſquiſque intra ſe computet non tãtum communia beneficia, verum & propriè ſibi quomodocumque collata. De hoc eodem amore, & qua ad illum perueniatur ratione, diſponatque ad vlteriorem gradum amandi Deum propter ſeipſum, loquens D. Bernardus ſic ait lib. de diligendo Deum. Qui carnales ſumus, & de carnis concupiſcentia naſcimur, neceſſe eſt, vt cupiditas noſtra, vel amor noſter à carne incipiat: quæ ſi recto ordine dirigitur, quibuſdam ſuis gradibus duce gratia proficiens, ſpiritu tandem conſummabitur, quia non prius quod ſpirituale, ſed quod animale, deindè quod ſpirituale; & prius neceſſe eſt portemus imaginem terreſtris, deinde cæleſtis. *In primis ergo diligit ſeipſum homo propter ſe, caro quippe eſt, & nihil ſapere valet præter ſe, cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum, quaſi neceſſarium, incipit per fidem inquirere, atque diligere; diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter Deum.*

2. Loquendo de amore Dei propter ſeipſum, adeò præcedenti perfectiore, ac nobiliore, vt ille præ hoc nõ caſtus iudicetur à Diuo Auguſtino, citato ſermone de verbis Domini: *Quiſquis*, inquit, *à Deo præter Deum aliquid quærit, non caſtè Deum quærit*. Et lib. de vera religione cap. 47. *Ille veriſſimè atque certiſſimè inuictus homo eſt, qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur, ſed cui nihil aliud quam ipſum inhærere Deo bonum eſt*. Non quod ſpe præmij amandus Deus non ſit, cum ſcriptum ſit Pſalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. Si quidem Deus ipſe noſtra merces, ac retributio eſt; ſed vt quod in amore perfectius eſt oſtendatur. De illo ergo ſic loquẽdo, etſi habeat idem obiectum materiale cum præcedenti, nempe Deum ſumme bonum; vtriuſq; tamen idem non eſt obiectum formale: prioris enim eſt Deus, vt nobis ſumme bonus, ita vt licet ipſe ſit finis cuius gratia noſtri amoris, nos tamen ſumus finis cui, ſiue per modum ſubiecti ab illo perficiendi; poſterioris autem obiectum formale eſt Deus, ſed vt ſibi ſumme, & infinite bonus, ita vt tam ſit finis cuius gratia, quam finis cui noſtri amoris; qui proinde in hoc maximè exercetur, quod tendat in infinitam Dei bonitatem propter ſeipſam; cui cum ſatis non eſſet à ſe infinite amari, hominem creare voluit, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vt ab ipſo, & cognoſceretur, & amaretur. Vndè ſicut diuina bonitas digna eſt, quæ à Deo infinite ametur, non aliam ob cauſam, quam quia digna eſt: ita perfecta dilectio conſiſtit in amando Deo propter eamdem infinitam bonitatem, & amabilitatem ſuam, & delecta-

tionem

tionem: quæ in illum deriuatur; non autem ob vllum commodum quod inde percipiatur, vel pacis conſcientiæ, quæ inde oritur, vel meriti, & gloriæ, alteriuſque ſimilis boni.

3. Per hunc amorem Dei in ſeipſo, & propter ſeipſum, maximè cõplacemus, & oblectamur bonorum, quæ habet recordatione, quodque talis ſit, qualis eſt; ac feliciſsimus intra ſe. Et conſequenter per huiuſmodi complacentiam, vel oblectationem, perfectum habetur charitatis exercitium.

4. Referendo in Deum noſmetipſos, & quodcumque in nobis eſt, nec non res creatas omnes. Etſi enim noſtri non indigeat, proprium tamen amoris eſt ſponte in illũ referre, quicquid nobis, & alijs largitus eſt, quemadmodum liberaliter totum ipſe largitur ex eo, quo ſe noſque ipſos, & omnes creaturas affectu proſequitur. Indeque etiam voluptatem capere, quod ſic extra ſe perfectus ſit, atque adeo amabilis, ſiue cum bonum largitur, ſiue cum iuſtè vindicat. Vnde ex æquo iuſtitia Dei amatur, ſapientia eius, & miſericordia, vnum attributum, quemadmodum & aliud; cum omnia infinitatem bonitatis diuinæ æqualiter participent.

5. Quod maximè pertinet ad heroicitatem, & excellentiam diuinæ dilectionis, exerceri poteſt, corditus deſiderando, vt ſi per impoſsibile, & ita loqui fas eſt, res nedum minima, ſed & ipſa diuinitas illi deeſſet, & eam ipſi largiri poſſemus, vltro id libenterque præſtaremus. Sic referunt plures Doctores adducti à P. Cornelio Laneillotto in vita Sancti Auguſtini lib. 3. cap. 42. interdum dixiſſe: *Domine, valde exultat anima mea, dum cogitat, quod tu ſis Deus. Verum ſi per impoſsibile fieri poſſet vt Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus: omninò vellem eſſe Auguſtinus, vt tu eſſes Deus.* Quod dictum cum dupliciter intelligi poſſit, primò, de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam: Secundò, de mutatione ſtatus in ſtatũ, ſiue de mutatione dotum, & qualitatũ, ſalua vtriuſque natura, & perſona; primo modo nec intelligi, nec talis actus, vt pote abſurdus, exerceri poteſt. Si enim Deus mutaretur in ſubſtantiam Auguſtini, prorſus deſineret eſſe Deus, & inciperet eſſe alia perſona, & ſubſtantia ſcilicet Auguſtini. Viciſsim, ſi Auguſtinus mutaretur in ſubſtantiam Dei, deſineret eſſe Auguſtinus, & inciperet eſſe Deus, atque adeò ipſe à ſeipſo, & à quouis alio ſuper omnia amandus, ac diligendus eſſet, illiuſq; eſſe, & conſeruatio, cuius alterius rei eſſe, vt pote creato, & finito, præferenda eſſet. Igitur vt præfatum dictum Auguſtino tributum, & ſi quis alius, ad eius exemplum, illud vſurpare vellet, ſit ſanum, debet intelligi de mutatione ſtatus in ſtatum, vel qualitatum, ſalua manente vtriuſque natura, & perſona, eoque ſenſu efferri. Quaſi diceret, ſi per impoſsibile fieri poſſet, vt Auguſtinus manens in ſubſtantia, & perſona Auguſtinus, dotes tamen, & excellentias Dei conſequi poſſet, v. g. ſapientiam, potentiam, gloriam, & honorẽ Dei, ita vt ab omnibus haberetur Deus: Viciſsim ſi per impoſsibile fieri poſſet, vt Deus in ſua manens natura, deſcenderet ad ſtatum, hoc eſt ad abiectionem, & infirmitates Auguſtini, ita vt ab omnibus teneretur pro Auguſtino: Ego dicerem: Domine, eſto tu Deus ſicut hactenus fuiſti, omnipotẽs, omniſciens, glorioſus, ego verò ſim Auguſtinus, miſer, abiectus, ignorans, infirmus, inglorius, qui ante fui. Tuæ enim naturæ, id eſt diuinitati debentur iſtæ dotes, & excellentiæ; meæ verò debentur omnes miſeriæ. Tibi ergo tanquam Deo meo, opto, & deſidero omne bonum tuum, & non mihi illud cupio, ſed tibi: Tu enim es Deus meus, amor meus, & omnia.

6. Cum Deum amandi nullus ſit finis, vnde Bernardus ait: Modum diligendi Deum, eſſe ſine modo diligere; & à nonnullis amor, quo Deum ama-

amamus in hac vita, amor deſiderij, vel deſiderium amoris vocetur; quod amoris deſiderium S. Chryſoſtomus in Pſalm. 115. appellat coronam maximam, & quid quouis diademate præclarius; In hoc quoque perfectè charitas exerceri poteſt, nimirum ita illum amando, vt ſemper deſideremus amare, quantum amabilis eſt; quantum omnes beati in cælo, & omnes iuſti in terra, quotquot ſunt, vel eſſe poſſunt, illum amant. Vel gaudendo, quod etiamſi innumera millia cordium amantium haberemus, illum tamen dignè amare non poſſemus, quia infinitè amabilis eſt; indeque deſiderare, vt ita ſe pro nobis amet.

7. Cum præfati amoris actus, vel modi illum exercendi ſpeculationis, aut contemplationis magis ſint proprij, quam practici; qua ratione amor Dei propter ſeipſum debet eſſe appretiatiuus, ſiue quod ita ametur, tanta tamque excelſa eius perfectionum cōcipiatur opinio, vt pluris æſtimetur re quacumque creata, & creanda, immo quæ eſſe poſſit, inde potiſsimum pendet perfecta diuini amoris praxis, ſeu amor diuinus practicus, qualem habuit, & expreſsit Apoſtolus, quãdo Roman. 8. ait: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quæ verba Apoſtoli docentis nihil nos à charitate Chriſti ſeparare poſſe, ſic explicat Auguſt. lib. de moribus Eccleſ. c. 11. *Nemo nos indè ſeparat minando mortem: id ipſum enim, quod diligimus Deum mori non poteſt, cum mors ipſa ſit non diligere Deum, quod nihil eſt aliud, quam ei quicquam in diligendo atque ſequendo præponere. Nemo indè ſeparat pollicendo vitam: nemo enim ab ipſo fonte ſeparat pollicendo aquam. Non ſeparat Angelus; non enim eſt Angelus, cum inhæremus Deo, noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus; nam ſi virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt, ſi in alio eſt, faciet, vt coniungamur Deo; ſi in nobis eſt, ipſa coniunget. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ; hoc enim leniores eas ſentimus, quo ei, vnde nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum: nam & quicquid boni futurum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius: qui iam profectò bene ſibi inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum: etenim, ſi hæc verba ſcientiæ forte altitudinem, ac profunditatem ſignificant; non ero curioſus, ne ſeiungar à Deo, nec cuiuſquam doctrina ab eo me ſeparat, vt quaſi depellat errorem, à quo nemo prorſus niſi ſeparatus, erraret. Si verò altitudine, & profundo, ſuperna, & inferna huius mundi ſignificantur, quis mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore ſeiungar? Aut quis tentat infernus, vt Deum deſeram, quem ſi nũquam deſeruiſſem, inferna neſcirem? Poſtremo, quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbique ſolus eſſet, ſi vllo contineretur loco? Non inquit ſeparat alia creatura. O altiſſimorum myſteriorum virum.* Hactenus D. Auguſtinus loco citato.

8. Igitur amor Dei appretiatiuus, ſeu practicus quo amatur ſuper omnia multipliciter exerceri poteſt. 1. pluris faciendo vel vnum gloriæ Dei gradum, quam vniuerſa mundi bona. 2. illa omnia propter ipſum, nedum illicita, ſed plerumque etiam licita abnegando. 3. ſummopere dolendo, quod eadem bona creata ſæpe Deo prętulerimus, tot tantiſque criminibus à nobis, alijſque in ipſum perpatratis. 4. nos etiam ſæpius, noſtraque omnia illi offerendo. 5. cum eius voluntate noſtram conformando. 6. fortiter, & alacriter ferendo res quaſcumque quantumlibet aduerſas, perpeſſiones quaslibet aſperas.

Sic

Sic Diuus Paulus aiebat ad Galat. 5. *Gaudeo in tribulationibus*; & de cæteris Apoſtolis legitur Act. 5. quod *ibant gaudẽtes à conſpectu conciliȷ,quoniã digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. *Ea quippe eſt amantium lex*, ex Chryſoſtomo homil.3. in epiſt. ad Philemonem, *vt ſe tum felices putent, cum aduerſa pro his quos diligunt ſuſtinent*. Et homil. 14. in Geneſim. *Quando quis ſauciatur charitatis deſiderio, nihil difficile ſpectat, ſed id, quod fuerit plenum periculis, & multa miſeria leuiter fert; hoc vnum intuens, quomodo ſuo potiatur voto, & deſiderio*. 7. nedum mortem ſpiritualem, qua homo moritur mundo, vt Chriſto viuat in perfectionis Euangelicæ ſtatu, verum etiam corporalem ſubeundo, hoc eſt, quod maximè ſpectat ad nobilitatem, & heroicitatẽ amoris, vitam ipſam Deo poſtponendo, dicente Chriſto Ioannis 15. *Maiorem charitatem neminem habere, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Vnde ait Auguſtinus in Pſalm. 47. *Per charitatem multi mortui ſunt ſeculo, vt viuerent Deo: hac charitate accenſi Martyres, non ſimulati, non vana gloria ventilati, ſed tales, quos verè Chriſti charitas perduceret ad paſsionem*.

9. Cum charitas ſit regina, & forma omnium aliarum virtutum, maximè exerceri debet in imperandis officiȷs, & actibus illarum, efficiendoque, vt recta intentione, hoc eſt propter Deum ſolum fiant; & illi omnes offerendo, non ſolum in vniuerſum, verum etiam ſingulos.

10. Ex dictis ſic efformari poteſt perfectus diuinæ dilectionis actus. Amabiliſſime, & dulciſſime Domine cordis mei, quia actus amoris eſt, bene velle rei amatæ, illamque ſolam propter ſemetipſam amare; gaudere de bono, quod habet, eique optare, quod non habet; inde ego deſiderans exercere hunc excellentiſsimum erga te actum, profiteor coram cælo, & terra, me te ſolum amare Deum meum, tibique ſoli bene velle propter temetipſũ, infinitamque bonitatem tuam, te idcirco ſuppliciter orans, vt tu ſolus cordis mei principatum geras. Item congratulor tibi, de tuis infinitis perfectionibus, & attributis, quodque talis ſis, vt bonorum noſtrorum non egeas, Intra te feliciſsimus; quorum tamen ſi indigus eſſes, ſeu per impoſsibile, aliquid ego poſsiderem, quo tu careres, illud omne tibi libentiſsime cederem, & tribuerem. Interim meipſum totum, & quodcumque demum in me eſt tibi offero, nec non creaturas omnes, vellemque poſſe tibi omnia hominum corda ſubdere, vt te laudarent, magnificarent, amarent omnes, inducti ſola tua infinita bonitate, & excellentia tuæ maieſtatis. Cum autem ex teipſo ſummè ſis amabilis, ideoque nec ego, nec innumera millia cordium, quæ tibi placuere, vel placere poſſent, vellemque poſsidere, adhuc non ſufficiant ad te amandum, quod & maximo me afficit gaudio, quicquid nimirum creaturæ conantur, aut conari poſſunt in tui amore, id omne longe eſſe impar tuæ infinitæ bonitati, te ſuppliciter oro amantiſsime Domine, vt tu ipſemet meum, & omnium creaturarum defectum ſuppleas, in amando teipſo; tibique eumdem amorem ad ſingulos halitus offero. Attamen quia te ſuper omnia appretiatiuè amare, & poſſum, & debeo, ſic ſpecioſiſsime ſupra omnem mundi pulchritudinem, in tuã ſolam ardeſco; tibique de me, tua diuina adiuuante gratia certum eſſe volo, quod tam firma, tamque conſtanti voluntate diligam te fortitudo mea, vt nulla prorſus creatura, nec in proſperis, nec in aduerſis, etiamſi oporteret me mori pro te, me vnquam ſeparatura ſit à charitate tua: ſummopere dolens, quod, cum mihi præ te omnia ſordeſcere debuiſſent terrena, heu tamen ſæpius contra te illis adhæſerim; ſed parce Clemẽtiſsime Domine, parce ſeruo tuo, veniam humiliter petenti, & ſimul firmiter proponenti, nedum ab illicitis, ſed & licitis, & in iſtis nedum

dum affectu, verum & effectu deinceps abſtinere, niſi neceſsitas, tuaque diuina voluntas aliud ſuaſerit, aut ad illorum vſum abſolutè me compulerit. Da mihi hanc gratiam liberaliſsime Domine. Amen.

Iam quod attinet ad charitatem ſecundum rationem reſpiciendi proximum, tanquam obiectum ſecundarium. 1. exerceri debet, vt ſit charitas Theologica, amando ipſum in Deo, aut propter Deum, tanquam propter obiectum primarium, ad virtutem enim Theologicam requiritur quod habeat Deum ſupernaturaliter cognitum pro obiecto materiali; & diuinam perfectionem, Deo identificatam, pro obiecto formali, v. g. fides habet Deum, vt primam veritatem reuelantem: ſpes, & amor concupiſcentiæ in illa fundatus, Deum, vt ſummum bonum noſtrum: charitas, ſeu amor amicitiæ, Deum, vt ſummum bonum ſuum.

2. Cum dilectio proximi potiſsimum conſiſtat in deſiderando illi beatitudinem, & quæ ad illam ſpectant, ſic innumeri eius actus poſſunt exerceri, ſerio deſiderando proximo tum virtutum omnium exercitium, tum fugam vitiorum, tum ab illis reſipiſcentiam in peccatoribus, vt qui nimirum terrenas dignitates ambiunt, potius aſpirent ad Deum; conuertantur, quos voluptas carnis illexit, auari omnes, affectum diuitiarum traducant ad lucra dilectionis diuinæ; ſic de alijs; quæ nō ſolum deſiderare, ſed & proximo noſtro procurare debemus, quantum fieri poteſt; Idque gratis, & propter Deum; hoc eſt amando non aliud, quam proximi bonum propter Deum quærere. De primo ait Sanctus Proſper lib. 3. de vita contemplat. cap. 15. *Secundum nos*, ſiue, vt noſmetipſos iuxta præceptum Dominicum, *proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & ad æternam vitam conſequendam, ſicut nobis, ſaluti eorū conſulimus, quando nos in eorum peccatis, ac periculis cogitamus, & ſicut nobis ſubueniri optamus, ita eis pro viribus ſubuenimus, aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubueniendi tenemus.* De altero autem, quod ſcilicet proximus diligatur gratis, & propter Deum, clarè loquitur Apoſtolus dicens 1. Corinth. 13. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt*; cum prius cap. 10. præcepiſſet; *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*. Quia, vt ait D. Bernardus, lib. de diligendo Deo: *Licet vera charitas vacua eſſe non poſsit, non eſt tamen mercenaria*. Et indigna certè res eſt charitati alium finem, quam Deum conſtituere.

3. Ad charitatis exercitium erga proximum, pertinent omnia miſericordiæ ſpiritualia opera; tùm quæ corporalia nominantur; ac demum opitulari ei in omnibus, quę ad eius reliqua bona pertinent, ſiue animæ, ſiue corporis, ſiue externa bona ſint.

4. Charitas verſus proximum exerceri poteſt, ędificando eum ſpiritualiter. *Vnuſquiſque*, inquit, Paulus Rom. 15. *proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem*. Tum vitando eius ſcandalum, ſeu cuiuſcumque rei malæ exemplum dicto, vel facto, præbens ei occaſionem ruinæ ſpiritualis, etiam ſi illa ruina non ſequatur.

5. Per hoc quod accommodemus nos proximo, ſiue omnibus omnia fiamus, maximè in compatiendo imbecillitatibus, aut imperfectionibus tum naturalibus, tum moralibus vniuſcuiuſq; *Debemus enim*, inquit S. Paulus Roman. 15. *nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere*. Et Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*.

6. Ita ex charitate debemus compati defectibus proximi noſtri moralibus, eoſque patienter tolerare, vt tamen eximius ſit charitatis actus, fraterna eius correctio. Quæ in ſuperioribus talis eſſe debet, vt nec immoderata vltio pluſquam oportet, ſubiectos affligat, nec iternm frangat rectitudinem diſciplinæ remiſsio. Ex D. Gregorio lib. 4. Regiſt. epiſt. 99. ad Ioannem

nem Epiſcopum Corinthiorum. Vel, vt ait Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Domini: *Corripiamus verbis, & ſi opus eſt, corripiamus, & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam verò de corde abijciamus. Ideo enim Dominus ſubdit de cordibus veſtris, vt ſi per charitatem imponitur diſciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? plorat ſecandus, & ſecatur, plorat vrendus, & vritur; non eſt iſta crudelitas, ſanit in vulnus, vt homo ſanetur, quia ſi vulnus palpetur, homo perditur.* Ita Auguſtinus de maiorum reprehenſione. Aequales autem & pares monentur à Domino Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum* &c. vt nimirum, nobis conſtito primùm peccaſſe fratrem, nec nos eodem peccato teneri, muniamus pectus charitate, & prudentia, & fortiter ac ſuauiter peccantem fraterne aggrediamur, opportuna occaſione captata; quam, qui veri ſunt in Deo fratrum amatores, minimè prætermittere debent, vt ſolent nonnulli, vanis plerumque excuſationibus ducti; quas affert, & quibus reſpondet S. Chryſoſtomus homil. 44. in 1. ad Corinth. omnino videndus.

7. Ad fraternæ charitatis exercitium pertinet, præter correctionem proximi quoque inſtructio ex D. Auguſtino lib. de morib. Eccleſ. cap. 27. & 28. Ac demum tot ſunt occaſiones charitatis in proximum exercendæ, quot ſunt miſeriæ eius, & indigentiæ.

8. Cum iuxta illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, detur in ea ordo, ita vt inter illius obiecta materialia, vnum debeat præ alio diligi. Scilicet primò Deus ſuper omnia. 2. anima propria. 3. anima proximi. 4. vita, corpuſque proprium. 5. vita, corpuſque proximi. 6. honor, fama, bonaque temporalia propria, exindè proximi; Etſi omnibus prorſus rebus animę proximæ ſalutem præferre debeamus; in hoc tamen maximè heroicum charitatis erga proximum, actum exercere valemus, ſi cæteris omnibus rebus temporalibus, proximi ſalutem, bonumque eius ſpirituale anteponamus. Cuius innumera ſuppetunt exempla; Religioſi inſontis, qui vt fratrem ſontem lucrifaceret cum eo pænitentiam egit apud Ruffinum lib. 3. de vitis Patrum num. 12. Et alterius, qui vt fratrem à lapſu præſeruaret, ei mira lenitate per omnia obſecutus eſt, apud eundem lib. 5. num. 28. Serapionis Sindonitæ, qui teſte Palladio in Lauſiac. cap. 83. Manichæo cuidam nobili in ſeruum ſe vendidit, vt eum cum tota familia ab hæreſi conuerteret, quod & intrà biennium præſtitit. Et S. illius Monachi, qui vt fratrem lapſum, & aſsiduè fornicantem conuerteret, longam pro eo ſubiuit pænitentiam, apud Ioannem Moſchum in Prato Spir. cap. 97. Ex modernis quoque S. Ignatius, vt obſcænum eundem ad amaſiam currigeret, aquis ſe immergens dixit: *Perge miſer ad fœdiſsimas tuas voluptates: impendentem capiti tuo ruinam non vides? ego hic me tui cauſa tamdiu macerabo, donec iuſtiſsimam Dei furorem in te paratum auertam.* Apud Ribadeneiram in eius vita: Et Sanctus Xauerius amicis Chinam ob pericula diſſuadentibus reſpondit: Non aliud mihi in votis eſt, quam vt vel morte mea Sinarum ſalutem repræſentem. Apud Turſell. lib. 3. eius vitæ cap. 19. Sed & Sancta Mater Noſtra Thereſia, eodem charitatis ſpiritu afflata dicebat, nihil intereſſe, ſi ad vltimum vſque iudicij diem in igne purgatorio torqueretur, dummodo mediante oratione ſua vel vna anima ſalua fieret. Itiner. perfect. cap. 3.

Inſuper attento eodem charitatis ordine inſignes, & heroici eius actus poſſunt exerceri, erga proximum, præferendo proprijs bona etiam ipſius temporalia. Sicut legitur de S. Paulino Epiſcopo Nolano, quod vaſtata à Gothis Campania, omnem facultatem, ne relictis quidem ſibi rebus ad vitam neceſſa-

neceſſarijs, in alendos pauperes, & captiuos redimendos contulerit. Et poſtea Vuandalis eaſdem regiones infeſtantibus, cum ab eo poſceret vidua, vt filium ſibi redimeret, conſumptis rebus omnibus in officio pietatis, ſeipſum pro illo in ſeruitutem tradiderit. Sic etiam Sanctus Petrus Nolaſco, cũ Christi fidelibus ab hoſtium ſeruitute redimendis, omnem pecuniam conſumpſiſſet, ſeipſum pro ijs liberandis venum ire, aut in illorum vincula luffici, cupere dictitabat. Sodalibus ſuis quarto voto obſtrictis, manendi in pignus ſub Paganorum poteſtate, ſi pro Christianorum liberatione opus fuerit. Similiter S. Thomas de Villanoua, cum inexplebili charitate amplos Eccleſiæ reditus in egenos diſpertiſſet, ne lectulum quidem ſibi reliquit; nam eum, in quo decumbebat, cum in cælum euocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulo ante eleemoſynæ loco donauerat. Item Sanctus Carolus Mediolanenſis Archiepiſcopus, quo tempore peſtis Mediolani graſſabatur, domeſticam ſuppellectilem, ne relicto ſibi lectulo, in egenos alendos contulit, ſuper nuda in poſterum tabula decumbens.

9. Licet, iuxta eiuſdem charitatis ordinem, inter proximos, illi ſint, cæteris paribus, magis appretiatiuè diligendi à nobis, & in neceſſitate prius iuuandi ſubſidio ſpirituali, vel temporali; qui nobis ſunt coniunctiores, coniunctione ſpirituali, carnali, vel ciuili; nihilominus ad heroicum huius virtutis exercitium pertinet dilectio inimicorum, ſiue charitas erga ipſos, non ſolum exhibendo illis ea quæ ſunt in præcepto, ſed & in conſilio, orando pro ipſis in particulari, nec non ſpecialia eis beneficia præſtando nedum ſpiritualia, ſed & temporalia; & hæc adhuc, cum iactura bonorum temporalium propriorum, non ſolum vt ſuccurratur eis in extrema neceſſitate ſpirituali conſtitutis, verum etiam in corporali. Notandum tamen ex Diuo Auguſtino ſerm. 50. de tempore, *Diligendum eſſe inimicum, non in quantum inimicum, ſed in quantum homo eſt; vt ei hoc velimus prouenire, quod nobis; id eſt, vt ad regnum correctus, reuocatuſque perueniat.*

10. Ex huc vſque dictis ſic efformari poteſt perfectus charitatis erga proximum actus. Iuſſiſti clementiſſime Domine, & ita fieri debet, vt non ſolum diligeremus te, ſed & proximum noſtrum ſicut noſmetipſos. Id igitur ſummopere cupiens adimplere, in primis pro tam dulci præcepto tibi gratias ago, & quantum poſſum, voluntatem meam ad ipſum amandum impello, non propter aliquam vtilitatem, aut commodum meum, ſed propter te ſolum Deum meum: ideoque precor ipſi a te omne bonum, quo felicior tibique gratior fiat, tam in præſenti, quam in futura vita; hoc eſt, vt qui iam te amant, & iuſti ſunt, plus adhuc te ament: qui verò peccatores reſipiſcant, & requirant te; ſicque ego ſolus ſuſtinere poſſem omnes pœnas, omnia tormenta, quæ omnes ſerui tui poſſunt, modo per eiuſmodi perpeſſionem efficere poſſem, vt nullus vnquam te amplius offenderet, toto corde rogarem, ac ſupplicarem pro hac gratia; idque non ſolum pro amicis meis, ſed & inimicis, maximè N. N. à quibus rebellis mea voluntas nonnihil abhorret: & hoc quia tu ipſos amas, egoque deſidero tibi in omnibus conformari præcipienti vt diligamus inuicem, ſicut dilexiſti nos.

CA-

CAPVT IV.

De quatuor Virtutibus Cardinalibus in communi, primumque de Prudentia in particulari.

§. I.

De Virtutibus Cardinalibus in communi.

VIrtutes morales diuidi in quatuor Cardinales, ſeu principales, communis eſt Theologorum ſententia; vt iam ſuprà notauimus: ſed inter eos difficultas eſt, vndè ſumatur talis earum principalitas; an ex ratione materiæ, circa quam verſantur, an ex ratione alicuius ſtatus, ſeu modi, aut formalitatis, quæ in iſtis magis, quàm in alijs ſeruatur; aut ex aliquo alio principio; variè enim in hac parte loquuntur, quod non eſt præſentis inſtituti fuſius examinare. Breuiter ergo dico, iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam, virtutem aliquam moralem dici cardinalem à principalitate materiæ circa quam verſatur; quare eo ipſo, quod in prudentia, iuſtitia, fortitudine, & temperantia inuenitur diuerſa materia, diuerſumque obiectum, tum ſpecialis difficultas, maiorque in vna, quã in alia materia, habent ex parte obiecti, vel materiæ totum quod requiritur vt ſint virtutes Cardinales ſpecie ab inuicem diſtinctæ. Quæ etiam virtutes ſolum reperiuntur in virtutibus moralibus. Etſi enim virtutes Theologales ſint principaliores ex parte materiæ principalitate abſolutè, & ſimpliciter quatenus tangit finem, ideoque etiam competant illis nomina, quæ ſunt circa finem, in quo eſt quies; vt fidei *fundamentum*, ſpei *anchora*, charitati *radix*, non tamen ſunt tales principalitate materiæ ex parte mediorum, per quæ eſt motus, ſeu fit tranſitus ad finem viæ executionis, ad ſimilitudinem cardinis in oſtio, vel porta, per quam fit motus, & tranſitus in domo ad alia, atque adeò non conuenit illis indè cardinis, ſeu Cardinalis deſumpta metaphora, ſed tantum virtutibus moralibus, quæ ſunt virtutes electiuæ, & verſantes circa media. Quare quod eſt pręcipuum in ipſis, dicitur præcipuum, tanquam cardinale, ſeu ad ſimilitudinem, vt dicebam, cardinis in oſtio, per quod fit motus, & tranſitus in domo ad alia, non autem ab eo, quod eſt ſimpliciter principalius in domo; ſed in ædificio virtutum ſpirituali hoc competit virtutibus Theologalibus, tanquam ſpirituali cæterarum fundamento. Vnde ex hoc quod non ſint cardinales, argui non poteſt eas propterea eſſe minus nobiles, ſed potius ex aduerſo.

Huiuſmodi autem virtutes Cardinales, nec plures, nec pauciores eſſe, communis eſt Theologorum ſententia. Idque probant ex duplici capite. Primo ex parte materiæ circa quam verſantur, quod pertinet ad obiectum, & ad principium formale. Secundo ex parte ſubiecti, ſeu potentiarum, quibus iſtæ virtutes inhærent, ſeu quæ ſunt capaces virtutum moralium, quæ ſunt quatuor, ſcilicet ratio ipſa, quæ eſt directiua, & regulatiua; voluntas, ſeu appetitus rationalis; tum appetitus ſenſitiuus, in quo duplex eſt potentia, nimirum cõcupiſcibilis, & iraſcibilis. In prima potentia eſt virtus Prudentiæ; in ſecunda, Iuſtitia; in tertia Temperantia; in quarta Fortitudo. Ex parte autem materiæ, ſiue obiecti idem numerus ſic colligitur. Obiectum virtutis moralis eſt bonum rationis, ſeu ratione menſuratum: in quo debet in primis concurrere ratio prudentialis menſurans, ſeu applicans hic, & nunc menſurationem, & appetibile menſuratum; quæ ratio eſt prudentia. Appetibile verò menſuratum cum conſiſtat, vel in operationibus voluntatis ad alterum, vel in paſſionibus intra ſe, primæ operationes ſpectant ad iuſtitiam; paſſiones autem concupiſcibilis ad temperantiam, & iraſcibilis ad fortitudinem. Quibus mate-

materijs per rationem regulandis, cum nec dentur pauciores, nec plures, quam quatuor prædictæ; nec dantur etiam pauciores, nec plures virtutes morales Cardinales, quam dictæ quatuor. Ad quas, vt omnes ſint Cardinales, non requiritur, quod ſint ſpecies athomæ non diuiſibiles in alias ſpecies; ſed aliquæ ſunt ſubalternæ habẽtes ſub ſe ſpecies, & partes ſubiectiuas, vt iuſtitia, & temperantia; aliæ non propter materiæ contractionem, quæ non patitur diuidi in plura motiua, & rationes formales, vt fortitudo, quæ habet materiam nimis anguſtam, ſcilicet pericula mortis, in quibus non inuenitur multiplex, diuerſaque ratio formalis, ſed vnica tantùm in genere formali, ideoque eſt vna tantum in ſpecie athoma. Sicut, & Prudentia, quæ eſt gubernatiua, & directiua propriarum actionum, reſpicientium vnicum ordinem ad finem totius vitæ humanæ. Licet prudentia directiua aliorum poſſit diuidi in diuerſas ſpecies, penes diuerſos, quos reſpicit fines, vt dicetur in ſequentibus explicando vniuſcuiuſque naturam.

§. II.

De virtute Prudentia.

INcipiendo igitur à Prudentia omnium virtutum moralium prima, non quidem formaliter, ſed directiuè, & regulatiuè tali: Aduertendum eſt, in ratione practica duo eſſe genera virtutum, ſcilicet artem, & prudentiã, quorum primum habet pro obiecto factibile, ſecundum verò, agibile. Quæ differunt in hoc, quod agibile eſt opus voluntarium, ſeu arbitrarium, ideoque non dirigitur per certas, & determinatas regulas, ſicut ars, ſed per arbitrarias, & prudentiales; factibile autem dicitur opus, vt artificioſum, cuius ratio non eſt arbitraria, ſed determinata ſecundum regulas artis. Et ideò præcipua laus prudentiæ eſt in applicatione ad operandum, & præcipuus eius actus eſt imperare, quantumeumque enim quis ſciat, quid debeat facere, ſi tamen quando opus eſt non applicet ad operationem, imprudens eſt, quod non contingit in arte, ſiquidem non dicitur malus artifex, quia non ſe applicat ad operandum, ſed quia non benè callet artem, eiuſque regulas. Sic igitur ſpectat ad prudentiam dirigere actus voluntarios, ſeu morales, ne deficiant à rectitudine in ipſa applicatione indiuiduali. Atque adeò non pertinet ad ipſam rectificare voluntatem circa intentionem finis, ſed circa electionem, & determinationem mediorum ad eius conſecutionem; eo quod finis, & rectitudo eius ab ipſa natura determinata eſt, propereaque dirigitur per ſynderеſim, quæ cognoſcit prima principia practica, & ſe habet ſicut habitus principiorum, reſpectu ipſorum; vnde etiam eſt aliquid altius prudentia. At media cum non ſint determinata à natura, ſicut ipſe finis, ſed iuxta diuerſas circumſtantias varientur; idcirco ad inueniendum medium in ſingulari conueniens, ac rectificatum ſecundum omnes circumſtantias, opus eſt recto diſcurſu, & directione applicante hic & nunc, quod fit per prudentiam. Ad ipſam ergo non pertinet finem ipſum rationis determinare, aut præſtituere, ſed tantùm, ſuppoſita intentione finis recti, determinare, & ordinare de conuenientia mediorum in ſingulari. Quia autem ſupponit rectam intentionem in qualibet materia, & hęc etiam pertinet ad ipſas virtutes, propterea dicitur prudentia ſupponere omnes virtutes morales, non quidem ſimpliciter, & perfectè, verum quantum ad rectam intentionem ſolum in ſua materia, quæ intentio, vt diximus, dirigitur à ſynderеſi, non à prudentia. Quantum enim ad actum vltimum perfectum virtutis, qui eſt electio determinati medij ſecundum omnes circumſtantias, ſic omnes virtutes pręſupponunt prudentiam, & diriguntur ab illa.

Prudentia ita ſumpta, atque adeò

provt

prout eſt virtus Cardinalis, ſolet definiri, quod ſit recta ratio agendorum, id eſt notitia directiua actionum humanarum; ſeu virtus intellectus, qua tanquam principio elicitiuo ſcitur certo, & firmiter cognoſcitur, quid verè honeſtum ſit, & agendum; quid verè turpe, & fugiendum, in quouis negotio occurrente, hoc eſt in ſingulis quibuſque actionibus humanis obeundis. Virtus, inquam, directrix aliarum virtutũ; regia mediaque via eas ducens, & à dextra læuaque deflectens, ne ad exceſſum defectumve exorbitent; ideoque in intellectu tanquam in ſubiecto immediato reſidens, illiuſque intellectionem perficiens in veri practici aſſecutione, firmoque aſſenſu. Quapropter prudentia eſt eſſentialiter virtus intellectualis, annumeraturque tantum morali virtuti voluntatis, ratione ſuæ materiæ, & finis; quia nimirum tota verſatur in cognitione, & directione morum, ſeu actionum moralium, quarum eſt directiua, non tamen elicitiua per ſe, ſed mediantibus virtutibus moralibus.

Circa quæ, priuſquã ad alia progrediamus, tria ſunt breuiter explicanda ad clariorem adhuc huius virtutis notitiã. *Primò*, quodnam ſit eius obiectum tam materiale, quam formale, & quomodo conſequenter diſtinguatur ſpecie à cæteris virtutibus intellectualibus. *Secundò*, quomodo ſit vna in ſpecie athoma; & *tertiò*, quomodo ſit vera, perfectaque virtus, cum verſetur circa contingentia, non circa veritates infallibiles. Quantum ad primum dico, quod obiectum materiale virtutis prudentiæ ſit aliquid agibile, ſeu actus ipſi voluntarij, & liberi, quatenus tales; formale vero, ſeu ratio ſub qua, ſit eorumdem dirigibilitas, iuxta regulas rectæ rationis, ſeu conformiter ad illas, & per hoc diſtinguitur à cæteris virtutibus intellectualibus, nimirum ſcientia, ſapientia, & habitu principiorum reſpicientibus verum ſpeculatiuum, partemque intellectus ſpeculatiuam perficientibus; ab arte verò quia licet ſimul cum illa reſpiciat verum practicũ, perficiantque ambę partem intellectus practicam; Ars tamen verſatur tantùm circa opera factibilia, quæ ſunt opera per actus externos facienda, ſi ſint artes Mechanicæ; vel ſecundum mentem ordinanda, & diſponenda, ſi ſint artes Liberales. Prudentia verò verſatur circa agibilia, id eſt, circa actus, & mores humanos rectè componendos. Et ideo ſupponit rectificationem appetitus circa finem, ordinat autem de medijs ad illius conſecutionem congruis. Non pertinet autem ad artem, appetitum rectificare, nec in fine, nec in medijs, ſed ſolum artefactum in ſe benè diſponere, quocunque appetitu id fiat, bono, vel malo.

Vnde etiam colligitur Prudentię neceſſitas. Quia non poteſt homo rectè, & debitè eligere, quæ agenda ſunt, niſi ratio rectè de hoc arbitretur, & diſponat. Non poteſt autem ratio in rebus ita contingentibus, & arbitrarijs, ſicut ſunt actus, & mores humani, rectè, & debitè iudicare, & ordinare, niſi aliquo habitu ad id perficiatur, vtpotè importans ſpecialem arduitatem, ac difficultatem; & huiuſmodi habitus vocatur prudentia, quæ dirigit agibilia.

Quantum ad ſecundum, quod nimirum virtutes morales, quæ ſunt in voluntate, plures ſint ſpecie diuerſæ, prudentia autem ſit vna virtus in ſpecie athoma, ſufficiens ad moderandas omnes virtutes morales; inde habetur, quia obiectum virtutum moralium eſt bonum, vt regulatum ratione. Contingit autem diuerſum bonum diuerſimodè regulari, & diuerſo modo participare ipſam regulationem rationis, atque adeò per ordinem ad illud virtutes morales multiplicari; aliter enim regulantur, ſeu moderantur à ratione delectationes, ſcilicet frænando animum ne laxetur in illas, quod fit per temperantiam; & aliter timores, ſcilicet impellendo, & firmando animum, vt aggrediatur, & non ſuccumbat,

quod ſit per fortitudinem. At verò Prudentia non habet pro obiecto bonum regulatum, aut regulationem participatam, ſed ipſam regulam participandam in diuerſis bonis, quæ cum ſit vnica ex eo quod ordinatur ad vnum finem vitæ humanæ, id eſt ad eius veram, & propriam felicitatem, qua rectè viuitur, dirigendo omnes virtutes tanquam media ad illam; Ideo quoque eſt vna, & ſe habet reſpectu virtutum, tanquam cauſa æquiuoca, & menſurá illas complectens, ex cuius diuerſa participatione reſultant diuerſæ regulationes in diuerſis materijs virtutum, & bonis circa quæ verſantur, & indè ſpecie inter ſe diſtinguntur, ſicut ex ſole reſultant in his inferioribus diuerſæ ſpecies rerum, diuerſæque generationes.

Quo ad tertium tandem, quomodo prudentia ſit virtus, ex eo patet, quod in ea, cum ſit virtus practica, eius infallibilitas practicè quoque, & non ſpeculatiuè ſumenda eſt. Atque adeo veritas eius non eſt regulanda per id quod eſt, vel non eſt in re; ſiue quod idem eſt prudentia, non verſatur circa veritatem neceſſariam, & infallibilem ſpeculatiuè, prout nimirum menſuratur per ipſum eſſe, vel non eſſe rei, hoc enim reverà eſt contingens, potenſque aliter ſe habere, & deficere, in obiecto prudentiæ ſpeculatiuè conſiderato, indeque virtutis nomen, & rationem habere non poteſt; ſed verſatur circa veritatem infallibilem practicè, id eſt ſecundum conformitatem ad ipſas regulas, quibus res practicata dirigitur, indeque virtutis nomen, & rationem ſortitur; quia licet materia non ſit neceſſaria, ſed contingens, & ita ex parte materiæ non ſit virtus infallibilis, ſicut neque ars, quæ eſt altera virtus intellectualis practica, tamen ex parte formæ, ſeu regulæ poſſunt eſſe ambæ certæ, & infallibiles in regulando, quod ſufficit, vt ſint in ſuo genere verè virtutes, Exempli gratia in voluntarijs, ſeu liberis, quæ per voluntatem agenda ſunt, & in finem perducenda, ſi cōſideretur ipſe euentus, & ipſa peruentio ad finem, eſt aliquid contingens, & fallibile; imo quia ita fallibile, indiget directione. Hæc autem directio vtitur regula certa, & recta, non quæ ſit certa in aſſecurando euentu rei, ſed in aſſecurando modo procedendi, quia eſt certum, & infallibile, quod qui in rebus ita contingentibus vtitur conſilio, facitque diligentiam quam poteſt, bono, virtuoſoque modo procedit. Quare de prudentia alicuius iudicari non debet ex euentu rei, ſed ex modo procedendi, vel illam regulandi, plerumq; enim contingit, malè regulata felicem habere euentum, infelicem autem, quę rectè, & iuxta regulas prudentiæ fuerint diſpoſita.

Similiter in arte, licet artefactum aliquando non benè fiat, vel ex indiſpoſitione materiæ, vel ex imperfectione operantis, aut inſtrumenti ipſius, quia tamen regulatio, & menſura ipſa artis, certum eſt, & infallibile, quod ſit conformis ideæ, & fini ipſius, & ad illum determinata ex ſe, & formaliter dirigit, habet quoque ars rationem virtutis intellectualis. Propriè enim intellectus practicus eſt menſuratiuus, aut regulatiuus operis faciendi; & ſic eius veritas non eſt penes eſſe rei, quod eſt fallibile, ſed penes id quod deberet eſſe, iuxta regulam, & menſuram talis rei exequendæ, quod eſt quid certum, & infallibile.

Quia autem alia eſt menſura actionis liberæ, vt libera, & alia rei artificioſæ, ſeu factibilis, propterea etiam in hoc diſtinguntur ars, & prudentia, quod actus liber, circa quem verſatur prudentia, menſuratur lege, & dictamine recto, & ſic dicitur eius veritas ſumi per conformitatem ad appetitum rectum, hoc eſt, per conformitatem ad regulam, qua appetitus redditur rectus, quæ regula eſt lex, & rectus finis, cui iuxta legem conformari debet appetitus, eo quod finis in practicis ſe habet vt principium in ſpeculatiuis. Effectus

autem artificioſus regulatur, & menſuratur regulis artis, & per ordinem ad illas tantum ſumitur eius veritas. Quæ regulæ ſunt præcepta de vnoquoque artefacto conformiter ad finem illius artis faciendo tradita; ſicut illæ regulæ rectè diſponunt de fabricanda naui, vel domo, quæ conformiter ad finem nauis, qui eſt nauigatio, vel ad finem domus; qui eſt habitatio, præſcribuntur.

Ex hoc autem quod dicitur, veritatem practicam in agibilibus, & moralibus ſumi per conformitatem ad appetitum rectum, & rurſum appetitum rectum ſumi ex regulis rationis, quæ ſunt regulæ virtutis prudentię, nullus committitur circulus. Siquidem conformitas ad appetitum rectum in prudentia, non attenditur penes ordinem ad appetitum rectum, qui conſequitur ad prudentiam, & eſt effectus eius rectificantis, ſed penes ordinem ad appetitum rectum, qui antecedit prudentiā, & eſt principium eius. Nam prudentia, vt iam diximus, ſupponit rectam intentionem finis, & ex fine tanquam ex principio conſilium, & iudicium ſumit de medijs, & dirigit ipſam electionem, & executionem: vndè recta intentio finis ſe habet, vt principiū prudentiæ, electio autem recta, & pręſtitutio medij, quod eligi debet, eſt effectus prudentiæ. Quando ergo dicitur, quod veritas prudentiæ, vel obiecti eius ſumitur per conformitatem ad appetitum rectum, intelligitur de recto appetitu ſecundum rectam intentionē finis, à qua principium ducit prudentia, quia in ordine ad rectum finem illa regulat, quod rectè diſponendum eſt. Quando autem dicitur, quod appetitus rectus ſumitur à prudentia, vel ab ea rectificatur, intelligitur de appetitu recto rectitudine electionis, & mediorum, cuius eſt cauſa. Et ſic non committitur circulus, quia non eſt ab eodē ad idem, ſed ad diuerſum. Illa enim recta intentio finis non regulatur per prudentiam, quæ ſolum eſt de medijs, ſed ab altiori regula, nempè à ſynderesi, quæ continet prima principia practica, & eſt habitus eorum reſpectu prudentiæ, ſicut reſpectu ſcientiæ in ſpeculatiuis habitus primorum principiorum.

Circa partes prudentiæ, cum in qualibet virtute cardinali tria earum genera diſtinguantur, ſcilicet partium integralium, ſubiectiuarum, & potentialiū; quarum primæ ſunt, quæ concurrunt ad conſtitutionem, vel integritatem rei; ſecundæ ſunt ſpecies contentæ ſub aliquo genere; tertiæ tandem ſunt virtutes, vel potentiæ alicuius rei, v. g. in anima rationali intellectus, & voluntas, quarum quælibet non adæquat totam rei eſſentiam rei, ſed reſpiciunt ſuam particularem operationem: Loquendo de partibus integralibus prudentiæ, quę nimirum concurrunt ad integrandum, ſeu conſtituendum actum prudentiæ, ſunt octo, ſcilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, ſolertia, quæ etiam dicitur euſtochia, ſeu ſagacitas, prouidentia, circumſpectio, & cautio. Quarum primæ quinque ordinantur ad rectè cognoſcendum, tam in conſilio, quam in iudicio, ſicque perficiunt eubuliam, & ſyneſim, quæ deſeruiunt prudentiæ, tanquam partes potentiales, vt mox dicemus; tres verò vltimæ ordinantur ad rectè pręcipiendum, qui cum ſit præcipuus prudentiæ actus, pręcipuè quoque ipſam perficiunt. Pręfatæ autem octo partes, ſeu functiones, ſine quibus integer, ac perfectus non habetur prudentiæ vſus, ſic explicantur: *Memoria* eſt recordatio præteritorum; *Ratio*, eſt promptitudo ratiocinandi, & ex vno aliud colligendi; *Intellectus*, ſiue *intelligentia*, eſt notitia præſentium; & principiorum moraliū. *Docilitas*, eſt affectus, & promptitudo diſcendi; *Solertia*, ſiue *ſagacitas*, eſt ſubita, & expedita inuentio medij conuenientis, vel bona coniectatio; *Prouidentia* eſt conſideratio futurorum euentuum, ex actione ſequi natorum; *Circumſpectio* eſt attenta conſideratio circum-

circumſtantiarum actionis humanæ, ne aliqua requiſita deſit in operãdo; *Cautio* denique eſt cura, & ſollicitudo vitandi omnia incommoda.

Partes ſubiectiuæ prudentiæ monaſticæ, ſeu regitiuæ ſui, cum vna ſit in ſpecie athoma, vt diximus, nullæ ſunt, ſiquidẽ partes ſubiectiuæ alicuius virtutis ſunt diuerſæ eius ſpecies. At ſi conſideretur Prudentia pro vt abſtrahit tam à propria, quam ab aliena directione, ſic ſunt diuerſæ partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies ſub illa contentæ, quæ ſumuntur ex diuerſo modo gubernandi, & dirigendi iuxta diuerſos fines, primò ſcilicet prudentia regitiua ſui, vna in ſpecie athoma, & prudentia multitudinis directiua, ſub qua rurſus continentur plures ſpecies diuerſæ, ſcilicet Regnatiua, quæ pertinet ad Principem; Politica, quæ pertinet ad Ciues, vt prudenter ſe habeant in obediendo, ſicut Principes in gubernando; Oeconomica, quæ dirigit familiam, & Militaris, quæ dirigit militiam non ſolùm in gubernando milites, verum etiam in expellendo hoſtes.

Partes denique potentiales prudentiæ ſunt tres, Syneſis, Eubulia, & Gnome, eò quod licet principalis actus eius ſit præcipere, tamen etiam pertinet ad eam conſiliari, & iudicare de agendis, & iſta vincunt diuerſas difficultates; quidam enim ſunt benè conſiliatiui, & malè iudicatiui, & è contra; bonum autem conſilium pertinet ad Eubuliam; bonum verò iudicium de agendis ad Syneſim; & propterea apud Græcos ſenſati vocatur ſyneti, & inſenſati aſyneti. Gnome autem, quæ eſt idem ac perſpicuitas iudicij, importat iudicium de agendis quo ad caſus extraordinarios, & per principia altiora mouetur, & comparatur ad Syneſim, ſicut ſapientia ad ſcientiam.

Donum Spiritus Sancti prudentiæ correſpondens, eſt donum Conſilij: quod potius dicitur donũ conſilij, quã prudentiæ, quia principalis actus prudentiæ eſt præcipere, quod magis eſt mouere, quam moueri. Dona autem Spiritus Sancti faciunt hominem bene mobilem à Spiritu Sancto, potius quã mouentem; & propterea magis dicitur donum conſilij, quam prudentiæ. Beatitudo huic dono tanquam dirigenti correſpondens eſt quinta beatitudo, ſcilicet; *Beati miſericordes*.

Prudentiæ vitia opponuntur alia per defectum, alia per exceſſum. Per defectum ea contrariantur, quæ reddunt hominem imprudentem; per exceſſum verò quæ excedunt in prudentia. Huius generis ſunt *prudentia carnis*, quæ eſt diligens excogitatio mediorum, ad implendos inſtinctus naturæ corruptæ. *Aſtutia*, quæ eſt ratio aliquid agendi modo ſubtili, & occulto; hic autem eſt notitia prauorum, ſubtiliumque mediorum ad fallendum, cum affectu ea exequendi. *Fraus*, quæ eſt aſtutiæ executio per facta. Fraude verò latius patens *Dolus*, eſt aſtutiæ executio per dicta, vel facta. *Sollicitudo temporalium*, quæ eſt nimia animi occupatio in temporalibus conquirendis, vel conſeruandis, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Ac demum *Sollicitudo futurorum*, quæ eſt nimia animi occupatio circa futura, cum anxietate, & diffidentia prouidentiæ diuinæ.

Vitia per defectum oppoſita Prudẽtiæ ſunt *imprudentia*, tum priuatiuè dicta, tum contrariè, quæ eſt ſpeciale peccatum ſecundum eſſentiam ſuam. *Præcipitatio*, quæ eſt aggreſſio operis, ſine debita deliberatione. *Inconſideratio*, quæ eſt omiſſio attentionis debitæ, iudiciumque de medijs ante illorum examen. *Inconſtantia*, quæ eſt ſententiæ mutatio, ob nullam, leuemque cauſam. *Negligentia*, quæ opponitur ſollicitudini, ſpecialique modo deſtruit prudentiam, ſcilicet per omiſſionem, vel remiſſionem, vndè ſolet definiri, omiſſio diligentiæ in vrgenda executione rei deliberatæ, & iudicatæ. Quę poteſt eſſe peccatum mortale, quandoque ratione rerum prętermiſſarum,

ſcili-

ſcilicet ad ſalutem neceſſariarũ; quandoque ratione cauſæ prętermittendi; ſcilicet, vel contemptus, vel totalis defectus charitatis.

Quantum ad huius virtutis prudentiæ præceptum, etſi nullum extet ſpeciale in Decalogo, quia ſolum in eo traduntur, quæ immediatè deducuntur ex vniuerſaliſſimis principijs, omnia tamen eius præcepta pertinent aliquo modo ad prudentiam. Fueruntque inſuper in lege veteri data præcepta prohibitiua de vitijs oppoſitis prudentiæ. In lege autem Euangelica, quæ eſt lex perfectionis, propterea que requirit hominem magis inſtructum, datum fuit à Chriſto præceptum expreſſum de prudentia, Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

§. III.

De praxi, vel actibus virtutis prudentiæ.

CIrca huius virtutis exercitium, vel praxim, cum ſupponat rectificationem appetitus circa finem, ordinet autem de medijs ad illius conſecutionem congruis, atque adeo prudentia ſupernaturalis, regulata per fidem, de qua hic agitur, ſupponat quoque rectam intentionem finis, ſeu voluntatem ſtabilitam in proſequendo fine, quem ſpectamus, noſtram ſcilicet, & proximi perfectionem, ad maiorem Dei gloriam, nullo alio admixto fine, vel propriæ commoditatis, quæ prudentia carnis eſt; vel honoris, & vanitatis, quæ mundi prudentia ſolet appellari.

Primus prudentiæ ſupernaturalis actus eſt conſultare, & deliberare de medijs, quam maximè proprijs, & conuenientibus ad dictum finem aſſequendum; vndè S. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ cap. 25. ſic eam deſcribit: *Prudentia eſt amor, ea, quibus adiuuatur in Deum, ab his quibus impeditur, ſagaciter eligens. Et hunc amorem non cuiuslibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummaque concordiæ.* Vbi Diuus Auguſtinus non deſcribit prudentiam per amorem, quod exiſtimet eam eſſe formaliter talem, aut eam non eſſe intellectus habitum; cum eodem libro cap. 24. ſic ſe habeat: *Ad prudentiam pertinet dignoſcentia appetendorum, & vitandorum*; ſed vt ſignificet, eam, rectam finis intentionem, vel amorem ſupponere debere, ſeu ab amore, quem ſummi Dei appellat, hoc eſt, à charitate proficiſci, vel ad prudentiam Spiritus pertinere, ex amore agere, charitateque ferri ad ea eligenda, quibus adiuuatur in Deũ. Verum quia ſæpe contingit, vt intentio in nobis puriſſima ſit; ſæpè tamen malis vtamur medijs, vt fraudibus, dolis; mendacijs, aut vocibus æquiuocis; atque adeo vice prudentiæ, calliditatis, aut aſtutiæ actus exerceamus; quod nõ raro eis contingit, qui Dei gloriam quærere videntur, dictitantes paſſim, ſe bona intentione ferri, errant tamen in electione mediorum; inde eſt quod *primus*, vt dicebam, prudentiæ actus ſit conſultare, & deliberare de medijs, diligenter expendendo quænam ſit eorum ad finem maioris gloriæ Dei proportio, peractaque conſultatione, de illis extremo iudicio decernere. *Secundus*, eligere, etſi enim electio voluntatis ſit actio, prudentiæ tamen proles eſt, eiuſque actionibus ita implicata, vt ſine bona electione nulla ſit prudentia, & ſine prudenti conſilio, rectoque iudicio; nulla ſit electio. Quare in ſyllogiſmo, qui dicitur prudentiæ, principia ſunt conſilium, & iudicium; quorum priore inuenimus, quæ nobis ad præſtitutum finem conducunt, poſteriore. verò iudicamus practicè, quæ ex multis propoſitis eligi debeant. Clauſula verò, & concluſio eſt voluntatis electio, qua volumus, & appetimus ea, quæ certa ratione iudicauimus vſui noſtro profutura: quibus accedens rationis, & prudentiæ pręceptum, vel imperium, vltimam quaſi manum impo-

nit

nit actioni humanæ, vt nihil ſuperſit aliud quam executio.

Vnde *tertius* prudentiæ actus eſt, ſtatuere quomodo, & quando res tota executioni mandari debeat, peruiſione quadam, & cautione proſpiciendo, atque indicando voluntati, quemadmodum, quæ obuia eſſe poſſint impedimenta, & difficultates ſubmouere debeat. Cum enim multa ſint tam extrinſeca, quam intrinſeca, quæ exequẽtibus negotium, & moleſtiam exhibere poſſunt; indeque nonnunquam voluntas langueſcat, deſerat etiam, aut ipſam rem exequendam in aliud tempus differat; certè prudentia multum valet ad eiuſmodi difficultates auertẽdas, earum cauſas præuiſione, ac diligentia neceſſaria præcidendo, vel ad præparandam voluntatem, vt illis obnitatur, media ad id ſuggerendo, cuiuſmodi ſunt, recurrere ad Deum, ad Superiores, abijcere ſe erga alios, vti aliquibus mortificationibus, & ſimilibus.

Etſi autem ad prædictos tres actus, ex quibus vera conſtatur prudentia ſupernaturalis, ſeu tendens in finem ſupernaturalem ſufficiat virtus, & lumen fidei, quando ſunt actus prudentiæ ordinarij, & dona Spiritus Sancti, vbi ſunt heroici, & extraordinarij; cum tamen gratia ſupponat naturam, illamque perficiat, negari non poteſt; quin huiuſmodi prudentia multum iuuetur iudicio naturali, ſi ſagax, & perſpicax ſit, ſi circunſpectum, ſi ad diſſerendum aptiſſimum; alijſque ad generis ſpectantibus etiam ad prudentiam naturalem, vel acquiſitam.

Sed vt rem clarius explicemus, cum gradus in prudentia, vel actus eius aliter accipiendi ſint, atque in alijs virtutibus, quæ vel in appetitu ſunt tam rationis, quam ſenſus, vel ab eo magis pendent; quàm prudentia, quæ habitus intellectus eſt, vt nimirum penes dictas actiones mentis, conſilium ſcilicet, iudicium, præceptionem, ſeu imperium, ac demum electionem conſideretur; per ordinem quoque ad illas breuiter adducemus regulas prudentiam exercendi.

Quo ad primum igitur actum, qui eſt conſilij, ſequentes regulæ ſolent aſſignari. *Prima*, diuina lex, iuxta illud Regij Prophetæ pſal. 118. *Et conſilium meum iuſtificationes tuæ*: ita vt quicquid peccatum eſt, aut ſpeciem peccati habet, nec Dei gloriam ſpectat, alienum omninò eſſe debeat à conſultatione noſtra. *Secunda*, oratio ad Deum, qua impetretur auxilium eius ad ea cogitanda, quæ recta ſunt, ſeu voluntati, legive diuinæ conſona, iuxta illud eiuſdem Prophetæ ibidem. *Benedictus es Domine; doce me iuſtificationes tuas*: & Pſalm. 142. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*. *Tertia*, diligens inquiſitio, & meditatio eorum, de quibus conſilium capitur: hanc enim diligentiam exigit à nobis Deus, proptereaque David beatum cum dixiſſet hominem, qui non abijt in conſilio impiorum, ſubdit, ſed in lege Domini meditatur die, ac nocte, Pſal. 1. & Pſalm. 118. de ſe ait: *Et lex tua meditatio eſt*. *Quarta*, ſibi, ſuiſque cogitatis non multum deferre, monente nos Sapiente Prouerb. 3. ne innitamur prudentiæ noſtræ: quod maximè agendum eſt, cum de rebus proprijs agitur, & incipientibus præſertim neceſſarium eſt. *Quinta*, cum præcedenti fere coincidens, eſt animi docilitas, qua fit, vt aliorum audiamus conſilia, & quid iudicent intelligamus perlibenter; nec obſtinatè in propria ſententia perſiſtamus. *Sexta* demum regula eſt, vt in rebus grauibus adhibeamus in conſilium Sapientes.

Ad alterum prudentiæ gradum, vel actum, qui eſt rectè de ijs omnibus, quæ in conſilium allata fuerint dijudicare: quæ propriè diſcretio eſt, qua diſcernuntur vera à falſis, certa à dubijs, inutilia ab vtilibus, intempeſtiua ab opportunis, honeſta ab inhoneſtis, iucunda à triſtibus, bona denique à malis, & inter hæc, quæ magis, minuſ-

ue

-ve bona, & quæ loco, tempori, perſonæ, rei agendæ magis minuſve congrua; nec quid ſolum, ſed quantum, & quatenus in vnaquaque re ſtatuendum, & progrediendum ſit, vt ample proſequitur B. Albertus Magnus in Paradiſo animæ cap. 34. vocans etiam hanc virtutem magiſtram omnium virtutum, ſtatuens illis modum, & ordinem: ita, vt vbi diſcretio non eſt, ibi charitas nō ſeruet ordinem, nec modum: Ad huiuſmodi, inquam, virtutem, prudentiæue actum, plura etiam deſeruiunt præcepta, pluresue regulæ. *Prima* deſumitur ex Caſſiano collat. 24. cap. 8. docente: *Menſuram virium ſuarum conuenire vnumquemque noſtrum, diligentius ante penſare, atque ad eius modulum arripere, quam libuerit diſciplinam: quia quamuis omnes vtiles ſint, tamen apta cunctis cuncta eſſe non poſſunt*. *Secunda* ex Diuo Bernardo, ſerm. 19. in Cant. cum ratione ambulare, & ſerm. 23. cum feruore charitatis, abſque quō, inquit, iacet virtus diſcretionis. *Tertia* eſt Diui Gregorij lib. 38. Moral. cap. 6. monentis, quod ſicut, ex ſtudio arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore cum vtilitate tendatur; ita aliquando in exercitatione virtus, cum per diſcretionem, prætermittitur, reſeruatur, vt tanto poſt vitia valenter feriat, quanto à percuſſione interim prudenter ceſſat. Sed cum hę, & aliæ ſimiles regulæ ſint omnibus communes, Idem qui ſupra D. Bernardus vult, huius diſcretionis locum in religioſis, qui aliorum imperio parent, ſupplere virtutem obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam, imperatum ſit faciant. Illos autem, qui imperant, ſiue prælatos admonet D. Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio; Non temerè ad delictorum modum, & mulctam ipſam adhibere, ſed tanquàm coniecturis quibuſdam explorandum, eſſe delinquentium animum, cauendū. que, ne dum conſuere volent, quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem faciant: ac dum eum, qui lapſus eſt, erigere, atque emendare ſtudent, caſus ipſe per eos maior reddatur.

Ex quibus breuiter, & per tranſennam aduerto, hanc diſcretionem ad prudentiam ſupernaturalem, & Chriſtianam pertinentem, valdè differre à diſcretione ſpirituum, quam D. Paulus 1. Corinth. 12. recenſet inter gratias gratis datas, & de qua agemus infra, quod cum iſta reperiri etiam poſſit in peccatoribus, nequaquam tamen illa, ſed neceſſariò coniungitur cum amore charitatis in Deum; ſicut & prudentia, ſi conſideretur complete, ſiue in ſuo imperij actu; ſolius enim hominis boni eſt illud per imperium rationis rectè ſtatuere, quod in vnaquaque re bene agendum ſit: conſilio ſiquidem, & iudicio valere poſſunt etiam improbi, habereque naturalem induſtriam ad bonum, & malum; vt docet D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 4. ad 3.

Cum tertius prudentiæ gradus, vel actus, iſque principalis, ſit præceptio, ſiue imperium, quo magna vi, & efficacitate imperat animus ſibi, & intellectus voluntati ad ea complectenda, & perficienda, quę poſt maturam conſultationem, ad rem agendam neceſſaria, & opportuna iudicata ſunt: *Accidere enim ſolet*, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. 51. art. 3. ad 3. *vt quod rectè iudicatum eſt, differatur, vel negligenter agatur, vel inordinatè: & ideo poſt virtutem, quæ eſt bene iudicatiua, neceſſaria eſt finalis virtus principalis, quæ eſt bene præceptiua, ſcilicet prudentia*. Ad præceptiuam hanc prudentiæ actionem, maximè conducit mortificatio paſſionum, & affectuum inordinatorum, qui non ſolum iudicio tenebras offundere ſolent, ne bene ſtatuat, & iudicet de medijs, verum etiam rationis imperiū, aut nullum, aut perindè ac nullum, minimè efficax, languidum, & eneruatum reddere. Propterea Salomon ait Prouerb. 24. Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus, robuſtus, & validus, per paſſionum videlicet, ne à conſulto, & propoſito recedat, mortificationem.

Tandem ad electionem, veram prudentiæ

dentiæ prolem, actioniſque humanæ animam, vt rectè ſanctèque exerceatur, nihil magis neceſſarium eſt, quam ſi primùm præparetur animus expiatione peccatorum, & conſcientię munditia, vt rectè ait Diuus Gregorius homil. 35. in Euangelia; tùm, eo præſertim tempore, quo electio facienda eſt, deliberantis animus ab omni perturbatione ſit liber. Vt docet idem Gregorius lib. 2. in 1. lib. Reg. cap. 3. nec non lib. 10. Moral. cap. 9. & lib. 8. Regiſtri epiſt. 12. ſed vbi in his, quæ ſub electionem cadunt, poſt accuratam rationum in vtramque partem expenſionē, adhuc ambigimus, quod à nobis fieri velit Deus, ad maiorem eius gloriam, ad ipſum recurrere debemus, omnis boni conſilij authorem, illudque ab eo humiliter flagitare, atque auribus internis, quid nobis inſpiret fideliter excipere.

Cum autem vniuerſim duplex ſit electionis ratio: prior quæ vtriuſque partis argumentis expenſis, adhęret illi, quam diuino lumine fidei illuſtrata mens intelligit, diuinæ gloriæ, ac ſaluti propriæ, nec non proximi magis cōſentaneam eſſe; Poſterior quæ plerumque repente ſit, quatenus voluntatem hominis diuina virtus ſic impellit, vt tollatur omnis dubitatio, quo minus ſequatur impulſum illum, aut aliquo alio extraordinario modo; ſicut ad priorem ſufficit prudentia ſupernaturalis ordinaria cum lumine fidei; quāuis etiam adiungat illi ſæpe Deus pro ſua infinita miſericordia, Spiritus Sancti donum, quod idcirco conſilium etiam dicitur, quod nobis à Deo tanquam Conſiliario datur in ijs rebus, quas licet abſolutè humana ratione cōſequi poſſemus, per accidens tamen, & ex imperfectione ſubiecti non valemus, cum innumeræ eſſe poſsint, vt pote ſingulares, & contingentes, proptereaque à Sapiente dictum ſit, Sap. 9. *Timidas eſſe cogitationes mortalium, & incertas prouidentias noſtras*. Ad poſteriorem tamen electionem modo extraordinario factam, quæque dicitur heroica, requiritur inſuper Donum Conſilij. Quod accidiſſe, certum eſt, Sanctis Matthæo, & Paulo Apoſtolis, cum ad Chriſti Apoſtolatum vocati diuinitus ſunt; & alijs etiam pluribus, qui, vt in hiſtorijs ſacris paſsim legitur, à mundi periculis, miris erepti ſunt modis, & in tranquillum vitæ religioſæ portum perducti. Ad quod genus pertinent etiam electiones aliæ repentinæ non ad vitæ ſtatum ſpectantes, ſed ad graues alias aliquas actiones obeundas, ad quas ſuo ſpeciali inſtinctu Deus homines aliquando mouet. Huius generis fuit ſententia Salomonis de matre pueri, quo ſe priuatam maluit, quam ne eum priuatum vita videret. lib. 3. Reg. 3. Nam vt ait Sanctus Hieronymus epiſt. ad Ruſinum, *Contra ætatis ſuæ menſuram de intimo humanæ naturæ ſuo indicauit affectu, vnde & admiratus eſt, & pertimuit illum omnis Iſrael. Videntes, vt Scriptura dicit, ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium*. Sed mirabilior longe, vt pote longè diuinior Chriſti Domini prudentia, cum Ioann. 8. mulierem adulteram eripuit ab imminenti vitæ periculo, illo dicto: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat*. Illa item, cum Phariſeorum doloſa conſilia tam facile eluſit, dicens Matt. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*.

Vltimo tandem, cum norma virtutum omnium tam moralium infuſarum, quam Theologicarum ſit prudētia, & exercitationis earum adminiſtra; eam propterea exercendi occaſionem, & materiam ſubminiſtrant virtutes omnes, ſimulque omnia illa, quæ nos ad actiones virtutis cuiuſcumque obeundas quacumque ratione vel inuitant, vel vrgent. Quocirca actus prudentiæ melius etiam exerceri non poterunt, quam cum in actionibus virtutum ſingularum circumſpecte verſabimur. Statuto per illam actionibus humanis eo modo, ijſque finibus,

quos

quos vltra citraque neſcit rectum conſiſtere; eaque veluti menſura quadam ita moderante actiones hominis bonas, vt eæ remiſſę non ſint, neque redundent, nihilque, quod ad eas honeſtandas neceſſarium ſit, aut prætermittatur, aut vacet. De quo Caſsianus Collat:2. cap. 16.

CAPVT V.

De virtute Iuſtitiæ.

IVſtitia in diuinis Scripturis tripliciter accipitur. Primò pro complexione omnium virtutum Pſal. 105. *Qui faciunt iuſtitiam omni tempore.* Et Matth. 5. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Secundò iuſtitia ſumitur pro miſericordia, ſiue eleemoſyna: quæ ad iuſtitiam, & ſanctitatem diſponit peccatorem; & iuſtum de condigno cumulat iuſtitiæ augmento. Sic accipitur Pſalm. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Et Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtrã faciatis coram hominibus. Cum ergo facis eleemoſynam &c.* Tertiò ſumitur pro virtute reddente alteri debitum ad æqualitatem, & de illa ſic ſumpta agimus in præſenti, eſtque virtus Cardinalis, quæ definitur conſtans, & perpetua voluntas, id eſt habitus firmans voluntatem ad reddendum alteri debitum, vel tribuendum vnicuique ius ſuum ad æqualitatem. Dicitur *firmans*, tanquam habitus bene diſponẽs ſubiectum ſuum: nimirum *voluntatem* perſonæ priuatæ, vel publicæ; ex eo enim quod iuſtitia ſe habet ad alterũ, atque adeò modo rationali; & non ſenſitiuo procedit, in iſto appetitu non ſubiectatur; & quia reſpicit debitum reddendum, ſeu dandum, non perficit cognitionem, ſed voluntatem, quæ inclinat ad dandum. *Ad æqualitatem*, quia ſi debitum alteri reddatur non perfectè, nec ad æqualitatem, non ſeruabitur iuſtitia, quæ ſignificat, & importat dati tribuique, ad debitum adæquationem, & commenſionem. Ideoque excluduntur religio, & pietas ſimilesque virtutes annexæ iuſtitiæ: quarum obiectum, eſt debitum alteri ita immenſum, vt non poſsit illi ſatiſfieri ad æqualitatem: Et propterea etiam, licet huiuſmodi virtutes ex partẽ materiæ ſint nobiliores quam iuſtitia, ſi enim conſideretur materia religionis, quæ eſt cultus diuinus, & materia iuſtitiæ, quæ verſatur circa contractus humanos, illa eſt perfectior, & nobilior materia, quam iſta ſecundum ſe; quia tamen deficit à modo ſatisfaciendi ad æqualitatem, ſeu materia diuini cultus in ratione æqualis, ſeu reductionis ad æqualitatem (quod eſt proprium munus iuſtitiæ, & vnde dicitur virtus cardinalis) non eſt ita perfecta, ſicut quæ fit in contractibus humanis, aliiſque ſimilibus iuſtitiæ obiectis, idcirco nec religio, nec aliæ virtutes morales iuſtitiæ ſubiectæ, nobilius ipſa obiectum habentes, dicuntur virtutes Cardinales, ſicut ipſa. Quæ etiam dignitate pręcellit omnibus virtutibus moralibus, quæ ſunt circa paſſiones, præſertim iuſtitia legalis, quæ reſpicit bonum commune, ſeu debitum legis, & architectonice, ſeu principaliter eſt in principe, qui ordinat, & gubernat bonum commune, miniſterialiter autem, & ſubiectiuè in ſubditis, qui illi obediunt.

Ex dictis patet, quod obiectum formale, ac ſpecificatiuum iuſtitiæ ſit idẽ quod ius, ſeu iuſtum, quod eſt multiplex, aliud enim eſt naturale, aliud gentium, aliud poſitiuum, de quibus, & ſimilibus non eſt huius loci agere. Actus autem eius eſt quaſi duplex, ſcilicet reddere vnicuique quod ſuum eſt, veluti pertinens ad executionem; & ſecundo determinare, ſiue indicare ęqualitatem, & proportionem inter ipſas res; quod vocatur medium rei, ad differentiam medii rationis, quod pertinet etiam ad alias virtutes, vt dicetur infra agendo de earum proprietatibus, quatenus reſpiciunt regulationẽ actuũ,

qui egrediuntur à voluntate, pro vt ab illa egrediũtur. Iuſtitia autem non ſolũ ponit talem rationis regulationem in ipſo actu voluntatis, ſed etiam in ipſis rebus, vel perſonis determinat æqualitatem, & proportionem, non quia iuſtitia eliciat ipſum actum iudicij, qui eſt actus cognitionis, hoc enim eſt actus Syneſis, quæ eſt pars potentialis prudentiæ, ſed iuſtitia diſponit voluntatem; vt conuenienter moueatur intellectus ad iudicandum.

Iuſtitiæ opponitur iniuſtitia, ſiue iniuria, vt eſt ſpeciale vitium, & definitur, ſi ſumatur habitualiter, praua voluntatis diſpoſitio, acquiſita ex actibus iniuſtis, ſiue iniurioſis, & ad ſimiles inclinans; Actus autem iniuſtus, vel iniurioſus, ſiue actualis iniuſtitia, vel iniuria, eſt violatio alieni iuris, ſeu iuſti, & æqualis alteri debiti, ita vt habeat legitimam poteſtatem ad illud exigendum. Ex quo iure aliud reſultat, nimirum poteſtas legitima, hoc eſt diuinę, humanęue legi conſentanea, perſonæ in re ſibi obligata, vel ad rem ſibi obligandam; vnde diuiſio duplicis iuris, in re, & ad rem; primum enim eſt poteſtas legitima in re obtenta, tanquam ſua, ſibique obnoxia; ideoque tribuit actionem realem; ſecundum autem eſt poteſtas legitima ad rem obtinendam, ſibique obligandam; tribuens proinde actionem duntaxat perſonalem, non autem realem. Cuiuſcunque igitur iſtorum iurium, aut ſimiliũ violatio; eſt iniuria, vel iniuſtitia actualis, ſi fiat ſine iuſta cauſa, nam ſi adſit, iniuria aberit. Vti conſtat in gladij depoſiti negatione furioſo repetenti; item in caſu, quo priuatus ſpoliatur iure ſuo, pro bono communitatis. Et ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia eſt contra bonum alterius, ſcilicet proximi; ex quo per ſe ſequitur damnum illius, atque adeo eſt etiam contra charitatem, quæ amat bonum proximi.

Partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies iuſtitiæ ſunt tres, ſcilicet legalis, Diſtributiua, & commutatiua. Cum enim iuſtitia conſtituat ordinem ad alterum, tot debent dari eius ſpecies, quot dantur ordines ad alterum; poteſt autem iſte ordo conſiderari, vel inter partem, & partem, id eſt, inter duas perſonas priuatas, vel inter totum, & partem, vel ex aduerſo, inter partem, & totum. Primo modo conſtituitur iuſtitia commutatiua; Secundo modo diſtributiua, quatenus à capite deriuatur ad partes reipublicę conueniens diſtributio; tertio modo eſt iuſtitia legalis, qua quælibet perſona reſpicit bonum commune, & debitum legis. Quarto poteſt addi iuſtitia vindicatiua; niſi quis diſtributiuam partiri vellet in præmiatiuam, & vindicatiuam, ſingulæ breuiter explicantur, & incipiendo ab vltima.

Iuſtitia Vindicatiua eſt virtus, reddens malefactori debitam pœnam culpæ adæquatam. *Eſt virtus*, bene diſponens Principem, Magiſtratum, Iudicem, Superiorem, ad alterum ſcilicet malefactorem. Superiorem, inquam; nam vindicta vetatur priuato, & præcipitur ſuperiori, tanquam Dei adminiſtro Roman. 12, *Debitam pænam*, iuſte promeritam, & culpæ congruentem: non autem debitam ciuili obligatione, ſtrictoque iure; ita vt malefactori irrogaretur iniuria, niſi ei infligeretur pœna; quæ eſt malum punitiuum, reo inflictum ad vindicandam culpam ei intrinſecam: *Culpę adæquatam*, quoniam iuſtitia vindicatiua ſignificat adæquationem pœnæ ad culpam; & commenſam repenſionem mali pænæ, pro malo culpæ: vt pro menſura delicti ſit plagarum modus. Quemadmodum enim laus competit benefactori, ita pæna malefactori: vt qui prolapſus eſt extra ordinem recti per culpam, in ordinem reuocetur per pœnam: vt etiam fiat reparatio iniuriæ, ac demum malefactor, eiuſque exemplo alij ab inferenda iniuſtitia, & iniuria coerceantur.

Iuſtitia legalis eſt virtus firmans volunta-

luntatem priuati ad tribuendum reipublicæ debitum ad æqualitatem. *Legalis*, extendens ſe ad omnia, legibus ſtatuta, pro bono communi, non enim reſpicit debitum particulare, ſed communiter debitum omnium virtutum, ex quibus coaleſcit bonum commune. *Priuati*, tanquam partis ad totum, & membri ad corpus. *Ad tribuendum reipublicæ debitum*, procurando bonum commune, & præponendo illud priuato, ſi ſecus fiat, priuatus peccabit contra hanc iuſtitiam; non contrahet tamen obligationem reſtitutionis; niſi ſit princeps, aut ſuperior communitatis, cui ex officio incumbit bonum publicum procurare.

Iuſtitia diſtributiua eſt virtus, ſeruens æqualitatem proportionis, ad proportionem, in diuiſione bonorum, onerumque communium. *Virtus* bene diſponens communitatem, ad membra ſua. Communitatem, inquam, vel eum qui illam repræſentat: v. g. magiſtratum, ſuperiorem. *Seruans æqualitatem proportionis* rerum diſtribuendarum; proportio autem cum in genere ſit duarum, pluriumue rerum inuicem facta comparatio, & in ſpecie duplex ſit, vna arithmetica, quæ eſt adæquatio numerorum, & quantitatum inter ſe; quantitatis, inquam, vnius rei ad quantitatem alterius rei. V. g. dati, & accepti; mercis, & pretij; damni, & reſtitutionis: Altera geometrica, quæ eſt adæquatio proportionis rerum diſtribuendarum, ad proportionem qualitatis perſonarum; propter quam ijs facienda eſt diſtributio, hæc eſt propria iuſtitiæ diſtributiuæ, *In diuiſione bonorum communium*, officiorum, honorum, dignitatum, beneficiorum; & ſimilium, non mere gratuitorum; ſed debitorum membris communitatis; vt ſi is, qui habet pertinentem qualitatẽ vt duo, accipiat ſex ſcuta; tunc is qui habet qualitatem vt quatuor, debebit accipere duodecim. *Onerumque communium*; cuiuſmodi ſunt contributiones indictæ, hoſpitia militum, & ſimilia, cum eadem proportione geometrica diſtribuendorum; vt ſi habens mille ſcuta contribuat centum; tunc habens quingenta, debebit contribuere quinquaginta. Et tale Ius, nimirum bona, & onera communia membris reipublicæ ab eius capite proportione geometrica diſtribuenda, eſt proprium iuſtitiæ diſtributiuæ obiectum.

Actus iuſtitiæ diſtributiuæ perficitur per iudicium, quo decernitur debita diſtributio præmiorum; vndè etiã vitium illi maximè oppoſitum eſt acceptio perſonarum, quæ attendit ad conditionem perſonæ, & non ad proportionem cum præmio. Quare definitur, quod ſit iniqua diſtributio rerũ communium, facta perſonis propter illarum qualitatem impertinentem. Seu vitium iuſtitię diſtributiuæ oppoſitum, quo fit iniqua diuiſio bonorum, onerumue communium, habito reſpectu ad perſonas, non ad iuſtas cauſas. *Vitium*, ex genere ſuo mortale. *Iuſtitię diſtributiuę oppoſitum*, quia euertit proportionem geometricam, quam ſeruat iuſtitia diſtributiua. *Quo fit iniqua diuiſio*, præferendo indignũ digno; minus dignum digniori: dando minus bonorum communium ei, qui reſpectiuè ad alios, plus habere debet; vel plus onerum communium ei, qui minus onerandus erat. Quod ſi non fiat iniqua diuiſio, non erit propriè acceptio perſonarum; E. g. ſi inter æqualiter dignos ad beneficium Eccleſiaſticum præfeţatur popularis, amicus, conſanguineus, domeſticus &c. *Habito reſpectu ad perſonas*, earumue qualitates impertinentes.

Iuſtitia commutatiua eſt virtus tribuens vnicuique quod ſuum eſt, ſeruata æqualitate rei ad rem. *Eſt virtus*, iuſtitiaque particularis, bene diſponẽs vnum priuatum ad alium, vel eos, qui ſe inſtar priuatorum habent, quamuis ſint alias perſonæ publicæ. *Seruata æqualitate*, id eſt arithmetica proportione rei ad rem; dati ad acceptum; pretij

pretij ad mercem: mercedis ad laborem; rei reſtitutæ ad ſublatam. Et ſic proprium huius iuſtitiæ obiectum, eſt ius, vel iuſtum alteri ad æqualitatem reddendum; propriuſque eius actus, illud alteri particulari reddere. Quod quia fit dupliciter, primo ratione alicuius actionis, vel commutationis voluntariæ, ſicut fit in diuerſis contractibus; vel ſecundo ratione inuoluntariæ actionis, ſeu iniuriæ, vel damni, quod fit per reſtitutionem, ideo ad iuſtitiam commutatiuam pertinet ampliſſima contractuum materia, nec non reſtitutionis faciendæ.

Vitia iuſtitiæ commutatiuæ oppoſita ſunt in multiplici differentia, quæ ſic poſſunt breuiter in ordinem redigi, iuxta diuerſas rerum commutationes, circa quas verſatur. Poſſunt enim illæ fieri, vel cum conſenſu, & voluntate vtriuſque partis, & ſic propriè ſunt actiones commutatiuæ; vel altero inuito ſeu patiente, & ſunt commutationes inuoluntariæ. Circa quas poteſt committi iniuſtitia, vel iniuria dupliciter, vel facto, vel verbo. Iterum facto, vel in perſonam propriam, vel in coniunctam, vel in res poſſeſſas, primo modo fit iniuria per homicidium, vel per pænalem tractationem perſonæ, illam mutilando, verberando, incarcerando &c. Secundo modo fit iniuria in perſonam coniunctam, vel in vxorem per adulterium, vel in filiam per ſtuprum, vel in conſanguineam per inceſtũ, quæ ſunt ſpecies luxuriæ; tertio, in res poſſeſſas, ſi accipiantur inuito domino, vel per furtum occultè, vel per rapinam manifeſtè, & violenter. Quare præfata hæc vitia opponuntur iuſtitiæ commutatiuæ verſanti circa commutationes inuoluntarias conſiſtentes in factis, quę ſic breuiter definiri poſſunt; *Homicidium*, quod ſit voluntaria, & deliberata, vt excludatur indeliberata, caſualis, & fortuita; nec non iniuſta, vt excludatur iuſte facta per iudicem, executorem publicę poteſtatis, & ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, hominis occiſio. *Furtum*, eſt iniuſta, & occulta rei alienę acceptio. *Iniuſta*, violando ius domini rationabiliter inuiti, quia non eſſet furtum ſi acceptio foret iuſta; v. g. in extrema neceſſitate, & in occulta compenſatione &c. item ſi dominus conſentiret, aut ſi foret irrationabiliter inuitus. *Et occulta*, domino neſciente, ſaltem ex intentione accipientis; qua per ſe furtum differt à rapina, & acceptione iniuſta per contractum iniquum. *Rei alienæ*, proprietate vel vſu. Vndè licet non ſit furtum, acceptio rei ſuæ, quatenus ſua eſt; poteſt tamen eſſe, quatenus eſt aliena vſu, alioue iuſto titulo, v. g. commodati, pignoris, aut alio ſimili. *Acceptio*, vſurpatio, qua res ab accipiente ſibi vindicatur; per quam particulam, furtum diſtinguitur ſaltem materialiter à damnificatione, qua res aliena vaſtatur, & deſtruitur. *Rapina* eſt iniuſta, & violenta rei alienæ acceptio, facta nimirum domino ſcienti, & renitẽti per ſe, vel cuſtodes: ſaltem non ſpõte conſentienti. His annexa ſunt *peculatus*, nimirum furtum pecuniæ publicæ; *abigeatus*, nimirum pecudum iniuſta, & violenta, doloſaue abductio; & *plagium*, nimirum liberi hominis iniuſta acceptio, facta animo vindicandi illum in ſeruitutem.

Iuſtitiæ commutatiuæ verſanti circa commutationes inuoluntarias, in quibus verbo committi poteſt iniuſtitia, plura quoque opponuntur vitia, & peccata nam poteſt fieri, vel in iudicio, vel extra iudicium; ſi in iudicio, quinque modis, ſecundum quod ad illud cõcurrunt quinque perſonæ, quæ iniuſtè procedere poſſunt. Iudex, accuſator, ſeu denuntiator, teſtis, reus, aduocatus; ad iſtas enim reducuntur alij miniſtri iuſtitiæ, & peccata, ſeu iniuſtitiæ ex parte illorum. Similiter extra iudicium poteſt fieri iniuria per verba, ſeu quæcumque alia ſigna exteriora manifeſtatiua defectus alieni, quinque modis, ſcilicet contumelia, murmuratione

tione, ſeu detractione, ſuſurratione, irriſione, & maledictione. Quæ ſic diſtinguntur, quod per *contumeliam* tollitur honor alienus præſenti, præſertim manifeſtando aliqua mala culpæ, vt quod ſit fur, homicida &c. nam dicendo aliqua mala pœnæ, vt quod ſit cæcus, vel claudus, eſt conuitium; dicendo autem minorationem, vel indigentiam alicuius, vt quod ſit ignorans, vel egenus eſt improperium, quod totum tamen ſub contumelia continetur, quæ definiri poteſt, iniuſta honoris violatio, irrogata præſenti, & ſcienti. Si ex contumelia, & ſimiliter ex murmuratione non ſit damnum ſecutum; vel honor, & fama ſit recuperata; contumelioſus, aut detractor tantum tenebitur ad veniæ petitionem, & reconciliationem. *Murmuratio* autem, ſeu detractio non tollit totaliter honorem, ſed famam denigrat, vnde definitur alienæ famæ occulta, id eſt irrogata abſenti, ſaltem ex intentione detrahentis, quæ particula diſtinguitur à contumelia, & iniuſta denigratio; ſi enim talis denigratio eſſet iuſta, non foret formalis detractio. Detractor obligatur ad reſtitutionem famæ, & damnorum ſecutorum; etiam cum propria infamia, quin & cum vitæ propriæ periculo, ſi eiuſmodi periculum immineat diffamato. *Suſurratio* dicit aliqua mala de proximis ſeminando diſcordias. *Irriſio* manifeſtat malum aliquod, ſeu defectum proximi, ad inferendum pudorem, ſeu confuſionem. *Maledictio* tandem manifeſtat aliquod malum, non affirmando illud, ſed imprecando proximo.

Denique eidem iuſtitiæ commutatiuæ verſanti circa commutationes voluntarias, quæ fiunt ex conſenſu, & cōtracto, duo ſolum peccata principalia inueniuntur, ſcilicet fraudulentia, & vſura. Et quidem fraudulentia verſatur circa emptiones, & venditiones, aliosque ſimiles contractus, qui aliquo modo conueniunt cum emptione; vt *locatio*, conductio, ſocietas, negotiatio, & *alii ſimiles*, contra quos ſi peccetur, per fraudulentiam peccatur. Vſura autem verſatur circa mutuum, vel contractus, qui habent aliquam ſimilitudinem mutui, ſaltem virtualiter, ſecundum anticipatas ſolutiones. Sic vſura definitur, voluntas capiendi lucri, vi mutui; vel contractus mutui, cum obligatione capiendi lucri, vi mutui. *Vſura*, inde dicta, quod pro vſu ſortis, lucrum accipiatur. *Eſt contractus mutui*, expreſſi, vel impliciti. Cum obligatione, ciuili, & ſtricta, eaque explicita, vel tacita, quæ poſtrema ſufficit, & ſubeſt, quoties ſigno, nutu, modo dandi, vel loquendi, idem ſignificatur, quod pacto expreſſo. *Capiendi lucri*, ſupra ſortem. *Vi mutui*, ita vt lucrum ex mutuo proueniat, non aliunde. V. g. ex amicitia, ſpontanea gratitudine, aut intereſſe damni emergentis, lucriue ceſſantis. Sors hic vocatur ſumma capitalis mutuo data. Quia autem vſura non ſolum ſumitur pro contractu vſurario, verum etiam pro lucro, ex mutuo proueniente, tale lucrum eſt acquiſitio pecuniæ, vel rei pecunia æſtimabilis, qualis non eſt fauor, honor, fama, beneficium &c. quæ ſunt altioris ordinis, quam pecunia, alias indebitæ. Vſura vna eſt *aperta*, contractus ſcilicet mutui, cum pacto expreſſo lucri, vi mutui; alia *palliata*, ea nimirum, cuius turpitudo honeſto prætextu velatur, *realis*, quæ eſt mutuatio, acceptioque lucri, ſaltem deducta in pactum, vi mutui. Et *mentalis*, quæ eſt mutuantis voluntas accipiendi lucrum, vi mutui præſtiti, ſine acceptione ſecuta, vel in pactum deducta. Vel aliter, vſura mentalis eſt interna voluntas accipiendi lucrum, vi mutui; abſque mutuatione tamen, & acceptione, ſecuta vel pacta. Quando agitur de vſura mentali, illa prior intelligenda eſt; quæ etiam dicitur peccatum vſuræ mentalis: hæc autem poſterior dicitur peccatum mentale vſuræ. Vſura mentalis vna eſt *pure mentalis*, quæ eſt mutuatio cum voluntate accipiendi lucrum, vi mutui, ſine

ne acceptione ſecuta, vel pacta. Alia *mixta*, quæ eſt acceptio lucri, vi mutui, ſine vllo pacto expreſſo, vel tacito. Quod pactum tacitum eſt plurium in idem conuentio implicita. Cenſeturque in hac materia mutui ſubeſſe, quoties mutuans modo ſuo agendi innuit ſe intendere, obligare mutuatarium, ad præſtandum auctarium vltra ſortē. Vſurarius pure mentalis peccat, ſed nō obligatur ad reſtitutionem, quia nihil accipit alieni; ſecus eſt de mixtè mentali, qui peccat, & obligatur ad reſtitutionem, quia iniuſtè habet alienum. Licet vſura ſit accipere aliquid vltra ſortem, vi mutui, non tamen ratione intereſſe, quod eſt lucrū ceſſans, damnumue emergens. Lucrum ceſſans eſt carentia acquiſitionis pecuniæ, rei ue pecunia æſtimabilis, alias indebitæ. Damnum autem emergens eſt rei propriæ poſſeſſæ, vel ſtricto iure debitæ detrimentum.

Partes integrales iuſtitiæ, id eſt, quæ eam entitatiuè non componunt, ſed sūt conditiones tantùm, vel diſpoſitiones ad eius perfectionem concurrentes, ſunt duę, ſcilicet facere bonum, & declinare à malo. Poteſt autem dupliciter ſumi, hoc quod eſt facere bonum, & declinare à malo. Vno modo vt ſe tenet ex parte operantis, quatenus facit actum bonum, id eſt, qui bene egrediatur ab ipſo operante. Alio modo fit bonum ex parte rei exterioris, quatenus in illa conſtituitur ęqualitas, vel inæqualitas, & ſic idem eſt bonum, ac iuſtum. Primo modo facere bonum, & declinare à malo eſt commune omni virtuti, nec ſunt duæ partes, ſed vna, & eadem, quia faciendo bonum, hoc ipſo declinatur à malo. Secundo autem modo ſpecialiter inuenitur in iuſtitia, & duæ ſunt eius partes, non vnus, & idem motus, ſumendo declinationem à malo non pro receſſu à malo, vt à termino à quo; & facere bonum pro acceſſu ad terminum ad quem; ſed facere bonum eſt conſtituere æquale, & declinare à malo, eſt non inferre nocumentum, quæ duo ſunt diuerſa, & qui facit vnum, non continuo facit alterum, aliud enim eſt non lædere, & aliud reddere debitum; vnum violatur per omiſſionem, aliud per commiſſionem.

At loquendo de partibus potentialibus iuſtitię, plures ſunt, & variæ, ex duobus principijs deſumendæ. Cum enim partes potentiales in aliqua virtute, ſint illi habitus, ſeu virtutes, quæ conueniunt cum principali virtute in modo tendendi, & reſpiciendi obiectum, ſed differunt in materia, quia virtus Cardinalis, ſeu principalis reſpicit materiam magis principalem, & difficilem, partes verò potentiales in materia minus principali, & difficili, ſeruant modum talis virtutis: Ratio autem iuſtitiæ conſiſtat in eo, quod reddatur alteri, id quod eſt illi debitū, ſecundum ęqualitatem; vndè in illa materia ſaluatur principalis ratio iuſtitiæ, in qua redditur rigoroſum debitū, & ſic rigoroſa ęqualitas; quę verò deficiunt à rigore debiti, vel rigore æqualitatis, & tamen aliquid debiti ſeruant, aut aliquo modo faciunt æqualitatem, aliam habent materiam iuſtitiæ minus principalem, & potentialem; propterea ex his duobus principijs repetenda eſt partium potentialium iuſtitię diſtinctio, ac diuiſio. Nam quædam ſeruant rigoroſum debitum ad alterum, non tamen poſſunt ſeruare æqualitatem in reddendo illud. Aliæ è contra poſſunt reddere, ſed non habēt debitum rigoroſum, ſeu legale, id eſt iure aliquo, ſeu lege aſtrictum, ſed morale, ſeu ex quadam honeſtate virtutis. In primo ordine collocantur illæ virtutes, quæ reddunt debitum Deo, vt *religio*; parentibus, vt *pietas*; Superioribus, ſeu excellentioribus hominibus, vt *obſeruantia*: his enim maximè obligamur, ſed ad æqualitatem reddere non poſſumus. In ſecundo verò ordine, cum debitum morale, ſeu honeſtatis dupliciter conſiderari poſſit: vno modo taliter, quod ſine illo honeſtas virtu-

virtutis conſiderari non poteſt, quia pertinet ad debitã inter homines correſpondentiam, ad eum ita conſideratum ſpectat triplex virtus, nempe ex parte ipſius debentis *veracitas*, vt ſine mendacio, & fictione procedatur, ex parte verò eius, cui debetur, recompẽſatio, quod facit in bonis *gratitudo*, in malis verò *vindicatio*; Alio modo, quod requiratur tantum, vt melius cõſeruetur, non autem ſimpliciter, & ad eum ita ſpectatum pertinet duplex virtus, ſcilicet *liberalitas*, & *affabilitas*, ſeu amicitia.

Religio igitur potiſſima pars potentialis iuſtitiæ commutatiuæ, definiri ſolet, quod ſit virtus moralis, inclinans creaturæ intellectualis voluntatem, ad tribuendum Deo latriæ cultũ debitum. *Moralis &c.* quia ſuppoſiti intellectualis mores componit iuxta præſcriptum rationis. Imo inter morales prima, quia inter eas præcipua, proximeque accedens ad virtutem Theologicam.

Non eſt tamen Theologica, quia pro immediato obiecto non habet Deum, ſed cultum Deo debitum: ſicut iuſtitia habet pro obiecto, ius proximo debitum, non proximum. *Ad tribuendum Deo latriæ cultum debitum*, Nam religio tanquam pars nobiliſſima iuſtitiæ creaturæ ad creatorem perſoluit Deo cultum omnium perfectiſſimum, qualis eſt latria; idque ſub ratione formali debiti. Cum enim cultus vt ſic, ſit honor cum ſubmiſſione, ſiue teſtimonium excellentiæ alienæ, & ſubmiſſionis propriæ, cultus latriæ eſt teſtimonium infinitæ excellentiæ diuinæ, & infimæ propriæ ſubmiſſionis ad eam.

Actus verò religionis varij, & multiplices ſunt, ratione diuerſæ materiæ, quę aſſumitur in cultum diuinum, & ſic non diſtinguntur in ratione formali virtutis, licet diſtinguantur ex parte materię, ſicut diſtinguuntur in eodem homine diuerſæ partes, eterogeneę, non diſtinctione ſpecifica formali, ſed materiali.

Religio igitur poteſt ſubijcere Deo, & in cultum eius, vel aliquid ſpirituale, & interius, vel aliquid corporale, & exterius. Ex parte rei interioris oblatę aut illi ſubiicimus voluntatem noſtram per promptitudinem, & applicationem expeditam, ad agendum ea quæ Dei ſunt, & ſic eſt *deuotio* (nam ſi id fiat per firmitatem aliquam traditionis, vel promiſſionis erit votum) vel ſubijcimus intellectum eleuando mentem in Deum, & ſic eſt *oratio*, quę vt ſupra vidimus, eſt eleuatio mentis in Deum, cum decentium petitione. Deuotio autem ſumpta pro ſpeciali actu religionis definitur interna ſui ad cultum diuinum oblatio, & traditio: qua quis ſe Deo deuouet, & cultui ipſius: ſumpta autem pro generali conditione omnium actuum religionis, quod ſit promptitudo voluntatis, & feruor affectus, ad ea, quæ ſunt cultus diuini. Hic autem feruor eſt intenſio affectus, excludens acediam, & teporem.

Actus autem, qui exteriorem materiam in Dei cultum offerunt, vel id faciunt ſubijciendo, & ordinando aliquid ad talem cultum, vel aſſumendo aliquid diuinum in eius reuerentiam. Primo modo cum illi ſubijcere poſſimus, vel corpus proprium, vel res proprias quas poſſidemus, ſi ſubijcimus corpus, eſt *adoratio externa*; definita ſenſibile teſtimonium excellentiæ diuinæ, & erga eam ſubmiſſionis propriæ. Adoratio interna eſt cultui Synonima ſi ſubijcimus res poſſeſſas, quia vel id facimus illas abdicando à nobis, vel promittendo, & reddendo promiſſa; iterum, ſi abdicando, vel per immutationem illarum in honorem Dei, & proteſtationem ſummæ illius excellẽtię, & ſic eſt *ſacrificium*, definitum, oblatio externa rei ſenſibilis, per realẽ illius mutationem, à legitimo miniſtro facta Deo in teſtimonium ſupremi dominij ipſius, & noſtræ ſubiectionis, Vel eas tradendo ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei, & huiuſmodi ſunt *Simplices oblationes*, ſeu *primitiæ*, vel *de-*

tione. Quod ſi ſecundo modo, id eſt promittendo, aliquid, vel noſmetipſos ſubijcimus Deo, eſt *votum* quod eſt actus religionis, quia fit in reuerentiã Dei, ſoletque definiri, promiſſio facta de meliori bono. Quod cum dupliciter fieri poſſit, vel per modum nudæ promiſſionis, & tunc eſt *votum ſimplex*; vel ſuperaddendo traditionem, ſeu conſecrationem rei promiſſæ cum acceptatione Eccleſiæ nomine Dei, & talis promiſſio conſecratiua, dicitur votum ſolemne, eo quod tunc aliquid ſolemnizari poſtulat, quando conſummatur, & completur. Vnde votum ſolemne definiri ſolet, eſſe illud, quod annexum eſt ſuſceptioni ordinis ſacri, aut profeſſioni religionis approbatæ. Nam ſuſceptio ordinis ſacri, & profeſſio religionis, ſunt actus ſolemnes, qui ex decreto Eccleſiæ, efficiunt votum ſolemne. Votum autem ſimplex eſt quodcumque votum, emiſſum extra ſuſceptionem ordinis ſacri, & profeſſionem religionis approbatæ.

Quod ſi in cultum Dei, aſſumamus aliquid diuinum, quæ eſt altera pars diuiſionis actuum religionis per materiam exteriorem, interponendo nimirum eius authoritatem ſecundum obſeruantiam religioſam, quod fit vtendo nomine diuino, quo nobis authoritas Dei ſignificatur, cum tali nomine tripliciter vti poſsimus in cultu diuino: Primò in ordine ad confirmationem veritatis, quæ quia Deo infallibiliter nota eſt, interponimus ipſum in teſtem, ad oſtendendam veritatem, quam dicimus eſſe certam, & hæc proteſtatio pertinet ad cultum Dei, qui ſic proteſtamur Deum eſſe ſummam veritatem; ſic eſt *iuramentum*, definitum diuini nominis atteſtatio, ad fidẽ faciendam, promiſsionemue firmandã: Secundò, non ad confirmandam noſtram veritatem, & obligando nos ad eius certitudinem, ſed ad extorquendam illam ab alios per interpoſitionem nominis diuini, & ſic eſt *adiuratio*, qua vel per modum compulſionis adiuramus dæmones, vel per modum deprecationis homines. Tertiò denique vti poſſumus nomine diuino ad laudandum ipſum, & inuocandum pro auxilio, & ſic eſt *inuocatio*.

Religioni per exceſſum opponitur *ſuperſtitio*, per defectum *irreligioſitas*. Incipiendo à prima, ſuperſtitio in genere eſt ſuperfluitas in cultu diuino, non quidem in cultu vero, in quo nulla poteſt dari nimietas, ſed in aliquibus, quæ ad cultum verum pertinent, vnde ſolet definiri falſa religio, exhibens cultum numini indebito, vel indebitum vero. Et inde, ſiue ex hoc duplici principio deſumuntur ſuperſtitionis ſpecies; nimirum, quod exhibeatur cultus vero Deo, ſed modo indebito; & exhibeatur non vero Deo, ſed creaturæ, quæ exiſtimatur Deus. Primumque diuiditur in ſuperſtitionẽ veri numinis, & in ſuperſtitionem falſi. Prima definitur, veri Dei cultus indebitus, hoc eſt diuino inſtituto, rationique diſſentaneus, qui eſt duplex: falſus, & ſuperfluus. Iterum falſus, ſeu non verus eſt talis in ſe, vel in ſua ſignificatione. Falſus in ſe eſt is, qui præ ſe fert verum legitimumque Dei honorem cum non ſit talis. V.g. celebratio Miſſæ facta à non Sacerdote; falſorum miraculorum, ac ſimilium rerum adinuentio; falſus in ſua ſignificatione eſt, v. g. moderna vſurpatio Iudaicarum ceremoniarum, ſignificantium Meſſiam venturum. Vterque hic falſus cultus regulariter eſt peccatum mortale. Superfluus autem veri Dei cultus, eſt ille qui redditur, vel cumulatur per res, aut circumſtantias indebitas, ab Eccleſiæ doctrina, moreque alienas; & inutiles ad Dei honorem, mentiſque humanæ in eũ eleuationẽ. V.g. oratio, vel adoratio, facta cum ſuperfluis circumſtantijs temporis, loci, numeri, ſitus &c. Hic cultus ſuperfluus ferè eſt tantùm peccatum veniale, ſepoſito contemptu, & ſcandalo. Altera autem ſuperſtitionis ſpecies, qua colitur numen falſum, quod non

debet

debet coli, v. g. Iupiter, Diana, Sol, Mercurius &c. & ideo definitur cultus Dei non veri; diuiditur in *idololatriam, diuinationem*, ſeu *ſuperſtitionem diuinationis*, & *obſeruantiam vanam*, ſeu *ſuperſtitionem obſeruationum*. Cum enim cultus & reſpiciat perſonam, cui exhibetur, & ſigna proteſtatiua dignitatis, per quæ exhibetur, ſi aliquis erret in perſona: exhibendo cultum creaturæ, & non Deo, ſic eſt *idololatria*, quæ definitur cultus diuinus, creaturæ exhibitus, ſeu idoli latria. Si quis autem erret circa ſigna proteſtatiua diuinitatis, cum id dupliciter fieri poſſit, ſic ſūt aliæ duæ ſpecies huius ſuperſtitionis; Nam ſigna, & ceremoniæ, quibus Deo cultum exhibemus, vel ordinantur ad noſtram inſtructionem, qua edocemur à Deo, vt per lectiones, orationes, Sacramenta &c. vel ordinantur ad directionem actuum noſtrorum, obſeruando ea quæ Deus inſtituit; contra primum eſt *diuinatio* ſeu ſuperſtitio diuinatiua, qua quis inſtrui vult à Dæmone, intendens aliquid ab ipſo ſcire, per expreſſam, vel tacitam inuocationem; quæ eſt multiplex iuxta diuerſos modos, quibus à dæmone poſtulatur, ſicut per necromantiam, vel augurium, vel aruſpicium, vel inſpectionē aſtrorum, vel lineamentorum manus, alioſque ſimiles modos de quibus egimus tom. 4. huius operis; Contra ſecundū autem eſt *vana obſeruantia*, ſeu *ſuperſtitio obſeruationum*, vt quando obſeruantur aliqua ſigna, vt characteres, ligaturæ, & ſimilia, non ad cognoſcendum futura ſolum, quod pertinet ad diuinationem, ſed ad alios effectus, ſicut ad ſanitatem, ad inuentionem theſauri, ad ſcientias addiſcendas, aliaque ſimilia.

Aliud vitium virtuti religionis per defectum oppoſitum eſt *irreligioſitas*, pertinens ad contemptum, ſeu irreuerentiam Dei, cuius multæ ſunt ſpecies, cum talis irreuerentia poſſit fieri vel in ipſum Deum, vel in res ſacras, & dicatas Deo, item in ipſum Deum dupliciter, vno modo contra eius excellentiam in ſe, alio modo contra eius nomen; contra excellentiam Dei aut fit tollendo ab eo honorem per idololatriam, de qua dictum eſt, aut minuēdo honorem eius dubitando aliquo modo de ipſo, & conſequenter volendo ſumere experientiam de eius poteſtate, aut ſcientia, quod fit per tentationem eiuſdem, quare hæc *tentatio Dei* definitur temeraria expectatio extraordinarij effectus ab eo, illius experiundi gratia; ſiue eſt dictum, vel factum ad capiendum de Deo experimētum, per extraordinarium effectum, ab eo temere expectatum, id eſt abſque iuſta, & rationabili cauſa. Non enim foret Dei tentatio, extraordinarij effectus ab eo expectatio, ſi iuſta cauſa ſubeſſet: vt inſtinctus diuinus, promiſſio diuina, donum miraculorum, excellens fides, vrgens neceſſitas, honor Dei, defenſio religionis &c. exigens hic, & nunc effectum à Deo extraordinarium. Quem ſi quis tunc non expectaret, incideret cum Achas, in infidelitatem, hæſitantiam, diffidentiam, ſimiliſque impietatem, Iſaiæ 7. At verò contra nomen Dei fit irreuerentia per *periurium*, ſeu falſum iuramentum, quod definitur iuramentum veritate deſtitutum; veritate, inquam, locutionis, executionis, vel cognitionis. Et hic eſt ordo grauitatis periurij: ita vt primum ſit periurium deſtitutorum veritate locutionis; ſecundū executionis; tertium cognitionis. Quod poſtremum contingit, quoties iuramēto deeſt certitudo abſoluta, vel moralis. Circa res autem ſacras fit irreuerentia, aut violando earum ſanctitatē, aut cum re temporali commutando. Primo modo dicitur *Sacrilegium*, quod multis modis fieri poteſt, ſcilicet vel per irreuerentiam in perſonas Deo ſacras, aut loca ſacra, aut res continentes ſanctitatem, ſic ſacrilegium vniuerſim eſt violatio, ſeu indigna, & iniurioſa tractatio, aut profanatio rei inanimæ, vel animatæ, ſacræ, ſeu cultui

diuino peculiariter dicatæ. Cuius tres veluti ſpecies ſtatuì poſſunt. *Prima* eſt violatio perſonæ ſacræ, v.g. percuſſio clerici; fornicatio ordinati ordine ſacro, religioſi, Monialis. *Secunda* eſt violatio loci ſacri, v.g. euerſio templi, ſacelli, altaris: violenta effuſio ſanguinis, aut voluntaria ſeminis in loco ſacro: ſepultura excommunicati, aut infidelis ibidem: extractio perſonæ refugientis ad eumdem locum ſacrum, tanquam ad aſylum: furtum rei prophanæ in eodem aſylo depoſitæ. Eodẽ referri debent mercatus, deambulationes, confabulationes ſanctitati loci ſacri repugnantes. Tertia eſt violatio rerum ſacrarum, diſtinctarum à perſonis lociſque ſacris, v. g. iniurioſa tractatio Sacramentorum, reliquiarum, imaginũ, vaſorum ſacrorum, Scripturæ ſacræ, dierum Dominicorum, & feſtiuorum.

Secundo autem modo, nimirum cõmutando res ſacras cum re temporali fit irreuerentia per *ſimoniam*, quæ definitur ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali, aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ſeu temporale ſpiritualizatum, ob annexionem cum ſpirituali; vndè quod pro celebratione Miſſarum, pro admiſtratione Sacramentorum, alijſque huiuſmodi functionibus ſpiritualibus accipitur tẽporale, non accipitur per modum pretij, ſed tantum per modum ſuſtentationis, & honorarij. Nam vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Qui altari deſeruiunt cum altari participant*. Tota igitur deformitas huius vitij ſimoniæ, vt opponitur religioni conſiſtit in eo, quod res ſpirituales, & ſacræ vilipendantur, indigneque tractentur, eo ipſo, quod rebus prophanis æquiparantur, in contractus deducuntur, & pretio temporali commenſurantur. Quod pretium in ſimonia reperibile eſt quintuplex. Primo pretium pecuniæ, tanquam commenſæ valori rei. Secundo pretium muneris, v. g. veſtis, tabella, equus, & cætera huiuſmodi pecunia æſtimabilia. Tertio pretium linguæ, v. g. laus, vituperium, patrocinium aduocati, officiũ erudiendi alterum. Quarto pretium obſequij, v.g. miniſterium famuli, œconomi, amanuenſis &c. Quinto pretium obligationis reſignandi beneficium alteri: quale reperitur in ſimonia confidentiæ; quæ eſt pactum, quo conferens, procuranſque alicui beneficium, obligat eum ad ſibi, alteriue illud reſignandum; aut fructus ex eo, penſionemue præſtandum. Simonia ſolet diuidi in realem, mentalem, & conuentionalem; & hæc ſubdiuidi in pure conuentionalem, & mixtam. Item vna eſt iuris diuini, alia humani. Prima eſt intrinſecè mala, & nunquam licita, definiturque venditio rei ſpiritualis, qua talis; ſeu quatenus in ea ſpectatur ratio ſpiritualitatis. Eiuſmodi eſt venditio donorum Spiritus Sancti, Sacramentorum, calicis conſecrati, qui ideò plus venditur, quia eſt conſecratus. Nihilominus poſſent æſtimari pretio expenſæ, pro conſecratione factæ. Simonia autem iuris humani eſt ea, quæ ſolo iure Eccleſiaſtico prohibetur; tantumque ideò eſt mala, ſiue eſt rei temporalis venditio, habens ſimoniæ ſpeciem, ideoque prohibita ab Eccleſia dicitur *rei temporalis*, qua talis, ſed remotè, vel proximè ſpirituali annexæ; item diſpoſitio de beneficio abſque authoritate ſuperioris, illud permutando cum alio, aut reciprocè renuntiando. Simonia à ſacris Canonibus, & Patribus interdum vocatur hæreſis, non quod ex ſe ſit talis, cum non ſit oppoſita fidei: ſed quia præſumitur habere annexum errorem pertinacem contra fidem; quod ſcilicet liceat emere, aut vendere ſpiritualia, pretio temporali. Sicut etiam aliquando vſura propter eamdem rationem vocatur hæreſis.

2. Secunda poſt religionem, virtus potentialis iuſtitiæ, habens debitum rigoroſum, ſed non ad æqualitatem reddens eſt *pietas*, quæ reſpicit debitum reddendum parentibus, & patriæ; quibus ſpecialis ſubiectio debetur, eo quod à parentibus, & patria habemus princi-

principium noſtri eſſe, & noſtræ gubernationis, licet inferiori modo, quã à Deo, & propterea non poſſumus ad æqualitatem reddere, quia non poſſumus eis dare eſſe, ſicut dederunt nobis. Pietas ſic ſumpta ſolet definiri, virtus exhibens obſequium debitum parentibus, & patriæ. *Exhibens*, id eſt, inclinans filios, & ciues ad exhibendũ *obſequium* temporale, & ſpirituale. *Parentibus* corporalibus: nam ſpiritualiũ Patrum cultus, ſpectat ad obſeruantiã religioſam, vt mox dicemus. *Parentibus*, patri ſcilicet, & matri; quatenus poſt Deum, ſunt principium noſtri ortus, educationis, & inſtitutionis. Ad parentes reducuntur conſanguinei, maximè aſcendentes. V.g. auus, proauus, abauus, alijque maiores. *Et patriæ*, loco natali, prouinciæ, & popularibus: ad quos reuocantur patriæ fœderati, aut beneuoli.

Tertia demum virtus potentialis iuſtitiæ, habens debitum rigoroſum, ſed non ad æqualitatem reddens, eſt *obſeruantia*, quæ reſpicit debitum reddẽdum Principibus, ſeu perſonis in excellentia conſtitutis, quæ ſe habent, vt principium noſtræ gubernationis, ſed non noſtri eſſe, & quia eos tanquam ſuperiores colimus, non ad æqualitatẽ reddimus. Itaque obſeruantia in communi definitur virtus, exhibens, ſeu inclinans inferiorem ad exhibendum cultum, ſeu honorem cum ſui ſubmiſſione, debitum, hoc eſt non minorem, quam par ſit ex obſeruantiæ neglectu; nec maiorem ex obſeruantiæ exceſſu, ſuperioribus tam politicis, quam ſpiritualibus nos gubernantibus; quatenus poſt Deum, ſunt principium noſtræ gubernationis; gubernantibus, inquam actu, vel etiam potentia; id eſt idoneis nos gubernare, ratione ſuæ authoritatis, ſcientiæ, virtutis, ſanctitatis, poteſtatis, nos præcellentis. Pro diuerſitate perſonarum in excellentia conſtitutarum, quibus cultus defertur, *obſeruantia*, vna eſt *Politica*, ſeu *Ciuilis*, qua defertur cultus perſonis excellentia ciuili conſpicuis, V.g. Regibus, Principibus, Magiſtratibus, Dominis, heris, præceptoribus: alia *Religioſa*, deferens cultum perſonis excellentia ſupernaturali conſpicuis, naturalem, & ciuilem ſuperante, & habente ſingularem reſpectum ad numen diuinum: ita vt ſit particularis participatio excellẽtiæ diuinæ. Huiuſmodi obſeruantia exhibetur maximè Sanctis, & vocatur *dulia*; reſpectu verò Beatiſſimæ Virginis Mariæ, hyperdulia, ob illius ſingularem vnionem ad Deum, & alteri incommunicatam, ratione maternitatis.

Præter quam obſeruantiæ ſpeciem datur adhuc alia, nimirum *obedientia*, à dulia in genere obſeruantię diſtincta, quod iſta reſpicit ſuperiorem in ratione excellentiæ, & honoris, obedientia verò reſpicit ſuperiorem vt præcipientem; & propterea dulia ſignificat ſpecialiter obſeruantiam, quam, vt dixi, exhibemus Sanctis, quia maximè ſunt Domini, & honorabiles propter participationem diuinitatis. Per obedientiam autem veneramur Superiorem in ſuis præceptis, & ſic eſt ſpecialis virtus, quatenus hanc venerationem tribuit præcipienti, nam vt ſolùm facit executionem præceptorum, per omnes actus virtutum tranſcendit, qui ſunt in præcepto. Obedientia ergo ſolet definiri, generaliter ſumpta, quod ſit virtus, inclinans ad executionem voluntatis ſuperioris, etiam non præceptiuæ; propriè autem, vel ſtrictè dicta, quod ſit virtus, inclinans ad executionem præcepti ſuperioris, præcepti, inquam propriè dictis in hac enim materia obedientiæ ſubindè accipitur impropriè, & latè præceptum, pro nutu, voluntateque ſuperioris, intimata inferiori abſque intentione obligandi. Vnde hæc obedientia eſt duplex: materialis, & formalis: prima definitur virtus inclinans ad executionem operis præcepti, non qua præcepti, ſed qua habentis intrinſecam honeſtatem, aut relationem in Deum, aut motiuum virtutis diſtinctæ ab

ctæ ab obedientia; vnde, vt ſtatim dicebam, hęc materialis obedientia non eſt ſpecialis virtus, ſed complectitur omnes virtutes, inclinantes ad actum, cadentem ſub pręceptum. Obedientia autem formalis eſt virtus, inclinans ad executionem pręcepti ſuperioris, quà pręceptum eſt. Et hęc licet ſe etiam extendat ad omnis virtutis materiam, nihilominus ſpecialis eſt virtus, quia habet rationem obiectiuam ſpecialem, nimirum debitum authoritati ſuperioris præcipientis, id eſt, intimantis inferiori voluntatem ſuam, obligantiſque vt exequatur eam. Propterea etiam inobedientia, quæ eſt vitium oppoſitū, violans ſuperioris pręceptum, eſt duplex, materialis ſcilicet, quę eſt pręuaricatio pręcepti, ſine intentione pręuaricandi expreſſa; & reperitur in omni peccato, quod ab aliquibus definitur, diuinæ legis pręuaricatio; & cæleſtium inobedientia mandatorum; Et formalis; quæ eſt violatio pręcepti, cum expreſſa intentione violandi præceptum, aut pręcipientem contemnendi. Sicque inobedientia eſt ſpeciale contra obedientiam peccatum, neceſſario in confeſſione exprimendum, vbi peruenit ad materiam grauem.

Poſt iſtas tres virtutes potentiales iuſtitiæ, religionem nimirum, pietatē, & obſeruantiam, quæ reſpiciunt debitum rigoroſum, ſed non ad æqualitatem ſequuntur aliæ alterius claſſis, quæ ſcilicet, iuxta diuiſionem ſuperius allatam, poſſunt è contra reddere ad æqualitatem, ſed non habent debitum rigoroſum, ſeu legale, ſed ſolùm ex honeſtate virtutis. In qua adhuc claſſe duo ſunt virtutum ordines, vnus corū, ſine quibus non poteſt conſeruari honeſtas virtutis in debito conuictus humani, alter earum, quæ ſolum ordinantur ad melius conſeruandum tale debitum. In primo ordinę ſunt tres virtutes, ſcilicet, *Gratitudo, Vindicatio, & Veracitas*. In ſecundo ſunt duæ, ſcilicet *Affabilitas, & Liberalitas*. Singula breuiter explico. Et quantum ad primum ordinem, cum in debito honeſtatis conſeruando, vel obligatio naſcatur ex aliqua actione, quam alij faciunt erga nos, & tenemur recompenſare, ſiue in bono, ſiue in malo, vel naſcatur ex nobis ipſis, & non propter recompenſationem eorum, quæ fiunt propter nos; ad recompenſandum debitum ortum ex beneficijs nobis collatis, quæ non inducunt debitum legale, & rigoroſum, ſeu ex pacto, ſed gratuitum, & honeſtum, verſatur *Gratitudo*, definita virtus inclinans ad beneficij accepti æſtimationem, & repenſionem. Ita vt gratitudinis obiectum ſit debitum alteri, à quo acceptum eſt beneficium, quæ eſt res donatario grata, gratiſque donata, abſque debito, & intuitu remunerationis. Nam ſi ſubeſſet debitum rigoroſum, foret merces, ſolutio, compenſatio, vel tributum honorarium. Si ſubeſſet intuitus remunerationis, degeneraret in auaritiam: Illius autem officium ſit, agnoſcere, æſtimareque beneficium acceptum; & ſatagere, vt benefactori aliquatenus ſatisfiat reciproco beneficio, obſequio, cultu, gratiarum actione; quæ eſt beneuola proteſtatio accepti beneficij, cum ſui ſubmiſſione erga benefactorem. Huic virtuti opponitur vitium ingratitudinis, quæ eſt duplex materialis, & formalis, iſta eſt beneficij, benefactoriſve contemptus expreſſus, inficiando beneficium, aut illud, benefactoriſve animum vilipendendo; aut omittendo officia gratitudinis, ea intentione, vt ipſe beneficiarius videatur non eſſe obligatus, ratione beneficij. Ingratitudo autem materialis eſt omiſſio agnitionis beneficij accepti, vel commiſſio contra benefactorem, abſque contemptu expreſſo beneficij, aut animi benefactoris; non tamen abſque tacito, & implicito. Ad recompenſandum autem debitum ortum ex malis, ſiue ad reprimendum nocumentum illatum, intendendo cohibitionem inferentis, & aliorum quietem, datur *Vindicatio*, quæ non ſolùm impeditur malum, vt procedit

dit ab ipſo inferente, & eſt in ipſo, ſic enim reprimitur per correctionem fraternam, ſed vt eſt nociuum mihi, vel alijs, ſecundum debitum conuictus humani. Quod quidem perſona publica reprimit ex debito ſui officij, ſecundum legem iuſtitiæ: priuata autem perſona, ex honeſtate virtutis, vel ſeipſum defendendo, vel ad magiſtratum recurrendo. Sic definitur *Vindicatio* repenſio mali pœnæ, pro malo culpæ; quæ vt licita ſit debet fieri à publica poteſtate, & ad æqualitatem. Vnde ei opponitur priuata vindicta, quæ eſt inflictio pœnæ, ex odio proximi facta authoritate propria. Hæc vindicta eſt vſurpatio poteſtatis publicæ, & diuinæ. Scriptum eſt enim Deuteron. 32. & Rom. 12. *Mea eſt vltio: mihi vindicta, & ego retribuam*. Tandem ad debitum honeſtatis virtutis conſeruandum, vt talis obligatio naſcitur ex nobis ipſis, & non propter recompenſationem eorum, quæ fiunt propter nos, ordinatur *Veracitas*, qua homo taliter ſe exhibet in dictis, vel factis, ſicut intus ſe habet non mentiendo, ad quod quidem non tenetur ex debito legali, ſeu contractu, ſed ex honeſtate virtutis, & debito conuictus humani. Definitur virtus inclinans ad ſemper dicendum verum. Eique opponuntur quatuor vitia, nempè *mendacium* contrarians veracitati in verbis; quod eſt triplex officioſum, iocoſum, & pernicioſum; & *Hypocriſis*, ſeu ſimulatio contrarians ei in factis: Quod vtrumque eum fieri poſſit dupliciter, vel extollendo ſe ſupra id quod eſt, vel diminuendo ſimulatè quod habet, declinando ſcienter à veritate, primum fit per *iactantiam*, ſecundum per *ironiam*.

In altero denique ordine virtutum, quæ tendunt ad conſeruandum debitũ honeſtatis, & decentiæ, non ſimpliciter, ſed in melius, ſunt *Affabilitas*, & *Liberalitas*. Prima ordinatur ad hoc, vt homo conuiuat alteri delectabiliter, ſicut decet, in verbis, & factis, quod eſt aliquale debitum decentiæ, licet non ſit debitum rigoroſum, & legale. Definitur propterea eſſe virtus, efficiens conuerſationem cum proximo, gratam, & comem; conuerſationem, inquam, propriè in colloquijs, & affatu; conſequenterque in omni alia ſeria conuerſatione humana. Sicut *Eutrapelia* eſt virtus, ſeruans decorum in ludicris, recreandi animi cauſa aſſumptis. Ne ſcilicet eorum vſus degeneret in ſcurrilitatem; vel abſtinentia, in ruſticitatem, & moroſitatem. Affabilitati per exceſſum opponitur *blanditia*, ſeu *adulatio*, qua aliquis ita delectabiliter vult alteri conuiuere, vt velit per omnia placere, etiam quando malum eſt, vnde definitur indecora ſui ad homines accommodatio, omnia probando, & laudando, vtilitatis ſuæ cauſa. Per defectum autem opponuntur *Litigium*, & *moroſitas*. Litigium eſt, quando aliquis intendit contradicere alteri, non ex defectu amoris vnientis animos; ſic enim pertinet ad diſcordiam, ſed vt ſit ei grauis in conuerſando, & contriſtet ipſum, ſic enim tollitur debitum conuictus humani. Vnde ſolet definiri, quod ſit alienarum actionum contradictio in conuerſatione humana. Moroſitas autem, aſperitas conuerſationis, adferens proximis moleſtiam, & tædium.

Altera virtus nimirum *liberalitas*, etſi maximè videatur elongari à ratione iuſtitiæ rigoroſæ, quia non tribuit alteri, quod ſuum eſt, ſed quod eſt dantis, attamen ſeruat aliquam rationem debiti, ſecundum honeſtatem, & decentiam virtutis, quatenus ipſi conuictui humano debitum eſt, aliquid alijs largiri, non ſolum ex compaſſione miſeriæ alienæ, quod pertinet ad miſericordiam, verùm etiam non interueniente miſeria. Quod præſtat liberalitas; ideoque non ponit æqualitatem inter ipſas res, ſed ordinat id, quod decet erga alterum in ratione dantis, & largientis. Conſequenterque ad ipſam pertinet componere appetitum in ordine ad ea, quibus vtendum eſt, quod gene-

generaliter nomine pecuniæ appellamus, vt ſcilicet non ita appetat quis pecuniam, vt nolit eam amittere & largiri, quando competit conuictui humano. Quare moderatur paſſiones concupiſcibilis in dato, & accepto, ſecundum quod conducit ad debitum, & decentiam huius conuictus; vndè nõ eſt primò, & per ſe moderatiua paſſionum, ſed redditiua debiti. Magnificentia verò, quia verſatur circa magnos ſumptus, in qua non eſt ratio debiti, ſed ratio ardui, pertinet ad fortitudinem. Definitur ergo liberalitas, quod ſit virtus, moderans pecuniæ, aut rerum pecunia æſtimabilium cupiditatem, iuxta præſcriptum rectæ rationis, & dans quoque promptitudinem ad eas gratis, hilariter, & copiosè expendendum; ſicque duo ſunt vitia illi oppoſita, vnum pèr defectum, ſcilicet *auaritia*, & alterum per exceſſum, ſcilicet *prodigalitas*. Auaritia enim eſt, inordinatus amor diuitiarum, erogationiſque illatum tenacitas, etiam quãdo conuenit ſecundum conuictum humanum. Et quia poſſeſſio rerum eſt valdè appetibilis, eo quod homines maximè cupiunt ſufficientiam rerum, cum hęc ſit vna ex conditionibus felicitatis, ideo auaritia eſt vitium capitale, quia ex ea, tanquam ex motiuo & fine, multa alia facit, ſeu non recuſat. Prodigalitas autem, quæ ſuperfluit in amore dandi, quando, & vbi non oportet, ſolet iuxta hoc definiri exceſſiua diuitiarum erogatio.

Præter omnes ſupradictas tum integrales, tum ſubiectiuas, & potentiales iuſtitiæ virtutes, quæ reſpiciunt iuſtitiam particularem, datur quædam virtus adiuncta iuſtitiæ legali, quæ vocatur *Epicheia*, quæ ordinatur ad obſeruationem legis pro aliquo caſu extraordinario, in quo ſi ſtaretur rigori, & verbis legis, declinaretur à rectitudine, & ideo epicheia dictat, non eſſe tunc attendendum ad verba legis, ſed ad intentionem eius, vel legiſlatoris, ſi illum caſum attenderet. Cum enim nõ poſſit lex omnes prorſus caſus comprehendere in particulari, propterea, ſi in aliquo deficit, aut non habetur lex, epicheia, ſeu æquitas dictat, quid ſit obſeruandum, non ſecundum verba formalia legis, ſed ſecundum æquitatẽ illius; ſicut lex vniuerſaliter dictat, depoſita eſſe reddenda, tamen in caſu, quo furioſus, vel amens petit enſem depoſitum, æquitas dictat, tunc non eſſe reſtituendum. Itaque epicheia corrigit legem, quantum ad ſuam vniuerſalitatem, quando ſcilicet redderetur iniqua lex, ſi vniuerſaliter pro omni caſu deberet obſeruari, etiamſi damnum ſequeretur. Sic definitur, eſſe virtus dirigens ad agendum contra verba legis, ſecundum habitualem intentionem legiſlatoris.

Donum Spiritus Sancti, virtuti Cardinali iuſtitiæ correſpondens eſt *Pietas*, hoc enim ſolum inter dona Spiritus Sancti, dicit ordinem debiti ad alterum, conſiderando Deum, vt patrem, & fideles omnes, vt fratres ſecundum ſpiritũ adoptionis, & ſub iſta ratione ita vniuerſali comprehendit omnia, quæ pertinent ad rationem debiti.

Vltimò tandem, quod attinet ad præcepta de virtute iuſtitiæ data, omnia continentur in Decalogo, in quo pręcepta dantur ſecundum ordinem ad alterum, ſcilicet Deum, vel proximũ. Et tria prima pręcepta pertinent ad Deum. Quartum ad debitum pietatis ergà parentes. Alia ſex prohibent iniurias ad alias perſonas, & ex conſequenti prohibetur concupiſcentia ſpecialiter circa res venereas, & furtum, quæ ſunt ad alterum, quia res venereæ habent rationem maximi delectabilis, & pecunia rationem maximæ vtilitatis, ideoqne ſpecialiter horum concupiſcentia prohibetur.

§. I. De

§. I.

De actibus Religionis.

QVia prolixum nimis eſſet agere de actibus omnium virtutum ad Iuſtitiam ſpectantium, quæ eſt ſecunda virtus Cardinalis, de illis duntaxat agemus, qui magis præcipuè ad perfectionem conducunt, incipiemuſque ab illis, qui verſantur circa Deum, cuiuſmodi ſunt actus Religionis. Hæc igitur cum ſit virtus moralis ſupernaturalis, qua poſtquam per fidem maieſtatem, & excellentiam Dei agnouimus, inclinatur creaturæ intellectualis voluntas, ad tribuendum Deo latriæ cultum debitum, vt ſupra breuiter explicuimus, hinc eſt *primò*, quod eius actum anteire debet in mente exiſtimatio optima de Diuina Maieſtate, & Excellentia, quæ cum ſumma ſit, immenſa, infinita, incomprehenſibilis, parit quoque ſapientiſſimum eiuſdem mentis iudicium, deberi Deo omnium ſummum, maximumque, qui eſſe, aut excogitari poſſit, honorem, & cultum; ita vt huius virtutis amplitudo, & perfectio ſit propterea veluti infinita: nā ſicut excellentia Dei nullis terminis circumſcribitur, ſic nunquam contenta eſt religio; & quo ad illius obiectum materiale ſpectat, quicquid extra Deum eſt, totum illud impendit in ipſiuſmet cultum, & honorem, non corpori, non animæ parcendo, non vitę, nec creaturis, non Chriſto Domino Saluatori, neque quodammodo Deo ipſi, offerendo illi honorem ſupremū, quem ipſe ſibi defert.

2. Quia diuerſæ aſſumi poſſunt materiæ in cultum diuinum, ratione harum, varij, & multiplices exerceri poſſunt actus religionis; ſcilicet *deuotionis*, qua ſubijcimus Deo voluntatem noſtram per promptitudinem, & applicationem expeditam, ad agendum ea, quæ diuini cultus ſunt; nam ſi id fiat per firmitatem aliquam traditionis, vel promiſſionis erit votum. Tum *orationis*, qua ſubijcimus intellectum, eleuando mentem in Deum, de qua, vt eſt incipientium propria, ſicut egimus ſupra, ita & inferius erit ſermo de illa, vt proficientium quoque, & perfectorum propria.

3. Cum pręfati actus verſentur circa materiam interiorem, quam in Dei cultum offerunt; dantur inſuper alij verſantes circa materiam exteriorem; nimirum *adoratio externa*; quæ nihil aliud eſt, quam illa Dei æſtimatio cum animi ſubiectione coniuncta, quæ ad diuinam eius maieſtatem dirigitur, & aliquo ſigno incuruationis, genuflexionis, proſtrationis, ac ſimilibus declaratur, vt ſic nedum in nobis, ſed & coram alijs honoretur. Deindè *Sacrificium*, *oblatio*, & *votum*. Cum enim res poſſeſsas Deo ſubijcere, & offerre dupliciter poſſimus, vel illas abdicando à nobis, vel promittendo, & reddendo promiſſa; & iterum, ſi abdicando, vel per immutationem illarum in honorem Dei, & ſic eſt ſacrificium; vel eas tradendo ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei, & huiuſmodi ſunt *ſimplices oblationes*, ſeu *primitiæ*, vel *decimæ*. Quod ſi promittendo, aliquid, vel noſmetipſos ſubijcimus Deo, eſt *votum*.

In noua igitur lege, cum pręcipuus religionis actus externus ſit, aut quando ſacrificium Miſſæ à Sacerdotibus celebratur, aut à circumſtantibus auditur, ad illum ritè exercendum plura ſuppetunt tam documenta, quàm Sanctorum exempla. De quibus facilè conſuli poſſunt authores aſcetici, qui de hac materia ſcripſerunt.

Ad hunc eumdem actum pertinet vſus ipſe, & Sacramentorum perceptio, maximè Euchariſtiæ, frequenſque eius viſitatio; cuius quoque varij modi, & praxes ſunt. Item deuotus Sacramentalium vſus; nec non exacta, vel minimarum Eccleſiæ ceremoniarum obſeruantia; Quæ etiam ad actum adorationis externum reduci poſſunt.

Inter oblationes noſtri, vel rei, quæ noſtra ſit, ad actum quoque externum ſpectantes, maximè excellunt, quæ concepto voto fiunt; & in illis mirum in modum tria religionis vota, & eorumdem renouatio; ſic enim nos totos, penituſque Deo reddimus. De quorum actibus dicemus infra, agendo de virtutibus paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ.

Tandem, quia in cultum Dei, aſſumi poteſt aliquid diuinum, quæ eſt altera pars diuiſionis actuum religionis per materiam exteriorem, interponendo nimirum eius authoritatem ſecundum obſeruantiam religioſam, quod fit vtendo nomine diuino, quo nobis authoritas Dei ſignificatur; indè etiam inter actus religionis externos recenſetur *Iuramentum*, quo vtimur ad confirmationem veritatis, quã dicimus eſſe certam, adhibendo Deum in teſtem, cui infallibiliter nota eſt. *Adiuratio* qua non ad confirmandam noſtram veritatem, ſed ad extorquendam illam ab alio, interponimus nomen diuinum; ac demum *Inuocatio*, vtendo eodem nomine Dei, ad laudandum ipſum, & inuocandum pro auxilio. Quia autem Abbas Iſaac apud Caſſianũ hac vnica inuocatione, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina*, ex Sacra Scriptura deſumpta, non dubitauit affirmare, perfectionem acquiri poſſe, vtque deuotius nedum in officio diuino, ab his qui illud recitant, ſed etiã ſępius in die, per modum orationis iaculatoriæ ab omnibus vſurpetur, placuit hic eius verba, licet paulò longiora referre.

Hæc igitur, inquit, *vobis, quam quęritis diſciplina, atque orationis formula proponetur, quam vnuſquiſque Monachus ad iugem Dei memoriam tendens, inceſſabili cordis volutatione meditari, expulſa omnium cogitationum varietate conſueſcat, quia nec alias vllo modo poterit retentare, niſi ab omnibus fuerit corporalibus curis, ac ſollicitudinibus abſolutus, quæ ſicut nobis à paucis, qui antiquiſſimorum Patrum reſidui erant, tradita eſt, ita à nobis quoque, nonniſi rariſſimis, ac verè ſitientibus intimatur. Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam, hęc inſeparabiliter propoſita vobis formula pietatis.* Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. *Hic namque verſiculus non immeritò de toto Scripturarum exceptus eſt inſtrumento; recipit enim omnes affectus, quicumque inferri humana natura poſſunt, & ad omnem ſtatum, atque vniuerſos incurſus propriè ſatis, & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduerſus omnia diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſsionis, habet ſollicitudinis, & timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis ſemper aſtantiſque præſidij. Qui enim iugiter ſuum inuocat protectorem, certus eſt eum eſſe ſemper præſentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perſpiciens ſemetipſum die noctuque vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, lorica impenetrabilis, ac munitiſſimus clypeus. Iſte in acedia, & anxietate animi collocatos, ſeu triſtitia, vel cogitationibus quibuſcumque depreſſos, ſalutis remedia deſperare non patitur, oſtendens illum, quem inuocat, inſpicere iugiter noſtra certamina, atque à ſuis ſupplicibus non abeſſe. Iſte nos in ſpiritualibus ſucceſſibus cordiſque lætitia conſtitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de proſpero ſtatu, quem ſine protectore Deo retineri non poſſe teſtatur, dum non ſolum eum ſemper, ſed etiam velociter, vt ſibi auxilietur, implorat. Iſte, inquam, verſiculus vnicuique noſtrum in qualibet qualitate degenti neceſſarius, & vtilis inuenitur. Nã qui ſe ſemper, & in omnibus deſiderat adiuuari, manifeſtat quod non tantùm in*

rebus

rebus duris, ac triſtibus, ſed etiam in ſecundis, ac lætis pari modo Deo egeat adiutore, vt quemadmodum ex illis erui, ita in iſtis eum faciat immorari, in neutro ſciens humanam fragilitatem ſine illius opitulatione ſubſiſtere.

4. Denique ad exercitium virtutis religionis pertinet fuga omnium vitiorum per exceſſum illi oppoſitorum, nomine ſuperſtitionis comprehenſorum, & per defectum, nomine irreligioſitatis; quæ eſt irreuerentia, vel in ipſum Deum, vel in res ſacras, & illi dicatas. Quia facile ex dictis, actus religionis, & ex dicendis, actus aliarum virtutum efformari poſſunt ad inſtar eorum, quos attulimus ſupra trium virtutum Theologicarum, neve prolixior ſim, libenter illis ſuperſedeo.

§. II.

De actibus Pietatis.

CVm *pietas* ſit virtus exhibens obſequium debitum, temporale, & ſpirituale *parentibus corporalibus*, quibus iunguntur conſanguinei, maximè aſcendentes; & Patria, cui iunguntur illi fœderati, aut beneuoli. Primus eius actus eſt firmum propoſitum exhibendi tum parentibus, tum patriæ omne debitum obſequium tam ſpirituale, quam temporale, non ſolùm in his, quæ ſunt de præcepto, ſed etiam de conſilio, præferendo nimirum proprijs, bona ipſorum temporalia, nec non vitam propriam; cuius illuſtria refert exempla Fulgoſius lib. 5. cap. 4. nec non Plinius lib. 7. cap. 37. & Valer. Max. lib. 5.

Secundò hæc virtus exerceri poteſt, æquo animo, parentum præſertim ſiue incommoda, ſiue defectus, ſiue etiam iniurias tolerando, iuxta illud Salomonis Eccleſ. 3. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, &c.* Cuius prçclarum exemplum, & pijs filijs imitandum proponitur Geneſ. 9. Cum duo filij Noe Sem, & Iaphet auerſa facie, ne patrem nudum viderent, deiecto de humeris pallio modeſtiſſimè contexerunt.

3. Cum honor, quo Deuter. cap. 5. dicitur, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, quatuor potiſſimum complectatur, primò, amorem; ſecundò reuerentiam internam, & externam; tertiò obedientiam; quartò opitulationem, his quoque quatuor modis, actus pietatis inſignes, & heroici exerceri poſſunt erga parentes.

Verum quia in Deum pietas, ſuperat pietatem in parentes, in iſta exercenda, hęc eſt obſeruanda regula, vt, *cum ſpiritualia impediunt, ne cognoſcendi quidem ſint, ſicut cum nihil impediunt, merito omnia his ſunt tribuenda, & omnibus ipſi anteferendi*; vt ſcitè notauit Chtiſoſtomus homil. 84. in cap. 19. Ioann. Cęterique Patresex illo Chriſti Domini Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, &c. non poteſt meus eſse diſcipulus.*

4. Ad heroicum pietatis actum erga populares ſuos, referunt communiter Sacri Interpretes illud Moyſis Exodi 32. *Aut dimitte eis*, ſcilicet hebręis, *hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Nec non aliud Pauli Roman. 9. optantis pro Iudęis fieri anathema à Chriſto. De quo actu, & quomodo licitè fieri poſſit conſulendi ſunt ibi Sacri Interpretes. Interim ſic breuiter explicari poteſt; Moſem videlicet tantum rei, ſeu medij huius naturam in ſe attendiſſe, non autem conſideraſſe, an eſſet congruum, vel aptum, ſecundum ordinem iam de facto à Deo conſtitutum: hoc enim poſitiuum erat ex libera Dei electione, quæ rerum naturam non mutat. Quamuis igitur carentia beatitudinis, ſeu deleri ex libro vitæ neque ex ſe, neque ex diuina diſpoſitione eſſet medium ordinatum ad veniam populo impetrandam, haud tamen in ſe, ſuaque natura erat illicitum, aut im-

poſſibile. Atque adeo Moyſes illud quidem non optauit, vt medium connaturale, & ordinarium, ſed quod ei libera erga populares ſuos pietas ſuggerebat. Cum enim neceſſarium crederet ſumma vi conniti apud Deum, apud quem ſalus populi videbatur in ſummo eſſe diſcrimine, nullumq; aliud efficacius medium ad eam tuendam occurreret; hoc vſus eſt exceſſu pietatis heroicæ, communes ordinariæ prudentiæ leges tranſcendentis; vt indè edoceremur, quàm gloria Dei, fratrumque ſalus, noſtris commodis, ipſique beatitudini noſtræ anteferendæ ſint; quodque peccatũ quoduis letale vtrique repugnans magis deteſtandum ſit, quam priuatio beatitudinis, aut ipſe etiam ignis infernalis. Vndè legitur de B. Iacopono, quod ex amore Dei deſiderabat ſuſtinere in hac vita omnes labores, ærumnas, & dolores, qui verbis exprimi aut animo concipi poſſunt: quin imo poſt hanc vitam trudi in infernum, vt ibi ſua, & hominum, etiam damnatorum, & dæmonum (ſi fieri poſſet) peccata lueret, & expiaret.

Multa quoque habemus exempla Gentilium ipſorum, qui corpus pro populo, & patria ad temporalem mortem deuouerunt. Codrus Rex Atheniensium. P. Decius Romanus contra Albanos belligerans. Tergemini Horatij, aduerſus tergeminos Curiatios Albanos. Curtius Romanus in hiatũ armatus iuxta oraculum inſiliens, & ſic de alijs. Quæ etiam exempla non defuerunt in fidelibus, quales in veteri teſtamento fuerunt Machabæi; in nouo autem plures alij, qui pro bono patriæ multa etiam fortiter chriſtiana ex charitate præſtiterunt, vitamque ipſam profundere non dubitarunt.

At quod de parentibus, multo magis de patria dicendum eſt, eam nimirum contemnendam eſſe, ac deſerendam, quando ita neceſſe eſt ad ingrediendam, aut proſequendam viam ſalutis, ac perfectionis; vt multi fecerunt Sancti. Diuus enim Cyprianus proconſuli ob fidem Chriſti minanti ei exilium reſpondit: *Exul non erit, qui Deũ in mente habebit, quia Domini eſt terra, & plenitudo eius*; & D. Baſilius Præfecto Valentis Imperat. *Exilium ſe non cognoſcere, qui nullo loco circumſcriptus eſſet*, ex Nazianzeno orat. 20. Quippè qui fidelis, eſt ciuis mundi, nullamque ſibi terram eſſe patriam facilè credit, qui cælum patriam noſtram eſſe putat, & mundum exilium. *Omnis*, inquit Auguſtinus in ſentent. ſent. 17. *qui ad ſupernam pertinet ciuitatem peregrinus eſt mundi: & dùm temporali vtitur vita, in patria viuit aliena, vbi inter multa illecebroſa, & multa fallacia Deum noſſe, & amare paucorum eſt*. Et Hugo Victorinus lib. 3. Didaſc. cap. 20. *Delicatus ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt, fortis autem, cui omne ſolum patria eſt: perfectus verò, cui totus mundus exilium eſt. Ille mundo amorem fixit; iſte ſparſit; hic extinxit*. Quod & ipſimet Philoſophi Gentiles agnouere; nam Socrates, & Diogenes interrogati cuias eſſent? reſponderunt; *mundani, quia totius mundi ciues ſumus, & incolæ*. Et Seneca lib. de Tranq. cap. 3. *Magno*, inquit, *animo nos, nõ vnius vrbis mænibus clauſimus, ſed in totius orbis commercium emiſimus, patriamque nobis mundum profeſſi ſumus; vt liceret latiorem virtuti campum dare*.

§. III.

De actibus Obſeruantiæ.

ETſi pietati affinis ſit Obſeruantia, diſtinguitur tamen ab illa, quod reſpiciat debitum reddendum principibus, ſeu perſonis in excellentia conſtitutis, quæ ſe habent vt principium noſtræ gubernationis poſt Deũ, vel actu, vel potentia, quatenus idonei ſunt nos gubernare, ratione ſuæ authoritatis, ſcientiæ, virtutis, ſanctitatis, poteſtatis, nos præcellentis. Vnde pro diuerſitate perſonarum in huiuſmodi excellentia conſtitutarum; *Obſeruan-*

ſeruantia vna eſt *politica*, ſeu *ciuilis*, qua defertur cultus perſonis excellentia ciuili conſpicuis, v g. Regibus, Principibus, Magiſtratibus, Dominis, heris, Præceptoribus, alijſque id genus. Altera religioſa, vel Eccleſiaſtica deferens cultum perſonis, Eccleſiaſtica dignitate, aut excellentia ſupernaturali conſpicuis.

1. Igitur loquendo de obſeruantia ciuili, & politica, ad quam, nec non ad eamdem obedientiam, Chriſtianos teneri tom. 5. 2. p. ſect. 11. cap. 34. oſtendimus aduerſus Anabaptiſtas; exerceri poteſt omnibus illis modis, quibus ex pietate colimus parentes, etſi enim diuerſæ ſint rationes formales huiuſmodi virtutum, in eadem tamen materia participant, & ſingularum actus exerceri poſſunt.

2. Obſeruantia religioſa, vel Eccleſiaſtica potiſſimum exerceri debet erga Eccleſiarum præpoſitos, vt potè habentes ſingularem reſpectum ad numen diuinum, tantoque maiori excellentia preditos, quo cælum, terræ, ſpiritualia, & æterna, ad quæ eorum ſe extendit regimen, aut gubernatio, temporalibus præcellunt; atque adeo maiorem illis cultum, vel honorem exhibere tenemur, omnibus quibus exhiberi, reddique poteſt modis, ac vijs; maximè autem tegendo eorum defectus, vt docet S. Gregorius lib. 25. Moral. c. 22. & ſuo exemplo docuit Conſtantinus Magnus in Concilio Nicæno, dum chartas accuſationum contra aliquos Epiſcopos ſibi oblatas combuſſit, dicens: *Si Epiſcopi alicuius ſtuprum videret, facinus id ſe ſuo paludamento obtecturum, ne flagitij eius aſpectus eos, qui ipſum cernerent, vlla ex parte læderet: vt refert Theodoret. lib. 1. Hiſtoria.* Diuus autem Chriſoſtomus homil. 2. in cap. 1. epiſt. 2. ad Timoth. reſpondet quibuſdam dictis aduerſus Patrum Eccleſiaſticorum reuerentiam.

3. Ad eiuſdem obſeruantiæ religioſæ exercitium pertinet cultus Sanctorum *Dulia* dictus; tum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, *hyperdulia* dictus, ob illius ſingularem vnionem ad Deum, & alteri incommunicatam, ratione maternitatis. De cuius cultus varijs modis, varijſque praxibus, conſuli poſſunt innumeri propè authores, qui varijs linguis, de illo ſcripſere, cum non ſit huius loci ſingula proſequi.

S. IV.

De actibus obedientiæ.

CVm obedientia religioſa, quæ propter Deum hominibus præſtatur ſit omnium perfectiſſima, & quã inter conſilia Chriſti, tanquam perfectionis cumulum ſemper adnumerauit Eccleſia, de illius actibus hic tantùm agimus; ad quorum inſtar facilè exerceri poſſunt illi, qui pertinent ad virtutem obedientiæ in communi, cuicumque Superiori debitam, & in hoc ab obſeruantia formaliter diſtinctam, quod iſta reſpicit ſuperiorem in ratione excellentiæ, & honoris, obedientia verò in ratione præcipientis, vt ſupra explicuimus.

1. Igitur, cùm obedientia religioſa reddatur Superioribus propter Deum, omnis tam interior, quam exterior eius praxis in eo fundatur, quod is à quo regimur loco Dei præſit, eumque conſequenter in quolibet ſuperiore intueri debeamus. Iuxta illud Chriſti Domini Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit;* firmiſſimè ſtatuendo, poſtquam per ſuperiorẽ nobis ſuum beneplacitum ſignificarit, ei quaſi ipſi parere.

2. Sicut velle parere, ac ſubeſſe præcepto, proprium eſt, pręcipuumq; officium obedientiæ, quæ Deo pręſtatur, omiſſa interim conſideratione rei, quæ præcipitur, quæcumque ſit illa, vt rectè explicat Diuus Auguſtinus ſerm. 34. de verbis Domini; ita obedientia, quæ homini propter Deum defertur, tota eſſe debet non in cogitatione rei, quæ iubetur, ſed iuſſionis ipſius

ipſius, nec, eum videt longè à peccati ſuſpicione abeſſe id, quod præcipitur, aliud curare, quam integerrimè, & accuratiſsimè obtemperare. Dicitur, cum videt à peccati ſuſpicione id quod præcipitur abeſſe; ſubditi enim, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 104 art. 4. & 5. in iis tantummodò ſuperioribus ſuis obedire tenentur, in quibus ipſi ſuis ſuperioribus ſubijciuntur, & in quibus ipſi ſuperiores ſublimioris poteſtatis præcepto non aduerſantur; vndè Act. 5. dicitur: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Hanc regulam perfectè obediendi, quam communiter docent Patres, latè præ omnibus declarat S. Gregorius lib. 2. in 1. Reg. cap. 4. *Puer*, inquit, *Samuel nec vocatus, nec repulſus offenditur, quia vocantis, aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc ſolo gaudere nouerat quod obediuit. Et quia ſurgere, ad laborem, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem, quid inſinuat, niſi quia vtramque nobis vitam præparat, ſi obedientis animus in eo, quod agit, nonniſi obedientiæ bonum penſat? Præceptum namque in hoc ſolo penſari debet, quod maioris præceptum eſt. Et qui obedientiæ bonum exequitur, non iniunctum opus debet conſiderare, ſed fructum, quia ad promerenda æterna vitæ gaudia non exquiretur qualitas operis, ſed mortificatio propria, & executio alienæ voluntatis.* Vndè & Paulus ait 1. Corinth. 7. *Circumciſio nihil prodeſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum. Iam ergò apud omnipotentem Deum nec ea, quæ ad laborem, nec ea, quæ ad quietem pertinent, parua ſunt, ſi æternam vitam parare obedientibus poſſunt. Quiſquis ergo alieno imperio ſubiectus eſt, hoc ſolum conſideret, quia quod ſibi ſecundum Deū iniungitur, valdè magnum, & excelſum in lucro eſt menti, quod vitam præparet in mercedem retributionis.*

3. Quia in his duobus cardinibus omne obedientiæ opus vertitur, vt quis ſubdat voluntatem, quod minus perfectorum, vt ſubdat quoque intellectū, quod perfectiorum eſt, in hoc maximè exerceri debet, quod inferior fit conformis cum ſuperiore, non tantum in voluntate, volendo, quod vult ſuperior, & nolendo, quod non vult ſuperior, verum etiam in intellectu ſine iudicio, interius nimirum iudicando ſuperiorem ritè præcipere, & prohibere, vel ſaltem de ſuperioris mandato non iudicando, ſed clauſis, vt dicitur, oculis obtemperando; quodque ad excellentiam, & heroicitatem huius virtutis pertinet, verba vitæ audire etiam putando, tametſi carneis oculis noſtris videretur ſuperior ſtultè loqui. Iuxta quod Sanctus Ioannes Climacus vocat obedientiam ſepulchrum propriæ voluntatis inexaminatum atque indiſcuſſum motum, ſpontaneam mortem, quatenus verus obediens ad inſtar mortui debet non ſuo, ſed ſuperioris motu, & directione moueri. Et Sanctus Gregorius loco iam citato ait: *Vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur: neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, ſi præceptis obediat.* Ad quod etiam probandum D. Bernardus accommodat illud Diui Pauli in ſermo de conuerſ. eius, Act. 9. quod *apertis oculis nihil videbat*. Et hoc eſt, quod aliqui vocant obedire ſimpliciter, nulla videlicet quæſita, aut examinata præcepti cauſa. Qualem obediendi rationem S. Chryſoſtomus extendit in Apoſtolo Paulo homil. 1. in epiſtolam ad Romanos in illa verba quæ ipſis ſcripſit: *Nolo autem vos ignorare fratres, quod ſæpe propoſueram venire ad vos, licet præpeditus fuerim ad hunc vſque diem cap. 1.*

4. Ad perfectum obedientiæ exercitium ſpectat obedire malis etiam ſuperioribus, cum non mala iubent; iuxta illud D. Petri epiſt. 1. cap. 2. *Subditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

filis. Item plerumque imprudentibus, & ineptis ad regimen, Deo ita permittente, vt aliquando præſint, ad exercitium ſubditorum. Nec non etiam parum affectis, & nonnunquam maleuolis.

5. Verus obediens nihil omnino facere inconſulto ſuperiore debet, quamuis alias bonum eſſet: ita vt melius ſit etiam à bonis operibus, v. g. orationis, vel mortificationis, ex præcepto, aut conſilio ſuperioris abſtinere, quam illa contra vel præter obedientiam eius exequi. Sic enim maximum bonum, quod nobis eſt noſtra voluntas, non ſolum poſthabemus, ſed etiam propter Deum contemnimus, eique litamus, quod proculdubio perfectiſsimum eſt. Quare lib. 1. Reg. cap. 15. melior cenſetur obediētia, quam victimæ; quia, vt exponit S. Gregorius lib vlt. Moral. cap. 12. *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.* Idem docet lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. Et Abbas Pambo lib. 5. de vitis Patrum cap. 14. de obedientia, oblatis ei quatuor religioſis, primo ieiunante, ſecundo paupere ſpiritu, tertio diligente, quarto obediente, obedientem omnibus prætulit: *Quia*, inquit, *alij tres virtutem, quam poſſident, voluntate propria retinent: hic autem voluntatem ſuam abſcindens, alienæ voluntatis ſe ſeruum fecit. Tales autem veri confeſſores ſunt, ſi vſque ad finem ita permanſerint.*

6. Quia duo ſunt obediendi genera. Primum, aliquid cum obedientia præſtando, quando nimirum ſubditus illud poſtulat: Secundum, ex obedientia, quando motu proprio ſuperior ei quippiam iniungit; abſolutè loquēdo actus impoſiti, quam petiti meliores ſunt: dixi abſolutè, quia ſunt aliqui actus, quos poſtulare interdum perfectius eſt, quam expectare; cuiuſmodi ſunt carnis maceratio, & opera laborioſa, quæ ſuperiores ex prudentia, & charitate ſubditis imponere detrectant. Cœterum abſolutè tutior, & rectior ad perfectionem via eſt res ex obedientia, quam cum obedientia præſtare: quia ſi præcepti materia eſt virtus, & virtutis actio, ſic virtus additur virtuti; ſi res, quæ per ſe actiones virtutis non eſſet, eiuſmodi ſunt, quæ appellantur indifferentes, vt ambulare, dormire, vel ſimile quippiam, obedientiæ vi rationem virtutis induunt, vt propterea à S. Gregorio ſcriptum ſit lib. 35. Moral. cap. 12. *Obedientiam ſolam virtutem eſſe, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.* Et à S. Auguſtino lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 12. vocatur virtus, *quæ in creatura rationali mater quodammodo eſt omnium, cuſtoſque virtutum.* Tutius tandem eſt operari ex obedientia, quam cum obedientia, quia iſtud non eximit ſubditum à culpa; at verò illud, niſi corrumpatur, omni culpa vacat, quod ſic oſtenditur: Petit quis ire dormitum, vel ambulatum, aliudue ſimile; ſuperior annuit, ac proindè actus cum obedientia efficitur. Sed obedientia hæc actum minimè honeſtat, ſi honeſtate careba: verùm in proprio genere relinquit: ſi quidem poteſt actus ille petendi bonus eſſe, ſi neceſſitas ſubſit, bonoque fine fiat, malus, ſi ſecus. Quod autem actus ille non decoretur ſuperioris conniuētia, inde patet, quod plerumque ſuperior ſubditi poſtulantis imperfectionem dignoſcens, peiora vitans, rem indulget: vbi ſuperior prudenter, ſubditus imprudenter agit. At cum res ex obedientia fit, ex ipſa illius actus natura, malum obrepere nequit: licet interdū ſuboriatur ex ſubditi vitio, propterea que dictum, non habere imperfectionem, niſi actus corrumpatur. Corrumpitur quippe voluntatis abuſu: dum rem à ſuperiore iniunctam, ideo ſubditus libenter amplectitur, quia genio proprio, vel commodo conſona eſt, ægrè illam peracturus, ſi parum vtriq; congrueret.

7. Ex parte rerum præceptarum, vbi per ſe difficillimæ ſunt, & ita aliquando ſuperant hominis vires, vt ſint

ſint etiam impoſſibiles, heroicus obedientiæ actus exerceri poteſt, ſi ſubditus, quando huiuſmodi res illi imponuntur, eo ſit animo, vt eas aggrediatur implere, quatenus poteſt. Ita ſcribit Caſſianus lib. 4. cap. 10. de Monachis Aegyptijs; *Vt nonnunquam etiam impoſſibilia ſibimet imperata, ea fide, ac deuotione ſuſcipiant, vt virtute ac ſine vlla cordis hæſitatione perficere ea, aut conſummare nitantur, & nec impoſſibilitatem præcepti quidem, pro ſenioris ſui reuerentia, metiantur.* Cuius deinde cap. 26. plura adfert exempla, præſertim Ioannis poſtea Abbatis prophetiæque dono inſignis, *Cui*, inquit, *adoleſcenti adhuc cum præpoſitus impoſuiſſet; vt immane ſaxum aduolueret, confeſtim applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto niſu, atque conatu prouoluere contendebat, vt ſudore omnium membrorũ, non ſolum totum infunderet veſtimentum, ſed etiam ſaxum ipſum ſuis ceruicibus humectaret, in hoc quoque parum metiens impoſſibilitatem præcepti.* In re autem difficillima habetur exemplum Abrahæ expellendo Iſmaelem, & matrem eius, & in occidendo Iſaac. De quo videri poteſt S. Ioann. Chryſoſt. homil. 42. in Geneſ. & homil. 3. in 2. ad Corinth.

His etiam annumerari debent actus obedientiæ, quando iubet ſuperior aduerſus valetudinem corporis aliquid, quod ita re vera ſit, aut ita certè videatur: & tamen paretur abiecta ſanitatis ſuperflua cura. *Securè*, inquit Ioannes Climacus grad. 4. *maioribus credamus in Domino, qui curam noſtri ſuſceperunt, etiam ſi quædam imperent, quę contraria, ac ſaluti noſtræ videntur aduerſantia: tunc enim fides ad illos noſtra, veluti in fornace humilitatis comprobatur.*

Item obedientia in rebus, quæ ſunt, aut videntur prorſus ineptæ, qualis fuit eiuſdem, qui ſupra Ioannis aridum lignum per annum integrum aqua longe petita irrigantis, quod tandem floruit. Eoque magis perfecta eſt huiuſcemodi obedientia; quando præſtatur ab ijs, qui cum magno iudicio, longaque ſunt experientia præditi, ſe tamen puerili prope ſimplicitate regi ſinunt, abſque eo quod vllis ab obtemperando argumentis, aut rationibus retrahantur, quæ longè maxima eſt difficultas: nam flectere voluntatem cum diuina gratia in noſtra eſt poteſtate, mentem etiam, cũ mouetur rationibus, quæ ex coniectura pendent: at cum mens ita certa eſt, ac ſi oculis cerneret rem aliter ſe habere, quam exiſtimat ille, qui iubet, vel putat rem proceſſuram melius, ſi diuerſa aut etiam contraria ratione iubeatur, nemo non videt, quam arduum ſit, tunc eam in ſuperioris ſententiam traducere, & voluntatem ita fingere, & accommodare ad arbitrium, nutumque illius, vt in eo penitus acquieſcat.

Hi autem omnes, alijque ſimiles obedientiæ actus vt non exerceantur ſine ſpeciali Spiritus Sancti dono, vel impulſu, atque adeò pertinent ad heroicum huius virtutis gradum, ita quoque meritò à Patribus communiter appellantur obedientia *ſimplex, cæca*, &, vt ait Diuus Bernardus ad Fratres de Monte Dei, *indiſcreta*, quia neſcit diſcernere, quid vel quare præcipiatur; ſiue non ad humanæ, ſed diuinæ rationis regulam menſuratur, ſolo Deo in perſona ſuperioris conſiderato, indeque ei obtemperato; vt docent Patres, qui de obediendi virtute præcepta tradiderunt Baſilius conſt. Mon. cap. 20. & 23. Hieronymus epiſt. ad Ruſticum lib. 4. cap. 10. Gregorius lib. 2. in 1. Reg. cap. 2. Bernardus de pręcepto, & diſpenſ. cap. 13. & in ſerm. de conuerſione S. Pauli.

8. Obſeruantia regularis, cum ſit pars obedientiæ, qua maximè voci ſcriptæ legiſlatorum obeditur, ampla quoque eſt materia religioſis eam exercendi; non ſolum, quæ ſunt principalia, & ad vota pertinent obſeruando, ſed etiam vel minimas ordinis ceremonias, & pias conſuetudines, multoque

toque magis Eccleſiæ. Vndè Sancta, & Seraphica Mater Noſtra Thereſia ſcriptum reliquit, ſe paratam millies mori pro ruenda quantumuis minima ipſius ceremonia.

9. Tandem præter huc vſque dicta, ſunt nonnullæ adhuc obedientiæ circumſtantiæ, ſiue modi, ab hilaritate, ab expeditione, ſiue promptitudine, à perſeuerantia, alijſque ſimilibus, quæ etiam ad perfectum, & heroicum illius exercitium non parum conducunt; & quorum communiter Patres docent Abraham, & Iſaac fuiſſe veros typos; ſed omnium perfectiſſimus, numeriſq; omnibus abſolutus fuit Chriſtus Dominus, *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipph. 2.

§. V.

De actibus Gratitudinis.

CVm gratitudo, quæ & gratia appellatur, ſit virtus inclinans ad beneficij accepti æſtimationem, & recompenſionem, ſeu qua quis ex accepto beneficio affectum erga benefactorem concipit, & ſuo tempore gratias agit, ac pro viribus retribuit. Primum, quod ad huius virtutis exercitium maximè erga Deum requiritur, eſt conſideratio infinitæ eius potentiæ, & miſericordiæ, à qua omne bonum procedit; indeque confeſſio, quod ab ea prouenerint innumera beneficia, & ſingulariſsima dona; iuxta quod Sancta Mater Noſtra Thereſia ex Regio Propheta ſolebat dicere: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. Tum propoſitum præbendi ſe gratum illi pro huiuſmodi beneficijs, ac donis. Idem proportionaliter dici poteſt de gratitudine erga homines.

2. Quia innumera ſunt tum naturalia, tum ſupernaturalia bona, quibus nos cumulauit, & ſemper cumulat, tot diuerſi, ex parte obiecti materialis, multiplicari poſſunt actus gratitudinis, quod ſunt diuerſa illa bona, vt creationis, conſeruationis, redemptionis, iuſtificationis, promiſsionis vitæ æternæ, collationis auxiliorum diuinæ gratiæ ad eius conſecutionem, præſeruationis à malis, maximè à peccatis, quæ non committimus, cum tot ſint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata; quæ committeremus, niſi nos adiuuaret Deus. Ab his autem, qui ſpeciales aliquas gratias, vt religioſi, vocationis ad ſtatum religioſum receperunt, ſpecialis quoque gratitudo, vel gratiarum actio debet exhiberi, eoque maior, quo maiores fuerint gratiæ, vbi enim creſcunt rationes donorum, ibi etiam creſcere debent actiones gratiarum, *Ne*, inquit Diuus Gregorius homil. 9. in Euangelia, *qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernuntur ab authore mundi, grauius inde iudicentur*.

3. Cum potiſſimum gratitudinis munus, & quaſi ratio formalis, ſit ex ea reddere debitum alteri, à quo eſt acceptum beneficium, abſque debito, vel intuitu remunerationis, ad perfectum, & heroicum eius actum maximè ſpectat, nos Deo gratos exhibere, ipſi inſeruiendo, abſque alio intuitu, quam meræ gloriæ eius, tanquam ſupremi benefactoris, ob collata beneficia, non autem propriæ noſtræ vtilitatis; item gratias ei agendo, quod ſit, qui eſt; & pro omnibus bonis, quę poſsidet; quo ad illa verò, quę nobis confert, quia ſua etiam ſunt, prompto, paratoque animo, illis priuari, quotieſcunque illa repetere ipſi placuerit, & ad maiorem ſuam gloriam ceſſerit. Quamuis quantò maior eſt in anima erga Deum grati animi affectio, tantò redditur idonea magis, & capax ad vberiorem Dei gratiam recipiendam, & tantò amplius liberaliſsimus Deus, quaſi cogitur ad largiendum.

4. Ad eumdem actum ſpectat, nunquam conqueri, quod non acceperimus alia, aut plura beneficia; ſed ijs contentos eſſe, quibus à Deo donati ſumus,

mus, eaque augere conſideratione, & verbis; nec finem vllum facere diuinã bonitatem commendandi, quæ ſola Deum mouet ad beneficia hominibus conferenda, non autem timor mali, aut ſpes boni, vel aliqua virtus noſtra.

5. Gratum etiam animum arguit, nec parum ad gratitudinis actum confert annihilatio illa; qua ſe cognoſcit, & profitetur homo indignum, non ſolum magnis beneficijs Dei, ſed etiam, vt ait Iacob Geneſ. 32. ſerio reputat minorem ſe cunctis eius miſerationibus. Vndè Albertus Magnus de Paradiſo animæ cap. 25. definit, aut deſcribit hanc virtutem quod ſit, *Excellentia donorum Dei in Anima cum annihilatione ſui, & debita cordis reuerentia.* Et ita Dauid Pſalm. 118. magnificauit dona mandatorum Dei dicens: *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazium.*

6. Quia difficile non eſt homini gratias Deo agere, cùm illi cuncta proſperè ſuccedunt; valdè autem laborioſum, à rebus aduerſis, & à calamitatibus ipſis occaſionem accipere gratiarum actionis; inde quoque valdè pendet excellentia, & heroicitas actuum gratitudinis. Vndè Regius Propheta dicebat Pſalm. 31. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Et D. Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. ad Roman. *Gratias agere conuenit non diuites modo, ſed & paupertate oppreſſos; non ſanos, ſed & ægrotantes: non eos, quibus proſpera omnia, ſed & eos, quibus aduerſa contingũt; Deo enim tum gratias agere, cum ſecundo curſu res feruntur, nihil mirum fuerit: at verò cum ingenti ſuborta tempeſtate, iactata vndique nauis periculum incurrerit, tum demum magna exiſtit patientiæ æquanimitatiſque probatio.* Quod & idem habet homil. 19. in epiſt. ad Epheſ. *Pro omnibus, quæ accidunt, oportet gratias agere, etiamſi ſit morbus, etiamſi ſit paupertas, etiam ſi rationem neſcias, age gratias; hoc enim eſt re vera gratiarum actio: Sin autem, cum ſis beneficijs affectus, opulentuſque, & locuples, reſque tuas bene geras, & omnia tibi proſperè ſuccedant, agas gratias, non eſt magnum, nec admirandum: quod quæritur autem eſt, vt gratias agat, qui eſt in afflictionibus: pro ipſa gehenna oportet Deo gratias agere, pro pœnis, & ſupplicijs, quæ ſunt illic: ea enim res valde iuuat eos, qui animaduertunt, quod pro fræno, metus gehennæ imponatur cordibus noſtris.*

7. Quia tot, ac tanta ſunt Dei erga nos beneficia, debemus quidem quantum poſſumus, tantùm audere, & ex toto corde gratias ei agere, ſed cum id non valeamus, quantum meretur, idcirco inprimis inuocandus eſt Ieſus Chriſtus, Beatiſſima Virgo, & omnes creaturæ, tam viſibiles, quam inuiſibiles, ad agendas illi pro nobis gratias. Quas etiam referre poſſumus non ſolum pro omnibus donis, & beneficijs conceſsis, & concedendis nobis, ſed & omnibus alijs creaturis, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt: ſpecialiter pro his, quæ copioſiſſimæ largitus eſt hue vſque Sanctis Angelis, & hominibus, Beatiſſimæ Virgini, Sacroſanctæ Humanitati Chriſti Domini noſtri.

8. Cum gratis animis non ſufficiat gratiam habere, quod ad bonum ſpectat affectum, ſed gratiam referre quod ad opus attinet, hinc eſt, quod præter internos actus, quibus affectus augentur, quoſque pro libito poſſumus, creberrimè producere; externi quoque ſunt exercendi, ad aliqua, vel certè omnia exteriora opera præſtanda, quaſi grati animi debita Deo reddenda; quod eſt ita erga Clementiſſimum Deum pro immenſis beneficijs affici debere, vt per opera, quæ à nobis fiunt, peculiaribus cordis motibus ei gratiam referre conemur; ſolemnioribuſque præſertim feſtis, quibus maxima redemptionis, ac ſalutis noſtræ beneficia celebrantur, & recoluntur, & preces, & orationem, & potiſſimum Miſſæ Sacrificium, Sacramque Communionem, quaſi hoſtias pro gratiarũ actione interno motu cordis, & externo illorum actuum ſigno immolare debe-

debemus; & ſpontanea quoque verbera, vel cilicia, vel eiuſmodi alia ſuperioris conceſſu offerre. Vix enim exprimi poteſt, ad excitandam deuotionem, maioraque adhuc impetranda à Deo beneficia, quibus egemus vſque ad beatitudinis adeptionem, quantum præfata exterius teſtata gratitudo conferat.

9. Tandem ad perfectum huius virtutis exercitium diligenter vitanda sũt omnia vitia illi contraria, maximè autem ingratitudo formalis, quæ, vt explicuimus ſupra, eſt beneficij, benefactoriſue contemptus expreſſus, inficiendo beneficium, aut illud, benefactoriſue animum vilipendendo, aut omittendo officia gratitudinis, ea intentione, vt ipſe beneficiarius non videatur eſſe obligatus ratione beneficij; & ſic de alijs.

§. VI.

De actibus veritatis, ſeu veracitatis.

Veritas, ſeu veracitas eſt virtus inclinans ad ſemper dicendum verum, vt diximus ſupra, vel qua aliquis & dictis, & factis, ſeu vita, & ſermone talem ſe exhibet, qualis eſt; & non alia, quam circa ipſum ſint, nec maiora, nec minora: idque non ex debito legali, ſeu contractu, ſed ex honeſtate virtutis, & debito conuictus humani. Veritatem, & ſimplicitatem idem eſſe docet Sanctus Thomas 2.2. quæſt. 109. art. 2. ad 4. & quæſt. 111. art. 3. ad 3. Quia eiuſdem virtutis ope oſtendimus, & quales ſimus vita, & ſermone, quod eſt veritatis; & abiecta omni ſimulatione, id nos animo intendere, quod ipſa ſpecie oſtentamus; quod eſt ſimplicitatis. Veritati etiam affinis eſt humana fides, quæ eſt dictorum, conuentorumque conſtantia. Porrò veritatem hanc ſiue ſimplicitatem communiter Patres appellant puritatẽ cordis, animi candorem, ſinceritatem, alijſque ſimilibus nominibus. Virtuti veritatis opponitur mendacium, hypocriſis, ſeu ſimulatio, iactantia, & ironia. Simplicitati, aſtutia, dolus, fraus, & ſimilia vitia.

Primus igitur huius virtutis actus, vel gradus eſt propoſitum illam exercendi, tum illam reipſa exercere, ſemper dicendo verum; & quod ad eius heroicitatem pertinet, pro defenſione eius certando etiam vſque ad mortem, nedum vſque ad vincula, aut alias minores tribulationes.

2. Perfectus etiam veræ ſimplicitatis actus eſt, rem vti eſt, ſimpliciter enuntiare, nec amplificando, aut exaggerando, aut figuratè, & æquiuocè loquendo. Iuxta illud Chriſti Domini Matth. 5. *Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non non.* Quare ad eius perfectionem attinet, nec rem iure iurando vnquam affirmare; niſi vrgeat neceſſitas, facileq; fidem præſtare alijs. Cuius exemplum adducit D. Ambroſius lib. 3. offic. cap. 10. in Ioſue reſpectu Gabaonitarum; *Adeò*, inquit, *Sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui cæteros de ſuo affectu æſtimant? & quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant, libenter credunt, quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere, quod non ſunt.*

3. Cum veritati, ſeu veracitati in verbis contrarium ſit mendacium, debet, qui illam perfectè vult exercere, ab omni vel minimo mendacio abſtinere: etiam cum datur occaſio opitulandi alijs noſtro mendacio officioſo, aut iocoſo: non enim fas eſt noſtro malo cuiquam benefacere: nec audiẽdi illi ſunt, qui aliquando mentiri vel ad propriam, vel ad aliorum vtilitatem licere nobis affirmarunt.

4. Quoniam hypocriſis eidem veracitati in factis opponitur; idque vel extollendo ſe ſupra id, quod eſt: vel diminuendo ſimulatè, quod habet, quorum primum fit per iactantiam; ſecundum per ironiam; ad perfectum veracitatis exercitium vtrumque fugi-

giendum eſt. Maximeque hypocriſis, qua ſub religionis ſpecie alijs noccretur; & qua laborantes D. Gregorius lib. 1. Moral. Struthioni comparat. *Nam vt Struthio*, inquit, *volandi ſpeciem habet, ſed vſum volandi non habet: ſic hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere viam ſanctitatis ignorat*.

5. Quæ ſimplicitati, animique candori, & ſinceritati opponuntur, *fraus* nimirum, quæ eſt ſimulatio, quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur; & *Dolus*, quando quis duo veluti corda habens, aut duos eiuſdem ſinus, in vno videt veritatem, & in altero concipit mendacium; iuxta illud Pſalm. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt*. Quid enim eſt in corde, & corde niſi duplici corde. Et hoc nomine etiam vocarur alibi vir doloſus, ſcilicet duplici corde, & duplex animo: Hæc, inquam, omnia, & ſimilia fugi debent, minimaque eorum vmbra à veracitatis, & ſimplicitatis cultoribus, ſimilibus factis Nathanaeli, de quo veniente ad ſe ait Chriſtus Dominus Ioann. 1. *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt*. Quaſi hominem veracem, candidum, & ſimplicem circumſcribens. Nec vacat myſterio, quod vir minimè doloſus dicatur vere Iſraelita; ab Iſraele, qui & Iacob; nam de Iacob ſcriptum eſt Geneſ. 25. *Iacob autem vir ſimplex*. Eoque maiori virtutis heroicitate, id exerceri poteſt, quo difficilius eſt, ac ſuperat communem mundi, mundanorumque hominum viuendi rationem; apud quorum ſenſum, vt air D. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 38. *Simplicitas omnis in crimine eſt, & puritas cordis hebetudo*. Et lib. 10. cap. 27. in illa verba Iob. 11. *Deridetur iuſti ſimplicitas; Huius mundi ſapientia*, inquit, *eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa oſtendere &c.* Vnde Ludouicus X. Galliarum Rex Chriſtianiſsimus rectè aiebat, *Se in aula omnibus rebus abundare, excepta vna. Rogatus quænam ea eſſet, dixit veritas*. Et Chriſtus Dominus à Pilato interrogatus, quid eſſet veritas, nihil reſpondit, probe ſciens, quam mundo odioſa eſſet.

6. Tandem, quia ad cauendum mendacium, quidam vtuntur *amphibologia*, quæ ſolet definiri ambiguus ſermo, vel locutio habens ſenſum duplicem. V. g. *Aio te*, Acacida, *Romanos vincere poſſe*. Item *reſtrictione tacita*, quæ eſt externæ locutionis interna limitatio ſubaudita. V.g. *homo eſt mortalis, & immortalis*; ſubaudiendo, ſecundum corpus *mortalis*; ſecundum animã *immortalis*. Cui reſtrictioni tacitæ, ſynonima eſt *reſeruatio mentalis*; quæ eſt internum complementum ſermonis incompletè prolati. V g. Geneſ. 27. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, iure ſcilicet, emerat enim Iacob ab Eſau primogenituram. Quia, inquam, ad cauendum mendacium, his quidam vtuntur, ſciendum eſt promiſcuum eorum vſum, eſſe illicitum, tanquam abuſum, fictique ſæpiſsimè, vt qui illis vtuntur, hæreant in eodem mendacii luto, aut in illud relabantur; vel incurrant in duplicitates, dolos, fallacias, damnificationes, ſcandala, euerſionemque ſocietatis humanæ, quæ mendaciis paria ſunt, imo peiora. Atque adeo perfectus veritatis amator, & cultor debet à tali promiſcuo vſu abhorrere. Cui veritati, cum non obſit diſcretus vſus, atque adeò ſit licitus, quando ſcilicet ſubeſt neceſsitas abſoluta, vel moralis, aliaue iuſta cauſa celandę veritatis, hoc artificio verborum; Inde etiam abſque vllo veracitatis præiudicio, perfectioniſque eius, ſic talis vſus poteſt admitti. Vt autem Amphibologię vſus ſit licitus, requiritur primò, quod verba verè ſint ambigua, & abſque violenta detorſione verificari poſsint in ſenſu loquentis. Secundò, quod ſubſit rationabilis cauſa, ſic ambiguè loquendi. Eiuſmodi Amphibologia eſt communiſsima, quando loquens vſurpat verba, in ſignificatione propria; quæ au-

diens

diens intelligit in metaphorica ordinaria. Vt verò reſtrictio tacita, ſiue reſeruatio mentalis ſit licita, illa debet ſubintelligi ex diſpoſitione iuris, vel communi vſu loquendi, aut particulari reſpectu perſonæ loquentis, vel de qua eſt ſermo. *Ex diſpoſitione iuris*, cum ſcilicet promittit quis iudici ſe dicturum in cauſa, quidquid nouit, ſubticendo mente, *Quando interrogabor ſeruato ordine iuris*. Vel *ex communi vſu loquendi*, vt quando aliquis promittit ſeruare ſecretum, ſubintelligendo, *niſi vergat in praiudicium alterius*. Vel ex particulari reſpectu perſonæ loquentis; Item aſſerit Confeſſarius ſe nihil ſcire de peccato alieno, noto ex Sacramentali Confeſsione; ſubaudiendo, *ita vt poſſit illud reuelare &c.* Vel denique, *ex particulari reſpectu perſona, de qua elocutio*.

§. VI.

De actibus pœnitentiæ.

QVà pœnitentia eſt virtus pertinens ad iuſtitiam, tanquam pars potentialis eius, vt communius docent Theologi, hic breuiter agemus de illius actibus.

I. Igitur, cum pœnitentia virtus ſoleat definiri, habitus inclinans ad dolorem peccati proprij, ſatisfactionisque Dei, cum emendationis, ſatisfactioniſque propoſito, ſpe, petitioneque veniæ; hinc primus eius actus debet eſſe talis dolor.

II. Quia pœnitentiæ actus, alij ſunt imperati, alij eliciti, imperati ſunt omnes illi, qui à virtute pœnitentiæ imperantur, & ij omnes imperari poſſunt, qui vtiles ſunt ad veniam peccatorum obtinendam, vel deſeruire poſſunt ad ſatiſfaciendum pro peccatis, ſiue quo ad culpam, ſiue quo ad pœnam, cuiuſmodi ſunt contrarij virtutum actus, tum interni, tum externi caſtigationum corporis, quibus illatam Deo iniuriam vlciſcimur: Loquendo iam de elicitis, tot ſunt, exercerique poſſunt actus pœnitentiæ, quot enumerari ſolent actus voluntatis, tam circa bonum, illud proſequendo, quam circa malum illud fugiendo, ita tamen vt omnes debeant tanquam in finem collimare in bonum compenſationis, ſiue compenſandi peccata, quod, iuxta opinionem magis communem, eſt motiuum formale pœnitentiæ. Quemadmodum enim bonum quodcumque poſſibile mouere poteſt voluntatem, & ad amorem ſimplicem, & amorem efficacem; & deſiderium, & intentionẽ, & conſenſum, & electionem, & vſum circa media, ita quoque bonum compenſationis, quod eſt obiectum formale pœnitentiæ, poteſt mouere voluntatem ad eliciendos omnes iſtos actus proſecutionis reſpectu illius; ad actus verò fugæ malum, non ſolum tali bono oppoſitum, qualis eſt impœnitentia, ſed omnium aliorum etiam peccatorum, ſiue illa exigua ſint, & leuia; ſiue grauiora, & magna, quæ pertinent ad obiectum materiale pœnitentię; nam & eſt odium peccati tum efficax, tum inefficax; eſt abominatio, ſeu deteſtatio eiuſdem; eſt dolor, ſeu triſtitia de illo commiſſo, eſt diſſenſus, & reprobatio circa media, quæ ad peccatum deſeruiunt, quia quodcunque malum, ex quocunque motiuo proponatur alicui bono amato oppoſitum poteſt terminare omnes præfatos actus. Etſi enim aliqui exiſtiment, huiuſmodi actus, ſeu deteſtationem peccati nõ poſſe eſſe actum elicitum à virtute pænitentiæ, ſed tantum imperatum, ſuppoſito quod motiuum formale eius ſit bonum compenſandi peccata, nihilominus tamen iſta duo ſimul optimè cohærere probabilius docent alij.

Sicut cum hoc, quod actus pœnitentiæ ſit dolor, non repugnat quin etiam gaudiũ ſit actus eius proprius; nimirũ gaudium de compenſatione, ſeu ſatiſfactione peccatorum iam exhibita; non enim

enim ſunt de eodem obiecto, ſiquidem dolor eſt de peccatis commiſſis, gaudium verò de dicta compenſatione, vel dolore ipſorum; vndè rectè ait Diuus Auguſtinus lib. de vera, & falſa pænitent. cap. 13. *Pænitens de peccato doleat, & de dolore gaudeat*. Quod gaudium tantum abeſt, vt minuat dolorem de peccatis, quin potius oppoſitum ex D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. quia nullus actus minuitur per propriam delectationem; ſed augetur.

III. Etſi formale huius virtutis obiectum, & finis ſit dicta compenſatio, totaliſque peccatorum deſtructio; indeque reconciliatio cum Deo, quia tamen nunquam extra Sacramentum acquiri poteſt ſine perfecto charitatis actu; propterea diuinus amor virtutis huius opera præſtantiſſimè vtitur, vt vel in nobis gratiæ diuinæ decus, ſi quando mortali ea excidimus, denuo inſtauret: vel amiſſum feruorem charitatis iterum excitet, eiuſque perfectionem augeat, ſi peccati cuiuſpiam leuioris admixtione tepeſceret. Tantum ſit de actibus præcipuarum virtutum ad iuſtitiam ſpectantium. Quæque magis neceſſariæ ſunt, ad perfectionis adeptionem.

CAPVT VI.

De virtute Fortitudinis.

Tertia virtus Cardinalis eſt Fortitudo, quæ definitur virtus, dans animo firmitatem, in periculis mortis, aliiſque rebus terribilibus. *Dans animo firmitatem*, id eſt reddens animum conſtantem, & inconcuſſum in perpeſſione, & repulſa terribilium, iuxta præſcripta rationis moderando motus animi, ſcilicet timorem mali imminentis, triſtitiam mali præſentis, & audaciam in repellendo malo. Sic huius virtutis ſubiectum eſt appetitus ſenſitiuus iraſcibilis, quia licet actus electionis virtutis propriè, & directè ſit à voluntate, quæ eſt potentia arbitraria, & electiua, tamen quia electio non poteſt rectè fieri quamdiu eſt impedita per paſſiones immoderatas, ideo requiritur principaliter virtus in appetitu ſenſitiuo ad ordinãdas paſſiones, vt diſponatur recta electio voluntatis, remoto impedimento. Et cum ſit duplex appetitus, alter concupiſcibilis, alter iraſcibilis, requiritur ad eliciendas paſſiones moderatas in concupiſcibili temperantia, in iraſcibili fortitudo, quæ prius collocatur, quam temperantia, quia eſt nobilior, eo quod moderatur iraſcibilem circa bonum arduum tendentem. Obiectum autem eius, ſeu materia, mediata quidem, & remota, ſunt pericula, & labores, non quicumque, ſed maximi, quia homo firmare debet bonum rationis, & virtutis, contra quæcunque pericula, ita vt pro nullo recedat à tali bono. Quare maximè principaliter verſari debet contra maxima pericula, qui enim firmatur contra illa, facilè quoque firmatur contra minora, & ideò ille dicitur fortis ſimpliciter, qui maxima pericula contemnit, vt pericula bellica, & pericula mortis. At obiectum, ſeu materia proxima, & immediata, circa quam tanquam circa paſſiones verſatur fortitudo, eſt timor, & audacia, quia pericula non retrahunt voluntatem, niſi in quantum timentur, & propterea neceſſe eſt, quod fortitudo tollat hoc impedimentum timoris, quando eſt immoderatus, & ſimiliter debet reprimere nimiam audaciam, ne aggrediatur aliquis pericula, vltra quam debet.

Principalis actus fortitudinis in cõmuni, eſt *ſuſtinere*, ſeu ſiſtere immobiliter in periculis; perfectiſſimus autem eiuſdem actus eſt *Martyrium*, eliciuè ortum à fortitudine, & imperatiuè à charitate. Vndè ſolet definiri actus fortitudinis, & teſtimonium veritatis fidei, alteriusve veræ virtutis, per tolerantiam mortis, qua completur perfectum

ſectum Martyrium. Præter martyrium autem in voto, efficacique deſiderio, quod dicitur martyrium voluntatis, & ſecundum quid tale, datur martyrium in re, quod eſt duplex, vnum in re tantùm, quale eſt illud paruulorum, & adultorum à natiuitate amentium, ad quod non eſt aliud requiſitum, quam vt illis mors inferatur in odium Chriſti Chriſtianæve religionis; aliud in re ſimul, & voluntate; quale eſt martyrium ratione vtentiũ, ad quod quatuor ſunt requiſita, primò mortis irrogatio à perſecutore directè, vel indirectè, adigendo martyrem ad ſui præcipitationem, ſubmerſionem, &c. in odium Chriſti, fidei, alteriusve perfectę virtutis. Secundò acceptatio mortis, quia adultus, ſicut non poteſt ſine proprio conſenſu peccare, ita nec iuſtificari ſine eo, ſaltem virtuali. Tertiò non reſiſtentia ad tuendam propriam vitam; quia martyrij paſſio debet eſſe voluntaria, & mortis Chriſti, tanquam ouis, ad occiſionem ducti, aſſimilatiua. Secus foret, ſi reſiſtentia fieret ad tuendã rempublicam Chriſtianam contra infideles. Quartò fides, charitas, & ſtatus gratiæ, ſaltem ante conſummatum mortis martyrium. Quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, vt ait Apoſtolus Hebræor. 11. Et 1. Corinth. 13 *Si tradidero corpus meum, ita Vt ardeam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*.

Poteſt inſuper ſtatui veluti quadruplex martyrium in re. Primum eſt omnino completum, quo mors reipſa ſuſtinetur, in teſtimonium Chriſti, doctrinæque ipſius. Secundum eſt completum ex parte cauſæ proximæ, & intrinſecus penetrantis v.g. vulnerum lethalium, veneni, &c. etiamſi contingat mortem diuinitus impediri. Tertium eſt completum ex parte cauſæ, extrinſecus applicatæ, V.g. ignis, olei feruentis, & ſimilium, diuinitus impeditæ. Quartum eſt inchoatum tantùm per tolerantiam tormentorum non lethalium; quale fuit in SS. Martyribus Pontificibus Marcello, Ioanne, Syluerio, Martino, & Pontiano, in quorum feſtis propterea, loco octaui reſponſorij, *Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit*, legitur aliud, *Domine præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, &c.* Quiſquis autem coram perſecutore fidem confeſſus fuerat, ſine tormentorum perpeſſione, non Martyr, ſed Confeſſor appellabatur.

Virtuti fortitudinis eiuſque actui plura ſunt oppoſita vitia, cum enim, vt ſtatim diximus, verſetur inter timores, & audacias, contingit peccari in eam, vel ex parte timoris, vel ex parte audaciæ, & in vtraque vel per exceſſum, vel per defectum. Ex parte timoris opponitur per defectum fortitudini immoderatus timor, ſiue *timiditas*, quando aliquis etiam pro cauſa rationabili recuſat ſe exponere periculis; quare definitur exceſſus timoris, in periculis mortis, alijſque rebus terribilibus; timendo quod non oportet, vel pluſquam oportet. Per exceſſum autem opponitur *impauiditas*, vel *intimiditas*, quando aliquis etiam, exiſtente rationabili cauſa timendi, non timet; & definitur vitium, dans vacuitatem iuſti timoris, in periculis mortis, alijſque rebus terribilibus: non timendo ea, quæ verè timenda ſunt; quando, & quantum oportet, iuxta pręſcriptum rectæ rationis. Similiter opponitur fortitudini ex parte audaciæ, quæ definitur actus fortitudinis, animique promptitudo, in periculis terribilium aggrediendis, & repellendis, iuxta pręſcriptum rectæ rationis, opponitur, inquam, per exceſſum nimia audacia, *temeritas* dicta, quando nimirum quis ante omne conſilium pręuolat, & vult pericula, quare definitur exceſſus in audendo, vel etiam vitium, in repellendo malo, audens ſupra quam recta ratio dictat; aggrediendo quod non conuenit, aut quomodo non conuenit.

Per

Per defectum autem eſt oppoſitio, quãdo quis etiam poſt conſilium non audet, neque habet firmam, aut conſtantem executionem. Quod quia communiter accidit ex timore, qui audaciam impedit, propterea non ſolet poni tanquam vitium diſtinctum à timore, probabilitate tamen non caret, tale dari vitium ſpeciale oppoſitum audaciæ per defectum, quod vocatur *vecordia*, vel *ignauia*, ſcilicet quando quis non ex timore, ſed ex defectu ſpei, quia non ſperat ſe conſecuturum, non audet, quamuis non timeat.

Virtus fortitudinis cum ſit vna in ſpecie infima, propter limitationem materiæ circa quam verſatur, nimirũ circa maxima pericula, qualia ſunt pericula mortis, & ideo quia maxima pericula ſunt, non admittit eius materia, ſiue obiectũ diuiſionem in varias ſpecies, nec conſequenter dantur virtutes ſubiectiuæ, ſeu diuerſæ huius virtutis ſpecies. Non deſunt tamen ei ſuæ partes integrales, & potentiales. Incipiendo à primis, earum diſtinctio deſumitur ex duobus fortitudinis actibus, qui ſunt aggredi, & ſuſtinere. Circa quos dantur quatuor virtutes, quæ firmant animum in aggrediendo, & ſuſtinendo, ſcilicet *magnificentia*, *magnanimitas*, *patientia*, & *perſeuerantia*; Quia in aggrediendo res arduas, quæ ſolum pertinent ad fortitudinem, attenditur quoad executionem rerum magnarum, *magnificentia*; quoad ſperandum vero, & non diffidendum de victoria, *magnanimitas*, quæ amplificat animum ad fiduciam vincendi. In ſuſtinendo verò etiam firmatur animus quo ad duo, ſcilicet quantum ad magnitudinem mali per *patientiam*, quantum autem ad diuturnitatem, & cõtinuationem per *perſeuerantiam*; quę duo ſunt in concupiſcibili, quia moderantur triſtitias; dicuntur tamen partes integrales fortitudinis, quæ eſt in iraſcibili, quia iraſcibilis oritur ex concupiſcibili, & ſic redundant illæ in iraſcibilem.

Partes potentiales ſunt iſtęmet quatuor præfatæ virtutes, quando verſantur circa materiam diſtinctam ab ipſa principali materia fortitudinis; ita quod circa pericula mortis, & pericula maxima ſiue aggredienda, ſiue ſuſtinenda, habent vim partium integralium; at circa aliam materiam, V.g. circa ſumptus, vel honores, vel mala fortunæ, &c. dicuntur partes eius potentiales, eiſdemque nominibus, ac integrales vocantur; ſicut etiam intellectiuum, & ſenſitiuum, vt continentur in anima rationali ſunt partes potentiales eius, ſecundum verò quod continentur ſub gradu viuentis ſenſibilis ſunt ſpecies illius. Aggreſsioni igitur, ſiue actui aggrediendi, circa aliam materiam, quam circa pericula mortis, correſpondent *magnanimitas*, & *magnificentia*, actui autem ſuſtiuendi, pro vt eſt etiam in alia materia, quam circa pericula mortis, correſpondent *patientia*, & *perſeuerantia*.

Magnanimitas igitur ſic ſumpta, nimirum pro parte potentiali fortitudinis, habet pro obiecto, ſeu reſpicit magnum honorem, vel potius opera illa ex quibus magnus honor ſequi poteſt. Vt enim ſit virtus debet reſpicere, non directè ipſum honorem, ſed id, ad quod conſequitur honor, quia honor verus ſolùm ſequitur ad virtutem, vt quoddam eius teſtimonium. Vndè non debet appeti propter ſe, quatenus publica teſtificatio eſt, ſed propter virtutem, ad quam ſequitur; & ſic magnanimitas moderatur aggreſsionem, ſeu ſpem magni honoris, ne homo, aut nimis feratur in illum, aut intendat ipſum ratione ſui, & non ratione virtutis, aut intendat ipſum ſupra debitam proportionem; & ſimiliter firmat animum, vt tendat in ea, quæ ſunt digna honore, ſecundum proportionem debitam, ideoque maximè compatitur cum humilitate, quæ reprimit animum ab honore indebito, ex conſideratione ſui defe-

defectus. Et licet quælibet virtus, intra ſuam propriam materiam, poſſit facere non ſolùm id, quod paruum eſt, ſed etiam id quod magnum, quà ratione magnanimitas eſt generalis quædam virtus inclinans ad actus excellentes in omni genere virtutum, propriéque non diſtinguitur ab illis, quælibet enim virtus perfecta, graduſque i ıtéſi, inclinat ad ſuæ ſpeciei actus excellentes; quia in ijs excellenter elucet honeſtas ſpecialis cuiuſq; virtutis; attamen quia ad magnanimem pertinet in ipſis virtutibus intendere magnitudinem operis, non ſolùm vt conditio eius eſt, pertinetque ad alias virtutes, ſed vt ſpecialem importat rationẽ formalem ardui per aggreſſionem vincendam, ſic *magnanimitas* eſt pars potentialis fortitudinis diſtincta à cæteris virtutibus.

Huic magnanimitati quatuor potiſſima opponuntur vitia, tria per exceſſum, ſcilicet *præſumptio, ambitio, inanis gloria*, & vnum per defectum, ſcilicet *puſillanimitas*. Quorum ratio ſic ſe habet; nam magnanimitas reſpicit opera magna, cum moderatione proportionis debitæ, & ad magnum opus ſequitur honor, & effectus honoris eſt gloria. Vndè ratione magni operis opponitur magnanimitati *præſumptio*, quę tendit in magna ſine proportione; reſpectu verò honoris conſequendi opponitur *ambitio*, quę inordinatè appetit honorem indebitum, propter honorari; ac tandem reſpectu gloriæ, quæ eſt effectus honoris, & dicitur clara cum laude notitia, opponitur *inanis gloria*, quæ nimis appetit claritatem, non fundatam in honore debito, aut vltra quam meretur. Et hæc quia nimis appetitur tanquam finis, conſtituit vitium capitale. Vitium autem per defectum oppoſitum eſt puſillanimitas, quatenus aliquis per illam recuſat intendere etiã id, quod eſt ſibi debitum, & proportionatum. Sic definitur *præſumptio*, quod ſit propriarum virium nimia ęſtimatio, in aggrediendis ijs, quæ ſuperant eas. *Ambitio*, inordinatus appetitus honoris. *Inanis gloria*, inordinatus appetitus famæ, laudis, & gloriæ. *Puſillanimitas* denique, vitioſa propriarum virium diffidentia, refugiens opera, iiſdem commenſa.

Magnificentia, quæ eſt altera virtus, ſeu pars potentialis fortitudinis, reſpicit, vel habet pro obiecto magna opera exteriora, quæ propriè dicuntur factibilia, ſicut magnanimitas reſpicit magna agibilia, quæ pertinent ad virtutem, ſeu amplitudinem animi. Quare magnificentia definitur eſſe virtus, inclinans ad faciendas res magnas, & ſumptuoſas iuxta præſcriptũ rectæ rationis. Cum enim omnis arduitas in faciendo opera exteriora magna proueniat ex ſumptibus, qui nomine pecuniæ deſignantur, indè eſt, quod ſicut ad faciendas donationes pecuniæ ordinatur liberalitas, quæ quia per modum donationis amittit pecuniam, & donatio pertinet maximè ad amorem, propterea que maximè pertinet ad liberalitatem moderari amorem pecuniæ, & elicere amorem dándi; Ita quoque ad magnificentiam pertinet dirigere magnos ſumptus in operibus exterioribus, non in ratione donationis, ſed in ratione magni, & ardui, quod indiget aggreſſione, & fortitudine, non circa pericula mortis, quæ eſt ſpecialis, & propria fortitudinis materia, ſed circa expenſas, & ſumptus externos: ideoque eius actus non eſt in concupiſcibili circa amorem pecuniæ donandæ, ſed in iraſcibili, ſub ratione expendendi, & faciendi magnos ſumptus; licet prę ſuppoſitiuè etiam amor pecuniæ debeat eſſe moderatus, ne alias impediatur ex illo, circa ſumptus magnos faciendos. Magnificentiæ duo ſunt vitia oppoſita, vnum per defectũ, ſcilicet *paruificentia*, quæ ſolùm intendit paruitatem ſumptuum, & non audet in aliquid magnum. Aliud per exceſſum, quod Græcè dicitur bonauſia, latinè cõſumptio, quæ ſine limite, & ratione conſumit pecunias.

Poſt magnanimitatem, & magnificentiam, quæ ſunt virtutes potentiales fortitudinis ex parte actus aggreſſionis; dantur aliæ duæ correſpondentes actui ſuſtinendi, ſcilicet *patientia*, & *perſeuerantia*. Et patientia quidem ſuſtinet mala, quatenus difficultatem faciunt ex parte ipſius acerbitatis, ſeu magnitudinis mali ſecundum ſe, citra tamen pericula mortis, quia hæc ſunt principalis materia fortitudinis; propria autem patientiæ materia, vel obiectum, vt eſt potentialis eius virtus, ſunt alia mala communia; propterea ad ipſam pertinet moderari triſtitias inſurgentes, firmando animum, ne illis ſuccumbat, quod non faciunt aliæ virtutes, quæ etiam circa triſtitiam verſantur, in ſuis peculiaribus materijs ſicut pœnitentia, & miſericordia, eliciendo illas moderatas. Patientia verò contra illas etiam inſurgentes firmat animum, ne ſuccumbat; ſicut continentia detinet animum, ne ſuccumbat concupiſcentię inſurgenti, & in hoc diſtinguitur à temperantia, quæ illam in ſe moderatur; & ita patientia pertinet ad concupiſcibilem ratione triſtitiæ, contra quam firmat animum, probabile tamen eſt non reſidere in appetitu ſenſitiuo, ſed in voluntate, quam firmat ad reſiſtendum triſtitijs, ſicut continentia in ipſa reſidet, ad reſiſtendum concupiſcentijs. Definitur eſſe virtus, firmans animum, in tolerantia afflictionum, itavt propter mala, & afflictiones, non deſerat bonum virtutis, nec committat peccatum. Patientiæ per exceſſum afflictionis opponitur *impatientia*; per defectum *inſenſibilitas*. Prima definitur vitium, excedens modum in dolore malorum, illiuſque impulſu à recto diſcedens: Secunda autem vitium, quo quis afflictionibus nō tangitur, velut ſtolidus, aut inhumanus.

Perſeuerantia, quæ eſt altera virtus potentialis fortitudinis ex parte actus ſuſtinendi, habet pro obiecto, ſiue reſpicit ſuſtinentiam mali, ſecundum quod habet ſpecialem difficultatem ex ipſa diuturnitate operis. Licet enim diuturnitas videatur circumſtantia operis, tamen ſecundum quod ſpecialem facit in malis ſuſtinendis difficultatem, ſpecialem quoque inducit rationem motiui, atque adeò ſpecialem inducit virtutem, ita quod ſicut patientia moderatur triſtitias ex acerbitate mali præſentis inſurgentes; ita perſeuerantia moderatur timores defatigationis, aut defectus, propter diuturnitatem mali, impendentes. Et ſic eſt in iraſcibili, parſque potentialis fortitudinis, eo quod firmat animum, non contra pericula mortis, ſed contra difficultatem ex diuturnitate mali prouenientem. Quod ſi perſeuerantia eſt vſque ad finem; eſt conſumata tam ex parte electionis, quam executionis. Si verò quis habet propoſitum, & electionem perſeuerandi, iam habet actū virtutis perſeuerantiæ, licet executio impediatur, quia hæc non eſt ex noſtra electione, ſed ex mero auxilio gratiæ diuinæ. Definitur virtus, firmans animum, vincendo moleſtiam, ac tædium obrepens ex opere bono laborioſo, & diuturno, efficienſque eius continuationem vſque ad finem, à recta ratione præſtitutum.

Vitia huic virtuti oppoſita ſunt duo, ſcilicet per defectum *mollities*, & per exceſſum *pertinacia*. Dicitur enim mollis, qui de facili cedit tangenti, ex hoc autem, quod aliquis vincatur à magnis paſſionibus, non dicitur mollis, quia etiam fortiſſima quæque cedunt magnis contrarijs, ſed dicitur mollis, quia cedit modicis paſſionibus, aut terroribus, maximè quando ex ſola carentia voluptatis aliquis cedit, quia carentia delectationis ſola, eſt debile mouens, & ſic, qui non ſuſtinet laborioſa, quia diu non poteſt carere delectatione, dicitur mollis; definiturque inde mollities, vitium, efficiens animum temerè reſilientem à bono, tædio difficultatis, ac diuturnitatis. Pertinax autem dicitur, qui indebitè firmatur

tur in propria ſententia, & propter hoc non recuſat mala diuturna ſuſtinere. Quare opponitur per exceſſum perſeuerantiæ; quamuis in hoc, quod eſt cauſa pertinaciæ, ſcilicet nimis delectari de propria victoria in propoſito ſuo, & adhæſione propriæ ſententiæ aſſimiletur molli, qui nimis appetit delectationes, nec ſuſtinet earum carentias. Definitur hæc pertinacia vitium, dans animo inordinatam firmitatem, & perſiſtentiam; vbi non oportet, aut pluſquam oportet.

Donum Spiritus Sancti correſpondens virtuti fortitudinis, dicitur etiam donum fortitudinis, per quod mouetur quis à Spiritu Sancto, ad ſuſtinenda, vel aggredienda quæcumque ardua, quantumcumque humanam ſuperent facultatem, ex ſolo diuino auxilio. Cui dono correſpondet quarta beatitudo, ſcilicet Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quod eſt valdè arduum. Quibus autem ſcripturę locis iubemur eſſe fortes, & viriliter agere, continentur præcepta fortitudinis, & partium eius.

§. I.

De actibus fortitudinis.

FOrtitudo, vt explicuimus ſupra, eſt virtus dans animo firmitatem in periculis mortis, aliiſque terribilibus. Quare attento obiecto eius, ſeu materia remota, aut mediata, quæ ſunt pericula, & labores, non quicunque, ſed maximi, 1. exerceri debet, firmato contra quæcunque pericula, etiam mortis, animo, ita vt pro nullo recedat à bono; iuxta illud Diui Petri 1. epiſt. cap. 3. *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini*; & Diui Pauli 1. Corinth. 4. *Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles; abundantes in omni opere Domini ſemper.* In quo habetur ipſiſmet Chriſti præceptū Matth. 10. dicentis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*; vbi nimirum agitur de noſtra, aliorumque ſalute, ac Dei gloria.

Ad cuius actus, vel exercitij heroicitatem pertinet, quod non firmiter ſolùm, ſed & alacriter talia ſubeantur pericula: qualis fuit illa in veteri Teſtamento viri fortiſſimi Eleazari 2. Machab. 6. qui cum Deo agens, *Diros*, aiebat, *corporis ſuſtineo dolores, ſecundū animam verò, propter timorem tuum, libenter hæc patior.* Item Apoſtolorum Act. 5. qui *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Ac denique Sanctorum Martyrum, quos author eſt S. Thomas 2. 2. qu. 124. art. 8. & teſtata res eſt apud hiſtoricos ſacros, Dei gratia aliquando adeò copioſa perfuſos fuiſſe ditiſſimos inter cruciatus, vt ne perciperetur quidem ab illis ſenſus doloris, vel etiam ex magna ſpe maximi præmij; ſi quidem ex Apoſtolo Roman. 5. *Operatur probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Vel ex contemplatione eorum, quæ Chriſtus Dominus pro nobis acerbiſſima tulit, vt propterea S. Bernardus ſerm. 61. in Cant. dixerit: *Martyrem tripudiare, & triumphare, toto licet lacero corpore, & timente laterà ferro; nec modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicere ebullire cruorem, quod tunc fit in tuto anima Martyris, nempè in viſceribus, & vulneribus Chriſti.* Vix enim exprimi poteſt, quam efficax ſit Chriſti exemplum ad omnia laborum, & periculorum genera ſubeunda. Nec mirum cum D. Petrus 1. epiſt. cap. 2. dicat, *in hoc nos eſſe vocatos: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.*

2. Per ordinem ad obiectum, ſeu materiam proximam, & immediatam, circa quam, tanquam circa paſſiones verſatur hæc virtus, timorem ſcilicet, & audaciam, quia pericula non retrahunt voluntatem, niſi in quantum timentur, maximè pertinet ad eius exercitium,

citium, tollere hoc impedimentum timoris, quando eſt immoderatus, & ſimiliter reprimere nimiam audaciam, ne aggrediatur aliquis pericula, vltra quod debet. Siue quod ita ſe habeat ad paſſiones, quæ illi ſunt veluti miniſtræ, vt eas prorſus habeat in poteſtate, nec tam ab illis incitetur, aut moucatur, quam illas ipſa regat, & moderetur ad nutum, vtendo *ira* tanquam inſtrumento in adeundis, vt oportet, periculis; iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*; & D. Iacobi 1. præcipientis, vt vir Chriſtianus *ſit tardus ad iram*, hoc eſt non præceps, & ardens, ac ſine ratione, ſed tarditate conſiderationis irã ſenſim rationi ſubijciens in aggreſſione periculorum: *Timore* verò in ſuſtinendo, & quaſi præſtolando non ſibi ab alio iniectum, ſed quem ſibi ipſe prudenter incutit: ſic enim eo ad cunctationem, qua ſeipſum ad patientiam inſtruit, fructuosè vtitur.

3. Ita ſuſtinere, & aggredi duo ſunt fortitudinis actus, vel gradus; vt tamen præcipuus ſit ſuſtinere. Cuius rei tres cauſas affert D. Thomas 2. 2. q. 123. art. 6. Prima eſt, quia toleramus valentiorem nobis, inuadimus, quem ſaltem putamus fore debiliorem. Secunda eſt, quia ferendo incumbentia iam mala ſentimus; inuadendo, adhuc futura ſentimus. Tertia eſt, quia in puncto temporis inuadimus, nonniſi aliquo eius interuallo ſuſtinemus. Vt non immeritò vna ex Beatitudinibus à Chriſto Domino aſſignatis, ſit, *pati perſecutionem propter iuſtitiam*. Et certè voluntatis, & amoris proprij in patiendo minima, aut nulla ſuſpicio ſubeſt; ſecus autem in aggrediendo, aut inuadendo.

4. Licet animi fortitudo armet fortem virum contra omnia pericula; quia tamen mortis pericula, & timores ſunt omnium maxima, inde eſt etiam, quod perfectiſſimus eius actus ſit martyrium, quod morte completur, elicitiuè ortus à fortitudine, & imperatiuè à charitate: nec non ardens illud obeundi deſiderium, ſi ſe ſe offerret occaſio, aut verò eius occaſionis incenſa cupiditas, qualis fuit in pluribus Sanctis, & nouiſſimè in S. M. N. Thereſia; quæ cum Sanctorum Martyrum acta perlegeret, in tenerrima adhuc ætate, adeò in eius meditatione Sacri Spiritus ignis exarſit, vt domo aufugiens in Africam ſe trijceret, vbi vitam pro gloria Ieſu Chriſti, & animarum ſalute profunderet. Cum enim ſit martyrium princeps omnium actionum, quæ à fortitudine promanant; non poteſt eius deſideriũ in hominis animo procreari, nonniſi ab eadem virtute, ac feruida charitate.

5. Quoniam non mediocrem, imò valdè arduam præ ſe fert difficultatem, & bellum cum vitijs gerere, & defendere ornamenta virtutum omnium; meritò hæc à D. Ambroſio lib. 1. offic. cap. 39. & D. Proſpero lib. 3. de vita contemplatiua cap. 20. recenſentur inter præclariſſimas fortitudinis partes, & actiones. *Is*, inquit vltimus, *cui Dominus eſt animi fortitudo, nullis carnalibus deſiderijs cedat, nullis voluptatibus acquieſcat, ambitionem, ac popularem gloriam vincat; non eum pecunia amor abducat, non acerbitas paſſionum, damnorumque ſubijciat: ſit illi Deus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, ſpes certa, ſecuritas firma, poſſibilitas ſana, ſanitas incorrupta, vt ei, quidquid carnalibus placet, in hoc mundo diſpliceat; quidquid pretioſum videtur eſſe, vileſcat; quidquid nitidum, futurorum contemplatione ſordeſcat; nec ab his, quæ iam per gratiam eliſit, ſe patiatur elidi: quia & turpius videtur animum ab his vitijs vinci, quæ vicerat, & nihil eis prodeſt aliqua ſuperaſſe, ſi alicui, quod neglexerit ſuperare ſubiaceat: quando non ille fortis haberi ſolet, qui in adeundis laboribus, periculiſque claruerit, aut frenandis voluptatibus, ac domandis inſtiterit; ſed ille magnus, ille ſublimis, ille potens, atque dignus fortitudinis appellatione cenſendus eſt, qui nihil ſibi vitij rebellare, aut dominari permiſerit: modo abſit igna-*

uia,

nia, ne nos id deſperemus poſſe, quod poſſumus; abſit præſumptio vitioſa, ne nobis hoc, quod per Dei gratiam poſſumus, adſcribamus; animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quam iactantiæ contraire. Hactenus D. Proſper.

6. Ad idem fortitudinis exercitiũ, religioſorum maximè proprium, quorum vita non incongruè longum dicitur martyrium, ſpectat ſuperare omnes timores, & apprehenſiones non laborum modo, & moleſtiarum, quæ in vitę religioſę decurſu erunt ſubeundę, verum etiam mortis ipſius horrore deuicto, ſtrenuè corpus ſuum animamque Deo deuouere, vt in diuinum eius obſequium ſanctiſſimi ſui amoris igne conſummemur; eligamuſque potius millies mori, quam vel vnum ex electione plenaque libertate veniale peccatum admittere contra religioſum inſtitutum noſtrum.

7. Viriliter ferre, quæ repente, & ex improuiſo accidunt mala: docente Philoſopho lib. 3. Ethic. cap. 8. *in repentinis periculis maximè apparere fortitudinis habitum.* Omnia ſiquidem ſubita videntur maiora, quia quanta ſunt, quæ accidunt, conſiderandi ſpatium non datur.

8. Propterea non parum conducit ad exercendam, data occaſione, hanc virtutem, eliciendoſque promptè eius actus, propenſa voluntas ad imminentia pericula præmeditanda, & ea præcipuè ad quæ propulſanda, magna animi fortitudine opus eſt; ſi quidem vt ait D. Gregorius homil. 35. in Euang. *Iacula quæ præuidentur minus feriunt.* Vndè quantum periculoſum eſt cogitatione interdum verſare alia quæpiam vitia, quæ cum turpitudine aliqua, aut voluptate noxia coniuncta ſunt, propterea quod illa ipſa cogitatio vix culpa caret, certè periculo proxima eſt: tanto melius, ac tutius eſt, laudandique ſunt illi, qui aſſidua vehemẽtique præmeditatione futurorum malorum, ſe ſe comparant ad illa toleranda.

9. Actus quoque fortitudinis eſt, eam virtutum omnium, ſed earum maximè, quarum ope magis iuuari poteſt, præſidio communire. Si enim fortitudo virtus eſt communis omnibus virtutibus, docente Philoſopho lib. 2. Ethic. cap. 4. ad eas requiri firmiter, & immobiliter operari; multo magis, hoc ſpecialiter conueniente ipſi virtuti fortitudinis, fiet vt actio eius, accedente adhuc hac communi proprietate, virtutum omnium fortiſſima, robuſtiſſimaque reddatur, ac penè inſuperabilis. Virtutes autem quibus potiſſimum iuuari poteſt fortitudo, ſunt *Primò*, magna ſui ipſius, viriumque omnium ſuarum diffidentia, maiori in Dei bonitatem, & potentiam fiducia coniuncta, vt certò perſuaſum habeamus, nihil eſſe in rebus noſtræ ſalutis, & ad illam neceſſarijs adeo arduum, & difficile, quod non diuina adiuuante gratia ſuperare poſſimus.

Secundò, contemptus rerum caducarum, ſeu illarum, adeoque vitæ ipſius adepta mortificationis ſtudio, vacuitas: qui enim nihil amat huiuſmodi, nihil metuit: quique ſolius Dei amore tenetur, ſolius etiam Dei metu terretur. *Tertiò* denique oratio, ſeu familiaritas cum Deo parta per aſſiduum eius ſtudium: ipſe enim eſt fortis, & fortium Deus, cui cum Propheta Iſaia 12. cantamus: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*; cuique conſequenter per orationem adhærentes, non poſſumus non cum ipſo omni metus, & timoris perturbatione carere.

10. Tandem & vltimò perfectum huius virtutis exercitium, vel gradus requirit, vt vitentur defectus omnes, aut vitia illi contraria, nec non virtutibus ad illam ſpectantibus, de quibus in ſequentibus.

§. II.

De actibus magnanimitatis, & magnificentiæ.

PArtes potentiales fortitudinis ex parte actus aggreſſionis, ſunt *Magnanimitas*, & *Magnificentia*; vt explicuimus ſupra. Prima habet pro obiecto, ſeu reſpicit magnum honorem, vel potius opera illa, ex quibus magnus honor ſequi poteſt; & ſic moderatur aggreſſionem, ſeu ſpem magni honoris. Quare primus illeque heroicus fortitudinis Chriſtianæ gradus, vel actus, eſt, poſthabito honore humano, & terreno, magni nomen haud merente, velle, & audere magna ad Dei gloriam, in omnium virtutum exercitatione; Magnanimitatis enim materia, eſt honor magnus, ſeu gloria, non quia illam exquirat, vt finem, hoc enim parum eſſe putat, ſed opus magnum, quod honore dignum eſt. Vnde præcipuus eius actus, vt eſt virtus diſtincta ab omnibus alijs, intendens tamen in illis magnitudinem operis, non ſolum vt conditio eius eſt, pertinetque ad alias virtutes, vt diximus ſupra, ſed vt ſpecialem importat formalem rationem ardui per aggreſſionem vincendam, non poteſt non eſſe, audere, & aggredi magna ad Dei gloriam in omnium virtutum exercitatione; ita exigente ipſomet Deo, cui famulamur; ſi quidem, vt ait Propheta Dauid Pſal. 4. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*; atque adeo magnos virtute, & ſanctitate eos oportet eſſe, qui adeo magno Domino ſeruiunt; & ab eo tam magna beneficia recipiunt, vt non ſit, qui iure dicere non poſsit, *Fecit mihi magna, qui potens eſt*. Tum hominis dignitate creati ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, indeque propter illum, tanquam propter finem, quique propterea, nec non attenta etiam dignitate, quæ ex Incarnatione Domini in homines deriuatur, non debet, *in veterem vilitatem*, vt ait S. Leo ſerm. de Natiuit. degeneri conuerſatione redire. Tum denique magnitudine præmii parati magnis actionibus: *Magna*, inquit D. Gregorius lib. 3. in 1. Reg. cap. 7. *promiſit, qui magna præcipiendo docuit: vt magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris*.

2. Verè, & heroicè magnanimus non ſolum moderatur aggreſſionem, ſeu ſpem magni honoris, ad magnas virtutes, magnaque in illis opera conſequentis, ne aut nimis feratur in illũ, aut intendat ipſum ratione ſui, & non ratione virtutis, aut intendat ipſum ſupra debitam proportionem, verum etiam fugit honores humanos quoſcumque, quantum in ſe eſt; Adeo vt S. Auguſtinus dixerit lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 17. *Quòd ſi peruerſitas ſeculi admitteret, vt honoratiores eſſent quique meliores, nec ſic pro magno haberi debet honor humanus; quia nullius eſt ponderis fumus*. & lib. 29. cap. 19. quod *locus ſuperior et ſi ita teneatur, & adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur*. Vnde ſola cogente neceſſitate magnanimus adducitur ad admittendos honores, etiam illos, quibus alioquin dignus eſt; & ſub eorum, quaſi ſub oneris pondere gemit: vel vt ait D. Greg. lib. 5. Moral. 1. tolerare honoris onera compellitur.

3. Ad eiuſdem virtutis exercitium ſpectat, ardor animi optantis, & obeũtis in dies maiora ad Dei gloriam, & hominum ſalutem; qualis fuit ille D. Pauli, qui cum ad Corinthios 2. epiſt. 11. ſcripſiſſet: *In carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, quaſi tamen nihil feciſſet, vel dixiſſet addit. 12. *Ego autem impendam, & ſuperinpendar ipſe pro animabus veſtris*. Verè enim ait Chryſoſtomus homil. 48. in Acta: *Magna anima eſt, ſuam deſpicere quietem, & curare alienam*. Eoque magis ſi in huiuſmodi magnanimitatis officijs, quę alioquin per ſe mærorem parere ſolent, gaudiũ adſit; quale fuit in Apoſtolo Paulo ſcribente

bente ad eoſdem Corinth. cap. 6. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, &c. & cap. 7. *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*.

Cuius etiam, ne ad alia pergamus, præclariſſimum in S. M. N. Thereſia habemus exemplum, in qua inter omnes cordis illius heroicas virtutes, magnanimitas ſummopere reſplenduit, ſi enim huius virtutis eſt, mediocria deſpicere, magnaque adoriri: quid illa mediocre, aut quid non magnum aggreſſa fuit? Certè, vt ait Eccleſia in eius lectionibus, *maximè arduum votum emiſit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret*. Item fortiter plena ſapientia, & fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſerens, mirabile dictu, ſeueriorem veterum Carmelitarum regulam primum mulieribus deinde viris obſeruandam propoſuit, fundata noua Monialium, & Fratrum Diſcalceatorum familia, in Hiſpanicam, & Italicam diuiſa. Potuitque inops virgo duo ſupra triginta Monaſteria ædificare, omnibus humanis deſtituta auxilijs, quin imo aduerſantibus plerumque ſæculi Principibus. Quę certè, & alia plura ſimilia, manifeſta ſunt magnanimitatis eius argumenta.

4. Demum ad perfectum huius virtutis exercitium requiritur fuga omniũ vitiorum illi oppoſitorum, *puſillanimitatis* per defectum, quę eſt vitioſa propriarum virium diffidentia, refugiens opera, iiſdem commenſa; *præſumptionis, ambitionis*, & *inanis gloriæ* per exceſſum: Præſumptio enim eſt propriarum virium nimia æſtimatio in aggrediendis his, quæ ſuperant eas: Ambitio inordinatus appetitus honoris indebiti, propter honorari: Inanis verò gloria, claritatis, vel famæ non fundatæ in honore debito, aut vltra, quam meretur.

5. Proportionaliter ad magnanimitatem diſcurri poteſt de actibus virtutis magnificentiæ, quæ habet pro obiecto, magna opera exteriora, quæ dicuntur factibilia; ſicut magnanimitas reſpicit magna agibilia, quæ pertinent ad virtutem, ſeu amplitudinem animi. Vnde principalis magnificentiæ actus, eſt directio magnorum ſumptuum in operibus exterioribus, non in ratione donationis, ſed in ratione magni, & ardui: indeque fuga *paruificentiæ*, quæ opponitur illi per defectũ, quatenus ſolum intendit paruitatem ſumptuum, & non audet in aliquid magnum; tum *banauſiæ*, ſiue conſumptionis, per exceſſum oppoſitæ, quia ſine limite, & ratione conſumit pecunias.

§. III.

De actibus Patientiæ, & Perſeuerantiæ.

POſt magnanimitatem, & magnificentiam, quæ ſunt virtutes potentiales fortitudinis, ex parte actus aggreſſionis; dantur aliæ duæ correſpondentes actui ſuſtinendi, ſcilicet *Patientia*, & *Perſeuerantia*; vt explicuimus ſupra. Nunc incipiendo ab actibus primæ, cum ſuſtineat mala, quatenus difficultatem faciunt, ex parte ipſius acerbitatis, ſeu magnitudinis mali ſecundum ſe, citra tamen pericula mortis, quæ pertinent ad fortitudinem, vt eſt virtus principalis diſtincta; inde ęſt quod loquendo de obiecto materiali, & remoto, ſeu mediato huius virtutis, ſint omnia alia mala communia; proximum autem vel immediatum ſunt mærores, vel triſtitiæ inde conſurgentes vel moderandæ, vel omnino depellendæ.

1. Igitur in ordine ad obiectum remotum, tot multiplicari poſſunt actus patientiæ, quot ſunt mala, ex quibus mærores ſolent oriri: conſtantèr, ac generosè pro vt iudicij recti, diuinæque voluntatis ratio exigit, illa tolerando. Huiuſmodi mala præcipua, & interna ſunt 1. in ijs, qui ſe diuino manei-

manciparuntſeruitio, cum in aliquem errorem incidunt, horrore peccati nimia conturbatio, anxie ſibi perſuadendo, ſe aut à diuina gratia excidiſſe, aut fortè nondum eam poſt aſſiduum virtutum ſtudium inijſſe; inde enim, atque ex alijs huiuſmodi ſcrupulis nõ mediocris triſtitia; vel mæror concipitur; item ſi ſe labi ſæpius deprehendant, tentationibus vrgeantur, ac diuinis demum ſolatijs deſtituantur.

2. Materia actuum patientiæ, vt & mæroris, ſunt plura mala exteriora, vt infelices rerum noſtrarum ſucceſſus, maximè ſi inde nos contemni, aut alijs poſthaberi contingat: Infamiæ, ignominiæ, perſecutiones, omnes denique moleſtiæ alienæ culpæ, vel iniuriæ interuentu accidentes.

3. Corporis infirmitates, morbi, languores; triſtitiaque ipſa, quæ ſponte nonnunquam excitatur in animo ex naturę ad eam propenſione, vt præſertim melancolicis accidit; etſi enim patientiæ actus valde proprius ſit moderari mærores, qui extrinſecus adferuntur animo à rebus aduerſis, attamen aduerſus omnem prorſus mærorem pugnat.

4. Igitur, loquendo de obiecto proximo, vel immediato patientiæ, eius actus eſt triſtitiam illam, & animi ægritudinem ex mali cuiuſcunque vrgentis incommodis, ita moderari, firmareque animum in tolerando, quidquid nobis aduerſi contigerit, quandiu Deo videbitur, vt nec propterea deſeramus bonum virtutis, nec vel minimum committamus peccatum.

5. Ad huius actus excellentiam, & heroicitatem ſpectat, quod non ſolum patienter, ſed & libenter, ſed & alacriter, quæcunque ſuſtineamus aduerſa; indeque ortam triſtitiam ita temperare primo, vt poſt paulatim eã omnino depellamus, ac perimamus. Iuxta illud Eccleſ. 30. *Triſtitiam longe expelle à te*. Et Diui Pauli Hebr. 12. *Omnis amaritudo tollatur à vobis*, de patientia loquentis; vt exponit Sanctus Gregorius 3. p. Paſt. adm. 10. Item Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus; ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*. Ad quam ſane alacrem patientiam multa nos prouocare, iuuareque poſſunt. In primis conſideratio vtilitatis, quæ magna, & multiplex ex calamitatibus deriuatur in homines; adeo vt Seneca epiſt. 86. vitam ſecuram, ſine vllis fortunæ incurſionibus mare mortuum appellarit. Sanctus autem Chryſoſtomus homil. 40. in cap. 17. Geneſ. loquens de patientia Abrahæ, ait illam *eſſe viam ad perfectionem*; & homil. 64. *hominem ab imo ad ſummum locum attollere*, loquens de Ioſeph. Item ſpes futuræ retributionis, nam *ſi ſuſtinemus, & conregnabimus* 2. Timoth. 2. Tum exempla Martyrum innumerabilium antiquorum, & recentiorum, ſed maximè Regis Martyrum Chriſti Domini, vt oſtendit Diuus Cyprianus orat. de patient. Ac demum, quod ex eodem ibidem, *Sit vobis cum Deo virtus iſta communis*. Nec non ex Regio Propheta habeamus eum, ſi non laboris, & doloris, certaminis certè ſocium: *Cum ipſo ſum in tribulatione*.

6. Quoniam plerumque, valdè nobis ſunt moleſtæ proximi imperfectiones, actus quoque ſpecialis patientiæ eſt illas ferre ex D. Greg. lib. 5. Moral. c. 5. *Ille*, inquit, *verè perfectus eſt, qui erga imperfectionem proximi impatiens non eſt: nam qui alienam imperfectionem ferre non valens patientiam deſerit, ipſe ſibi teſtis eſt, quod perfectè nec dum proficit*.

7. Item perfectus, ac heroicus patientiæ actus eſt, ſuſtinere iniurias etiã cum quis innocens eſt; & in ijs nunquam ſe excuſare, rem totam Deo cõmittendo, qui ſuo tempore *reuelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. 1. Corinth. 4.

8. Hanc patientiam ijs aliarum virtutum præſidijs communire, quibus adiuta poſſit facilius promptiuſue in actus ſuos erumpere. Huius generis potiſ-

potiſſimum ſunt, humilitas, rerumque omnium creatarum vacuitas, & abnegatio; conformitas cum diuina voluntate; ac demum frequens, & aſſidua oratio.

9. Eſt fuga omnium defectuum, & imperfectionum, in quas ingruente, aut premente mali grauioris moleſtia ſolemus incidere; huiuſmodi ſunt maximè contra Deum murmurationes; contra proximum autem verborum defectus, hoc eſt querelę, detractiones, dicteria, aliaque ſimilia in eos, in quos tanquam in authores, malorumque cauſam inuehimur. *Per patientiam*, inquit D. Gregorius homil. 35. in Euang. *perfectè aduerſarius vincitur quando mens noſtra, & inter tentamenta eius ad delectationem, atque conſenſum non trahitur; & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio, & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione.*

10. Fuga vitiorum oppoſitorum, nimirum *impatientiæ* per exceſſum; ne excedamus in dolore malorum, illiuſque impulſu à recto diſcedamus; & *inſenſibilitatis* per defectum, nè vt ſtolidi patiamur, ſed ex amore virtutis, & Dei.

11. Cum perſeuerantia, vt eſt altera virtus potentialis fortitudinis, ex parte actus ſuſtinendi, habeat pro obiecto ſuſtinentiam mali, ſecundum quod includit ſpecialem difficultatem ex ipſa mali diuturnitate, hinc eſt, quod pręcipuus eius actus ſit; illam vincere, & efficere boni operis, quantumuis laborioſi continuationem, vſque ad finem à recta ratione præſtitutum; tum fugere vitia oppoſita. *mollitiei* per defectum, cedendo modicis laboribus, & terroribus; & *pertinaciæ* per exceſſum, indebitè manendo in propria ſententia, & propter hoc non recuſando diuturna mala ſuſtinere. Et hæc ſufficiant de actibus ad virtutem fortitudinis ſpectantibus.

CAPVT VII.

De Virtute Temperantiæ.

TEmperantia, quarta, & vltima virtus cardinalis, definitur virtus, moderans affectum, vſumque voluptatum guſtus, & tactus. Cum enim paſſiones in nobis ſint duplicis generis, quædam fugientes mala, quædam verò conſequentes bona appetitus; & in fugiendis malis non ſit periculum niſi ex aliquo adiuncto, quatenus ſcilicet nimis fugiendo prætermittit quis aliquod bonum rationis, vt euitet malum. Inde virtus, quæ tales paſſiones moderatur, vel reducit ad medium, principaliter operatur, firmando animum in bono, ne omittat illud, propter fugiendum malum. Paſſiones autem, quibus tendimus in bona ſenſibilia, ex ipſa vehementia, & exceſſu proſequendi retrahunt à bono rationis, ita vt receſſus à tali bono proueniat ex multo exceſſu proſecutionis circa ſenſibilia, experimur enim, quod vehementia concupiſcendi facit emolleſcere cor, & euigorat illud. Quare neceſſe eſt, quod virtus, quæ reducit ad medium tales paſſiones, id pręſtet, refrænando, & amputando excreſcētiam, & immoderantiā illarum; & hoc facit temperantia, quæ propriè refręnat, & modum ponit paſſionibus proſequentibus bona ſenſibilia, quales ſunt delectationes. Quia verò virtuti principali, ſeu cardinali correſpondet difficilior, & principalior ſuę ſpheræ materia, id quoque aſſignari debet temperantię, quæ eſt virtus Cardinalis. Inter omnia autem bona ſenſibilia, illæ delectationes ſunt vehementiores, quæ ſunt magis naturales, ſi quidem natura maximè inclinatur, & propendet in conſeruationem ſui, tam quoad ſpeciem, quam quo ad indiuiduum. Et circa conſeruationem ſpeciei verſantur venerea, circa conſeruationem autem indiuidui alimenta; ſuntque ambo delecta-

lectationes pertinentes ad tactum. Quia licet etiam alimenta per guſtum ſentiantur, quantum ad ſaporem, ſicut etiam per olfactum, quantum ad odorem; nihilominus in quantum nutritiua, ſolùm ſpectant ad tactum; nutrimur enim calido, & frigido, ſicco, & humido; & ſic ait Philoſophus, quod ſenſus tactus eſt ſenſus alimenti. Temperantia igitur, quæ eſt virtus cardinalis habet pro obiecto, vel materia delectationes tactus vniuerſim, quæ ſunt difficillimę ad refrenandum.

Vitia ei oppoſita ſunt duo, ſcilicet per defectum *intemperantia*, definita inordinatus affectus, vſuſue delectationum guſtus, & tactus. Per exceſſum autem *Inſenſibilitas* ſiue *ſtupor*, quando etiam quis refugit ordinatum vſum ſenſibilium; vndè definitur inordinata auerſio oblectationum guſtus, & tactus: nolendo ijs vti, quando, & quantum oportet.

Partes temperantiæ integrales ſunt *verecundia*, & *honeſtas*, per quas temperantia opponitur turpitudini, verecundia fugiendo illam, honeſtate amãdo eius oppoſitum; maximè enim turpes motus ſunt, quos temperantia moderatur, quia maximè beſtiales. Sic definitur *verecundia*; fuga turpitudinis ex intemperantia prouenientis; quatenus aliquis timet confundi, & exprobrari de turpi. Vndè differt à pænitentia, quia hæc dolet de peccato ſecundum ſe, vt eſt offenſiuum Dei, verecundia autem fugit turpitudinem peccati, provt timet infamiam, & confuſionem illius; proptereaque non conuenit homini perfecto, nec eſt virtus propriè, ſed paſſio quædam laudabilis, quatenus non proſequitur directè bonum, ſed fugit malum propter exprobrationem illius, & ita verecundia non ſe habet ad temperantiam per modum partis componentis, ſed diſponentis ad illam. *Honeſtas* autem definitur proſecutio decori, elucentis in actibus temperantiæ; per illam enim amatur pulchritudo virtutis non ſolum in communi, ſiquidèm omnis virtus honeſta, ſeu honore digna eſt, ſed ſpecialiter provt excludit turpitudinẽ ex concupiſcentia rei turpis ortam, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 12. 23. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.*

Partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies temperantię ſunt duæ ſcilicet *abſtinentia*, & *caſtitas*, hæc ad moderanda venerea, illa autem ad moderandas delectationes circa alimentum; & diuiditur in *abſtinentiam* circa cibos, quæ retinet nomen generis, & in *ſobrietatem*, quæ moderatur immoderantiam potus. Abſtinentiam autem circa cibos debere eſſe ſpecialem virtutem, patet ex ſpeciali, quam habet moderandam, materia, quæ etiam habet ſpecialem difficultatem; vſus enim alimenti cum ſit tam naturæ neceſſarius, delectatio illius vehementior eſt, atque adeo valdè difficilis refrænationis; delectatio autem circa veſtimenta, & alia ſimilia, quibus fouetur natura, modica eſt, quia natura etiam non pretioſis veſtibus fouetur; provt verò ſpectat ad pompam, & faſtum moderatur à modeſtia. *Abſtinentia* igitur ſic ſumpta in ſpecie, definitur virtus, moderans affectum, vſumque delectationis eſculentorum. Cuius principalis actus eſt ieiunium, quo affligimus corpus per ſubtractionem ciborum ad moderandas concupiſcentias, & vacandum exercitio virtutum. Vitium illi oppoſitum eſt gula, vnum è capitalibus, quia eſt de re maximè delectabili, & conſequenter, quæ habet rationem finis, propter quem alia multa appetuntur, vel non recuſantur. Non eſt tamen ex ſuo genere peccatum mortale, quia directè non contrariatur dilectioni Dei, & proximi, ſed ex aliquo tantum adiuncto, vt ex damno notabili ſecuto in ſalute corporis, vel ex contemptu Dei, quatenus ita aliquis excreſceret in affectu gulæ, vt ad illi ſa-

tisfacien-

tiſfaciendum tranſgrederetur diuina præcepta. *Sobrietas*, quæ eſt altera ſpecies temperantiæ, vt ſic, definitur virtus, moderans affectum, vſumque potus inebriatiui; cum enim talis vſus, ſeu delectatio potus inebriantis per ſe primò habeat tollere vſum rationis, ex fumoſitate potus, qui eſt materia talis actus, atque adeo importet diſtinctum impedimentum contra rationem, præter ipſam delectationem cibi, & potus abſolutè, propterea etiam fundat diſtinctam moralitatem, & exigit diſtinctam virtutem, quæ primò, & per ſe moderetur delectationem potus, vt tollentis vſum rationis. Vitium illi oppoſitum eſt *ebrietas*, quæ eſt peccatum mortale ex ſuo genere, eo quod per illam priuat ſe aliquis vſu rationis, non modo naturali, ſicut fit per ſomnum, in quo ſuſpendũtur omnes actiones, nec ſe exponit aliquis periculo operandi mala; ſed modo præternaturali, auferendo vſum rationis, & non ſuſpendendo omnes actiones, verum modo beſtiali faciendo illas, quod eſt ab intrinſeco committere ſe graui periculo peccandi, & nocendi, licet ex ignorantia vitium potus, vel ex neceſſitate alicuius medicinæ poſſit aliquãdo excuſari. Sic ebrietas quatenus eſt peccatum, definitur vitium cauſans inordinatam potionem, & ex ea, vſus rationis priuationem, quatenus autem eſt peccati effectus, voluntaria, & violenta vſus rationis priuatio, per nimium potum, cauſa voluptatis aſſumptum.

Altera pars ſubiectiua, ſeu ſpecies temperantiæ eſt *Caſtitas*; quæ etiam eſt ſpecialis virtus, diſtincta ab abſtinentia, quia moderatur ſpecialem materiam, diſtinctamque habentem moralitatem; alio enim modo ratio moderatur delectationes alimenti, & alio delectationes veneris; alioque modo vnum eſt licitum, quam aliud: ſic definitur caſtitas, virtus, moderans affectum, vſumque venereorum iuxta præſcriptum rectæ rationis. Et eſt duplex, perfecta, & imperfecta. Caſtitas perfecta eſt virtus, excludens omnem affectum, vſumque venereorum, etiam alias licitorum; quia habet annexum propoſitum abſtinendi perpetuò ab omnibus voluptatibus carnalibus, illicitis, aliaſque licitis. Quod propoſitum ſi ſimul ſit votum, tunc eſt *Virginitas*, quæ eſt excellentiſſima caſtitas, ſicut magnificentia eſt excellentiſſima liberalitas. Eſt autem diſtinguenda triplex virginitas, vna naturalis, altera moralis, quæ eſt duplex, vna moralis dicta moralitate ſtatus, altera moralitate virtutis diſtinctæ à caſtitate communi.

Virginitas naturalis conſiſtit in ipſa integritate carnis, libidinoſæ contagionis experti, præbetque materiam ſeruandam à virtute virginitatis; dicitur enim virgo, quaſi virens, & illud dicitur virens, quod non eſt aduſtum à ſuperabundantia caloris. Vndè hæc naturalis virginitas importat virorem carnis, id eſt non eſſe aduſtam à calore concupiſcentiæ, quæ eſt in conſummatione maximæ delectationis. Status autem virginitatis ex parte quidem materiæ ſupponit carnem non eſſe voluntariè corruptam, ſeu aduſtam, & addit ex parte rationis formalis propoſitum ſic perſeuerandi ſine experientia veneris; ſicut caſtitas vidualis in carne experta venerem importat propoſitum ſeruandi omnimodam caſtitatem. Sed hoc licet ex parte materiæ, quæ eſt inexperientia totius veneris, importet maiorem excellentiam, tamen ex parte rationis formalis, ſeu propoſiti, non facit diſtinctam virtutem, præter caſtitatem communem, quia non eſt illud propoſitum omnino firmum, ſiquidem non peccat virgo, ſi nupſerit, vt ait Apoſtolus, & ſic licet frangat hoc propoſitum, non facit contra virtutem. Vt igitur ex parte propoſiti virginitas conſtituat ſpecialem virtutem ſupra caſtitatem communem, neceſſe eſt, quod hoc propoſitum reddatur ſpecialiter virtuoſum circa omnem experientiam

rientiam veneris, vt reddat illam prorſus illicitam, etiam quoad matrimonium; quod fieri non poteſt niſi per votum, per hoc enim ſolum homo reddit ſibi illicitam experientiam veneris etiam in matrimonio. Quare virginitas, vt Deo ſacra per votum, non ſolum addit circumſtantiam religionis, verum etiam intra propriam caſtitatis materiam naſcitur noua, & ſpecialis virtus ſeruandi omnem inexperientiã veneris, virginitas dicta. Nullum enim eſt inconueniens in ſpeciebus caſtitatis, & luxuriæ oriri diſtinctam ſpeciem, ex ſuppoſitione alterius virtutis, tanquam ex conditione requiſita, ſicut adulterium ex ſuppoſitione iniuſtitiæ, eſt ſpeciale peccatum luxuriæ. Hæc virtus virginitatis eſt reparabilis, irreparabilis verò materia, ſcilicet inexperientia veneris, habita ſemel eius experientia. *Pudicitia* autem non diſtinguitur à caſtitate, quia moderatur ſigna, & circumſtantias exteriores veneris, de quibus magis pudoramur, quæ omnia pertinent ad eamdem libidinem, & circa eumdem finem ordinantur, atque adeò eadem menſura menſurantur à ratione; ſic pudicitia eſt ipſamet virtus caſtitatis, pudori, ſeu verecundiæ humanæ conformans vſum venereorum, & omnia ordinata ad illum v. g. geſtus, aſpectus, tactus, oſcula, amplexus, & ſimilia. Impudicitia autem illi oppoſita eſt vitium, pudori humano repugnans in vſu venereorum, & ad ea ordinatorum, mox dicta.

Vitium caſtitati oppoſitum eſt luxuria, cuius multæ ſunt ſpecies. Definitur libidinoſæ voluptatis inordinatus affectus, & vſus. Eſt peccatum capitale, mortale ex genere ſuo, ideoque ab Apoſtolo Galat. 5. numeratur inter opera carnis, *quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur*. Species eius ſic ſe habent, ſeu deſumuntur vel ex parte perſonæ generandæ, quæ eſt finis actus generatiui, vel ex parte perſonæ, cum qua conſumatur iſte actus; ex diuerſo enim abuſu circa vtramque perſonam, diuerſa oritur deordinatio luxuriæ. Ex parte perſonæ generandæ, abuſus luxuriæ vel totaliter impedit ipſam generationem ex vi actus, quod eſt ponere impedimentum phyſicum ipſi generationi in reſolutione ſeminali, vel ſolum impeditur debita prolis educatio, licet non generatio phyſica, quod eſt propterea tantum impedimentum morale prolis generandæ. Si primo modo fiat, eſt *peccatum contra naturam*, ita dictum, quia phyſice, & naturaliter impedit generationem in abuſu ſeminis, & ſic opponitur etiam naturæ ſenſitiuæ; cuius tres ſunt ſpecies, nimirum *beſtialitas*, quando fit coitus cum viuente alterius ſpeciei; *ſodomia*, in qua ſolum variatur ſexus intra eamdem ſpeciem humanam; & *mollities*, quæ ſine acceſſu ad alterum, ſemen reſoluit, & hoc eſt peccatum mortale ex genere ſuo tam in maſculo, quam in fœmina, quia in vtroque ſeminalis humor, cuiuſque reſolutio ordinatur ad ſolam generationem, licet principalius, & actiuius ſemen virile. Si autem non impeditur phyſica generatio prolis, ſed debita tantum illius educatio, quia ſcilicet parentes non ſe obligant, ad conuiuendum ſimul pro educatione prolis, cum tamen per ſe requiratur in ſpecie humana, vt ab vtroque parente proles educetur, ſic eſt *ſimplex fornicatio*, cuius peccati malitia ex eo ſolum deſumitur, quod ex tali generatione fit damnum proli, quia illi qui ſic conueniunt ad generandum, conſtituunt ſe naturaliter parentes, & volunt ſe conſtituere naturaliter educatores, nolendo ſe obligare ad educandum, in quantum parentes, quia poſſunt ab inuicem diſcedere; & quamuis aliquis velit prolem ſic ſuſceptam educare, & alere, quia tamen id non facit ex obligatione mutua vtriuſque parentis, ſed ex propria voluntate, non excuſat actum illum, qui naturaliter conſtituit parentes, & poſtulat mutuò eſſe educatores.

Si verò deordinatio luxuriæ fiat non ſolum ex parte prolis generandæ, ſed etiam ex parte perſonæ, quæ ad generationem aſſumitur, reſultant quoque diuerſæ luxuriæ ſpecies, Nam vel aſſumitur perſona, cui debetur ſpecialis reuerentia, ſicuti eſt conſanguinea, & ſic eſt *inceſtus*; vel perſona, quæ eſt in alterius poteſtate, quę quidem ſi ſit in poteſtate illius, quantum ad coniugium, reſultat *adulterium*, quod facit iniuriam coniugi; ſi autem ſit in poteſtate, quantum ad cuſtodiam virginitatis (naturaliter enim fæminę virgines cuſtodiuntur vſque ad matrimonium, quia virginitas eſt dos naturæ in fæminis, vt diſtinguitur à dote ex bonis fortunæ) ſic eſt *ſtuprum*. Si autem ſit perſona exiſtens in poteſtate alterius, quantum ad conſecrationem, & votum Deo factum, ſic eſt *ſacrilegium*: quod ſi addatur violentia, qua extrahatur fæmina ab eo, in cuius eſt poteſtate, dicitur *raptus*. De quibus omnibus non eſt hic fuſius agendi locus.

Poſt partes integrales, ac ſubiectiuas temperantiæ, ſequuntur potentiales, quæ ſunt tres, ſcilicet *continentia*, *clementia*, & *modeſtia*. Quippè quæ in alia materia, quam delectationibus tactus, moderantur exceſſum paſſionum, vel inclinationum. Continentia autem, cum ſit duplex, ſeu dupliciter ſumi poſſit, primò pro refręnatione ipſa paſſionum ad venerem, non agitur in præſenti de illa ſic ſumpta, ſic enim eſt idem, ac caſtitas, ſed de illa ſumpta ſecundò pro reſiſtentia rationis ad paſſiones inſurgẽtes, ſeu vt refręnat voluntatem, ne cedat paſſionibus inſurgentibus. Quare eſt aliquid imperfectius temperantia, & quaſi ſecundarium reſpectu illius, quia non refręnat ipſas paſſiones, ſed detinet rationem, ne à vehementibus paſſionibus deducatur; ideoque continens habet minus efficacem vim rationis, quam temperans, quia non extenditur ad domandum appetitum, ſed patitur in eo vehementes paſſiones, fręnaturque tantùm ne deducatur ab illis; vndè non poteſt aliquis ſimul eſſe continens, & temperans in actu, ſed ſolùm in habitu. Et quia vehementiſſimæ paſſiones ſunt concupiſcentiæ circa cibos, & venerea, propterea continentia circa illas eſt continentia ſimpliciter. Cui opponitur incontinentia, quæ etiam pertinet ad voluntatem, ſicut eius contrarium, quod eſt continentia, eo quod ſinit voluntatem duci à paſſionibus, nec firmat contra illas, quando inſurgunt. Quare incontinens non peccat ex habitu voluntatis, ſed ex paſsione inſurgente, cui non facit reſiſtentiam, & quia incontinens ſolùm aſſueſcit peccare ex paſſione, non verò ex habitu, & malitia, paſſio autem quamuis frequenter vincat, non tamen habituat voluntatẽ ad eligendum, ſed tantum illam relinquit diſpoſitam, vt paſſioni non reſiſtat, ſed ab illa ducatur, propterea ex repetitis incontinentiæ actibus, non generatur habitus, ſed praua voluntatis diſpoſitio; cuius argumentum eſt, quod voluntas non firmatur erga prauum obiectum, ſed potius tranſacto actu, & paſſione, incontinens ſentit pœnitentiam, intemperans autem non, quia habet habitum eligendi prauè, non autem ſolùm diſpoſitionem non reſiſtendi.

Altera pars potentialis temperantię eſt *clementia*, & *manſuetudo*, ad quas pertinet refrænare iram, in ordine ad malum alienum, non tamen in principali temperantiæ materia, quæ eſt concupiſcentia. Differunt autem clementia, & manſuetudo, quia *clementia* habet pro materia mitigationem pœnarum, præſertim legalium, intra limites tamen iuſtitiæ, & ideò eſt ſuperioris ad inferiorem, maximèque decet principem: manſuetudo verò moderatur iram, vt illatiuam mali, non autem pœnas legis, & ideò propriè verſatur inter æquales. Illi opponitur per exceſſum *iracundia*, definita inordinatus vindictæ appetitus; per defectum autẽ aliud vitium innominatum, ſcilicet

defe-

defectus iræ, alijs lentitudo, quando quis etiam cum cauſa rationabili non vult iraſci. Et quia vindicta eſt valdè appetibilis, vt potè valde ſatiatiua, ideò habet rationem finis, propter quem multa alia fiunt, vel non recuſantur; eſtque iracundia vitium capitale; habens plures ſpecies in ratione peccati, licet ira, quæ eſt paſſio, ſit eiuſdem ſpeciei, eo quod ex diuerſo motiuo aliqui mouentur ad vindictã; alij enim dicuntur *acuti*, qui accelerant motum iræ ex vindicta repentina apprehenſa; alij *amari*, qui nimiam triſtitiam concipiunt, ex iniuria, & quaſi felle replentur, & ex hoc motiuo excitant irã: alij denique dicuntur *difficiles*, quia apprehendunt vindictam, vt ſatiatiuam, & ſic nimis afficiuntur ad illam, difficileque remouentur. Vitium autem clementiæ oppoſitum, eſt *crudelitas*, qua quis habet animum crudum, & nõ lenem in mitigandis pœnis propter culpas. Quod ſi excedat in iſta crudelitate, gaudendo de cruciatu aliorũ, propter delectationem de pœnis, dicitur *feritas*, ſeu *ſæuitia*, quia in hoc beſtijs aſſimilatur homo.

Tertia, & vltima pars potentialis temperantiæ eſt *modeſtia*; quam aliqui nimis amplè acceperunt pro moderatione omnium actuum interiorum, vel exteriorum, præter delectationis tactus; alij nimis ſtrictè pro ſola moderatione actuum exteriorum; media igitur via incedendo, modeſtia hic accipitur pro virtute moderante omnes actiones, quæ ordinantur ad compoſitionem, & maturitatem, & ſic complectitur aliquas actiones interiores, & aliquas exteriores. Soletque diuidi in quatuor ſpecies, cum quatuor ſint, in quibus homo maximè compoſitionem, & maturitatem oſtendit; non ergo circa malum alienum, vt manſuetudo, & clementia, ſed circa proprias actiones verſatur. Primum eſt in appetitu excellentiæ, quo aliquis vult ſupra alios efferri, & non tenere locum ſuum, & ita maximè tollit ordinem, & compoſitionem, ſi nimius ſit. Secundum eſt in appetitu curioſitatis vanæ circa cognitionem rerum præſertim ſenſibilium, hoc enim maximè ſoluit interiorem compoſitionem, & diuertit à grauitate negotiorum. Tertium eſt, circa actiones exteriores, ſiue ſerioſas, ſiue iocoſas, tam in dictis, quam in factis, in quibus maximè relucet hominis compoſitio, & grauitas. Quartum eſt circa apparatum exteriorem, & ornatum perſonæ, in quo maximè dominatur luxus, & ita maximè indiget compoſitione, & modeſtia. Circa primum igitur moderandum verſatur *humilitas*; circa ſecundum *ſtudioſitas*; circa tertium in rebus iocoſis *eutrapalia*, in ſerioſis *bona ordinatio*; circa quartum verſatur *ornatus*.

Incipiendo à prima ſpecie, nimirum ab humilitate, eſt virtus, inclinãs creaturam intellectualem ad ſui vilitatem profitendam, interius, exteriuſque; dictis, & factis, ſiue eſt virtus, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit iudicio, & affectu; aut etiam moderatur, ac detinet motum in honores improportionatos, ex conſideratione propriorum defectuum; vnde quoque ſe reputat indignum eo honore, quo dignus eſt abſolutè, & in re, quamuis ex parte donorum Dei, non æſtimet ſe eo indignum, nec deijciat animum. Quare motiuum humilitatis maximè oritur ex reuerentia, & ſubiectione ad Deum, & alios homines, comparando ad illos, defectus proprios, ex quibus ſe conſiderat indignum. Sicque magnanimitas, & humilitas verſantur circa idem, nimirum circa honores proportionatos, ex diuerſo tamen motiuo, magnanimitas, quaſi aſcendendo, & impellendo ad magnos honores, proportionatos tamen, ſecundum dona Dei, & perfectiones proprias; ac ſecundario reprimendo honores improportionatos, non quidem ex conſideratione defectus proprij, vt humilitas, ſed ex cõparatione honoris improportionati ad proportionatum; humilitas autem qua-

ſi deſcendendo in conſideratione proprij defectus, indeque iudicando ſe indignum omni honore, quantum eſt ex vi talis defectus; Siſtit tamen in honore ſibi proportionato, non deijciendo animum vltra id, quod ſibi debetur, quantum eſt ex parte donorum Dei, & ita procedit refrænando, & ponendo modum in motibus tendentibus in propriam excellentiam, & ideo quia materia talis refrenationis, non eſt delectatio tactus, quæ eſt principalis materia temperantiæ, ſed excellentia propria, Ideo quoque eſt pars potentialis temperantiæ; ex parte tamen motiui, à quo procedit, ſcilicet ex reuerentia diuina, reſpectu cuius proprios recognoſcit defectus, excellentior eſt reliquis virtutibus moralibus. Vndè etiam maximus reſultat profectus, nimirum quod homo ſubijciat ſe omni ordinationi rectæ, quia reſpectu nullius regulæ ſe æſtimet excellentiorem.

Vitia humilitati oppoſita, ſunt per exceſſum *ſuperbia*, per defectum verò *nimia abiectio*, quando quis ſe applicat ad vilia, etiam vltra quam decet virtuoſum, etiam ſecundum dona Dei; quare definitur hæc abiectio, inordinata propriæ excellentiæ demiſſio: Superbia autem inordinatus propriæ excellentiæ appetitus. Directè opponitur humilitati, tum ex parte motiui eius, tum ex parte materiæ, circa quam verſatur, tum ex parte obiecti, quod appetit. Ex parte motiui, quia humilitas ex reuerentia diuina ſubijcit ſe, & reputat ſe indignum vllo honore, quantum eſt ex parte ſui defectus; ſuperbia verò excutit à ſe diuinam reuerentiam, vel poſitiuè, & directè contemnendo Deum, quod eſt ſummum ſuperbiæ genus, vel priuatiuè tantùm, quando quis, ad propriam excellentiã proſequendam, ſubtrahit ſe à Deo, nõ dando ei reuerentiam, & honorem, ſed ſibi arrogando. Ex parte materiæ, quia humilitas proprios reſpicit defectus, ſuperbia ambulat in magnis, & mirabilibus ſuper ſe. Ex parte obiecti, quia humilitas reſpicit propriam deiectionem, quantum eſt ex parte ſuorum defectuum, ſuperbia propriam celſitudinem, non in hac, vel illa materia, ſed in omnibus, & ita licet materialiter, ſeu ex parte materiæ remotæ, videatur ſuperbia includi in omni peccato, quatenus in eo reperitur aliquis contemptus Dei, auertendo ſe ab eius regula, & lege, tamen ſuperbia formaliter eſt ſpeciale peccatum ex parte ſui motiui, quatenus intendit propriam excellentiam in quacumque materia, & ideò eſt vitium capitale, quia excellentia eſt multum appetibilis, & ita habet rationem finis, propter quam multa poſſunt appeti, & non recuſari. Et habet pro ſubiecto voluntatem, quia non reſpicit ſolam excellentiam corporalem, ſed etiam ſpiritualem, & vniuerſaliter omnem in quacunque materia; & propterea pertinere debet ad voluntatem, quæ eſt potentia vniuerſalis, & ſpiritualis, quatenus habet vim tendendi in res arduas per ſpem, & audaciam.

Secunda ſpecies modeſtiæ eſt *ſtudioſitas*, quæ refrenat exceſſiuum appetitum ſciendi, ſeu curioſitatem. Vndè ſtudioſitas non verſatur immediatè circa ipſam cognitionem, ſed circa applicationem ad cognoſcendum, quæ applicatio eſt actus voluntatis, qui dicitur vſus, & ideo ſtudioſitas eſt in voluntate, tùm propter actum, quem refrenat, qui eſt actus voluntatis; tum propter amplitudinem materiæ, circa quam verſatur, id eſt circa applicationem ad cognoſcendum, tum cognitione intellectiua, tùm ſenſitiua: Et quia moderatur appetitum, ſeu applicationem cognoſcendi, propterea eſt virtus moralis, definiturque eſſe virtus moderans affectum, ſtudiumque ſciendi; ita vt veluti primarium eius officium ſit incitare voluntatem, & potentias cognitiuas, ad parandam ſcientiam, vel notitiam eorum, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, vel vtilia; ſecundarium autem

mode-

moderari affectum ſcientiæ, vt quis nõ velit altiora, aliave ſcire, quam deceat; nec per mẽdia indebita, aut propter finem inordinatum: vt ſcientiam ſuis momentis æſtimet, non præponendo illam virtuti, nec mandatorum diuinorum obſeruationi. Ac demum moderari ipſum ſtudium, conatumque potentiarum cognitiuarum, in acquiſitione, vſuque ſcientiæ. Huic virtuti per defectum opponitur *negligentia*; & per exceſſum *curioſitas*, vtraque ſtrictè accepta; ſicque definitur negligentia tædium laboris ſubeundi in diſcendo eo, quod quis ſcire tenetur: negligentia enim generaliter accepta eſt omiſſio attentionis, & intenſionis debitæ in actibus humanis. Similiter curioſitas ſtrictè ſumpta eſt inordinatus affectus, ſtudiumque ſciendi tantum ad ſciendum, vel impertinentia ſciendum; generaliter autem eſt ſuperflua cura, & diligentia in rebus non neceſſarijs, nec vtilibus. Cum dicitur curioſitatem eſſe inordinatum affectum ſciendi, ſeu quod idem eſt, importare inordinatum exceſſum circa applicationem voluntatis ad cognoſcendum, id ita intelligendum eſt, vt formaliſſima huius vitij materia, ſit inordinata applicatio ad cognoſcendum, in quantum cognitio; nã etiam guloſus, & luxurioſus, quærunt inordinatum vſum tactus, quem ſentimus, & cognoſcimus, non tamen ad cognoſcendum, ſed ad delectandum, curioſus autem quærit ſenſibilia, etiam ſi moleſtent, quia quærit ſolum eorum cognitionem: & ex hac radice diſcerni debet delectatio curioſa, à libidinoſa, quod iſta naſcitur ex vſu tangibilium, vt delectant, illa, vt præciſè faciunt cognoſcere.

Tertia modeſtiæ ſpecies, eutrapelia, ſeu bona ordinatio dicta, verſatur circa actiones, ſeu motus exteriores, tum ſerioſos, tum ludicros, non quidem in ratione debiti, & honeſtatis, ſicut affabilitas, & veritas, quæ ſunt partes iuſtitiæ; ſed ſecundum moderationem, vt non excedat quis, aut non deficiat in his, quæ agit ſecundum decentiam externam etiam in ludicris.

Quarta tandem ſpecies, *ornatus* dicta, verſatur circa apparatum exteriorem in veſtitu, comitatu, & omni apparatu externo; cui per defectum opponi poſſunt omnia, quæ circa talem apparatum ſunt contra vel perſonæ, vel ſtatus decentiam; per exceſſum omnia in illo ſuperflua, cuiuſmodi ſunt plerumque mulierum ornatus, fucatuſque cultus.

Non datur donum Spiritus Sancti virtuti temperantiæ directè, & primario reſpondens, ſed per donum timoris ſecundario refrenantur delectationes carnis, iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Timor enim primariò, & per ſe exhibet Deo reuerentiam, eius potentiam formidando, & exindè reſultat confligentia carnium, quæ eum tanta formidine non audent erumpere in Deum.

Tot habentur huius virtutis præcepta, quot ſunt diuinarum ſcripturarum loca, quibus illam, virtuteſque illi annexas iubemur exercere.

§. I.

De actibus Temperantiæ.

Temperantia, quæ eſt virtus Cardinalis, multipliciter exerceri poteſt. 1. enim, qua ratione habet pro obiecto, vel materia, delectationes tactus vniuerſim refrenandas, hoc eſt in vſu cibi, potus, & rerum venerearum, vt explicuimus ſupra, exerceri debet circa cibum, & potum, illos ſumendo ad rationis præſcriptum, vel regulas, quæ tres ſunt potiſſimæ. *Prima* eſt neceſſitas corporis, cum enim vitæ noſtræ, & valetudinis conſeruatio, abſque cibo, & potu durare non poſſit, virtuosè vterque ſumitur, attento hoc fine, quando ſumitur, quantum ad illius conſecutionem vtrumque neceſſarium, vel vtile eſſe iudicamus. *Secunda regula* deſumitur ex muneribus, vel officijs

officijs vnicuique vel à Deo, vel ab obedientia, ſeu ſuperiore iniunctis; iuxta quam virtuoſè ſumitur cibus, & potus, exercèturque temperantiæ actus, ſi ea menſura illis vtamur, quæ viribus corporis ſuſtentandis ſufficiat, ad ſubeundos huiuſmodi officiorum labores, aut ærumnas. *Tertia* pendet à directione, quarumdam aliarum virtutum, nobis due neceſſariarum, aut valdè vtilium; quæ ſine temperantia cibi, & potus ita facilè obtineri non poſſunt, conſequenterque ad illam impellunt ſecundum menſuram finis, quem ipſæ intendunt: Sic virtus caſtitatis nos ad maiorem adigit abſtinentiam, & ſobrietatem, quam neceſſaria eſſet ad naturæ ſuſtentationem, & conſeruandas vires officijs noſtris neceſſarias; quia vult carnem in ſeruitutem redigere, ſeu ſpiritui ſubijcere: Similiter & virtus pœnitentiæ, vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat. In quo tamen diſcretio ſemper adhiberi debet, nec non Superioris, aut Confeſſarij conſilium.

In hoc ergo conſiſtit medium virtutis Temperantiæ, actumque eius circa cibi, & potus vſum, eorumque cupiditates moderandas, vt iuxta præfatas regulas, aut ſimiles ſumantur. Ita enim vitantur duo extrema, ſiue duo vitia illi oppoſita, qualia ſunt per defectum *intemperantia*, non ſumendo plus cibi, & potus, quam recta ratio præſcribat, ſecundum iam dictas regulas; per exceſſum autem *inſenſibilitas*, ſiue ſtupor; non refugiendo ordinatum vtriuſque vſum, quando, & vbi oportet.

2. Ad perfectum, & heroicum eiuſdem temperantiæ exercitium, vel actũ pertinet, vt, cũ Auguſtino lib. 10. Confeſſ. cap. 31. *quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturi accedamus*: Nimirum vt non ſolum eadem, quo ad fieri poteſt menſura, vel proportione, qua peritus medicus medicamenta præſcribit, quod pertinet ad ordinarium huius virtutis exercitium, verum etiam, quod perfectum, & heroicum eſt, eadem repugnãtia, qua æger medicamenta ſumit: ita vt corpori ipſi, ſenſui guſtus, & palato deſipiant omnia, & cogendum ſit corpus ad eum modum, quo cogi ſolet ad ſorbendam potionẽ amariſſimam, ad cuius aſpectum, vel olfactum ipſum, totum horrore concutitur; ſicque eat ad menſam ſicut ad crucem. Quo Diuum Bernardum deueniſſe, qui etiam ſemel oleum pro poculo hauſit; adeò omnem ſaporis ſenſum ſiue in cibo, ſiue in potu amiſerat, vt nihil inter illa diſcerneret; Item S. Catharinam Senenſem, quæ vocata ad menſam, vel alimentum, quaſi ad tormentum dicebat: *Eamus, & ſumamus de peccatrice vindictam*, cum ingenti enim dolore cibum ſumebat, quem mox cogebatur reijcere. Et alios plures Sanctos, diuinarum ſuauitatum dulcedine repletos, eorum acta teſtantur. Quibus etiam ſapit Deus, maximè in oratione; cæleſtiſque in ea doctrinæ pabulo nutriuntur, facilè deſipiunt omnia. Aut ſaltem nihil vnquam, quod palato ſapiat, ideò admittunt, quia placet, ſed quod nutriat, corpuſque ſuſtentet; nihil vero ideò quoque reijciunt, quod guſtui non arrideat, ſed ex eo tantum quod ſanitati aduerſetur.

3. Circa qualitatem cibi, & potus, cum ſint in duplici differentia, alij enim ſunt delicati, & ſuaues, quibus vita commodius agitur, alij autem communes, quibus vtcunque, & ægrè ſuſtentatur; etſi primorum licitus ſit vſus, in eoque etiam poſſit exerceri actus ordinarius temperantiæ, nihilominus ad perfectionem, & heroicitatem eius ſpectat, his relictis, potius vti cibis communibus, & ad ſuſtentationem vitæ merè neceſſarijs. Sic D. Ambroſius lib. 2. de Virginibus poſt initium loquens de heroica Beatiſſimæ Virginis Mariæ temperantia ait: *Etſi quando reficiendi ſucceſsiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, & non delicias miniſtraret.*

4. Cum rurſus circa eamdem cibi, & potus materiam, duplex detur virtus

ſubiectiua temperantiæ, nimirum *abſtinentia*, & *ſobrietas*; per vtramque, tam quoad cibi, & potus qualitatem, quam quoad eorundem quantitatem, virtus temperantiæ heroicè exerceri poteſt. Primo modo, ſeu quo ad qualitatem, abſtinendo in cibo ab omni carnium eſu, in potu verò à vino, omnique eo, quod inebriare poteſt; cum aliàs ordinarius ſobrietatis actus conſiſtat ſolum in moderato vſu potus inebriatiui. Non quod carnes, aut vinum, aliquave alia creatura, quaſi per ſe mala, aut à Deo non creata, vitari debeat, vt plures docuerunt hæretici, Encratitæ, Simoniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichęi, & alij: ſed ad refrenandam huiuſmodi rerum abſtinentia concupiſcentiam, exercendamque pœnitentiam. Vndè non qui in hunc finem, ſed qui in alterum prohibituri erant, iamque tempore Apoſtolorum cibos prohibebant, reprehenduntur ab Apoſtolo 1. Timoth. 4. vt docent disertè Patres communi conſenſu ad hunc locum; & Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 14. *Hos*, inquit, *propriè deſignat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiſcentiam ſuam refrenent, aut infirmitati alterius parcant, ſed quia ipſas carnes immundas putant, & earum Creatorem Deum eſſe negant*. Similia habet lib. de hæreſibus, in hæreſi Manichęorum, nec non lib. 3. contra Fauſtum cap. 5. & 6. expreſsè docens Apoſtolum eos citato loco perſtringere, & damnare, non autem Catholicos, qui ſtudio virtutis nuptijs, aut carnibus abſtinent: *Ille*, inquit, *prohibet nubere, qui hoc malum eſſe dicit, non qui huic bono aliud melius antepoiit*.

Clarè igitur patet, quam temerè, & ineptè Nouantes hunc Apoſtoli locũ obijciant contra cælibatum, & ieiunia Eccleſiæ, tum Monachorum, ac Religioſorum abſtinentiam, & ſobrietatẽ, quæ tam Sacræ Scripturæ, quam Patres paſsim laudant. Ionadab enim filius Rechab in veteri teſtamento ſuis filijs, & poſteris prohibuit vſum vini, aliaque multa; qui obedientes patri benedictionem à Deo meruerunt accipere, Ierem. 35. In nouo quoque Matth. 3. 4. commendatur S. Ioannes Baptiſta ab abſtinentia ſua mirabili, nec non apud veteres Patres, Monachi, & Eremitę eius exemplum ſecuti. Quorum aliqui animata prorſus non attingebant, alij ſolos piſces; nonnulli tam ab his, quam ab ouis etiam abſtinebant, ſolo pane, & herbis, vel arborum fructibus contenti; quidam denique ſiccum panem comedebant, & puram aquam bibebant, iuxta doctrinã Prophetarum, & Apoſtolorum, ex D. Auguſtino loco ſtatim citato contra Fauſtum: *Videtis ergo*, inquit quaſi noſtri temporis Nouatores alloquens, *multum intereſſe inter hortantes ad virginitatem, bono inferiori bonum amplius præponendo; & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui ſolus propria nuptialis eſt, vehementius accuſando; multum intereſſe inter abſtinentes à cibis propter ſacratam ſignificationem, vel propter corporis caſtigationem; & abſtinentes à cibis, quos Deus creauit, dicendo, quòd eos Deus non creauit. Proindè illa doctrina eſt Prophetarum, & Apoſtolorũ; hæc dæmoniorum mendaciloquorum*.

Attenta itaque cibi, & potus qualitate, dubitari non poteſt, quin ſit heroicus temperantiæ actus, abſtinentia tam à cibis delicatioribus, quam à potu quocumque inebriatiuo. Hinc Salomon Eccleſ. 2. *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meã, vt animum transferrem ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam*: & Iſaias c. 28. *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*. Sic D. Ambroſius Marcellinæ ſorori, & ſociabus eius virginibus hanc legem figit lib. 3. de Virgin. *Potus ſit ex fonte, fletus in prece, ſomnus in codice*. Et Diuus Bernardus ſerm. 66. in Cantica: *Abſtineo*, inquit, *à vino, quia in vino luxuria eſt; aut ſi infirmus ſum, modico vtor, iuxta conſiliũ Pauli*.

Pauli. Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.

Nedum autem ita in qualitate, ſed &, vt dicebam, in quantitate cibi, & potus, heroicè adhuc exerceri poteſt virtus temperantiæ, nimirum ieiunando. Ieiunium enim principalis eſt abſtinentiæ actus, quo affligimus corpus per ſubtractionem ciborum, ad moderandas concupiſcentias, & vacandum exercitio virtutum. Sic in veteri teſtamento Moſes, & Elias ieiunio 40. dierum ſapientiam, & viſionem Dei meruerunt. Iudith, Eſther, Machabei ſapientiam illam, & fortitudinem, qua Holofernem, Aman, & Antiochum proſtrauerunt, ieiunio adepti ſunt. In nouo quoque Teſtamento primus Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, Matth. 4. ſicque ieiunandi exemplum, nec non quod ieiunium ſummoperè gratum ſit Deo, argumentum reliquit. Quod deinceps innumeri ſecuti ſunt Sancti ieiunio illuſtres, vt patet ex eorum actis.

Spectata inſuper cibi, & potus quãtitate, poſſumus exercere heroicos abſtinentiæ, & ſobrietatis actus, ita manducando, & bibendo, vt ſemper eſuriamus, & ſitiamus. Vti præſcribit D. Bernardus lib. de modo benè viuendi cap. 24. *Non nutrias carnem tuam vermibus. ita manduca vt ſemper eſurias.* Ipſemetque obſeruauit dicens citato ſerm. 66. in Cantic. *Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre, ſtare ad orandum tædeat; & ne improperet etiam mihi Propheta, quia panẽ meum comederim in ſaturitate; ſed nec ſimplici quidem aqua ingurtitare me aſſueſcam; ne diſtenſio ventris vſque ad titillationem pertingat libidinis.* Sicque D. Ambroſius lib. 2. de Virgin. poſt initium aiens, *talem fuiſſe Mariam, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina*, & in particulari de heroica eius parſimonia loquens, indè eam commendat, quod cibi pænè ipſi naturæ defuerint. *Quid ego, inquit, exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam: alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterũ pęne ipſi naturæ defuiſſe?*

5. Cum gulę concupiſcentia multis ſubtilitatibus, propriam voluptatem exquirat: quærit enim lauta primum, ac delicatiora; ſi ea deſint, ex ijs, quæ apponuntur, explorat meliora; ſi omnia æquè bona, vel non bona ſint, melius condita: inde etiam perfectè, & heroicè exerceri poteſt temperantia, ſi nedum lautiores, & delicatiores cibos deſpiciamus, verum etiam illos condiendi modos, qui ſunt irritamenta gulæ, & fames non ſapor prouocet appetitum, iuxta regulam D. Bernardi in epiſt. ad Robert. Nep. *Prudenter*, inquit, *ſobrièque conuerſanti, ſatis ad omne condimentum ſal cum fame.* Et in formul. honeſt. vitæ: *Sicut ad crucem, ſic accedas ad cibum, id eſt, nunquam voluptate, ſed neceſſitate paſcaris; & fames, non ſapor prouocet appetitum.*

Nec non inſuper, ſi, vbi interdum aliqua apponuntur lautè, & delicatè condita ad comedendum, ijs modica aqua, ad extinguendum ſaporem infundantur: aut pulueres abſynthij, vel alicuius rei amaræ leuiter inſpergantur, habita memoria fellis, quod guſtauit Chriſtus Dominus.

6. Quia, ſi quantitas cibi, & potus modica ſit, gulæ vitium edendi, & bibendi mora, vel modo alio, qui guſtũ pariat, actum illum vitæ neceſſarium maculare contendit; etiam in hoc virtus temperantiæ exerceri poteſt, ſcilicet fugiendo omnem affectationem, aut nimiæ feſtinationis, aut nimiæ moræ, ſiue cauendo ne nimis moroſè, aut etiã nimis auidè cibus, & potus ſumantur; ſed potius vbi in menſa ſit lectio ſacra, debet illi cor admoueri, eaque paſci.

7. Concupiſcentia neceſſitatem plerumque ſimulante, & perſuadente, vt extra horas, locaque conſueta cibum, aut potum ſumamus, pertinet ad exercitium temperantiæ, maximè pro religioſis, vt nunquam cibis etiam communibus vtantur, niſi horis, & loco con-

conſuetis, exigenteque adhuc neceſſitate; & ita ſolum eſcam, & potum aſſumant, quæ naturæ, non voluptati ſeruiant.

8. Tandem ad perfectum temperantiæ exercitium, aut praxim, tam circa cibum per abſtinentiam, quam circa potum per ſobrietatem ſpectat, nunquam de eſculentis, poculentiſque ſermones miſcere, multoque minus, maximè inter Religioſos, de iiſdem murmurare, vel conqueri; item reijcere cum indignatione omnes de illis cogitationes tanquam viles, & indignas, quibus anima, quæ Deo viuit, & de Deo per contemplationem ſaginatur, cum damno, & dedecore occupetur. Ac demum fugere omnia vitia, omneſque defectus temperantiæ aduerſantia; tum eam adiunctione, ac comitatu cæterarum virtutum, quæ illi vtiles eſſe poſſunt, qualis eſt potiſſimum deuotio, & orationis ſtudium, roborare atque perficere.

§. II.

De actibus caſtitatis.

CAſtitas altera virtus temperantiæ pars ſubiectiua, ſiue ſpecies, verſans circa moderanda venerea. 1. vniuerſim exerceri poteſt, ac debet ab omnibus cuiuſcunque ſtatus, excludendo omnes prorſus illicitas carnis voluptates, eaſque ſummo horrori habendo, & tanquam peſtem pernicioſiſſimam fugiendo non ſolum quidquid in hac parte graue tam verbo, & opere, quam cogitatione peccatum eſſe poteſt, verum etiam vel minimos næuos, qui puritatis nitorem maculare poſſunt.

2. Cum, vt explicuimus ſupra, duplex ſit caſtitas, perfecta, & imperfecta, qualis eſt caſtitas coniugalis, loquendo de iſta, cum non excludat omnem prorſus venereorum vſum, in hoc conſiſtit, potiſſimumque exerceri debet, vt, qui matrimonio iuncti ſunt, mutuam fidem non fallant, & in coniugij officijs modeſtiæ fines non tranſiliant, nec quo ad tempus, nec quo ad locum, nec quo admodum, aut alias circumſtantias, de quibus conſuli poſſunt Theologi morales, nec eſt huius loci tractare, cum agamus tantum de caſtitate perfecta, ſeu tendentium ad perfectionem propria, excludente omnem affectum, vſumque venereorum, etiam alias licitorum, quia habet annexum propoſitum abſtinendi perpetuo ab omnibus voluptatibus carnalibus illicitis, aliaſque licitis. Quod propoſitum, ſi ſimul ſit votum, tunc eſt virginitas, quę eſt excellentiſſima caſtitas.

3. Igitur loquendo de caſtitate perfecta, & perpetua, potiſſimum, & heroicum eius exercitium, vel actus conſiſtit in firmo propoſito, vtque dicatur virginitas, & ſit virtus ſpecialis à caſtitate diſtincta, in voto abſtinendi ab omnibus prorſus carnalibus delectationibus nedum illicitis, ſed alias etiam per vſum matrimonij licitis, tam affectu, quam effectu, vt iuxta Apoſtolum 1. Corinth. 7. *Sancti ſimus corpore, & ſpiritu.* Quod eſt Angelicam in terra vitam ducere, ſacrificiumque Deo, quo nihil illi gratius, nihilque magis ad eum nobis conciliandum aptius offerre; propterea que dicitur Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiem, habebit amicum regem.*

4. Ad huiuſmodi propoſitum, ſeu perfectum caſtitatis exercitium, colendę ſunt virtutes potiſsimum illius aſſeclę, & comites; cuiuſmodi ſunt 1. humilitas, vt enim ſuperbiæ pœna eſt libido, ita humilitatis præmium eſt caſtitas. Nec immerito, ita Deo iuſte ordinante, vt ſi mens ipſi, & iis, quibus debet, ſe ſubdat, etiam ſibi ſubditum habeat corpus ſuum: ſin Deo, ſuiſque vicariis ſubdi nolit, etiam corpus ſuum ſibi ſentiat rebelle, vt præclarè docet Sanctus Gregorius lib. 26. Moral. cap. 12. *Sic, ſic, inquit, elati iuſta fuerant retributione feriendi, vt, quia ſuper-*

ſuperbiendo ſe hominibus præferunt, luxuriando vſque ad iumentorum ſimilitudinem deuoluantur; homo enim cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c. Intus ergo videt Deus, quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris innaleſcere, quod deponat. Ergo per humilitatis cuſtodiam ſeruanda eſt munditia caſtitatis. Si enim ſpiritus pie Sud Deo premitur, caro illicitè ſupra ſpiritum non leuatur; & contra. Vnde & primus ille inobediens Adam, mox vt ſuperbiendo peccauit, pudenda contexit. Ita virgo illa, de qua Palladius in Lauſiaca cap. 34. à dæmone ſuperbiæ obſeſſa, & victa, deſerta fuit ab Angelo temperantiæ, turpiterque lapſa eſt. 2. Mortificatio, quæ pro caſtitatis cultu ad duo capita reducitur; vnum ad ſenſuum correctionem, alterum ad carnis macerationem ſpectat, de quibus mox dicemus.

5. Igitur, quia nihil eſt, quod ita libidinem accendat, ac decor, & forma. Hinc Tertullianus de Cultu fæmin. ſub initium ait: *Decorem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus.* Et Leucippus apud Anton. in Meliſſa tom. 1. cap. 60. *Pulchritudo acutius, aut ſi malis, velocius vulnerat, quam ſagitta, & per oculos in animum defluit;* Ad perfectum propterea caſtitatis exercitium ſpectat iuxta conſilium Eccleſiaſtici cap. 9. v. 5. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius*, vt, vbi quis videt aliquam perſonam forma præſtantem, naturalique motu, ex eo conſpectu ſubit ei aliqua, licet non illicita delectatio, ſtatim tamen caſtitatis amore oculos auertat à tali obiecto; dicens cum Sancto Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine* cap. 31. vel cum Regio Propheta Pſalm. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua viuifica me.* Sic communiter docent Patres, Nazianzenus in præceptis ad Virgines, *Virgo ſis oculis, ſis ore, atque auribus ipſis*. Baſilius lib. de Virginitate, vbi ait Virgini ſummè cuſtodiendos eſſe oculos, ne vllius viri, vel fæminę ſpecies menti infigatur. Qua in re præclarum inter alia, & heroicum habemus exemplum S. Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi per 52. annos, qui cum ſæpe primariarum fæminarum confeſsiones exciperet, ita oculos ab eis auertebat, vt nullam de facie, ſi occurreret, cognoſceret, vti legitur in eius vita. Quin inter Philoſophos Gentiles hæc eadem veritas, nota fuit, quodque, vt oculi ſunt in amore duces, oculos enim maximè ſequitur imaginatio, imaginationem cor, & amor, ita quoque potiſsimum eius remedium ſit eorumdem auerſio ab omni obiecto mouere ad impuritatem potente. Ita narrat Plutarchus in Alexandro, quod noluit videre Darij filias iam à ſuis captas, dicens: *Non committam, vt cum viros vicerim à mulieribus vincar.* Et de vxore Tigranis Regis Armenię refert Xenophon, illuſtre, & ſingulare caſtitatis coniugalis exemplum, quod cum ex aula Cyri Regis Perſarum ad maritum reuertiſſet, ab eo interrogata quid de Cyro, & Cyri pulchritudine ſentiret, reſpondit: *Abs te*, inquit, *ò marite, Deos teſtor, nuſquam oculos deflexi, itaque qualis ſit forma Cyri prorſus ignoro.* Tandem ex eodem Plutarcho 5. Sympol. Zeleucus Locrenſium Legiſlator, adulteris, appoſitè ad culpam, oculos erui ſanxit; cumque eius filius in adulterium incidiſſet, vt pœnam non mitigaret, ſed diuideret, vnum oculum ſibi, alterum filio erui iuſsit.

Sed cum oculi nedum actiuè, ſeu videndo, ſint *pleni adulterij, & ineffabilis delicti*, vt ait D. Petrus epiſt. 2. cap. 2. 14. verum etiam paſsiuè, ſi fixè videātur, mira enim in oculis hominum, præſertim fęminarum ineſt latens gratia, & venuſtas, quæ intuentes in ſui amorem illicit, & quaſi dementat, ſicut enim tota pulchritudo fœminę eſt quaſi in facie, ſic tota pulchritudo faciei quaſi in oculis videtur, dicunturque amoris illicium; adeò vt Plato cen-

cenſuerit viſionem fieri, non recipiendo, ſed emittendo ſpiritus viſiuos, illoſque amorem accendere, propterea ad heroicum caſtitatis exercitium pertinet, maximè abſtinere à fixo oculorum fœminarum intuitu, quodque ipſæ conſequenter, ni caſtitatem ſuam quaſi manifeſto velint periculo exponere, vagè, aut liberè ſuos alienis virorum oculis non exponant, ſed illos vel modeſtè demiſſos, vel ſemiclauſos, dum viros alloquuntur, vel tectos velamine, vbi in publicum prodeunt, habeant, ne & ipſæ videant, quæ non decent, vel aliorum aſpectum vultus, & oculi earum incurrant; innumerabiles enim per aſpectum vel ipſæ perierunt, vel alios occiderunt. Hinc Tertullianus lib. de velandis Virginibus, quem hoc fine ſcripſit, vt probet omnes, non tantum nuptas, ſed innuptas, etiam ſeculares, velandas eſſe, ait cap. 15. *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt*: nimirum quia quæ oculis ſuis liberè vagatur, vt videat, & videatur, facilè in ſpiritu, & ſæpe in corpore violatur. Proptereaque olim habitus ſacratum virginum fuit flammeum, ſeu ſacrum velum; de quo idem Tertullianus ibidem ait: *Pura virginitas ſemper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, contra ictus tentationum, contra iacula ſcandalorum contra ſuſpiciones, & ſuſurros.* Quam autem cap. 17. laudans etiam fœminas gentiles ait: *Indicabunt vos Arabiæ Fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo librato contentæ ſint dimidia frui luce, potius quam totam faciem proſtituere.* Tam acriter cap. 2. culpat Chriſtianas, vereque culpandæ ſunt, quæ tenui velo vtuntur, quod illud irritamentum magis ſit libidinis, quam tegumentum pudoris. Et cap. 12. nundinatrices quaſi pudicitiæ habet illas, quæ conſilium formæ à ſpeculo peterent. Et Lacænis fœminis ſicut probro adſcribit Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi cap. 10. quod ſuper genua tantum veſtes deductas induerent; ita quod earum virgines aperta facie, prodire ſolitæ eſſent, vt ſcilicet maritos inuenirent, quaſi ſic virgineus pudor venalis expoſitus proderetur. Adeo verum eſt ad virtutem caſtitatis pertinere, eiuſque actum eſſe, tam actiuam, quàm paſſiuam oculorum cuſtodiam.

Porro Sophronius in Prato ſpirituali cap. 60. narrat ſanctimonialem quandam ab adoleſcente adamatam, cum eam ille vbique proſequeretur, rogaſſe quid illi tantopere in ſe placeret; cumque adoleſcens reſponderet, oculi; illi enim, inquit, ſeduxerunt me; mox illa cultro effodit ſibi oculos, ne amplius ipſi eſſent ſcandalo; vndè compunctus ille animum, vitamque in melius commutauit. Sabellicus ſimiliter lib. 4. Exempl. cap. 8. ſcribit Sanctam Luciam oculos ſibi erutos tyranno ſe perſequenti miſiſſe, velut virginitatis ſuę obſides, & tutores. Hanc Luciam exiſtimāt aliqui eſſe celebrem Syracuſanam Martyrem, propterea que illam pingi cum oculis in patino exhibitis, ſed aliam fuiſſe putant alij.

6. Non minor præcedenti virtutis caſtitatis eſt actus, cohibere omnes prorſus tactus, nedum illicitos, quod neceſſitatis, verum etiam & licitos, quod maioris eſt perfectionis in hac virtute, v. g. quæcumque oſcula, manuum, multoque magis vultus contrectiones, tàm inter eiuſdem, quàm diuerſi ſexus perſonas. De quo placet audire S. Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, vbi ad illud Apoſtoli 1. Corinth. 7. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, aduertit eum dicere, *tangere*: quia vel ipſe mulieris tactus, quaſi contagioſus eſt, & viro fugiendus, ſicut viciſſim mulieri tactus viri. *Non dicit Apoſtolus*, inquit, *bonum eſt vxorem non habere; ſed, bonum eſt mulierem non tangere, quaſi & in tactu periculum ſit, quod qui illam tetigerit, non euadat; nempe quæ virorum pretioſas animas rapit, & facit adoleſcentium euolare corda. Alligabit quis in ſinu ignem, & non*

& non comburetur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit. Quomodo igitur qui ignem tetigerit, ſtatim aduritur; ita viri tactus & fęminę, ſentit naturam ſuam, & diuerſitatem ſexus intelligit. Narrant & Gentilium fabula, Mithram & Erichthonium, vel in lapide, vel in terra, de ſolo aſtu libidinis eſſe generatos. Vnde & noſter Ioſeph, quia tangere eum volebat Aegyptia, fugit ex manibus eius; & quaſi ad morſum rabidiſſima canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat, abiecit. Hactenus vetus caſtitatis amator Hieronymus, eiuſdem amatoribus.

Sed & in hiſtoria Eccleſiaſtica, plura non deſunt heroica huiuſce adhuc actus exempla. Narrat enim Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 11. Sanctum Vrſinum Præsbyterum ab vxore ſeparatum caſte vixiſſe; cumque moriturus vltimum traheret ſpiritum, acceſſit vxor naribus eius aurem admonens, vt ſentiret, ſi quod adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet. Quod ille ſentiens, cui tenuiſſimus inerat flatus, quanto valuit niſu vocem collegit, dicens: *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.*

Item in Annalibus Ordinis S. Franciſci legitur, quod S. Ludouicus ex eodem Ordine, indeque creatus Archiepiſcopus Toloſanus adeo fæminas fugiebat, vt nec matrem oſculari, nec cum ea familiarius ſoluſque colloqui ſuſtineret. Mirantibus autem, & obijcientibus: *Quomodo fęminas fugeret, qui de fæmina natus eſſet?* reſpondit Sapienter: *Ideo eas fugio, quia ex vna earum natus ſum*; ne ſcilicet ad eas redire me exſtimulet naturalis cupiditas, quæ ſuam amat reuiſere originem. Cuius adhuc familiaritatis fæminarum vitandæ ad caſtitatis cuſtodiam plura referemus ſtatim exempla.

Tandem narrat Cardinalis de Vitriaco vir grauis, & doctus de S. Maria d'Ocgnies, quod ipſa ieiunijs ita corpus macerarit, ſiccarit, vt per plures annos ne primos quidem libidinis motus ſenſerit; cumque quidam grauis vir caſto, & ſpiritali affectu manum eius ſtringeret, indeque ſentiret carnis motus, illa hoc ignorans audiuit vocem de Cælo, *Noli me tangere*, nec intellexit, ſed eam narrauit alteri, qui rem intellexit, & deinceps tali contactu abſtinuit.

7. Quod de his duobus ſenſibus diximus, ad caſtitatis praxim, de alijs pariter aſſerendum eſt, 1. quo ad auditum, abſtinendum eſſe ab audiendis, nec non etiam proferendis quibuſcunque verbis, cantionibus amatorijs, obſcænis, ac turpibus, iuxta præceptum Apoſtoli Epheſ. 5. v. 4. Item à fæmineo cantu audiendo, iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 9. v. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Inde enim Patres docent fœminas ſaltatrices, ſeu doctas ad numeros ſaltare, valdè virorum animos mouere, at ſi ſaltando canant, inſtar ſyrenum dementare, atque adeò veris caſtitatis amatoribus vtrumque diligenter fugiendum eſſe. *Mulier*, inquit S. Cyprianus de ſingul. Cleric. *nunc detegit membra, nunc fatigata iactatur, aut in riſum aliquando diſſoluitur, nunc blanditias exhibet, & quod eſt venenoſius ſuper cuncta, ſpallede delectatur, aut canere. Cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem. Contra quam Salomon ſic nos cautos efficit. Cum ſaltatrice noli aſſiduus eſſe, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia eius*, hoc eſt in efficacia illecebroſi ſaltus, & cantus illius; vterque enim æque periculoſum eſt libidinis, aut laſciuiæ irritamentum. Vnde licet aliquæ verſiones loco *Saltatricis* habeant *cantatricis*, ibi tamen ſufficienter in noſtra vulgata exprimitur vis, & tentatio tam ſaltus, quam cantus fœminei.

2 Senſus quoque olfactus ita moderandus eſt; vt niſi ob neceſſitatem, vel vtilitatem, non ob vllam voluptatem vetus caſtitatis amator vtatur odoribus, maximè artificialibus; quos

etiam

etiam libidinis, aut laſciuiæ irritamẽta eſſe plus nimio experientia conſtat, proindeque computari debere inter alios, eoſque varios fucos, quibus ſæpe minus pudicæ, & honeſtæ mulieres incautos homines decipere, & ad ſui amorem pellicere conantur. 3. Tandem virtus caſtitatis per ſenſum guſtus exercetur, abſtinendo à cibis, & potu, qui vel quo ad quantitatem, vel quoad qualitatem humorem libidinis augere, eiuſq; motus excitare poſſunt; ijſque viciſſim vtendo, qui illius ardorem extinguere valent. Sed cum ex Eccleſiaſtico cap. 19. v. 2: *Vinum, & mulieres faciant apoſtatare ſapientes*. Et vt ait Apoſtolus Epheſ. 5. v. 18. in vino ſit luxuria: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria*; vnde communiter docent Patres illud eſſe vehementiſſimum libidinis incendium; adeò vt rectè dixerit Poeta:

Et venus in vinis, ignis in igne fuit.

Hinc patet quantum ab immoderato eius vſu caſtitatis amatores, maximè iuuenes abhorrerè debent, vtique modico duntaxat vino propter ſtomachum, aut frequentes infirmitates, vt ſcribit Apoſtolus ad Timoth. 1. cap. 5. v. 23. nec non ad Titum cap. 2. monens eum, *Iuuenes hortari, vt ſobrij ſint.* Quem etiam abſtemium fuiſſe, & nunquam vinum bibiſſe cenſet Baronius Anno Chriſti 36. & alij. Idque colligunt tum ex eo, quod Timotheus Pauli diſcipulus, ex ipſius vtique inſtitutione, exemplo, & diſciplina, abſtemius fuerit: vt habetur ex loco ſtatim citato epiſt. ad eumdem: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Tum ex voto Nazareatus, quod, vt ſatisfaceret Iudæis, fecit Paulus Act. 21. ſtatimque poſtero die expleuit.

Sic D. Hieronymus lib. contra Iouinianum rectè aduertit Eccleſiaſticum loco citato iunxiſſe vinum mulieribus; quia *ventri*, inquit, *vicina ſunt genitalia, & venter mero æſtuans deſpumat in libidinem.* Rabanus autem, fieri gradationem vitiorum, quæ oſtendit quam paulatim decidat in abyſſum is, qui modica ſpernit; vt ibidem dicitur. Ex vino enim itur in crapulam, ex crapula in fornicationem, ex fornicatione in apoſtaſiam. Idem denique S. Hieronymus, vt alios plures omittam, in epiſtola ad Euſtochium alludens ad præfatum D. Pauli locum epiſt. ad Titum: *Vinum*, inquit, *& adoleſcentia duplex eſt voluptatis incendium; quid oleũ flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo ignium fomenta miniſtramus?*

8. In ſenſibus quoque internis, vel potentijs actus caſtitatis ſunt, omnem diligentiam adhibere, ne vlli omninò motus, aut cogitationes puritati aduerſæ illis ingerantur, vitatis ſollicitè, quibuſcumque occaſionibus nõ ſolum proximis, & immediatis, ſed & remotis, vnde oriri poſſunt. Cumque ſine culpa eiuſmodi cogitationes, aut motus excitantur, abſque mora initijs eorum celerrimè obſiſtere, atque impedire, ne vllum effectum in nobis relinquant, à motibus etiam minimis, haud ſecus, atque à grauioribus peccatis abhorrendo.

9. Hæc cum præſtari debeant pro caſtitatis cultu, & exercitio in corrigendis ſenſibus, ac potentijs animæ, ad eumdem inſuper cultum ſpectat, & conducit carnis, vel corporis maceratio, & afflictio. Cuiuſmodi ſunt ieiunia, vigiliæ, incommodus lectus, cilicia, catenæ, aliæque ſimiles auſteritates, & mortificationes, quæ caſtitatis colendæ gratia ſuſceptæ, actus quoque caſtitatis ſunt. Vnde tot Sanctiſſimi, & ab omni carnis infeſtatione alieniſſimi Patres, probe ſcientes ſine dictis munimentis, difficile poſſe caſtitatem conſiſtere, his ſemper vſi ſunt, & vt patet ex eorum actis, ſe moleſtiſsimis vſque ad ſtuporem afflictionibus, in antris, & ſolitudinibus confecerunt; & ſi enim præſentibus prælijs non impeterentur, tamen futura timebant; &

vſque

vſque ad poſtremum halitum militabant, parum curantes, parumque eſſe curandum docentes de quocumque carnis detrimento, vt ſpiritus fieret ſaluus.

Quod autem Origenes, accipiens ad litteram illud Chriſti Domini Matth. 19. 12. *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum*, reipſa caſtitatis amore ipſe ſeipſum caſtrauerit, & membrum execuerit; vt improbatur ab Eccleſia, & ab omnibus alijs Patribus, ita nec in exemplũ trahi poteſt, aut quid ſimile; tum quia non licet ſe caſtrando, aut alio modo mutilare; tum quia libido caſtratione non reſtinguitur, ſed acuitur, aut moleſtior fit; vt ait Diuus Chryſoſtomus: *Cum autem dicit, qui ſe caſtrauerunt, non membrorum dicit abſciſſionem, ſed malarum cogitationum interemptionem; maledictioni enim obnoxius eſt, qui membrum abſcindit &c. neque concupiſcentia manſuetior ita fit, ſed moleſtior*.

Et ſi igitur, quando aliter peccatum contra caſtitatem, aut aliam etiam virtutem, vitari à nobis non poſſet, quam membrum aliquod reſecando, vel mutilando, ita omnino fieri deberet; quia tamen ſemper aliter quodcumque peccatum effugere poſſumus; propterea talis reſectio, aut mutilatio eſt ſemper illicita, niſi fieret ex ſpeciali Spiritus Sancti motu, & inſtinctu, vt ſupra diximus, de duabus Sanctis Virginibus ſibi oculos eruentibus. Nec valet conſequentia, quod licet membrum abſcindere contagioſum, ne totum corpus inficiatur, atque adeò, imò multo magis id licere, ne inficiatur peccato. Eſt enim diſparitas. In tantum enim licita eſt membri alicuius abſciſsio, vel mutilatio, ne totum inficiatur corpus, in quantum talis mutilatio per ſe ordinatur, vel vtilis eſt ad conſeruationem illius, ſiue pars per ſe ordinatur ad bonum totius: quo circa ipſa ſe exponere debet morti pro toto. At membri abſciſsio, aut occiſio ſui non ordinatur per ſe ad euaſionem peccati, & ſalutẽ; nec ad id eſt neceſſaria, vel vtilis, quia ad hoc ſunt alia media; & conſequenter pudicitię cauſa non licet ſe mutilare, vel occidere; figurateque, & non litteraliter intelligendum eſt, quod ait Chriſtus loco citato, *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt*, vt ibi docent omnes Sacri Interpretes.

10. Tamen ad heroicitatem virtutis caſtitatis pertinet, ſiue heroicus eius eſt actus, quod tot Sanctæ Virgines eius præſtantiam vitæ propriæ antepoſuerint, & pro ea æque, ac pro fide martyrio occubuerint. Vnde Virginitas nõ immerito comparatur Martyrio, à S. Hieronymo epiſt. ad Demetriadem, S. Bernardo ſerm. 60. in Cantic. & alijs, non tam quod in Martyribus reperiatur, quam, vt opinatur Sanctus Ambroſius lib. 1. de Virgin. *Quod ipſa Martyres faciat*. Cuius multa præfert exempla ibidem lib. 3. nec non lib. 3. epiſt. 25. ad Eccleſ. Vercell. vbi conſuli poſſunt; & lib. 8. hiſtor. Euſebij Cæſarienſis cap. 4. Sic etiam Diuus Caſimirus Regis Poloniæ filius, tam heroicè iſtam virtutem adamauit, vt, etiamſi medici aſſererent eum morbo, quo laborabat liberari non poſſe, niſi vxorem duceret, ad idque pater, & regni proceres eum vrgerent, ipſe tamen conſtanter reſponderit: *Malo mori virgo, quam viuere non virgo*.

11. Heroicis quoque caſtitatis actibus annumerandum eſt, quod plures coniuges, etiam Imperiali dignitate fulgentes perpetuã in ſtatu coniugali caſtitatem ſeruauerunt. Vt S. Pulcheria Auguſta filia Arcadij Imperatoris; cum enim mortuo Theodoſio Imperatore Fratre ſuo iuniore, cui ſucceſſit in Imperio nupſiſſet Marciano, eumque creaſſet Auguſtum, vt maiori authoritate imperium adminiſtraret; virginitatem tamen, quam antea Deo vouerat, in matrimonio conſeruauit. Talis fuit S. Cunegundis cum Henrico Imperatore marito ſuo, quæ in caſtitatis ſuæ teſtimonium nudis pedibus illæſa ſuper candens ferrum ambulauit.

nit. Ex viris S. Elzearius Comes Ariani cum coniuge Delphina intactam ſeruauit virginitatem, vt habet eius Vita apud Surium cap. 16. ad diem 27. Septembris. Item S. Emericius filius Sancti Stephani primi Hungarorum Regis, cui cum ipſe iuſſiſſet, vt vxorem forma, genere, & moribus ſpectatiſſimam duceret, paruit quidem, ſed cum ea quaſi cum ſorore vixit in perpetua virginitate. Apud eumdem Surium ad diem 5. Nouembris.

12. Quam apertum ex nimia virorum cum mulieribus familiaritate, & viciſſim harum cum viris, perdendæ caſtitatis imminet periculum; tam eximius eſt eius actus eiuſmodi conſortiorum fuga. De qua propterea innumera propè ſunt S. Scripturæ, & Sanctorum Patrum documenta; nonnulla proferam præclariora. Certè Eccleſiaſtici cap. 42. V. 12. & 13. dicitur: *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Quia ſicut tinea innaſcitur veſtibus, atque ab eis ſuam trahit originem: ita in ipſo mulierum aſpectu, & conuerſatione cum eis inſita eſt iniquitas viri: quæ inde velut naturaliter progignitur, non minus mentem hominis corrumpens, quam tinea veſtes. S. Cyprianus, vel eius author hunc eumdem Eccleſiaſtici locum citans tract. de ſingularitate (ſiue ſolitaria, & à fæminis ſemota vita) Clericorum, indeque eos ad fugam mulierum exſtimulans hæc habet: *In medio mulierum noli aſſiduus eſſe,* ex aſſiduitate enim ſequitur libertas, ex libertate proteruia. Vnde concludit: *Vbique guſtanda eſt, non continuanda cum mulieribus præſentia: ſed quaſi tranſeunter fæminis exhibenda eſt acceſſio quodam modo fugitiua.* Item: *Ipſi nos fallimus quoties credimus inter maſculos, & fæminas caſtitatem immobilem cuſtodiri. Difficile quis venenum bibet, & viuet: verendum eſt dormienti in ripa ne cadat; cum dicat Apoſtolus 1. Corint 10. Qui ſe putat ſtare videat ne cadat, & vtilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat; quam ſi fortis videri velit, infirmus emergat.*

S. Gregorius Nazianzenus in Diſtichis: *Si procul à fæmina abfueris, manet ſcintilla: ſi autem vitæ commercium cum ea habeas, ex paruo vento magnum incendium excitabis.*

S. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum: *Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec Sanctior Dauide, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.*

Quidam ſenior apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali cap. 217. *Filioli, ſal ex aqua eſt; & ſi appropinquaueris aquæ, continuo ſoluitur, & deficit. Et monachus ſimiliter ex muliere eſt, itaque ſi appropinquat mulieri, ſoluitur & ipſe, atque in id deſinit, vt iam monachus non ſit.*

S. Leander Epiſcopus Hiſpalenſis de inſtitut. Virgin. ad Florentiam Sororem. *Quiſquis vir ſi ſanctus eſt, nullam tecum quærat familiaritatem, ne viuendi ingitate, aut infametur vtriuſque ſanctitas, aut pereat.*

S. Bernardus ſerm. 66. in Cantic. *Cum fæmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fæminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare?*

S. Franciſcus, *Mulierum aſpectu, & colloquijs, quamuis fortis ſpiritus infirmatur, & friuolum profectò eſt quodcunque mulieris colloquium, excepta ſola confeſſione, vel inſtructione breuiſſima, iuxta quod ſaluti expedit, vel congruit neceſſitati.*

S. Dominicus moriens vltimum ſuis hoc de caſtitate dedit monitum: *En vſque in hanc horam carne incorruptum me Dei miſericordia ſeruauit, illibatamque mihi virginitatis munditiam cuſtodiuit; quæ vt etiam in vobis inuiolata permaneat, fæminarum omnium ſuſpecta vitate conſortia.* In eius Vita

apud

apud Surium lib. 5. cap. 1.

S. Ignatius Fundator Societatis Ieſu, ex Ribadeneira in eius Vita lib. 5. cap. 11. Omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ ſpiritales ſunt, aut videri volunt, vitandam eſſe dicebat. Adeo vt ex eodem authore lib. 3. cap. 14. omnibus ſuæ Religionis aſſeclis ſeuerè curam Monialium interdixerit: Sanctus item Franciſcus Xauerius, teſte Turſellino in eius Vita lib. 6. cap. 17. mulieres adiri aiebat minori fructu, & maiori periculo, vel tentationis, vel ſuſpicionis ſiniſtræ. Et ad idem propoſitum S. Thereſia in monitis, monito 6. rectè monet, & arguté, nimiam inter viros, & mulieres familiaritatem haud eſſe bonam, quia non omnes ſunt, inquit, ſicut Beatiſſima Virgo Maria, & Sanctus Ioſeph caſtiſſimus eius Sponſus.

Nedum autem hæc, & ſimilia Sancti Patres dedere circa fugam mulierum documenta, ſed & inſuper illuſtria eiuſdem exempla. Præſertim S. Martinus, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, vt habetur in eorum vitis; tum deinceps plures alij, vt Sanctus Thomas Doctor Angelicus, Sanctus Ludouicus Archiepiſcopus Tholoſanus S. Ludouici Regis Francorum Nepos, ex Ordine Sancti Franciſci. In cuius Annalibus Lucas Vvadingus ad Annum Domini 1217. num. 24. refert etiam ſequens exemplum: Quod Sancia Soror Alphonſi II. Regis Luſitaniæ, habebat in aula puellam nobilem, & deuotam, cui nomen Maria Garcia: Hæc autem quemdam Patrem Franciſcanum pium, & religioſum (adeo vt poſt mortem, S. Antonius de Padua viderit eius animam in cœlum conſcendere) conuenire, pijſque eius colloquijs paſci deſiderabat: dumque frequenter eum lachrymis id ipſum expèteret, pater importunè rogatus ad illam acceſsit, ignem vna, paleas altera manu ferens: quas vt igni admouit; illæque ſubito conflagrarunt, adiunxit: *Domina, ideo tuum quantumuis pium recuſo conſortium, & familiare colloquium; quia id ipſum, quod paleę ex acceſſu ad ignem nactæ ſunt, nanciſcuntur etiam religioſi, qui cum fœminis ſæpius, aut familiarius colloquuntur; ingentemque illum perdunt fructum, quem ex ſancta oratione, & diuino colloquio poſſent percipere.*

Quo facto, dictoque prædicta puella rubore perfuſa diſceſsit, nec amplius viri religioſi alloquium expetijt. Aliud idem author refert exemplum ad Annum Domini 1220. num. 8. B. Ricerij Socij Sancti Franciſci, qui, cum donũ eximiæ caſtitatis à Deo accepiſſet, & tamen ſtudioſè vitaret mulieres, rogatus cur? reſpondit: *Niſi id facerem, forſan iuſto Dei iudicio tam præclaro munere priuarer.* Et ſic de alijs.

Quæ omnia certè, & multa ſimilia non immeritò circa mulierum fugam, aut nimiam perſonarum vtriuſque ſexus inter ſe familiaritatem docuere, & præſtitere Sancti. Cum enim vir appetat fæminam, tanquam ſui partem (cupit enim coſta redire ad latus viri, ex quo ſumpta eſt) & fæmina virum, ſicut pars appetit ſuum totum, cupitq; ei iungi, & illi inexiſtere; de quo vide S. Hieronymum epiſt. 8. 9. 10. 11. & 22. clarè conſtat, quantum ad cuſtodiam caſtitatis neceſſaria ſit, quamque præclarus eius actus mulierum fuga etiam piarum, & religioſarum. Vndè S. Franciſcus, vti habent Annales Vuadingi anno Chriſti 1219. nu. 43. & 47. præuidens imminentia ex cura, & familiaritate clariſſarum pericula famæ, & ſpiritus ſuis Fratribus, vt eos ab illis retraheret, ſæpius turbato animo dicere ſolebat: *Timeo ne, dum Deus nobis abſtulerit vxores, diabolus nobis procurauerit ſorores.* Imo quemdam è ſuis moniales viſitantem increpans, iuſsit in fluuium, vt erat veſtitus, immergi, frigidiſsimo anni tempore in Decembri, addens: *Extingue hac aqua ſcintillas, quæ in te lenis, & mitis, ſed periculoſus ignis accendit: laua, & abſterge hiс vndis ſecretas ſordes, quæ*

te neſcio tibi fortè adhæſerunt.

Quodque iandem huiuſmodi diuerſi ſexus familiaritas, ſit ſcopulus nocentiſsimus, ad quem incauti, aut ſibi præfidentes alliſi viri, magni etiam, & Sancti, caſtitatis naufragium fecerunt, fierique ab alijs poteſt, maximè vbi in abdiio, & abſque inſpectore fierent colloquia, in occulto enim vterque alteri eſt ignis, vterque fomes, & ſtupa: atque diabolus tum adeſt, omneſque vires ſuas exerit, ne tam commoda ipſi occaſio ſine lucro prætereat. Propterea in Concilio Carthaginenſi can. 25. decernitur ne Præsbyteri, vel Clerici, & ipſimet Epiſcopi fæminas accedant, niſi adſint alij Clerici, vel graues aliqui Chriſtiani. Cuius etiam exemplum Chriſtus, cuius omnis actio, eſt noſtra inſtructio, nobis dare voluit; Diuus enim Epiphanius hæreſi 26. afferens cauſam moralem, cur Chriſtus Ioannis 22. dixerit Magdalenæ apparens ei, *Noli me tangere*, docet eum, nobis exemplum puriſsimæ, & perfectiſsimæ caſtitatis dediſſe, nolendo permittere, vt Magdalena tunc, vt pote mulier, ſola ſolum ſe tangeret; quod paulò poſt in præſentia aliarum mulierum permiſit. Omnes ergo etiam Religioſi Sacerdotes, & Clerici, vt pudicos ſe ſeruent, fœminarum colloquia, & conſortia deuitent: idem faciant viciſsim fæminæ, præſertim virgines, caueantque ne vnquam abſque arbitris cum aliquo viro, ſecreto colloquantur; ſed vbi videri poſsint, & teſtis aliquis adſit; cum penè omnes quotquot ceciderunt, huius moniti negligentia ceciderint.

13. Vt primus virtutis caſtitatis exercendæ gradus eſt, abhorrere penitus ab omnibus, quæ lethaliter illi aduerſantur, ſecundus autem ſe mundum conſeruare etiam ab his, quæ vel minimum eius nitorem contaminare poſſunt, totiſque viribus ad eius perfectionem contendere, & omnimodum ornatum, qui in vario, & multiplici affinium virtutum comitatu conſiſtit; ita tertius, ac ſupremus eius gradus, qui paucorum eſt, Angelicæque puritati æquiparari poteſt, in eo poſitus eſt, vt in quibuſcunque occaſionibus, ita quis ſe coerceat, corpuſque conſtringat, vt nullo eius pondere ſe grauari ſentiat, vel omnem eius ſenſum vi ſpiritus, & amoris diuini tum die, tum etiam nocte cohibeat, atque omnino impediat; ſique aliquando exurgat, ita ſollicitè repellat, vt ad animam vſque pertingere nullo modo valeat.

§. III.

De actibus Continentiæ, Clementiæ, & Manſuetudinis.

Cum tres ſint partes potentiales temperantiæ, ſcilicet *continentia*, *clementia*, vel *manſuetudo*, & *modeſtia*, vt ſupra explicuimus; virtuſque continentiæ, prout hic de illa modo agitur, diſtinguiturque à virtute caſtitatis, nihil ſit aliud, quàm reſiſtentia rationis ad paſſiones inſurgentes, ne ab illis deducatur; inde 1. patet, eius actus, virtuoſumque exercitium nihil aliud eſſe præcisè, quam refrenare voluntatem, ne cedat paſſionibus inſurgentibus, vel detinere rationem, ne à vehementibus paſſionibus deducatur. In quo etiam datur triplex gradus, correſpondens triplici ſtatui Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, atque vt eſt huius ſtatus proprius, eſt heroicus, ſicut in alijs etiam virtutibus.

2. Quia ad clementiam, & manſuetudinem pertinet refrenare iram, in ordine ad malum alienum, inde quoque patet, proprios vtriuſque actus eſſe omnes illos, quibus talem iram temperamus, & moderamur, quique cõſequenter innumeri propè eſſe poſſunt, prout tam ex parte ſubiecti, quam ex parte obiecti; tamque quo ad modum, quam quo ad ſubſtantiam, innumeræ quoque poſſunt eſſe occaſiones inordinatæ iræ, ſiue malè vtẽdi illa, aut

per

per exceſſum, aut per defectum ; vt patebit ex dicendis.

3. Licet clementia in hoc conueniat cum manſuetudine, quod ſit moderatiua iræ, ac proindè in iraſcibili cum ea ſedem habeat : quia tamen inter ſe diſtinguntur, quod clementia habet pro materia mitigationem pœnarum, præſertim legalium, intra limites tamen iuſtitiæ, & ideo eſt ſuperioris ad inferiorem, maximèque decet Principem ; manſuetudo verò moderatur iram, vt illatiuam mali, non autem pœnas legis ; & propterea propriè verſatur inter æquales: Inde quoque proprius virtutis clementiæ actus, prout diſtinguitur à virtute manſuetudinis, eſt, 1. mitigare pœnas præſertim legales à ſubditis promeritas intra limites iuſtitiæ ; vel 2. eos citra condignum punire, maximè vbi pœna eſt arbitraria, ad imitationem Dei, qui, vt communiter docent Theologi, nos quidem vltra condignum præmiat, ſed citra condignum punit. Sic enim vitatur crudelitas, quod eſt vitium per exceſſum clementiæ oppoſitum, quo quis habet animum crudum, & non lenem in mitigãdis pœnis propter culpas ; & vocatur feritas, ſeu ſæuitia, ſi excedat in iſta crudelitate, gaudendo de cruciatu aliorum, propter delectationem de pœnis, quia in hoc beſtijs aſſimilatur homo.

4. Actus manſuetudinis, vt eſt virtus diſtinctus à clementia ; ſæpe enim inter ſe confunduntur iſtæ virtutes, earumque actus, ſunt omnes illi ; quibus iuxta præſcriptũ rationis moderamur iram, vt illatiuam mali, quæ vt inter paſſiones aſperrima eſt, ita quoque manſuetudo, eiuſque actus, merito inter virtutes vniuerſas ſingulari ſuauitate affluunt ; illiſque præditi alijs ſunt gratiſsimi, & iucundiſsimi, iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 3. v. 19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris*. Vt potè, qui alios tantum abeſt, vt lædere velint vt læſiones potius ſine reniſu excipientes, ipſis læſoribus vultum hilarem pro vulneribus, aut iniurijs reddant. Quocirca D. Ambroſius lib. 2. officior. cap. 7. hæc habet in hunc finem : *Primum*, inquit, *placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim, & grata eſt omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus. Ea ſi manſuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborumque honore, patienti quoque ſermonum vice, modeſtiæque adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis*. At quantum manſuetudo, eam poſsidentes, & exercentes reddit amabiles, tam iracundia reddit exoſos, qui illa ſe ſinunt abripi.

5. Cum triplici veluti ariete manſuetudo pulſetur ; verborum iniurijs, damnis rerum, corporis læſione, ex D. Bernardo ſerm. 2. in conuerſ. S. Pauli. In his etiam tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio manſuetudinis, Siue ad hæc tria facilè reducuntur omnia, quæ iram commouere, & concitare poſſunt, & quibus conſequenter ſi minimè concutiatur quis, ſed potius ita læſus ſe quaſi agnũ coram tondente geſſerit, læſoribus amoris ſigna exhibuerit, tot erunt inſignes manſuetudinis actus.

6. Quia nedum propria mala, ſed plerumque adhuc alieni defectus nos ardentiori zelo ſuccendunt, qui ſanè aliud non eſt, quam vehemens iræ cõcitatio ; ita præclarus manſuetudinis actus eſt, illis compati, eoſve tolerare, & quoad in nobis eſt, quantaque ſuauitate fieri poteſt eorum correctioni, & emendationi inſudare.

7. Cum ira, quam mitigat virtus manſuetudinis, propter ſuum impetũ maximè impediat animum hominis, ne liberè iudicet veritatem, vt ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 158. art. hinc maximè exercetur, quando non obſtantibus quibuſcunque occaſionibus ad iracundiam concitantibus, ſemper quis eſt ſui compos,

compos, libereque indicat de veritate, ac propterea dicitur Eccl. 10. *Fili in manſuetudine ſerua animam tuam.*

8. Quia alia inſuper ratione id aſſequitur virtus manſuetudinis, vt homo ſit compos ſui libereque iudicet de veritate, efficiendo nimirum, ne iracundia inflammatus aduerſus veritatem pugnet, ad eius quoque exercitiũ ſpectare poteſt, illi ſtatim cognitæ acquieſcere; quam ob cauſam S. Auguſtinus ſcribit lib. 2. de doctr. chriſtiana cap. 7. *Opus eſt miteſcere pietate* (quaſique declarans quid ſit miteſcere, ſubiungit) *neque contradicere diuinæ ſcripturæ, ſiue intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit, ſiue non intellectæ, quaſi nos melius ſapere, meliuſque percipere poſſimus: ſed cogitare potius, & credere, id eſſe melius, & verius, quod ibi ſcriptum eſt, etiamſi lateat, quam id quod per noſmetipſos ſapere poſſimus.*

9. Ad manſuetudinis exercitium ſpectat vitare defectus omnes illi contrarios, hoc eſt, inordinatos omnes iræ motus, vbi aliqua ſe offert eorum occaſio. V. g. cum quis deſpici ſe ab alijs, contemni, paruique fieri ſuſpicatur; negari ſibi aliquod commodum, quod cupit, imaginatur, & ſic de alijs ſimilibus. Sed cum vitium, manſuetudini per exceſſum maximè oppoſitum, ſit iracundia, quæ definitur inordinatus vindictæ appetitus, in eo etiam maximè elucet eius exercitium, quod nullus vnquam detur locus huiuſmodi appetitui. Hæc eſt enim iræ moderatio, quæ manſuetudinis eſt proprius actus; non autem abſolutè nunquam iraſci; ira enim aliqua vtilis eſt interdum, & neceſſaria; imo defectus illius, ſcilicet quando quis etiam cum cauſa rationabili non vult iraſci, eſt peccatum manſuetudini per defectum oppoſitum, *lentitudo* ab aliquibus dictum. De qua ira conſulendus eſt S. Ioannes Chriſoſtomus homil. 6. de laudibus Pauli, vbi eum proponit in illius exemplum.

10. Ad eamdẽ manſuetudinis praxim, & exercitium iuuat, aliarum virtutum præſidijs, maximè humilitatis, & patientiæ, illam munire, quibus adiuta poſſit facilius, & perfectius in actus ſuos erumpere. Chriſto enim Domino ſimul iungente, & commendante manſuetudinem, & humilitatem Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; nec non dicente Lucæ 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*; quæ animæ poſſeſſio eſt præcipuum manſuetudinis munus; dubium non eſt, quin apprimè manſuetudini humilitas, & patientia, & viciſſim vtrique manſuetudo ſocietur, ſimulque ſe iuuent hæ virtutes ad propriam vniuſcuiuſque exercitationem, vt enim ait D. Bernardus ſerm. 3. de viſit. B. Mariæ; *Sicut mater præſumptionis eſt elatio: ſic manſuetudo vera non niſi ex vera humilitate procedit.*

11. Tam internè, quam externè manſuetudo exerceri poteſt. Actus interni ſunt omnes illi vniuerſim, quibus inordinatos iracundiæ motus in animo concitatos reprimimus; proximo lædenti non ſuccenſemus; irritanti ex corde compatimur; ac demum ſeruamus inter iniurias calũnias, & quaſlibet iræ occaſiones internam animi pacem, & cordis tranquillitatem.

Actus autem externi ſunt vniuerſim illi, quibus ſiue læſi fuerimus, ſiue non, nullum prorſus externus ſignum perturbationis, aut indignationis exhibemus; ſiue ita vultum, totiuſque corporis geſtum, quem proximus, aut læſor intuetur, temperamus; vt ille ſibi perſuadeat, nihil amaritudinis latere: hinc, cum aliqua ſe ſe offert occaſio iracundiæ, vel iniuriam patimur, ſilentium: hinc reſponſio mollis: hinc verborum ſuauitas: vultus ſerenitas, ac benignitas: hinc riſus modeſtus, ac placidus; ac demum, ſi quando correptione fraterna, vel caſtigatione opus eſt, quanta fieri poteſt humanitate, & ſuauitate temperari debet, niſi boni publici, & ſalutis aliorum ratio ſecus expetierit. Qua in re habemus exemplum Chriſti Domini, qui cum Matth. 11. dixiſ-

11. dixiſſet: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*; poſtea cap. 15. dixit diſcipulis paulò acrius: *Adhuc, & vos ſine intellectu eſtis?* & cap. 16. Diuo Petro: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*; cum paulo ante eidem dixiſſet: *Beatus es Simon Bariona*, promiſiſſetque futurum, vt Eccleſiæ fundamentum eſſet.

12. Plores tandem exercendi manſuetudinem, ſiue actuum eius ſunt gradus; *primi*, incipientium proprij, ſunt, vitare omnes defectus illi præſertim lethaliter contrarios; *item* iræ impetū, ſed cum mæſtitia reprimere, illatam iniuriam, licet internè ſentiatur, ſilentio, & taciturnitate diſſimulare, iuxta illud Pſal. 76. *Turbatus ſum, & non ſum locutus*. *Secundi*, proficientium proprij, ſunt, nedum lethales, ſed & veniales culpas manſuetudini oppoſitas deuitare; rurſum vbi quis læditur, indeque commouetur, ſine mœrore impetum compeſcere, iniuriam æquè ferendo: demum nedum illam iram ferre, aut ſilentio diſſimulare, ſed eo progredi, vt ob anteactas iræ victorias non commoueatur, imo fortiter adhuc illam vincat exurgentem. Quam fortitudinem manſuetudinis aduerſus irā exercendi duos præſcribit modos D. Greg lib. 5. moral. c. 31. *Duobus modis*, inquit, fracta à poſsidere animū ira deſueſcit: *Primus quippe eſt, vt mens ſollicita antequā agere quodlibet incipiat, omnes ſibi quas pati poteſt contumelias proponat; quatenus Redemptoris ſui probra cogitans ad aduerſa ſe præparet: quæ nimirum venientia tantò fortius excipit, quanto cautius ſe ex præſentia armauit*. Et poſt pauca: *Secundus autem ſeruandæ manſuetudinis modus eſt, vt cum alienos exceſſus adſpicimus, noſtra, quibus in alijs exceſsimus, delicta cogitemus: conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena*. Et S. Bernardus ſerm. 13. in Pſalm. *Qui habitat*, ait, *Ex conſideratione iniquitatis propriæ, & ex dolore, qui ob culpam in Deum commiſſam concipitur, oriri non ſolum manſuetudinem, cui draconis flatus non noceat, ſed etiam magnanimitatem, quam rugitus leonis non terreat*.

Tertij denique manſuetudinis gradus perfectorum proprij, & heroici ſunt, eum, qui læditur non ſolùm non commoueri, aut iræ impetum tam internè, quam externè, fortiter compeſcere, verum etiam hæc delectabiliter præſtare; quod maximè competit manſuetudini, quæ inimica omnis perturbationis, pacis autem conciliatrix cum ſit, mirabilem voluptatem animo affert. Item non ſolùm non vlciſci iniurias, vel de iis minimè conqueri, aut etiam diſsimulare, oblataſque percōmodas vltionis occaſiones ſpernere; verum etiam iis, à quibus fuerimus offenſi, ex toto corde ignoſcere, eos amore, beneficijſque proſequi, & ſi aliter non poteſt, ſaltem commiſeratione, oratione, & lachrymis.

§. IV.

De actibus modeſtiæ.

CVm modeſtia, quæ eſt tertia pars potentialis temperantiæ, ſit virtus moderans omnes actiones, quæ ordinantur ad compoſitionem, & maturitatem, atque adeo complectitur aliquas actiones interiores, & aliquas exteriores, vt diximus ſupra; Hinc vniuerſim exerceri poteſt, omnibus illis actibus, quibus in rebus mediocribus, ac minimis modum ponimus, ſic enim diſtinguitur à temperantia, quæ per ſe paſsionum vehementium moderatrix eſt: primùm internè, ordinando ſcilicet, quid in huiuſmodi rebus ſit obeundum, quid omittendum, & qua ratione. Secundò externè, hoc eſt, verba noſtra, & facta ita moderando, & regendo, aut quidquid ad externas hominis partes ſpectat componendo, vt nihil à nobis prodeat, quod noſtræ perſonæ, conditioni, ætati, aut dignitati non conueniat; adeo vt in nullam aliorum offenſionem incurramus.

Mode-

Modeſtia autem exterior, ſiue exteriorem hominem componens, licet deceat incipientes, eiſque commendanda ſit, quia tamen ſupponit interiorem, & conſequenter animam omni virtutum genere cultam, atque ornatam; quæ enim verborum, actionum, totiuſque corporis motuum moderatio eſſe poteſt? vbi deſunt virtutes, à quibus tanquam à ſuo principio, & interna modeſtiæ radice, omnes eos, qui foràs prodeunt, exterioris modeſtiæ fructus originem ducere neceſſe eſt; hinc modeſtia videtur eſſe propria tum proficientium, tum etiam perfectorum virtus; quandoquidem ad hos maximè ſtatus pertinet internus virtutum omnium cumulus.

1. Ergò loquendo hic de modeſtia exteriori, quæ componit omnes corporis noſtri partes, earumque actiones, & motus, pro diuerſitate eorum multiplicitèr exerceri poteſt ab omnibus, maximè autem à perſonis religioſis, ſiue plures eius ſunt actus. 1. circa caput, ſic illud moderando, vt nec erectum, nec pronum, nec in alterutrum latus inflexum geratur; item vbi mouendum eſt, ne ſolum retorqueatur, ſi quis ab aliquo ſe retrorſum vocari ſentiat, ſed corpus totum conuertatur, ne huc atque illuc facile circumferatur, ſuccutiatur, nutuſque ad verba tam propria, quam aliena adiungantur; quod vt plurimum argumentum eſt leuitatis, curioſitatis, adulationis, aut alterius ſimilis paſſionis; cum chriſtiana, & religioſa modeſtia exigat, vt, ſiue loquamur, ſiue alios loquentes audiamus, fixum teneamus caput, nec eo vtamur, niſi valde rarò, iuſtaque petente cauſa, ad animi ſenſa exprimenda. 2. Circa oculos, quorum cuſtodia, rectaque ordinatio, vt inter omnes modeſtiæ partes, ſingulari quodam iure, generale modeſtiæ ſibi nomen vendicat; quod in eis, quaſi cordis indicibus, ea virtus præſertim eluceat; ita huius virtutis amatoribus, præcipuum ſtudium, præcipuaque cura collocanda eſt in oculis cautè cuſtodiendis, rectèque ordinandis; ne ſcilicet huc illuc facilè torqueantur, eoque magis, quo ſenſus viſus, vt omnium quinque exteriorum præſtantiſſimus, ita velociſſimus eſt; & conſequenter multa indiget vigilantia, vt licentiam, velocitatemque dediſcat, præſertim in publicis functionibus, vel exitibus; v.g. pro Religioſis, ne in ſupplicationibus, aliiſque functionibus fieri in Eccleſia ſolitis oculos efferant: in choro, alterū chorum, vel ingredientes, & exeuntes inſpiciant: in refectorio ex menſa vna, eos, qui è regione accumbunt, ingrediuntur, vel abeunt, intueantur; & ſic de aliis. Item curandum, ne cum aliis conuerſantes, figamus oculos in vultum eorum, præſertim ſi ſint ſuperiores, aut perſonæ alicuius authoritatis; & ne etiam illos aliò vertamus, aut huc illuc circumferamus, ſurſum, deorſum, quoquo verſum; vt enim primum audaciæ genus, aut ſignum eſt, ita ſecundum leuitatis, diſtractionis, aut contemptus: ſed ij vt plurimum ſunt demittendi, nec ferè longius, vt ait Diuus Bernardus, aut proprius, quam proceritas noſtri corporis extendatur. Denique modus cernendi ex grauitate, ac hilaritate, ad quamdam mediocritatem, ſiue ſinceritatem, quæ leuitatem, aut licentiam, & ruſticitatem excludat, temperandus eſt. Hæc autem cum pertineant ad modeſtiā oculorum, quo ad eorum motus, vel cernendi modum, quantum ad eamdem quo ad eorumdem obiecta, auerti debent, non ſolum ab omnibus, quod incipientium eſt, quæ Deum offendendi occaſio eſſe poſſunt, verum etiam quod proficientium, & perfectorum eſt, ab omnibus illis, quæ ad Deum non conferunt, aut aliquem finem honeſtū habere non poſſunt. 3. Circa frontem & naſum, vitanda vtriuſque contractio, hoc enim ſeueritatis ſignum eſt, animique ab aliis alieni; ſed, ni aliud iuſta cauſa exigat, ita componendi ſunt, vt lætitiæ, charitatiſque erga proximū

ſint

ſint indices. 4. Circa os, & labia, eorum nimia compreſſio abſque ratione fugienda eſt, ſicut & nimia deductio, vt enim primum ſtoliditatis, ita ſecundum negligentiæ, animique mollis, & ſibi parum attendentis ſignum eſt. Parcè quoque ridendum eſt, ad imitationem Chriſti, qui ſępius fleuit, nunquam autem riſiſſe legitur. 5. Circa brachia, & manus, cauendi ſunt crebri, & leues eorum motus, cuiuſmodi ſunt caput, aut quamlibet aliam corporis partem fricare; ſed, vbi quid efficiendum eſt, ita moueri debent, vt exceſſus vitetur, attenta perſonarum conditione, reique faciendæ natura. Quando autem nullus vſus eſt neceſſarius, decenter quietæ tenendæ ſunt. 6. Demum circa crura; vel modeſtiam in inceſſu, is moderatus eſſe debet, & ſine notabili feſtinatione, hoc enim argumentum eſt animi leuis. Si quæ tamen neceſsitas vrgeret, V. g. pium aliquod opus in proximi ſalutem, tunc decenter properari poſſet, habita ſemper ratione loci, in quo ſumus, multoque magis neceſsitatis ipſius, & perſonarum, quibus eſſet ſuccurrendum.

7. Cum huc vſque dicta, & ſimilia pertineant ad modeſtam partium corporis compoſitionem, quæ eſt prima modeſtiæ exterioris pars, quod ſpectat iam ad alteram, quæ dicitur Eutrapelia, ſeu bona ordinatio, & maximè conſiſtit in debita linguæ moderatione, tam in ſerioſis, quam in ludicris; multipliciter quoque exerceri poteſt: primum tacendo, deindè loquendo; iuxta illud Eccleſiaſtes cap. 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*; ita vt ſilentium non minus linguæ modeſtia dici poſsit, quam ipſamet virtuoſa locutio; imo Salomon præponit tempus tacendi tempori loquendi, quia tacendo diſcimus loqui. Vt rectè animaduertit Hugo Victorinus Institut. Moral. 16. *Non ais Salomon*, inquit, *tempus loquendi, & tempus tacendi, ſed tempus tacendi, & tempus loquendi, quia prius in ſilentio forma loquendi ſumitur; quæ poſtmodum tempore loquendi voce teneatur.* Vndè S. Baſilius in reg. fuſ. cap. 13. vocat ſilentium *gymnaſium bene loquendi*; & B. Diadochus lib. de perfect. ſpirit. cap. 7. *matrem ſapientiſſimarum cogitationum.* Diuus autem Hieronymus exiſtimans Pythagoricos, quorum diſciplina erat tacere per quinquenniũ, & poſtea eruditos loqui, ex hoc Salomonis loco originem ſui traxiſſe decreti, ait: *Diſcamus itaque & nos prius non loqui, vt poſtea ad loquendum ora reſeramus. Sileamus certo tempore, & ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum eſſe, niſi quod diſcimus: vt poſt multum ſilentium de diſcipulis efficiamur magiſtri.* Et in Regul. Monach. cap. 22. *Ex hoc*, inquit, *in eremo edocti Sancti Patres, ſumma cum diligentia obſeruant ſilentia, tanquam ſanctæ contemplationis cauſam*; nec non indè rectæ ſuo tempore locutionis; quæ enim verba prius veniunt per ſanctam contemplationem ad limam, quã ad linguam, non poſſunt non eſſe modeſta, vitæque æternæ verba. Quod eodem Salomonis dicto, pluribuſque alijs exemplis confirmat Zozimus Papa diſtinct. 36. cap. *Qui Eccleſiaſticis*, vbi videri poteſt.

1. Igitur modeſtia linguæ tacendo abſolutè exerceri poteſt, quatenus ſilentio prius, quæ recta ſunt loqui, diſcere debemus. 2. Cum præfatis verbis doceat inſuper Salomon prudentem diſtinguere tempus, quo tacendum eſt, & quo loquendũ, atque adeo cum fructu tacere, & loqui; ſiquidem imprudens vtrumque peruertit, loquẽdo cum tacendum eſſet, & tacendo cum loquendum foret; ideoque ſine fructu, imo cum damno tam ſuo, quam proximi, iuxta illud Eccleſ. 20. 6. *Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ: & eſt tacens ſciens tempus aptum. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus: laſciuus autem, & imprudens non ſeruabunt tempus.* Modeſtia quoque linguæ exerceri poteſt, nedum eam ab inutilibus, ſed & bonis etiam verbis compeſcendo, attentis

loci, temporis, aut alijs ſimilibus circumſtantijs; vbi enim, & quando ſuperior, preceptor, vel ſenior loquitur, ſubdito, diſcipulo, & iuueni tacendum, & auſcultandum eſt. Itaque cum ex verbis Eccleſ. duplex ſit tacens, vel caſus, quibus, vt paulò ante dixerat, *eſt tacens*, qui inuenitur Sapiens, primus, quando non habet, quod prudenter loquatur, ſecundus quando etiamſi habeat, loquendi tamen non eſt tempus, & opportunitas, vterque ad exercitium modeſtiæ linguæ pertinet, ſiue vtroque modo tacendo exerceri poteſt, nimirū quando non habemus, quod prudenter loquamur; & quando licet illud habeamus, loquendi tamen non eſt tempus, & opportunitas. Vnde ſi ex Seneca in Prouerbijs, *taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt*, tanta eſt ſilentij virtus, & efficacia; per oppoſitum, verbum, quantumuis bonum, intempeſtiuè prolatum, inſulſum eſt. Quod ibi textus Arabicus eleganti adipis ſimilitudine expreſſit: *Sicut adeps*, inquit, *non comeditur abſque ſale, ſic verbum, ſi extra tempus proferatur*. Quaſi diceret, ſicut adeps ſine ſale inſulſus eſt, grauatque, & laxat ſtomachum; ſic verbum non expectata temporis opportunitate prolatum inſulſum eſt, graue, moleſtum, & ſæpe nociuum. Vnde, cum, vulgus homines loquaces, quaſi diſertos, & facundos, æſtimet ſapientes: taciturnos autē, quaſi indiſertos, & elingues, eſſe inſipientes, aut infantes: Viri prudentes contrarium meritò de vtriſque ferunt indicium: eum enim, qui opportunè tacet, cenſent eſſe modeſtum, ac ſapientem: eum verò, qui importunè garrit, inſipientem, ac immodeſtū. Quo ſpectāt prouerbia Arabica cent. 1. n. 98. *Taciturnitas conciliat ſuis amorē*. Et *pœnitentia ſuper ſilentio, melior eſt pœnitentia ſuper ſermone*. Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum ex Catone. 3. preclarus quoque eſt modeſtiæ actus, ſilentium, inter multorum accuſationes, & calumnias; tum quia, *glorioſius eſt*, ait Ven. Beda in prouerb. *iniuriam tacendo tolerare, quā reſpondendo vindicare*: tum quia ſilentium ipſum ſufficiens reſponſum eſt. Ita Chriſtus reſpondit Iudæis, accuſantibus ſe de affectato Iudeæ regno apud Pilatum, ita vt miraretur ipſe. Et *Suſanna* Danielis 13. *plus egit tacendo, quam ſi eſſet locuta*, inquit D. Ambroſ. lib. 1. de offic. cap. 3. *Tacendo enim apud homines locuta eſt Deo, nec vllum maius indicium ſuę caſtitatis inuenit quā ſilentium. Conſcientia loquebatur, vbi vox non audiebatur: nec quærebat pro ſe hominum iudicium, quæ Domini habebat teſtimonium. Ab illo igitur volebat abſolui, quem ſciebat nullo modo poſſe falli.*

4. Silere quoque, nedum ad aliorū accuſationes, & calumnias, ſed & vbi procacibus verbis, aut maledictis prouocamur, inſignis eſt modeſtiæ linguę actus. Quocirca S. Baſilius grauiter deceptus, & verbis offenſus ab Euſtachio heretico, quem ſimulantem conuerſionem ad communionem admiſerat, per triennium ſiluit, & ne vel litterulam ad eum ſcripſit, vt habetur in eius vita. S. Baſilium imitatus eſt S. Gregorius Nazianzenus, in quem cum nonnulli probra iacerent, vt ignē, id eſt iram elicerent, ille ſe ſiluiſſe narrat orat. de ſerm. ſuis: *Negant*, inquit, *vt pyritem* (qui lapis eſt internum habens ignem, quem percuſſus exerit) *ſic me conuicijs tundere deſituros, donec ex paruâ ſcintilla ingentem ſermonum flammam excitarint*. Vnde Sapiens Prouerb. 26. 20. *Cum defecerint*, inquit, *ligna extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto iurgia conquieſcent*. Et Eccleſiaſtes 8. 4. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna*. Quatenus ſicut ligna, & loquacitas incendium immane excitat, lingua enim ignis eſt Iacob 3. 6. ita ſilentio, modeſtaque linguę moderatione, idem ſopitur, & extinguitur. Cuius rei ſymbolo, incendium legitur apud Thomā Camp. lib. 2. de Apibus cap. 13. §. 4. fuiſſe voce ſilentis extinctum. Erat is Radulphus, ob ſilentium continuum

cogno-

cognominatus tacens; ſi quidem per ſexdecim annos nullum verbum ex ore emiſerat. Cum enim in Monaſterio Affligemienſi Bruxellæ adiacente, vbi habitabat, caſu exortum eſſet incendium, quod nulla vi reſtingui poterat, Radulpho ſilentium ſoluente, fidenterque edicente: *Stes ignis, flamma penitus conquieſcas*: illicò ſtetit ignis, vt ſtetit Sol ad imperium Ioſue.

5. Qua ratione lingua vocatur à D. Iacobo c. 3. *Vniuerſitas iniquitatis*; à pluribus viris ſpiritualibus congeries, aut alphabetum omnium vitiorum, vt oſtendunt per litteras alphabeti; ex lingua enim oritur Adulatio, Blaſphemia, Calumnia, Detractio, Excuſatio in peccatis, Gloriatio in iiſdem, Hæreſis, Hypochriſis, Irriſio, Lamentatio, Mendacium, aut alius quiuis modus fictè loquendi, Nugæ, ſeu nugatoria, inepta, & otioſa verba, Periurium, Querimonia, Scurrilitas, Secreti, aut reuelatio, leuiter & ſine fructu, aliis illud narrando, aut curioſa ab aliis eiuſdem exploratio; cum ad nos nihil ſpectet, Taciturnitas noxia, ſeruando nimirum ſilentium, quando non eſt ſeruandum, ſed loquendum, Vituperatio; Zelus amarus; Ab his omnibus, & ſimilibus, quibus lingua deficere poteſt, eam compeſcendo, tot præclari modeſtiæ actus exerceri, ac multiplicari poſſunt. Indeque etiam conſtat, quantum hæc modeſtia, linguæve in loquendo moderatio neceſſaria ſit ad perfectionem, inſignemque Sanctitatem. Adeo vt, ſi Sanctus Iacobus dixerit, vanam eſſe religionem non refrenantis linguam ſuam, ſeu quod linguæ licentia homines faciat quaſi religionis exortes, ſilentium ex aduerſo, quod eſt præcipua linguæ modeſtia, faciat eoſdem Sanctitatis veræ conſortes.

Propter quod SS. Patres antiqui inter prima, & potiſſima religioſæ vitæ precepta, & monita ſilentium poſuerunt; cuius vtilitatem miris encomiis, quæ fidem ſuperare, mediumque etiam virtutis excedere videtur, celebrarunt, & exemplis firmarunt, vt patet ex eorum vitis. Sic Abbas Pambo apud Socratem lib. 4. cap. 18. primum audiens à magiſtro ſuo verſum Pſal. 38. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, ſuo ſilentio eò perfectionis euaſit, vt in morte proteſtatus ſit, nullum ſibi verbum vnquam excidiſſe, cuius ſe pœniteret. Sic Arſenius, olim preceptor Impp. Arcadii, & Honorii, declinans eorum iram, & in deſertum fugiens, audiit ab Angelo: *Arſeni fuge, tace, quieſce, hæc ſunt principia ſalutis*. S. Antonii monitum ſalutis fuit: *Contine linguam, & ventrem*. Alius ſenior eos, qui linguam non continent, vocabat *Stabulum ſine ianua: quia quodcunque eis aſcendit in cor, id ore loquuntur*. Abbas Agatho per triennium lapidem ore geſtauit, vt coactus diſceret ſilere; idque ita didicit, vt poſtea, cum vellet loqui, vix poſſet. Et ſic de aliis, quæ ſimul cum iſtis leguntur in vitis Patrum. Vt omittam, quæ ipſimet Gentiles circa hanc eamdem rem, ſeu ſilentii virtutem, & docuerunt, & inſigniter præſtiterunt.

2. Cum prædicta ad linguæ modeſtiam, vel moderationem in tacendo pertineant, nunc quod attinet ad eamdem in loquendo, multipliciter quoque exerceri poteſt, nec deſunt plures in hunc finem Patrum gnomę, & regulæ, tum exempla. 1. vt vbi eſt tempus loquendi, diuina prius imploretur gratia ex D. Chriſoſt. in illud Pſal. 140. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo*. 2. opportune tantùm loquendo, quod tunc fit ex eodem Chriſoſtomo ibidem, *quando quæ dicuntur plus proſunt, quam ſilentium*; vel loqui exigit gloria Dei, proximi ædificatio, loquentis vtilitas; ſic tempus loquendi eſt doctori, cum docendum eſt; prædicatori, cum prædicandum; Superiori, cum monendus, vel corripiendus eſt ſubditus; pari, cum conſilium, conſolationem, vel directionem impendere debet proximo, &

ſic de alijs ſimilibus; Adeo vt Salomon Prouerb. 25. v. 11. verbum opportunũ, ſeu dictum in tempore ſuo, non incongruè aſſimilauerit pomo aureo in theca argentea: *Mala aurea*, inquit, *in lectis argenteis, verbum dictum in tempore ſuo*; tam ad ſignificandum huiuſce actus modeſtiæ linguæ excellentiam; quam quod, ſicut mira eſt elegantia pomi aurei affabre incluſi thecis, veluti lectis, argenteis, quæ intuentium oculos inſigniter oblectat, ita quoque verba opportunè, ſuoque tempore dicta ſunt audientibus gratiſſima, mirumque in modum eos recreant, & ædificant. 3. ita opportunè, ſuoque tempore loquendo, vt tamen iuxta conſilium D. Auguſtini, omne verbum prius ad limam, quam ad linguam veniat. Imo duplum exigit S. Bernardus in Speculo Monachorum: *Antequam*, inquit, *verba proferas, prius veniant bis ad limam, quam ſemel ad linguam.* Quę lima eſt mens, eſt ratio, eſt prudentia, eſt conſideratio, qua verè prudens, ac modeſtus, quæ dicenda ſunt ponderat, & tanquam cautus viator ſolerter attendit, vbi linguæ ſuæ veſtigium figat. De quo communiter Patres intelligunt illud Eccleſ. cap. 21. v. 28. *Verba autem prudentium ſtatera ponderabuntur*; nec non cap. 28. verſ. 29. *Aurum tuum, & argentum tuum conſla. Et verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos. Vt non ſolum verba*, inquit D. Chriſoſtomus, in Pſal. 140. *quæ oportet efferamus, ſed etiam cum ea, qua par eſt cautione, & accurata conſideratione, ipſa velut ponderantes diligenter expendamus. Si enim hoc facimus in auro, & materia quę interit; hoc multo magis faciendum eſt in verbis, vt nihil deſit, nec redundet.*

4. Dicente Salomone Prouerb. 10. 19. *In multiloquio non deeſſe peccatum*; Et Eccleſiaſtico 20. 8. *Qui multis vtitur verbis, lædere animam ſuam*: Tum quia nihil tam fluxum, & labile eſt, quam lingua; & ſermo: vnde plerumque ex verbis neceſſarijs multiplicatis labitur ad ſuperflua, ex vtilibus ad otioſa, ex veris ad falſa, ex beneuolis ad maleuola, ex ſuauibus ad iracunda, & rixoſa. Tum quia in multiloquio vix qui exit, ſermo trutinatur, ideoque imprudenter labitur; Tum quia mens diſſipatur in varia, quibus illicitur, & inficitur; vnde ſui, ſermoniſque curam, quam deberet, habere nequit, vel negligit: vt ait S. Gregorius p. 3. paſtor. admonit. 15. Tum quia per multiloquium ſæpe extinguitur ſpiritus compunctionis, & deuotionis; & ſic de alijs malis inde prouenientibus; propterea tantopere commendatur à Patribus, & ad modeſtiam linguæ ſpectare docetur breuiloquium, etiam in rebus bonis: *Alliga*, inquit ſapienter D. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 3. *ſermonem tuum ne luxuriet, ne laſciuiat, & multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur. Cito lutum colligit amnis exundans.* Sed & Diuus Auguſtinus lib. 2. retractationũ cauſam ſcribendi illos hanc mira cum modeſtia aſſignat: *Illud etiam, quod ſcriptum eſt: Ex multiloquio non effugies peccatum; terret me plurimum, non quia multa ſcripſi, vel quia multa etiam, quæ dicta non ſunt, tamen à me dicta, conſcripta ſunt. Abſit enim vt multiloquium deputem, quando neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine, ac prolixitate dicantur. Sed iſtam ſententiam Scripturæ Sanctæ propterea timeo, quia de tam multis diſputationibus meis ſine dubio multa colligi poſſunt, quæ ſi non falſa, at certè videantur, ſiue etiã conuincantur non neceſſaria. Quem verò Chriſtus fidelium ſuorum non terruit, vbi ait: Omne verbum otioſum, quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicij. Matth.* 12. Tanti fecerunt Sancti pauciloquium, ſeu modeſtam linguæ moderationem; cuius incongruum non eſt ſymbolum Elephas, qui cũ mole animalium ſit maximus, idemque prudentiſſimus, linguam tamen habet perexiguam, atque interius poſitam, vt penè oculos fugiat,

ex Ariſtotele lib. 2. de animal. cap. 6. Cum etiam generoſiſſimi quique, & prudentiſſimi verbis ſint parci, ſed factis efficaces.

Quodque magis eſt, qui ita ſe gerunt; aſſimilantur Angelis, eoſque imitantur, qui multa quidem audiunt à Deo, ſed perpauca loquuntur, vt videre eſt in Gabriele miſſo ad B. Virginem, & ad Zachariam, Raphaele ad Tobiam, Michaele ad Danielem, dumque inuicem loquuntur, vno conceptu, quaſi vna voce, aut verbo id præſtant. Quin, & ipſemet Deus hoc idem non ſolum docuit verbo, ad noſtram inſtructionem, tot in locis S. Scripturæ, verum etiam exemplo, ad imitationem. Ipſe enim per æterna ſæcula in ſua ſapientia contemplanda, & fruenda conquieuit, & poſt infinita ſæcula, ſeu initio mundi, & temporis cæpit loqui ad extra, vnicoque verbo *fiat* creauit omnia. Deum ergo imitantur, eique ſimiles dici poſſunt; qui multa audiunt, & pauca; & efficacia loquuntur: vel vt ait D. Iacobus cap. 1. ſunt veloces ad audiendum, tardi autem ad loquendũ. Sapientis enim, ac modeſti eſt, nonniſi poſt multam auditionem, verborumque ponderationem proſilire ad loquendum, idque tardè, & nonniſi rogatus, imo iuſſus, aut proprij muneris ratio exigit.

5. Ad modeſtum quoque linguæ exercitium ſpectat, in conuerſatione familiari quandoque verba etiam, aut dicta aliqua iocoſa proferre, in ſolatium, vel honeſtam recreationem eorum, qui adſunt. Dum enim S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 23. ait: *Ea ab Eccleſiaſtica abhorrere regula*, non remouet ea abſolutè ab hominum conſuetudine, ſed tantùm ſignificare voluit, ea non reperiri in Scripturis ſanctis, quarum proprium eſt, vt dicitur Prouerb. 8. de magnis rebus loqui: vel immoderatum eorum vſum eſſe fugiendum. Etſi igitur chriſtiana modeſtia grauis eſſe debeat, matura, ac ſeueritatis potius amica, quam leuitatis, quo ſenſu Diuus Chriſoſtomus in cap. 5. epiſt. ad Epheſios docet, Chriſtianos non decere iocos, ſed potius luctum, & fletum: nihilominus ex D. Thoma 2. 2. qu. 168 art. 2. omnis vrbanitas, aut etiam in verbis, & factis gratia, eſt virtus, Eutrapelia dicta; à bona ſcilicet conuerſione, qua, qui ea præditus eſt, bene conuertit aliqua dicta, vel facta in honeſtum aliorum ſolatium; ſiue feriæ, animique rigorem, & vigorem (ne ſcilicet animus nimis ſerijs occupationibus intentus, ſeque & corpus debilitet, & exhauriat) moderatur, & temperat per iocos, factave, aut dicta iocoſa, efficiendo *primò*, vt ſint honeſta: *Secundò*, vt ſint decentia, & congruentia perſonæ, loco, & tempori; alia enim ſecularem, alia Sacerdotem, & Monachum decent: alia in menſa, alia in recreatione, & alia in cubiculo. *Tertiò*, vt ſint moderata, ne mentis harmoniã diſſoluant. Vndè ex Ariſtotele lib. 4. Ethic. 8. Virtuti Eutrapeliæ, ſiue vrbanitati, vitium per exceſſum oppoſitum eſt *bomologia*, id eſt *ſcurrilitas*, cum ſcilicet verba, aut facta iocoſa, & ludicra ſunt nimia, vel intempeſtiua, vel mordacia, vel maledica, & ſpurca; aut cachinnos, & diſſolutiones excitantia; maximè autem cum quis verbis Sacræ Scripturæ ad illa abutitur, quæ maxima, & grauiſſima eſt ſcurrilitas, habens adiunctam irreuerentiam in Deũ, Deique verbum, quam propterea grauibus verbis vetat S. Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. Nec non abſolutè omnem ſcurrilitatem D. Paulus Epheſ. 5. 4. *Nec nominetur*, inquit, *in vobis ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſcurrilitas*, vel, vt habetur Græcè Eutrapelia, non moderata, iam dicta, quæ eſt pars virtutis modeſtiæ, ſed immoderata, dicta *bomologia*, id eſt ſcurrilitas; quam ipſemet Philoſophus loco citato fatetur à vulgo iocis, & ſalibus nimis addicto eutrapeliam quoque appellari; ſæpè enim, & virtutis, & vitij illi oppoſiti per exceſſum idem eſt nomen. Hanc autem eſſe mentem Apoſtoli, ſiue eam

ſolum,

ſolum, quam cum appellaſſet euttapeliam, eo quod, vt ſtatim dicebam, interdum virtutis,& vitij idem eſt nomẽ, noſter Interpres vertit ſcurrilitatem, patet ex verbis ſubſequentibus, cum ait, *Quæ ad rem non pertinent*, Græcè, *quæ non ſunt decentia*. Indecentem igitur, & indecoram eutrapeliam, ſiue vrbanitatem tantùm vetat Apoſtolus, ibique Patres. Qualem apud Chriſtianos eſſe iocularitatem illam, quæ riſum duntaxat mouet audientibus,docet Hieronymus. *Eſt enim hæc*, inquit, *à Sanctis noſtris propellenda, quibus magis conuenit flere, atque lugere. In Hebraico quoque Euangelio legimus Dominum ad diſcipulos loquentem: Et nunquam, inquit, læti ſitis, niſi cum videritis fratrem veſtrum in charitate.* Sic enim iocularitas illa dedecet Chriſtianos, multoque magis viros Eccleſiaſticos, & Religioſos, quæ nihil ſpectat, quam vt riſum, vanamque excitet lætitiam, vt tamen, ſi referatur ad honeſtam recreationem, lætitiam, animi leuamen, ſanitatemque corporis tuendam, vt ſcilicet homo alacrior fiat, vegetior, & aptior ad ſuas functiones, Deique maximè obſequium, honeſta etiam ſit, & virtus quandoque decens Chriſtianos, & ipſos Religioſos. Vt autem Eutrapeliæ, quæ eſt virtus, modo explicato, per exceſſum opponitur *bomologia*, id eſt *ſcurrilitas*, ſiue immoderata euttapelia; ita per defectum eidem opponitur ex Ariſtotele, *agriotis*, id eſt *ruſticitas*. Qui enim nimis graues, & ſeueri ſunt, nulloſque ludos, aut iocoſos ſermones admittunt, aut Catones ſunt, aut ruſtici, nimium tetrici, agreſtes, moroſi, & melancholici.

Cum ex huc vſque dictis modeſtia linguæ, eiuſque exercitium in duobus conſiſtat, nimirum in debitè tacendo, & loquendo. Vt enim ait D. Gregorius explicans illud; *Tempus tacendi, & tempus loquendi*; 3. p. paſtor. admonit. 15. *Diſcretè viciſſitudinum penſanda ſunt tempora, ne aut, cum reſtringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cum loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat*. Quocumque ex his modo exerceatur linguæ modeſtia, ſuos habet gradus, aut actus minoris, & maioris perfectionis. Omnium infimus, incipientium proprius, eſt ſilere abſolutè ab omnibus verbis peccaminoſis, maximè lethaliter; item ad aliorum accuſationes, verbaque iniurioſa tacere, patienter ea, & compoſitè tolerando. Alter magis perfectus, proficientium proprius eſt, ab omni prorſus verbo otioſo, quodue neceſſitas, vel vtilitas non exigat, abſtinere, nullo habitu reſpectu humano, vt, oblatis occaſionibus, Deo potius ſilentium interius inſpiranti, quam hominibus exterius ſuadentibus, quis pareat; ſique ad loquendum inuitatus fuerit, vbi rationes humanæ, ob perſonæ grauitatẽ, vel cauſas alias verba ſuggeſſerint, rationi diuini ſilentij magis obtemperet: item ſi iniurijs prouocatus taceat, nedum patienter, ſed & æquanimiter eas ſuſtinendo, abſque vllo indignationis, iræ, aut alterius ſimilis paſſionis indicio; etiam ſi ea ſe agitari ſentiat. Ad gradum denique heroicum, perfectorum proprium, pertinet etiam quandoque tacere, & ſilere à bonis; qua in parte Ieſu Chriſti Domini noſtri exẽpla vſque ad ſtuporem mirabilia habemus. Etenim, cum Verbum Dei eſſet, nec verba ei vitæ æternæ deeſſent, aut periculum creare poſſent: attamen per annos triginta ſiluit, vixque tres loquendo peregit. Item Lucæ 23. ad Herodem pertractus cupiẽtem ex multo tempore videre eum, interrogantemque multis ſermonibus, grauiſſimè ſiluit. *At ipſe nihil illi reſpondebat*, indeque repulſus fuit, ac deriſus. Cum tamen aſtantibus tunc optimatibus vrbis, conſtanterque eum accuſantibus, potuiſſet pauciſſimis verbis vanũ regem illum delectare, ac ab eo libertatem impetrare. Ad eamdem denique ſilentij, vel taciturnitatis heroicã perfectionem ſpectat, nedum patienter, & æquanimiter ad aliorum accuſatio-

ſationes tacere, nullo etiam edito indignationis ſigno, ſed & lætanter, tam interius, quam exterius; maximè ſi tales accuſationes eſſent in re graui; ſiue grauiſſima ageretur cauſa. Cuius pariter in Chriſto præclarum habemus exemplum, qui, cum homines inſani, & à diabolo agitari apud Pilatum rabidè inſtarent, & multa mendacia obijcerent, tacuit: nec Præſes vnum ſaltem verbum ab eo obtinere potuit. Quin etiam interrogatus de veritate, quid ſit, nihil reſpondit.

Ad heroicum autem modeſtiæ linguæ exercitium in loquendo, maximè ſpectat, ad eiuſdem Chriſti Domini exemplum, ſermones, vbi opus, & tempus eſt, de Regno Dei texere, ac rebus ad illud pertinentibus, & conducentibus, verba plena Deo efferre, ignemque diuini amoris ſpirantia; quod quo difficilius eſt, tunc enim non tam nos loquimur, quam Spiritus Sanctus in nobis, eo feruentius, antequam loquamur, ad eius opem confugere debemus, ſic orando ex S. Ephrem de Paſſion. animi: *Digitus gratię tua Domine ſemper moueat linguam meam, tanquam neruum citharę ad gloriam tuam. Concede mihi Saluator petitionem cordis mei, fiatque lingua mea velut cithara ad reſonandum iugiter laudes tuas.* Iuxta illud Pſaltes Pſal. 50.17. *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Huiuſmodi autem ſermones, vt ſunt perfectiſſimi, ita & proximo vtiliſsimi, Deoq; gratiſsimi; vt ſatis patet ex memorabili exemplo cuiuſdam celebris Anachoretæ in lib. ſentent. Patrum cap. 45. qui vidit, cum Fratres de S. Scriptura, rebuſque pijs loquerentur, Angelos ſe eis miſcentes, hilarique vultu exultãtes; cum verò ad vana colloquia deflecterent, recedentes cum indignatione, dœmones autem ſpecie porcorum inter colloquentes ſe volutantes. Hic enim eſt finis linguę ob quem nobis à Deo eſt indita, ſcilicet vt illa Deum glorificemus, alioſque glorificare doceamus, vt ait D. Iacobus 3. 9. *In ipſa* (id eſt ipſa, vel per ipſam) *benedicimus Dominum* tum pſallendo, tum docendo, tum concionando, tum de eo ſublimia loquendo. Vnde de Sancto Antonio de Padua, qui ardenti corde, & lingua concionando, & docendo innumeros ad Deum conuertit, legitur in eius Vita, quod cum 32. anno à morte eius, lingua eius incorrupta, recens, & rubicunda inuenta eſſet à Sancto Bonauentura, lachrymando eam deoſculans dixerit: *O lingua benedicta, quæ Dominum ſemper benedixiſti, alioſque benedicere docuiſti, nunc liquet quam grata ei fueris, quantique apud eum meriti.*

Verùm quam heroicus eſt talis linguę vſus, quam meritorius, Deo placens, proximoque vtilis; tam ex aduerſo grauis eſt eiuſdem abuſus, maximè in Religioſis, quibus per cætera ferè ſecuris ait B. Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 18. à ſola lingua eſſe periculum damnationis. *Fateor Fratres mei nil fere in Monaſterijs agitur, vnde mens mea terribilius ſuper Monachos imminere Dei iudicium ſuſpicetur: nam continuo meatus impulſu, quaſi torrens per decliua deuexa procedens eorum lingua decurrit: & cum tintinnabulum ſonat, ſic illis eſt, tanquam ſi de repentino protinus ictu eorum caput illidat. Quod tamen de quibuſdam, abſit autem vt de omnibus dicam* &c. *Omnibus horis laborandi, ac legendi, ſtudium quidem poſtponentes, abutuntur in fabulis, & quidquid laboribus, ac lectionibus debent, totum vaniloquis ſermonibus exhibent.* Et mox citato Prouerbiorum loco, *Mors, & vita in manu linguæ*, cap. 18. *Quam inhoneſtum eſt*, inquit, *vt in hoc munere, quo creaturis omnibus homo præponitur, ipſe largitor ab homine frequentius offendatur?* Et cum naturis reliquis homo præſideat, eaſque ſuæ ditionis legibus ſubdat, quanti pudoris eſt, vt carunculam tenuem, quam intra fauces includit, edomare non poſſit.

Tertia

Tertia, & vltima modeſtię exterioris pars, *ornatus* dicta, verſans circa apparatum exteriorem perſonæ in veſtiendo, multipliciter quoque exerceri poteſt. Et 1. quod, iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 29. v. 28. *Initium*, id eſt præcipuum, caput, & ſumma, *vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem*; vnuſquiſque pro ſui ſtatus ratione, & conditione, veſtibus in hunc finem vtatur, protegendi nuditatem, ac turpitudinē ſuam; tuendique corpus à frigore, & alijs aeris iniurijs; atque adeò non tàm ad ornamentum, quàm in argumentũ, & notam peccati, ex quo pudor nuditatis, omniſque turpitudo proceſsit. Sic primæ veſtes, quibus Deus veſtiuit Adamum fuerunt ſimplices, & natiuæ, puta crudæ pelles animalium Geneſ. 3. 21. nimirum, vt doceret eum, ac poſteros, veſtem homini datam tantum ad neceſsitatem, eſſeque ſymbolum pænitentiæ, & mortalitatis, cui per peccatum obnoxij facti ſumus. Vnde patet, quam vanum ſit gloriari, vel ſuperbire in veſtibus ſplendidis, hoc enim eſt ſuperbire in ſtigmate peccati; nec minus ridiculum ſe reddere, quam eſſet fur, qui laqueo byſsino ſuſpendi vellet, non laneo: & nobilis reus, qui catena aurea vinciri vellet non ferrea.

Sic ſimplex, & rudis fuit veſtitus antiquorum Patriarcharum, Iacob Geneſ. 28. 20. dicentis; *Si fuerit Deus mecum* &c. *& dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum.* Tum maximè Prophetarum, ſeu vitam Propheticam ducentium, vt Eliæ, Eliſæi, & ſequacium, S. Ioannis Baptiſtæ. Quodque magis eſt talis quoque fuit Chriſti Domini veſtitus, Apoſtolorũ, primorumque Fidelium, ſeu Chriſtianorum, quos pungens Lucianus in Philopatro, ita eos deſcribit: *Pallium putre habuiſſe, ſine calceis, & tegmine, capite nudo incediſſe, detonſa coma*. Sic apud Socratem lib. 6. cap. 22. Siſinnius Nouatianorum Epiſcopus, homo mollis reprehenſus fuit à fidelibus, quod quotidie bis lauaretur, & veſte candida indueretur. Sanctus autem Hieronymus epiſt. 15. ad Marcellam laudat S. Aſellam, quia *Eius idem ſemper habitus, neglecta mundities, & inculta veſte cultus ipſe ſine cultu*.

2. Igitur ad modeſtiam in veſtibus ſeruandam duo vniuerſim fugienda ſunt extrema, primum ſcilicet nimij ſplendoris, aut affectationis, alterum verò nimiæ negligentiæ, vel immunditiei. Cum enim Eccleſiaſtici 19. v. 26. & 27. inter quatuor indicia, per quæ quaſi per feneſtras mens cuiuſque introſpiciatur, ac latens virtus, vel vitium, reponatur amictus, vel veſtitus; *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei; Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo*. Vt amictus ſuperbus internam ſuperbiam, fictus fictionem, diſſolutus diſſolutionem, leuis leuitatem, luxurioſus, ac mollis luxuriam mentis indicat, & repræſentat, quod & ipſis gentilibus notum fuit, dicente Auguſto Cæſare apud Suetonium, *Veſtitum inſignem, ac mollem ſuperbię vexillum eſſe, nidumque luxuriæ*; ita quoque nimis ſordidus, vel ſqualidus, aut incompoſitus non poteſt non eſſe aliquale immodeſtiæ animi, vel incuriæ interioris, & negligentiæ ſignum, & argumentũ: Sic de Iulio Cæſare adhuc puero dixere Syllani: *Cauete puerum malè præcinctum*.

Quod ergo legitur de S. Hilarione Abbate in eius vita, ſaccum, quo ſemel amictus eſt, nunquam aut laniſſe, aut mutaſſe, cum ſuperuacaneum eſſe diceret, munditiem in cilicio quærere; debet intelligi de affectata munditie; vel potius hoc pertinuiſſe non ad ordinarium, ſed perfectum, & heroicum modeſtiæ exercitium in veſtibus, ad quod Sacerdotes maximè & Religioſi, non ex hypocriſi, ſed ex perfecto ſeculi, omniſque ornatus eius contemptu tendere debent. Nam vt ait Sanctus Auguſtinus epiſt. 73. ad Poſſidiũ: *Verus ornatus, maximè Chriſtianorum, & Chri-*

& Chriſtianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt.

3. Sicut vbi non ex contemptu ſuperflui cultus, ſed vt quis intentos in ſe oculos hominum faciat, parco habitu, aut vili, & ſqualido vtitur, hypochriſi, iactantiæque tribuendum eſt, quæ etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poteſt, eoque periculoſior, quo nomine ſeruitutis Dei decipere poteſt, vt rectè aduertit D. Auguſtinus lib. 2. de ſer: Dom. in monte, cap. 12. ita præclarum modeſtię actum exercent, qui cum ratione ſtatus honorifici, vel dignitatis, qua alijs eminent, v. g. Rex, Princeps, Prælatus, ſplendidis, ac pretioſis veſtibus vti debeant, non ſolum ob earum ſplendorem non ſuperbiunt, ſed potius interius eas cõtemnendo, exterius quoque in ijſdem humiliter, & modeſtè ſe gerunt: iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 11. v. 4. *In veſtitu ne glorieris vnquam*, quibus verbis, poſt eliſam v. 2. & 3. ſuperbiam, ac immodeſtiam, eamdet elidit ob veſtitum ſplendidum. Quæ etiam explicans S. Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. 1. ad Timoth. ait: *Iſta pridem prædicabantur infantibus: nempe enim & ſaltator, & ſcortum, & hiſtrio, gratiora te, & pretioſiora indumenta circumfert. Tineæ præterea vbi pretioſiora illa inuaſerint indumenta, huius te gloriæ voluptate priuabunt. Vides quam incerta, quamque inſtabilis ſit vita præſentis gloria? gloriantur in re, quam vermes, & gignunt, & perdunt, feruntur enim quidam ex India vermiculi huiuſmodi conficere veſtes. Si veſtem poſſidere cupis supernè intextam, amictum omnino mirabilem atque clariſſimum, indumentum penitus aureum acquirere ſtude. Nempe illud aurum non metallum eſt, cuiuſmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos ſtola illa, quam non homines inopes, & ſerui conficiunt, ſed ipſe Dominus ſe diligentibus præparat. Quid oro, veſtimento huic inſertum eſt, quod ſe facit illuſtrem? Aurum, ſcilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, non eum, qui fuerit amictus: ille enim reuera admiratione dignus eſt: quemadmodum & in ſimplicibus veſtibus, non lignum, in quo apud fullonem veſtis tenditur, admiramur, ſed opificem potius, licet ipſam lignum ferat.* Cui etiã conſonat & illud Senecæ lib. 2. epiſt. 47. *Stultus eſt*, inquit, *qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius; ſic ſtultiſſimus, qui hominem ex veſte æſtimat.*

Vnde ſatis colligitur nec Eccleſiaſticum loco citato, nec Diuum Iacobum epiſt. c. 2. v. 2. veſtes præclaras, aut ſplendidas abſolutè reprehendere, aut reprehenſibiles eſſe, cum enim ſæpe ſignum ſint Magiſtratus, dignitatis, aut nobilitatis, certum eſt tunc licitum eſſe earum vſum; ſed tantum vanum eſſe, immodeſtique animi indicium gloriari in illis, aut illas honorare, vel ob earum ſplendorem illis veſtitos, cum non illis, ſed dignitati, & officio deferendus ſit honor.

4. Ad modeſtiam mulierum, maximè autem virginum, ſpectat, vt iuxta D. Pauli præceptum velentur, ſeu tectę in publicum prodeant, ne vel ipſæ videant, quæ non decent, vel in aliorum aſpectum vultus earum incurrant. Nedum autem huiuſmodi euagatio index eſt animi non ſatis modeſti; verum etiam, vt iam notauimus ſupra agendo de exercitio, & actibus caſtitatis, innumerabiles fœminæ tum nuptæ, tum virgines vel ipſæ perierunt, vel alios occiderunt, huiuſmodi oculorum immodeſtia, vel non velata incedendo facie. Propterea que ex antiquis Tertullianus ſcripſit libros de habitu mulierum, de cultu fæminarum, de velandis Virginibus, & Sanctus Cyprianus tractatum de habitu Virginũ.

Item ad eiuſdem modeſtiæ exercitium præcipit D. Petr. 1. epiſt. c. 3. v. 3. quod *mulierum non ſit extrinſecus capillatura. Aut circumdatio auri. Aut indumenti veſtimentorum cultus.* Vbi D.

Petrus non reprehendit mulierum capillaturam, cum D. Paulus 1. Corinth. 11. v. 15. dicat: *Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*; ſed extrinſecam, ſeu quamlibet capillorum implicationem, ſiue fiat eos criſpando, ſiue retorquendo, ſiue innodando, ſiue in cirrhos, & cornua calamiſtris diſcriminando, ſiue cæruſſa, ſtibio, alijſque pigmentis colorando, ſiue tandem alienos accerſendo. Quod eſt quod ait Paulus 1. Timoth. 2. 9. *Ornantes ſe non in tortis crinibus*. Solent enim fœminæ plerumque, ſuperfluè, & vanè, ſtudere compoſitioni, & ornatui capillorum. Vndè præclarè Terentius Ethnicus ait in Heant. act. 2. *Dum poliuntur, & comuntur, annus eſt*. Ex Patribus autem Tertullianus de Cultu fœmin. cap. 7. *Quid*, inquit, *tanta ornandi capitis onerositas ſalutem ſubminiſtrat*. Et D. Hieronymus epiſt. ad Marcellam ait, eas *alienis capillis verticem ſtruere*, vt videantur in fronte erigere crinium faſtigia, & turres; iuxta illud Iuuen. Satyr. 6.

——— tot adhuc compagibus altum ædificat caput.

In epiſtola verò ad Lætam de inſtitut. filiæ, ſic monet eam; *Nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes; & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.*

Vt Diuus Petrus loco citato non neceſſarium capillaturę vſum, ſed immodicum, qui ſtatum ſuperet, aut vanum, & illecebroſum reprehendit in fœminis, eodem modo intelligi debet, quod ait de *circumdatione auri, aut indumenti veſtimentorum cultu*.

Quatenus nimirum fœminæ ſolent, tot induere veſtes, totque tunicis, peplis, velis, pallijs, ijſque ſericis, & pretioſis, auroque intertextis ſe amicire, & ornare, tot inſuper gemmas, catenaſque aureas geſtare, & ſimilia, vt Iſaias ea enumerando multos verſus impleat cap. 3. Imo nonnullæ in veſtitu ſuo omnes penè viri opes exhauriunt. Quod & ipſimet gentiles improbauerunt. Vnde Ouidius lib. 3. de Arte amandi ait;

Quis pudor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

Et Seneca lib. 7. de Benefic. cap. 9. inſanis quibuſdam bina ex auribus pendere gemmarum patrimonia.

Meritò igitur S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagium, illum refellit, quod aſſereret omnem omnino ornatum à S. Petro prohiberi; cùm tantum prohibeat ſuperfluum, illecebroſum, & indecentem, vel inanem in eo iactantiam, aut maiorem propterea, quam quis mereretur inter homines æſtimationem. Cui etiam ornatui, quanrumuis alias licito, tanquam quid perfectius, præferendus eſt eiuſdem contemptus, ſaltem affectu, ſi non ſemper effectu, iuxta illud Reginæ Eſther ita Deum alloquentis cap. 14. 16. *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meę, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei*. Quippe quæ ſciebat mulieri ornamentum mores eſſe, & non aurum. Ornamentum enim eſt, quod ornat: ornat autem quod honeſtiorem mulierem facit: talem verò præſtat non aurum, non gemmæ, non circumpoſitio, aut amictus pretioſarum veſtium, ſed grauitas, modeſtia, verecundia, ac ſtudium honeſtè, & decorè viuendi. De qua re conſuli poſſunt, Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. cap. 12. Sanctus Cyprianus lib. de habitu Virg. S. Baſilius in Iſaiæ cap. 3. docens quis in hac re modus ſit adhibendus; S. Gregorius Nazianzenus in oratione contra mulieres ambitioſius ſe ornantes, quæ incipit, *Cauete ò mulieres*. S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 21. ad popul. alijque plures.

At ſi modeſtiæ, eiuſque perfectioni, quoad exteriorem corporis cultum, & ornatum, repugnant in fœminis, quæ dicta ſunt, de capillaturæ, ſplendidarumque veſtium vſu, multò magis in

viris,

viris, qui ita ſe effœminant, *aperiam*, vt ait Tertullianus de veland. Virgin. *profeſſi mulieroſitatem*. Adeò vt Sanctus Tiburtius aſſeruerit, Torquatum Chriſtiani nomen mentiri, eo quod capillos criſparet, vt legitur in eius Vita; Sanctus autem Gregorius homil. 6. in Euangel. ait. *Penſate quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, quo curauit Paſtor Eccleſiæ, & fœminas prohibere.* In quo etiam ſenſu debet intelligi Apoſtolus 1. Corinth. 11. v. 15. vbi ait: *Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* Quia certè alere comam longam, & promiſſam, qualis eſt mulierum, videtur omnino eſſe contra decus virile, aut ſaltem alienum ab eius perfectione.

§. V.

De actibus humilitatis.

HVmilitas præcipua modeſtiæ pars, vel ſpecies, quatenus moderatur appetitum excellentiæ, quo aliquis vult ſupra alios efferri; & non tenere locum ſuum, atque adeò maximè tollit ordinem, & compoſitionem, ſi nimius ſit, vt explicuimus ſupra, multipliciter exerceri poteſt.

1. Quia humilitatis fundamentum, ac principium eſt cum Dei, tum noſtri cognitio; ita potiſſima, maximèque propria eius actio eſt ſubiectio, & reuerentia erga Deum Omnipotentem. Sic D. Petrus 1. epiſt. cap. 5. ait: *Humiliamini ſub potenti manu Dei*: Et Diuus Iacobus epiſt. cap. 4. cum dixiſſet: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; adiungit, *Subditi ergo eſtote Deo*: ac ſi diceret, hoc nempe eſt, humilem eſſe. Quod adeò verum eſt, vt, ſi hominibus nos per humilitatem ſubijcimus, ideò fit, quia, cum in homine ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 161. art. 3. duo poſſint conſiderari; id quod eſt Dei, id eſt dona Dei; & id quod hominis eſt, hoc eſt defectus, quilibet homo ſecundū id, quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubijcere, quantum ad id, quod eſt Dei in ipſo. Quodque eſt Deum in homine agnoſcere, & quaſi reuereri ſeſe illi ſubmittendo. Iuxta illud 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

2. Attenta eadem Dei, noſtrique cognitione, in hoc maximè conſiſtente, quod cognoſcamus noſtrum nihilū tam in ordine phyſico, quàm morali naturali, & ſupernaturali; hoc eſt, ex nobiſmetipſis nos nihil eſſe, nec poſſe quidpiam, aut agere; tum defectuum noſtrorum infinitam propè multitudinem; ſique aliquod in nobis à Deo bonum eſt, valde anguſtum, ac limitatum eſſe; nec adhuc propter nos, ſed propter diuinam gloriam datum eſſe: Ex huiuſmodi, inquam, cognitione, exercetur actio humilitatis, qua refrænatur animus, ne immoderatè appetat res magnas, & quæ ſint ſupra vires ſuas; iuxta illud Dauid Pſal. 130. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*; hoc eſt, inquit D. Auguſtinus ibi; *Non fui ſuperbus, nolui quaſi in mirabilibus innoteſcere hominibus; nec quæſiui aliquid ſupra vires meas, vnde me apud imperitos iactarem.* Propterea Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 161. art. explicans humilitatis naturam ait, *Eſſentialiter in appetitu conſiſtere, ſecundum quod aliquis refrænat impetum animi ſui, ne inordinatè tendat in magna; ſed regulam habere in cognitione; vt ſcilicet aliquis non ſe exiſtimet ſupra id eſſe, quod eſt: & vtriuſque principium, & radicem, eſſe reuerentiam, quam quis habet ad Deum.* Indeque etiam originem habuit diuiſio, qua humilitas alia dicitur eſſe iudicij, alia affectus. Iudicij humilitas eſt ea, qua quis ſeipſum intuens ad lumen veritatis, agnoſcit ſuam vilitatem, & ſe coram Deo demittit: non tamen vult ab alijs vilis haberi, aut contemni; ſed potius magni æſtimari, & honorari. Affectus humilitas eſt ea, qua quis cupit ab alijs vilis haberi, qualem ſe

ſe coram Deo iudicat.

3. Qua ratione humilitas eſt virtus refrenans ex vna parte animum ne inordinatè tendat in magna, tot modis exerceri poteſt, quot ſunt genera magnorum, quot mundanæ laudes, ac honores, aut ſimilia, eaque non ſolum vbi ſunt illicita fugiuntur, verum etiam licita, quod pertinet ad huius virtutis heroicitatem, maximè in illis, qui cum in omnibus verè magni ſint, in iudicio, ingenio, doctrina, ſanctitate, officio, operibus admirabilibus, mundoque vtiliſſimis, ſuam tamen gloriam non quærunt, imo potius auerſantur, ſaltem affectu, vbi non poſſunt effectu, ne degenerent in nimiam ſui abiectionem humilitati per defectum oppoſitam; ſicut ſuperbia ei opponitur per exceſſum. Cuius innumera habentur exempla in actis Sanctorum.

4. Cum humilitas ita animum hominis componat, & formet, vt qui ea præditus eſt, non ſolum humanas laudes auerſetur, ſed optet etiam vehementer, ſe ab hominibus vilem haberi. *Verus humilis*, inquit D. Bernardus ſerm. 76. in Cant. *vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quod laudes contemnit*. Hac quoque ratione multipliciter exerceri poteſt, totque modis, quot ſunt, quibus quis vilis haberi poteſt. Duo tamen ſunt præcipui. Primus, pro iniquo haberi, cum tamen ſit iuſtus; Secundus, pro ſtulto, cum ſit ſapiens.

5. Igitur, ad exemplum Chriſti Domini, qui cum eſſet innocentiſſimus, ac iuſtiſſimus, nemoque eum de peccato arguere poſſet, cum iniquis tamen reputari, & inter latrones ſuſpendi voluit; tantò maiori cum heroicitate exerceri poteſt actus humilitatis, quanto quis magis innocens, ac iuſtus, ab omnibus tamen pro viliſſimo peccatore haberi deſiderat, ſeque talem exiſtimat. Vt enim ait D. Bernardus: *Rara auis in terris, aut ſanctitatem non amittere, aut humilitatem ſanctitate non excludi*. Sic D. Paulus 1. Timoth. 1. ait: ſe peccatorum eſſe primum, id eſt maximum; quod non ait reſpectu tantum Iudæorum illorum, qui à Pilato Chriſtum crucifigi poſtularunt, vt reſtringunt aliqui, ſed generaliter loquitur de omnibus peccatoribus, quos, vt ibi præmiſit, Chriſtus venit ſaluos facere. Idque verè, *Primò* quatenus perfectè à Spiritu Sancto illuſtratus, alijque verè humiles cum ipſo agnoſcunt grauitatem ſuorum peccatorum, & in eam ex vera humilitate omnes mentis oculos intendunt, aliorum verò peccata non ita conſiderant, & inſpiciunt, quin de quolibet præſumant meliora, vel quod plures habuerit cauſas ipſum excuſantes, & peccati grauitatem minuentes. *Secundò* quia ſicut qui graui capitis, aut alio ſimili dolore laborat, dicit nullum dolorem hoc eſſe maiorem, vel eſſe omnium maximum; quia nimirum illum ſentit per experientiam, aliorum verò dolores tantum conſiderat per ſpeculationem, atque ita ſuus ſibi dolor videtur, & reuera in ſuo ſenſu maximus eſt: ita Pauli peccata ipſi, & alijs verè humilibus, in ſuo ſenſu videri, dicique poſſunt eſſe maxima. *Tertiò*, quia, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 161. art. 3: ad 2. poteſt aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet; vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo ſe poteſt ei ſubijcere per humilitatem. *Quartò*, propter peccata occulta, ex eodem S. Doctore ibidem art. 6. ad 1. *Aliquis*, inquit, *abſque falſitate poteſt ſe credere, & pronuntiare omnibus viliorem ſecundum defectus occultos, quos in ſe recognoſcit, & dona Dei, quæ in alijs latent*. Vnde Auguſt. lib. de Virginit. cap. 52. *Exiſtimate aliquos in occulto ſuperiores, quibus eſtis in manifeſto meliores*. *Quintò* ex occaſione ipſorum donorum Dei; quia ſi cognoſcis quod plus ipſe, tibi dedit, eſt quia tu ex te peior es alijs, & ideò pluribus indigebas auxilijs, quam ille; quodque conſequenter

plus

plus habere videris, eſt ſignum, & argumentum, te peiorem eſſe illis. *Sextò*, Diuus Paulus, aliiqꝫ iuſti cum ipſo, etiam poſt cōdonatum iam peccatum, ſe peccatorum primos, & maximos vocare poſſunt, conſiderantes ſe quaſi in puris naturalibus conſtitutos ſecluſa gratia: ſic enim peccatores ſunt, & in peccato permanſuri eſſent, & nullo modo mutandi; imò longè adhuc grauius peccaturi. Humilis enim eſt, conſiderare, & deſpicere ſe ob ea, quæ habet à ſe: nam ea quæ habet à Deo non ſua ſunt, ſed Dei, Deoque eorum laus, & gloria debetur. Sic D. Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 7. *Domine*, inquit, *gratiæ tuæ deputo, quæcumque non feci malè*. Et in Prologo de Vita Chriſtiana: *Vt ego peccator primus, & vltimus, inſipientiorque cæteris, & imperitior vniuerſis, te vt ſanctitatis, & iuſtitiæ viam pergas, crebrioribus audeam litteris admonere, non meæ propriæ iuſtitiæ fiducia, non ſapientiæ peritia, non ſcientiæ gloria, ſed ſola, quam ſecundum Deum animo, ac mente concepi, charitatis tuæ cauſa compellit*. *Septimò* tandem, cum S. Franciſcus ad exemplum Pauli ſoleret dicere ſe peccatorum eſſe maximum; rogatus quomodo id verè dicere poſſet, reſpondit; quod ſi illis fuiſſet data gratia, quæ ipſi, longe meliores, ac feruentiores ipſo fuiſſent; aut ſi Deus ipſum dereliquiſſet ſicut illos, peiora commiſiſſet. Verè enim humilis Franciſcus ſecluſa ſe gratia conſiderans, videbat in ſe tantam infirmitatem, & procliuitatem ad malum, quantam in nullo alio videbat; atque adeò putabat ſe maximum fuiſſe, ac fore peccatorem, niſi Deus infirmitatem ſuam, ſua gratia in dies roboraſſet.

6. Cum nihil magis ambiant homines, quam ſapientes videri, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 1. *Græci ſapientiam quærunt*: adeò vt multi pro iniquis potius, & impijs, quàm pro ſtultis, aut inſipientibus haberi præeligant, certè ad heroicum humilitatis exercitium pertinet, tantum amare, cupere, & amplecti ſui contemptum, vt quis ſtultus haberi exoptet, quamque mundani ſectantur ſapientiæ famam, honorem, indeque nominis celebritatem deſpiciat. Cuius etiam præclarum nobis exemplum Chriſtus Dominus exhibuit, qui non ſolum iniquus, aut peccator, ſed & ſtultus voluit haberi, fierique opprobrium, & abiectio plebis; cumque Herodi cum multis ſermonibus interroganti nihil reſponderet, dicitur Lucę 23. quod illum ſpreuerit cum exercitu ſuo, & illuſerit indutum veſte alba, tanquam ſtultum. Ideoque ait Apoſtolus 1. Corinth. 1. *Placuiſſe Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes*, diſcentes nimirum exemplo Chriſti, & ex cruce eius mundo ſtulteſcere. Vnde B. Iacoponus vir nobilis, & litteratus, Ordinis Sancti Franciſci, rogatus quōdam à Chriſto ſibi apparente amice, & familiariter, cur hanc ſtultitiam ita adamaret; reſpondit pio, vt ſolebat lepore: *Quia ſtultior me fuiſti Domine*.

7. Ad præfatos humilitatis actus ex parte obiecti conſideratos, reducuntur plures alij ad eiuſdem exercitium pertinentes, quorum mentionem faciunt Sancti Patres. Huiuſmodi ſunt, modicam ſui æſtimationem concipere, tanquam nihili cuiuſdam, nihiloque dignum ſeipſum cenſere: item omni bono indignum, quocumque autem malo poſſibili ſe dignum iudicare. Qui omnes, & ſimiles actus, cum ſe teneant ex parte intellectus, vocenturque à D. Bernardo ſerm. 42. in Cant. *Humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem*; quam etiam dicit neceſſitatis eſſe, ad diſtinctionem Chriſti Domini, qui cum ſummus, perfectiſſimuſque eſſet, nullo dedecore, nulla humiliatione dignus fuit: proptereaque nulla neceſſitate veritatis, ſed ſola voluntate charitatis exinaniuit ſemetipſum, ac vſque ad mortem, & ignominiam crucis abiecit; ad eorum per-

fectionem

fectionem requiritur inſuper humilitas voluntatis, quam charitas format, & inflammat. *Tu*, inquit idem S. Pater, *ſi iam apud temetipſum humiliatus es neceſſaria illa humilitate, quam ſcrutans corda, & renes veritas ſenſibus ingerit animæ vigilantis, adhibe voluntatem, & fac de neceſſitate virtutem, quoniam nulla eſt virtus ſine conniuentia voluntatis. Sic autem fiet iſtud, ſi nolis aliter apparere foris, quam te inuenis intus, alioquin time ne de te ipſo legas; quoniam doloſè egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium*. Pſal. 35. *Pondus* inquit Prouerb. 20. *& pondus abominatio eſt apud Deum. Quid enim tu te depreciaris in ſecreto apud temetipſum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij mentiens maioris te ponderis vendis nobis, quam ab ipſa accepiſti? Time Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc eſt enim reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum*.

8. Comparatiuè ad alios exerceri poteſt humilitas, nulli ſe præponendo, ſed potius omnibus ſe poſtponendo, & ſubijciendo nedum ſuperioribus, & æqualibus, ſed quod pertinet ad heroicitatem huius virtutis, etiam inferioribus tam in dignitate, quam in donis, & gratijs. Quomodo autem humilis verè, & ſine mendacio, ac falſitate poſsit æſtimare alium ſe ſuperiorem, quem longè videt in donis, & gratijs ſe eſſe inferiorem. Reſpondetur id fieri ex D. Thoma 2.2. qu. 161. art. 3. quaſi debeat, aut poſſit iudicare ſuam virtutem, aut donum maius, quod à Deo accepit (V.g. Apoſtolatũ) eſſe minus eo, quod re vera minus alter accepit (v.g. dono linguarum, hoc enim cum ſit falſum in eo non debet ſe æſtimare inferiorem eſſe alio, & vt talem ſe illi ſubijcere: ſed in eo quod conſiderat ea, quæ habet à ſeipſo, in proximo verò conſiderat ea, quæ habet à Deo, hac enim ratione meritò illum ſibi præfert: quia dona, quæ proximus habet à Deo, maiora ſunt ijs, quæ quiſque habet à ſeipſo. De quo videri poteſt D. Gregorius homil. 10. in Ezechielem, vbi docet, electos ea conſiderare, in quibus ab alijs ſuperantur, vt ſe humilient; reprobos verò conſiderare ea, in quibus ipſi alios ſuperant, vt ſe per ſuperbiam eleuent, & pereant.

9. Cùm ex D. Thoma loco ſuperius citato art. 6. ex interiori diſpoſitione humilitatis, procedant exteriora quædam ſigna in verbis, & factis, & geſtibus, quibus id quod interius latet, manifeſtatur; ſicut & in cæteris virtutibus accidit; tot modis exterius exerceri poteſt, ſiue tot dantur eius actus externi, quot dantur ſigna, vel indicia eius externa. Qualia ſunt eligere ſibi viliora quæque, & quæ exigui pretij ſunt. Quæ in ſe honorifica ſunt, vt ingenium, genus, litteratura, quoad per charitatem licet, occultare. Quæ de ſe ad deſpectum dici poſſunt, vt ruditas, tarditas, inertia, & ſimilia, facile detegere. Laudare ſe nunquam, vel iactare, aut ſignificare admodum ſibi laudes placere. *Quid enim eſt eſſe humilem?* inquit D. Auguſtinus in pſal. 33. *nolle laudari*: Imo illas tegi velle, ex D. Gregorio lib. 22. Moral. cap. 5. *Si cor*, inquit, *veraciter humile eſt, bona, quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit, aut quia falſa dicuntur, metuit; aut certè ſi adeſſe ea ſibi veraciter ſcit, eo ipſo formidat, nè ab æterna Dei retributione ſint perdita, quo hæc conſiderat hominibus diuulgata: pauetque vehementer, ne ſpes futuri muneris, in mercedem permutetur tranſitorij fauoris*. Non ſolum laudes non ambire, aut metuere, verum etiam iniurias appetere, & reliquam ſeriem malorum deteſtabilium, bonumque nomen hominis dedecorantium. Patienter ſe corrigentem audire, & humiliter correctionem admittere, nec in ea excuſationem adducere. In alios culpam nunquam deriuare, ſed potius noſmetipſos in omnibus arguere, & alios excuſare. Quæ alij dicunt, aut

efficiunt magni facere: cumque occaſio fert eorum facta commendare. Non ſolum actuum noſtrorum, verum etiã cogitationum nihil noſtrum celare ſeniorem, ſeu ſuperiorem, aut patrem ſpiritualem; iudicioque eius vniuerſa committere, nihil autem noſtræ diſcretioni; ex Caſſiano lib. 4. Inſtit. renunt. cap. 39. Tandem, quod maximè heroicum eſt, non tantum benefacere ijs, qui oderunt nos, opprobrijſque efficiunt, & orare pro illis, ſed etiam occaſiones captare benè merendi de ipſis. Ad exemplum Chriſti Domini cum proditore ſuæ ſalutis, & famæ; qui vt, ait D. Auguſtinus, *ad maximum cumulum humilitatis accederet, etiam illi non dedignatus eſt pedes lauare, cuius manus iam præuidebat in ſcelere, immo, & oſculari, & ex animo eum reuocandi à facinore, amicum vocare, humaniſſimeque commonefacere.*

10. Item per ordinem ad potentias exerceri poteſt virtus humilitatis, ſiue ad earum per illam reformationem reduci poſſunt præfati, aut ſimiles eiuſdem actus. *Primo* intellectus, in quo eſt regula humilitatis, ſcilicet cognitio ſui; cognoſcendo noſtrum nihil, noſtramque indignitatem; nos inferiores omnibus iudicando; non quærendo alta ſapere, ſed ad ſobrietatem, &c. *Secundo*, memoriæ, obliuioni dando rectè facta præterita, iuxta illud Apoſtoli, *quæ retro ſunt obliuiſcens, &c.* recordando præteritorum peccatorum ad erubeſcentiam, nec non & defectuum naturalium, ac omnium denique, quæ nos ad illam inducere poſſunt: quantum autem ad alios obliuiſcendo illorum defectus; recordando verò bonorum, ac virtutum eorundem; vt ex memoria noſtrorum defectuum, ac virtutum in alijs exiſtentium, poſſimus facilius nos omnibus inferiores credere, ſubijcere, ac viliſſima quæque de nobis ſentire. *Tertio* voluntatis, deſiderando ſincere, efficaciterque volendo, eſſe in omnium æſtimatione vltimos; fugiendo honores; quærendo, nec non corditus amplectendo opprobria, ignominias, omneque quod eſt vilius, & abiectius. *Quarto* æſtimatiuæ, nihil nos æſtimando, loquendo de æſtimatione, prout diſtinguitur à cognitione merè ſpeculatiua, & addit ſuper illam ponderationem, ſeu magni, vel parui facere aliquid, practicè illud honorando, aut vilipendendo iuxta æſtimationem. Item omnes noſtras actiones bonas defectuoſas credendo, malas autem exaggerando; æſtimando etiam multa nos habere mala, quæ non cognoſcimus, & multis carere bonis, quę falsò putamus nobis ineſſe. Ex aduerſo autem, alios magnifaciendo, nec non bonas illorum actiones; malas verò, aut minus malas æſtimando, aut ſaltem quantum poteſt excuſando; tandem multa in ipſis bona exiſtere, quæ tegunt, & multis carere malis, quæ interdum præ ſe ferre videntur. *Quinto*, imaginatiuæ, ſpecialiter imaginando de nobis ipſis ſenſibilia omnia immunda, & ad nauſeam vſque prouocantia.

Præfatis actibus, aut ſimilibus, cum potentiæ internæ cognoſcitiuæ, & appetitiua rationalis, ſcilicet voluntas ad veram humilitatis viam reduci poſſint; non deſunt etiam, quibus ad eãdem reducantur potentiæ internæ appetitiuæ ſenſitiuæ, nimirum iraſcibilis, & concupiſcibilis. Iraſcibilis igitur, quia quinque ſunt actus, ſeu paſſiones, ſpes, audacia, deſperatio, timor, ira; quarum duæ primæ fouent ſuperbiam, inanibus bonis nos deludendo, ſolerter cohibendæ ſunt; de omnibus bonis acquirendis, ac malis fugiendis, quantũ in nobis eſt omninò deſperando, nulloque modo audaciter ea attentando; ſed totum in diuino auxilio humiliter collocando: deinde bona omnia temporalia, vt honores, diuitias, amicitias aliorum inutiles, cæteraque huiuſmodi nec ſperando, nec audaciter tentando; ſed conſtanter illis renuntiando, tanquam humilitati contrarijs. Cum autem è contrario deſperatio, & timor nonnunquam ſub prętextu humilitatis decl-

decipiant; deſperatio per eam debet regulari, vt non confidat quis de proprijs viribus in vlla re bona; atque adeo deſperatio non ſit de bono, vt in ſe arduum eſt, nec de auxilio diuino, ſed de ſolis proprijs viribus, coniuncta cum ſpe, & audacia ad bonum conſequendum, mediante diuina miſericordia, & gratia; hoc enim pacto deſperatio conducit ad humilitatem. Quod dicitur de bono arduo conſequendo, hoc idem aſſerendum de malo arduo fugiendo. Simili ferè modo timor dirigendus eſt, ſicut deſperatio; vt ſcilicet anima timeat ſemper mala imminentia, tentationes, paſſiones, aliaque id genus, hoc enim confert ad exercitium humilitatis. Sic tamen anima de ſe timere, ac diffidere debet, vt tamen non inquietetur, ſed iactet in Domino curam ſuam, tantum de illo ſperando, quantum de ſe timet. Denique ira ita per humilitatem eſt temperanda, vt in vno ſolum caſu verus humilis det illi locum, ſcilicet contra ſeipſum, ac propria peccata, quoad alios enim vix vnquam iraſci debet.

Quantum autem ad alias ſex paſſiones appetitus concupiſcibilis amorem ſcilicet, deſiderium, gaudium, odium, fugam, & triſtitiam; quarum tres primæ ſunt circa bonum, tres verò vltimæ circa malum; per illas quoque humilitas exerceri poteſt. Nam bonum vel habemus in nobis, aut habere prætendimus; vel eſt in alijs; ſi in nobis, ad veram humilitatem ſpectat, nec illud amare, aut deſiderare, nec de illo gaudere niſi in Domino; tum quia debemus iudicare nos omni bono indignos; tum quia ſi bona ſint ſpiritualia debemus illa conſiderare, non vt noſtra, ſed vt à Deo miſericorditer nobis elargita, atque adeo de quibus non in nobis, ſed in ipſo gloriandum eſt. Dona autem aliorum maximè ſpiritualia, amanda ſunt, & deſideranda in illis, vt ad Diuinam gloriam conducunt. Mala quoque ſi ſint culpæ, vt in nobis odio ſunt habenda, fugienda, deque illis triſtandum, ita non modica ſunt humilitatis occaſio, & materia; in alijs autem, quamuis non ſit illicitum actum auerſionis circa illa, præſcindendo à perſona, exercere, tutius tamen eſt, humilitatique conformius, illa tegere, vel excuſare, aut omnem actum ſuſpendere. At loquendo de malis pœnæ, verus humilis nec ea odiſse, aut fugere, nec de illis triſtari vnquam debet, ſed ea potius amplecti tanquam à ſe promerita, in alijs verò, quos meliores ſe, & innocentiores exiſtimare debet, illis compati.

Tandem quod attinet ad quinque ſenſus externos, aliaſque potentias externas, 1. *tactus* exerceri in humilitate poteſt, omnes corporis commoditates tanquam nobis indebitas fugiendo, incommoditates verò tanquam debitas ex corde deſiderando, & vbi occurrũt amplectendo, nec non alios ab illis liberando. *Guſtus*; viliora, & peiora in cibo, & potu, tanquam nobis debita quærendo, meliora autem, & pretioſiora alijs relinquendo, & concedendo; nec non etiam, ſi quando deſint ipſamet neceſſaria, gaudendo, vt pote qui etiam illis nos indignos iudicare debemus. *Olfactus*, fugiendo quoque omnes odores, maximè autem artificiales, cum præ noſtris peccatis fœtores mereamur æternos, ſimuſque noſmetipſi fœtor, & horror. *Viſus*, per quem maximè ſuperbia operatur, adeò vt Deus per Regium Prophetam Pſal. 100. dixerit; *Superbo oculo, & inſatiabili corde; cum hoc non edebam*, ad verum humilitatis exercitium dirigendus eſt, auertendo oculos ab omnibus illis obiectis, quę materia faſtus ſunt, ac vanitatis, ſibi ſoli attendendo; non præſumendo aſpicere in faciem alicuius, præſertim ſuperioris, niſi forſan ratio officij aliud exigat, tuncque ſit cum magna humilitate interna. Ipſeque modus alios aſpiciẽdi nec toruus, nec elatus, nec liber, ſed placidus, ac modeſtus eſſe debet. Verus etiam humilis

milis fere ſemper oculos habere debet in terram defixos, vix audens illos in cœlum eleuare, ſicut ille, qui deſcendit iuſtificatus in domum ſuam, præ vili ſui æſtimatione. Auditus tandem, cum per aures multipliciter ſuperbia prorumpat, multipliciter quoque per humilitatem exerceri, reformarique poteſt. Si nimirum fugiamus audire res altas, & ſuperbas præſertim ſeculares, quia facile afficiunt, & implent cor ſuperbia; item quæ ad propriam laudem, vel honorem ſpectant. Ex aduerſo autem, ſi quæ ad vituperium libenter audiamus, & ſic de alijs.

Per linguam quoque multipliciter exerceri poteſt humilitas. Non curando colloquia miſcere cum Magnatibus. Nunquam narrando, quæ ad propriam pertinent gloriam, ſed potius defectus proprios, ſine affectatione tamen aperiendo; quamque alij de nobis æſtimationem habent minuendo. Verba omnia exquiſita, quæ elegantiam inutilem, vel doctrinam oſtendant declinando. Virtutes aliorum ſine adulatione commendando. Item denique per potentiam ambulatiuam, ſeu loco motiuam. Vt cum incedimus, non vanè nos circumſpiciamus, neque collum cum faſtu erigamus, nimia enim eius, ac totius corporis extenſio, & rectitudo perfectæ humilitati minimè congruit, ſed aliqua potius inclinatio, curuitas, atque depreſſio. En quibus & ſimilibus modis totus homo, & quoad omnes ſuas potentias tam internas, quam externas veram, perfectamque humilitatem exercere poteſt.

11. Quod ſpectat ad huius virtutis gradus à Patribus variè deſignantur, qui tamen ad ſequẽtes facilè reducuntur. Nimirum ex parte materiæ, ad ſummiſſionem, qua quis maioribus, qua æqualibus, qua inferioribus, qua vniuerſis etiam ſceleſtiſſimis ſe ſubijcit: qui ſunt quatuor gradus, obſeruata ſerie, vſque ad quartum, qui omniũ ſupremus eſt, maximèque heroicus, aſcendentes. Cum autem præfati gra-

dus potius ad exercitium, quo paratur, quam ad virtutis ipſius humilitatis genus ſpectent, aliter veluti ex parte formæ diuiduntur: primus gradus eſt, credere alios eſſe meliores: ſecundus, velle vt alij quoque idem credant: tertius, velle, vt alij cum ipſo quaſi cũ iniquo, aut omnium minimo ignominiosè agant, malè verbis ipſum accipiendo, probris afficiendo, ac omni denique genere malorum deteſtabilium, bonumque nomen hominis dedecorantium. Vt enim ait S. Gregor. lib. 9. epiſt. 39. *Si fuerunt, qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent. quis rogo nunc Chriſtianus debet indignum ducere, pro Chriſto iniurias audire? Quanta autem virtutis præcurſor noſtri Redemptoris fuit, nouimus, qui per ſacrum eloquium non ſolum pluſquã Propheta, ſed Angelus vocatur. & tamen ſicut mortis eius hiſtoria teſtatur, poſt mortem à perſecutoribus corpus eius incenſum eſt, ſed quid iſta de ſanctis hominibus dicimus? De ipſo Sancto Sanctorũ id eſt de Deo, qui pro nobis homo factus eſt, loquamur, qui ante mortem iniuriã, quia dæmonium haberet audiuit. Poſt mortem vero à ſuis perſecutoribus ſeductor appellatus eſt. Quanta ergo nos peccatores à lingua, & à manibus iniquorum hominum portare neceſſe eſt, qui in aduentu æterni iudicis iudicandi ſumus, ſi & ipſe tanta tam ante, quam poſt mortẽ pertulit, qui & iudex venit?*

Quartus gradus, iſque præcedentibus magis perfectus eſt, cum prædicta de facto inferuntur, ea patienter, & æquo animo tolerare, nihilque curare de tuenda æſtimatione noſtra, cum culpa omnino aliena, ac nulla noſtra mordemur, carpimur, laceramur, ſiue clam, ſiue palam. Quintus denique gradus, omnium perfectiſſimus eſt, non ſolùm ferre patienter iniurias, & probra pro Chriſto, verum etiam lætanter, ſiue gaudere de illis, tum ad exemplum Chriſti Domini, qui vt ait Apoſtolus Hebr. 12. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contem-*

 pta.

pta. Tum Apoſtolorum, qui Actor. 5. Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine eius contumeliam pati. Et certè de S. Paulo Apoſtolo ſcribit S. Chriſoſtomus homil. 2. de laudibus eius, ad confuſionem, & iniurias; quas ob prædicandi ſtudium ſuſtinebat, magis quam ad bonorum oblectamēta properaſſe.

§. VI.

De actibus Paupertatis.

ETſi paupertas inter beatitudines potius, quam inter virtutes morales collocanda videatur; dicente Domino: *Beati pauperes ſpiritu*. Hic tamen eam, eiuſque actus virtuti cardinali temperantiæ annectimus; non incongruè enim ad ipſam pertinent virtutes omnes refrenantes, ſiue reprimentes impetus aliquarum affectionum; ſicut per paupertatem remouetur amor inordinatus diuitiarum. Imo paupertas, vt eſt vnum ex conſilijs Euangelicis, nec non materia vnius ex tribus votis religioſum ſtatum firmantibus, quod dicitur paupertas religioſa, nihil eſt aliud, quam voluntaria abdicatio dominij proprietatis, vſuſque independentis ab arbitrio Superioris. Siue vltronea rerum temporalium abdicatio, ob regnum cæleſte ſuſcepta: quæ bona externa, ſicut obedientia, & caſtitas interna, ſacrificat.

Quocirca hæc paupertas, de qua potiſſimum hìc agimus ex duobus capitibus componitur; ſcilicet ex abdicatione externa, & interna. Prior cōſiſtit in illa relictione, quæ omnibus Religioſis communis eſt: Poſterior verò in concupiſcentiæ, ſeu cupiditatis extirpatione, quæ non vniuerſis æquè communis eſt. Vtramque Chriſtus ſignificauit, dum ait, *Pauperes ſpiritu*, non enim *pauperes* dixiſſe ſatis erat, quod externa bonorum priuatio præſtat; ſed oportebat addere; *ſpiritu*, hoc eſt, voluntatis affectu, qui abdicationē creat internam, cauſaque eſt, vt paupertas verè virtus ſit, actuſque habeat non ſolum externos, verum etiam internos.

1. Igitur incipiendo ab externis, huiuſmodi actus ſubſtantialiter conſiſtit in abdicatione dominij, proprietatis, iuris, & vſus omnium rerum etiam minimarum, independentis ab arbitrio Superioris, Ita vt nullam ſibi rem omnino vindicare Religioſus poſſit, eave vti ſuo arbitratu; nec ab alio accipere, nec dare, vel commutare, nec diſtrahere, nec ad libitum retinere, niſi obtenta prius à Superiore licentia. Omnes enim hi actus, proprietatis, & dominij actus ſunt, qui pro rei grauitate, grauia quoque, aut venialia peccata ſunt, poſt emiſſum paupertatis votum. Ad hunc eumdem actum plures alij ſpectant, cuiuſmodi ſunt, poſtulare à Superiore licentiam pro quacumque re quantumuis minima, ſpontè, quod habemus, cum noſtrum non ſit, alteri cedere; rem qua vſi ſumus poſtmodum ſuo loco reponere; nunquam aliquid occultare, ne à ſuperioribus illo priuemur.

2. Paupertas vſum reſpiciens exerceri debet, ijs tantum rebus vtendo, quæ communes ſunt, & ad religionem pertinent, non autem aliundè ſiue à parentibus, ſiue ab amicis etiam cum licentia Superioris conquiſitis. Etſi enim hoc abſolutè voto paupertatis non aduerſetur, repugnat tamen vt plurimum eius perfectioni. Vel quia ſæpe nonniſi ab inuitis ferè Superioribus talem licentiam importunis precibus extorquemus; vel, vt proprijs vtimur, nimiove affectu illis adhærētes nolumus alios earum eſſe participes.

3. Ad actum paupertatis externum pertinet fuga ſingularitatis in vſu rerum etiam neceſſariarum; nihil retinendo, nullaque re niſi ad inſtar cæterorum vtendo, in victu, veſtitu, habitatione, & ſimilibus: quodque maioris perfectionis eſt, in his ſe in-

terdum priuando etiam neceſſarijs.

4. Electio rerum viliſſimarum in ipſum vſum; hoc eſt, ne quarum rerũ neceſſarius vſus eſt, eæ ſint pretioſæ, aut meliores, ſed maximè cum ſe ſe dabit occaſio, ea præferantur, quæ ſunt domi viliora, vt veſtes obſoletæ, & laceræ, cella incommodior, durior lectus, vetuſtiores libri, cibi infirmiores, & eiuſmodi alia, quæ pauperibus magis congruunt.

5. Cum quid neceſſarium deeſt, æquo animo ferre, nunquam murmurare, non conqueri, non mutire; ſed potius, quod ad huius virtutis heroicitatem ſpectat, inde lætari. Multi enim, qui paupertatem profitentur, grauiter ſeducuntur, dum ſola prima bonorum temporalium renuntiatione, & nonnullis actibus internis contenti, ſe opus abſoluiſſe putant; nec externè ſibi quidquam deeſſe patiuntur. Grauis, inquam, error eſt; qualc enim genus paupertatis eſt, cui nihil deeſt? Profectò iuxta Sanctorum doctrinam paupertatis comites ſunt, rerum neceſſariarum defectus, calor, frigus, ſitis, fames, nuditas, & multiplex incommoditas; quapropter, qui neceſſaria ſibi deeſſe egrè ferunt, pauperes veri non ſunt. Qua in re præſtat audire Sanctum Bernardum ſerm. 4. de aduentu: Videmus, inquit, pauperes aliquot, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeò puſillanimes inuenirentur, & triſtes, vtpotè reges, & reges cæli. Sed hi ſunt, qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. De quo etiam videri poteſt Caſſianus lib. 7. inſtitut. cap. 7. vbi particulatim tentationes huius generis explicat.

6. Quod attinet ad actus paupertatis internos, à quibus maximè pendent externi; *Non enim*, vt ait Caſſianus collat. 1. cap. 6. *perfectio ſtatim nuditate, aut priuatione omnium facultatum, ſeu dignitatum abiectione contingit, ſed cordis puritate, hoc eſt, corde intacto à cunctis perturbationibus*; vnde etiam gradus perfectionis huius virtutis attendi debet, vt, ſecundum abiectionẽ facultatum terrenarum, exuatur quoque omnis affectio animi ad eaſdem, excitetur autem ad ea omnia, quæ pauperem vitam reddunt amplectenda; Primus eius actus internus eſt amor actuum externorum eiuſdem. Secundus, vt huius vi amoris optemus, & quæramus occaſiones præfatos actus externos exercendi. Tertius, lætari, cum nobis aliquos paupertatis effectus experiri contingit, ac etiam de hoc gratiam Deo referre.

At cum fragilitatis noſtræ misereatur, propterea que indulgenter prouidere ſoleat, ne quid neceſſarium deſideretur: quo non eſt æquum, pauperes veros fieri remiſſiores; idcircò nedum materia paupertatis externè, ſeu quo ad effectum exercendæ ſubtrahitur, meritum quoque decreſcat, frequenter exercendi ſunt prædicti actus interni, amandi, deſiderandi, & quærendi omnia, etiam in neceſſarijs paupertatis incommoda, lætandique de illis affectiuè, interim dum effectiuè illa probemus. Tantumque ſit de virtutibus moralibus, earumque actibus animam proficientium in via illuminatiua exornantibus, & illam ad vlteriorem cum Deo vnionem per dona Spiritus Sancti diſponentibus.

CAPVT VIII.

De Donis Spiritus Sancti.

CVm principia actuum humanorum, quibus ad perfectionem tenditur, non quæcumque tamen, ſed moralia efficientia intrinſeca, ſint in duplici differentia, quædam enim procedunt communi, & ordinario modo, in regulando, & mouendo actus humanos, & hæc ſunt virtutes, tū Theologicæ, tum morales, acquiſitæ, & infuſæ, quædam autem ſecundum altiorem inſtinctum, & regulationem Spiritus Sancti, & hæc ſunt eius dona, poſtquam egimus de primis, ſupereſt, vt breuiter agamus de iſtis, quantum tamen ſufficit ad præſens inſtitutum, cum tandem totum Theologiæ myſticæ negotium, ſeu intima perfectorum cum Deo per illam vnio feliciter conſummetur per dona Spiritus Sancti, eiuſque actus, vt dicetur ſectione ſequenti. Quæ ad illa pertinent, hoc vnico capite, pluribus tamen paragraphis diſtincto, ſimul complectemur.

§. I.

De Donis Spiritus Sancti in communi.

QVod attinet igitur 1. ad horum donorum exiſtentiam, quod eſt primum cuiuſque rei fundamentum, conueniunt omnes Theologi illa dari, clareque patere ex diuinis ſcripturis, in quibus expreſſa illorum fit mentio, etiam ſub nominibus *Spirituum*, & *donorum*, Nomine quidem *Spirituum*, Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſily, & Fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Nomine verò *donorum*, Pſal. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti Dona in hominibus.* Vel vt Diuus Paulus explicat Epheſ. 4. tractans ad litteram de gratia data ſecundum menſuram donationis Chriſti, *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus.* Quamuis enim de omnibus ſupernaturalibus donis, ſiue ſint virtutes, ſiue alij habitus, ſiue auxilia gratiæ actualia, locus hic intelligi poſſit, nihilominus per excellentiam intelligendus eſt de Donis Spiritus Sancti, quæ plenius poſt Aſcenſionem ſuam Eccleſiæ ſuæ largitus eſt Chriſtus: Idque non obſcurè ſignificari videtur verbo *accepiſti dona in hominibus*, quo vtitur Pſalmiſta, quatenus in his ita donat, ſeu diſtribuit dona ſua hominibus, vt per ea ſubijciat illos ſibi, reddatque benè mobiles à Spiritu ſuo; & ita cum homines dicantur reliqua dona accipere à Deo, iſtis donis etiam homines ipſos Deus accipit, ſiue accipiuntur ab eo, indeque paſſiuè magis ſe habent ad diuina, quam actiuè, aut mouentes.

Propterea, quod attinet *Secundò* ad horum donorum eſſentiam, ac definitionem, communiter definiuntur, & in genere, habitus ſupernaturales, cum charitate infuſi animę, vt inſtinctum diuinum promptè ſequatur. Siue ſunt qualitates ſupernaturales, quibus homo bene diſponitur ad extraordinariā, ſiue excellentioris actus inſpirationem diuinam promptè recipiendam, & exequendam. Quod ſit autem extraordinarius iſte, vel altior modus operandi, nimirum iuxta menſuram Spiritus Sancti, & non ſolum iuxta modum, & mēſuram aſſequibilem per rationem humanam, ob quem dantur, & requiruntur iſta dona, patebit ex dicendis, maximeque ex explicatione vniuſcuiuſq; Doni in particulari.

Interim, quod *Tertiò* attinet ad quid nominis; his habitibus apprimè competit, & nomen *Spiritus*, & nomen *doni*. Si quidem *Primò* hæc duo nomina cōueniunt Spiritui Sancto, ſcilicet eſſe

Spiri-

Spiritum, quatenus amore ipſo ſpiratiuo, & ponderoſa quadam inclinatione, cum amor ſit quoddam pondus, à Patre, & Filio procedit; & eſſe *donum*, quatenus voluntas, & amor etiam eſt communicatiuus ſui, & ſic primum donum amoris, eſt ipſum cor amantis, quod amico intus apprehenſo, & intus habitanti coniungitur. Iſta igitur pignora, ſeu dona, quibus Deus, totaque Trinitas ſpecialiſſimo modo iungit cor ſuum cordi noſtro, faciendo nos vnitos ſibi, & mobiles à ſe, & ſi communia ſint illi, rectè tamen per appropriationem dicuntur ſpecialiter Spiritus, & dona tertiæ Perſonæ: *Spiritus*, quia ex amore ſpirante, & ponderante in nos procedunt, *dona* verò, quia per illa ſeipſum nobis donat, & in nobis eſt. *Secundò* iſti habitus, ſeu dona cæleſtia dicuntur *Spiritus*, quia vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 68. art. 1. ordinantur in nobis ex inſpiratione diuina, ſecundum quod inſpiratio denotat quamdam motionem ab exteriori; etſi enim homo in cæteris operibus bonis per auxilia gratiæ dicatur ab exteriori moueri, tamen ſpecialiter id fit, quando virtutes, & principia illi inhærentia non ſufficiunt ad operandum aliquid tam alto modo, ac præſtant iſta dona; tunc enim oportet eum adiuuari, & perfici à principio, & virtute exteriori non ſolum mouente, ſed etiam ſpiritum, & vim nouam, altioremque addente. Igitur cum Spiritus ad virtutem, & robur pertineat, iſta dona congruè vocantur *Spiritus*, quæ hominem diſponunt ad operandum non ſolùm ſecundum regulam humanam, aut principia rationi humanæ proportionata, verum etiam altiori, nobiliorique modo, vt ſupponimus, & explicabitur inferius. *Tertiò* tandem appellantur *Spiritus*, quia quaſi ipſo Dei habitu inſpiratur anima, quæ ipſis ornatur, amplectendo ipſum quaſi ſponſum oſculantem ſe, & oſculo oris ſui ſpiritum ei immittentem, vt perficiantur, & eleuentur vlterius virtutes ad ſuperiorem, ac diuiniorem operandi modum.

Quartò neceſſitas ponendi, vel admittendi huiuſmodi dona deſumitur, ex eo, quod, vt docet Diuus Thomas in cap. 11. Iſaiæ, dantur in adiutorium virtutum, quibus perficiuntur animæ potentiæ ad actus proportionatos ſecundum modum humanum, ſicut fides, quæ facit videre in ſpeculo, & ænigmate. Eſt autem duplex defectus virtutis. Vnus per accidens, qui eſt ex indiſpoſitione habentis, quatenus ſcilicet ex tali indiſpoſitione participat imperfectè talem habitum: & iſte defectus tollitur per augmentum ipſiuſmet virtutis. Alius defectus eſt per ſe, ex parte ipſius habitus, quatenus habet imperfectionem aliquam annexam; ſicut fides ex natura ſua eſt imperfecta, quia obſcura eſt, & ænigmatica. Et iſte defectus tollitur per altiorem habitum, qui vocatur donum, quia quaſi excedit modum humanæ operationis à Deo datum, ſicut donum intellectus, quod facit aliquo modo limpidè, & clarè intueri, quæ ſunt fidei, non quidem ex parte obiecti, ſic enim fides in hac vita illuminari, & clareſcere non poteſt, cum ſemper nitatur teſtimonio dicentis, nec poſſit extra teſtimonium ad viſionem Dei excurrere, vt pote extra ſpecificum obiectum ſuum; ſed quo ad eorum conuenientiam, & credibilitatem, diſcretionemque ab erroribus, & ſenſibilibus, vnde etiam maior exurgit flāma amoris, in illa ſic contemplante. Ad hunc ergo defectum in fide, & alios ſimiles in cæteris virtutibus tollendos, neceſſaria ſunt Spiritus Sancti dona. Operatio autem procedens à virtute illis perfecta, & eleuata, dicitur beatitudo, quę nihil eſt aliud, quam operatio, ſecundum virtutem perfectam, vt dicit Philoſophus, ſicut dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Talem autem operationem neceſſariò ſequitur delectatio, quia delectatio eſt operatio proprij habitus non impe-

impedita, vt dicit Philoſophus. Et ſecundum hoc dicitur fructus. Vnde dicit Ambroſius ſuper illud Galat. 5. Fructus autem Spiritus ſunt charitas, pax &c. quia dicuntur fructus, in quãtum mentes ſincera dilectione reficiunt.

Iſta autem dona cum poſſint conſiderari dupliciter, vel quantum ad habitum, nam vt dicemus infra ſunt veri habitus, vel quantum ad actus, ſi conſiderentur primò modo, certum eſt, illa eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſiue requiri ad ſalutem in hominibus iuſtis, quatenus ſcilicet coniunguntur cum gratia, & charitate, ſicut cæteræ virtutes, ſiue habitus ſupernaturales in iuſtificatione infuſi. Maior eſt difficultas de illis ſecundo modo ſpectatis; illæ enim extraordinariæ motiones, & inſpirationes, ad opera etiam extraordinaria, & excedentia actus virtutum, cuiuſmodi ſunt actus donorum, non videntur requiri ad ſalutem, ſed ſufficere ad illam, obſeruantiam diuinorũ præceptorum, quæ ſine aliquibus operibus extraordinarijs haberi poteſt. Probabilius eſt tamen, ex Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 68. art. 2. hoc quoque ſecundo modo dona Spiritus Sancti eſſe homini ad ſalutem neceſſaria, in his ſcilicet rebus, in quibus non ſufficit inſtinctus rationis, ſed eſt neceſſarius inſtinctus diuinus, ad conſequendum finem ſupernaturalem.

Quamobrem, vt ſatisfiat rationi dubitandi ſtatim allatæ, reſque planior, & clarior fiat, ſciendum eſt, extraordinarias motiones, & ad illas ſubſequentes actus, vel opera, dupliciter extraordinaria dici poſſe. Primò ratione materiæ, quæ ordinaria non eſt, neque communis, ſed extra illam. Secundò ratione ſubiecti, quia nimirum ſubiectum ipſum deficit in multis, nec poteſt ratio, & menſura eius ordinaria peruenire ad omnia, quę ſunt ad ſalutem neceſſaria, nec euitare, quæ eius conſecutionem impediunt, tot præſertim inter hoſtes viſibiles, & inuiſibiles, cum quibus nobis colluctandum eſt.

Et ſi igitur ad ſalutem neceſſariæ nõ ſint motiones extraordinariæ, indeque tales actus, primo modo, hoc eſt ratione materiæ, v. g. quod reuelentur, aut inſpirentur nobis res aliquæ extraordinariæ, fiantque à nobis opera extraordinaria, vt quod aliquis in ſpiritu fortitudinis non ſolum aggrediatur ſine timore hoſtes, ſed etiam inermis mille ex illis profliget in mandibula aſini, vt fecit Samſon, quando irruit ſuper eum Spiritus Domini Iudic. 15. proindeque fuit actus doni Spiritus Sancti, vt communiter ibi docent Sacri Interpretes. Etſi, inquam talia opera non ſint neceſſaria ad conſequendam ſalutem, licet ſi fiant, in illis magis reſplendeat virtus, ac perfectio donorum Spiritus Sancti; ſunt tamen neceſſarię ad illam ſpeciales, aut extraordinariæ, & illuſtrationes, & operationes intra idem obiectum, & materiam virtutum, attenta infirmitate ſubiecti. Quamuis enim impletio mandatorum, & operatio virtutum, ſufficiat ad ſalutem, ſi integra, & plena ſit huiuſmodi impletio, tamen vt fiat, neve tot inter pericula deficiamus, quia non ſufficit aliquando ſola ratio cum virtutibus, tunc requiritur ſpecialis motio Spiritus Sancti ſupplens infirmitatem, & ſuperans difficultatem in his, in quibus non poteſt ratio etiam cum virtutibus.

Ex quibus patet dona Spiritus Sancti, quantum ad habitum, & actum, ita eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria, reſpectu obiectorum, vel operum extraordinariorum, ſuperantium aliarum virtutum actiuitatem, vbi fieri debent; vt tamen in ordine ad ſalutẽ motiones eius extraordinariæ ex parte ſubiecti, hoc eſt attenta eius infirmitate, & indiſpoſitione, ſint conditionatè ſolum, ac veluti per accidens neceſſariæ, caſu nimirum, quo ratio, etiam cum virtutibus, ob dictam indiſpoſitionem, ſe extendere non poſſet, ad omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria,

ria, aut vitare omnia, quæ eius conſecutionem impediunt; non autem ſimpliciter, & abſolutè, quaſi nullus abſque huiuſmodi motionibus ſaluari poſſit; patet enim aliquos ſaltem id poſſe, v.g. adultos, qui recenter baptizati, ſtatim fere, ac perueniunt ad vſum rationis moriuntur, quibus tot, ac tanta non occurrunt impedimenta, ac difficultates, vt ad illa ſuperanda fulciri indigeat illorum infirmitas motionibus Spiritus Sancti extraordinarijs, atque adeò non videntur eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariæ, ad conſequendam ſalutem.

Quintò conueniunt omnes Theologi, dona iſta Spiritus Sancti, quæ ſpecialiter dona, & Spiritus in Sacra Scriptura appellantur, eſse ſupernaturalia, ac per ſe infuſa, nec vllis naturæ viribus acquiſibilia. Etenim ibidem pluribus in locis dicuntur dari nobis à Deo per gratiam, & ſpiritum ſuum, & de cœlo aduenire, & Dei dona eſſe; ſed non alio modo colligitur ex Scriptura, dari ſupernaturalia dona, & per ſe infuſa in nobis, quam ex ſimilibus verbis, aut loquendi modis, vt quia dicitur, fidem eſſe donum Dei, charitatem diffundi in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, & alia ſimilia: eodem igitur modo debemus inferre ex Scriptura, dona Spiritus Sancti eſse ſupernaturalia, ac per ſe infuſa.

Vtrum autem non ſolum ſit de fide, hæc ſeptem dona, ſeu Spiritus, qui in Chriſto fuerunt, ſupernaturalia fuiſſe, quia Iſaias expreſsè, & ad litteram de illo ſolo videtur loqui, verum inſuper ad illam pertineat, ea quoque dari in nobis, & ſupernaturalia eſſe; diuiſi ſunt Theologi, aliqui enim exiſtimant, eſſe quidem de fide, quod Chriſtus Dominus hæc habuerit ſeptem dona ſupernaturalia, vt dicitur Iſaiæ 11. de alijs autem, non eſse de fide, ſed tantum ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium, vt pote contra communem Patrum, ac Doctorum ſenſum; alij autem affirmant, de fide eſse (ita vt oppoſitum ſit hæreſis) quod in alijs etiam hominibus ſunt iſta ſeptem dona Spiritus Sancti, eaque ſupernaturalia, propter diuerſa Scripturæ loca, quæ loquuntur de iſtis donis, prout in nobis ſunt, tanquam de diuinitus datis, æque ac Chriſto, quantum ad hoc, Eccleſiaſtici 10. & 15. *Adimplebit illum Spiritu Sapientiæ, & intellectus.* Sapient. 7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* 1. Machab. 3. de dono Fortitudinis; *Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.* Pſal. 118. de dono Conſilij; *Et conſilium meum iuſtificationes tuæ*: Item de operibus conſilij, vt de virginitate ſeruanda, ait Diuus Paulus 1 Corinth. 6. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino.* Et Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt* (id eſt conſilium de virginitate) 1. Timoth. 4. de Spiritu, ſeu dono pietatis habetur; *Exerce teipſum ad pietatem* &c. Quando ergo dicitur Iſaiam locutum fuiſſe de ſolo Chriſto, indeque nonnulli Patres inſinuant in nullo alio, quam in Chriſto requieuiſse ſeptemplicem Spiritum Domini, non propterea excluduntur abſolutè ab eorum participatione cæteri homines, vt patet ex allatis, & alijs ſimilibus Scripturæ locis; ſed tantum locuti ſunt in quodam ſenſu comparatiuo, & faciendo vim in illo verbo, *requieſcet ſuper eum* &c. quatenus ſcilicet, ſuper alios non in illa plenitudine, & permanentia ſunt iſta dona, ſicut in Chriſto, in quo ſine vlla interruptione, ab inſtanti ſuæ conceptionis pleniſſimè fuerunt.

Sextò, quod attinet ad genus iſtorum donorum, an nimirum ſint habitus, & ſic differant à gratijs gratis datis, quæ per modum tranſeuntis dantur, cum res non ita apertè conſtet ex Scriptura, maiorem habent Theologi opinandi libertatem; aliqui enim exiſtimant, hæc dona tantùm eſſe actus quoſdam virtutum ſpeciales, non habitus.

bitus. Nihilominus oppoſita ſententia eſt magis communis inter Theologos.

Ratioque eſt, quia iſta dona dantur ad hoc, vt homo operetur ex quadam connaturalitate ad res diuinas, & ex quadam experiẽtia illarum, provt mouetur ex inſtinctu Spiritus Sancti; ſiue vt illis perficiatur ad promptè obediendum Spiritui Sancto, ita eum mouenti, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 68. art. 3. nec non 22. quæſt. 45. agendo de dono Sapientiæ; ſed hæc prompta obedientia Spiritui Sancto mouenti, connaturaliſque operatio ad res diuinas, ſupra id quod ratio, & virtutes aliæ poſſunt, non poteſt eſſe in homine, niſi diſponatur, & afficiatur ad illas modo permanenti, & habituali, quod enim per modum tranſeuntis tãtum datur, non connaturalizat ſubiectum ad id, ad quod diſponit. Admiſſo igitur, vt modo ſupponitur, quod proprium ſit donorum Spiritus Sancti, diſponere hominem ad operandum ex quadam connaturalitate ad res diuinas, & ad motionem Spiritus Sancti, neceſſariò ſequitur illa debere eſſe habitualia; ſicque diſponi hominem per illa ad obediendum impulſui, & inſtinctui Spiritus Sancti, ſicut per virtutes morales diſponitur vis appetitiua ad obediendum rationi. Vnde ſicut virtutes morales ſunt habitus, quia ſic diſponunt ad obediendum rationi, ita etiam & dona, quia diſponunt ad obediendum, & ſequendum, modo dicto, hoc eſt, ex quadam connaturalitate, inſtinctum Spiritus Sancti.

Quamobrem in hoc differunt dona à gratijs gratis datis, v. g. prophetia, operatione miraculorum, gratia ſanitatum &c. quod cum per iſtas nõ operamur ex quadam connaturalitate ad res diuinas, cuius manifeſtum eſt argumentum, quod etiam in peccatoribus, & infidelibus reperiri poſſunt; nec etiam ſupponant in ſe permanenter cognitionem principiorum, à quibus deriuatur, v.g. prophetia non ſupponit in prophetante in hac vita cognitionem principiorum, ex quibus deducitur cognitio prophetialis, ſcilicet claram diuinæ eſſentię viſionem, in qua continentur res prophetice cognitæ; propterea ad illam ſufficit dari lumen propheticum in nobis tranſeunter, & ad alias gratias gratis datas actualem motionem, aut virtutem, illis proportionatam; nõ autem per modum habitus; ſicut ſunt in nobis dona Spiritus Sancti, vt pote nos diſponentia ad connaturaliter ex eius motione, vel ſpeciali inſtinctu operandum; nec non ſupponentia in nobis permanenter cognita principia, quibus regulantur. Etſi enim perficiantur, & dirigantur huiuſmodi dona inſtinctu Spiritus Sancti, tamen nec ipſa, nec inſtinctus ille dantur ad formandam viſionem aliquam ſiue intellectualem, ſiue imaginariam de rebus fidei in ſe, ſicut datur ſpiritus propheticus reſpectu rerum prophetabilium, quia propheta non innititur fidei, nec regulatur per eam, nam & in infideli poteſt dari, vt in Balaãn, licet etiam cum fide non ſit incompoſſibilis; ſed dantur, vt ſuppoſita iam fide, quæ eſt habitus permanens regulatiuus charitatis, & donorum Spiritus Sancti, rebuſque diuinis, aut myſterijs fidei creditis, modo etiam permanenti habiliores reddamur, tum ad illa penetranda, tum ad iudicandum de illis ſiue ſecundum cauſas inferiores, ſiue ſecundum ſupremas, ſiue denique ad practicè conſiliãdum de agendis (inde enim, vt dicetur infra, formantur quatuor dona in mente, ſcilicet donum *intellectus* ad penetrandum, & bene capiendum res diuinas; dona autem *ſapientiæ ſcientię*, & *conſilij* ad iudicandum de illis iuxta tres dictos modos) per aliquod principium permanenter quoque, & habitualiter in nobis exiſtens, v. g. credibilitatis, & conuenientiæ myſteriorum fidei in via, vbi eſt fides, in ſtatu autem patriæ, vbi non eſt, & in Chriſto Domino, qui illa caruit, non ex credibilitate,

litate, in ordine ad credendum, ſed ex conuenientia eorumdem in ordine ad nos, vel ad alias cauſas creatas iudicando. Itaque monet inſtinctus diuinus ad cognoſcendum, vel dirigendū ea, quorum principia in ſe cognoſcit in via per fidem, & in patria per lumē gloriæ, non verò ſicut prophetia ad formandam viſionem ſiue intellectualem, ſiue imaginariam rerum prophetabiliū, quorum principium viſione non apprehendit, ſeu non habet in ſe principium clarè viſum, vnde deriuatur talis viſionis formatio, quia res iſtæ ſolum continentur, vt iam dixi, vt in principio, in diuinæ eſſentiæ viſione, ideoque oportet ab extrinſeco lumen ſibi communicari, quo manifeſtentur res illæ propheticales extra ſuum principium, per modum tranſeuntis, non autem habitualiter, vt dona. Quæ tamen non negamus aliquando etiam perfici, & creſcere ex aliqua illuſtratione data per modum raptus, vel prophetiæ; ſed hoc non eſt, quod per ſe poſtulat ex ſua natura præcisè, ſed ex abundanti lumine, ad ſalutem non neceſſario, nec etiam ad maiorem perfectionem, ad quam potiſſimum ordinantur dona, & motiones Spiritus Sancti in via vnitiua.

Septimò, dona Spiritus Sancti nedū ſunt habitus, quod pertinet ad eorum genus, & ſic differunt à gratijs gratis datis, quæ per modum tranſeuntis cōmunicantur, verum inſuper, quod pertinet ad eorumdem differentiam, ſunt habitus diſtincti à virtutibus Theologicis, & moralibus, ſiue infuſis, ſiue acquiſitis. Et primò de differentia, vel diſtinctione à moralibus acquiſitis, & ordinis naturalis conueniunt omnes Theologi, quamque certum eſt, hæc dona eſſe ſupernaturalia, & per ſe infuſa, tam certum eſt ea differre, ac diſtingui à virtutibus acquiſitis, & ordinis naturalis. Tota igitur difficultas eſt de diſtinctione eorum à virtutibus infuſis, intelligendo nomine earum non ſolum morales infuſas, quas dati probabilius eſt, vt ſupra oſtendimus, ſed etiam Theologicas, quas infuſas eſſe omnes Theologi admittunt. Scotus enim in 3. diſt. 34. quæſt. vnica §. *ad iſtam quæſtionem*, quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, alijque nonnulli, aſſerit dona Spiritus Sancti non diſtingui à virtutibus, ſed ſubſtantialiter eſſe ipſaſmet virtutes ſecundū aliquam peculiarem denominationem, vel officium ratione cuius dicuntur dona. Cumque idem Scotus non admittat virtutes morales infuſas diſtinctas, & ſuperadditas ipſis acquiſitis, & ex alia parte certum ſit, dona Spiritus Sācti eſſe infuſa, & ſupernaturalia, vt oſtendimus, difficilè eſt ipſi, & eius ſequacibus explicare, quænam virtutes Theologicæ ſint iſta dona. Communior tamen, omninoque verior eſt ſententia Diui Thomæ, quem ſequuntur omnes eius Diſcipuli, maiorique ex parte Theologi, docentes tam in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 1. quam 12. q. 68. art. 1. quod Dona Spiritus Sancti ſunt habitus diſtincti ab omnibus prorſus alijs habitibus, aut virtutibus per ſe infuſis.

Prima huius veritatis ratio ſic efformatur, Septem Spiritus Sancti dona, quorum quatuor priora pertinent ad intellectum, nimirum ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium, tria autem alia, nimirum fortitudo, pietas, & timor ad vim appetitiuam, diſtinguntur à virtutibus Theologicis, & alijs moralibus infuſis, ſi poſſunt ab inuicem ſeparari; ſi quidem nullum eſt maius ſignum realis diſtinctionis inter aliqua, ſeu quod vnum non ſit idem cum alio, quam realis eorum ſeparatio, quodque vbi vnum reperitur, non reperiatur aliud; ſed dona Spiritus Sancti poſſunt ſeparari, imo de facto ſeparantur à virtutibus Theologicis, alijſque moralibus infuſis, nec ſemper ſimul inueniuntur; diſtinguuntur ergo inter ſe, ſiue vnum, & idem in ratione habitus non ſunt dona, & virtutes infuſæ, tum Theologicæ, tum morales.

Minor huius diſcurſus, in quo eſt tota difficultas, probatur authoritate Scripturæ. Nam Iſaiæ 11. dicitur, pertinetque ad fidem, quod fuerint in Chriſto Domino ſeptem Spiritus Sancti dona, & tamen in illo non fuit fides, neque ſpes, quia habuit viſionem beatificam; ſeparata igitur in illo fuere, atque adeò diſtincta dona illa pertinentia ad intellectum, ſcilicet ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium, à fide, & ſpe, & conſequenter alia ad appetitiuam partem ſpectantia, vt fortitudo, pietas, & timor à virtutibus moralibus; primò quia eadem eſt ratio omnium donorum, quantum ad hoc, igitur ſi pertinentia ad intellectum diſtinguntur à fide, & ſpe, vt patet in Chriſto, nec non in Beatis, eadem, quæ in via, habentibus dona in patria, in quibus tamen non eſt fides, & ſpes; diſtinguntur quoque à cæteris virtutibus dona ad vim appetitiuam ſpectantia. Secundò, quia iſta dona appetitiua regulantur ab intellectiuis, quæ ſunt aliquid altius prudentia regulante virtutes morales, non poſsunt ergo nõ diſtingui ab iſtis; variata enim regulatione, variatur quoque moralitas, atque ſpecies virtutum, quæ in moralitate conſiſtit, vt mox dicemus in ſecunda ratione. Quod autem ait Scotus, donum Sapientiæ reducendum eſſe ad actum charitatis, & voluntatis, quatenus fidei in nobis, ſcientiæ autem infuſæ in Chriſto dat ſaporem, & guſtum, eſt enim ſapientia, quaſi ſapida ſciẽtia, videtur omnino alienum à Scriptura, vbique docente, ſapientiam eſse intrinſecè, & ſubſtantialitèr actum intellectus, cum ſapere ſit intelligere, & ſapientes appellamus, qui rectè ſunt intelligentes, & iudicantes, qui conſequenter non poteſt identificari cum actu charitatis; velleque ad illum reducere ſapientiam ex ſola illa denominatione ſaporis, ſeu guſtus, eſt euertere totam quidditatem, & naturam iſtius virtutis, cuius actus manifeſtè pertinet ad intelligentiam, & cognitionem, & de quo tanquam tali loquitur Scriptura Pſalm. 106. *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini*. Sapientiæ. 7. *Et propoſui pro luce habere illam*, ſcilicet ſapientiam, *quoniam inextinguibile eſt lumen illius*. Et ibidem dicitur, ſpiritum ſapientiæ pertinere ad ſenſum, id eſt ad cognitionem, *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Quamobrem D. Auguſt. ſerm. 3. de Tempore ait, quod Sapientia ad rationem pertinet, & ratio ſola ipſam ſapientiam ſuſcipit. Quod fiat cum guſtu, & ſapore, non ſolum prouenit ex delectatione, quam ipſa contemplatio veritatis tam propria hominis cauſat, præſertim quando fit per altiſsimas cauſas, quod etiam inuenitur in ſapientia, quæ non eſt donum, ſed proprijs viribus comparata, hæc enim etiam eſt aliqualiter ſapida ſcientia, vt alias iam notauimus ſect. 1. ſed quia ſapientia, quæ eſt donum, licet formaliter ſit in intellectu, ſupponit tamen charitatem, rurſuſque acuit illam, vt homo habeat affectum ad diuina, & experimentaliter ſentiat in ſe vnionem aliquam affectiuam ad Deũ, vnde per quamdam diuinorum experientiam, & affectum iudicare poſſit de illis, vt dicetur infra.

Altera ratio pro hac veritate ſic efformatur. Vbi eſt diuerſa ratio formalis, ſeu diuerſa regulatio, & menſura, ibi debet eſſe diſtinctio habituum, aut virtutum, ſiquidem idem obiectum materiale diuerſo, altiorique modo, & menſura regulatum, eſt diuerſum formaliter in linea morali à ſeipſo, vel alio regulato, & menſurato alia diuerſa regulatione, & moralitate interiori; ſed ſic ſe habent dona, vt diuerſa, altiorique menſura, quam cæteræ virtutes infuſæ regulentur; ſunt igitur habitus inter ſe diſtincti. Minor, in qua eſt difficultas probatur primò ex Scriptura, & Patribus loquentibus de iſtis donis per modum ſpirituum, quatenus ſunt in nobis per aliquam ſpecialem,

altioremque inſpirationem diuinam, & motionem Spiritus Sancti; alia enim ratio excogitari non poteſt, cur potius iſta dona vocentur Spiritus, quam aliæ virtutes, ſi enim non ſunt in nobis ex aliqua ſpeciali, nobiliorique Spiritus Sancti inſtinctu, fruſtra illis imponitur nomen Spiritus per excellentiam, quo non vocantur aliæ virtutes. Secundò probatur eadem minor, ſupponendo, dari in nobis triplex mouens ad actus bonos; Primùm eſt mens humana prędita lumine naturali, & prudentia: Secundum eſt eadem mens humana eleuata, ſeu prędita lumine gratiæ, & fidei, ſed tamen ad modum, & captum proprium ſe accommodantis, & limitantis ſecundum ſtudium, & induſtriã noſtram. Tertium denique eſt mens humana, vt pulſata inſtinctu ſpeciali Spiritus Sancti non ſolum effectiuè mouentis, & excitantis, verum etiam regulantis ſupra captum, & modum humanum proprij ſtudij, & induſtriæ: ſed iſta tria mouentia non ſolùm effectiuè, ſed ex diuerſa influentia diuina in genere cauſæ efficientis diſtinguuntur inter ſe, verum etiam regulatiuè, & formaliter; igitur & virtutes illis correſpondentes, nimirum acquiſitæ primo mouenti, infuſæ ſecundo, & dona tertio, debent inter ſe diſtingui formaliter.

Et ſicut omnes admittunt hanc diſtinctionem inter virtutes acquiſitas, & Theologicas infuſas, adeò vt virtus acquiſita, & naturalis, quantumuis perfecta, v.g. fides humana, qua crederent aliqui myſteria fidei, nunquam peruenire poſſit ad perfectionem fidei diuinæ, ſed ſemper inter ſe diſtinguantur, ob diuerſitatem motiuorum, ac regularum in credendo; ita quoque debet admitti eadem diſtinctio inter dona Spiritus Sancti, & virtutes infuſas, ſiue Theologicas, ſiue morales; adeò vt quantumuis iſtæ augeantur, perfectoſque, & excellentes producant actus, nunquam tamen poſſint ad propriam donorum perfectionẽ peruenire, identificarique cum illis, quia ſemper habent diuerſum operandi modum, diuerſamque regulationem, & menſurã. Virtutes enim infuſæ, ſiue Theologales, ſiue morales, ſunt ſemper habitus infuſi, quibus rectè viuitur ſecundum menſuram rationis, gratia ſe accommodante, ac veluti limitante ad proprium captum noſtrum, vel induſtriã; Dona autem ſunt ſęper habitus, quibus rectè viuitur ſecundum menſuram diuinam, gratia ſic eleuante hominem, altioremque proinde tali menſura, aut regula inducente habitum, quem vocamus donum Spiritus Sancti, quia vltra omne debitum, & modum humanæ rationis nobis conceditur. Dici tamen poteſt virtus, generica ratione virtutis, vt docet Diuus Thomas 1. 2. qu. 68. art. 1. quia etiam habitus bonus eſt, ſed contraponitur virtuti communiter dictæ, quia menſuram eius excedit, & propter hoc, donum eſt, quia ſpecialiter indebitum. Vndè patet, quod ad hoc vt virtutes moueantur altius, & perfectius intra eamdem lineam, & ordinem operandi, nimirum ſecundum quod aſſequi poteſt diſcurſus, & ratio humana in materijs ſupernaturalibus, non requiritur noua, perfectiorque virtus diſtincta, ſed eadem ſufficit intenſiori modo operans. Cæterum vt altius quis moueatur, extra lineam modi operandi humani, ſeu ad operandum in his, in quibus ratio humana, & modus eius deficiunt, requiritur virtus altior, nempè donum Spiritus Sancti, non ſolum vt mouens; ſed vt regulans, ac menſurans obiectum; ita vt, ſicut iam diximus, bonum, ſeu verum, vt regulatum, & menſuratum non ratione humana, ſed illuſtratione, & mẽſuratione diuina, quatenus ex ſpiritu quodam, & ardore, ſeu affectu interno ad res diuinas, & finem vltimum naſcitur intimior penetratio diuinorum, & totalis iactatio noſtri in Deum, ſit formale obiectum, ſeu ſpecificatiuum donorum Spiritus Sancti, ita vocatorum, non ſolum quia dantur, vt quid

gratuitum, ad eleuandam potentiam ad ordinem ſupernaturalem, vt cætera gratiæ dona, verum etiam quia in his, in quibus deficit potentia, & ratio humana, etiam eleuata (quia iuxta capacitatem, & modum humanum amplius non poteſt) id ſupplent altiori ſua virtute.

Et hoc eſt, quod docet Diuus Thomas in 3. diſt. 34. q. 1. art. 1. vbi diſtinguens operationem humanam, quod dicitur humana, vel ex materia, ſeu obiecto, vel ex modo operandi, quia nimirum iuxta modum, captumque humanum quis exequitur opera virtutis, ait hoc ſecundo modo dona eſſe ſupra virtutes; vnde ſicut modus connaturalis humanæ naturæ eſt, non percipere diuina niſi per ſpeculum creaturarum, & ænigmata ſimilitudinum, ſic illa percipit fides, quæ eſt virtus Theologica. At verò donum intellectus de illis ita mentem illuſtrat, vt homo etiã in hac vita quamdam futuræ manifeſtationis prælibationem habeat. Et ſic etiam Diuus Thomas ibid. ad 2. dona ab omnibus virtutibus, etiam infuſis, diſtinguit; quia licet iſtæ quoque quoad ſubſtantiam, ſiue ex diuino munere, tamen quoad modum operandi procedunt ſemper ſecundum modum humanum, & in hoc exceduntur à donis, vt dicetur infra agendo de eorum dignitate, quæ in modo operandi, & in regulatione procedunt vltra modum, & menſuram humanam; Vltra quam proindè ſi procedatur in materijs aliarum virtutum, hoc non prouenit ab eis ſed à donis eis correſpondentibus, ſicut virtuti fidei correſpondent intellectus, & ſcientia, ſpei donum timoris, & charitati donum ſapientiæ, non vt illis abſolutè ſuperioribus, ſed potius deſeruientibus; prudentiæ donum conſilij; iuſtitiæ pietas, & fortitudini donũ fortitudinis, vt diximus ſupra. Vnde quod in huius vltimæ materia fecit Sampſon occidendo mille viros, & Sãcta Apollonia ſe in ignem proijciendo, non fuit opus præcisè virtutis, ſed doni fortitudinis; cum enim ſecundum regulationem ex humano diſcurſu, & ſtudio hauſtam, ſimplicis virtutis propriam, iudicari debuiſſet temerarium aggredi mille viros in maxilla aſini, atque adeo illicitum, ſicut etiam quod concuſſis domus columnis ſe occideret cum alijs, & quod S. Apollonia ſe in ignem proijceret, & ſic de alijs exemplis, tam in hac materia, quam cæterarum virtutum; ſecundum aliam ſuperiorem, altioremque menſuram prouenientem ex dono Spiritus Sancti, eiuſque inſtinctu, hæc omnia reddita fuerunt licita, heroicaque in materia fortitudinis opera. Quod ſi inſtetur, in iſtis quoque operibus extraordinarijs moueri hominem per rationem, atque adeò nullam in illis eſſe doni à virtute diſtincti neceſſitatem, ſed vberioris tantum auxilij; reſpondetur eſſe æquiuocationem in illa particula *moueri per rationem*. Cum enim ratio dupliciter rectificari poſſit, aut modo limitato ad diſcurſum, ſtudiumque humanum, etiá in materijs ſupernaturalibus, aut modo ad huiuſmodi diſcurſum, vel induſtriam humanam ſuperiori; dicimus in operibus extraordinarijs hominem moueri per rationem hoc modo rectificatam, nec ſufficere illam regulationem, vel rectificationem, quæ deduci poteſt ex proprio diſcurſu, & ſtudio. Vnde etiam, quantumuis intra iſtam rectificationem creſcant auxilia, cum ſemper maneant intra eamdem operandi moralitatem, aut regulationem, fundatam ſcilicet in mero diſcurſu humano, non poſſunt ſe extendere ad alia opera ſuperioris moralitatis, & regulationis propria, ſiue quæ fundatur in inſtinctu diuino, qualis eſt moralitas dona Spiritus Sancti ſpecificans, & diſtinguens illa ab omnibus alijs habitibus. Cuius rei veritas clarius adhuc patebit infra, agendo de propria vniuſcuiuſque doni natura.

Octauo igitur, quod attinet ad horum donorum dignitatem, præ alijs habitibus infuſis; ſi conſiderentur reſpectu

virtu-

virtutum moralium,quæ verſantur circa media, & mouent, ac tendunt ad finem, dona Spiritus Sancti ſuperioritatem habent, abſolutéque digniora ſunt illis, etiam quantum ad rationem formalem, quia altiori modo nos mouent, & in his, in quibus virtutes ipſæ deficiunt,noſque regulare non poſſunt. At reſpectu virtutum Theologicarum, quæ immediatè nos coniungunt Deo, etſi aliqualiter digniora ſint, quia ſuperiori ad illas modo nos mouent, abſolutè tamen, ac ſimpliciter talia non ſunt,vt docet S.Thomas 1.2.q.68.ar.8. eo quod motio illa Spiritus Sancti, ſeu extraordinarius operandi modus, cui nos ſubijciunt dona, ad hoc ipſum ordinatur, vt coniuncti ſimus Deo vltimo fini. Vndè licet Virtutes Theologicæ, ſimul cum his donis, ſint quid perfectiſſimum, & in quorum exercitio maximè fundatur vltima Theologiæ myſticæ perfectio, vt dicetur in fine huius capitis; attamen non correſpondent virtutibus Theologicis, vt quid abſolutè ſuperius illis, ſed tantum illas adiuuans ex parte materialis obiecti, vel conditionum ad illud requiſitarũ. Sicut *donum Intellectus* datur ad penetrandum myſteria fidei, & res diuinas, non quidem immediatè, aut poſitiua euidentia in ſe, ſed quantum ad credibilitatem, vel conuenientiam, aut ſenſum in quo proponuntur, & diſcernẽdo eas ab erroribus, vt debite credantur, & cognoſcantur. *Donum Scientiæ* ad cognoſcendum cauſas talis credibilitatis, & conuenientiæ, remouendumque errores, aut aliquid ſimile, per quod diſponitur, & præparatur intellectus, non vt euidentius, ſed quantumuis obiectum ſit ineuidentius, firmius adhuc, & inhærentius illud credat. *Donum Timoris* verſatur circa paruitatem propriam,ſubijciendo eam diuinæ eſſentiæ, & reſiliendo ab iſta ad illam, ne quis præſumat de ſe, ſed ſic præparetur ad totaliter confidendum in Deo, vbi propria deficit induſtria. *Sapientia* ex guſtu diuinorum diſcernit, & dijudicat ea, quo feruentius charitatem iam habitam exerceat, & Deum amet.

Sic igitur iſta dona virtutibus Theologicis correſpondentia, deſeruiunt quidem ad perfectius, & excellentius illarum exercitium, ſed præparatiuè tantum, & ex parte obiectorum materialium, non autem excedendo in perfectione ipſam rationem formalẽ ſubſtantialem illarum. Et ita nulla opera fidei,ſpei, & charitatis ſunt ita perfecta, quæ fieri ab illis non poſſint quoad rationem formalem credendi, ſperandi, & amandi; poſſunt tamen, vt perfectius fiant ex parte rationis materialis adiuuari à ſpecialibus donis,quia ſola ratio cum virtutibus illis non ſufficit ita diſponere, & præparare ſe circa illa. Vnde etiam, vt iam ſatis fusè oſtendimus, debent ab illis virtutibus diſtingui, quia licet verſentur circa obiectum eorum materiale, aut circa aliquam eius conditionem, non tamen ſub eadem formalitate, aut lumine.

Nonò, Dona Spiritus Sancti, eorumque motio præcisè libertatem non tollunt, quaſi inanimes, aut arreptitij ſimus in eorum vſu. Ratio eſt, quia licet verum ſit, quod dona Spiritus Sancti non ponantur in nobis, tanquam habitus propter inſtinctum, & motionem Spiritus Sancti, à qua dirigimur, ſemper habendam, atque adeo non ſit in manu, vel poteſtate noſtra illam habere, quando, & vbi volumus, ſicut alijs vtimur habitibus, ſed à ſolo Deo ſpecialiter, & non vt authore vniuerſali mouente id pendeat, ſeu ſpirante quando, & vbi vult; tamen huiuſmodi dona ponuntur ad obediendum illi motioni, vbi ſit à Deo, ſiue vt ſimus habitualiter inclinati, & prompti ad exequendam illam, ſi materia, & occaſio ſe offerat; Vnde licet, quo ad exercitium dependeant à motione illa, & inſtinctu actuali, qui in manu noſtra non eſt, in illa tamen eſt, habere cor ſemper paratum ad obediendum, & vt facile

cile mobiles ſimus à Spiritu Sancto, quod ſufficit, vt in donorum eius vſu ſimus, & dicamur abſolutè liberi, niſi aliunde à Deo impediretur, iuxta illud Regij Pſalmiſtæ pſal.107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſallam in gloria mea, exurge gloria mea*; quaſi diceretur, excitationem, & exurrectionem gloriæ in manu noſtra non eſſe ad cantandum, ſeu concordandũ Deo, in motionibus eius, bene tamen cor eſſe paratum, ad concordandum, ſeu ſubijciendum ſe illi liberè; hic enim optimus eſt cõcentus, quo dicit idem Propheta: *In te cantatio mea ſemper*.

Quare etiam, dum per dona Spiritus Sancti, diuina potius patientes dicimur, quam vt nos mouentes, ſumus patientes voluntarij, diuinæque obedientes motioni; ſeu tale pati, & obedire, non eſt purè pati, aut præciſè moueri, vt aliquid inanime, aut ſine libertate, ſed operari actiuè ex paſſione diuinorum, & *ſpiritu deducente in terram rectam*, Pſal.142. Similiter quando Diuus Thomas comparat motionem per dona Spiritus Sancti motioni inſtrumenti, non tenet exemplum in omnibus, ſeu in hoc, quo res purè inanimes, & purè miniſterialiter ſeruientes ſolent dici, & ſunt inſtrumenta, in quibus non ponitur principium eliciens principaliter operationem; ſed in hoc, quod indigemus actuali Dei inſtinctu, & motione, vt operemur opera excedentia propriam facultatem. Qua ratione idem Sanctus Doctor aſſerit alias operationes ſupernaturales eſſe inſtrumentaliter à nobis, imo & omnes creaturas in operando ſe habere, vt inſtrumenta Dei, quia ex actuali eius motione pendent; cum qua tamen multæ ſunt cauſæ adhuc principales, & liberæ in operando.

Decimò, Septem ſunt dona Spiritus Sancti, nec plura, nec pauciora, ſcilicet Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, Conſilij, Fortitudinis, Pietatis, & Timoris. Qui ſeptenarius numerus ita firmatus eſt in ſenſu Eccleſiæ, Patrum, & Theologorum Scholaſticorum, vt nulla probabilitas relinqui poſſit in ſententia oppoſita. Debetque intelligi de ſeptenario numero in ſpecie athoma, non autem ſubalterna; nam ſi ſub quolibet dono eſſent aliæ ſpecies infimæ, ſimpliciter plura dona eſſent, quàm ſeptẽ, ſiue eſſent ſeptem genera donorum, non ſeptem dona abſolutè, vt loquuntur Scriptura, & Patres, nulla prorſus mentione facta aliorum ab illis. Et ratio eſt, quia motiua, & rationes formales iſtorum donorum ſunt vnius ſpeciei athomæ in quolibet dono, vt explicabitur infra agendo de vnoquoque, atque adeo dona ipſa, quæ talibus motiuis ſpecificantur. Negari tamen non poteſt has ſpecies athomas, vt potè eminentioris, & altioris rationis, quàm virtutes, æquiualere pluribus illarum, propptereaque æquiualenter, ſeu eminenter plures eſſe ſpecies donorum, ſicut vna ſpecies infima Solis, aut ſtellæ eminenter æquiualet pluribus corruptibilibus; & vna ſpecies athoma Angeli pluribus corporalibus.

Præfatum autem numerum ſic deducit Diuus Thomas in cap.11. Iſaiæ, vbi fit expreſſa illius mentio. Circa ſecundum, inquit, ſciendum, quod numerus horum poteſt accipi tripliciter: quia dona perficiuntur, aut per receſſum à malo, & ſic eſt *Timor*; aut per acceſſum ad bonum, & ſic vel ſecundum vitam contemplatiuam, vel ſecundum actiuam: ſi ſecundum contemplatiuam, aut ſecundum contemplationem finis, & ſic eſt *Sapientia*, quæ eſt de cauſis altiſſimis; aut de his, quæ ſunt ad finem, & ſic eſt *Intellectus*, ſicut de ſubſtantijs creatis ſpiritualibus, & de his, quæ ad eas pertinent. Si ſecundum actiuam, aut quantum ad ea, ad quæ tenentur omnes, & ſic exequẽs eſt *Pietas*, quæ eſt beneuolentia in eos, qui fide, vel imagine Dei ſunt nuncij, dirigens *Scientia*; aut de his, ad quæ non tenentur omnes, & exequens eſt *Fortitudo*, vt exponat ſe difficilibus, dirigens

rigens verò *conſilium*. Vbi etiam agens de ordine ipſorum ait, quod ordinantur primò ſecundum quod perfectiones ſunt, & hic ordo conſideratur ſecundum exitum donorum à dante, & non ſecundum quod recipiuntur. Et quod *Sapientia* dirigit intellectum, quia Sapientis eſt ordinare, & per prima aliquis regulatur, ſicut Metaphyſicus alias ſcientias: *Conſilium fortitudinem, ſcientia pietatem, timor* omnibus, quia idem dirigit in acceſſum ad bonum, & in receſſu à malo. Hactenus Diuus Thomas loco citato.

Sed inſuper 1. 2. quæſt. 68. art. 4. eiuſdem Septenarij numeri donorum Spiritus Sancti ſufficientiam oſtendit, eo quod per illa ſufficienter perficiuntur omnes potentiæ rationales, quæ natæ ſunt obedire, & moueri à diuino inſtinctu, & quidquid per virtutes intellectuales, & morales cardinales fit, totum hoc correſpondet in donis, quæ etiam deſeruiunt virtutibus Theologicis. Sicut igitur quatuor ſunt virtutes cardinales, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia, ita correſpondent eis quatuor dona, prudentiæ donum conſilij, iuſtitiæ donum pietatis, fortitudini donum fortitudinis, & temperantiæ donum timoris, pro ea parte, qua timor reprimit delectationes. Virtutes autem intellectuales ſunt habitus principiorum, qui vocatur intellectus, ſapientia, & ſcientia, quibus correſpondent donum intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ. Pro parte verò practica perficienda ſunt duæ virtutes, alia pro agibilibus, ſcilicet prudentia, & ad hāc pertinet donum conſilij: alia pro factibilibus, ſcilicet ars, & huic non correſpondet donum Spiritus Sancti propriè ſumptum; cum iſta dona perficiant hominem, vt benè moueatur à Spiritu Sancto in his, quæ pertinent ad bene viuendum, & componendum animum in ordine ad conſecutionem vitæ æternæ; quod non pertinet ad artem, cui proindè non correſpondet donum Spiritus Sancti propriè dictum, prout in præſenti de illis loquimur, dico propriè, quia loquendo de illo largo modo, nimirum pro quocumque inſtinctu Spiritus Sancti, nullum eſt inconueniens plura ex illo artefacta fieri, quæ dicerentur ſupernaturalia, non quidem in ſe, ſed ex parte principij. Talia crederem, vocari poſſe arcam Noeticam Geneſ. 6. ex mandato Dei, & ad eius præſcriptum fabricatam: Itē quæ ad eius tabernaculum formandū, arcam fœderis, menſam panum propoſitionis, & ſepticeps candelabrum, aliaque ſimilia pertinebant, de quibus ait Dominus ad Moyſen: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Exod. 25. & ibidem 36. dicitur: *Fecit ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam, & intellectū, vt ſcirent fabrè operari, quę in vſus Sanctuarij neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus.*

Quantum ad virtutes Theologicas, etſi ſupponantur ad dona, tanquam radix, & fundamentum, quia per illa vnimur Deo, preſupponi autem debet vnio hominis ad Deum, vt ab eius ſpiritu poſſit rectè moueri, ideoque dona, vt diximus, non correſpondent illis, vt ſuperiora abſolutè, ſeu quo ad ſubſtantiam, deſeruiunt tamen illis, ſpecialiterque fidei donum intellectus, & ſcientię, vt rectè apprehendi, iudicarique poſſint credibilia, quatenus credenda ſunt: ſpei timor, quatenus nimiam coercet præſumptionem; & charitati ſapientia, quatenus ex ſapore, & guſtu amoris ipſum experitur in ſe, & cognitione affectiua tenet.

Sic ergo præfatis locis Diuus Thomas colligit ſufficientem, & adęquatū ſeptem donorum Spiritus Sancti numerum; ſolum aduertendum eſt Diuū Thomam, ita 1. 2. qu. 68. art. 4. dona ad intellectum pertinentia diſtinxiſſe per correſpondentiam ad partes intellectuales, dicendo donum intellectus, & ſapientiæ perficere partem ſpeculatiuam; conſilium autem, & ſcientiam

partem practicam; vt tamen id, veluti in aliena ſententia dictum retractarit 2.2. q.8. art.6. & in propria diſtinxerit dicta dona, non ex correſpondentia ad virtutes intellectuales, aut limitatione perficiendi partem ſpeculatiuam, ſeorſim à practica, ſed ad cognitionem ſupernaturalem, vtramque partem complectentem, quæ in nobis habetur per fidem diuinam. Fides enim *primò* eſt circa ipſam primam veritatem. *Secundò* circa quædam pertinentia ad creaturas. *Tertiò*, circa directionem humanorum actuum, ad quam ſe extendit, quia fides per dilectionem operatur, & quamdiu ita non operatur, veluti in iniuſtitia detinetur. Et ſic, vt rectè ſe habeat homo circa ea, quæ proponuntur credenda, cum debeat habilitari *tùm* ad capiendum, & rectè apprehendendum ea, quæ proponantur, hoc præſtat *donum intellectus: tum* ad iudicandum, & diſcernendum, quęnam ſint credenda, quæ reſpuenda, & quomodo inhærendum ſit illis, hoc pręſtat *donum ſapientiæ*, ſi tale iudiciũ fiat per altiſſimas cauſas, ſeu diuinas; ſi autem per cauſas inferiores, *donum ſcientiæ*; ac demum *donum conſilij*, ſi tale iudicium ſit circa agibilia, ſeu humanorum actuum directionem.

Quæ collectio licet videatur magis adæquata, prima tamen deſumpta ex correſpondentia ad partes intellectuales, nihil prorſus abſurdi continet, non enim affirmat donum intellectus, & ſapientiæ perficere partem ſpeculatiuã; donum autem conſilij, & ſcientiæ partem practicam; excludendo à duobus prioribus rationem practici, cum certũ ſit, ea quoque eſſe practica, ſicut fides cui deſeruiunt ſimul eſt ſpeculatiua, & practica, quia per charitatem operatur; aut à duobus poſterioribus rationem ſpeculatiui, cum ſcientia non ſolum ſit practica, ſed etiam ſpeculatiua, quia non ſolum de agendis iudicat, verum etiam ſcientificè de veritatibus in ſe: ſed, quia licet intellectus, & ſapientia ſint practica, magis tamen eminent in parte ſpeculatiua, ideo attribuuntur parti ſpeculatiuæ intellectuali; practicæ autem ſcientia, & conſilium, quia pariter licet ſint ſpeculatiua, magis tamen eminent in praxi.

Vndecimò, quod attinet ad horum donorum proprietates, tres ſolent aſſignari, veluti tales. *Prima*, connexio inter ſe, & cum charitate, & gratia, ita vt ſine illa non reperiantur. *Secunda*, duratio eorum tam hic, quam in patria. *Tertia* æqualitas, vel inæqualitas tam inter ſe, quam cum virtutibus. Hæc enim etiam ſunt, vt dicemus infra, proprietates virtutum. Alia autem, quæ ipſis conuenit, ſcilicet quod in medio conſiſtant, & adhuc reſtringitur ad virtutes morales, cum menſurentur ratione in materia capaci, exceſſus, vel defectus, non competit donis Spiritus Sancti, quæ enim inſtinctu eius fiunt, non habent determinatam regulationem in medio, ſed ipſi Deo immediatè vniuntur, & eius impulſum ſequuntur.

Circa primam proprietatem, ſcilicet connexionem donorum inter ſe, & cum charitate, hæc non intelligitur quantum ad actus, aut exercitium eorum, ſed quo ad habitus, quemadmodum enim dicemus infra de virtutibus, neceſſe non eſſe, vt qui exercetur in vna, exerceatur in omnibus, ſed tantum quod ſit diſpoſitus, & paratus exerceri in illis, ſi occaſio ſe obtulerit, vnde quo ad habitus tantum connectuntur; Eodem modo diſcurrendum eſt de connexione donorum, ſcilicet non debere eſſe connexa ex parte actuum, ita vt qui ſe exercet in vno, etiam neceſſario ſe exerceat in alio, ſed ex parte habituum, quia qui ex vnione ad Deum per virtutes Theologicas paratus eſt ſequi eius motionem, & inſtinctum, quo monetur ad conſecutionem vitæ æternæ, debet eſſe paratus ſequi in omnibus, quæ tali conſecutioni, vel tendentiæ deſeruiunt, ita vt qui in cognitione ſequitur motionẽ Spiritus Sancti circa ea, quæ ad fidem perti-

pertinent, ſed non eſt paratus ſequi in pietate, vel fortitudine, vel timore retrahente à malo, non eſt ſufficienter diſpoſitus ad ſequendum ductum Spiritus Sancti, reſpectu conſecutionis vitæ æternæ, nec cum Regio Propheta valet dicere: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* Pſal. 118.

Loquendo igitur de connexione donorum in hoc ſenſu, nimirum quo ad habitus tam inter ſe, qua cum charitate, aliqui illam negant, docentes nec illa eſſe connexa cum charitate, ita vt in peccatoribus non inueniantur, nec inter ſe, ita vt ſint in omnibus iuſtis. Nihilominus oppoſita ſententia, quæ eſt Diui Thomæ 1. 2. qu. 68. art. 8. & communis inter Theologos, omnino tenenda eſt. Primò, quia de his donis Philoſophiæ incognitis, & per ſolam ſcripturam manifeſtatis, alio modo nō debemus diſcurrere, quam illo, quem eadem ſcriptura nos edocet, & Sancti Patres ex illa; ſed ex Sacra Scriptura paſſim habemus varijs in locis, præfata ſeptem dona non reperiri niſi in iuſtis, & in gratia exiſtentibus, ſiue vbi inhabitat, & requieſcit Spiritus Sāctus, qui propriè nonniſi in iuſtis dicitur inhabitare, aut requieſcere; vndè Iſaiæ 11. vbi ſimul omnia referuntur, dicitur, *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.* Vbi ergo Spiritus Sanctus non requieſcit, non ſunt eius dona, ſpecialiter dicta, de quibus loquimur in præſenti, non autem in vniuerſali, pro vt fides etiam in peccatore eſt donum Dei; ſed non requieſcit in peccatore Spiritus Sanctus, vt ſatis patet, ergo nec etiam reperiuntur in eo ipſius dona ſpecialiter, & per excellentiā dicta, Spiritus Sancti dona; atque adeo nec etiam ſine charitate, & gratia, quia non inueniuntur ſine Spiritu requieſcente in homine, cum quo charitas eſſentialiter connectitur. In quibus conſequentijs loquuntur communiter Sancti Patres, vbi agunt de iſtis donis. Huius inſuper connexionis cum charitate, ita neceſſariæ, vt dona in peccatoribus non inueniantur; ratio eſt ex Diuo Thoma, quia ſicut coniunguntur omnes virtutes morales, quantum ad habitus, ratione vnius prudentiæ, à qua regulantur; & hæc non poteſt haberi, niſi ſupponendo intentionem rectificatam, vt diximus ſupra agendo de illa, ita connectuntur omnia dona Spiritus Sancti ratione charitatis, quæ haberi non poteſt niſi per inhabitantem Spiritum Sanctum, *qui enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*, ad Rom. 8. vtique per gratiam, & charitatem; Igitur quemadmodum virtutes morales ſine prudentia eſſe non poſſunt, cum ipſa ſit regula omnis moralitatis, & illa poſita nulla deeſt, quia ad rectum iudicium, dictamenque prudentiæ omnes requiruntur, ſiquidem omnium recta intentio habitualis, & in præparatione animi requiritur, vt prudenter, atque adeo virtuosè procedatur, quæ intentio in materijs virtutum ab ipſis virtutibus fit: vnde ſi quis in illis haberet dictamen ſequendi vnā virtutem, & operandi in illa, V. g. in iuſtitia, vel religione, haberet autem dictamen corruptum circa materiam caſtitatis, vel ſobrietatis, ita vt non eſſet diſpoſitus, aut paratus ad illam ſeruandam occaſione ſe offerente, manifeſtum eſt, quod ſi concurreret occaſio, aut ſeruandi caſtitatem, aut non ſeruandi iuſtitiam, vel religionem, potius eligeret abrumpere iſtas, quam illam obſeruare, quod eſſet indicium, vel argumentum, dictamen illud de ſeruanda iuſtitia non fuiſſe firmum, atque adeo nec virtuoſum. Ita quoque ſine charitate nullum eſt Spiritus Sancti donum, mouens nos efficaciter in conſecutionem vitæ æternæ; & poſita charitate nullum deeſt, quia charitas manere non poteſt, niſi anima ſimul reddatur bene mobilis à Spiritu Sancto, & obediens in omnibus, ad quæ velit illam agere.

Nonnulli ſunt, quibus hæc Diui Thomæ ratio, fundata in præfata analogia,

logia, qua ſicut virtutes ſe habent ad prudentiam, quo ad earum connexionem, ita dona ad charitatem, ſeu ad Spiritum Sanctum mouentem, non videtur efficax, quia, inquiunt, tranſit à Spiritu Sancto mouente ad eumdem inhabitantem, atque adeo ad connexionem donorum cum charitate, quæ licet non poſſit eſſe ſine Spiritu Sancto inhabitante, poteſt tamen abeſſe ab illo tantum mouente; vt patet, quando peccator habet attritionem, antequam iuſtificetur, quæ eſt donum Spiritus Sancti nondum inhabitantis, ſed mouentis cor, vt habetur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.

Nihilominus ratio Diui Thomæ eſt efficaciſſima, & in authoritate Scripturæ fundata, iuxta quam non loquitur de donis Spiritus Sancti largo modo, ſumptis pro quacumque motione ſupernaturali; ſiue quod idem eſt non loquitur de Spiritu Sancto, vt mouente purè effectiuè, ſic enim certum eſt præfata dona poſſe eſſe ſine charitate, & ſine Spiritu Sancto inhabitante, quia etiam, cum mouet diſponendo ad inhabitationem, & iuſtificationem, mouet effectiuè; ſed loquitur de donis eius ſpecialiter dictis, quæque, vt diximus ex Scriptura nonniſi in iuſtis reperiuntur; atque adeo de Spiritu Sancto nedum effectiuè mouente, ſed regulatiuè, & directiuè, ſicut prudentia mouet, & regulat virtutes: *Sicut*, inquit S. Doctor, *comparantur virtutes ad regimen rationis, ita dona ad Spiritũ Sanctum mouentem*: Conſtat autem, quod ſi prudentia mouet animam dirigendo, & gubernando intus habitat in mente, & corde; ſic quoque Spiritus Sanctus debet illud inhabitare, ſi ita moueat, vt re verà mouet per ſua dona ſpecialiter, & per excellentiam eius nomine appellata, præ donis communibus; vnde rectè ex motione Spiritus Sancti directiua, & gubernatiua ad modum prudentiæ dirigentis, benè potuit inferre Diuus Thomas inhabitationem Spiritus Sancti in anima, rectificationemque eius per charitatem; ſiquidem dictamen Spiritus Sãcti ſpecialiter mouentis, non poteſt eſſe defectuoſum, nec conſequenter actiones, ad quas per illud mouet.

Quod obijciunt aliqui primò, dona Spiritus Sancti poni ad extraordinarias operationes, quæ non ſunt abſolutè ad ſalutem neceſſariæ, atque adeo illa ad ſummum non poſſe quidem eſſe ſine charitate, ſed iſtam ſine illis eſſe poſſe, vt patet in pluribus hominibus iuſtis charitatem habentibus, ſed ſimplicibus, & idiotis, proindeque carentibus dono intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ.

Secundò, nec etiam præfata dona coniungi neceſſariò cum charitate, ita vt ab illa ſeparari non poſſint; ſi quidẽ in peccatoribus, vt eſt fides, ita etiam poſſunt eſſe dona fidei correſpondentia. Imo in multis, qui nec habent fidem, inueniuntur aliquæ operationes valdè extraordinariæ, & mirabiles in fortitudine, in pietate, in dexteritate conſiliorum, alijſque ſimilibus; pro extraordinarijs ergo virtutum operibus, neceſſe non eſt ponere dona fundata in charitate.

Reſpondetur ad primum ex dictis ſupra aliquas operationes dici extraordinarias, & ſpeciales, vel ex parte obiecti, vel ex parte ſubiecti. Ex parte obiecti, quia materia earum eſt extraordinaria, & communiter ad ſalutem non requiſita, vt ea, quæ cadunt ſub conſilio, & non ſub præcepto. Ex parte ſubiecti, quando licet materia ſit communis, & ordinaria, tamen vel ob ſubiecti imperfectionem, & improportionem, vel propter modum operandi inferiorem, non poteſt quis omnia præſtare, quæ ad conſequendum finem vltimum requiruntur. Vndè cùm dona Spiritus Sancti non ſolum dentur ad operandum extraordinariè primò, ſed etiam ſecundo modo, hoc eſt ex altiori principio, quam ſit modus ordinarius operandi ceterarum virtutum, dicimus, operationes extraordinarias primo quidem modo non eſſe ad ſalutem neceſ-

ſarias

ſarias, ſecus autem ſecundo; quia in multis deſſiceret ratio in ordine ad conſequendum finem vltimum propter infirmitatem ſubiecti, difficultateſque occurrentes, quas virtutes ordinariæ non poſſent vincere, niſi inſuper à Spiritu Sancto ſpecialiter ageretur.

Ad id autem quod ſubiungitur de idiotis iuſtis habentibus charitatem, & non dona, vt probetur, eam ſine donis eſſe poſſe; reſpondetur eſſe falſum, & ſi enim illi non habeant dona pertinētia ad gratias gratis datas, vel ſcientias noſtris ſtudijs acquiſitas, quæ nec charitatem exigunt, nec viciſſim à charitate exiguntur, ita vt vbi eſt, ibi etiam reperiantur huiuſmodi dona; habent tamen ſapientiam, & ſcientiam Sanctorum, vt deducantur per vias rectas, ſicue ſciunt modo affectiuo, & quaſi experimentali ea, quæ pertinent ad vitam ſpiritalem, ſalutemque æternam comparandam; in his enim, *unctio docet vos de omnibus* 1. Ioann. 2. Imo plerumque ad directionem Spiritus Sancti pertinet remotio ſcientiæ humanæ, cum inflet; quodque magis eſt, vt plures iuſti in multis rebus ad illam pertinentibus, ex Apoſtolo, ſtulti fiant, vt ſapiētes ſint. Non enim multos ſapientes, nec multos nobiles elegit Deus, ſed infirma, & ſtulta mundi, vt confundat fortia.

Ad ſecundum reſpondetur peccatores quidem habere poſſe fidem, non tamen dona Spiritus Sancti propriè dicta fidei correſpondentia; etſi enim extra gratiam poſſint multa de rebus diuinis acutè diſcurrere, & diſputare; nec non de ipſamet myſtica, & affectiua intelligentia, tanquam de obiecto, vel materia de qua tractant, vel etiam de illa habita in ſtatu gratiæ recordari; Vnde quantum ad hoc magna non ſentitur mutatio, cum ſit tranſitus à ſtatu gratiæ ad peccatum; præfata nihilominus myſtica, & affectiua intelligentia, proueniente ex donis Spiritus Sancti vti non poſſunt tanquam principio, & motiuo cognoſcendi res diuinas, proindeque non habent huiuſmodi dona propriè loquendo. Et ſic licet verum ſit, quod apprehenſio veritatis, & iudicium, ac diſcretio illius ab erroribus, aliquali imperfectoque modo facta præcedat, & requiratur ad fidem; idque proueniat ex dono Spiritus Sancti generaliter ſumpto, minimè tamen ex illo ſpecialiter ſumpto pro ſpiritu, vel dono intellectus, ſapientiæ, & ſciētiæ, quod non requiritur ad fidem introducendam, ſed viuificandam, conſummandam, & formandam. Ideoque licet fides pertineat ad intellectum, & antecedat charitatem, ſitque radicale principium eius, & operationum eius, quia tamen formatio fidei, & viuificatio ſit per charitatem, propterea dona, quæ ordinantur ad fidem, eique deſeruiunt, vt formatæ, & viuificatæ, cuiuſmodi ſunt intelligentia, aut iudicium affectiuum, & experimentale, non conueniunt niſi homini habenti charitatē. Quare in hac materia præ oculis mentis ſemper habendum eſt, Dona intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, non eſſe quodcumque cognoſcere, vel ſcire etiā ſupernaturale, & per illuſtrationem ſupernaturalem habitum; ſed eſſe ſpiritus, vel dona intelligendi, & ſciendi, ex quadam experimentali notitia, & contactu Spiritus Sancti prouenientia. Hinc quando ab iſto felici ſtatu tranſitur ad peccatum, in ipſa experimentali, & affectiua cognitione, & tactu interno Spiritus, magna in deterius mutatio ſentitur; ſicut è contra in melius ab his, qui conuertuntur ad cor; depoſita ſiquidem graui peccatorum ſarcina, quamdam animi ſerenitatem, ac tranquillitatem poſſident, quod non eſt paruum Spiritus Sancti inhabitantis ſignum, vel argumentum, cuius locus in pace factus eſt.

Quæ nedum à peccatoribus, ſed ab infidelibus dicuntur fieri actiones inſolitæ, & mirabiles, reſpondetur fieri ob fines particulares, non autem ſupernaturales, ſeu vitæ æternę, quo ſenſu ait Chriſtus, filios huius ſeculi ple-

rumque prudentiores eſſe filijs lucis.

Quo ad alteram donorum proprietatem, quæ eſt duratio, loquendo de illa in præſenti vita, certum eſt, ſuppoſito quod fundetur in charitate, & in affectiua, & experimentali cognitione, ſeu connaturalitate ad Spiritum Sanctum, tamdiu illa debere durare, quamdiu & ipſa charitas, in qua fundantur, & cum qua neceſsariò, vt vidimus connectuntur. Maior difficultas eſt de duratione eorum in Patria, eo quod nonnulla eorum, vel ex parte materiæ, vel alicuius conditionis requiſitę videntur importare aliquam imperfectionem cum beata vita incōpoſsibilem, vt pietas, & fortitudo ordinatæ ad vitam actiuam, intellectus, ſapientia, & ſcientia, habentia obſcuritatem cum regulentur per fidem, quæ euacuabitur in patria, ſicut & ſpes, atque adeò ceſsabunt in illa dona eis correſpondentia.

Nihilominus communis ſententia eſt, omnia Spiritus Sancti dona, eadēque prorſus quo ad ſubſtantiam, quæ fuerunt in via, duratura quoque eſse in patria.

Et ſi enim in iſta ceſsatura ſit materia aliqua ſecundaria, & acceſsoria, aut ſtatus aliquis, ſeu modus, vel conditio eiuſdem materię; principalis tamen, adæquataque eorum materia, quæ eſt omne id, ad quod in vnoquoque eorum genere moueri poteſt homo ex inſtinctu Spiritus Sancti, ſiue in hac vita, ſiue in alia, ſiue in militia, ſiue in triumpho, ſiue inter labores huius vitæ, ſiue in ſumma alterius tranquillitate, minimè ceſsatura eſt; & ſic licet vita actiua huius temporis, eiuſque labores ceſsaturi ſint; non propterea abſolutè ceſsatura ſunt ea, quæ ex inſtinctu Spiritus Sancti in alia vita agenda, & operanda ſunt, nec conſequenter eius dona, habentia pro materia quidquid ex inſtinctu, & motione Spiritus Sancti in tali genere operandum eſt, ſiue luctando, & laborando, ſiue fruendo. Non enim ceſsante adęquata, & primaria virtutum materia, non ceſsat, aut deſtruitur ipſa virtus.

Quod dicitur dona intellectualia fidei correſpondentia eſse obſcura, eaque ſaltem in patria non manſura, ſed ſubrogari debere alia diſtincta, quæ obſcura non ſint. Reſpondetur huiuſmodi habitus non eſse intrinſecè obſcuros, ſed potius ex ſua formali ratione exigere euidentiam ortam ex affectiua, & experimentali noticia, diuinique Spiritus contactu, quamuis non ſemper illam euidentiam in omni materia exerceant ex parte cognoſcentis, ſicut petunt ex parte cognitionis; ſicut ſcientia ſubalterna ſemper petit euidētiam ex parte ſcientiæ, poteſt tamen carere exercitio illius ex parte cognoſcentis, quando non continuatur cum ſubalternante, ei dante euidentiam principiorum. Quo circa præfata dona, ceſsante fide in patria, remanent eadem in ſubſtantia, quæ hic in via, ſed perfecta, ſeu depurata ab imperfectione obſcuritatis, quam hic habent annexam, dum peregrinantur per fidem, quia non poſsunt clarè, & euidentèr cognoſcere ipſas veritates creditas poſitiuè, & in ſe, in his enim caligat oculus.

Si quis inſtet eodem modo poſse dici remanſuram fidem in patria; reſpondetur negando paritatem, ſi quidem obſcuritas intrinſeca eſt fidei, cum eſsentialiter ſit de non viſis, ſeu de nō apparentibus, atque adeò accedente viſione illorum, neceſse eſt, quod pereat; at præfata dona non habent pro obiecto non viſa, ſeu quod idem eſt nō procedunt ea credendo, hoc enim pertinet ad ipſam fidem, ſed verſantur circa eorum credibilitatem, de qua habent euidentiam poſitiuam, quia ſcire euidenter poſsunt, quod teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis. Et hæc euidentia, quæ donis eſt intrinſeca non ſolum non eſt incompoſſibilis cū viſione beatifica, ſed potius vbi regulatur per illam in patria ſummopere

perficitur ; & quamuis in hac vita coniungatur cum fide, reguleturque per illam in nobis, neceſsariam tamen non habet connexionem cum ipſa, vt ſatis patet in Chriſto, qui non habuit fidem, & tamen habuit omnia dona intellectualia illi in nobis correſpondentia.

Quando igitur ait Apoſtolus 1. Corinth. 13. quod ſcientia deſtruetur, prophetiæ euacuabuntur, & linguæ ceſſabunt, non loquitur de ſcientia, quæ eſt donum, ſed gratia gratis data ; ſicut donum prophetiæ, & linguarum, aliaque ſimilia ; vel de ſcientia Theologica in hac vita acquiſita, cui non-nulli exiſtimant non minus eſse intrinſecam obſcuritatem, quam fidei, in qua fundatur ; verum quia probabilius eſt oppoſitum, vt oſtendimus tom. 1. huius operis lib. 1. ſi de iſta intelligatur locus Diui Pauli, reſpondemus, eum non dicere, abſolutè deſtruendam fore, ſed quantum ad ſtatum, & imperfectum modum, quem hic habet, ſupplente fide vices viſionis beatificæ, cui ex ſe ſubordinatur, & cum qua petit coniungi noſtra Theologia. Quo etiam modo reſponderi poteſt, ſi quis velit dictum Diui Pauli locum, eſse intelligendum de dono ſcientiæ, illud nimirum non fore abſolutè deſtruendum, ſed quantum ad ſtatum, & imperfectum modum, quem etiam hic habet, quia eius euidentia circa credibilitatem rerum fidei habet extrinſecè annexam in nobis earumdem rerum obſcuritatem, vel ineuidentiam in ſe; dependetque à phantaſmatibus, & ſenſibilibus, vt explicat Diuus Thomas citatum Diui Pauli locum ibidem.

Tandem quod attinet ad tertiam proprietatem donorum, nimirum æqualitatis, vel inæqualitatis tam inter ſe, quàm cum alijs virtutibus ; iam diximus ſupra, quod ſi dona comparentur cum virtutibus Theologicis, iſtas eſse ſimplicitèr, & abſolutè ſuperiores illis. Quia virtutes Theologicę coniũgunt nos Deo, vt vltimo fini ; dona verò perficiunt hominem, vt ſubijciamur Deo nobis vnito, tanquam mouẽti, & regulanti nos, vt ad illum finem perueniamus. Perfectius autem eſt, abſolutè vniri Deo, quam ei mouenti, quantumuis altiori modo, & excedente modum virtutum Theologicarum, quia propinquius ſe habet ad Deum vnio, & coniunctio immediata cum illo, quam motio, & ſubiectio ad ipsũ, vt mouentem, quantumuis fiat altiori modo, qualis eſt illa, quæ prouenit ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti. Si verò eadem dona conferantur cum virtutibus, tum intellectualibus, tum moralibus, illa ſunt abſolutè, & ſimplicitèr iſtis perfectiora, vt pote perficientia nos ad obediendum altiori motori, quam virtutes, & in his, in quibus virtutes ipſæ deficiunt, vt diximus ſupra.

Quod ſi dona comparentur inter ſe, perfectiora ſunt intellectualia, vt pote in nobiliori, & dirigente potentia exiſtentia, quam appetitiua ; & inter intellectualia ſapientia præcedit intellectum, intellectus ſcientiam, ſcientia conſilium; inter appetitiua, pietas primum locum tenet in excellentia, deinde fortitudo, & vltimò timor, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 68. art. 7. loquens tamen de excellentia, & perfectione donorum ſimplicitèr, & pro vt conſiderantur in ordine ad actus, quos in ſuis potentijs exercent, nam ſecundum quid, & ex parte materiæ, quam dirigunt, præfertur conſilium ſcientiæ, & fortitudo pietati. Quia materia, quam exercet conſilium, & fortitudo, eſt in rebus arduis, valdèq; difficilibus, de his enim oportet conſilium à Deo ſpecialiter expectare, & in his oportet fortitudinem exercere. Hæc autem materia, ſcilicet arduum, præcellit eam, circa quam ſcientia, & pietas verſantur : quia vtraque ſaluari poteſt etiam in materia non ardua, nec magna, ſed communi, & ordinaria; & ſic cum per ſe loquendo pietas, & ſcientia non petant illam excellentiam,

tiam,

tiam, & arduitatem, quam conſilium, & fortitudo exigunt, propterea ſecundum quid, ſeu ex parte materiæ, quàm dirigunt, præfertur conſilium ſcientiæ, & fortitudo pietati; verum quia, licet ſine tali excellentia ſaluari poſſint ſcientia, & pietas, illam tamen non excludunt, & ad eam ſe extendere poſſunt; & inſuper ſcientia dirigit conſilium, vt dicemus infra, pietas autem correſpondet perfectiori virtuti nimirum iuſtitiæ; fortitudo autem virtuti fortitudinis, ideò ſimpliciter in ſua ratione formali ſcientia præſtat conſilio, & pietas fortitudini. Quid de dono timoris, dicetur infra, agendo de illo, vnde tantum ſit de donis Spiritus Sancti in communi, nunc ad ſingulorum explicationem deueniamus ſequentibus paragraphis.

§. II.

De Dono Sapientiæ.

QVia donum Sapientiæ iudicat, & defendit tam ſcientias, quàm principia, ſuper ea reflectendo, atque adeò præcedit reliqua in nobilitate, & perfectione, ſicut etiam virtus Sapientiæ, analogicè ad quam diſcurrere debemus de hoc dono, præcedit intellectum, ſeu habitum principiorum, & ſcientias, propterea agimus de illo primo loco. *Primumque* etiam dicimus donum Sapientiæ ordinari ad iudicandum de diuinis non quomodocunque, ſed iudicio reſolutiuo, & analytico, nõ autem ſimplici, vt donum intellectus; idque per cauſas, eaſque ſupremas, & altiſſimas. Quod cum ſit ipſi commune cum ſapientia, quæ eſt virtus, alias non eſſet ſapientia, nunc explicandum eſt, ſub qua ratione formali ſapientia, quæ eſt donum, exerceat tale iudiciũ, atque adeò diſtinguatur à ſapientia, quæ eſt virtus intellectualis. Dicimuſque *Secundò* huiuſmodi rationem formalem, ſeu formalitatem eſſe experimentum quoddam internum, quod habetur de Deo, & rebus diuinis in ipſo guſtu, ſeu affectu, & delectatione voluntatis de rebus diuinis; ita quod cauſæ diuinæ, & altiſſimæ, ex quibus procedit donum Sapientiæ; ad indagandas veritates ſiue diuinas, ſiue creatas, reddendamque rationem de illis, *Spiritualis enim omnia iudicat*, 1. Corinth. non ſint notæ quaſi quidditatiuè notæ per illud, ſed quaſi affectiuè, & myſticè ex connaturalitate quadam, & vnione, ſeu experientia interiori diuinorum; inde enim anima per guſtum ipſum diſcernit ea à rebus ſenſibilibus, & creatis, in hac vita imperfectè, & per viam remotionis, in alia autem perfectè, & per poſitiuam euidentiam; mouetur que ad reddẽdam cauſam, & rationem eorum, quæ cognoſcere intendit per ſapientiam. Vt habetur ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 45. art. 2. nec non in 3. diſt. 35. quæſt. 2. art. 1. vbi poſtquam dixit, ſapientiam, loquendo in generali, importare eminentem quamdam ſufficientiam in cognoſcendo, vt etiam quis in ſeipſo certitudinem habeat de magnis, & mirabilibus, quæ alijs ignota ſunt, & poſſit de omnibus iudicare; nec non etiam alios per dictam eminentiam ordinare, ſubiungit diſtinguens, quod *hæc ſufficientia in quibuſdam eſt per ſtudium, & doctrinam adiunctam viuacitati intellectus, & talis Sapientia à Philoſopho ponitur virtus in 6. Ethic. Sed in quibuſdam talis ſufficientia accidit per quamdam affinitatem ad diuina, ſicut dicit Dionyſius quod Hierotheus patiendo diuina, didicit diuina.* Deinde ibidem. ad 1. diſtinguens Sapientiam à fide ait, Quod *fides eſt cognitio ſimplex articulorum, quæ ſunt principia totius Chriſtianæ Sapientiæ: procedit autem Sapientiæ donum ad quandam Deiformem contemplationem, & quodammodo explicitam articulorum, quos fides ſub quodam modo inuoluto tenet, ſecundum modum humanum. Et ideò Sapientia eſt donum, Fides autem virtus.*

Quapropter *tertiò* dico, Sapientiæ donum

donum differre à virtute ſapientiæ, maximè in modo cognoſcendi; quatenus nimirum modo affectiuo, & myſtico attingit diuina, quæ ſunt cauſæ ſupremæ; hoc enim eſt propriè attingere ex dono Dei, quia licet omnes habitus, virtuteſque ſupernaturales dona Dei ſint ampla quadam ſignificatione, vt ſæpius monuimus, tamen aliud eſt dono attingere aliquod obiectum, aliud ex dono, quaſi ipſa etiam donatio Dei, qua nobis ſe donat, pertineat ad rationem attingendi obiectum. Igitur cum donum ſapientiæ non quælibet ſapientia ſit, ſed ſpiritus ſapientiæ per excellentiam, per quem ſe nobis donat Deus, & voluntatem, quatenus apponit erga nos cor ſuum, nam primum, quod in aliqua donatione attenditur, eſt, quod ipſe donans apponat cor ſuum, & ſeipſum, ſeu voluntatem ſuam alteri donet, eique corde coniungatur, ſeu ſpiritu, & affectu. Inde eſt, quod ratio formalis, qua donum ſapientiæ ad diſtinctionem cuiuſcunque alterius, attingit cauſam altiſſimam, id eſt, cauſam diuinam, ſit modus attingendi illam affectiuus, & myſticus, ſeu ſit ipſa notitia, quæ habetur experimentaliter de Deo, quatenus vnitur nobis, & quaſi inuiſceratur donando ſeipſum; hoc enim eſt propriè ex ſpiritu ſcire, & non ſolum ex lumine, aut diſcurſu monſtrante veritatem, ſed ex affectu experiente Dei vnionem, quæque ſit voluntas eius bona, & beneplacens.

Cui non obſtat, ſi dicatur primò, affectum iſtum, & ſpiritum eſſe in voluntate, cognitionem autem ſapientiæ in intellectu; atque adeò ipſam non poſſe creſcere, aut perfici ex dicto affectu pertinente ad voluntatem. Secundò, præfatam experientiam, vel vnionem affectiuam eſſe quid neceſſariò, & naturaliter conſecutum ad virtutem charitatis, atque adeò vel non diſtingui donum ſapientiæ ab ea, vel ſi diſtinguitur, coincidere cum alijs cognitionibus ſupernaturalibus fidei, aut ſupernaturalibus fidei, aut ſimilibus in habentibus charitatem, quorum modus cognoſcendi, ex vnione ad charitatem, non poteſt non eſſe etiam affectiuus, & experimentalis. Hæc inquam, & ſimilia non obſtant noſtræ explicationi, ſeu doctrinæ ex D. Thoma locis citatis deſumptæ in explicanda ratione formali doni ſapientiæ, eiuſque diſtinctione à virtute ſapientiæ.

Sciendum enim eſt, quod amor, & affectus dupliciter conſiderari poteſt. Primò vt applicat ſe, & alias potentias ad operandum, & ſic tantum ſe habet effectiuè, & executiuè in ordine ad illas operationes, ſcilicet per modum applicantis ad agendum, ſeu mouentis quo ad exercitium. Secundò, vt applicat ſibi obiectum, illudque vnit per quamdam fruitionem, & quaſi connaturalitatem, aut proportionem cum tali obiecto, experiturque illud experientia affectiua, iuxta illud Pſal. 33. *Guſtate, & videte*. Et hoc modo affectus tranſit in conditionem obiecti, quatenus ex tali experientia affectiua redditur obiectum magis conforme, & proportionatum, & vnitum perſonæ, eique magis conueniens, & ſic fertur intellectus in illud, vt expertũ, & vnitum ſibi; talique modo non ſe habet amor, vt præcisè mouens effectiuè, ſicut in alijs cognitionibus, ſed quaſi in genere cauſæ obiectiuæ, quatenus per tale experimentum diuerſimodè proportionatur, & conueniens redditur obiectum.

Quare ad primam inſtantiam, quæ dicitur ex voluntate, aut affectu non poſſe perfici, aut reddi intellectum magis illuminatum. Reſpondetur voluntatem formaliter quidem non illuminare intellectum, aut ei maius lumen addere; ſed tamen poſſe cauſaliter id præſtare, quatenus reddit obiectum ſibi magis per amorem vnitum, & immediatius in ſe attactum, & guſtatum; & ſic cum repræſentetur, vel obijciatur de nouo intellectui cum diuerſa

uerſa conuenientia, & proportione ad affectum, quo quaſi experimentaliter ſentitur, inde fit, quod ſit altior, & excellentior cognitio omni conſideratione fidei, aut alterius virtutis cognoſcitiuæ, procedente intellectu ad iudicandum de rebus diuinis per donum ſapientiæ, iuxta quod de illis cognoſcit ex tali experimento affectiuo, quo altius ſentit de Deo, quam ex quolibet ſtudio humano.

Per quod etiam patet ad ſecundam inſtantiam. Dicimus enim talem experientiam de diuinis per vnionem, & affectum eſſe formaliter in voluntate, & ſolum effectiuè in dono ſapientiæ, quatenus inde redditur obiectum eius cognoſcibile per modum vniti, ſapideque experti, atque adeò illud diſtingui à virtute charitatis; nec non à cæteris virtutibus intellectualibus ſupernaturalibus, non reſpicientibus obiecta ſua, ſub eadem formalitate, ac donum ſapientiæ, vt in ſequentibus dicemus. De virtutibus enim intellectualibus acquiſitis diſtinctio eſt manifeſta, quia donum ſapientiæ procedit ex motione, & inſtinctu ſupernaturali Spiritus Sancti, virtus autem ſapientiæ ex naturali diſcurſu, & ſtudio.

Quartò donum ſapientiæ diſtinguitur à fide. Patet primò à poſteriori, quia, vt diximus ſupra, contingit iſta duo ſeparari; nam fides inuenitur in peccatore ſine gratia, & charitate; donum autem ſapientiæ nonniſi in iuſtos reperitur etiam idem donum in Beatis, & tamen ibi non eſt fides, igitur diſtinguntur. Secundò à priori, ex diuerſa ratione formali vtriuſque; nam donum ſapientiæ dilectionem Dei ſupponit, & in ea fundatur, quia, vt diximus, eſt myſtica, & affectiua, ſeu experimentalis ſcientia diuinorum, ſiue ea reſpiciens cauſaliter ex affectu vniente, per modum obiecti vniti, & guſtati, & conſequenter ſupponit fidem, quæ antecedit, & regulat charitatem, & in patria ſupponit viſionem beatificam, à qua oritur dilectio, & fruitio: Quæ formalitas notitiæ ſapidæ, ſeu reſpicientis ex ſe diuinà per modum obiecti vniti, & guſtati, non competit fidei formaliter, ſed tantum radicaliter ad illam præſupponitur, & ordinatur, & in credendo ſolum attendit ad authoritatem, & teſtimonium dicentis. Deindè quia fides credendo ſimplicem duntaxat habet aſſenſum ob dictam authoritatem, abſque eo quod inquirat, vel intelligat rem, quam credit per cauſas: Sapientia verò intelligit rem per cauſas, & iudicat reſoluendo, analyticeque procedendo; eſt enim ſapientia ſumma, ſeu ſuprema ſcientia, & ideò habet ſcire rem per cauſas, eaſque altiſſimas; & donum ſapientiæ habet cognitionem iſtarum cauſarum, non per quidditatem ipſarum, ſed, vt dictum, per experimentalem quamdam, & affectiuam vnionem.

Quod totum clarè docuit D. Thomas 2.2. quæſt. 45. art. 1. ad 2. *Sapientia donum*, inquit, *differt à fide, quia fides aſſentit veritati ſecundum ſeipſam, ſed iudicium, quod eſt ſecundum veritatem diuinam pertinet ad donum ſapientiæ. Et ideo donum ſapientiæ præſupponit fidem, quia vnuſquiſque benè iudicat, quæ cognoſcit, vt dicitur 1. Ethic.* Et in 3. diſtinct. 35. quæſt. 1. art. 1. ad 1. cuius verba ſupra retulimus: vbi aduertendum eſt, quod licet generaliter loquendo idem ſit aſſenſus, ac iudicium, & vice verſa, attamen quia hoc, quod eſt iudicare poteſt ſumi dupliciter, ſiue iudicium aliud eſt ſimplex, & non ſcientificum, quemadmodum de primis principijs iudicamus, ex ſola terminorum euidentia; aliud verò ſcientificum, & reſolutorium, quando non ſolum aſſentimus, & iudicamus veritatem, ſed etiam reddimus rationem de eo, quod iudicamus, & ſic non ſolum rem cognoſcimus, verum etiam fundamentum aut cauſam, propter quam iudicamus; quod propriè eſt ſcire, & quando per eminentes, & ſupremas cauſas iudicamus, eſt ſapere, & non tantum ſcire: Inde eſt, quod

quod cum ad ad fidem pertineat aſſenſus ſimplex ob ſolam authoritatem, & teſtimonium dicentis, ſine diſcuſſione cauſarum, Sanctus Thomas locis citatis tribuit ei nomen aſſenſus ſecundum ſe, ſiue quod aſſentit veritati ſecundum ſeipſam; dono verò ſapientiæ, ad diſtinctionem, iudicium, quod eſt ſecundum veritatem diuinam, hoc eſt, quod non eſt ſimplex cognitio, vel iudicium, vt aſſenſus fidei, ſed ſcientificum, & reſolutorium, quod vocatur iudicium abſolutè, ſiue fiat per diſcurſum formalem, ſeu ex parte cognoſcētis, aut ex alio, ſiue fiat per diſcurſum obiectiuum, ſeu ex parte rei cognitæ, aut in alio. Quando igitur D.Thomas 2.2. art. 1. ad 1. ait donum ſcientiæ nō eſſe diſcurſiuum, & eadem ratio eſt doni ſapientiæ, eo quod eſt quædam participatio diuinæ ſcientiæ: *Diuina*, inquit, *Scientia non eſt diſcurſiua, vel ratiocinatiua, ſed ſimplex, & abſolutè, cui ſimilis eſt ſcientia, quæ ponitur donum Spiritus Sancti, cum ſit quædam participata ſimilitudo ipſius*. Debet intelligi, quod ſcientiæ, & ſapientiæ donum non eſt diſcurſiuum formaliter, ſeu ex parte modi cognoſcendi; ſecus autem ex parte rei cognitę, quomodo etiam diuina eſſentia eſt diſcurſiua; cum hoc tamen diſcrimine, quod diuinæ ſcientię nunquam competit diſcurſus formalis, vel ex alio, præfatis autem donis non repugnat ex imperfectione noſtra in hac vita, cui ſe accommodant quantum ad hoc.

Quintò donum Sapientiæ diſtinguitur à dono intellectus, quia licet iſtud, ſicut illud, cognoſcat modo affectiuo, & myſtico, tamen non procedit reſolutorie, ſicut nec fides, nec tradendo cauſas, ſed per ſimplicem terminorum notitiam, ac penetrationem. A dono Conſilij, quia hoc procedit circa agibilia, regulando ea, non contemplando diuina, & per altiſſimas cauſas, ſicut principaliter procedit ſapientia. Vnde licet ſapientia ſit directiua agendorum, in quantum agenda regulantur per regulas æternas, quas contemplatur ſapientia, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 45. art. 5. tamen requiritur præter ipſam adhuc donum conſilij diſtinctum correſpondens prudentiæ, quæ diriguntur virtutes morales, quia ſicut prudentia virtus diſtinguitur à ſapientia virtute in hoc, quod prudentia iuxta regulas humanas dirigit ea, quæ agenda ſunt in particulari hic, & nunc; Sapientia verò non eſt immediatè regulatiua actionum, ſed cognoſcitiua, & contemplatiua ſuperiorum cauſarū, ex quibus dependet illarum regularū, & actionum cognitio in ſua quidditate, & natura, diſputatque, ac defendit vniuerſalia principia, à quibus tales dependent regulæ: ita donum Conſilij, & donum Sapientiæ ſe habent, quod ab illo dirigimur immediatè in agendis, quaſi à diuino Spiritu acti, vt rectè eligamus, mediumque opportunum accipiamus maximè in rebus valdè dubijs, ſicut dicitur 1. Machabæorum 4. *Quod incidit illis bonum conſiliū*; à Sapientia tamen non dirigimur immediatè in agendis, ſed contemplamur diuina non ſolum in ſe, ſed vt ſunt eminentior agendorum regula, non tamen immediata, agibilia enim noſtra immediatè per regulas humanas menſurantur.

Tandem diſtinguitur à dono ſcientiæ, quia hoc, licet reſolutiuè procedat, attamen per cauſas creatas, & inferiores, non autem per altiſsimas, vt donum Sapientiæ, ex Diuo Thoma in 3. p. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1. & 2. 2. quæſt. 9. art. 2. quæſt. 45. art. 2. ad 3. Verum cum donum ſcientiæ ſit ſcientia Sanctorum, atque adeò competat illis ſolum, qui exiſtunt in gratia, procedatque modo affectiuo, & myſtico ex præſuppoſita vnione cum Deo per charitatem, difficilè videtur, quod ſapientia ſit per altiſſimas cauſas, quia iſti vnioni innititur, ſcientia verò non, eidem tamen vnioni innixa. At ceſſat omnis difficultas, conſiderando quod fides primariò quidem cognoſcit Deū, ſecun-

ſecundario tamen multa creata, quorum vnum in eſſe entis poteſt eſſe ratio, & cauſa, ipſaque met fides, & eius exercitium aliquid temporale, & creatum eſt. Igitur cum ex fide oriatur amor, & vnio ad Deum primario, & per ſe, & ſecundario amor ad proximum, & ad res creatas, in quantum ſunt aliquid Dei: inde fit, quod homo vnitus Deo per amorem reddatur benè mobilis à Spiritu Sancto, tum ad intelligendum diuina, & iudicandum de illis, tum de creatis; de diuinis ſecundum affectum, & vnionem, & quaſi experimentum ad ipſa intra ſe; de creatis autem per experimentum, quod etiam habet de illis, vel in ipſo affectu ordinante charitatem, & amorem creaturarum ad Deum, vel in ipſo actu fidei, & virtutum, vel in ipſo modo tendendi in Deum per viam negationis, aut remotionis creaturarum, quod fieri non poteſt ſine aliquali inter Deum, & creaturarum diſtinctione, & conſequenter cum ſufficienti ratione, vt de creaturis iudicet, & per rationes creatas de Deo, vtrumque enim attingit per rationes creatas. Atque adeò patet ſufficienter fundari in ipſa vnione gratiæ, & charitatis ad Deum, duplicem procedendi viam, vel modum intelligendi, & iudicandi de diuinis, tum per cauſam ipſam primam, cui primò, & per ſe charitas vnitur; tum per cauſas humanas, & creatas, quibus vnitur ſecundario, & per quas etiam inducitur ad intelligendum primam. Et primo modo fundatur Sapientia ſecundò autem ſcientia. Quorum plura habentur exēpla in varijs Scripturæ locis, vbi redduntur cauſales, & rationes eorum, quæ dicuntur, aliquando afferendo cauſas inferiores, quod pertinet ad ſcientiam, aliquando ſuperiores, quod pertinet ad ſapientiam. Huiuſmodi eſt, quod habetur Ioannis 9. vbi Apoſtolis interrogantibus Chriſtum Dominum de cauſa cæcitatis in cæco nato, volentibuſque id ſcire quantum ad cauſam creatam, & inferiorem, propriam ſcientię, videlicet ex parte peccatorum, quæ ſunt cauſa huiuſmodi pœnalitatum, ac propterea dicentibus: *Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur*, ipſe reſpondit per ſapientiam, reddendo nimirum cauſam illius cæcitatis ex parte cauſæ ſupremæ, ſcilicet gloriæ diuinæ, neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei.

Si quis contra dicta de differentia doni ſapientiæ à fide, & dono intellectus, per hoc quod modo reſolutorio, vel diſcurſiuo procedat, obijciat inde ſequi, illa niti ſtudio, & induſtriæ humanæ, in diſcurrendo maximè elucenti, atque adeò non diſtingui in hoc à noſtra Theologia, poſſeque proindè manere etiam ſine gratia, & charitate in peccatore, ſicut manet Theologia, quia peccatum non tollit diſcurſum, cuius non leue eſt argumentum, quod poſt peccatum mortale videmus aliquos elicere actus ſapientiæ, quos antea eliciebant; & eodem modo intelligere, ac diſcurrere, & iudicare circa diuina ſicut prius.

Reſpondetur ad hanc inſtantiam, donum Sapientiæ, licet ſit diſcurſiuum, ſicut, & donum ſcientiæ, valde diſtingui à Theologia, cum hæc primò ſit ſapientia naturalis, & acquiſita ſtudio, & induſtria humana, dona autem ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt ſupernaturalia, & per ſe infuſa. Secundò quia diſcurſus quo vtitur Theologia eſt diſcurſus ex parte cognoſcentis dumtaxat, ſeu diſcurſus formalis, & imperfectus, quo deducitur vnum ex alio pluribus actibus, nec non per plures conſequentias beneficio artis ſyllogiſticæ, atque adeo proprio ſtudio, & induſtrię innixus; At diſcurſus donorum ſapientiæ, & ſcientiæ diuinitus infuſorum proprius, eſt diſcurſus eminens, ſeu quo mens eleuatur ad intelligendum ſine diſcurſu formali, & ex parte cognoſcentis, cum ſolo diſcurſu obiectiuo, ſeu ex parte rei cognitæ, cogno-

ſcendo nimirum illam vnico actu in cauſis, vel per cauſas, aut ſupremas, aut inferiores; ſicut Angeli ipſi diſcurrunt, & habent ſcientiam reſolutiuam, quatenus etiã ex parte obiecti cognoſcunt rem per ſuas cauſas, licet ex parte cognoſcentis, vel modo cognoſcendi nõ pluribus actibus forment diſcurſum, ſed vnico actu cauſam, & effectum cognoſcant. Sicut etiam Chriſtus Dominus ſcientia infuſa, ſub qua comprehenditur donum ſapientiæ,quia ad omnia ſe extendit ſcientia infuſa, quæ cognoſcuntur extra verbum, vtebatur aliquando cum ſolo diſcurſu obiectiuo, ex Diuo Thoma 3.p. qu.11. art.3. & aliquando etiam cum formali; vt cum à Diuo Petro quæſiuit, à quibus Reges terræ tributa exigerent, à filijs, an ab alienis? Et reſpondente Petro, quod ab alienis, intulit per diſcurſum, Ergo liberi ſunt filij. Vnde etiam nullum eſt inconueniens, ſi dicatur, ad vtrumque ſe extendere dona ſapientiæ, & ſcientiæ, ſcilicet, quod ita ex ratione formali eleuent mentem ad intelligendum ſine diſcurſu formali, & ex parte cognoſcentis, vt tamen per accidens, ſeu ex diſpoſitione ſubiecti, non ita perfectè ſemper illorum lumen participantis in hac vita, poſſint vti modo diſcurſiuo formali.

Tertiò tandem dona ſapientiæ, & ſcientiæ diſtinguuntur à Theologia, quod vt ſæpius diximus, non quælibet illuſtratio mentis conſtituit donum ſapientiæ, ſed illa,quæ facit rectam æſtimationem de vltimo fine, ex D.Thoma 2.2. q.8. art.5. quaque ex vnione cum illo per charitatem iudicat de rebus diuinis experimentaliter, & affectiuè, atque adeo ſolum inuenitur in habente gratiam, ſine qua Theologia, aut alia quæcunque ſapientia acquiſita eſſe poteſt. Ita vt recedente gratia per peccatum mortale ceſſent ſapientia, & ſcientia, quæ ſunt dona Spiritus Sancti; dicente Scriptura Sapientiæ 1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim Sancti diſciplina effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Quare licet remota gratia, & charitate maneant quidem ſpecies, quæ deſeruiebant antea dono ſapientiæ,non manent tamen ſubiectæ inſtinctui, vel motioni Spiritus Sancti, vt prius, nec deſeruiunt illi interno guſtui, vel experimento, quo guſtatur,& videtur, quam ſuauis eſt Dominus, ſed tantum fidei, aut ſapientiæ acquiſitæ, ſi eam habet ſubiectum, aut alteri illuſtrationi gratis datæ, ſi detur, ablata illa ordinatione ſpecierum, quæ ſpecialiter fit à dono ſapientiæ, & à motione Spiritus Sancti deducente animam ad guſtandum,& experiendum affectiuè Deum, *à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu*, vt dicitur loco ſtatim citato Sapientię, quæ cogitationes ſine intellectu nihil ſunt aliud, quam brutales illæ cogitationes, quas habet peccator, qui, vt ait Pſalmiſta, fit ſicut equus & mulus, & qui cum in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus.

Vndè cum dicitur, poſt peccatum etiam diſcurri, & iudicari de diuinis vt ante, reſpondetur hoc eſſe abſolutè falſum,ſiue id fieri per donum ſapientiæ,ſed per ſapientiam acquiſitam,quę eſt virtus intellectualis, vel per aliquã illuſtrationem,quæ eſt gratia gratis data, vel denique per quamdam recordationem prius factorum,quia iſtę ſpecies manere poſſunt in memoria, ſicut quis recordatur ſe feciſſe aliqua alia opera bona. Siquidem ceſſante experientia affectiua diuinæ vnionis, ceſſat quoque motio Spiritus Sancti ad intelligendum, & iudicandum de rebus diuinis experimentaliter, & affectiuè, atque adeo donum ſapientiæ;quamuis non ceſſent ſpecies, quibus vtebatur: Quemadmodũ deſtructa fide per peccatum infidelitatis remanent ſpecies, quibus fides vtebatur, & memoria actus credendi, quem exercebat, nec non

non exercitium credendi circa alios articulos, & nihilominus hæc omnia non eliciuntur à fide ſupernaturali, ſed vel ab acquiſita, vel ex memoria præteriti actus credendi; Vnde ſicut non eſt inconueniens, quod vno actu infidelitatis ruat fides, nec amplius eliciat actus, qui verè ſint fidei ſupernaturalis, licet videantur permanere, & qui fiunt heretici, credere, ſicut ante, alios articulos, in quibus non errant; ita quoque nullum eſt incõueniens, quod per vnicum peccatum mortale, ſiue id fiat phyſice, ſiue demeritorie, de quo diſputant Doctores, & parum refert ad preſens inſtitutum, ſimul cum gratia, & charitate corruat donum ſapientiæ; nec amplius cognoſcat peccator ſub illa formalitate doni, guſtando nimirum, & internè experiendo diuina, ſicut antea; ſed tantum diſcurrat, & cognoſcat in actibus ſapientiæ ſimilibus, vel ex ſapientia ſtudio acquiſita, vel etiam gratis data, & ordinata ad aliorum eruditionem, non ad internam experientiam, & vnionem, de qua ait Apoſtolus 1. Corinth. *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum.* Sicut enim hęc eminentia ſapientiæ, & ſcientiæ ad inſtruẽdum alios non eſt in omnibus iuſtis, aut habentibus gratiam; ita nec eſt incompoſſibilis cum peccato, quia gratiæ gratis datæ, quandoque etiam ſunt in peccatoribus.

Sexto tandem, & vltimò, quod attinet ad obiecta, ad quæ ſe extendit donum Sapientiæ, relictis varijs opinionibus, probabilius eſt ſecundum doctrinam Diui Thomæ illud iudicare de omnibus tam diuinis, quam creatis, licet principaliter de diuinis, & ſic ad omnia ſe extendere, ad quæ fides, & Theologia, proindeque idem eſſe omnium obiectum materiale, & ſolo formali, ſiue ex diuerſa ratione tendendi inter ſe diſtingui omnes prefatos habitus, vt explicuimus ſupra; vnde probatur iam identitas obiecti materialis doni ſapientiæ cum fide, & Theologia, ex analogia ad ſapientiam, quæ eſt virtus. Iſta enim non ſolum deducit concluſiones ex cauſis ſupremis, ſed inſuper reflectit ad iudicandũ de principijs, ea defendendo; Similiter ergo donum ſapientiæ, quod pro principijs habet veritates fidei, non ſolum debet verſari circa alias concluſiones, aut veritates ex illis deductas, ſed inſuper principia ipſa fidei defendere, ſuper ea reflectendo, & ſic de illis iudicare, non ſolum quoad conuenientiam, ſcilicet quod conuenienter ſint digna credi, & amari, quod pertinet ad iudicium eius practicum, ſed inſuper, cum ſit etiam ſpeculatiua, ea contemplando in ſe vt experimentaliter cognita in affectu, ſeu iuxta guſtum, & ſuauitatem internam. Vnde non ſolum eſt infuſum ſicut aliæ virtutes infuſæ ratione obiecti ſupernaturalis, quod reſpicit, ſed etiam ratione experimentalis affectus ſupernaturalis, in quo fundatur, & motionis, ſeu inſtinctus Spiritus Sancti, quo ducitur ex iſta interiori vnione, & experientia ad contemplandum diuina.

Si quis obijciat donum ſapientiæ manere in patria, idem quod in via, & tamen ibi non verſari circa res diuinas, de illis iudicando, aut eas defendendo, quia cognoſcuntur per viſionem beatificam, ſuper quam non poteſt reflectere donum ſapientiæ, atque adeo, aut non fore idem in patria, ac in via, aut debere aſſignari aliud eius obiectũ vtrique ſtatui commune.

Reſpondetur negando, quod donum ſapientiæ non verſetur in patria circa res diuinas modo explicato. Cum enim illæ non ſolum cognoſcantur in verbo per cognitionem matutinam, ſed etiam per effectus, & illuſtrationes extra verbum per cognitionẽ veſpertinam; ſi quidem beati non amittunt cognitionem rerum in proprio genere, & illuſtrationes de diuinis myſterijs, ſicut Angeli ſuperiores illuminant inferiores, & docent; nec tamen in viſione beatifica illuminant, quia in ea

magis

magis perfici non poſſunt, cum ſit æterna, & immutabilis: Inde fit dari locum in patria dono Sapientiæ, vt etiã iudicare poſſit de diuinis extra viſionem per effectus,& reflectere ſuper ea, ac defendere, non ex diſcurſu metaphyſico, ſicut nec in via, ſed ex connaturalitate, & vnione ad ipſa, ſicut in via, abſque eo quod iudicet, aut defendat,vel reflectat ſuper viſionem beatam, cum ſit ſuper omnia.

§. III.

De dono Intellectus.

DOnum Intellectus, vt dignitate cedit dono Sapientiæ, quatenus reflectenti ſuper prima principia, eaque defendenti, ita ſuperius eſt dono ſcientiæ, quia hoc verſatur circa rationes, cauſaſque inferiores, accipiendo regulationem, & principia à dono intellectus verſanti circa res diuinas, penetrando,& apprehendẽdo eas per ſimplex iudicium, ſicut habitus principiorum. *Primum* igitur donum intellectus non eſt ſimplex terminorum apprehenſio, ſed inſuper addit aliquod iudiciũ, ſine non inuenitur ſine iudicio penetratiuo, & diſcretiuo veritatis, licet etiam quaſi antecedẽter, & diſpoſitiuè rectam terminorum apprehenſionem formet in intellectu. Ita colligitur ex doctrina Diui Thomæ 2. 2. q.8. art. 1. ad 1. & 2. vbi comparat donum intellectus lumini, vel habitui primorum principiorum, qui vtique etiam intellectus vocatur, & eſt habitus iudicatiuus. Item art.6. ad 2. docet, quod *donum intellectus eſt circa prima principia cognitionis gratuitæ*. Prima autem principia non ſunt termini, ſed propoſitiones, ſeu veritates; ad hoc igitur donum non ſolum pertinet ſimplex apprehenſio terminorum, ſed etiam iudicium penetratiuum, & diſcretiuum veritatis. Cuius ratio eſt, quia donum intellectus maximè diſponit mentem ad intelligendum rectè, & purè ſine admixtione errorum, & ſine conuerſione ad phantaſmata, & res materiales, quæ maximè nos impediunt ab intelligendis ſpiritualibus: Vndè illi correſpondet inter beatitudines munditia cordis, cum dicitur Matth.5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; per munditiem enim cordis non ſolum debet intelligi purgatio, vel depuratio actiua ab inordinatis affectibus, qualis fit per virtutes, paſſionumque moderationem, verum etiã depuratio ab erroribus, & phantaſmatibus, vt ſcilicet ea, quæ de Dco proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, neque ſecundum peruerſa hæreticorum dogmata; ſed hoc præſtari non poteſt ſine iudicio penetratiuo, & diſcretiuo, ſeu conferendo veritates fidei ad errores, quos reſpuit, & inter ſpiritualem puritatem, ſeu abſtractionem, & formarũ corporalium, quæ remouentur, materialitatem; ſuppoſito igitur, quod potiſſimum doni intellectus munus ſit, diſcernendi in myſterijs fidei veritates eorum ab erroribus contrarijs, & ſpiritualitatem diuinorum à formis corporalibus, alioquin ruditer, & cum hebetudine, & offuſcatione quadam, ſeu confuſione intelligeret; non poteſt nõ eſſe habitus verè iudicatiuus.

Vbi cum dicitur eum acuere,& perficere mentem, primò ad hoc vt ſine admixtione errorum,ſecundò ſine conuerſione ad phantaſmata, procedat;debet primum intelligi de erroribus formalibus, id eſt cum ipſa aduertentia,& adhæſione ad illos, quique ſalutem impedire poſſunt, non autem de omnibus erroribus materialibus, ſicut enim aliquis poteſt ſtare cum fide, & cum gratia, ita & cum dono intellectus, quod reperitur in omnibus habẽtibus gratiam; non enim ſemper ita perfectum,conſummatumque eſt,quod purget intellectum ab omnibus erroribus, etiam materialiter accidentibus, vel ab ignorantia, ſeu neſcientia eorum,quæ non tenemur ſcire in rebus fidei;

fidei; cùm & in ipſis Angelis contingat, eos ab aliquibus neſcientijs purgari à ſuperioribus.

Secundum ſimiliter intelligi debet de conuerſione ad phantaſmata comparatiua. In hac enim vita intelligentia dupliciter remouere poteſt phantaſmata, ſeu corporales formas. Vno modo per totalem eorum carentiam, & priuationem, Ita quod in modo intelligendi non dependeat quis ab illis, & in hoc ſenſu, ſaltem ordinariè non datur pro præſenti ſtatu intellectio ſine conuerſione ad phantaſmata, cum ſit proprium, & connaturale animæ coniunctæ corpori, vt intelligat dependenter à ſenſibilibus. Alio modo remouentur phantaſmata, non comparando obiectum intellectum ad ipſa, ſiue cognoſcendo obiectum illud non eſſe ſicut phantaſmata, ſicut in hac vita Deum, reſque ſpirituales cognoſcimus, quia licet ſpiritualia cognoſcamus per connotationem ad ſenſibilia, & ad modum eorum, pro vt ſe tenet hic modus ex parte intelligentis, minimè tamen prout ſe tenet ex parte rei cognitæ, imo remouemus illum à Deo, & affirmamus, non ita eſſe de illo ſentiendum, ſicut illa corporalia phantaſmata repræſentant. Et in hoc ſenſu donum intellectus depurat mentem à phantaſmatibus, ſcilicet per viam remotionis comparatiuæ, & per viam negationis, qua diſcernitur, & cognoſcitur, ſic aliquid intelligi ad modum rerum ſenſibilium, quod tamen non eſt ſicut ipſæ, ſed oppoſito modo; quam depurationem eſſe in hac vita poſſibilem, nec aliter fieri quam per diſcretionem, & comparationem vnius ad alterum, ac iudicium ſatis patet. Quod totum rectè Diuus Thomas expreſſit 2.2.q.180 art.5. *Intellectualis*, inquit, *cognitio nō ſiſtit in ipſis phantaſmatibus, ſed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis*.

Secundò, cum in iudicandis rebus dupliciter procedi poſſit, vno modo, iudicio analytico, ſeu reſolutiuo, quando nimirum de rebus iudicatur per ſuos effectus. Alio modo, iudicio ſimplici, aut diſcretiuo, quo iudicatur, hoc non eſſe illud, vel non eſſe ſicut illud, quod poteſt fieri, vel per quamdam comparationem, vel reflexionem, ſicut facit intellectus, vel ſine illa, ſicut facit ſenſus, qui etiam diſcernit colores, aut ſonos: In hoc diſtinguitur donum intellectus à donis ſapientiæ, & ſcientiæ, quod iſta habent iudicium de rebus diuinis, ac ſupernaturalibus modo reſolutiuo per cauſas, vel effectus, illud autem ex interiori quodam inſtinctu, & motione Spiritus Sancti, affectuque ad illas, diſcernit credenda à non credendis, ſeu ab erroribus, nec non ſpiritualia à corporalibus, ſaltem per viam remotionis. Ad quod iudicium formandum non requiritur euidentia diſcurſus, quia non procedit per cauſas, vel effectus, ſed, cum donum intellectus, vt ſupponimus, verſetur circa principia fidei, format ſuum iudicium ex meliori, & acutiori penetratione terminorū, ex quibus illa principia, aut veritates eis contentæ componuntur, & conuenientia eorum inter ſe, & diſconuenientia oppoſitorum errorum. Sicut fit in habitu primorum principiorum naturalium, de quibus non fit iudicium per illationem, aut diſcurſum, ſed ex penetratione terminorum, facta aliqua collatione. & comparatione eorum cū ſuis oppoſitis. Et in hoc primùm diſtinguitur donum intellectus à virtute fidei, quod licet iſtius iudicium ſit etiā ſimplex, vt potè neque per cauſas, neque per effectus, fit tantum ex teſtimonio dicentis, & reuelantis; at donum intellectus acuit, & eleuat mentem ex impulſu, & illuſtratione Spiritus Sancti ad capiendos, & penetrandos terminos, quibus res ſupernaturales per fidem credendæ proponuntur, & iam creditæ ſupponuntur, & ex tali penetratione iudicat illas eſſe credendas, & eis firmiter adhærendum.

Diſtinguitur inſuper donum intellectus à virtute fidei, quod iſta verſetur circa

circa veritates ſuas, credendo, ob teſtificationem Dei extrinſecam per voluntatem, & piam eius affectionem acceptatam; vnde iudicium eius eſt per modum adhæſionis, & credulitatis ad res ipſas, cui eo ipſo, quod diuinæ innititur teſtificationi, tanquam ſuæ rationi formali, eſt eſſentialiter annexa inevidentia, & obſcuritas, adeo vt inde habeat motum, & fluctuationem, non quidem in certitudine, qua, ſtante diuino teſtimonio, maior eſſe non poteſt, ſed in claritate, quatenus intellectus non plenè quieſcit, aut ſatiatur, niſi per viſionem rerum. At iudicium doni intellectus non eſt iudicium credulitatis, ſed intelligentiæ, qua ſuccurrit fidei pro ea parte, qua patitur motum, vel fluctuationem inevidentiæ, ſic enim donũ intellectus penetrat terminos ipſos, ex quibus veritates fidei conſtant, indeque diſcernit inter veritates, & errores, inter ſpiritualia, ſeu eleuationem eorum, & corporalia, ſeu ſenſibilia, vt intelligat non ſic ſe habere ſpiritualia, ſicut per phantaſmata nos apprehendimus, ideoque multo ſublimius eſſe de eis ſentiendũ, quam nos videamus, aut cognoſcamus, ſicque per viam negationis format intelligentiam de eis rebus talem, quæ excludat dictam fluctuationem, quietetque intellectum. Vnde ex D. Thoma 2.2. q.8. art.8. fides inter fructus Spiritus Sancti correſpondet dono intellectus tanquam effectus, ſeu fructus eius, non quod ipſa virtus, ſeu habitus fidei ſecundum ſe, aut ratione certitudinis, ſit fructus iſtius doni, ſed quædam mentis quietatio in fide, prouenìens ex euidentia credibilitatis rerũ fidei, pertinente ad donum intellectus, quæ euidentia cum non ſit intrinſeca, quaſi per illam veritatum fidei habeatur intrinſeca, & poſitiua cognitio, ſed extrinſeca, & quaſi negatiua, ſcilicet cognoſcendo quid non ſint, vt ait Diuus Thomas 2.2. q.8. art. 7. propterea nec opponitur fidei, nec etiam neceſſario coniungitur cum illa, ſed tantum in via, indeque idem donum intellectus, quod modo eſt hic, erit quoque in patria. Talis enim euidentia extrinſeca de rerum fidei credibilitate in ſe, & non ordinata ad ingenerandam fidem, ſicut nec euidentia illa negatiua de eo quod res diuinæ non ſunt accipiendæ iuxta modum ſenſibilium, aut errorum hereticalium, nullam cum viſione beatifica habet incompoſſibilitatem, imo potius ex coniunctione ad ipſam perficitur, ſicut ſcientia ſubalternata ſubalternanti vnita.

Quia autem huiuſmodi euidentia poteſt haberi dupliciter, vno modo per ſtudium, & induſtriam propriam, attentè nimirum conſiderando omnia credibilitatis motiua, & argumenta fidei conuenientia; alio modo per inſtinctũ internum, & illuſtrationem Spiritus Sancti, quod adhuc dupliciter fieri poſſe notat Sanctus Thomas 2.2. q.8. art.5. ad 1. vno modo communiter, & imperfectè, ſicut etiam in peccatoribus eſſe poteſt: alio modo ſpecialiter, pro vt fit in ſolis iuſtis per rectam, & debitam finis vltimi æſtimationem, quæ tunc habetur, quando de Deo ſic ſentiunt, vt ſe & omnia ſua ei ſubijciant, nec propter aliquid ab eo recedendum eſſe determinent; hæc ſola euidentia eſt doni intellectus propria, ſubſequiturque ad fidem, & charitatem, non autem altera, ex proprio nimirum ſtudio, & induſtria habita, aut etiam ex aliquali Spiritus Sancti illuſtratione, quæ peccatoribus ſolet communicari, ſic enim, & fidem præcedere, & in peccatoribus poteſt manere talis euidentia.

Tertiò ex his colligitur, cur ſufficiẽte in naturalibus vno, & eodem habitu primorum principiorum, tam ad illa penetranda, quam ad illis aſſentiendũ, in ſupernaturalibus tamen non ſufficiat, pertineatque ad fidem aſſentiri veritatibus ad ipſam pertinentibus credendo, ad donum verò intellectus mẽte penetrando ea, quæ dicuntur, tanquam ad diſtinctos habitus. Ratio, inquam, primò deſumitur ex eo, quod habi-

habitus primorum principiorum innititur immediatæ, & neceſſariæ connexioni, quam in illis habent prædicatũ, & ſubiectum, quibus proinde ſemel explicatis, ac penetratis ſtatim aſſentitur veritati per illa ſignificatæ; abſque alterius habitus ope: At fides cum pro ſua ratione, aut motiuo formali, nec dictam connexionem, aut quid ſimile intrinſecum habeat in credendo, ſed ſoli teſtimonio extrinſeco primæ veritatis reuelantis innitatur, nihil de interioribus obiecti penetrando; inde eſt, quod fidei ſuperaddi debet donum intellectus, ſintque duo habitus diſtincti, vt pote procedentes ex diſtinctis motiuis, & rationibus formalibus; nam aſſenſus fidei nititur teſtimonio extrinſeco, non autem circa ea, quæ rei intrinſeca ſunt quidquam inueſtigat, aut cognoſcit, quia non ex vi cognitionis intrinſecorum obiecti aſſentitur veritati, ſed ex puro teſtimonio dicentis, quod extrinſecum obiecto eſt; donum autem intellectus aſſentitur, & iudicat, intrinſeca obiecti penetrando, & quaſi intus legendo, ſiue imperfectè, ac negatiua euidentia, & per viam remotionis in hac vita, inde perfectè, & euidentia poſitiua in patria, vbi non amplius per fidem, ſed per ipſammet claram Dei viſionem regulatur. Id ipſum ſecundo ſumitur ex eo, quod donum intellectus tendit ad penetrationem, & intelligentiam veritatis, non quomodocumque, ſed, vt diximus, ex quadam experientia affectiua circa res diuinas: fides autem ex ſe non procedit ex tali experientia, ſed ex puro teſtimonio dicentis, quo circa & datur in peccatore ſine gratia, & charitate, ſine qua tamen non datur donum intellectus. Igitur cum in naturalibus habitus primorum principiorum non procedat ex tali experientia affectiua circa illa, nec in ea fundetur aſſenſus eius, ſufficit vnus, & idem habitus talium principiorum, ſecus autem in ſupernaturalibus, ſed debent dari duo, nimirum fides, aſſentiens veritati credendo, donum verò intellectus, non credendo formaliter, ſed penetrando, ſaltem quid non ſit, pro hac vita, & quomodo à ſenſibilibus diſtet, & erroribus non miſceatur, idque ex affectiua circa diuina experientia.

Quartò, inde quoque patet, quomodo nedum à ſapientia, ſcientia, conſilio, virtuteque fidei ad partem intellectiuam ſpectantibus donum intellectus diſtinguatur, ac differat, verum etiam ab alijs habitibus, vel illuſtrationibus infuſis, v.g. prophetica in hac vita, in alia verò à lumine gloriæ. Quia prophetia eſt quædam mentis illuſtratio circa ea, quæ reuelantur, id eſt, circa eſſe, vel non eſſe talis rei, pro vt eſt extra nos, & in ſe; ad donum verò intellectus pertinet illuſtratio mẽtis circa rectam de vltimo fine æſtimationem, ſiue per illud mens illuſtratur circa diuina ſecundum quod ſentiuntur intra nos, & ſecundum connaturalitatem, & vnionem quamdam affectiuam erga diuina, quod pertinet ad experimentalem cognitionem eorum, quam ſatis conſtat longe differre à cognitione veritatis ſolum pro vt eſt in ſe, & quaſi quidditatiua, non affectiua.

Maior difficultas eſt in explicando quomodo donum intellectus maneat in patria, etiam diſtinctum à lumine gloriæ, cum per iſtud ęque, imo perfectius præſtentur ibi, quæ pertinent ad donum intellectus, nimirum cognoſcere, & penetrare ſpiritualia ex inſtinctu Spiritus Sancti per experimentalem cognitionem ipſius Dei, ac myſteriorum eius, nam viſio beatifica eſt ſumma etiam, & clariſſima horum experientia. Nihilominus cum communi ſententia tenendum eſt, hoc donum manere in patria etiam diſtinctũ à lumine gloriæ, ab ipſo tamen regulatum, & à viſione beatifica. In hoc enim dono, & alijs intellectualibus diſtinguendum eſt id, quod ſe habet regulatiuè, & quod ſe habet formaliter; In via ergo regulatiuè ſe habet fides, in

patria

patria viſio; nam ſicut hic per fidem mens credendo vnitur, & ſubijcitur veritati,& teſtimonio diuino, tùm per charitatem eidem, vt vltimo fini,ſummoque bono; ſicque vnita, & ſubiecta, ſeu regulata circa veritates creditas mouetur, & illuſtratur dono intellectus, vt penetret,& intelligat eas, & ab erroribus diſcernat; vnde ait D. Gregorius lib. 1. Moral.cap.32. *Quod donum intellectus de auditis mentem illuſtrat*; Ita in patria, vbi viſio ſuccedit fidei, & ſicut audiuimus, ita & videbimus, per eam regulatur donum intellectus, pertingitque ad intuendã, & videndam diuinam eſſentiam ex parte ſui regulatiui; vt primo lumen gloriæ eliciat viſionem Dei, antecedenter ad amorem, quia regulat, & excitat ad ipſum, donum verò intellectus ſit cognitio fundata, & conſequens poſt amorem, & guſtum habitum de Deo vnito animæ, & amato, ac veluti connaturalizato per affectũ, & amorem, qua mouetur intellectus Beati à Spiritu Sancto, vt penetret, & apprehendat ipſum Deum, reſque diuinas, non in ſe, & vt purè, ac præcisè veritas eſt intelligibilis,hoc enim formaliter, & elicitiuè fit per viſionẽ in verbo, ſeu beatificam; ſed vt affectiuè, & myſticè, ſeu experimentalitèr cognoſcibilis eſt extra verbum, & in aliquo affectu, id eſt in ipſo affectu interno,& fruitione, atque guſtu, quo Deus intimè vnitur,& veluti connaturalizatur animæ per affectum, et inhabitationem in ea. Hoc enim aliquid creatum eſt, quia eſt effectus, & affectus in anima relictus ex præſentia diuinitatis: Atque adeò ex vi talis effectus,qui eſt affectus ad Deum vnitiuus, penetrare ipſum, & apprehendere, quæ diuina ſunt, eſt affectiua, & myſtica cognitio, quæ quidem ex viſione beatifica reſultat, & inferior eſt illa, ſi enim ex Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 68. art. 8. dona inferiora ſunt virtutibus Theologicis, multò magis viſione diuina,non tamen eadem formaliter cum illa, ſed diſtincta, illa enim habet pro obiecto Deum immediatè, iſta verò pertinens ad donum intellectus, obiectum creatum, ſeu Deum, non vt in ſe quaſi ſpeculatiuè, & quidditatiuè cognoſcibilem, ſed in præfato affectu, tanquam effectu creato guſtatum, ſeu experimentaliter cognitum.

Vnde ſatis manet explicatum, quod dicebamus, & docet S. Thomas in 3. diſt 34. quæſt. 1. art. 4. in corp. tum 1. 2. quæſt. 8. art. 7. Viſionem diuinæ eſſentiæ in patria pertinere ad donum conſummatum intellectus, nõ quidem elicitiuè, aut formalitèr, ſed regulatiuè, & præſuppoſitiuè, quatenus ex viſione ſequitur amor,ſeu affectus intimus, & fruitiuus Dei, & ex iſta fruitione, affectiua, & experimentalis quædam cognitio, non de Deo in ſe formaliter, quod facit viſio, ſed de ipſo, vt in nobis guſtato, & experto, quod facit donum intellectus,manetque proinde in patria formaliter diſtinctum à lumine gloriæ, & viſione beatifica, cum eorum obiecta ſint formaliter diuerſa, & nullatenus inter ſe incompoſſibilia, nimirum Deus immediatè,ac quidditatiuè viſus, & idẽ in aliquo creato, ſcilicet in ipſo affectu charitatis vnitiuæ experimentalitèr, ſeu myſticè cognitus, ac penetratus.

Per quod etiam patet ad rationem dubitandi ſuperius allatam. Etſi enim certiſſimum ſit viſionem beatificam eminenti quadam ratione omnia illa præſtare, quæ de dono intellectus,cæteriſque donis intellectualibus aſſerũtur; ſiquidem viſio beata eſt cognitio intuitiua, & quidditatiua Dei, & pro ea parte, qua eſt intuitiua eſt etiam experimentalis de Deo per modum viſionis; exindeque oritur inſuper affectus, & fruitio Dei in ſe, qua anima habet aliam quoque experientiam de illo affectiuam, quaſi per modum tactus, quo tangitur anima in interiori potentia voluntatis, fruendo ipſa præſen-

præſentia ſpiritus, ac plenitudine diuinitatis tangentis, & inflammantis voluntatem; & ſi, inquam, ita ſe habeat in viſione beatifica, non propterea ſequitur donum intellectus, aut alia non diſtingui in patria ab illa, nec non à lumine gloriæ; aut verò eſſe ſuperflua; non primum quia ad diſtinctionem ſufficit diuerſitas formalis, ſeu diuerſus tendendi modus, nec etiã ſecundum ob eamdem rationem. Quemadmodum enim nullum eſt inconueniens, nec ſuperfluum in patria, multis modis formaliter diuerſis, Deũ ab eodem intellectu cognoſci, ſcilicet viſione beata cæteros eminenter continente, ſcientia infuſa, & acquiſita, quæ etiam fuerunt in Chriſto Domino. Ita nullum eſt inconueniens, nihilque ibi ſuperfluum, quod duplex de Deo, ac diuinis habeatur experientia, vna de ipſo quidditatiua, & quaſi intuitiua per viſum, & alia affectiua, quaſi per tactum Dei immediatum, item nec alia fundata ſuper aliquo creato, ſcilicet ſuper fruitione ipſa diuina, qua beatus fruitur Deo; quãque adhuc intellectus veluti reflexè non cognoſcit entitatiuè, & phyſicè, ſeu quo ad ſuam quidditatem, ſed quo ad ſuum exercitium, & effectum, quẽ relinquit in ſubiecto guſtandi Deum, & ſentiendi experimentum eius, iuxta illud Pſalmiſtæ *guſtate, & videte*; & aliud Apoſtoli, *in charitate radicati, vt poſſuis comprehendere*, ſic enim charitas intrat, vbi ſcientia, in ipſa non fundata, ſuauitatemque diuinæ vnionis non ſentiens, de foris ſtat. Et ſic quemadmodum etiam Chriſtus Dominus, licet perfectiſſime cognoſceret obedientiam, & paſſionem ſuam per ſcientiam beatam, & infuſam, tamen *didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam*, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 2. Ita beati, quamuis per viſionem beatificam perfectiſſime Deum videant, & actum viſionis cognoſcant, veluti ſpeculatiuè per ſcientiam infuſam, tamen adhuc ex his, quæ experiuntur in gaudio, & fruitione eius in ſe, diſcunt per donum intellectus, quam ſuauis ſit Dominus. Nec erit propterea ineuidens, aut obſcurum, quamuis eius cognitio non ſit intuitio ipſa formalis Dei, ſed ex illa reſultans, aut conſecuta, ſicut nec cognitio Dei, quæ habetur per ſcientiam infuſam, aut demonſtratiua, quæ habetur per naturalem cognitionem, ſunt obſcuræ, quamuis non ſint ipſa intuitio Dei. Sufficit enim quod fundetur illa cognitio in aliquo effectu deriuato ex viſione Dei, qualis eſt fruitio eiuſdem, monſtrante illius præſentiam in affectu, & experientia animæ.

Quintò, quod attinet ad obiecta, ad quæ ſe extendit donum intellectus; Docet S. Thomas 2.2. quæſt. 8. art. 1. obiectum ipſius eſſe quodcumque latens obiectum, quod lumine naturaliter ſufficienter penetrari non poteſt; & comprehendit ſub ſe ſex ſpecies: cum etiam obiecta, quæ latere poſſunt, & ad quæ penetranda neceſſarium eſt donum intellectus, eiuſque acuties, ſint ſex. Nam res latent, vel ſub accidentibus, vel ſub verbis, vel ſub figuris, ſeu ſimilitudinibus, vel ſub ſenſibilibus, vel ſub cauſis, vel denique ſub effectibus; Quidquid ergo ſub his ſex velaminibus claudi, & latere poteſt, totum illud eſt obiectum doni intellectus, & ad illud ſe poteſt extendere; primario quidem, ac principaliter ſi ſit aliquid ſupernaturale, ad quod directè ducit hoc donum; ſecundario autem ſi ſit naturale, quatenus nimirum naturalia ſupernaturalibus quandoque deſeruiunt, aut etiam ex viuacitate huius doni circa ſupernaturalia, diſcretioneque eorum ab erroribus, & ſenſibilibus, interdum etiam naturalia ipſa magis illuſtrantur, & penetrantur.

Vndè cum ſub accidentibus lateant ſubſtantiæ, aut etiam alia accidentia minus nota, ac ſenſibus peruia pertinet ad donum intellectus iſta rimari; & ita ſub accidentibus Euchariſticis panis

panis cognoſcit, quomodo abſit ſubſtantia panis, & tamen ſine illa exiſtant; quomodo ſub illis ſit totum corpus Chriſti modo ſubſtantiali non quantitatiuo; quomodo etiam in myſterio Incarnationis natura humana fit abſque propria ſubſiſtentia, & ſic de alijs ſimilibus, quibus, vt diximus ad fidem pertinet aſſentiri purè, et præcisè ſine alia diſcuſſione, vel intelligentia de intrinſecis eorum, quæ occluſa ipſi manent, quod eis ſolum ratione extrinſeci teſtimonij adhæreat, & ſic non facit aliud quam aſſentiri; at donum intellectus interiora penetrat, inueſtigat occulta, ad priora extendit ſeipſum, nititur velata detegere, et vmbrata illuſtrare; ſicut cum Beatiſſima Virgo Interrogabat Angelum: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hoc enim non procedebat in ea ex diffidentia, aut hæſitatione, ſed ex dono intellectus mouente ad plenam, et interiorem intelligentiam myſterij Incarnationis, eo modo quo in hac vita intelligi poteſt. Sub verbis latent diuerſi ſenſus, et ſic intelligere proprium Scripturæ ſenſum; vel litteralem, vel myſticum, ſpectat ad donum intellectus. Vnde Lucæ 24. dicitur, *quod Dominus aperuit diſcipulis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*. Sub figuris, vel ſimilitudinibus latet maximè ſenſus ſpiritualis, vel myſticus, nempe Allegoricus, Tropologicus, ſeu Moralis, et Anagogicus. Sub ſenſibilibus latent intelligibilia, et ſpiritualia omnia, quæ per viam remotionis potiſſimum cognoſcuntur, vt Angeli, et Deus. Sub cauſis latent effectus, vt ſub Sacramentis gratia, ſub paſſione Chriſti noſtra redemptio, omneſque eius effectus. Sub effectibus tandem latent cauſæ, vt ſub effectibus prædeſtinationis, vel reprobationis infinita abyſſus Iudiciorum Dei. Quapropter ad omnia iſta ſe extendit donum intellectus in alijs magis, in alijs minus, pro vt vult Spiritus Sanctus diuidere, et intus ſtare, vt fluant aquæ.

Quamuis enim nonnulla ex his noſter intellectus lumine fidei iam illuſtratus attingere aliqualiterque penetrare poſsit ſtudio humano, adhibitiſque præſertim multis diſcurſibus Theologicis, longe tamen plura ſunt, quę non poteſt intelligere, plura quæ ſubobſcurè tantum, villeque phantaſijs, aut erroribus obnoxia, et mětem obruentia, niſi peculiari intellectus dono diſcernantur, vndè ad illa omnia ſimul, tanquam ad ſua obiecta propria rectè dicitur ſe extendere, ac neceſſarium eſſe: Et quamuis ad aliqua, vt dicebam, proprio labore, humanaque induſtria perueniri poſſit, vt patet in multis peccatoribus, alias doctis, rebuſque fidei, ex diuinæ veritatis teſtimonio, firmiter adhærentibus, et de illis ſubtiliter differentibus, hoc tamen non tollit, quin adhuc donum intellectus ob meliorem penetrationem veritatum fidei, et terminorũ, quibus proponuntur ſit neceſſarium; indeque etiam habeant iuſti aliud præſidium, quo carent peccatores ad ſedandas tentationes, et fluctuationes circa fidem ob eius ineuidentiam, quod eſt habere firmam in illa quietationem, ex interiori illuſtratione, et experimentali guſtu rerum ſpiritualium præ ſenſibilibus formis, quam habent iuſti, etiam ſimplices, et idiotæ ob debitam æſtimationem, et adhæſionem ad vltimum finem, non autem peccatores, quantumuis docti ſolùm fidem mortuam habentes; vndè in aliquibus ità poſſunt reſpicere vnũ, et idem obiectum materiale, vt tamen ſemper ſit diuerſum formaliter.

Sextò tandem, et vltimo ex dictis habetur, iſtud donum intellectus maximè deſeruire contemplationi diuinæ perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ proprię, quatenus per ipſum acuitur, ſubtilizatur, et mundatur mens à ſpiritu vt intelligat, et in tenebris non ambulet, ſed in luce, etiam dum in caligine diuinitatis ambulat, id eſt per

viam remotionis, et vmbram negationis; vt fuſius explicabitur ſectione ſequenti agendo de myſtica animæ cum Deo vnione.

§. IV.

De Dono Scientiæ.

Cvm ſcientia iudicet de prudentia, illamque formet, ac præcedat, quia ſcientia non eſt purè practica, ſed etiam ſpeculatiua, procedens per cauſas inquirendo, et reſoluendo; ſpeculatiuum autem naturaliter præcedat, et excellentius ſit practico, quia abſtractius, et immaterialius, eſtque fundamentum, et ratio practici, illud defendens, et reſoluens ſpeculando eius naturam, et cauſas; ideoque ſit prudentia abſolutè præſtantior, inde quoque donum ſcientię tale eſt reſpectu doni conſilij correſpondentis prudentiæ.

Primum igitur conſiderando hoc donum analogicè ad ſcientiam, quæ eſt virtus, ſicut iſta eſt habitus iudicatiuus euidenter veritatum ſcibilium per cauſas, vel effectus, vt ſimul comprehendatur ſcientia propter quid, et, quia, vel à priori, et poſteriori, à ſapientia, quę eſt virtus, diſtinctus ex diuerſa ratione formali, quia nimirum iſta procedit ex cauſis ſupremis, ſcientia autem ex proximis, et inferioribus ad cognoſcendas veritates, vt enim ait Diuus Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 19. *Sapientia diuinis, & æternis, ſcientia humanis, & temporalibus attributa eſt rebus*, Quod ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 9. art. 2. ad 3. non tam de ipſa materia, aut re intellecta, quam de ipſa formali ratione intelligendi accipiendum eſt. Si quidem loquendo de rebus ipſis non repugnat, ſapientiam ad res etiam inferiores deſcendere, ex ipſis cauſis ſupernis, ſcientiam verò aſcendere ad ſuperiores ex effectibus, aut cauſis inferioribus, ſicut Phyſica ad Deum ipſum tanquam ad primum motorem. Ita quoque donum ſapientiæ, et donum ſcientiæ, formaliter inter ſe diſtinguntur, quod primum procedat per cauſas altiſſimas, ſecundum autem per inferiores, vtrumque tamen modo ſcientifico, et reſolutiuo, ad iudicandum de ſuis veritatibus.

Secundò, cum certum ſit, hoc etiam ſcientiæ donum eſſe aliquid ſupernaturale, ſeu pertinere ad ſcientiam myſticam, & affectiuam; ſiquidem in ſcriptura non vocatur ſcientia quomodocumque, ſed ſpiritus ſcientiæ, & ſcientia Sanctorum, quia ſolùm eſt in habentibus gratiam, atque adeò fundari debet in aliqua motione Spiritus Sancti, quæ moueat mentem nō puro, aut nudo lumine manifeſtante veritatem, pro vt eſt extra, ſed prout interna experientia, & quaſi connaturalitate affectiua ſupernaturali fertur, & attingit res, de quibus iudicat, cùm, inquam, id certum ſit, difficultas eſt, quomodo de rebus humanis, ad quas iudicandas hoc donum procedit per cauſas creatas, & inferiores, poſſit haberi experientia, & guſtus aliquis ſupernaturalis. Pro cuius explicatione aduertendum eſt; fidem, etſi primariò cognoſcat Deum, ſecundariò tamen multa creata cognoſcere, quorum vnum poteſt eſſe cauſa, vel ratio alterius, ipſaque met fides, & eius exercitium aliquid temporale, & creatum eſt. Similiter ex fide naſcens charitas, & vnio ad Deum primariò fertur in ipſum, & res diuinas, ſecundariò autem in creatas propter Deum. Vnde fit, quod homo ſic Deo vnitus, & affectu veluti connaturalizatus experimentalem de illo guſtum habeat, ſed ſimul etiam de creaturis, fiatque conſequenter bene mobilis à Spiritu Sancto tum ad intelligendum, & iudicandum de diuinis, tum de creatis. Et quidem de diuinis iudicat ſecundum affectum, & vnionem, vel experimentum ad ipſa intra ſe, & primarios de creatis verò ſecundario, & per ex-

perimentum,

perimentum, quod habet de illis, vel in ipſo affectu ordinante charitatem, vel amorem creaturarum ad Deum; vel in ipſo actu fidei & aliarum virtutum; vel in ipſo modo tendendi ad Deum per viam remotionis creaturarum. Quod totum non poteſt non eſſe fundamentum, & obiectum myſticæ, & affectiuæ, ſupernaturaliſque cognitionis; quæ vbi fit per cauſam ipſam primam, cui primo & per ſe fides, & charitas vniuntur, dicitur ſcientia ſumma, quæ eſt ſapientia; vbi autem per cauſas creatas, & inferiores, quibus vniuntur ſecundario, & per quas etiam inducuntur ad intelligendum primam, dicitur ſolum ſcientia, ſiue donum ſcientiæ.

Hoc ergo donum formaliter conſiſtit in recto de creaturis iudicio, ex vnione, & guſtu ad illas propter Deũ creditas, & amatas ſecundario; ſiue quod idem eſt, obiectum eius formale, ſunt ipſæmet creaturæ, non quomodocunque, ſed vt cognitæ, & iudicatæ ex præfata vnione, & guſtu ad illas; inde enim formatur iudicium rectum de illis, tum ad contemnendum, ne ab illis inordinatè ducantur, tum ad diligendum moderatè, ordinando illas in Deum. Sicque cognitio creaturarum per donum ſcientiæ, eſt cognitio tranſire nos faciens ad Deum, vel illas propter ipſum, vbi opus eſt, amando, vel contemnendo. Ex quo dicebat Apoſtolus Philipp. 3. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*; nec non Roman. 8. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Inde enim ſatis patet, qualis cognitio habeatur, qualeque iudicium de creaturis ex charitate ipſa Dei, ne propter illarum commoditatem, aut timorem ſeparari quis debeat à charitate Dei; quamque ad perfectam cum Deo vnionem, & habendam de illius infinita bonitate experientiam conducat denudatio à creaturis, & cognitio de illarum miſeria, & amaritudine iuuet, vt Deo firmius inhæreamus, quia à nobis per viam remotionis creaturarum cognoſcitur.

Tertiò, ex his patet diſtinctio huius doni à cæteris intellectualibus, nec nõ à ſcientia acquiſita, & fide. A ſcientia acquiſita, quia donum ſcientiæ eſt ſupernaturale, & fundatum in interiori experientia, & guſtu rerum ſpiritualium, & ſic eſt ſcientia myſtica, & affectiua, non autem ſtudio, & induſtria acquiſita, non quærens rerum quidditates nudo diſcurſu, ſed affectu ipſo earum differentias diuinitus experiens. Diſtinguitur à fide, quia donum ſcientiæ eſt iudicatiuum de veritatibus reſolutiuè, & per cauſas non ſupremas, ſed inferiores, fides autem purè credit teſtimonio dicentis, non cauſas inquirit: nec non etiam quia procedit ex affectu, & vnione ad Deũ, quod non competit præcisè fidei, quę ſine charitate eſſe poteſt, ex hac enim vnione, quæ non ſiſtit ſolum in Deo, ſed etiam ad creaturas tranſit propter Deum, & ordinatè ad Deum, ſequitur iudicium diſcretiuum inter iſtum, & illas quantum ad rectam æſtimationẽ creaturarum ſecundum earum proprietates, quod pertinet ad cauſas inferiores, & creatas, ſicque diſtinguitur à dono Sapientiæ, procedente ex ipſa cauſa ſuprema, & altiſſima, cui primò, & per ſe vnitur per charitatem. A conſilio verò diſtinguitur, quia iudicium ſcientiæ non eſt purè practicũ, ſed ſpeculatiuum, & reſolutiuum in cauſas, non verò proximè, & præcisè directiuum de agendis; ſicut prudentia, & conſilium.

Quartò loquendo de obiectis materialibus, ad quæ ſe extendit hoc donum

num, eadem ſunt tam ipſius, quam doni intellectus, & ſapientiæ, ac illa, circa quæ verſatur fides, diuerſificanturque ſolum in rationibus formalibus, ſeu motiuis, vt vidimus. Sapientia igitur licet primario, & principaliter ſit de diuinis, tamen de creatis etiam, ſeu humanis iudicat, licet hoc faciat per altiſſimam cauſam, & inhærendo rebus diuinis, vt docet Sanctus Thomas 2.2. qu.45. art.1. Scientia quoque licet ex cauſis creatis procedat, tamen etiam per eas ad ea, quę diuina ſunt pertingit, quatenus inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Vnde etiam idem S.Doctor ait 2.2. q.9. art.2.ad 2. *Quod cum homo per res creatas Deum cognoſcit, magis hoc videtur pertinere ad ſcientiam, ad quam pertinet formaliter, quam ad ſapientiam, ad quam pertinet materialiter. Et è conuerſo, cum ſecundum res diuinas iudicamus de rebus creatis, magis hoc ad ſapientiam, quam ad ſcientiam pertinet.* Loquendo igitur de obiectis materialibus iſtorum donorū ſunt communia, & eadem quæ fidei, ſcientięque donum reſtringi non debet ad cognoſcendum ſolum id quod eſt temporale in actu fidei; nam circa diuina poteſt procedere ex cauſis creatis, ad Deum aſſurgendo, & comparationem faciendo inter Deum, & creaturas; ſicut circa humana, & creata poteſt ſapientia procedere ab altiſſima cauſa, quæ eſt Deus, ad hæc inferiora deſcendendo. Donum verò intellectus circa hęc omnia poteſt procedere ſimplici iudicio, ex terminis penetrando, & apprehendendo quid vnumquodque ſit, ſaltem per viam remotionis, non reſolutiuè ex cauſis iudicando, vt explicatum eſt ſupra.

Quintò tandem, & vltimò, hoc idem ſcientiæ donum, quod eſt in via, manebit in patria, ſeclusis tamen imperfectionibus, quibus hic per accidens admiſcetur, nimirū obſcuritatis fidei; iſtud enim donum, nec non ſapientiæ, & intellectus non indigent mutare materiam principalem in patria, quam habent hic, nec rationem cognoſcendi illam myſticè, & experimentaliter, ſed tantùm vt euidenti modo attingant Deum, præſuppoſitiuè, & regulatiuè per viſionem beatificam, quem hic obſcurè attingunt præſuppoſitiuè, & regulatiuè per fidem, iuxta conditionem præſentis ſtatus; quamque pro iſto habent euidentiam negatiuā, & extrinſecam dę ſuis obiectis, mutent in patria in poſitiuam, & quidditatiuam. Etſi enim idem habitus non poſſit eſſe modo obſcurus, modo euidens ex ſua ratione formali, idem tamen habitus, qui circa vnam materiam, vel in vno ſtatu habet imperfectam euidentiam, & experientiam; poteſt in alio ſtatu, vel circa aliam materiam habere euidentiam perfectam; non mutata ſubſtantiali, & ſpecifica ratione ſua. Quare Diuus Thomas in 3. diſt.35. q.2. art.4. quæſtiunc.ait: *Quod donum ſcientiæ, & conſilij manebunt in patria, ſicut dona, quæ verſantur circa vitam actiuam; ſcilicet non circa eamdem materiam, ſcilicet circa operabilia dubia, ſicut nunc, ſed actus ſcientię erit circa Deum, ſecundum quòd eſt regula ad iudicandum; actus verò conſilij, ſecundum quod vt illuminans ad inueniendum.*

§. V.

De Dono Conſilij.

DOnum Conſilij intellectualium vltimum, dignitatem tamen ſuperans alia tria ad partem appetitiuā ſpectantia, correſpondet virtuti prudentiæ, quia propriè ad prudentiam pertinet conſiliari. Vocatur autem potius donum conſilij, quam prudentiæ, quia magis per hoc ſignificatur diuina motio, & inſtinctus, quo propriè, & ſpecialiter mouetur homo per dona Spiritus Sancti, vt docet Diuus Thomas 2.2. q.52. art.2. ad 1. *Quia, inquit, in donis Spiritus Sancti mens humana*

mana non ſe habet vt mouens, ſed magis vt mota, inde eſt, quod donum correſpondens prudentiæ, non fuit conueniens, quod præceptum diceretur, vel iudicium, ſed conſilium, per quod poteſt ſignificari motio mentis conſiliatę ab alio conſiliante.

Primùm quod attinet ad huius doni rationem formalem, atque adeo diſtinctionem à fide, prudentia infuſa à fide regulata, dono ſapientiæ, & ſcientiæ, cum per hęc præſtari poſſe videatur quidquid per donum conſilij, poſſet etiam dici ſolo nomine ab illis diſtingui. Nihilominus inhęrendo fundamento vſque modo poſito, quod nō agitur de quocumque conſilio, ſcientia, & ſapientia; ſed de his in genere myſtico, & affectiuo, ſeu de ſpiritu ipſo conſilij, ſicut & de ſpiritu ſcientiæ, ac ſapientiæ, ſcilicet quæ ex ſpiritu, & affectu oritur; Dicendum eſt donum conſilij formaliter in eo conſiſtere, quod dirigat ea, quæ agenda ſunt non ex rationibus humanis præciſè, ſed ex diuinis non pręciſè cognitis per fidē, & prophetiā quæ poſſunt eſſe in peccatoribus, ſed ex affectu, & experientia diuinorum interna, ex qua docetur, & inſpiratur de omnibus ad ſalutem neceſſarijs, etiam cum diſcurſu, & inquiſitione, aut adhibita aliorum conſultatione, quia totum hoc docetur, & inſpiratur à Spiritu Sancto, qui, vt Chriſtus promiſit, *Docet nos omnem veritatem, & vnctio ipſa docet nos de omnibus*, vtique etiam de diſcurrendis, et inquirendis, et ſic agendis. Vndę tantum abeſt, quod petere ab alijs cōſilium, arguat in multis iuſtis carentiam doni conſilij, vt potius hoc ipsū diuini ſit conſilij, nempe ad alios pro conſilio recurrere, in quibus ipſi non poſſunt ſatis ſe expedire. Si quidem Spiritus Sanctus non ita omnibus manifeſtam ſui copiam facit, vt aliorum conſilio, vel communicatione non indigeant, ſed per quoſdam alios inſtruit, & per maiores minores illuminat, ſicut per ſuperiores Angelos inferiores. Cuius in Sacra Scriptura aliqua non deſunt exempla, vt Cornelij Centurionis act. 10. cui licet ab Angelo reuelationem Dei accepiſſet, tamen ab eodem conſilium illi datur, vt quærat Petrum, & inſtruatur ab eo, *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere*; quod et pręſtitit actus dono conſilij, nimirum vt pro Petro ad ſui inſtructionem mitteret. Item Diuus Paulus Act. 9. miſſus eſt ad ciuitatem, vt ibi ab Anania inſtructionē acciperet, *dicetur*, inquit, *tibi, quid te oporteat facere*.

Igitur quemadmodum ex affectu, et vnione ad Deum ſumitur ſapientia et ſcientia affectiua, et myſtica, quibus, vt diximus, illuſtratur intellectus ad iudicandum de diuinis, et creatis ex notitia experimentali de Deo, et guſtu illius interno, quo charitas attingit primo Deum, et ſecundario creaturas; ita quoque ex eadem radice affectus myſtici, et vnionis ad Deum datur donum conſilij illuſtrans, perficienſque intellectum practicè prudentialiter circa agenda. Si quidem vbi eſt pars ſpeculatiua perfecta, etiam et practica perfici debet, quia practicum fundatur in ſpeculatiuo, et prudentia dirigitur à ſapientia, et ſcientia: igitur ſi in parte ſpeculatiua reperiuntur pręfata dona illam perficientia ſecundum cognitionem, et iudicium fundatum in experimentali, et interno guſtu Dei; debet etiam in practica poni donum conſilii in eodem guſtu fundatum, perficiens illam ad iudicandum de agendis, quia iudicat de mediis, et conſiliatur de illis non ſecundum rationes, et modum humanum, etiam ordinatum ad finem ſupernaturalem, ſed ſecundū ſapientiæ, et ſcientiæ donum, fiduciamque in Deo, qui potens eſt omnia media diſponere, et omnes difficultates ſuperare; et ita hoc donum conſilii maximè nititur ſpei diuinæ, quia diſponit de multis mediis, quæ ſolum ex diuino auxilio, et omnipotentia Dei, poſſunt eligi, cui

etiam

etiam maximè innititur virtus ſpei. Quæ cum ſit minus efficax,quando eſt informis, & in peccatore, tunc autem efficaciter moueatur,quando eſt in iuſto, qui experientiam habet de potentia, & voluntate Dei ad auxiliandum, tunc etiam eſt ſpiritus, donumque conſilij mouens ad ſtrenuè ſe habendum, & ſuperanda quęcumque ardua, etiam valdè extraordinaria, ſicut eſt ſuſtinentia mortis, contemptus diuitiarum, nuda Chriſti ſequela, aliaque ſimilia, pertinentia ad donum fortitudinis, pietatis, & timoris, quæ ab iſto dono conſilij immediatè regulantur. Deindè cum prudentia, & conſilium maximam vim habeant ex affectu ad finem, & recta æſtimatione de illo, ad diſcernendum media, quibus ad illum tendendum eſt; inde eſt; quod ex cognitione eorum, quę habetur per donum ſapientię, nimirum creaturarum, quibus tanquam medijs in Deum tendimus, haberi quoque debet directio prudentialis, & ſecundum conſilium Spiritus Sancti de talibus medijs, & de his, quæ agenda ſunt, fundatum in myſtico affectu, & vnione ad Deum.

Ex his *ſecundò* colligitur diſtinctio huius doni à fide, quod hæc ſolum eſt eminenter practica, & per modum regulæ vniuerſalis, non autem proximæ, & applicatiuæ ad opus, pro vt hic, & nunc, & ſecundum iudicium,quod ferendum eſt de medijs, vt eligantur,ad hoc enim requiritur virtus magis determinata, & particularis, quæ non ſolùm credat, quid ſciendum eſt,ac operandum, ſed etiam diſcernat, & iudicet de medijs, modoque operandi, & circunſtantijs,quibus hic,& nunc operandum eſt, quanta intenſione, & conatu, quanto tempore, quanta menſura, de quibus, & ſimilibus in particulari non agit fides, ſed virtus prudentiæ, quia hoc arbitrarium eſt non credibile, licet enim fides doceat Deum eſſe diligendum,& ſperandum,aliaque principia practica ſupernaturalia cognoſcat, & credat, & ſic per dilectionem operetur, tamen de arbitrarijs in ſingulari, non diſcernit, nec iudicat, ſed ad hoc ponitur virtus prudentiæ, quantum ad modum, & regulas humanas, & ad id quod vltra humanas regulas eſt, donum conſilij, vnde præter fidem illud eſt neceſſarium, & habitus ab illa diſtinctus; Item à prudentia infuſa, quæ non ſufficit conſiliari pro omnibus, ad quæ nos mouere poteſt inſtinctus Spiritus Sācti. Prudentia enim infuſa, quamuis ſupernaturalis ſit, quia tractat de materijs ſupernaturalibus, dirigendo virtutes infuſas in ſuis operationibus, id tamen non præſtat, niſi iuxta modum humanum, & communes regulas virtutum; fides enim illam regulans ita attingit reuelata per teſtimonium diuinum, vt tamen iudicium de his, quæ in particulari agenda ſunt circa virtutū exercitium relinquat arbitrio humano; iſtud ergo, ſuppoſita etiam fide, eum moueri poſſit ad iudicium ferendum, vel ſtudio, & induſtria propria,vel inſtinctu, & motione diuina, in his in quibus deficit humana diligentia; vt pro primo prẹter fidem requiritur prudentia, quæ eſt virtus,ab illa diſtincta; ita pro ſecundo conſilium quod eſt donum, à virtute prudentiæ diſtinctum, illique ſuperadditum.

Diſtinguitur tandem à donis ſapiētiæ, & ſcientiæ, quia licet hæc etiam practica ſint, & non purè ſpeculatiua, nihilominus tractant de agibilibus, & principijs practicis tantùm in communi, & ſcientificè, non autem in ſingulari, & arbitrariè, provt requiritur ad operandum; ſcientia enim non eſt de ſingularibus contingentibus: igitur præter dona ſapientiæ, & ſcientiæ, nec non intellectus requiritur inſuper donum conſilij ab illis diſtinctum, illis tamen innixum, agens de practicis in ſingulari, & de circunſtantijs operationum, vltra modum humanum, ſeu vbi deficit diſcurſus humanus induſtriave humana.

Ter-

Tertiò, quod ſpectat ad obiecta materialia, ad quæ ſe extendit hoc donum; communis eſt ſententia, illud directè verſari circa omnia illa agibilia, quæ per alia dona appetitiuæ partis operanda ſunt, ſcilicet per pietatẽ, fortitudinem, & timorem. Ratio eſt, quia ſicut prudentia virtus habet pro obiecto materiali, ſeu pro materia ſuæ directionis omnia agibilia virtutũ Cardinalium; quæ prudentiæ regulis aguntur, ita donum conſilij directè reſpicit, ac regulare debet ea, quæ à donis Spiritus Sancti in appetitiua parte exercenda ſunt, ſi enim per ſe datur ad ſupplendum id, in quo prudentia, & communes eius regulæ deficiunt; per ſe quoque dirigere debet ea opera, quæ vltra communes regulas operantur, & exercentur, & hęc ſunt, quæ fiunt à donis Spiritus Sancti in appetitiua parte. Nec ſolùm extendit ſe ad ea, quæ ſunt conſilij, vel ſupererogationis, verum etiam pręcepti, vt docet Diuus Thomas 2. 2. qu. 52. art. 4. ad 1. & 2. *Donum*, inquit, *conſilij dirigit nos in omnibus actibus virtutum, & in omnibus, quæ ordinantur in finem vitæ æternę, ſiue ſint de neceſſitate ſalutis, ſiue non*. Non enim dicitur pręcisè donum conſilij, quia tantùm verſetur circa ea, quæ ſunt ſupererogationis, vt ſunt conſilia, non autem circa diuina pręcepta, ſed quia prudenter circa vtrumque verſatur ſpecialiter conſiliante Spiritu Sancto.

Indirectè etiam, ac ſecundariò poteſt dirigere, nedum, quæ ad regulas communes, ſupernaturales, vel humanas pertinent, ſed etiam, quæ ſunt ordinis naturalis, quatenus ſupponi, & ſubordinari debent diuinis; Et hoc ideo, quia motio Spiritus Sancti, cum ſit vniuerſaliſſimi motoris; ad omnia ſe extendit; indigentia autem, & infirmitas humana tanta eſt, vt non ſolũ in his, quæ ex natura ſua ſupernaturalia ſunt, vireſque creatas excedunt, indigeat ſpeciali motione, & directione Spiritus Sancti, verum etiam in his, quę ordinis naturalis ſunt, quia multis erroribus, & periculis ſubiectus eſt homo, vtque ad æternam beatitudinem perueniat, temporalibus, quæ etiam ſunt media ad illam, tam moderatè vti debet, vt neque ad dexterã, neque ad ſiniſtram declinet; vbi igitur attenta hac infirmitate, alijſue ſimilibus in homine, virtutes ordinarię infuſę modo humano procedentes, illam plenè ſuperare non poſſunt; eam ſaltem imperatiuè, & ſecundariò firmari oportet ab altiori Spiritus Sancti inſtructione, ſicut fides in multis corrigit rationem, & diſcurſum naturalem.

Quartò, licet in omnibus iuſtis, et electis non reperiatur donum conſilij in excellenti gradu; neque quantum ad diſcretionem, et iudicium in naturalibus, et temporalibus ſecundum ſe, bene tamen quantum neceſſarium eſt ad conſequendam ſalutem, et ad deſpicienda terrena, ne his implicentur, et à celeſtibus deuient; quod ſufficit, vt hoc donum, ſicut et cętera, dicatur neceſſarium ad ſalutem, et in omnibus iuſtis ſe extendere ad omnia agibilia, vt diximus, & non ſolùm ad illa quæ exercentur in voluntate, aut in parte appetitiua per dona eius, ſcilicet pietatem, fortitudinem, et timorem. Idque videtur eleganter docuiſſe S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 11. vbi recenſens omnia, quæ operatur donum conſilij, etiam generaliter loquendo pro quolibet electorum, hęc habet verba: *Vnuſquiſque electorum adhuc in mundo poſitus, mente tamen extra mundum ſurgit, ærumnam exilij, quam tolerat, deplorat, & ad ſublimem patriam inceſſabilibus ſe amoris ſtimulis excitat. Vnde inuenit ſalubre conſilium, temporale hoc deſpicere, quod percurrit: & quò magis creſcit conſilij ſcientia, vt peritura deſerat, eò augetur dolor, quod necdum ad manſura ſine æterna contingat. Et ideo ſolerti conſilio infigit mentem, & cautè ſe in omni actione circumſpiciendo conſiderat. Et ne ex re, quæ agitur, re*penti-

peutinus finis, & aduerſus ſurripiat, hunc prius molliter poſito pede cogitationis palpat, & penſat, ne in his, quę agenda ſunt, præcipitatio impellat, ne praua per concupiſcentiam aperto bello ſuperent, ne recta per inanem gloriam inſidiando ſupplantent. Et mens electi cuiuslibet, quo magis per conſilium viuere nititur, & anguſti itineris dolore fatigatur. Hactenus Diuus Gregorius. Quod autem multi iuſti indigeant ab alijs petere conſilium, hoc minimè arguit huius doni carentiam, cum hoc ipſum diuini ſit conſilij, ad alios pro conſilio recurrere, vt diximus ſupra.

Quintò, licet abſolutè ſtare poſſit ratio conſilij, quantum ad id, quod determinationis, et reſolutionis eſt in conſiliando, et non quantum ad id, quod dubitationis eſt in inquirendo, qua ratione inuenitur conſilium in Deo, in Chriſto, et in Beatis, iuxta illud: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*; et Apoſtolus ait: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; Quia tamen pro præſentis vitæ ſtatu, hoc donum etiam datur, ad tollendam dubitationem, imo quia tot in ea, tamque magnæ dubitationes, ac difficultates occurrunt; ideoq; ſpecialis eſt illius neceſſitas, breuiter explicandũ eſt, quomodo aliquam nobis certitudinem, vel ſecuritatem afferat. Pro quo notandũ eſt primò, quod in agibilibus, aliquãdo hęc certitudo, vel ſecuritas prouenit ex occulta inſpiratione, et inſtinctu, quatenus ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus; aliquando autem ex aliorum inſtructione manifeſta, et exemplo, quorum opera Deus nos illuminat: Secundò aduertendum eſt, quod in iiſdem agibilibus aliquando incertitudo, et dubitatio poteſt eſſe de ipſa re, ſeu obiecto, an ſit faciendum; aliquando de ipſa illuminatione, et inſtinctu, an nimirum ſit à Deo, et aliquando cũ nulla ſit dubitatio de ipſa re ſecundũ ſe, quia eſt bona, et iuſta, ſicut eſt ingreſſus in religionem abſolutè, pati martyrium pro fide, et ſimilia, atque adeo de illa conſultare non oporteat, poteſt tamen eſſe dubitatio de modo, quo executioni mandari debet, indigetque conſequenter conſilio.

Igitur quando eſt certitudo, vel ſecuritas de ipſa re, vel obiecto, de quo agitur, tunc bene poteſt aliquis duci à Spiritu interius mouente, niſi obſtet aliquod legitimum impedimentum, de quo nolit Spiritus Sanctus immediatè per ſe reſolutionem dare, ſed mediantibus alijs, cum quibus conſulatur. Et tunc donum conſilij ad hoc mouet, vt cõſulamus alios; licet enim hoc donum ſemper ſit ex inſtinctu Spiritus Sancti, reſolutio tamen agendorum non ſemper inſpiratur immediatè cuilibet ab eo, ſed mediantibus alijs, quibus vult, vt communicemus, et conferamus agenda, ſicut patet exẽplis Diui Pauli, et Cornelij Centurionis ſuperius allatis, vbi primum ad Chriſti fidem conuerſi ſunt, nec non ex hoc, quod idem Paulus ait ad Galat. 2. ſe contuliſſe Euangelium cum his, qui videbantur eſſe aliquid, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Et tunc donum conſilij mouet nos à Spiritu Sancto ad conſulendum cum alijs, et hic eſt actus ipſius, et deindè ad acceptandum, et agendum, quod bene fuerit viſum. Si autem in re certa, et de ſe bona, licet ardua, et difficili nullum appareat legitimum impedimentum, tunc donum conſilij interius mouet ad acceptandum, et determinandum quod fiat, non propter tollendam dubitationem, vel incertitudinem rei, quæ vt ſupponimus, non datur, quia de eius bonitate certo conſtat, ſed propter vincendam eius difficultatem, et ſubiecti infirmitatem, quod non debitè applicatur. Non enim ſolum pertinet ad prudentiam, et conſilium rectè iudicare de re, aut conſiliari, quod ſpectat ad ſyneſim, et eubuliam virtutes prudentiæ adiunctas, vt diximus ſupra agendo de ipſa,

verum

verum etiam imperare, et applicare ad operandum, quod eſt maximè difficile in virtute prudentiæ. Cum igitur donum conſilij operetur loco prudentiæ, & vbi illa deficit, pertinebit ad ipſum non tantum benè conſiliari, & iudicare de agendis, ſed etiam benè imperare, & applicare ad exeqnendū conſiliata, & iudicata; Quodque homo ita ducatur à dono conſilij, non eſt priuato, aut proprio ſpiritu duci contra morem Eccleſiæ condemnantis hæreticos, maximè noſtri temporis, docentes poſſe quempiam priuato ſpiritu in rebus ſpiritualibus iudicandis, & credendis duci, id enim intelligi debet de his quæ credenda ſunt, vel de doctrinis approbandis, alijſue ſimilibus dubitationibus ex parte ipſarum rerum ſe tenentibus; cæterum in applicando ſe, & imperado executionem eorum, quæ certa ſunt, & in quibus ſoluta eſt omnis dubitatio, non eſt cōtra, imo iuxta ſtylum Eccleſiæ, quod aliquis interiori moueatur inſtinctu, quia non poteſt à malo ſpiritu eſſe, quod inſtigat, & fert ad bonum, certò, & indubitatè tale, ſaltē bonitate morali, vt ſupponitur.

At ſi dubitatio ſit circa ipſam rem faciendam, an ſit bonum, nec ne illam facere? aut debitæ concurrant circumſtantiæ: nec non circa ipſummet interiorem inſtinctum, an ex Deo ſit? tunc donum conſilij non mouet immediatè ad iudicandum de illis, aut ad determinandum in alteram partē, multoque minus ad exequendum, id enim temerarium eſſet, ſtante illa dubitatione, ſed mouet ad examinandū, & probandum, an illud ex Deo ſit, nec ne? Hæc enim eſt regula Apoſtolica 1. Ioann. 4. *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Et 1. ad Theſſal. 5. *Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* Quod examen, vel probatio regulariter debet fieri communicando, vel conferendo cum alijs, maximè ſuperioribus, Deo volente per iſtos illuminari inferiores. Neque hoc eſt donum Spiritus Sancti ſubijci virtuti prudentiæ, aut ab ea dependere, quia qui iudicant de huiuſmodi rebus non iudicare debent ſecundum humanas rationes prudentiæ, ſed ſecundum regulas fidei, cui ſubditur donum Spiritus Sancti, & à qua regulari, ac dirigi debet; ita vt, ſi quæ rationes humanę, vel Theologicę adhibeantur præfato examini, miniſterialiter tantùm deſeruiant ad melius explicandas res fidei, vel inſtinctum Spiritus Sancti. Poſſunt etiam regulari ſecundum aliud donum Spiritus Sancti, quod in vno excellentius reperitur, quam in alio; & propterea ad iſtarum rerum myſticarum examen, vt ſit vndequique perfectum, ſimul cum viris doctis adhiberi debent, & prudentes eloquij myſtici.

Ex quibus ſatis patet, donum conſilij habere à Spiritu Sancto certitudinem in agendo, non quidem fidei, ſed prudentialem fundatam in ipſius motione; de cuius prudentialis certitudinis ratione eſt, quod quando res ipſæ ſunt in ſe dubiæ, & obſcuræ ſubijciantur aliorum probationi, & examini, habentium excellentius donum, meliusque penetrantium regulas fidei, quibus res ſpirituales examinari, ac dijudicari debent; & ad hoc ipſum examen mouet donum conſilij, quia in his dubiis regulariter Spiritus Sanctus non dat conſilium, aut certitudinem interius, niſi dependenter ab aliorum examine, quia vult probari ſpiritus ſi ex Deo ſint, & hoc ipſum velle probari, & examinari, humiliterque procedere, & non pręſumere de nobis, quod poſſimus de omnibus diſponere, ad donum conſilij ſpectat, & maximè Dei conſilium eſt, obedientiæ, & humilitatis conſilium, & ita duci non à priuato, ſed examinato ſpiritu. Cum autem ordinarius modus, quo nos mouet Spiritus Sanctus, ſit per conſilium cum examine, & probatione aliorum, quando interdum extra regu-

Iam hanc mouet aliquorum mentes ad aliquid agendum, quod humanam ſuperat prudentiam, vt quod Samſon ſe occiderit, nonnullique Martyres ſpontè in mortem irruerint, quamuis id certis regulis definiri non poſſit, valdeque oporteat in hoc eſſe cautum, nec facilè poſſit quis ductum propriũ ſequi, ne pro ſpiritu veritatis præcipitetur à ſpiritu erroris, in hoc ſequẽda eſt regula Sancti Auguſtini lib. 2. de ciuit. Dei cap. 8. *Qui audit non licere, ſe occidere; faciat, ſi iuſſit, cuius non licet iuſſa contemnere. Tantummodò videat, vtrum diuina iuſſio nullo nutet incerto.* Ad ſequendum, inquam, interiorem ſpiritum, & conſilium ſine examine, & communicatione cum alijs, quando Spiritus Sanctus ita mouet, diligenter, & accuratè perpendendum eſt; an mens ita mota, & afflata ſit ſerenata, & pacificata, ſine vllo paſſionis, aut furoris nubilo, eo quod *Sapientia, quæ deſurſum eſt primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, &c.* Iacob 3. Tali enim pace, animæque ſerenitate fruens, cuique, re bene perpenſa, nulla relinquitur nutatio, nulla fluctuatio, inde poteſt diſcernere, ex Deo eſſe, ſine alio examine; Deo tunc ſe ſolo ſupplente, quidquid per aliorum examen deberet approbari, atque adeo relinquente mentem ſic ſecuram, & certam, quod nullo nutet incerto, quin res ſine aliorum examine fieri poſſit. Nam ſi aliquid nutationis, aut dubitationis occurreret, dum eſſet in ſano, vigilantique animo, ſignum eſſet, quod Deus nollet ſtatim fieri, ſed prius iuxta ſuas regulas examinari.

†

§. VI.

De Dono Pietatis.

QVamuis apud Iſaiam primo loco inter dona partis appetitiuæ ponatur fortitudo, quia tamen nobilitate illa præcedit donum pietatis, tũ quia ſubordinatur dono ſcientiæ, fortitudo verò dono conſilij; tum quia materia eius, excellentior eſt materia fortitudinis, pertinetque ad voluntatem, in qua eſt religio, & iuſtitia, ideo etiam prius agimus de dono pietatis.

Primum igitur quod ſpectat ad rationem eius formalem, & à pietate, vel religione virtute diſtinctionem, ſic illam explicat Diuus Thomas in 3. diſt. 34. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. *Quod quamuis pietas virtus, quæ latria dicitur, ipſi Deo exhibeatur, in hoc tamen accipit aliquid humanum pro menſura, ſcilicet beneficium à Deo acceptum, ratione cuius eſt debitor ei; Sed pietas, quę eſt donum, accipit aliquid diuinum pro menſura, vt ſcilicet Deo honorem impendat, non quia ſit ei debitus, ſed quia Deus honore dignus eſt, per quem modum etiam ipſe Deus ſibi honori eſt.* Itaque formalitèr, & ſpecificè differunt, ex Diuo Thoma, Pietas donũ; & religio infuſa, ſeu latria, quæ eſt pietas virtus, ex diuerſa ratione debiti, quę eſt id, quod formalius, & intimius attenditur in his virtutibus, quæ ſunt ad alterum; ex diuerſa enim ratione debiti oritur diuerſa virtus ad alterum; quatenus ſcilicet religio ita reſpicit rationem cultus in Deo, vt ſiidet illum in ratione debiti mutui, nimirum conſiderando beneficia diuina erga nos, & retributionem, quam debemus ei, iuxta modum talium beneficiorum, ſecundum illud Pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Vbi, & in alijs ſimilibus Scripturæ locis, inuocatio nominis Domini, quæ

eſt

eſt actus religionis fit per modum retributionis, & debiti ad id, quod Dominus retribuit, & dat nobis.

At verò donum pietatis, relicta hac menſura, modoque humano largitionis, & retributionis bonorum, honorat, & magnificat Deum ratione ſui,ſiue bona,ſiue mala nobis tribuat; ſeu in quadam nuditate, & annihilatione omnium,ſolum attendit ad laudandam magnitudinem diuinam in ſe, & propter ſe; ſecundum illud Pſalmi 33. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum.* Hoc eſt,non in his, quæ nobis tribuit, nec iuxta menſuram beneficiorum, ſed propter ipſum, & in id ipſum. Item illud Beatiſſimæ Virginis in ſuo Cantico: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; vbi non ſublimiſſima beneficia ſibi collata, etiam maternitatis diuinæ in motiuum aſſumit magnificandi Deum,& exultandi in eo, ſed ipſammet eius celſitudinem reſpicientem profundiſſimam humilitatē, & ſeruilem conditionem ſuam.Ac demum illud, quod Eccleſia canit in Hymno Angelico, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Hoc eſt, non propter hæc, aut illa nobis collata beneficia, ſed propter gloriam, quam habes in te. Quatenus donum pietatis, vt diſtinctum à virtute religionis, relictis omnibus motiuis beneficiorum Dei, ſub quacumque ratione, gratias agit Deo, & colit ipſum, quia in ſe magnus, & pius eſt: Vt cum dicitur Apocalip. 11. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, qui accepiſti virtutem tuam magnam,& regnaſti*, & iterum cap. 15. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es?*

Indeque *Secundò* ſumitur excellentia, ac perfectio huius doni præ virtute religionis; quia licet hęc virtus ſit infuſa, & ſupernaturalis, reſpiciens Deum, vt authorem gratiæ, & identicè etiam, vt patrem, non tamen in ſe, & ratione ſui, ſed ratione effectuũ, quos in nobis operatur, ita quod menſuramus cultum, vel obſequium illius iuxta modum beneficiorum nobis collatorum; Vnde Iacob Geneſ. 28. dicebat: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via &c. erit mihi Dominus in Deum, & decimas omnium, quæ dederis mihi, offeram tibi*; Donum autem pietatis reſpicit Deum, vt patrem formaliter, prout in ſe, & ratione glorię, & maieſtatis propriæ, etiam ſi nullum nobis beneficium largiretur, imò pœnam, vel mortem inferret, vt ait Apoſtolus ad Philipp. 2. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per vitam, ſiue per mortem*: hoc eſt honorabitur, & coletur, non attento beneficio, vel damno, ſed propter ſolam magnificentiam ſuam: At perfectior, excellentiorque eſt virtus, quæ offert cultum Deo, etiam ſi nihil largitus eſſet, quæ relinquit omnia, vt ſequatur eum, quæ magnificat ipſum ſiue per famam, ſiue per infamiam, ſiue per gloriam, ſiue ignobilitatem, ſiue per vitam, ſiue per mortem,attento ſolum honore, & magnitudine eius: Perfectius ergo, & excellentius eſt donum pietatis abſolutè, quàm virtus religionis, non ſolum acquiſita, quæ eſt naturalis ordinis reſpiciens Deum, vt creatorem,& authorem naturę; verum etiam infuſa, & ſupernaturalis, cum honor Dei, ſiue Deus in ſeipſo, pro vt illi adhæret donum pietatis,ſit quid nobilius, & excellentius quocumque creato beneficio, etiam ſupernaturali, ratione cuius virtus religionis, & pietatis reſpicit Deum.

Tertiò, quantum ad obiectum materiale huius doni, ſiue materiam, ad quam ſe extendit, primaria, & principalis eſt in ordine ad cultum Dei, reſpiciendo ipſum vt patrem, ſecundaria autem, ac veluti acceſſoria, ſub eadem tamen ratione formali, & ſpecifica, eſt omnis communicatio, vel

debi-

debitum ad alterum; vt docet Diuus Thomas in 3. diſt. 34. quęſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. his verbis; *Pietas donum vno, & eodem modo dirigit in communicationibus omnibus, quæ ad alterum ſunt, aliam tamen menſuram accipiens, quam virtutes; quę menſura ſimplex eſt, & vna, & ideo pietas vnus habitus eſt ſpiritualis, & ex comparatione ad hanc menſuram omnis actus ſpecificatur*. Quocirca donum pietatis non ſolum diſtinguitur à religione, aut virtute pietatis formaliter, quatenus, vt diximus, iſta inclinat ad cultum Dei authoris ſupernaturalis, iuxta menſuram, & modum beneficiorum gratiæ eius in nos, donum autem pietatis attendendo ſolum, ad maieſtatem, & gloriam Dei in ſe, ſiue nobis beneficia conferat, ſiue non; verum etiam in obiecto materiali, cum religio non ſe extendat ad omnem materiam iuſtitiæ, etiam ſecundario, ſecus autem donum pietatis, quod correſpondet iuſtitiæ virtuti cardinali, & complectitur omnia, ad quæ illa ſe extendit, tam erga Deum, quàm erga homines, ſub altiori tamen ratione formali.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod inter virtutes, quæ tendunt ad alterum, & ſunt partes potentiales iuſtitię, illa, quę verſatur circa Deū, reddendo ei cultum debitum, vocatur religio, ſeu latria, quæ verò reddit debitum cultum parentibus, vocatur pietas, & quę ſuperioribus, ac principibus, obſeruantia. Donum autem Pietatis, altiori modo, quam virtutes, circa iſtas materias verſans, principaliter reſpicit Deum reddendo illi debitum cultum, non vt Domino, & creatori, ſed præcisè vt patri, iuxta illud Apoſtoli Roman. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Et hoc ideò quia in ordine, & genere gratiæ Deus habet ſe erga nos ſicut pater, *Voluntariè enim genuit nos in verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*. Iacobi 1. Vnde etiam oportet nos in eodem ordine moueri erga ipſum, vt erga patrem, cùm ſimus filij adoptiui per gratiam, atque adeò non ſolum debemus reddere cultum ei debitum, vt Domino, quod præſtat virtus religionis, verum etiam vt Patri, cuius hæreditatem in gloria expectamus. Et hęc eſt ratio, quare donum hoc, non religionis, aut latriæ, ſed pietatis donum appellatur; ſicut enim virtus, quæ inter nos reddit honorem parentibus, pietas dicitur, ita illa, quæ in genere ſupernaturali reſpicit Deum vt Patrem per gratiam, rectè quoque idem retinet nomen.

Ex hac ergo ratione formali huius doni, qua reſpicit Deum vt Patrem, oritur quod debeat extendi ad homines, non qua homines, ſed qua participes ſunt filiationis Dei, aut capaces illius, ita quod ſicut Deum colit vt Patrem, ita reſpicit homines vt fratres per gratiam; quod religioni, quāuis infuſæ, & ſupernaturali non competit, quia non reſpicit Deum formaliter ſub communicatione patris, ſed ſub excellentia Dominii ſupremi per modum latriæ colendi in genere gratię, & ſecundum menſuram beneficiorum eius erga nos, nec enim Deus dominatur nobis, nec nos Deo precisè ſubijcimur, niſi ratione alicuius rei operatę in nobis, & acceptæ à Deo, quæ vtique beneficium aliquod eſt. In quo cultu Deo debito ſub ratione excellentiæ propriæ, & peculiaris ipſius, cum nulla poſſit communicare creatura, quia *gloriam meam*, dicit ipſe, *alteri non dabo*, proptereaque vocatur latria, quo cultu nefas eſt alium præter Deum colere, inde eſt quod religio, quę eſt virtus, ex hac ſua propria ratione ſiſtit in Deo, nec extenditur ad honorandas creaturas formaliter elicitiuè, licet id poſſit imperatiuè, vt mox dicemus, ſed requirantur inſuper aliæ virtutes ad reſpiciendum homines in ratione debiti. At verò virtus pietatis, quę eſt pars iuſtitiæ, cum reſpiciat in parentibus ip-

ſam

ſum rationem originis, ratione cuius venerationem exhibet patri, vt habenti authoritatem principij, ad ipſam pertinet, vbicumque communicatur, vel reperitur hæc ratio originatiua, & participatio eius, totum id colere, & ſic per hanc virtutem non ſolum obſeruamus parentes, ſed alios, qui cõmunicant in eadem ſtirpe ſanguinis. Quia igitur donum pietatis obſeruat, & colit Deum, vel in eo rationem principij generatiui per gratiam, & gloriam illam immenſam, quæ eſt ipſa hæreditas filiorum, non attendendo pro menſura colendi, & honorandi ipſum, ad aliquod beneficium nobis ab eo collatum, ſed ad gloriam illam immenſam, qua in ſe eſt pater, & hæreditas ipſa filiorum Dei; & ſic conſequenter ſeparat ius ſupremi dominij, in quo fundatur latria, eo quod latria eſt ſumma ſeruitus, cuius correlatiuum eſt ſupremum, & ſummum dominium, & tantum attendit ius paternum ſummæ pietatis, quo Deus ſe gerit vt pater per ſpiritum adoptionis, *in quo clamamus Abba Pater*, ſeu reſpicit homines vt filios adoptiuos, communicanteſque in eodem ſpiritu per gratiam, & per eam fundat etiam ius amicabile, quatenus non dicit eos ſeruos, ſed amicos; inde hoc donum ſub hac ratione, & formalitate Patris ita reſpicit Deum primariò, vt per ſe extendatur ſecundario ad omnes filios Dei, reſpectu quorum eſt pater, & ad omne illud, quod coniungitur ei vt patri, & ad ipſum, vt ad patrem pertinet.

Quartò, cum donum pietatis extendendo ſe, vel obſeruantiam habendo erga alios homines tanquam erga filios Dei, & fratres in gratia, dupliciter intelligi poſſit, ſub iſta ratione exercere omnem materiam iuſtitiæ. Primò imperatiuè, quia poteſt imperare iuſtitiç commutatiuæ, & diſtributiuæ, aliiſque virtutibus illi aggregatis, vt exerceant ſuos actus erga alios homines ex hoc fine, vt honorent debitè ipſos, quia filij ſunt Dei. Secundo elicitiuè; non intelligitur ſolum id pręſtare primo modo ad diſtinctionem religionis, nam hæc etiam poteſt imperare alijs virtutibus, vt propter cultum Dei faciant ea, quæ de ipſis ſunt, aut ad ipſas pertinent, quia virtutibus colitur Deus; verum etiam ſecundo modo, quo religio, eo ipſo, quod reſpicit Deum vt communicatiuum nobis in beneficijs per modum ſupremi Domini, ratione quorum conſtituit nos ſeruos ſumma ſeruitute, atque adeo non communicat nobis conſortium honoris, ſed inferioritatem ſeruitutis, non poteſt elicitiuè ſe extendere ad colendas alias perſonas præter Deum, ſub illa ratione formali, cuius ſunt omnino incapaces, ſolus enim Deus reſpici poteſt, vt ſupremus Dominus, & conſequenter coli ſumma ſeruitute, & latria. At donum pietatis, cum reſpiciat Deum vt patrem, non quidem attendendo ad beneficia, licet illis non fraudetur, ſed ſolum ad id, quod patris eſt in ſe, de cuius ratione eſt, quod habeat filios, & eis per filiationem conſortium honoris communicet, ſicut de ratione charitatis, quę eſt mutuus, & amicabilis amor, eſt quod communicet ſe alijs, vt amicis, & non vt ſeruis, ſed hoc non ratione debiti, & obſeruantiæ, ſed ſolum amoris, & iuris amicabilis, in quo diſtinguitur à pietate cum, inquam, donum pietatis ita reſpiciat Deum, & honoret illum, non poteſt non elicitiuè ſecundario ſe extendere ad honorandos alios, qui eo ipſo, quod ſunt filij, non poſſunt non habere aliquale conſortium honoris diuini; ſiue quod idem non poſſunt nõ contineri ſecundario, ſub ratione, vel obiecto formali doni pietatis; Sicut charitas ita amat Deum, vt amicum, quod etiam ad omnes Dei amicos, & ad omnia Dei ſunt ſe extendit.

Quintò demum, & vltimo diſtinguitur hoc donum, à pietate, vt eſt virtus diſtincta à religione, reſpiciens obſeruan-

ſeruantiam parentibus, & cognatis debitam, quod hæc non complectitur propterea omnem materiam iuſtitiæ; quia multa alia pertinent ad ipſam in ratione debiti rigoroſi, & legalis, aut etiam debiti moralis, quæ non ſunt cultus, aut veneratio, vnde ſi cum parentibus, & cognatis concurrit aliqua ratio debiti rigoroſi iuſtitię, non à pietate exercetur, ſed à iuſtitia commutatiua, vel diſtributiua, aut alia ſimili; At verò pietas donum ſe extendit ad omnem materiam iuſtitiæ, & dirigit in omnibus communicationibus, vt docet Sanctus Thomas loco citato in 3. diſt. 34. non ſolum imperatiuè, quod etiam competere poteſt virtuti pietatis, quatenus ex motiuo vnius virtutis poſſunt exerceri aliæ, verum etiam elicitiuè, ſub altiori tamen ratione pertinente ad ordinem ſupernaturalem, & reſpiciente ea, quæ ſunt ad alterum, non quatenus ſpectant ad conuictum, modumque humanum; ſed ad conuictum ſupernaturalem inter filios, & domeſticos Dei. Et ſic eminenter facit, & extendit ſe ad alias materias iuſtitiæ, non autem formaliter illas exercet ſecundum ſuas peculiares, & determinatas rationes. Nec eſt neceſſe, ſi ad illas ſe extendit, quod tractet eas ſub omni particulari, & propria ratione talium virtutum, v. g. quod materiam iuſtitiæ commutatiuæ, aut diſtributiuæ tractet ſub ratione commutationis rigoroſæ, & debiti æqualis inter vnum, & alterum; aut ſi tractat materiam liberalitatis, aut fidelitatis; de illis tractet ſecundum ſuas peculiares rationes, aut motiua, verum de omnibus iſtis tanquam de materijs inadæquatis agit ſub eminentiori ratione, ita vt ad donum pietatis materialiter ſe habeat, quod in hoc exerceatur iuſtitia commutatiua, in illo diſtributiua, in illo fidelitatis, vel affabilitatis, & ſic de cęteris, formaliter autem hæc omnia reſpiciat, quatenus ſunt operationes filiorum, & domeſticorum Dei, atque adeo ſub ratione obſeruantiæ, & cultus inter cognatos, & fratres cognatione ſpiritus, & gratię, & communione fidei, & Sanctorum, quibus iſta iuſtitiæ debita reputantur pro minimis, & materialiter tantum attactis. Hæc igitur altior, & ſublimior ratio doni pietatis, vt diſtincti à virtute pietatis, & alijs, eſt affectus ille, quo iuſti ſe tractant, & communicant vt filios Dei, & ſpiritualiter cognatos, ac communicantes, atque adeo eminenter tantum habent elicere actus iuſtitiæ rigoroſæ, & aliarum virtutum, quæ ſunt ad alterum, non formaliter, inferiorique modo, ſicut iuſtitia commutatiua, quæ operatur iſtas actiones, vt conuictus humani ſunt, non autem vt communicationes filiorum Dei, & fratrum in ſpiritu, ſicut donum pietatis.

§. VII.

De Dono fortitudinis.

CVm fortitudo alia ſit virtus cardinalis, alia donum Spiritus Sancti, etſi putent aliqui actum doni fortitudinis ſpecie, & ſubſtantia non differre ab actu fortitudinis, quæ eſt virtus, quia exiſtimant actum fortitudinis doni fieri ex virtute fortitudinis, nihilominus ſuppoſito quod dona ſint habitus diſtincti ſpecie à virtutibus moralibus, & ſuperiores illis, vt oſtendimus ſupra, neceſſe quoque eſt eodem modo diſtingui ipſos actus, vt ſatis per ſe patet. Tota igitur difficultas eſt in explicando modo, ſeu ratione formali, qua inter ſe diſtinguuntur. Vnde *primum* dico, donum fortitudinis formaliter differre à fortitudine, quæ eſt virtus, quod iſta ad vincenda pericula, & difficultates innititur ſolum viribus humanis, aut humano modo menſuratis. Quia virtus fortitudinis, etiam infuſæ, licet ordinet actum ſuum ad finem ſupernaturalem charitatis, tamen inde non accipit regulationem

gulationem niſi modo humano, & iuxta capacitatem, & limitationem recipientis, ita quod licet quis ſupernaturaliter iudicet, poſſe multò maiora fieri, propria tamen infirmitas, & limitatio eum quoque detinet, iuxta quam metitur, & determinat etiam ſupernaturales vires, & actiones. At donum fortitudinis innititur virtuti,& potentiæ diuinæ, tamque illam ſibi facit propriam, vt depulſa infirmitate naturę, ſola diuina operetur virtute.

Propterea que etiam differunt fortitudo virtus, & fortitudo donum, ſicut fortitudo vt humana, & diuina. Fortitudo enim regulata modo humano, & vt dictant regulæ prudentię, cõſtituit fortitudinem virtutem, regulata verò inſtinctu, & regula diuina, ſeu iuxta vires diuinas nobis aſſiſtentes eſt fortitudo donum. Si quidem vbi operatur quis veluti per ipſam dexteram, & brachium Dei, non attendens ad infirmitatem propriam, aut metiens ad regulam prudentię hũmanæ vires ſuas, talis fortitudo eſt pluſquã virtus, & quaſi fortitudo diuina, qua induitur. Et ſic fortitudo donum perficit, & adiuuat fortitudinem virtutem in his, in quibus ex parte ſubiecti operantis deficere poteſt. *Per dona enim iuuari virtutes*, ait D. Gregorius lib. 35. Moral. cap. 7.

Hinc *Secundò* colligitur neceſſitas huius doni, etſi enim fortitudo virtus verſetur circa mala maximè terribilia, ſcilicet circa pericula mortis, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 123. art. 4. ſitque ſufficiens ad hæc toleranda in ſuo ordine, etiam propter finem ſupernaturalem, ſi ſit infuſa, aut à charitate imperata, non tamen abſolutè, & quo ad omnia, nam fortitudo virtus, etiam infuſa, & procedens ex dictamine finis ſupernaturalis tendit ſolum in ardua, & difficilia iuxta modum humanum, & capacitatem ſubiecti, id eſt, cum defectibilitate, & infirmitate virium, & trepidatione ex parte operantis, vndè frequenter deficit non ratione virtutis, quę non inclinat ad deficiendum, ſed ex debilitate ſubiecti, quod non poteſt perfectè corroborare. At verò donum fortitudinis fertur in iſta difficilia, & ardua, non ſolum ex dictamine, & motiuo ſupernaturali, ſed ex tali motione Spiritus Sancti, vt omnem tollat trepidationem, & operantis conſolidet infirmitatem, ad omnes vincendas difficultates. Vnde ipſemet Chriſtus Dominus, qui in paſſione ſua primò trepidationem oſtendit, quaſi humano modo procedens ex virtute fortitudinis, quę trepidationes illas compatitur, ſtatim rediit ex dono fortitudinis in ſuam ſoliditatem, vt rectè ait Sanctus Leo Papa ſerm. de Paſſione; *Depulſa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis rediit in ſententiam ſuæ diſpoſitionis æternæ*. Igitur, quia virtus fortitudinis humano modo procedens, quamuis ſit propter finem ſupernaturalem, intendit repellere malum ex genere ſuo arduum, & facere opus difficillimum, viribus tamen defectibilibus, & infirmis, quarum defectum, & infirmitatem plerumque non poteſt ſufficienter reparare, quia licet det inclinationem ad ſuperandum opus difficile, non tamen penitus ipſam infirmitatem, & defectibilitatem viriũ ſemper ſolidare poteſt; ideoque ſæpe deficit, & frangitur etiam fortis, & conſtans ex metu cadente in conſtantem virum; pręter iſtã virtutem, neceſſarium eſt quoque donum fortitudinis, non ſolum circa ea, quæ ſunt ſupererogationis, aut extraordinaria ex parte obiecti; verum etiam circa ea, quæ ſunt talia ex parte ſubiecti, quatenus ita inclinat in ardua, & difficilia ex genere ſuo, vt etiã ex parte operantis conſolidet infirmitatem, & depellat trepidationem naturæ ex virtute aſſiſtentis ſpiritus; & ſic etiam circa difficillima pericula, qualia ſunt pericula mortis altiori motiuo mouetur, quam fortitudo virtus. Hæc enim, vt dicebamus, admittit

mittit defectibilitatem, & trepidationem ex propria infirmitate, ſeu ex parte operantis, in ordine ad pericula, circa quæ verſatur, illud autem tollit ex ſpecie ſua huiuſmodi defectus, eo quod vtitur virtute, & viribus diuinis quaſi proprijs, ex inſtinctu Spiritus Sancti.

Vnde, cum dicitur plures ſubire mortem, & pericula grauia, eaque tolerare ſine dono, & virtute fortitudinis, imo cum peccato, vt qui ex deſperatione, aut vanitate, ſibi violentas manus inijciunt; id minimè côcedendum eſt, iſtos nimirum talia præſtare ex vera fortitudine, ſed potius ex quadam animi deiectione, puſillanimitate, temeritate, aut vanitate, vel etiam ex aliqua ignorantia, quæ omnia cum vera fortitudine ſtare non poſſunt, quæ non tam in actionibus corporis, quàm in animi affectibus oſtenditur, & perficitur: non enim eſt fortis, qui in animo deiectus eſt, puſillus, deſperatus, aut vanus, quamuis exterius, quæ fortis exerceat, conijcendo ſe in pericula, aut illa ſuſtinendo, quia non ex animo forti, & inuicto, ſed potius victo à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate talia agit. Nam qui v. g. ob anguſtiam, vel moleſtiam rerum temporalium ſibi mortem infert, non eſt fortis, ſed puſillanimis, quia non poteſt tolerare moleſtias temporales, ſed vult illas per mortem terminare. Similiter qui ex vanitate, ſeu vana gloria ſubit mortis pericula, aut alias corporis pœnalitates, ille non eſt fortis, ſed victus à vanitate, vel à paſſione audaciæ; vnde non poteſt tolerare iniuriam, vel opprobrium, & ne ſuſtineat appetit mortem, quam homines laudent; cum tamen verè fortis non ſolum mortem, ſed etiam confuſionem contemnere debeat. Si quidem honoris appetitus difficillimè vincitur in corde humano, nec eſt verè fortis corde, qui ab illo appetitu ſuperatur, quantumuis difficillima toleret in corporalibus: donum enim, & virtus fortitudinis vincunt quidem exteriora mala, ſed præcipuè cordis interiora confirmant, vnumquodque in genere ſuo.

Motione igitur, & inſtinctu Spiritus Sancti, cui tanquam rationi formali donum fortitudinis innititur, non cõſiſtente ſolùm in externa difficilium aut aggreſſione, aut perpeſſione, aut etiam in interna ex motiuo, & fine ſupernaturali, attamen cum defectibilitate, & trepidatione, ex propria ſubiecti, ſeu operantis infirmitate, prout circa ardua verſatur virtus fortitudinis ex ſpecie ſua, verum etiam in noua conſtantia, & firmitate animi ex ſubminiſtratione ſpiritus infuſa, quæ vires humanas corrigit, & infirmitatem humanam adaptat ad qualibet difficilia ſuperanda; clarè patet præ virtute fortitudinis etiam infuſe, neceſſitas doni eiuſdem, nec non dignitas, & excellentia; depulſio enim infirmitatis, & trepidationis propriæ, quam facit donum fortitudinis, petit altiorem vim ſpiritus, quam ſit motiuum virtutis fortitudinis, quæ illas imperfectiones permittit; ſicut legitur de Samſone Iudic. 15. *Quod irruit ſuper eum Spiritus Domini, & ſicut ſolent ad ardorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta*. His enim verbis ſignificatur omnem difficultatem, & impedimentum etiam extrinſecæ ligationis, quod pertinere videtur ad gratiam gratis datam, ex potenti illo ſpiritu primum in ſe, & internè irruente Samſonem ſuperaſſe.

Tertiò, & vltimò circa materiam huius doni, aliqui diſtinguentes illam à materia virtutis fortitudinis, & aliarum virtutum ei adiunctarum, exiſtimant, donum fortitudinis ſolum ſe extendere ad illas actiones, quæ ſunt omnino extraordinariæ, & ſupererogatoriæ, atque adeò petunt ſpecialem Spiritus Sancti inſtinctum, ut fiant, ſicut quando Samſon interfecit mille viros; Ionathas cum vno dumtaxat armigero

armigero integrum innaſit exercitum; aut nonnulli etiam Sancti Martyres ſe in ignem proiecerunt. Nihilominus oppoſita ſententia, quæ eſt D. Thomæ in 3. diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. quęſtiunc. 2. eſt longe verior, donum ſcilicet fortitudinis non ſolum verſari circa præcipuam materiam virtutis fortitudinis, quæ ſunt pericula mortis, verum etiam circa alias materias virtutum illi adiunctarum, vt magnanimitatis, magnificentiæ, patientiæ &c. *Vnum*, inquit Diuus Thomas loc. cit. in corp. *donum fortitudinis ſe extendit ad omnes difficultates, quæ in humanis rebus poſſunt accidere, etiam ſupra facultatem humanam, ſicut Apoſtolus dicebat, Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Vnde oportet actum fortitudinis doni accipere circa omnia difficilia proportionabiliter actui fortitudinis virtutis circa quędam difficilia, de qua ibidem ait S. Doctor, *quod quia innititur facultati humanæ, non eſt reſpectu omnium difficultatum, ſed reſpectu aliquarum, quę ſunt maximæ in genere humano: ad alias autem difficultates ſunt ordinatę aliæ virtutes, quę ſunt facultates quædam.* Quia igitur, motiuum, & ratio formalis, cui innititur donum fortitudinis eſt vniuerſalior, & altior omni motiuo virtutum, quæ verſantur circa difficile, eſt enim ipſamet virtus diuina facta veluti propria, quæ ad omnia ſe poteſt extendere, debet quoque hoc donum ad omnem materiam difficilem poſſe ſe extendere, & in omni materia dare totalem fiduciam, & firmitatem, etiam ex parte ſubiecti, atque adeò vnum exiſtens omnes virtutes, quæ circa difficile ſunt, complecti, ſicut vna ſpes omnia ſperabilia intendere, quæ ad vitam æternam conducunt. Quanto enim motiuum eſt vniuerſalius, & altius, tanto magis poteſt ſe extendere pluraque complecti.

Rectè tamen aduertit Diuus Thomas loco citato ad 1. ita donum fortitudinis verſari circa omnia difficilia, circa quæ diuerſæ virtutes modo magis limitato verſantur, vt principaliter ſit circa opera ſupererogationis, vel maioris perfectionis: *Licet*, inquit, *donum fortitudinis principaliter ſit circa illa opera ſupererogationis, nihilominus etiam eſt circa alias difficultates, circa quas eſt etiam virtus communiter, ſed non eodem modo, ſicut dictum eſt.*

§. VIII.

De Dono Timoris.

QVod eodem vocabulo Iſaiæ 11. in Textu Hebræo nominetur Spiritus Pietatis, & Spiritus Timoris, videri poſſet aliquibus hæc duo dona inter ſe non diſtingui. Verum quidquid ſit de nonnullis codicibus Hebraicis, quibus hic error obrepere potuit; cum in vulgata, quæ authoritate Eccleſiæ approbata eſt, nominetur Spiritus pietatis diſtinctus à Spiritu timoris, quam diſtinctionem probat etiam antiquiſſima Eccleſiæ traditio, & vſus, qui ſeptiformem ſpiritum ſemper admiſit, propter ſeptem dona Spiritus Sancti ab Iſaia enumerata, omnino tenendum eſt, hæc duo pietatis, & timoris dona inter ſe diſtingui, ſi enim confunderentur, nulloque modo diſtinguerentur, iam non eſſent ſeptem. Idque ipſum patebit ex dicendis, explicando diuerſam vtriuſq; tùm materiam, tùm rationem formalem circa ipſam.

Primùm recolendum eſt, quod alias diximus, varios nimirum eſſe timores. Eſt enim timor mundanus, timor ſeruilis, timor initialis, timor filialis, ſeu reuerentialis. Et oritur iſta diuiſio ex eo, quod timor vniuerſim loquendo eſt fuga de malo: malum autem eſt duplex, ſcilicet culpæ, & pœnæ; atque adeò duo etiam ſunt timores, vnus fugiens malum culpæ, alter malum pœnę. Deinde diuiduntur ex motiuo, quia aliquis fugit malum pœnæ, quæ vitari ſine peccato non

non poteſt, vt qui ob metum pœnarum negat fidem, & perdit virtutem, aut timet reprehendere, ne perdat honorem, & hic eſt timor mundanus, ſeu humanus, ſemper malus: Alius eſt timor, qui timet pœnam, quia debetur culpę, maximè pœnam ęternam, & talis fugiendo pœnam conſequenter vitat culpam, quæ eſt cauſa pœnæ. Et talis timor eſt ſeruilis, ſed bonus, incipit enim à timore pœnarum, quas proprium eſt ſeruorum timere, verùm non ſiſtit ibi, ſed tranſit ad fugiendam culpam, quatenus eſt cauſa pœnæ, non ſicut timor mundanus, qui fugit pœnam, etiam cum commiſſione culpæ. Similiter timor, qui primò, & per ſe fugit culpam, non ratione pœnæ, ſed offenſæ, quia contra Deum eſt, & ab illo ſeparari timet, filialis timor eſt, quia proprium filiorum eſt timere patris amiſſionem, & ab eo ſeparationem. Verumtamen iſte timor aliquando eſt imperfectus, & dicitur initialis, quia adhuc miſcet aliquid de timore pœnæ, ſic enim fugit malum culpę, vt etiam in illo timeat incurrere pœnam, & aliqualiter ab illa moueatur ad fugiendam culpam, quia cauſa eſt pœnę, licet principaliter moueatur ex eo, quia eſt offenſa Dei. Aliquando autem eſt perfectus, nullo prorſus admixto pœnæ timore, huiuſmodi enim timorem perfecta charitas pellit foras, ſed ſolum timet culpam, quia eſt offenſa Dei, ſummi, & infiniti boni; & talis timor eſt filialis, reuerentialis; & caſtus, qui manet in ſæculum ſæculi.

Secundo certum eſt non omnes hos timores pertinere ad donum timoris, ſeu illud conſtituere; mundanus enim malus eſt, & peccatum; ſeruilis verò; licet malus non ſit, tamen adhuc in peccatore eſſe poteſt, vt cum peccator per attritionem diſponitur ad iuſtificationem ex gehennæ, vel pœnarum metu, vnde Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap.4. vocat illam donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantum mouentis: Igitur, cum ex dictis ſupra, dona Spiritus Sancti, de quibus modò agimus, ſint dona eius inhabitantis, manifeſtè patet non ſolùm timorem mundanum, ſed & ſeruilem debere excludi à dono timoris: illudque proindè conſiſtere perfectè in ſolo timore filiali, & caſto, quia fundatur in charitate, & reueretur Deum duntaxat, vt patrem, timetque ſeparari ab eo per culpam. Etſi enim huiuſmodi timor non differat ab initiali in ſubſtantia, & ſpecie; differt tamen quoad modum, & ſtatum, vt docet Diuus Thomas 2.2. q.19. art.8. quia initialis timor competit charitati imperfectæ, & ſtatui incipientium, in quibus adhuc remanet aliquid de timore ſeruili, quatenus timor pœnæ operatur in eis, licet non principaliter, ſic enim timent culpam, & ſeparationem à Deo ſummo bono, quod in ſubſtantia eſt timor filialis. Donum ergo timoris, ſi in ſua perfectione conſideretur, ſolum eſt timor filialis, & caſtus, in perfecta charitate fundatus, qua foras mittitur timor, ſcilicet quantum ad illum modum ſeruilitatis timentis pœnam, quam nō timet qui perfectus eſt, ſed tantùm culpam, & ſeparationem à Deo, quæ ſumma omnium malorum eſt, iuxta illud Ieremiæ. *Scito, et vide, quia malum, et amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, et non eſſe timorem Dei apud te.*

Tertiò ſciendum eſt, donum timoris principaliter quidem correſpondere virtuti ſpei, ſecundario autem virtuti temperantiæ; vt expreſsè docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 141. art.1. ad 3. *Donum, inquit, Timoris principaliter quidem reſpicit Deum, cuius offenſam vitat, et ſecundum hoc correſpondet virtuti ſpei, vt ſupradictum eſt. Secundariò autem poteſt reſpicere quæcumque aliquis refugit ad vitandam Dei offenſam. Maximè autem homo indiget timore diuino ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt,*

circa

circa quę eſt temperantia, et ideo temperantiæ etiam correſpondet donum timoris. Sic ergo hoc donum in tota ſua latitudine *primò* reſpicit Deum per reuerentiam, & ſubiectionem reſiliendo, & contrahendo ſe ab illa magnitudine in propriam paruitatem; *Secundò* ſeparationem ab illo per culpam, cuius malum fugit; & *tertiò* effectum, quem ponit in anima, quatenus illam conſtringit, & coercet, & ſic ab exuberantia, nimiaque dilatatione concupiſcẽtiæ, & delectationis detinet. Nam ex Diuo Thoma 1.2. qu.44. art. 1. timor facit contractionem tum in ipſo appetitu, qui contrahitur, id eſt ad pauciora ſe extendit ex debilitate virtutis orta ex imaginatione mali imminentis, à quo opprimitur. Tum in corpore, quod ex retractione ſpirituum infrigidatur, & contrahitur, ſeu diſſoluitur; cum ex aduerſo proprius delectationis effectus ſit animæ, cordiſque dilatatio, ex eodem Sancto Doctore 1.2. q.33. art.1. Vndè ex parte effectuum timor delectationi opponitur, quatenus nimiam eius dilatationem, vel exuberantiam reprimit, & contrahit.

Hinc quartò aduertendum eſt donum hoc timoris ex ratione obiecti, quod reueretur, cuique ſubijcitur, nẽpè Dei, correſpondere ſpei Theologicæ, & præſumptionem ei oppoſitam reprimere, ex parte verò culpæ, ſeu offenſæ Dei, quam fugit, & vitat, omni prorſus virtuti correſpondere poſſe, cuius proprium eſt poſſe omne malũ, ſeu peccatum vitare. Ex parte verò effectus, quem cauſat in anima, illam contrahendo, correſpondet temperantiæ, quatenus delectatio, quam temperantia moderatur, vel reprimit, dilatationem cauſat, cuius contrarium operatur timor, nimirum contractionẽ in appetitu, & corpore, & ſic configit timore carnem laſciuientem, ſeu reprimit directè, & per ſe primò paſſiones delectationis, quæ pertinent ad temperantiam virtutem cardinalem, & ex conſequenti omnes alias paſſiones, quæ pertinent ad virtutes ei acceſſorias, & minus principales, quæq; indigent refrænari, & coerceri ob ſuã nimietatem, quæcumque illa ſit, ſiue in ira, ſiue in præſumptione, & vanitate, hæc enim omnia habent aliquid de delectatione adiunctum, ſicut & reperitur in curioſitate, aut nimio veſtium cultu, non quidem naturalis, ſed animalis. Et ſic donum timoris pro ea parte, qua tangit temperantiam, vel illi correſpondet, non ſolùm ſe extendit ad reprimendam delectationem carnis, quæ naturalis eſt, ſed etiam apprehenſionis, & æſtimationis, quæ animalis eſt, quatenus cauſat non ſolum contractionem carnis, ſed etiam ſpiritus. Ad quod adhuc iuuatur ex illa vniuerſa ratione fugiendi omne peccatum, quia offenſa Dei eſt. Propter eaque timor non ſolum habet pro effectu paupertatem ſpiritus, quæ eſt prima beatitudo à Chriſto poſita, *Beati pauperes ſpiritu*, verum etiam beatitudinem luctus, *Beati qui lugent*, vt docet Diuus Thomas 2. 2. q. 19. art.12. ad 12. ad 2. diceturque infrà.

Quintò igitur, reſpiciente hoc dono principaliter Deum, cuius offenſã vitat, & ſecundum hoc correſpondente virtuti ſpei, dicendum eſt, formalẽ, ac ſpecificam eius rationem conſiſtere in timore filiali Dei tanquam patris, ſeparationiſque ab illo per culpam, ita vt ratione huius effectus, ſeu rationis formalis eleuetur ad rationem doni, quia ratione huius redditur homo benè mobilis à Spiritu Sancto. Cum enim, vt diximus ſupra, dona Spiritus Sancti ſint habitus, quibus homo redditur benè mobilis à Spiritu Sancto, ſecundum illam rationem timor filialis debet eleuari, ad rationem huiuſmodi doni, ſecundum quam reddit hominem benè mobilem ab inſtinctu, & regulatione Spiritus Sancti: Redditur autem homo ſic mobilis, quatenus eſt Deo tanquam patri ſubiectus, & ex motiuo reuerentiæ ipſius timet

præcepta

præcepta eius, ſeque ab illis ſubducere; per hoc ergo timor filialis eleuatur ad rationem doni; atque adeo formalis, ac ſpecifica eius ratio eſt, vitare offenſam Dei ex motiuo reuerentiæ ipſius; ſecundariò autem verſari circa materiam temperantiæ; timor enim non verſatur circa illam, niſi terrendo hominem, & proponendo illi Deum, vt valdè timendum, iuxta illud pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*; Vndè prius eſt in dono timoris, principaleque motiuum reſpicere Deum, & iudicia eius, vt timenda, indeque ſecundario, vitationem eorum, quæ poſſunt trahere ad offenſam Dei, inter quæ quia maximè alliciunt delectabilia ſenſus, circa quæ verſatur temperantia, propterea hoc donum ſpeciali quadam ratione dicitur verſari circa illam; cæterum, quia, vt diximus ſupra, ſub ea ratione, qua attingit materiam temperantiæ, ſeu delectationes ſenſus, vt moderandas, quæ eſt materia temperantiæ, nimirum terrendo, & timendo offenſam Dei, poteſt quoque attingere alias materias, & ſic vitare peccatum in omni materia, iuxta illud Eccleſiaſt. 1. *Timor Domini expellit peccatum*; ideo timor, vt eſt donum, latiorem habet materiam, quam temperantia, diſtinguiturque ab illa, vt mox dicemus.

Sextò ex his patet, quomodo habitus doni timoris diſtinguatur ab alijs virtutibus; primùm à charitate, quia licet ad motum amoris ſequatur fuga oppoſiti mali per modum ſimplicis receſſus, ſiue odij, & timoris communiter dicti, non tamen ſequitur illa fuga ſecundum ſpecialem rationem timoris, qua pertinet ad rationem doni Spiritus Sancti, hoc eſt, obſeruantiæ, vel reuerentiæ erga Deum, timendum vt patrem, indeque reddendi hominē bene mobilem à Spiritu Sancto: ſicut etiam non ſequitur deteſtatio peccati ſub ea ratione, qua pertinet ad virtutem pœnitentiæ, niſi mediante eius habitu à charitate diſtincto, Atque adeò charitas non poteſt non diſtingui à timore filiali, vt ſub prędicta ratione formali reuerentiæ ad Deum, & mobilitatis à Spiritu Sancto in materia ſubiectionis ad ipſum, quæ eſt ratio à virtute charitatis formaliter diſtincta, eleuatur ad rationem doni; ſeu quod idem eſt, huiuſmodi timor ita pręſupponit charitatem, vt etiam requirat habitum ab illa diſtinctum, à quo immediatè eliciatur, ſi quidem habitus diſtinguuntur penes diuerſas rationes formales. Vnde, quando ait Diuus Thomas 2.2. q.19. art.6. *Eiuſdem rationis eſſe, quod homo cupiat bonum ſuum, & quod timeat eo priuari*, loquitur de ſimplici motu timoris, nō autem de timore filiali, induente ſpecialem rationem dictam, quique habet rationem doni. Timor enim ſeruilis, quamuis ſit à Spiritu Sancto, vt potè bonus, & honeſtus, quia tamen ſpecialem illam rationem non habet, quam timor filialis, vt eleuatur ad rationem doni, ſed eſt tantum ſimplex motus timoris circa malum pœnæ, vel amiſſionem boni diuini, vt bonum proprium eſt, ideo ſufficienter aſſignatur pro eius principio, ipſe amor concupiſcentiæ, vel ſpes ſupernaturalis proſequens hoc bonum diuinum; non tamen pro principio timoris filialis, qui eo ipſo, quod induit ſpecialem rationem reuerentiæ ad Deum, & mobilitatis à Spiritu Sancto in materia ſubiectionis ad ipſum, non poteſt non requirere ſpecialem habitum à charitate diſtinctū, nec non à virtute ſpei; hac inſuper ratione, quod hic timor filialis, qui eſt donum Spiritus Sancti, poteſt eſſe ſine ſpe, vt patet in Beatis, & ſpes ſine illo, vt patet in peccatoribus, timorem ſeruilem tantùm habentibus, cum peccato compoſſibilem; ideoque diximus ſupra in iſto timore conſiſtere non poſſe donum timoris Spiritus Sancti, ſed in filiali, cum gratia, & charitate coniuncto, ſine quibus, vt etiam dictum eſt ſupra, Spiritus Sancti dona eſſe non poſſunt,

Hoc

Hoc inſuper donum diſtinguitur à virtute temperantiæ, tum quia latiorem habet materiam, ſiquidem non ſolum reprimere poteſt delectabilia ſenſus, vt temperantia, ſed etiam alias materias, timendo in illis offenſam Dei; tùm etiam ex ratione formali, qua procedit, nimirum ex reuerentia ad Deum, & fuga à culpa, ad reprimendam petulantiam paſſionum à ratione exorbitantium, quales maximè ſunt paſſiones laſciuiæ; cum temperantia non per modum fugæ à malo, aut reuerentiæ ad Deum, ſed ex ipſo amore honeſtatis procedat ad coercendas paſſiones concupiſcibilis.

Diſtinguitur quoque à virtute humilitatis; ita vt actus timoris non poſſit eſſe formaliter, & adequatè actus humilitatis, quia timor, vt rectè docet Diuus Thomas 2.2.quæſt.19.ar.2. reſpicit duplex obiectum, ſcilicet, ipſum quod timet, ac fugit malum, tum perſonam, à qua tale malum prouenire, vel permitti poteſt, illam reuerendo; quare timor ſub formalitate timoris nec amat malum quod timet, nec perſonam, à qua timet, ſiquidè timor non eſt amor, nec de bono, & ſic licet reuereatur perſonam in ſe bonam, illã tamen reuereretur vt inflictiuam mali, aut potentem illud infligere, vnde præſuppoſitiuè tantùm, aut concomitanter talis perſonæ amorem admittere poteſt. At verò humilitas nec refugit malum, nec reſpicit perſonam ſuperiorem, vt potentem infligere malum, atque adeò propriè eius actus, nec eſt fuga mali imminentis, nec reuerentia, aut timor de poteſtate ſuperiori, ſed ordinata ſubiectio ſui ad illam ex conſideratione propriorum defectuum, & ſuperioris excellentiæ, quam, omni conſideratione mali ab eo infligendi ſublata, ſaluari poſſe, clarè conſtat ex eo, quod humiliari poſſimus etiam paribus, aut ſubditis, & his, à quibus nihil prorſus timemus, ſicut Chriſtus humiliauit ſe proprijs diſcipulis, lauando eorum pedes. Actus igitur doni timoris formaliter, & adęquatè non eſt actus humilitatis, cum ambo ſubijciant hominem Deo ſub diuerſa formalitate, timor reſpiciendo in Deo poteſtatem inflictiuam mali, & ſic reuereretur ipſum; humilitas autem abſtrahendo ab hac ratione, & ſubordinando ſolum paruitatem ſuam Deo, & hominibus, etiam quos non timet, & à quibus malum non habet.

Timori tamen conſecutiuè, ſeu quaſi effectum ab eo, deriuatum, & regulatum tribui poſſe actum humilitatis, dubium non eſt; inde enim quod aliquis reuereretur Deum, & ei ſubijcitur vt potenti infligere malum, oritur, quod non quærat magnificari, aut gloriari in ſe, ſed in Deo ſolo, ſicque abijciat omnem propriam magnificationem, in quo conſiſtit humilitas. Et in hoc ſenſu Diuus Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte ait: *Timor Dei congruit humilibus*, & ſerm. 17. de Sanctis cap. 1. *Quis eſt humilis niſi timens Deum?* vt docet Diuus Thomas 2.2. qu. 161. art. 2. ad 3. & quæſt. 19. art. 12. *Cum enim*, inquit, *ad timorem filialem pertineat Deo reuerentiam exhibere, & ei ſubditum eſſe, id quod ex huiuſmodi ſubiectione conſequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem quod aliquis Deo ſe ſubijcit, deſinit quærere in ſeipſo magnificari.* Et infra: *Et ideò ex hoc quod aliquis perfectè timet* Deum, *conſequens eſt, quod non quærat magnificari in ſeipſo per ſuperbiam.* Sic igitur humilitas, ſeu abiectio ſuperbiæ eſt aliquid conſequens ad actum reuerendi Deum, atque adeo effectus eius conſecutus, & regulatus ab eo, non actus formalis illius. Rationeque huiuſmodi effectus, actus timoris facit primò id, quod humilitatis eſt, eminentiori modo, per paupertatem ſpiritus, quæ eſt beatitudo dono timoris correſpondens, tollentem omnem ſuperbiam; ſecundò id quod caſtitatis eſt, ac temperantiæ, reliquarumque virtutum ad illam ſpectantium, per tertiam beatitudinem, ſcilicet, *Beati*

qui lugent, eidem dono timoris, vt dicemus, correſpondentem; quatenus delectationes configit, & auertit per contractionem animi, diuinæque iuſtitiæ, ac potentiæ pauorem,inducitq; luctum, ſeu triſtitiam pro tẽporalibus miſerijs: nec fugit delectationem, tanquam quid arduum in ſe, ſed facit ab ea ſeparationem, vel auulſionem, quæ eſt ardua nobis, & valdè difficilis, vt patet in tentationibus ſuperandis.

Diſtinguitur tandem donum timoris à dono pietatis nedum ex parte materiæ, verum etiam rationis formalis circa ipſam. Licet enim cultus, quem reſpicit pietas,& reuerentia,quã timor exhibet, multum inter ſe conueniant, pietas tamen reſpicit pro materia cultum, vt Deo exhibendum, tenditque in illum per modum cuiuſdam proſecutionis, quatenus ſcilicet beneficus eſt, principiumque omnis boni in nos: Timor autem reueretur Deum, reſiliendo ab ipſo in propriam paruitatem, vt à principio ſummæ maieſtatis, potenteque malum infligere. Timor enim, etiam reuerentialis non reſpicit perſonam, quam metuit, vt beneficam, ſic enim potius erga illam demulceretur, quam terretur, ſed vt habentem poteſtatem infligendi malum, & ſi nolit de facto illud vnquam inferre; vnde omnino diſtinguitur à dono pietatis.

Septimò ex his habetur, quis ſit proprius actus doni timoris, an nimirum fugæ, vel proſecutionis? quis primarius, quis ſecundarius? Primarius namque, ſeu principalis actus eſt actus reuerentialis erga Deum potentem infligere malum; & conſequenter non eſt fuga, aut reſpectus ad malum, ſed actus proſecutionis erga bonum, ſcilicet Deum cum poteſtate ad infligendum malum. Ita expreſsè D.Thomas 1. 2. quæſt. 67. art. 4. ad 2. vbi ait; quod timor filialis habet duos actus, ſcilicet, reuereri Deum, & timere malum; primoque modo manere in patria, non autem ſecundo. Et 3. part. quæſt. 7. art. 6. ad 1. *Quod habitus virtutum, & donorum propriè, & per ſe reſpiciunt bonum, malum autem ex conſequenti; & ideo de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt.* Cuius ratio ex eodem S. Doctore in 3. Sentent. ad Anibaldum diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. fundatur in differentia verſante inter triſtitiam, & timorem, *Quod triſtitia*, inquit, *reſpicit malum vt præſens, & conſequenter in ſeipſo, timor autem reſpicit malum, vt futurum,& conſequenter non in ſe, ſed in ſua cauſa*; vnde infert, *quod timor non reſpicit malum niſi mediante cauſa, à qua poteſt prouenire*; & in cuius virtute eſt futurum. Quo circa timor non ſolum habet puram fugam mali, ſicut triſtitia, ſed etiam poteſt habere proſecutionem reuerentialem erga bonum, eo quod reſpicit cauſam, vnde prouenit malum, & illa ratione talis poteſtatis meretur reuerentiam, & quaſi honorem quemdam. Vbi igitur eleuatur ad rationem doni, neceſſario debet eleuari ratione illius actus, qui reſpicit ipſam cauſam inflictiuam mali, quæ eſt diuina eminentia; ſiue ille actus, quo timor reſpicit eminentiam diuinam, eſt principalis actus eius, vt eleuatur ad rationẽ doni.Qui tamen actus non reſpicit ſolã rationẽ boni in diuina eminentia, ſed etiã in obliquo rationem mali, id eſt illam eminentiam, vt potentem infligere malum. Quod etſi negẽt aliqui Theologi, videtur tamen eſſe expreſſa Diui Thomæ ſententia 1. 2. quæſt. 42. art. 2. & 22. quæſt. 16. art. 1. explicantis iſtam rationem timoris per ordinem ad diuinam eminentiam, connotando aliquid mali, in quantum ſcilicet illa poteſtas non ſolum eſt ad largiendum bonum, verum etiam ad reprimendum, & puniendum malum.

Et ratio eſt, quia ſi timor non ita diuinam reſpiceret eminentiam, circa illam diuerſo à charitate, vel religio-

ne, & ſpe, non verſaretur modo; cum charitas etiam reſpiciat diuinam eminentiam ſub ratione excellentiſſimi boni, & ſpes ſub ratione ſummi boni, quod eſt vltimus finis; & religio exhibeat cultum Deo, vt principio creationis, ſupremoque benefactori. Deinde cum bonum ſub conceptu boni ſit id, quod omnia appetunt, quodque de ſe eſt voluntatis allicitiuum, & tractiuum; vt reſpiciatur per modum reuerentiæ, & tremoris cuiuſdam, non ſufficit quod huiuſmodi bonum ſiſtat in conceptu præciſo bonitatis, vel poteſtatis benefaciendi; ſed induat adhuc neceſſe eſt rationem poteſtatis terribilis, ſeu conſideretur vt potens eſt infligere malum, & non ſolum largiri bonum; ſic enim non ſolum proſequimur illud, ſed etiam reſilimus ab illo, quod eſt tremere maieſtatem: Actus igitur iſte principalis doni timoris, qui eſt revereri Deum, ſiue diuinam eminentiam, non reſpicit ſolam rationem boni in illa, ſed etiam in obliquo rationem mali, id eſt illam eminentiam, vt potentem infligere malum; ſi enim conſideraret illam tantum vt potētem benefacere, minimè ab illa reſiliret, ſed potius illi amore, & cultu vniretur; bono, vt diximus, ex vi ſua ſolum alliciente, & fundante amorem, vel honorem, qui debetur amato, & benefactori; & amorem quidem reddit Deo charitas, honorem autem religio. Tandem ex Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 67. art. 4. ad 2. in patria manet ſolum actus timoris, qui eſt reuereri Deum; & tamen ex eodem Sancto Doctore 2. 2. quæſt. 19. art. 11. Beati per illum timorem reſpiciunt rationem mali, vt poſſibilis naturæ, impoſſibilis autem beatitudini; non purificatur ergo actus timoris ab omni connotatione effectus mali, ſiue non ſaluatur ſine vllo intuitu mali.

At obijcitur, ſi timor reſpicit aliquod malum in obliquo, vel reſpicit illud vt poſſibile ipſi timenti; vel vt poſſibile alteri; vel nulli: ſi vt poſſibile ipſi timenti, non reperitur in Christo Domino, nec in Beatis, nullum ſibi malum timentibus; ſi vt poſſibile alteri, non reſpicitur à timore, ſiquidem timor non verſatur circa malum alienum, ſed circa proprium, quod timet, quemadmodum ſpes verſatur circa bonum proprium; ſi verò vt nulli poſſibile, eſt malum impoſſibile, atque adeò nec malum, nec timendum.

Reſpondetur, quod ad metum reuerentialem, qui reſpicit perſonam vt potentem infligere malum, non exigitur quod reſpiciat illud malum vt imminens, aut futurum ſibi, ſicut requiritur ad actum fugæ, qui eſt diſtinctus ab actu reuerentiæ, ſolumque reſpicit ipſum malum, non verò perſonam; ad hoc enim vt quis fugiat malum deſideratur, quod exiſtimet illud vt malum ſibi: ad metum autem reuerentialem erga perſonam duæ tantum conditiones debent concurrere. Prima quod talis perſona conſideretur vt ſuperior, & vt perſona eminens, defectu cuius vna perſona diuina non timet aliam, quia non reſpicit illam, vt ſuperiorem ſibi, ſed vt æqualem, ſicque Christus in natura duntaxat humana, non autem in diuina reſpicit Deum vt ſuperiorem. Altera conditio eſt, quod poteſtas illius perſonæ attendatur, non ſolum vt potens benefacere; verum etiam malè cuicumque inferiori abſolutè, non determinando an mihi, vel alteri, an in hoc, vel in illo ſtatu. Vndè ad actum timoris, qui eſt præcisè fuga ipſius mali, non ſufficit reſpicere malum abſolutè, vel quocumque modo poſſibile, ſed vt imminens; alioquin ſine cauſa quis fugeret, ſi non inſtat à quo fugiat; ad actum verò timoris reuerentialis, ſiue qui eſt reuerentia perſonæ, non eſt neceſſe, quod reſpiciatur malum imminens, ſed perſona eminens, & potens cuicumque inferiori abſolutè inferre malum, per huiuſmodi enim actum potentiam reueremur,

non inſtantiam mali fugimus.

Ita autem primarius, principaliſq; actus timoris, in quantum donum, eſt actus reuerentialis, iſque proſecutionis erga Deum, ſeu eminentiam diuinam, quæ eſt cauſa inflictiua mali, vt etiam actus fugæ reſpectu mali ſit etiã actus eiuſdem doni ſecundarius, quãuis non ſemper, neque in omni ſtatu illi competat. Quæ eſt Diui Thomæ ſententia 1. 2. quæſt. 67. art. 4. ad 2. vbi in timore filiali diſtinguit duos actus ſcilicet reuereri Deum, & timere ſeparationem ab illo, primumque ait, manere in patria, ſecus autem ſecundum. Item 2. 2. quæſt. 19. art. 11. & 12. vbi attribuit timori filiali fugam mali, id eſt offenſæ diuinæ. Et ratio eſt, quia timor filialis, proprius doni timoris ſic reueretur Deum, vt euitet offenſam, ſeparationemque ab illo, quæ proculdubio poſſibilis eſt, ac imminens in pręſenti vita; quam offenſam cum timor filialis reſpiciat tanquam malum fugiendum, conſequenter ſub dono timoris continetur iſte actus fugæ. Quod ſi dicatur huiuſmodi actum elici à charitate. Reſpondetur facilè, fugam mali ſpectare ad diuerſa principia, ſecundum quod diuerſa habet motiua. Cum enim talis fuga de ſe non habeat motiuum conſtitutiuum habitus, niſi ratione proſecutionis boni ad quod ſequitur, hinc eſt quod timor ſecundum rationem fugæ conſideratus poteſt eſſe actus ſecundarius diuerſorum habituum prout conſequitur ad diuerſa motiua. Et ſic eſt à charitate ſecundum quod timet peccatum, vt eſt malum oppoſitum amicitiæ Dei; à dono autem timoris ſecundum quod eſt malum oppoſitum diuinæ reuerentiæ, qua timetur poteſtas Dei. Hoc tamen totum radicaliter, & imperatiuè oritur à charitate, & ratione huius dicitur timor, qui eſt donum virtute includi in motu amoris, quamuis mediatè diſtincto habitu.

Vnde ſatis colligitur donum timoris non eſſe virtutem Theologicam etiam in ratione actus primarij, non ſolum quia virtus iſta ita reſpicit bonum in conceptu, & linea bonitatis, quod nullo modo reſilit ab illo, ſed purè proſequitur illud; donum autem timoris ita in ſuo actu primario reſpicit bonum, vt reſpiciat illud tanquam cauſam mali, atque adeò non purè proſequendo illud bonum, ſed reſiliendo ab illo in propriam paruitatẽ; verum etiam diſtingui à virtutibus Theologicis ex parte materię proximæ, circa quam verſatur, quæ non eſt Deus immediatè reueritus, ſicut materia proxima virtutum Theologicarũ eſt Deus immediatè proſecutus, ſed eſt aliquid creatum, ſcilicet ſubiectio ſui ad Deum, per modum reuerentiæ: Cum enim dona Spiritus Sancti ad hoc dentur vt reddant hominem ab ipſo benè, & facilè mobilem, materia eorum proxima non poteſt eſſe ipſemet Deus, ſed aliquid mobile à Deo, ſpecialiter autem in dono timoris redditur homo ſic mobilis paruificando ſe in conſpectu tantę maieſtatis, vt docet Diuus Thomas 2. 2. q. 19. art. 10. ad 3. dum ait; *Quod timor filialis non importat ſeparationem à Deo; ſed magis ſubiectionem ad ipſum; ſed ſeparationem quodammodo importat, per hoc quod non præſumit ſe ei adæquare, ſed ei ſe ſubycit*. In quo diſtinguitur quoque à virtute religionis, ſe etiam Deo per cultum ſubijcientis, nam religio per modum obſeruantiæ præſtat hanc ſubiectionem, dum ſe, & ſua bona exhibet Deo in recognitionem primi principij, quaſi tributum illi deferendo, vt ſupremo Domino. Timor autem non facit ſubiectionem ſub motiuo obſeruantię, aut quaſi cultus, & tributi oblati Deo, ſed ex conſideratione maieſtatis diuinæ, vt terribilis, ſubijcit ſe illi parui faciendo ſe, & quaſi nihil reputando in comparatione maieſtatis, vnde procedit oppoſita ratione quam religio, quia hæc offerendo cultum; timor verò euacuan-

euacuãdo propriam magnificationem, ſeu ſubiectione ad Deum facta per modum ſeparationis, non præſumentis ſe adæquare Deo, ſed paruifacientis ſe in conſpectu eius.

Vltimò tandem actus paupertatis Spiritus, & actus beatitudinis luctus, quæ ſunt duæ beatitudines correſpondentes dono timoris, prima quidem directè, alia autem ex conſequenti, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 12. ad 2. Hi, inquam, duo actus ſunt etiam ſecundarij in dono timoris, pertinentque ad voluntatem, licet ſuos habeant effectus in appetitu iraſcibili, vt à voluntate mouetur. Ratio eſt, quia ex hoc quod aliquis perfectè timet Deũ, in ſe cōcipiens infinitam eius maieſtatem, cui vniuerſa ſubijciuntur, conſequens eſt quod omnia magnifica ſua, quæ quaſi montes ſublimantur in propria æſtimatione, deponat, & euacuet iuxta illud Prophetæ Pſalm. 96. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*. Similiter qui eſt in timore Dei, & tali timore, qui omnem ſpiritus altitudinem deſtruit, & euacuat, in delectationibus dilatari non poteſt, ſed potius ab illo configitur quaſi clauis caro, ne in libidinem erumpat. Directius autem inter hos actus ſecundarios pertinet ad timorem paupertas ſpiritus, quàm beatitudo luctus, eo quod delectatio non ita habet rationem ardui, ſicut magnificatio, & iactantia; quod arduum deſtruere, & humiliare directius etiam ſpectat ad timorem, cum procedat à comparatione diuinæ maieſtatis reſpectu cuius omnia ſunt parua, ſeu omne quod ſublime eſt in hominibus euaneſcit, & depauperatur. Hos demum actus eſſe voluntatis patet, quia dona Spiritus Sancti non ſunt in appetitu ſenſitiuo, ſed in rationali, mens enim rationalis immediatè mouetur à Spiritu Sancto, licet mediatè moueat inferiorem appetitum.

Sic igitur donum timoris non habet niſi vnum actum formaliter, & ſpecificè, ſed ex illo plures deriuantur ſecundarij, inter quos aliqui pertinent ad temperantiam, & materias eius, quarum etiam vna cum ſit humilitas, ideo, vt diximus ſupra, eminenter, & virtualiter eſt temperantia, & humilitas, aliæque virtutes ei adiũctæ, eiſque correſpondere dicitur. Ex hoc enim, quod ille actus proprius, & à dono timoris elicitus, ſit illa reuerentia ad Deum, vt principium potens infligere malum, & fuga omnis mali vniuerſaliter ſperatiui à Deo, inde conſequenter habet euacuare omnem ſpiritus magnificationem, omnemque ſuperbiam, quod eſt beatitudo illa prima paupertatis ſpiritus, diſtincta ab actu humilitatis communiter dictæ, quia actus humilitatis eſt per modum modeſtiæ refrænantis nimiam paſſionem ſpei tendentis erga honores indebitos, iuxta regulas rationis ordinarias: at vero paupertas ſpiritus, ex altiori regula, nempe ex conſideratione diuinę eminentiæ, ita in propriam reſilit paruitatem, vt nullam excellentiam, ſiue propriam, ſiue alienam quis æſtimet tanquam aliquid in comparatione Dei, proptereaque totaliter euacuat ſpiritum propriæ magnificationis ſubijciendo ſe illi, & ſic manet pauper in ſpiritu, & non tantùm ordinariè humilis. Secundò habet omnem delectationem corporis exuberantem compeſcere, ſeu alienare voluntatem ab omni delectatione creaturæ, pro illa triſtitiam, ſeu luctum inducendo, quod pertinet ad tertiam beatitudinem *Beati qui lugent*, & per quod diſtinguitur à temperantia ordinaria.

Etſi autem donum timoris correſpondeat primario ſpei, ſecundario autem temperantiæ, vnde videri poſſet præcellere alijs donis inferioribus virtutibus correſpondentibus, cum perfectio, & excellentia alicuius habitus ſimpliciter attendi debeat, ex eo quod in illo eſt primarium non ſecundariũ; nihilomi-

nihilominus donum timoris rectè vltimo ponitur loco, quia licet primario nobiliori correſpondeat virtuti, nimirum ſpei, tamen correſpondet illi modo minus perfecto, quàm cætera dona ſuis virtutibus, hoc eſt, non per modum proſecutionis boni abſolutè, & ſimpliciter, vt illa; ſed cum fuga à malo, reſpectu quidem culpæ, quia ſimpliciter illam fugit vt malum, reſpectu verò Dei, quem reueretur, quia reſpicit illum, vt inflictorem mali, ideo, quę retrahitur animus ex reuerentia diuina in propriam puſillitatem. Conſtat autem receſſum à malo non ita perfectum eſſe, ſicut acceſſum ad bonum, quamuis ordine generationis, & diſpoſitionis ſit prior, quo ſenſu Pſal. 110. dicitur *Timor initium Sapientię*; & Prouerb. 16. quod *in timore Dei declinat omnis à malo*. Tẽperantiæ tamen reſpondet vt donum magis perfectum, & conſummatiuum in retrahendo homines à ſuperfluis delectationibus, & configendo timore carnes, quia licet hoc faciat etiam retrahendo, & fugiẽdo, cum tamen perfecta, & conſummata victoria in materia temperantiæ conſiſtat in fugiendis delectationibus noxijs, iuxta illud 1. Corinth. 5. *Fugite fornicationem*, idcircò in hac materia principalior eſt timor, quia plus illas fugit, & abhorret.

§. IX.

De Beatitudinibus, ac fructibus Spiritus Sancti.

TAm beatitudines, quam fructus Spiritus Sancti dicuntur actus, vel effectus donorum eius; ſed beatitudines dicuntur actus excellentiſſimi, qui ex motione ſpeciali Spiritus Sancti appropinquant, & aſſimilant hominem ad beatitudinem conſummatam, quæ eſt in Patria, indeque denominantur beatitudines; & numerantur octo à Chriſto Domino Matth. 5. ſicque diſtribuuntur, & explicantur à Diuo Thoma 1.2. qu.68. art. 3. quod quædam pertinent ad excluſionem falſæ beatitudinis, nimirum tres primæ, & octaua ſeu vltima, quæ eſt quaſi aliarum ſeptem confirmatio, & manifeſtatio. *Prima* enim, quæ eſt *Paupertas ſpiritus*, remouet amorem inordinatum diuitiarum, ſiue omnis eius, quod putatur magnificum, tam in propria perſona, quam in exterioribus bonis, ne in illis ponamus cor, tanquam in beatitudine, & fine vltimo. *Secunda*, *Beati mites*, remouet inordinatas paſſiones iraſcibilis, ne in victoria, & vindicta inimicorum finem collocemus, *Tertia*, *Beati qui lugent*, remouet inordinatas paſſiones delectationis, & gaudij, in quibus plures beatitudinem ponunt, quorum Deus venter eſt, triſtitiam magis, ac luctum aſſumendo de temporalibus. Tum ex magnitudine diuinæ maieſtatis; Tum ex paruitate omnis creaturæ, quę delectationem cauſare poteſt. Ex magnitudine quidem diuinæ maieſtatis, quatenus ſpecialiter eſt deſtructiua omnis celſitudinis, & pulchritudinis creatæ, vnde delectatio nociua cauſari poteſt. Ex paruitate autem creaturæ, quatenus conſideratur tanquam inſipidum omne quod perit, & tranſit. Inde enim fit, quod talis conſideratio creaturarum in ordine ad magnitudinem diuinam, potius prouocat ad luctum, quam ad lætitiam, præſertim cum tantam poſt ſe earum amor relinquat amaritudinem, quæ maximè cognoſcitur in ipſo puncto ſeparationis animæ. Eſtque hæc ratio, cur iſte actus, qui ita reſpicit delectabilia ſenſus, vocatur Beatitudo luctus, quia nimirum conſiderat creaturas, vt auertentes à Deo, cauſanteſque amaritudinem luctu dignam; & correſpondet etiam duplici dono, ſcilicet dono ſcientiæ tanquam dirigenti, vt ait Diuus Thomas 2.2. q.9. art. 4. & dono timoris tanquam exequenti, vt ibidem ait quæſt. 19. art. 12. ad 2. *Octaua* tandem, *Beati qui perſecutionem patiuntur*, remo-

remouet fauorem, & applauſum humanum, potiuſque eligit pati perſecutionem, ne à via iuſtitiæ recedat.

Aliæ autem quatuor Beatitudines pertinent ad diſpoſitionem, & tendentiam in verã Beatitudinem, ita tamen vt duæ ſpectent ad diſponendam vitam actiuam, duæ ad contemplatiuam. Qua ratione omnia, quæ ad beatitudinẽ deducere poſſunt, in præfatis octo beatitudinibus includuntur; etſi enim plures operationes dari poſſint, quam iſtæ octo beatitudines, omnes tamen ad iſta octo genera reducuntur, & in illis continentur. Ad diſpoſitionem veræ beatitudinis per opera vitæ actiuæ ordinantur quarta, & quinta beatitudo; cum *quarta* ſit, *Eſurire, et ſitire iuſtitiam*, hoc eſt, ardenti corde reddere omnibus, quæ debita ſunt; & *quinta, Beati miſericordes*, non ſolum debita, ſed etiam gratuita alijs reddens per miſericordiam, & eleemoſynam, nedum amicis, & propinquis, verum etiam inimicis, & extraneis. Ad diſpoſitionem autem veræ beatitudinis per vitam contemplatiuam ordinantur ſexta, & ſeptima beatitudo, nimirum purgatio cordis per munditiam, ſine qua contemplatio non perficitur, vnde dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; Et pax illa, quæ exuperat omnem ſenſum, & eſt opus iuſtitiæ, de qua dicitur: *Beati Pacifici.*

Quamuis ſeptem duntaxat ſint dona Spiritus Sancti, ponuntur tamen octo beatitudines, quia nimirum octaua pertinet ad ſeptem præcedentes, quaſi confirmatio, & manifeſtatio earum. Continet enim quamdam animi firmitatem, ne quis propter humanas perſecutiones vnquam recedat ab his, quæ per alias ſeptem beatitudines, & dona fiunt, & ſic facit, ne humanos quærat applauſus, vel fauores, ſed potius perſecutiones ſuſtineat.

Ideo verò Chriſtus Dominus Lucæ 6. quatuor tantum beatitudines enumerauit, Matthæi autem 5. octo, vel quia ex Diuo Ambroſio lib. 5. in cap. 6. Lucæ, in iſtis octo illæ quatuor ſunt, & in quatuor illis iſtæ octo; vel etiam ex Diuo Thoma, quia cum Lucæ 6. Chriſtus loqueretur ad turbas, noluit niſi illa tantùm eis proponere, quæ remouent falſam beatitudinem, quam plures maximè ex vulgo collocant in bonis huius ſæculi, & ſic ſolum numerauit paupertatem, eſuriem, ſeu laborem, fletum oppoſitum delectationi, & odium, ſeu perſecutionem hominum oppoſitam applauſui, & fauori; Matthæi autem 5. cum ſermonem haberet ad diſcipulos, vt ad perfectiores, alias inſuper quatuor beatitudines addidit ſpectantes ad diſpoſitionem pro vera beatitudine. Vnde habetur non omnia ſemper dona debere exerceri ab omnibus, licet omnia ſint neceſſaria ad ſalutem pro occaſione, & tempore; quemadmodum nec omnia præcepta affirmatiua obſeruare neceſſe eſt, niſi pro loco, & tempore; nec denique omnes ſemper virtutes exercentur.

Tandem etſi beatitudines maximè contineant opera ſupererogationis, & conſilij, nec nõ ex obiecto ſuo magna, & extraordinaria, vt ſunt totalis diuitiarum abiectio per paupertatem ſpiritus, tranquillitas paſſionum, tolerantia perſecutionum huius vitæ, aliaque ſimilia; tamen complectuntur etiã opera præcepti, & communiter facta, ſecundum quod ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti fiunt in ordine ad beatitudinem; quia licet in ſe non ſint magna, nihilominus reſpectu huius ſubiecti infirmi, multiſque difficultatibus, ac tentationibus circumdati ſunt talia, egetque propterea ad illas vndequaque ſuperandas ſpeciali dono, vel motione Spiritus Sancti. Vndè moderatus diuitiarum vſus, quamuis omnino non relinquantur, etiam pertinere poteſt ad paupertatem ſpiritus, nec non ad octauam beatitudinem firmitatis in perſecutionibus per omnia dona verſantem, vt diximus, non frangi perſecutio-

ſecutionibus, ac tentationibus ordinarijs, multo præſertim tempore durantibus.

Fructus Spiritus Sancti non diſtinguntur abſolutè ab operibus, vel actibus donorum, & virtutum, ſed illos dicunt cum quadam connotatione delectationis, & guſtus, quo fiunt, quodque non ſemper ita ſint excellentes, & ſpeciales, ſicut beatitudines, ſed magis communes, & ordinarij. Vnde beatitudo, licet ſit fructus, quia eſt actus doni, plus tamen addit, nimirum excellentiam quandam inter iſta opera, quibus acceditur ad vitam æternã. Ideo autem fructus vocantur analogicè, quia ſicut fructus eſt vltimum, quod ab arbore producitur, & cum ſuauitate percipitur; ita quoque vltimum, quod anima noſtra, veluti arbor ſpiritalis producit, Spiritu Sancto rigata, ſunt actus, vel effectus reliƈti, aut imperati ex donis, & virtutibus, & ideo cum percipiuntur cum quadam ſpiritus dulcedine, & ſuauitate, dicuntur fructus Spiritus Sancti, & numerãtur duodecim ad Galatas 5. *Fructus autem Spiritus Sancti eſt charitas, gaudium, etc.*

Quæ autem Beatitudines, & qui fructus ex his duodecim (qui ſunt principaliores inter alios, vt docet D. Thomas 1.2.q.70.) correſpondeant ſingulis donis, & ambo ſingulis virtutibus, iam ſufficienter diximus ſupra, agendo de illis, viderique poteſt D. Thomas 2.2. qu.8. art.7. & 8. qu.9. art.4. q.19. art.12. q.45. art.6. q.52. art. 4. q.121. art.2. & q. 129. art. 2. Quare tantùm ſit de donis tam in communi, quam in particulari, paulò quidem fuſiùs, verum neceſſariò; cum ab his pendeat potiſſimum intima cum Deo vnio, heroicumque virtutum exercitium, atque adeò ſumma totius perfectionis Chriſtianæ, myſticæque, & arcanæ Theologiæ vſus.

CAPVT IX.

De virtutibus exemplaribus, Politicis, Purgatorijs, purgati animi, et heroicis.

QVamuis omnia enumerata virtutum genera reperiantur in qualibet virtute cardinali, nihilominus, quia virtutes heroicæ maximè conſiſtunt in modo agendi diuino, & ſupra omnes naturæ regulas, qui habetur per dona Spiritus Sancti, vt vidimus, ideo priùs de illis agendum fuit, quam de hac virtutum diſtinctione, ac diuiſione, qua virtus heroica comprehenditur.

Primum igitur virtutes Cardinales exemplares ſunt illæ, prout reperiuntur in Deo, in quo eſt exemplar, & idea omnium virtutum, proptereaque non ſunt humanæ, ſed diuinæ, longè à noſtris differentes. Sunt tamen ipſarum exemplar, per imitationem enim diuinæ iuſtitiæ ſumus iuſti, & per imitationem diuinæ perfectionis perfecti, iuxta illud Matth.5. *Eſtote perfecti, ſicut et Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Itaque Deus non ſolùm eſt cauſa efficiens virtutum, ac perfectionis in nobis, dando omnia ad illam neceſſaria, verum etiam exemplaris, & idealis; adeo vt quemadmodum in ea efficienda, in ſuam ſemper intuetur perfectionem; ita eam ipſam homini, qui ſecunda eiuſdem cauſa eſt, propoſitam perpetuò eſſe voluit. Licet noſtra quantalibet perfectio ad illam collata non ſit vel tenuiſſimum eius veſtigium.

Omiſſis his virtutibus exemplaribus, quæ ſunt in Deo, vel formaliter eminenter, vbi nimirum illi non repugnat eſſentialis, & ſpecifica materia, circa quam verſentur, vel virtualiter tantùm, vbi talis materia repugnat; ridiculum enim eſt ponere formaliter in Deo temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam, prout ſunt in nobis circa concu-

concupiſcentias, aut timores, aut venditiones, & emptiones, vt ſatis per ſe patet; omiſſis, inquam, huiuſmodi virtutibus diuinis, & exemplaribus, loquendo de exemplatis, & humanis, quæ in nobis ſunt, dantur plura illarum genera, ſeu diuiduntur in *Politicas, purgatorias, purgati animi*, ſiue *heroicas*. Quæ diuiſio licet adaptari etiam poſſit virtutibus naturalibus, vel acquiſitis, per virtutes politicas, vel purgatorias intelligendo illas, quæ communiter exercētur ſecundū finem naturalem, vel ex motiuo purè naturali honeſto moderantur paſſiones, quales fuere in aliquibus Philoſophis Gentilibus; quæ enim ſic operantur virtutes, ſatis patet non excedere limites virtutis acquiſitæ. Per heroicas verò illas, quæ, licet fiant, vt communes ex motiuo purè naturali, dicuntur tamen heroicæ ratione altiorum, quos habent effectuum, ſicque Ariſtoteles, alijque Philoſophi Gentiles dixerunt virtutem heroicam eſſe aliquid altius virtute, ſicut feritas eſt aliquid deterius vitio crudelitatis, illamque diſtinxerunt ab humana, quatenus etiā ex aliquo inſtinctu eam prouenire credebant, vt in ſuis vatibus, cum arripiebantur. Quamuis, inquam, præfata diuiſio hoc modo virtutibus etiam naturalibus, & acquiſitis accōmodari poſſit, in præſenti de illa potiſſimum agimus, ſecundum quod reperitur in virtutibus ſupernaturalibus infuſis; difficultaſque eſt, an ſit eſſentialis, ſeu diuiſio generis virtutis, an ſolum accidentalis, & penes diuerſos eiuſdem virtutis ſtatus. Cuius reſolutio pendet ex hoc, nimirum, an reperiatur in dictis virtutibus diuerſa materia, & obiectum? nam ſicut eodem ſtante obiecto, vel materia, non poſſunt non eſſe idem formaliter, & eſſentialiter, ita non poſſunt non ita differre, ſi diuerſum ſit obiectum, quia principium diuerſæ ſpecificationis, & quidditatis in habitibus, & actibus eſt obiectum.

Pro quo notandum eſt, duo poſſe in virtutibus cardinalibus tam acquiſitis, quam infuſis attendi. *Primum eſt*, effectus quem operantur, ſcilicet relinquere paſſiones moderatas, & compoſitas ad regulam, vel præſcriptū rectæ rationis. *Secundum* eſt, motiuū, ex quo aliquis inclinatur, vel excitatur ad huiuſmodi paſſionum moderationem, aliquando enim non poteſt ex inferiori, aut proprio harum virtutum motiuo obtineri, ſed indiget ſuperiori Spiritus Sancti dono; aliquando verò ſufficit inferius, aut proprium.

Aduertendum eſt inſuper, nedum virtutes naturales, aut acquiſitas, ſed & ſupernaturales, ac infuſas, rectè vocari poſſe politicas, & purgatorias. Vt enim datur politia naturalis reſpiciens finem eiuſdem ordinis, & penes illum virtutes acquiſitæ; ita quoque datur politia ſupernaturalis, qua ſumus *ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*, ſecundum communicationem bonorū ſupernaturalium, ſeu in ordine ad finem ſupernaturalem, indeque virtutes etiam ſupernaturales, & infuſæ *politicæ*, nec non *purgatoriæ* dantur, ſic dictę, quia licet ex motiuo, aut fine ſupernaturali procedant, in quo eſſentialiter diſtinguntur à virtutibus acquiſitis, habent tamen cum illis commune, tanquam quid materiale, vt moderatè vtantur rebus temporalibus, componant paſſiones, purgentque animam ab earum vſu nedum illicito, quod pertinet ad ſtatum incipientium, ſeu viæ purgatiuæ, verum etiam licito, quod pertinet ad ſtatum proficientiū, ſeu viæ illuminatiuæ vtentis virtutibus ad totalem, quantum in hac vita haberi poteſt, paſſionum, ac rerum temporalium abſtractionem. Quod quia dupliciter adhuc fieri poteſt, ex motiuo etiam, aut fine ſupernaturali, ſeu intra lineam, & genus ſupernaturalitatis; vel modo ordinario, & communi, hoc eſt non excedente humanā induſtriam, eiuſque regulas, vel modo extraordinario, ſeu diuino illas ſuperante,

rante, qui pertinet ad dona Spiritus Sancti, & ex quo virtutes ab illis perfectæ dicuntur heroicæ, & purgati animi, penes iſtum diſtinguuntur quoque ab iſtis virtutes politicæ, & purgatoriæ infuſæ, vt ſatis explicuimus ſupra. Etſi autem confundi ſoleant inter ſe virtutes purgatoriæ, & purgati animi, melius tamen diſtingui debent in hoc, quod virtus purgatoria ſit illa, quæ humano procedens modo eſt adhuc veluti in via, & motu purgandi animã ab omni terreno affectu, vnde vocatur à Diuo Thoma 1.2. q.61. art.5. virtus tendens in diuinam ſimilitudinem; virtus autem purgati animi ſit illa, qua, iam eo deſiccato, & euacuato, anima in ſumma pace, veluti in termino conſtituta diuinis fruitur amplexibus, quod quia proprium eſt ſtatus perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ, & obtineri non poteſt, niſi per heroicum virtutum ſupernaturalium exercitiũ, eiuſdem ſtatus proprium, propterea virtus purgatoria confunditur quidem cum politica, ſiue eadem virtus infuſa, quæ eſt politica, eſt & purgatoria, virtus autem purgati animi ab illa diſtinguitur, & coincidit cum heroica, & vocaturque à Diuo Thoma loco citato virtus iam aſſequentis diuinam ſimilitudinem.

Ex his igitur ad rem noſtram dico, ſi in omnibus præfatis virtutibus attendatur earum effectus, qui eſt moderatus paſſionum, rerumque temporalium vſus, vel totalis etiam deſtructio, eas non differre eſſentialiter, ſeu non eſſe virtutes diuerſas, ſed diuerſos ſtatus eiuſdem virtutis, ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem in domandis, vel purgandis paſſionibus, ſicut pueritia, adoleſcentia, & virilitas non faciunt diuerſos homines, ſed diuerſos eiuſdem hominis ſtatus. Quod enim aliquis moderatè vtatur rebus temporalibus, temperatas habeat paſſiones, vel etiam illas totaliter neſciat, non variat obiectum formale virtutis, ergo nec quidditatem. Patet hæc cõſequentia, ſi antecedens eſt verum. Illud autem conſtat, quia virtutes cardinales, quæ fuerunt in ſtatu innocentiæ in Adamo, tum in Chriſto Domino, in Beatiſſima Virgine, ac demum ſunt in Beatis, fuere, & ſunt ſine fomite, vlloque paſſionum remorſu, & fuere tamen, & ſunt eiuſdem ſpeciei, ac rationis, cum noſtris in ſtatu naturæ corruptæ, in quo nos ſcimus, & ſentimus paſſiones, virtuteſque morales illas componunt, & moderantur; ſignum eſt ergo manifeſtum, quod totalis paſſionum, aut rerum temporalium abſtractio, vel moderatus earum vſus non variat obiectum formale, atque adeo nec eſſentiam virtutum, ſed ſtatum; aliàs contra id, quod docent communiter Theologi, virtutes iſtæ, quæ fuere nobis in via, non remanerent in patria, quantum ad ſuam eſſentiam, & rationem formalem; quantum enim ad aliquid materiale, quod pertinet ad exercitium, & vſum rerum temporalium, ibi non manere certum eſt.

Si autem in iſtis virtutibus attendatur earum motiuum, ſiue ratio formalis, illaque varietur, quia videlicet ad præfatos effectus conſequendos, vtitur quis motiuo ſuperiori, & eccellentiori, tunc eas formaliter diſtingui, diuerſaſque eſſe, dubium non eſt. Sic virtutes morales infuſæ diſtinguuntur ab acquiſitis, quod iſtæ ex motiuo naturali inferiori procedant, vt ſi quis temperatè comedat propter tuendam ſalutem corporalem; illæ autem ex motiuo ſupernaturali, vt quando aliquis ad eumdem finem, abijciendumve omnem alium amorem temporalẽ vtitur motiuo diuinę contemplationis, & amoris ſupernaturalis. Ad huiuſmodi enim diſtinctionem non ſufficit maior, vel minor perfectio eiuſdem motiui, ſiue intra limites eiuſdem rationis formalis, quia ſcilicet creſcente intentione, & perfectione talis virtutis, abundantius paſſiones ipſas diminuit, & moderatur, ſic enim illa tantum

differt

differt penes diuerſos gradus, & perfectiones eiuſdem virtutis, ſed requiritur nouum motiuum, ſiue tranſitus de motiuo naturali, ad ſupernaturale, ſi ſit virtus infuſa, vel intra eamdẽ lineam naturalitatis, aut ſupernaturalitatis ab vno motiuo, ad aliud, ratione alicuius virtutis ſuperioris imperantis, aut finalizantis; vt ſi aliquis temperatè comedens propter tuendam ſalutem corporalem, quod eſt motiuũ inferius, temperantius, rigidiuſque ieiunet ex pœnitentia, aut religione, aliave virtute ſuperiori, etiam ordinis naturalis; & ſimiliter in linea, & genere virtutum ſupernaturalium, in quibus inferior poteſt dirigi, & ordinari ex imperio ſuperioris, quæ eo ipſo, quod eſt diſtinctæ ſpeciei, non poteſt conſequenter eius influxus non eſſe talis in inferiorem, cui imperat.

Sic ergo nedum in ordine naturali virtutes acquiſitæ, verum etiam in ſupernaturali, multoque magis, virtutes per ſe infuſæ admittunt ſtatum virtutis magis, ac minus perfectæ, tum penes diuerſos gradus, & perfectiones eiuſdem virtutis magis, vel minus perfectè paſſiones domantis, qua tamen ratione ſunt ſemper virtutes communes ordinariæ, non autem heroicæ; tùm penes diuerſa motiua; quæ ſi ſunt aliarum virtutum præciſè, quantumuis ſuperiorum, non excedunt quoque virtutum communium limites, nec heroicæ, aut purgati animi virtutes dicendæ ſunt; niſi procedant ab illis ſimul & à donis Spiritus Sancti, atque adeò ſecundum altius, & excellentius motiuum operantis; vt ſuperiori capite ſatis explicuimus agentes de huiuſmodi donis. Itaque virtus heroica non ſolùm diſtinguitur à virtutibus infuſis, quod iſtæ verſentur circa obiecta ordinaria, illa verò circa extraordinaria, ita ſcilicet comprimendo omnes paſſionum motus, vt vix exigua earum veſtigia remaneant, & ſi ſe aliquando moueant tenuiter, ſtatim nullo labore contineantur, ſed ex hoc potiſſimum, quod verſetur circa huiuſmodi obiecta modo diuino, ſeu ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti ſuperiore ad omnes regulas humanę rationis, adeo vt idem ſit virtus heroica, ac virtus donis Spiritus Sancti perfecta, & ex illis operans. Vocari etiam poteſt virtus purgati animi, quia propria animæ ab omni paſſionum motu, iam ſedatæ; item virtus perfecta, tum quia perfectis, viaque vnitiua incedentibus maximè conueniens; tum ſuperadditis Spiritus Sancti donis, ad altiorem gradum eleuata; item virtus diuinam ſimilitudinem aſſequentium, quia in eadem via mens per intimam cũ Deo vnionem in illum ſpiritaliter transformatur: ac tandem virtus cæca, quia non amplius in operando humano vtitur oculo, ſeu prudentia humana, humaniſque legibus, ſed diuino ducitur inſtinctu Spiritus Sancti, ita mentem per ſua dona illuminantis, vt cætera omnia tanto veluti fulgore obſcurata ne conſpiciantur quidem, ſed mens illis potius cæcutiat. Quare vbi vel tuendæ, vel augendæ virtutis datur occaſio, nullam commodorum corporis, nullam famæ, honoris, ac dignitatis retinendæ, nullam denique etiã vitæ conſeruandæ rationem ducit. Cuius rei exempla non tantùm habentur in obedientia, vt fuit illud Sãcti Mauri, cum ad S. Benedicti imperium Sãctum Placidum periclitantem erepturus ſuper aquas inambulauit; verùm etiam in alijs virtutibus, quale fuit illud caſtitatis eiuſdem S. Benedicti, qui præ eius amore, nihil cogitans de vitæ periculo, nihil de valetudinis diſcrimine, cum ei quodam die ardentes ad libidinem faces ſubijcerentur, ſe in vepribus tamdiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur; nec diſpar fuit in S. Franciſco paupertatis exemplum; in Sancta Virgine noſtra Thereſia deſiderij pariendi, caſtigandique corporis, quo tam anxiè æſtuabat, vt quamuis ſecus ſuaderent morbi, quibus aſflicta-

ﬂictabatur, illud cilicijs, catenis, vrticarum manipulis, alijſque aſperrimis flagellis ſæpè cruciaret, & aliquando inter ſpinas volutaret, ſic Deum alloqui ſolita: *Domine aut pati, aut mori*. Et ita de alijs innumeris, quibus referta ſunt acta Sanctorum, & Bullæ Canonizationis eorumdem.

Sub præfatis autem, alijſque ſimilibus reſpectibus, cum virtus heroica multipliciter definiri, aut deſcribi poſſet, quæ tamen videtur magis propria, & adæquata eius definitio, eſt illa, qua dicitur in genere, *Virtus perfecta donis Spiritus Sancti, vt eius inſtinctum promptè ſequatur*, vel *ad diuinam huiuſmodi donorum regulam inexpugnabiliter operetur*, habens ſcilicet tam firmum inhærendi obiecto ſuo propoſitum, vt commodis, & incommodis omnibus contrarijs illud præferat; nec impelli poſſit ad illud violandum. Et ſic conſequenter actus virtutum heroici ſunt illi qui ex talibus procedunt virtutibus. Vnaquęque autem virtus heroica in ſpecie definiri poteſt, per donum Spiritus Sancti, ſibi maximè correſpondens, quo in propria materia benè diſponitur, vel perficitur ad extraordinariam inſpirationem diuinam promptè recipiendam, & exequendam, ſiue ad extraordinariam excellentioris actus inſpirationem. Tantumque ſit de præfata diuiſione virtutum, pro præſenti inſtituto.

CAPVT X.

De proprietatibus virtutum.

DIuus Thomas 1. 2. à quæſtione 64. vſque ad 67. incluſiuè; & communiter Theologi cum illo quatuor aſſignant virtutum proprietates. *Prima* eſt, habere medium, ſiue illas conſiſtere in medio, quatenus per regulationem euitant exceſſum, & defectum in materia regulabili. *Secunda* eſt habere connexionem inter ſe, ratione principij, à quo omnis illa regulatio prouenit, ſcilicet à prudentia. *Tertia* eſt, habere inæqualitatem inter ſe, eo quod materia regulabilis diuerſimodè participat ordinem rationis. *Quarta* tandem, eſt duratio, ſiue habere permanentiam, vel in hac vita, vel etiam poſt illam, licet ſub alio ſtatu, propter permanentiam ſubiecti, quod eſt anima. De quibus omnibus in ſequentibus paragraphis breuiter agemus, quantum tamen ſufficiet ad præſentis inſtituti rationem, iuxta mentem, ac doctrinam eiuſdem Diui Thomæ loco citato.

§. I.

De medio virtutum.

1. AD intelligentiam huius proprietatis virtutum, ſiue quid ſit, eas in medio conſiſtere, notandum eſt, medium ea ratione poni in virtutibus, qua ponitur menſuratio, vel regulatio deſumpta nimirum metaphora, à menſuris artificialibus, quibus materialia menſurantur pondera, quæ cum adæquantur, quaſi ad medium aliquod perpendiculum reducuntur, vt patet in libra. Vnde virtutes illæ, quæ verſantur circa materiam aliquã regulabilem, ſeu menſura indigentem, quatenus poteſt vergere in exceſſum, vel defectum à tali menſura, dicuntur ponere medium in huiuſmodi materia; in quantum inclinat, vel moderantur affectum in illam taliter, vt neque deficiat, neque excedat ab eo, quod regulans poſtulat, & lex iubet.

2. Aduertendum eſt, medium virtutis vocari medium rationis, non quod in iſta ſit aliquid inhærens, aut receptum tanquam in ſubiecto, ſed quia à ratione vt à regulante, & dirigente proponitur, ac ſecundum prudentiam determinatur. Et ſic in omni virtute, tàm quæ eſt circa paſſiones moderandas, quàm quæ eſt circa operationes reperitur medium rationis, hoc eſt regulatio quædam in actu pro-

vt ſe

vt ſe tenet ex parte operantis, quia actus bonus eſt, & bene ab ipſo operante fit; nec enim bene fieri poteſt, niſi ſecundum debitas circumſtantias à ratione præſcriptas, nec non à prudentia definiente, quod hic, & nunc talis fiat actus, & quo modo.

3. Obſeruandum eſt medium virtutis diuidi in medium rationis, & medium rei, ſeu ſe tenens ex parte operis, aut materiæ virtutis; vnde huiuſmodi medium nihil eſt aliud, quàm illa menſuratio, vel adæquatio, quæ fit inter quantitatem, & quantitatem rei; medium verò rationis eſt illa, quę fit inter quantitatem rei, & ipſam rationem, ſeu prudentiam, non inter duas quantitates rei, & rei. Cum autem quantitas dupliciter conſiderari queat, vel arithmeticè, vt inter duos numeros, v. g. inter ſex, & ſex, duodecim, & duodecim; vel geometricè, vt inter proportionem vnius cum alio, ſicut eadem proportio eſt trium ad ſex, quæ ſex ad duodecim, ſcilicet proportio dupla, vel dimidij: Inde quoque fit, quod in medio rei conſiſtente in menſuratione duarum quantitatum rei, & rei, attendi debeat duplex menſuratio vna Arithmetica ſeu ſecundum quantitatem abſolutam, alia autem Geometrica, ſeu ſecundum quantitatem proportionalem: Et vtroque modò fit menſuratio, ac ponitur medium ex parte rerum, ſeu ex parte materiæ virtutis, cui competit attendere huiuſmodi medium.

4. Cum tria ſint genera virtutum, ſcilicet Moralium, Intellectualium, & Theologalium, communiter Theologi docent, virtutes morales directè, & per ſe conſiſtere in vtroque dicto medio, tam rationis, quàm ex parte ſuæ materiæ. De primo ſatis conſtat, eo enim ipſo quod ipſarum exercitium à prudentia dirigitur, non poſſunt non habere ab illa medium rationis ex parte operantis, ſeu menſurationem, quæ fit inter quantitatem rei, & ipſam rationem ſeu prudentiam. De ſecundo autem oſtenditur, quia omnis materia virtutis moralis eſt regulabilis à prudentia iuxta regulam rationis, qua regula ſemel ablata, degenerat in peccatum, vel per exceſſum, vel per defectum: Atque adeò omnis etiam virtus moralis ratione ſuæ materiæ regulabilis conſiſtit in medio, ſiue in regulatione materiæ, ne in exceſſum, aut in defectum declinet. Eò enim ipſo, quod talis materia ſic eſt regulabilis à prudentia, & ratione; nec ſecundum ſe eſt ipſa regula, vt per ſe patet, neque neceſſariò ipſi regulæ annexa, cum ſit libera, & contingens, proptereaque defectibilis à regula; & latitudinem ſecundum plus, & minus habeat, nec non ſecundum varias circumſtantias; ideoque à regula declinabilis, aliquando per exceſſum, aliquando per defectum: Et conſequenter regulatio eius, qua neque defectum, neque exceſſum patitur, dicenda eſt in medio conſiſtere.

Ita autem virtus moralis, ſi conſideretur ex parte ſuæ materiæ modo dicto regulabilis, conſiſtit in medio, quatenus, cum talis materia poſſit eſſe in magis, & minus, reducitur in medium ab eo, quod eſt optimum in ratione; vt tamen, ſi ſpectetur in eadem virtute id, quod eſt rationis, dicenda ſit eſſe, non in medio, ſed in vltimo, & extremo, id eſt, in optimo, quia optimum quod ratio poteſt, virtus eſt. Sic Philoſophus ait 2. Ethicorum cap. 6. Quod *Virtus ſecundum ſubſtantiam* (id eſt materiam) *medietas eſt, ſecundum autem optimum, & bene, eſt extremitas.*

5. Similiter etiam, licet ſint aliquæ virtutes morales, in aliquid magnum, & quaſi extremum tendentes; cuiuſmodi ſunt Magnificentia, quę non mediocribus, ſed magnis ſumptibus exercetur: Paupertas Euangelica, quæ omnia relinquit: Virginitas, quæ non ſolum ab illicita, ſed ab omni prorſus venere abſtinet; Humilitas, quæ quo in animo depreſſior, tanto vir-

virtuoſior: Pœnitentia, quæ non ſit deterior in lugendis, & deteſtandis peccatis ſecundum omnem exceſſum; non propterea iſtæ, aut aliæ ſimiles virtutes morales, non deſinunt conſiſtere in medio ex parte materiæ. Vt enim rectè docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 64. art. 1. ad 2. & 3. huiuſmodi virtutes ſic rendunt in aliquid abſolutè, & in ſe extremum, vt tamen, comparatiuè, & relatè ad circumſtantias hic, & nunc occurrentes, non ſit extremum, ſed medium, ſeu mediocre, & proportionatum illis; atque adeò in quantitate reſpiciunt quidem extremum, in proportione autem reſpiciunt medium, & illud conſtituunt. Quo ſenſu Philoſophus ait 4. Eth. cap. 3. *Magnanimus eſt quidem magnitudine extremus, eo autem quod vt oportet medius*. Nam E.g. in magnificentia magnitudo ſumptus, quæ in ſe, & abſolutè conſiderata magna, & extrema eſſe videtur, relatè ad cultum Dei, pro quo fit ſumptus, erigendo templum, aut quid ſimile in honorem eius; ad perſonam, à qua fit, v. g. à Rege; ad occaſionem, ex qua fit, v.g. ob reportatam inſignem aliquam victoriam, aut receptum ingens aliquod beneficium, non cenſetur quid excedens, ſed proportionatum, & debitũ, & conſequenter medium. In re enim morali idem eſt extremum, & mediũ, quod excedens, & proportionatum, debitum, & indebitum. Eodem modo diſcurrendum eſt de Paupertate Euangelica relinquente omnia, vt ſequatur Chriſtum, quia reſpectu iſtius ſequelæ totus mundus nihil eſt, aut valde patum; vnde ait Apoſtolus *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*. Item de virginitate, quæ ab omni prorſus venere abſtinet, vt ſeruiat Deo, quæque ſunt eius cogiter, quod ſine magna corporis etiam puritate ita facile præſtari non poteſt. Et humilitas quantumuis deprimat animum, tamen reſpectu propriæ vilitatis, & infirmitatis nunquam eſt exceſſiua, ſed proportionata annihilatio ante Deum. Pœnitentia quoque, licet exceſſum habere non poſſit in lugendis peccatis ex parte motiui principalis, quod eſt dilectio Dei ſuper omnia, indeque peccari deteſtatio, nihilominus illum habere poteſt ex parte doloris ſenſibilis, vt ſi tantus ſit, tantæque ſatisfactiones aſſumptæ, quod noceant vitæ, vel ſaluti: aut quod deſperet, quietarique nolit. Sic enim Iudas pœnitendo peccauit, quia laqueo ſe ſuſpendit. Fortitudo pariter in ſuſtinendis pro Deo malis quantumuis maximis, non eſt exceſſiua, quia ex Apoſtolo *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*.

Huic tandem virtutum moralium proprietati non obſtat, quod ex parte operationis ipſarum non detur aliquis terminus, ſed poſſit in infinitum creſcere ſecundum intenſionem, cũ enim materia regulabilis ſit ipſamet operatio, ſeu actus appetitus ſenſitiui, quem paſſionem vocamus, videtur ſequi, quod ſi ex parte operationis non datur medium, ac determinata regula, neque etiam dari ex parte materiæ, atque adeò virtutem ſaluari poſſe cum exceſſu triſtitię, vel timoris, aut alterius paſſionis.

Reſpondetur enim, quod intenſio, vel augmentum operationis virtuoſæ poteſt eſſe duplex, vel ex parte regulationis, & motiui formalis eius, vt ſi quis intenſè, ſummoque ſtudio conetur, vt prudenter ſe gerat, & regulatè in operando. Et huiuſmodi intenſio non facit exceſſum in virtute; ſed potius per eam magis perficitur, & in ſubiecto radicatur. Vel ex parte eius quod materiale eſt in operatione, ſcilicet ex parte ipſius paſſionis, vt mera paſſio eſt, E.g. quod ſit valdè intenſa, aut exceſſiua triſtitia in pœnitentia. Qua ratione cum operationes noſtræ degenerare poſſint in vitium ex nimietate, vel exceſſu intenſionis, de-

bet

bet illi moderari à prudentia. Atque adeò, licet quidem intenſio priori modo conſiderata, nimirum ex parte regulationis, & prudentiæ, nunquam ſit exceſſiua, ſed perfecta virtus, neque conſequenter tali modo conſiſtat in medio; attamen ſi conſideretur poſteriori modo, hoc eſt, ex parte ipſius paſſionis, vt paſſio eſt, quod eſt illam conſiderare ex parte materię, ſeu ſecundum quod in illa materiale eſt, ſic debet reprimi, virtuteſque morales ponuntur ad huiuſmodi nimietates moderandas, & dicuntur conſiſtere in medio ex parte materiæ.

5. Ita omnes virtutes morales verſantes circa paſſiones, modo explicato conſiſtunt in medio rationis ex parte ſuæ materię, menſurantes, ſeu regulantes quantitatem operis, ſeu affectus, & effectus, non penes aliam quãtitatem rei, ſed penes prudentiale iudicium; quare quod eſt magnum, & exceſſiuum vni, eſt temperatum, & mediocre alteri; poteſtque aliquid eſſe quantitate magnum, & extremum, ratione autem medium; & conſequenter paſſiones, earumque materia non menſurantur, neque adæquantur penes quantitates rerum inter ſe, ratione quarum dicantur reduci ad aliquod medium, aut mediocritatem, ſed tota mediocritas, aut medium in his deſumitur ex parte rationis, & prudentiæ determinantis, quid & quantum debet accipi, vel operari: Ita inquam ſe habet in virtutibus moralibus verſantibus circa paſſiones, earumque materiam; vt in virtute iuſtitiæ, & alijs rationem eius participantibus, inſuper earum materia debeat habere menſurationem, & adæquationem penes quantitatem vnius rei cum alia, ſiue abſolutam, vt cum Iuſtitia commutatiua reddit centum, quia abſtulit centum; ſiue proportionalem, vt cum Iuſtitia diſtributiua reddit præmium pro meritis, aut pœnas pro delictis ſecundum proportionem, non ſecundum abſolutam æqualitatem.

Vnde etiam oritur difficultas, num præter peccatum, quo in materia iuſtitię receditur à medio rationis, commune materiæ aliarum virtutum moralium, detur inſuper aliud peccatum in receſſu à medio rei, quod vt ſtatim diximus attenditur ſpecialiter à iuſtitia. Qui receſſus cum duplex eſſe poſſit, vel per defectum, vel per exceſſum; certum eſt illum priori ſemper modo eſſe peccatum, vt ſi quis debet alteri centum, reddat autem ei quinquaginta ſolum; vnde punctum difficultatis reducitur ad receſſum poſteriori modo, nimirum per exceſſum, vt ſi debens centum alteri, reddat ei centum quinquaginta; in hoc enim aliqui opinantur nullum eſſe peccatum, ſaltem iuſtitiæ oppoſitum, aut alicui eius virtuti medium rei reſpicienti, & conſtituenti; quamuis, ſi nimius ſit talis exceſſus, poſſit eſſe peccatum prodigalitatis, contra rectam, & debitam diſpenſationem bonorum, à virtute liberalitatis præſcriptam.

Nihilominus alij cenſent, videturque eſſe probabilius modo ſtatim explicando, quemcumque receſſum à medio rei, circa quod verſatur iuſtitia eſſe peccaminoſum peccato contra iuſtitiam. Pro cuius intelligentia notandum, præfatum medium dupliciter ſpectari poſſe.

Primò veluti phyſicè, & in abſtracto. Secundò moraliter, ac veſtitum debitis circumſtantijs. Si priori modo conſideretur admittendum eſt, exceſſum in eo nõ ſemper eſſe vitioſum per ſe ſolum in iuſtitia commutatiua, quando enim aliquis ſoluit aliquod debitum, & dat aliquid vltra id quod debet, ſatis patet, hoc de ſe non eſſe peccatum contra dictam iuſtitiam; ſecus autem ſi conſideretur dictum medium poſteriori modo, hoc eſt moraliter, & vt veſtitur debitis circumſtantijs; ſic enim in iuſtitia commutatiua peccari etiam poteſt per exceſſum, quia ad iſtam virtutem non ſolum pertinet bonum facere, & debitum ſoluere

uere ex parte ipſius rei; ſed etiam benefacere ex parte ipſius operantis, ſcilicet quando, & vbi oportet, & qua intentione, & animo oportet; id eſt propter honeſtatem ipſius virtutis, quę aliquando dictat non eſſe reddendum, quod debetur, cum talibus circumſtantijs; vt ſi quis ex nimio amore iuſtitiæ, ſolueret, vel redderet qnod debet etiam cum damno tertij, v. g. enſem furioſo, pecuniam inimico, debitum vxori in loco ſacro, vel publico; hæc, & ſimilia eſſent contra iuſtitiam per exceſſum. Quia verò in hoc non ſiſtitur in ipſo medio rei præcisè, ſed etiam aliquid de medio rationis attingitur, pro vt hoc medium aliquo modo ſpectat ad medium rei non nudè, & merè phyſicè conſideratum, ſed moraliter, & cum circumſtantijs, quibus ab ipſo debet attingi, eo quod mediũ rei non debet reſpici à virtute, ita nudè, ſicut ab arte, vel ab alia facultate faciente phyſicam æqualitatem, & menſurationem inter aliqua duo; ſed debet conſiderari æqualitas illa vt moralis, & virtuoſa, ita quod non ſolum fiat bonum, ſed etiam bene, propterea in iuſtitia commutatiua æqualitatem rei non aliter, qnam vt ſubeſt dictis circumſtantijs rationis, attingente, licet non ſemper vitioſus ſit exceſſus in medio rei veluti phyſicè, & in abſtracto conſiderato, poteſt tamen eſſe moraliter, ſpectatũ, ſeu veſtitum indebitis circumſtantijs. Vnde etiam habetur, quomodo poſſit adimpleri præceptum virtutis, quamuis mala intentione fiat, & non virtnoſo, ac debito modo, v. g. poteſt quis ieiunare, aut eleemoſynam dare ex vanitate, & tamen præceptum implet; quia iſta, & ſimilia præcepta non cadunt ſuper illam materiam, niſi quantum ad executionem externam, non quantum ad intentionem, & bonitatem animi, hoc enim eſt finis legis, non materia præcepti. At virtus non ſolùm inclinat ad executionem materiæ, ſed bonum facit habentem, atque adeò reſpicit rectitudinem moralem actus ſecundum omnes circumſtantias, & non ſecundum nudam, & phyſicam adæquationem rei; ſeu quatenus facit hanc adæquationem, vt virtuoſam, & virtuosè.

In Iuſtitia autem diſtributiua in ordine ad præmia, vel vindicatiua in ordinę ad ſupplicia, quæ in ſuperiore etiam ſpectat ad diſtributiuam, etiam in exceſſu ſecundum rem poteſt eſſe peccatum iniuſtitiæ. Si enim alicui præmium vltra proportionem, vel capacitatem ſuam conferatur, peccatum eſt, non ſolùm ex eo quod alteri digniori denegatur, ſi ſit plurium concurſus, verum quia indigno, & improportionato datur tale præmium, aut talis dignitas, cuius capax non eſt, aut promeritus non eſt. Similiter ſi in infligendo pœnam excedatur quantum ad quantitatem, vel qualitatem eius, peccatum eſt contra iuſtitiam vindicatiuam, quia quantitas pœnæ non adæquatur culpę.

6. In virtutibus intellectualibus detur quoque medium, & regulatio ex parte obiecti, ſiue ſint ſpeculatiuæ, ſiue ſint practicæ. Et quidem in prioribus medium eſt ipſa regulatio veritatis, quæ conſiſtit in eo quod eſt, vel non eſt, ſiuè certò attingatur, ſiue probabiliter tantum. Extrema autem ſunt varię falſitates, & contrariæ opiniones, quæ poſſunt contra iſtam veritatem dici. Vt ſi in materia fidei dicatur hæc veritas; *Verbum Diuinum eſt incarnatum*. Contra illam poteſt dici falſitas per vnum extremum defectus aſſerendo, illud non eſſe incarnatum; nec non per aliud exceſſus aſſerendo, alias etiam perſonas diuinas fuiſſe incarnatas. In virtutibus etiam practicis, quæ vel ſunt artes circa factibilia, vel prudentia circa agibilia idem conſtat. Artes enim eo ipſo, quod verſantur circa materiam reducibilem ad menſuram, & regulationẽ, ſecundum quam debet fieri artificiũ, nec non de ſe capacem excedendi ta-

lem

lem regulam penes exceſſum, & defe-ctum, vt ſi fieret domus nimis ampla, vel nimis parua; manifeſtum eſt eas reſpicere aliquod medium, id eſt aliquam menſurationem in illa materia à ſe præſtandam, vt non excedatur proportio artefacti, neque in plus, neque in minus. Prudentia autem maximè conſiſtit in medio, cum enim ipſa ponat medium, & regulationem in cæteris virtutibus, neceſſe eſt quod ab illo non declinet. Vnde etiam circa illam contingit peccari, & per defectum, vt in imprudentia, & per exceſſum, vt in aſtutia. Quod vtique in omnibus virtutibus intellectualibus habet locum. Ad quas tamen, vt ſint in medio non requiritur, quod eis imponatur regulatio ab alijs virtutibus, ſicut virtutes morales regulantur, ſed id ſit ab ipſis obiectis per ſe apprehenſis: Ideò enim virtutes morales à ratione diriguntur, quia voluntas, cui inexiſtunt, per apprehenſionem dirigitur, & per ſe immediatè non poteſt obiectum percipere, vt ab eo in ſe reguletur.

7. Virtutes Theologicæ per ſe, & ex parte materiæ, circa quam verſantur, non conſiſtunt in medio. Ita communiter cenſent Theologi, fundati in illo D. Bernardi lib. de diligendo Deo, quod *Charitatis modus eſt, ſine modo diligere*. Ratio autem eſt, quia illa materia ſolum per ſe recipit medium, quæ eſt capax habendi extrema, reducitur autem ad medium per aliquam regulam. Igitur cum virtutes Theologicę habeant pro materia, circa quam verſantur ipſum Deum in ſe, ſeu finem vltimum ſupernaturalé, qui eſt ſuprema regula rationis, non regulabile aliquid, neque capax deficientiæ, aut exceſſus à regula; clarè patet huiuſmodi virtutes non conſiſtere in medio ex parte materiæ, vel obiecti primarij, id eſt non reducere illud ad medium, aut regulationem, ſed illud attingere, vt regulam omnium.

Eaſdem tamen virtutes poſſe per accidens habere medium, tam ex parte ſubiecti, & modi operandi noſtri, quàm ex parte obiecti ſecundarij, communis quoque eſt Doctorum ſententia. Et *Primò* ex parte ſubiecti, patet in fide, quæ deſtrui poteſt per extremos errores, & extremè contrarios; ſicut contra eius veritatem, quod Deus ſit vnus in eſſentia, trinus in perſonis, aliqui hæretici aſſeruerunt, eſſe vnum in vtroque, hoc eſt tam in eſſentia, quàm in perſona; alij verò multiplicari tam eſſentias, quàm perſonas. *Secundò*, ex parte noſtri modi operandi peccatur contra fidem per defectum, vt quando quis, ſtantibus debitis motiuis, aut renuit credere, aut ſaltem tardus eſt ad credendum; iuxta illud Chriſti Domini: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*; per exceſſum autem, quando ex leuiſſimis etiam motiuis credit, nam *qui cito credit leuis eſt corde*. Similiter in ſpe datur medium inter præſumptionem, qua quis nimium putat ſine meritis poſſe conſequi gloriam; & inter deſperationem, quæ deficit, non ſperando in miſericordia diuina. *Tertiò*, in charitate tam excedi, quàm defici poteſt ex parte obiecti ſecundarij; vt ſi tantum quis diligeret creaturas, quod etiam dœmones, ac damnatos amaret; aut ex aduerſo nollet amare homines.

Et ſi autem aliqui Theologi inde colligant, virtutes Theologicas habere medium ſimpliciter, minus tamen probandum eſt. Si quidem propriè loquendo illa virtus habet medium per ſe, & ſimpliciter, quæ habet illud ex parte materiæ, ſeu obiecti primarij, quod, vt diximus, cum non competat virtutibus Theologicis, nec etiam cõſequenter habere medium per ſe, & ſimpliciter, ſed tantum per accidens, & ex parte noſtri. Circa Deum enim ſecundum ſe non eſt nimietas in credendo, ſed ſecundum æſtimationem, & apprehenſionem, quam formamus

de

de ipſo; quod autem illam formemus, aut leuibus, vel grauibus motiuis ducamur in credendo, valde per accidens eſt Deo ſecundum ſe. Similiter in ſpe, non eſt nimietas in ſperando de miſericordia diuina in ſe, ſed pro vt ducitur ex praua noſtra æſtimatione in eo, quod ex parte noſtra requiritur, nimirum quod non ſine meritis ſperemus, nec ſiniſtre apprehendamus diuinam miſericordiam, quaſi etiam ſine meritis ſaluet.

§. II.

De connexione Virtutum.

Altera virtutum proprietas eſt earumdem connexio inter ſe. Pro cuius explicatione primò obſeruandum eſt per hanc connexionem nihil aliud intelligi, quàm dependentiam vnius virtutis ab alia, ita vt vna non poſſit eſſe ſine alia in ſubiecto. Quæ dependentia, vel connexio poteſt eſſe, vel quantum ad eſſentiam, & ſubſtantiam virtutum, vel quantum ad aliquam perfectionem, & ſtatum accidentalem; qui adhuc ſtatus accidentalis, & maior perfectio, vel poteſt omnino accidentaliter, & diſparatè ſe habere ad ipſam virtutum eſſentiam, vel per ſe, quadam perſeitate ſubordinationis, ſicut virtutes morales verſantes circa media, eorumque electionem, dicuntur ex ſubordinatione ad finem perfici, & ſtatum habere.

Secundò cum triplex ſit ordo, aut linea virtutum, vt iam notauimus ſupra, ſcilicet Intellectualium, Moraliũ tam acquiſitarum, quàm infuſarum, & Theologicarum, poteſt in vnoquoque genere earum dupliciter conſiderari iſta connexio, vno modo inter ſe, ſiue inter illas, quæ ſunt eiuſdem ordinis, V. g. omnes intellectuales inter ſe, & omnes Morales, nec non Theologicas inter ſe: alio modo inter virtutes diuerſi ordinis, V. g. Intellectuales, cũ Moralibus, vel Theologicis, & è contra. Et ita diuerſæ poſſunt fieri combinationes, vel comparationes vnius generis virtutum ad aliud, & è contra. His præmiſſis, quid in hac re probabilius iuxta mentem D. Thomæ tenendum ſit, breuiter in ſequentibus aperiemus.

Tertiò igitur incipiendo à virtutibus Intellectualibus, certum eſt, manifeſtaque experientia conſtat, neque inter ſe omnes eſſe connexas, neque cum virtutibus Moralibus, aut Theologicis. Rationem affert D. Thomas 1. 2. quæſt. 65. art. 1. ad 3. & 4. quia ſcientiæ, & artes verſantur circa diuerſas materias, & ad inuicem non ordinatas, quia vna non infertur ex alia; neque dependet ab alia. Tota autem connexio in intelligibilibus eſt penes illationem, & diſcurſum. Igitur quotieſcumque inter vnam veritatem intelligibilem, & aliam non poteſt eſſe illatio, aut dependentia vnius ex alia, neque conſequenter connexio; ſecus autem inter virtutes morales ob rationem oppoſitam, vt dicetur infra. Dicendum eſt autem, omnes virtutes intellectuales non eſſe inter ſe connexas, neque cum moralibus, quia nimirum aliquæ ſunt connexæ, ſicut ſcientia cum habitu primorum principiorum, non tamen è contra, & prudentia tam acquiſita, quàm infuſa cum virtutibus moralibus pariter acquiſitis, aut infuſis, quarum rectas intentiones ſupponit, & media opportuna eis conſtituit, ac dirigit.

Quartò, licet omnes virtutes Theologicæ ſint in homine iuſto pro hac vita, ſiue gratia, & charitas, quæ faciunt hominem iuſtum, ſine fide, & ſpe ſtare non poſſint, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, qui autem gratiam habet, & charitatem diligitur à Deo, & placet ei: Neceſſario tamen inter ſe non ſunt connexæ, quoniam in peccatore manet fides, & ſpes, & non manet charitas; poteſt quoque manere fides ſine ſpe in eo, qui, nullo fidei articulo diſcredito, deſperat.

Non

Non igitur omnes Theologicæ Virtutes ſunt inter ſe neceſſariò coniunctæ. Nec etiam cum virtutibus intellectualibus, & moralibus acquiſitis, vt ſatis patet in infantibus baptizatis, quibus charitas, & aliæ virtutes Theologicæ infunduntur, nec tamen habent aliquam virtutem acquiſitam, ſiue moralem, ſiue intellectualem. Et in adultis poteſt aliquis iuſtificari in primo inſtanti vſus rationis, in quo nullæ virtutes poſſunt eſſe acquiſitæ, quia nondum poſſunt eſſe exercitæ; multique ſunt iuſti, virtutes Theologicas habentes, qui tamen aut omnibus, aut pluribus artibus, aut ſcientijs carent.

Quintò, Virtutes morales infuſæ ſunt connexæ cum charitate, alijſque virtutibus Theologicis, & charitas cum ipſis. Ita communiter docent Theologi, admittentes virtutes morales per ſe infuſas. Et ratio deſumitur à pari virtutum moralium acquiſitarum. Quemadmodum enim iſtę, vt iam dicetur, ſtare non poſſunt ſine recta intentione circa finem vltimum, ex qua oritur recta diſpoſitio, & electio circà media, ita nec poſſunt dari virtutes morales infuſæ, quæ verſentur circa media ſupernaturalia, aut ſaltem modo ſupernaturali, cũ etiã aliquando obiectum ſit ordinis naturalis, niſi ſupponendo intentionem rectificatã circa finem ſupernaturalem; hoc autem non præſtat, niſi diuina charitas, quæ diligit ſuper omnia finem vltimum in ſe, qui eſt Deus, connexæ ergo ſunt prędictæ virtutes morales infuſæ cum charitate. Et hęc etiam cum ipſis, ſiquidem diligi efficaciter non poteſt finis vltimus ſuper omnia, niſi rectificatus quoque ſit affectus in diligendo iſta omnia, quæ vtique ipſo Deo inferiora ſunt, & conſequenter pertinent ad media reſpectu illius finis.

Hæ pariter virtutes morales infuſæ ſunt inter ſe connexæ cum gratia, & charitate in iuſto. Ratio eſt, quia iuſtificatio, & rectificatio per gratiam, & charitatem eſt perfecta, & ſimpliciter talis; ergo ſimul ac infunduntur, habent etiam infundi virtutes morales, quibus reddatur homo iuſtus habitualiter perfectus in omnibus materijs, quibus ab hac iuſtificatione recedi poteſt; quæ ſunt omnes materiæ morales, ita vt pro nulla ſeparari velit à Deo, quod non eſſet ſi habitualiter non eſſet inclinatus ad omne rectum in quacumque materia: hæc autem habitualis inclinatio præſtari non poteſt, niſi per virtutes morales infuſas, quarum munus, & officium eſt, rectificare operationes, quæ erga nos ſunt per moderationem paſſionum, & ſimiliter operationes, quæ ſunt erga proximum, & ſpectant ad iuſtitiam, & partes eius. Omnes ergo prædictæ virtutes tam in ordine ad paſsiones, quam in ordine ad operationes debent eſſe ſimul inter ſe connexæ cũ charitate in homine iuſto.

Maior difficultas eſt, an deficiente charitate poſſint aliquæ virtutes infuſæ morales manere in homine peccatore, atque adeo ex hac parte poſſint aliquando ſeparari inuicem. Aliqui enim Theologi affirmant, melior eſt tamen ſententia D.Thomæ negantis 2.2.q.65 art.2. & 4. ad 1. cuius ratio eſt, quia iſtæ virtutes ſunt perfectæ, imo quibuſcunque acquiſitis perfectiores, vt potè ex nobiliori, & firmiori motiuo procedentes, ſcilicet ex motiuo ſupernaturali propoſito per prudentiam, etiam infuſam, ac ſupernaturalem, ſi quidem proximum regulatiuum, & directiuum virtutum moralium eſt prudentia, nec ſufficit fides, fides enim non eſt diſcurſiua, ſed tantum credit ob teſtimonium dicentis, atque adeò pręter illam requiritur alia virtus purè practica, quæ practicè verſetur circa agibilia, determinetque quid eligendum ſit hic, & nunc, mota ex conſilio, & iudicio ſupernaturali; vndè licet fides ſit eminenter practica, quia dirigit ſpem, & charitatem, & ſic dicitur per dilectionem operari, relinquit tamen locum ad hoc, vt aliæ etiam virtutes modo inferiori per diſcurſum, & inquiſitionẽ diri-

dirigere, ac conſiliari poſſint, quantũ ad ea, quæ hic, & nunc ſunt agenda, & ſecundum rectam intentionem finium particularium, fides namque dirigit ordinationem ad finem vltimũ. At prudentia infuſa ſupponit rectam intentionem circa finem, adhæſionemque ad ipſum, nedum loquendo de finibus particularibus in ipſis materijs agibilibus, ſed multo magis de ipſo fine vltimo, à quo particulares dependent, eique ſubordinantur, ad quã rectificationem non ſufficit virtus ſpei: ſiquidem prudentia rectè procedere non poteſt, niſi ſuppoſito affectu ad finem, vt rectificatiuus eſt, & non ſolùm vt bonum quoddam deſiderandum, & aſſequendum; finis autem non rectificat voluntatem per hoc ſolùm, quod, deſideretur vt bonum ipſius hominis, ſiue ametur amore concupiſcentiæ, ſed quia diligitur vt bonum in ſe, & appretiatiuè ſuper omnia; igitur cum ſpes primum duntaxat præſtet, charitas autem ſecundum, manifeſtè ſequitur prudentiã infuſam debere neceſsariò ſupponere rectam intentionem, ſeu rectificationem voluntatis circa Deum ſuper omnia appretiatiuè dilectum, à charitate prouenientem; & conſequenter etiã virtutes morales infuſas prudentiam ſupponentes, eique connexas, debere à fortiori ſupponere charitatẽ, eique inſeparabiliter connecti, ſine qua non eſt recta intentio in fine vltimo ſupernaturali.

Vndè ſatis patet diſcrimen, cur fides, & ſpes poſſint eſſe ſine charitate, ſecus autem virtutes morales infuſæ. Quia ſcilicet iſtæ virtutes dependent à prudentia infuſa, neceſſariamque cum illa habent connexionem, hæc verò cum charitate, eo quod procedit dictando rectam mediorum electionẽ ex recta intentione finis, quia media per ſe pendent à fine, & electio ab intentione, atque adeo recta electio à recta intentione. Igitur, quemadmodum non poteſt dari recta electio ſine recta intentione, ita nec prudentia niſi ſupponat rectam intentionem, cum prudentia ſit directiua electionis mediorum: Recta autem intentio ſine recta dilectione vltimi finis, à quo omnis alia intentio pendet, haberi non poteſt: neceſſariò ſequitur, virtutes morales infuſas, vt à prudentia infuſa, ita quoque à charitate eſſe inſeparabiles; nullaſque earum manere poſſe in peccatore. Cæterum fides, & ſpes ſecundum ſe preciſè conſideratæ non pendent à recta intentione, neque à prudentia, quia ad credendum ſufficit pia affectio ad res creditas, quatenus ſunt aliquid bonum credenti, & ad ſperandum ſufficit deſiderium, quo concupiſcuntur æterna, non autem requiritur dilectio diuinorum in ſe, & appretiatiuè ſuper omnia; & conſequenter præfatæ virtutes poſsunt eſſe ſine charitate; multoque magis dicta pia affectio ad credendum, nec non motus ſupernaturales attritionis, aut ſimiles præuij ad iuſtificationem ex diuino auxilio prouenientes; cum nõ ſint virtutes perfectæ in genere ſupernaturali, ſed imperfectum quid in eo genere, & per modum diſpoſitionis, non autem virtutis; quare mirum non eſt, ſi cum charitate, & alijs virtutibus moralibus infuſis non ſint neceſſariò connexæ, quandoquidem nec virtutes imperfectæ connexæ ſint inter acquiſitas, vt mox dicemus.

Sextò, loquendo de virtutibus moralibus acquiſitis, diſſentiunt inter ſe Theologi circa earum inter ſe connexionem. Scotus enim in *3. diſt. 36.* q. 1. abſolutè negat eas eſſe connexas, vel inter ſe eſſentialiter, vel quo ad ſtatum perfectum, & ratione prudentiæ, ſupponens iſtam non eſſe vnam, aut ſolum eſſe vnam in genere, diuerſam autem in ſpecie, pro diuerſitate virtutum; & ſic cum entitates virtutũ ex proprijs rationibus non ſint connexæ, & alias ex parte prudentiæ non vniantur, non habent in quo neceſſariò connecti, vel vniri poſſint. Verùm oppoſita Diui Thomæ ſententia

1.2. quæſt.65. art. 1. & omninm fere Theologorum eſt longè probabilior, dictiſque Sanctorum conformior.

Pro cuius intelligentia, & explicatione notandum eſt ex eodem D.Thomæ loco citato, virtutem moralem poſſe accipi dupliciter, ſcilicet perfectè, vel imperfectè. Vbi nomine virtutis moralis imperfectæ intelligit aliquam inclinationem ad faciẽdum aliquid de genere bonorum, ſeu ad bonum in aliqua materia v.g. iuſtitiæ, aut temperantiæ, ſiue hæc inclinatio ſit à natura, ſiue ex aſſuetudine. Per virtutem verò perfectam intelligit habitum inclinantem ad bonum opus benè agendum, ſiue ad bonum ex ipſa virtutis honeſtate, & regulatione talis prudentiæ, quod pro nullo velit facere oppoſitum; hoc eſt enim inclinari ad bonum opus benè agendum, ſeu ad bonum bene; ſi quidem nullus ex honeſtate virtutis prudenter dirigitur, & inclinatur, niſi ita ſit affectus adhęreatque honeſtati, quod pro nihilo velit illam dimittere, hoc enim ipſum poſtulat honeſtas virtutis, vt ſicut omnibus pręcellit, ita omnibus pręferatur. Hinc eſt, quod habitus virtutis ex natura ſua, ſeu ex ratione formali, & proprio virtutis motiuo dicitur difficile mobilis, quia non ſolùm debet inclinare ad bonum, ſed ad bene agendum; non autem benè agit, niſi qui ita agit, vt pro nullo honeſtatem virtutis deſerat. Et conſequenter inclinatio illa ad bonum, ſed non benè, non eſt virtus formaliter, ſed tantùm diſpoſitiuè, quia nondum eſt ex natura ſua, & ex ratione formali difficile mobilis. Propterea que perfecta, & imperfecta virtus non ſumitur hìc pro perfecta ratione alicuius ſtatus accidentalis, ſed ratione eſſentialis rationis, & formalis motiui, quia nimirum imperfecta eſt ſolùm inclinatio ad bonum opus in aliqua determinata materia; perfecta verò ad bonum, & ad bene, id eſt ad operandum ex ipſa honeſtate virtutis vt ſic, vt pro nullo derelinquat illam. Diſtinctio autem inclinationum deſumpta ex ſpecifica, & formali ratione, quarum vna habet firmitatem, eſtq; habitus difficile mobilis, altera autem non firma, nec difficile mobilis, quæque conſequenter eſt diſpoſitio, & non habitus, procul dubio eſt diſtinctio eſſentialis, ac ſpecifica.

Igitur ſi ſermo ſit de virtutibus moralibus acquiſitis imperfectis modo explicato, certum eſt eas non eſſe inter ſe connexas ex defectu inclinationis perfectæ. Si quidem poteſt quis diſponi, & inclinari ad bonum virtutis in aliqua materia, v. g. temperantiæ, aut liberalitatis, vel ex inclinatione naturæ, vel ex aſſuetudine, non autem in alia materia; ſicque cum nõ inclinetur ex firmo affectu ad bonum, vel honeſtatem virtutis, vt ſic, nec ita conſequenter ſit diſpoſitus, vt pro nullo velit non relinquere illam; non exigit connexionem aliarum virtutũ, ſed ſufficit ad hoc, vt virtuosè imperfectè operetur, quod operetur illud bonum rationis in illa materia ex motiuo particulari, quo illi afficitur, non autem ex generali, vt obſeruetur nimirum honeſtas virtutis, quæ generalitas omnem virtutem includit, & connectit, vbi, vt mox dicamus, non impeditur per accidens.

At loquendo de iiſdem virtutibus perfectis modo explicato, provt nimirum dicunt habitum inclinantem ad aliquod bonum ex ipſa honeſtate virtutis, & regulatione talis prudentiæ, quod pro nullo velit facere oppoſitũ, ſic ſunt inter ſe connexę ſaltem ſecundum actum intentionis, & affectum, licet non ſemper in exercitio, ex ſtatim dicendis. Quocirca ad hoc vt hæ virtutes ſint connexæ, non requiritur quod habeant alium ſtatum perfectiorem, v.g. quod ſint in gradu heroico, aut coordinatæ charitati, aut in aliqua magna intenſione, vel exercitio; ſed ex natura ſua hoc ipſo quod ſubduntur illi dictamini prudentiæ, quod pro nulla

nulla re velit homo virtutem deſerere, ſed operari ex honeſtate illius, ſunt omnes cōnexæ,&debent eſſe acquiſitę.

Et quidem prima huius connexionis ratio deſumitur ex parte prudentiæ, quæ eſt vna virtus directiua omnium actionum humanarum, præſupponenſque rectam intentionem finis, quia tota materia agibilium vnitur ſub vno ordine ad finem moralem, ſeu rectè viuendi conformiter ad rationem, & ſic habet vnam rationem formalem ſufficientem ad vnitatem prudentiæ, vt diximus ſupra agendo de ipſa. At non poteſt recta intentio finis haberi, ſine rectificatione, quæ fit per omnes virtutes morales, in tota materia morali, vel agibili; etſi enim huiuſmodi virtutes verſentur circa electionem mediorum reſpectu vltimi finis, non repugnat tamen, quod illa eadem media ſint etiam fines, non quidem vltimi, ſicut eſt finis circa quem verſantur virtutes Theologicæ, ſed intermedij, eo quod materia virtutis moralis non eſt purè vtilis, ſed etiam bona in ſe, & ratione ſui appetibilis; quinque conſequenter ſint capacia actus intentionis. Igitur eo ipſo, quod prudētia neceſſariò ſupponit rectificationem iſtam ſecundum intentionem in materijs omnium virtutum; ſeu rectam intentionem, non ſolum circa bonum in communi, ſed in eadem materia virtutis, in qua debet fieri electio, v. g. ad eligendum hic, & nunc temperatè comedere, aut caſtè viuere, vt pro nullo velit homo temperantiam, aut caſtitatem amittere, niſi enim ita fuerit firmatus affectus, nunquam poterit virtuoſè, & efficaciter conſiliari de medijs, aut eligere illa, aut præcipere, qui ſunt actus prudentiæ; Eo, inquam, ipſo, quod dicta rectificatio ſecundum intentionem in materijs omnium virtutum præcedere debet prudentiam, ita vt tales rectæ intentiones (ad quas non ſufficit ſola voluntas indifferens, aut ſolus appetitus, ſeu voluntas boni in communi, ſed neceſſariò requiritur virtus, quæ verſatur circa materiam intentam, v.g. ad intendendum, & afficiendum voluntatem ad temperāriam, virtus temperantię; ad caſtitatem, virtus caſtitatis, & ſic de alijs, eiuſdem enim virtutis eſt in ſua materia afficere ad bonam intentionem, & inclinare ad bonā electionem, moderarique illam) ſe habeant vt principia, quibus generatur prudentia, manifeſtè patet non poſſe dari vnam prudentiam, quæ eſt directiua propriæ gubernationis, & regiminis, vt omittam prudentias gubernatiuas aliorum, Regnatiuam, Militarem, Oeconomicam, &c. niſi habeant connexionem omnes virtutes cum ipſa, non ſolum quando ſe extendit ad omnes materias virtutum, & in illis ſe exercet, vt explicant aliqui Theologi, verùm etiam quando ipſa prudentia in ſua ſubſtantia, & ſpecie generatur. Et ſic qui habet prudentiam, habet omnes virtutes perfectas, quas neceſſariò, vt diximus ſupponit, poſteaque executiue dirigit, & qui caret prudentia nullam habet virtutem perfectam; propterea que perfectæ virtutes connexæ eſſe debent, ex parte prudentiæ.

Altera ratio eiuſdem connexionis deducitur ex hoc, quod virtutes morales tendunt ad vnum ſtatum perfectū, quo perficiant hominem ſub vno fine ipſius proprio, qui eſt viuere ſecundum rationem; qui ſtatus perfectus eſſe non poteſt ſine omnibus virtutibus, qui enim deficit in aliqua, deficit in aliquo, ſine quo dictus finis haberi nō poteſt, ſi quidem ex defectu, & peccato aliquo circa aliquam virtutem amittitur finis, tum ſupernaturalis, tum naturalis rectitudinis, quia manet quis auerſus à Deo, & ſine integritate rationis, ideoque Iacob 2. dicitur: *Offendentem in vno, fieri omnium reum*: Igitur, quemadmodum ex amiſſione, & defectu alicuius virtutis deperditur finis debitus, & rectitudo eius, ita ſuppoſito fine recto, ad quem neceſſario tendit quælibet virtus perfecta, neceſſe

ceſſe eſt, quod omnes virtutes perfectæ ſint connexæ, quandoquidem ex cuiuslibet defectu deficit ille finis, ad cuius integritatem per ſe, & eſſentialiter ordinantur, quique ſine illis obtineri nequit.

Cuius adhuc connexionis non leue ſignum, vel argumentum eſt, quod virtus aliqua non ſolùm poteſt corrumpi à ſuo contrario directo, v.g. iuſtitia ab iniuſtitia, temperantia ab intemperantia, ſed etiam à vitio alteri virtuti oppoſito; vt patet in Iudice, qui corrumperet iuſtitiam ex motiuo auaritiæ, vel laſciuiæ, non autem ex amore iniuſtitiæ, ille enim iniuſtus eſſet; ſiue iuſtitia in eo deſtrueretur. Vt ergo virtus aliqua conſeruetur, & non corrumpatur, cum non ſolùm indigeat preſeruari à ſuo vitio contrario, verum etiam à vitijs contrarijs alijs virtutibus; neceſſe eſt connexas eſſe omnes, ad vnius etiam conſeruationem.

Ex hoc autem, quod virtutes inter ſe connectantur in ratione virtutis modo explicato, non ſequitur circulus, quod nimirum, ſi connectantur, prius ſint virtutes, quam connectantur, & quod rurſum ad hoc connectantur, vt ſint virtutes. Prius enim ſunt virtutes, quam connectantur, loquendo de illis in eſſe, vel ſtatu imperfecto, ac veluti inchoatiuo; ad hoc autem connectuntur, vt ſint virtutes perfectæ, in quo patet nullum eſſe circulum.

Ex eadem connexione non ſequitur pariter, acquiri omnes virtutes vnico actu, ſeu vnica acquiſitione vnius virtutis. Patet enim ex dictis illas non eſſe connexas, niſi ſint perfectæ ſecundum prudentiam, cuius directioni ſubeſt earum exercitium; quia ergo talis perfectio non comparatur vnico actu regulariter loquendo, ſed pluribus elicitis circa particulares materias ex motiuis particularibus, quorum frequenti repetitione aſſueſit homo ad hoc vt amet honeſtatem virtutis, vel virtutum, taliter vt pro nullo velit illam relinquere in nulla materia, vnde generatur dictamen prudentiale ad eligendum media in quacumque materia morali, taliter etiam, quod in illa vult eligere, quod honeſtum eſt, ac virtuoſum, propterea quidem ſunt connexæ omnes virtutes perfectæ, ſecus autem imperfectæ, & adhuc in ſtatu inchoationis, vnico tantum earum actu elicito.

Vtrum autem poſſit quis aliquando primo, & vnico actu velle honeſtatem alicuius virtutis, taliterque firmari, vt pro nullo velit illam relinquere, & ſic vnico actu in vna tantum materia virtutis elicito, generari, & ſimul connecti omnes habitus aliarum virtutum, in quarum materijs ſe non exercuit? diſtinctione vtendum eſt. Si quidem velle honeſtatem virtutis, taliterque firmari in eius intentione, vt pro nullo illam deſerat, dupliciter fieri poteſt. *Primò* cum ſola cognitione confuſa, & in communi faciendi bonum, & non faciendi malum: & hoc modo non videtur ſufficere vnicus actus ad habendam prudentiam perfectam, & conſequenter, vt ex vi illius connectantur virtutes, quę ſolùm connectuntur cum prudentia perfecta. *Secundò*, fieri poteſt cum cognitione diſtincta cuiuslibet materiæ moralis, ſeu honeſtatis virtutum moralium, indeque tam firma intentione, quod pro nulla re vllã relinquat; & hoc modo admitti poteſt generari prudentiam perfectam, ſimulque conſequenter cum illa connecti cæteras virtutes ex vi talis actus. Nullum enim eſt inconueniens, quod vnico actu procedente ex motiuis pluriũ virtutum valde perfectis, & intenſis, ideoque virtualiter multiplici, aut æquiualente pluribus actibus, quia eſt voluntas circa diuerſas materias, quæ de ſe petunt plures actus, generentur ſimul plures virtutes.

Vndè etiam patet, an dici poſſit, quod quolibet actu virtutis augeantur omnes virtutes in ſuo habitu, quia connexæ ſunt. Siquidem eodem modo diſcurrendum de earum augmento,

ac de generatione; vnde ſicut non generantur regulariter loquendo vnico actu omnes habitus virturum, ſed pluribus; donec tandem frequenti eorum repetitione circa proprias materias ſint perfectæ, ſeu tale formetur dictamen prudentiale ad eligendum media, vt in omni materia morali nolit quis eligere niſi quod honeſtum, & virtuoſum eſt, & ſic connectantur omnes virtutes ſaltem formaliter in ipſa formali ratione prudentiæ; ita nec augeri poſſunt vnico actu omnes virtutes quoad rationes particulares, quamuis iam cõnexæ in ſtatu perfecto, licet augeatur illa ratio formalis prudentiæ, à qua virtualiter pendent, & cum qua ſunt connexæ.

Porrò licet virtutes morales acquiſitæ ſint inter ſe, modo dicto, connexę ita vt vna non poſſit haberi ſine alia, non tamen earumdem actus ita coniunguntur, vt vnus non poſſit elici ſine alio; manifeſta enim conſtat experientia multos exerceri in vna virtute, qui nequidem alterius recordantur. Similiter ita habitus perfecti earumdem virtutum ſunt ex natura ſua inter ſe connexi, vt tamen aliquando per accidens actu non connectantur, aut ſimul non exiſtant, vel defectu materiæ occurrentis, vel quæ redditur impoſſibilis, aut alio modo, ſicut virginitas deeſſe poteſt coniugatis, magnificentia pauperibus, reliquas tamen virtutes habentibus. Vnde infero, & concludo, connexionem virtutum intelligendam eſſe ſemper in eo ſtatu, & modo quo ſunt poſſibiles; ſiue eas eſſe connexas in ſubiecto, & ſtatu capaci, & ſecundum terminos habiles, non extra illos. Aliquæ enim virtutes ſunt abſolutè poſſibiles ſubiecto, aliquæ ſolum pro aliquo ſtatu, vel ex aliqua ſuppoſitione; aliæ verò ſunt omninò extraneæ, aut impoſſibiles; v. g. fides non eſt debita, niſi pro ſtatu viæ, neque lumen gloriæ, niſi pro ſtatu patrię, neque pœnitentia niſi ſuppoſito peccato, aut capacitate illius in perſona; vnde non potuit eſſe in Chriſto, neque virtutes moderatiuæ paſsionum, niſi in hominibus eſſe poſſunt, non autem in Angelis.

Igitur quando ſubiectum non eſt capax alicuius virtutis, ſed eſt illi ratione materiæ quomodocumque impoſſibilis, vt penitentia in Chriſto abſolutè, fides in beato cõditionatè, ſeu ex ſuppoſitione ſtatus ipſius, certum eſt huiuſmodi virtutes non eſſe tunc cum alijs connexas. Si autem ſubiectum ſit capax talis virtutis, ſed deeſt tantùm illi materia, ratione cuius non poteſt in illa exerceri, vt materia magnificentiæ in paupere, virginitatis in corrupto, tunc quidem non poteſt acquirere habitum talis virtutis in actu ex parte exercitij, & ex parte eius, quod eſt in illa materiale; poteſt tamen quoad formale, nimirum quoad electionẽ internam, & promptitudinem animi, quo eſt diſpoſitus, & paratus ad exercendum ſe in illa materia ſi occurreret. Et hoc eſt, quod ſignificauit D. Thomas 1.2. q.65. art.1. ad 1. quando ait, poſſe aliquem habere virtutes morales, abſque eo quod habitus aliquarum virtutum poſſideat actu, ſed in potentia propinqua, ita quod occurrente materia earum, modico ſtudio eas comparabit. Intelligitur enim quod non habet eas actu, ſed potentia, ſi non exerceat, neque actum internum electionis, neque actum externum circa materiã talium virtutum. Nam ſi primum exerceat, licet non ſecundum ob defectum materiæ, ſicut ſi pauper eligat facere magnos ſumptus quando poſſit, de facto tamen non faciat, deficiente ipſi materia, habebit quidem virtutem in actu, & non ſolum merè in potentia, ſed impeditam ad exercendum actum externum, quod occurrente materia facile præſtare poterit. Ideoque etiam Virginitas ex eodem D. Thomæ 2.2. q.151. art. 3. vt eſt virtus interna quoad ſuum formale reſurgit in pœnitente, licet quoad materiale reſtaurari nequeat.

Septimò, & vltimò explicandum eſt, an virtutes morales acquiſitæ poſſint eſſe virtutes ſine charitate. Pro quo notari debet huiuſmodi virtutes poſſe conſiderari in triplici veluti ſtatu. Primò ſecundum ſe, & quatenus poſſunt eſſe in ſtatu puræ naturæ, cuius poſſibilitatem multi admittunt, quamuis aliqui negent. Secundo in ſtatu hominis eleuati ad finem ſupernaturalem, cui etiam ſubminiſtrare poſſunt virtutes acquiſitæ, illique ſubordinari. Tertiò, in ſtatu peccati, qualis eſt præſens, in quo nullus carere poteſt gratia, & charitate, niſi propter peccatum, & conſequenter cum auerſione ab vltimo fine, quæ auerſio non poteſt eſſe ab vltimo fine ſupernaturali, quin ſit etiam à fine vltimo naturali; ſi quidem omne peccatum eſt contra naturalem rationalem, quod non eſſet, ſi maneret peccator conuerſus, & coniunctus Deo fini naturali, qui eſt finis rationalis naturæ, ex cuius recto amore maneret quoque rectificatus in ordine naturali.

Igitur loquendo de virtutibus acquiſitis in primo ſtatu conſideratis, certum videtur, quod fuiſſent verè, ac ſimpliciter virtutes. Ratio eſt, quia in tali ſtatu, quantumuis non eleuato ad finem ſupernaturalem, homo habuiſſet legem, & præcepta obligantia, & inducentia ad bonum, & punientia peccata; hoc enim totum connaturale eſt homini, qui ducitur ratione in ſuis actionibus hominis; ſi ergo tunc elicuiſſet actus conformes rationi proponenti, & legi præcipienti, elicuiſſet actus bonos, & ex frequenti eorum repetitione acquiſiuiſſet etiam habitus bonos, id eſt inclinantes ad ſimiles actus, à quibus generati fuiſſent; nec talibus habitibus defuiſſet ordo ad vltimum finem bonum, ſi quidem neceſſe non fuiſſet in ſtatu naturę, quod aliquis in peccato fuiſſet, potuiſſet enim eſſe abſque vllo peccato conuerſus ad Deum finem naturalem, & ad eius pręcepta, & legem. Et conſequenter huiuſmodi habitus eſſentialẽ habuiſſent rationem virtutum per ſe loquendo, potuiſſentque dici virtutes ſimpliciter, nullo deficiente illis prędicato, nulla habitudine, vel ordine, ratione cuius non poſſent dici tales, cum ad hoc ſufficiat, vt quis faciat bonum, ita vt adimpleat legem, & pręcepta, habeatque ordinem ad vltimum finem bonum, ita quod ab eo non ſit auerſus, quod vtique haberi potuiſſet in ſtatu puræ naturæ, quantumuis gratiam, & charitatem non habuiſſet, quia, vt ſupponimus, homo in eo ad finem ſupernaturalem eleuatus non fuiſſet.

Certum quoque eſt, eaſdem virtutes acquiſitas in ſecundo ſtatu hominis eleuati ad finem ſupernaturalem conſideratas, ſi reperiantur ſine charitate in peccatore, amittere illam perfectionem, qua perficiuntur deſeruiendo fini ſupernaturali. Hoc enim abſque dubio magna eſt perfectio, & dignitas, ſicut gratia dicitur perficere, vel dignificare naturam.

Tota ergo difficultas eſt de his virtutibus in tertio ſtatu, in quo non poteſt quis carere gratia, & charitate, niſi propter peccatum, & conſequenter cũ auerſione ab vltimo fine, vtrum nimirum ratione talis auerſionis etiam in ſuo ordine naturali maneant ita debilitate, & imperfectæ, quod rationem virtutis non retineant eſſentialiter, aut ſimpliciter, & denominatiue. Scotus enim in 3. diſt. 36. quæſt. 1. §. De tertio articulo, alijque cum illo putant, virtutes ſine charitate eſſe veras virtutes, & perfectas in illo genere, quales ſunt virtutes à Philoſophis Gentilibus agnitæ, & definitæ, qui de gratia, & charitate ſupernaturali nihil intellexerunt, qualeſue fuiſſent in ſtatu puræ naturæ, vt ſtatim diximus. Alij per oppoſitum aſſerunt in peccatore, amiſſa charitate, & conſequenter conuerſione etiam ad finem naturalem, virtutes acquiſitas non manere ſimpliciter virtutes, etiam quantum ad intrinſecam virtutis perfectionem, quia remoto

moto ſemel ordine, & conuerſione ad rectum finem, remanere non poteſt virtus, quæ ſimpliciter rectificat erga media, quod tamen intrinſecum eſt habitui virtuoſo. Alij tandem diſtinguentes docent virtutes acquiſitas ſine charitate dici poſſe virtutes Philoſophicè loquendo, non Theologicè, quia in ordine ad finem à Theologo intentum, qui eſt ſupernaturalis, non conducunt virtutes illæ abſque charitate, in ordine autem ad finem naturalem, quem Philoſophus tantum reſpicit, ſufficientem rationem habere virtutis.

Pro intelligentia, & reſolutione huius difficultatis iuxta mentem D. Thomæ ſentientis 1. 2. quæſt. 65. art. 2. & 22. quæſt. 23. art. 7. fine charitate poſſe quidem dari virtutes acquiſitas, quæ ſint veræ, & eſſentiales virtutes in ſuo genere, ſed non virtutes ſimpliciter, verùm ſecundum quid tantum, eò quod non perficiunt hominem in ordine ad bonum finem, qui ſimpliciter ſit vltimus finis, obſeruandum eſt ad auferendam omnem æquiuocationem, hunc terminum ſimpliciter bifariam ſumi poſſe, ex eodem D. Thoma 3. p. quæſt. 50. art. 5. Interdum enim ſimpliciter tale, idem eſt quod omnibus modis tale, & tunc debet eſſe tale non ſolum ratione prædicati eſſentialis, verum etiam cuiuſcumque alterius accidentalis; ſicut quando definitur beatitudo quod ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Aliquando verò ſimpliciter tale, eſt idem, ac verè, ſeu abſolutè, & eſſentialiter tale, ſicut vlſio beatifica, vel amor beatificus, iuxta diuerſitatem opinionum, dicuntur beatitudo abſolutè, & eſſentialiter. Item aduertendum eſt virtutes acquiſitas poſſe amittere in peccatore rationem eſſentialem virtutis ex defectu charitatis dupliciter, vel directè attendendo ſolùm ad id quod amittunt ex ſola coniunctione charitatis, vel indirectè attendendo etiam ad id quod amittunt, & in quo vulnerantur ex defectu ordinis, & conuerſionis ad finem vltimum naturalem ipſarum proprium.

His animaduerſis dico primò virtutes acquiſitas in peccatore ex defectu charitatis amittere directè, quod ſint virtutes ſimpliciter, id eſt omnibus modis; quod eſt idem ac illas in peccatore remota charitate amittere directè aliquid extrinſecum vel accidentale, nimirum ſtatum accidentalem perfectionis, & meriti, qui conuenit illis per ſubordinationem, & reſpectum ad finem ſupernaturalem. Ratio eſt, quia virtutes acquiſitæ remota charitate non amittunt directè in peccatore, niſi illud quod directè poſſunt accipere à charitate; ſed à charitate ſolum accipiunt directè tanquam aliquid extrinſecum, aut accidentale, dictum ſtatum, illa igitur remota in peccatore, nihil aliud directè amittere poſſunt; ſiue quod non ſint amplius virtutes ſimpliciter, ſeu omnibus modis, non autem quod ſint virtutes ſimpliciter, ſecundo modo, hoc eſt eſſentialiter, vel abſolutè tales; cum dictus ſtatus ſit extra proprium genus, & ordinem virtutis acquiſitæ, pertinet enim ad ſupernaturalitatem, atque adeo directè non pendeat in ſua perfectione naturali à charitate, dante ſolum id quod ſupernaturale eſt.

Attamen loquendo indirectè, vel ex conſequenti, videtur probabilius, dicoque ſecundò virtutes acquiſitas ex defectu charitatis in peccatore amittere eſſentialem rationem virtutis, quantum ad rationem habitus difficile mobilis, & induere rationem diſpoſitionis bonæ, quæ eſt virtus imperfecta. Ita Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 7. Cuius ratio eſt; quia peccator remota charitate nedum auertitur ab vltimo fine ſupernaturali, verum etiam naturali, vnde non poteſt non languidè ferri circa media, ſicut enim amiſſo aſſenſu principiorum non poteſt quis firmiter aſſentiri concluſionibus, ita, cum motiuum operandi bonum benè, & firmiter, ſumatur ex amore finis, ex

quo

quo firmatur quis in amore, & efficacia mediorum, tali amore ſemel amiſſo, non poteſt non languidè ferri circa media. Virtus ergo illa acquiſita, ſeu inclinatio ad aliquam materiam, vel obiectum bonum, quæ manet in peccatore, non eſt amplius inclinatio difficilè mobilis ex ſpecie, & motiuo ſuo formali, ſed mutatur per peccatum in quamdam imperfectam virtutem, quæ ſolum pertinet ad genus diſpoſitionis, atque adeò ſpecie diſtinctam à virtute perfecta, quæ ex ſua perfectione ſpecifica petit difficilè moueri.

Et ſi igitur libenter admittamus peccatorem, quamdiu ſordeſcit in peccato, poſſe operari actum aliquem perfectæ virtutis perfectione ſe tenente ex parte operis, non tamen ex parte operantis, qui ita exercet bonum opus in hac materia propter bonum finem debitum illi, vt tamen ſit magis affectus propriæ voluntati, quam ipſi virtutis honeſtati; quia habet propriam voluntatem pro fine, licet in iſto particulari actu non operetur ex illa, alias eſſet peccaminoſus, vndè non eſt ſimplicitèr firmus, & difficilè mobilis in dicta honeſtate, ſique occaſio ſe offerat propriam adimplendi voluntatem, illi adhærebit, relicto bono, quod faciebat opere; ſicut v.g. aliquis ex propria inclinatione, aut præterita aſſuetudine temperans, ſed nimis timidus, exercere quidem poteſt actum temperantiæ bonum, ſed non perfectè virtuoſum, quia ſi offeratur occaſio timoris, maximè grauis, potius illi cedet, quam temperantiam ſeruet, & ſic erit bonum opus temperantiæ ex parte operis, ſed non virtuoſum, & perfectum ex parte operantis, defectu explicatæ firmitatis requiſitæ ad virtutem perfectam, & ad connexionem virtutum.

Aduertendū eſt autem, non ita vnico peccati mortalis actu poſſe deſtrui omnes virtutes acquiſitas, quo ad formale ſe tenens ex parte prudentiæ, & cōnexionis virtutum, ſeu quo ad firmitatem motiui requiſiti ad hanc connexionem, vtque virtutes ſint quo ad ſpecificationem habitus difficilè mobiles, hoc enim pendet tanquam ex per ſe requiſito, ac neceſſario, à recta intentione finis vltimi, quæ tollitur per peccatum mortale; vt ſequatur ſimul etiā deſtrui in ratione diſpoſitionis bonæ, ſeu virtutis imperfectæ, hoc enim non fit niſi generatione vitij oppoſiti, multiplicatiſque eius actibus, atque adeo huius defectu; licet per quodcumque peccatum mortale deſtruatur virtus acquiſita, quo ad rationem habitus difficilè mobilis, remanet tamen inclinatio illi ſimilis ex aſſuefactione præterita, ratione cuius peccator, vt diximus, poteſt operari aliquem actum perfectæ virtutis ſe tenente ex parte operis, non ex parte operantis à ſuo vltimo fine auerſi. Sic Diuus Thomas loco citato 2. 2. ait: *Si bonum particulare, quod reſpicit particularis virtus, verum bonum ſit, vt eſt liberatio patriæ in actu fortitudinis, vel quid ſimile, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta ſine charitate, quia deficit ordinatio in verum vltimum finem, & hac ratione non eſt vera virtus ſimpliciter ſine charitate.* Vbi Sanctus Doctor prius admittens, quod eſt vera virtus, ſed imperfecta, poſtea quod non eſt vera ſimpliciter, ſatis ſignificauit nomine virtutis imperfectæ intellexiſſe eam, quæ ſe habet vt vera ſecundum quid, & diſpoſitiuè ſolum, non autem eſſentialiter, ac per modum habitus difficilè mobilis.

Nec eſt inſolitum iſtas ſpecies diſpoſitionis, & habitus ita tranſmutari mutato motiuo, quia ex præterita aſſuetudine multiplicatis alicuius virtutis actibus cauſata, eſt homo proximè habilis ad prorumpendum in ſimilem affectum, ſi occurrat eius materia, quamuis ceſſet formale, & ſpecificum motiuum ſic difficilè mobile ex parte finis, ante præſtitutum. Sicut etiam Theologus, qui ex Catholico fit hæreticus, dicitur aſſentiri concluſionibus Theologicis ex aliqua aſſuefactione, aut credulitate, vel probabili moti-

motiuo circa illas, licet amiſerit fidem à qua firmitas aſſenſus earumdem pendet.

Sic ergo ex defectu charitatis per peccatum in nobis indirectè vulnerantur virtutes acquiſitæ, dicendæque ſunt mutare rationem habitus difficilè mobilis, & ſic non eſſe veras virtutes exiſtente peccato, nec verè virtuoſos earumdem actus, ſed bona potius officia, vt ait ſæpè D. Auguſtinus, licet ex ſola, & nuda abſentia charitatis, ſi eſſet ſine peccato, & ſine vulneratione naturæ in conuerſione ad finē vltimum naturalem, non deſineret eſſe vera virtus acquiſita, vt contingeret in ſtatu puræ naturæ ex dictis ſupra. Iſtam autem deſtructionem eſſentiæ virtutum ex abſentia charitatis in ſtatu peccati, eſſe indirectam ſatis patet ex dictis. Si quidem peccatum quod fit in vna materia, v. g. in materia temperantiæ, non opponitur directè, & immediatè, niſi virtuti verſanti circa eamdem materiam; alteri autem verſanti circa aliam indirectè, ac mediatè, v. g. iuſtitiæ, aut liberalitati, quatenus nimirum opponitur conuerſioni ad vltimum finem ſupernaturalem, quæ fit per charitatem, & ex conſequenti conuerſioni, quæ fit ad vltimum finem ordinis naturalis, ſublato autem ordine, & conuerſione ad vltimum finem, non poteſt manere firmus, ac difficilè mobilis ordo ad electionem medij in quacumque alia materia ordinabili ad talem finem, & deducibili ab illo: Quod totum cum ſe habeat mediatè ſolum, ſeu ex conſequenti, atque indirectè reſpectu peccati in alia materia commiſſi, vel directè facti contra ſupernaturale obiectum, dicendum eſt deſtructionem eſſentiæ virtutum modo explicato ex abſentia charitatis, eſſe duntaxat indirectam.

§. III.

De æqualitate, & inæqualitate Virtutum.

AB hac tertia virtutum proprietate facilè, & breuitèr nos expediemus. Pro cuius intelligentia notandum eſt virtutes quoad æqualitatem, vel inæqualitatem inter ſe poſſe dupliciter conſiderari, vel comparari. Primò, vt inter ipſa genera earum fiat comparatio, quodnam genus ſit perfectius. Secundo in quolibet genere, quænam ſpecies perfectior, & maior ſit? Tria autem eſſe virtutum genera, ſcilicet intellectualium, moralium, ac Theologicarum patet ex dictis. Quarum rurſus multæ ſunt, ac variæ ſpecies in vnoquoque genere; ſicut in genere Theologicarum ſunt fides, ſpes, charitas; in genere moralium quatuor virtutes cardinales, & aliæ illis annexæ: in genere intellectualium, ſapientia, ſcientia, ars, prudentia, in quibus etiā diuerſæ reperiuntur ſpecies iuxta varia obiecta, ſeu materias earum.

Obſeruandum eſt ſecundò, maiorē, vel minorem virtutum perfectionem attendi poſſe dupliciter. Primò veluti in indiuiduo, ſeu ſecundum ſuam conditionem indiuidualem, qua per frequentem actuum repetitionem dicitur magis, vel minus intenſa, aut in ſubiecto radicata: Secundò, quoad ſuam ſpecificationem deſumptam ex obiectis. In præſenti non eſt ſermo de perfectione indiuiduali, vel ſubiectiua, quæ in virtute inferiori ob maiorem radicationem in ſubiecto, intenſiuè maior eſſe poteſt, altera virtute nobiliori ſecundum ſpeciem, ſed minus intenſa, aut in ſubiecto radicata; ſed de perfectione ſpecifica, ſeu obiectiua.

Tertiò aduertendum eſt hanc eamdem perfectionem ſpecificam, ſeu obiectiuam virtutum, poſſe dupliciter etiā conſiderari. Primò phyſicè, & entitatiuè, vel vt alias dici ſolet, in ratione

entis: Secundò moralitèr, & quantum ad vſum, uel, ut dicitur, in eſſe, & ſtatu uirtutis. Sicut enim in uirtute duo ſunt, primò ſpecificatio, quæ ſumitur penes attingentiam obiecti: ſecundò executio in operando, & mouendo, uel aſſequendo finem, quæ attenditur penes efficaciam, & impulſum, quo quis exercet ſuas actiones, ita ſimiliter maior uel minor uirtutis perfectio debet attendi penes iſta duo, quæ ita ad illam concurrunt, ut, licet primum ſit ſimplicitèr principalius, ut pote pertinens ad conſtituendam uirtutis quiditatem, magis tamen ſecundum attendendum ſit in ea, quantum ad denominationem virtutis; quia tunc aliquid dicitur virtuoſum, quando eſt actiuum, & efficax in operando, vel executione operis; hoc enim quod eſt attingere obiectum, & ſpecificari ab eo, quibuſcunque habitibus, & potentijs, & actibus ſiue perfectis, ſiue imperfectis cōpetit. Sic ergo, quia virtus in ſua denominatione, & ſtatu dicit aliquid firmū, & efficax oppoſitū infirmitati, & debilitati, quæ infirmitas, aut debilitas non attenduntur penes ordinem ad obiectum, & ſpecificationem ab illo (ordo ſiquidem ad obiectum, ſpecificarique ab illo eſt quid commune, omni potentiæ, & actui, ſiue ſit virtus, ſiue non) ſed penes eneruationē, & euacuationem virium in operando, & exequendo, vnde quis aut vix, aut tepidè operatur; rectè dicitur virtus, pro vt opponitur tali infirmitati, & debilitati, maximè conſiſtere in perfectione ſecundum efficaciam, & actiuitatem in operando, & ita virtus eſt quaſi robur, & vigor.

Quartò, cum certum ſit abſolutè, & vniuerſim loquendo aliquam virtutem eſſe maiorem altera, atque adeò inter uirtutes dari inæqualitatem, de uirtutibus enim Theologicis ait Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; maior autem horum eſt charitas*; Deinde hoc ipſo quod unum peccatum eſt maius alio, iuxta illud Ioann. 19. *Qui me tibi tradidit, maius peccatum habet*, & conſequenter inter ipſa peccata datur inæqualitas, debet quoque dari inter uirtutes, eſſeque una maior altera, quia peccatum dicitur tale per oppoſitionem ad uirtutem: Item cum certum ſit, uirtutes inter ſe connexionem habentes, cuiuſmodi ſunt infuſæ, nec non acquiſitæ in ſtatu perfecto, ut diximus ſupra, uocari poſſe æquales, nō abſolutè ſeu ſecundum abſolutam quantitatem, & perfectionem, ſed ſecundum proportionem, ſicut, inquit D. Thomas 1. 2. quæſt. 66. art. 2. dicuntur digiti manus æqualiter creſcere æqualitate proportionis, licet in ſe inæquales ſint quantitatiuè; Deinde quia ipſa connexio eſt quædam æqualitas, quatenus ipſa ratio prudentię in qua ſit connexio virtutum una eſt, & quando eſt perfecta non attingit unam uirtutem ſolùm, quin etiam attingat alias, cum perfecta prudentia ab omnibus uirtutibus pendeat, nec poſſit firmitèr circa unam uirtutem ſe habere, niſi circa omnium aliarum materias etiam firmetur; Vnde neceſſe eſt, quod uirtutes neceſsariam inter ſe connexionem habentes dicantur proportionaliter æquales, quatenus creſcente firmitate, & affectu circa unam uirtutē, proportionaliter creſcit firmitas circa alias, licet non ſit neceſse, quod abſolutè, & entitatiuè creſcant æqualiter omnes, quia non exercetur in omnibus æqualiter, ſed cum firmatur quis in una, creſcat in alia, quantum eſt neceſse, ne ex defectu firmitatis in iſta deficiat in priori; firmitas enim actualis, & formalis in una uirtualiter, & proportionaliter exigit quoque firmitatem in alijs. Hæc, inquam, duo ſic explicata cum ſint certa, tota difficultas eſt in graduando unumquodque genus, & in illo unamquamque ſpeciem uirtutum in ratione perfectionis, aut maioritatis, atque adeo inæqualitatis inter ſe, pro quo.

Dico primò, cæteris uirtutum gene-

ribus præcellere illud virtutum Theologicarum, in iſtis autem charitatem primatum tenere. Ratio primæ partis eſt, quia maior vel minor perfectio virtutis in eſſe entis ſumitur ex perfectione obiecti, à quo ſpecificatur,& ex altiori ordine, in ratione autem virtutis, ex maiori actiuitate in operando, vel mouendo;ſed virtutes Theologicæ perfectius habent obiectum cæteris, quia immediatè tangunt Deum in ſe tanquam proprium obiectum à quo ſpecificantur, nec non vt authorem ſupernaturalem, id eſt vt Saluatorem per gratiam, Glorificatorem per æternam beatitudinem; cum reliquæ virtutes verſentur immediatè circa aliquid creatum tantum, quod ordinatur ad iſtum finem, aut ſi aliquæ attingunt Deum, hoc eſt ſolum quaſi connotatiuè, & in obliquo, ſicut religio reſpicit cultum Dei, timor reuerentiam eius, & quaſi contractionem quamdam animi reſpectu eminentiæ diuinæ; Maioris quoque ſunt actiuitatis, vel efficaciæ in operando; quia charitas dat perfectiſſimum ſtatum, & impulſum cæteris virtutibus mouendo eas in finem ſuum, qui eſt Deus, fides autem regulat charitatem, & ſpem, quia per dilectionem operatur: Omnibus ergo modis eminent ſuper reliquas virtutes, & intellectuales, & morales tum acquiſitas, tum infuſas; hoc eſt non ſolum in ratione entis, quia perfectiorem entitatem habent in ordine ſupernaturali; verum etiam in ſtatu, & ratione virtutis, ſeu mouendi, & diſponendi ad vltimum finem.

Quod etiam charitas præcellat alijs duabus virtutibus Theologicis maximè in ratione virtutis, quæ eſt altera pars noſtræ propoſitionis; patet tum ex Apoſtolo loco citato; *Maior autem horum eſt charitas*; tum quia potior eſt in mouendo, & exequendo, cum ſe habeat vt inclinatio, ſeu impulſus mouens, & dans efficaciam in operando; iuxta illud Auguſtini; *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*; quod de diuino amore maximè verum eſt. Si tamen conſideretur in ratione entis, vel habitus, quamuis abſolutè adhuc perfectior ſit fide, tamen iſta ſecundum quid, ſeu ex modo tendendi in ſuum obiectum, dici poteſt charitati præcellere, quatenus ipſam dirigens verſatur circa illud, vt pote virtus intellectualis modo quodam abſtractiori.

Eadem ratione virtutes Theologicæ nedum cæteras virtutes, ſed & ipſa Spiritus Sancti dona perfectione ſuperant, vt explicuimus ſupra agendo de illis.

2. Virtutes intellectuales ſunt ex genere ſuo ſimpliciter perfectiores, nimirum intellectuales infuſæ, moralibus infuſis, & intellectuales naturales, moralibus acquiſitis, ſi conſiderentur in ratione entis, ſeu penes ſpecificationem ex obiectis deſumptam. Ita Diuus Thomas quando 1. 2. quæſt. 66. art. 3. ait, virtutes intellectuales eſſe perfectiores habitus, morales verò eſſe perfectiores virtutes. Ratio eſt ex dictis, quia vt hoc modo ſint, & dicantur perfectiores, nihil aliud requiritur, niſi quod tendant in obiectum nobilius, altiorique modo, cum perfectio habituum, & potentiarum in ratione entis deſumatur abſolutè, & ſimpliciter ex nobiliori obiecto eas ſpecificante. Sed virtutes intellectuales ex genere ſuo nobilius habent obiectum, quam morales, ſeu obiectum intellectus, aut rationis nobilius eſt ex genere ſuo, quàm obiectum appetitus; tum quia, vt ait D. Thomas loco citato, ratio apprehendit aliquid in vniuerſali, appetitus verò tendit in res, quæ habent eſſe particulare; quod eſt dicere, quod intellectus tendit in rem vniuerſalem, etiam ſiſtendo in ipſa vniuerſalitate, & abſtractione, quia intelligit quidditates rerum ſine eſſe, & ſine indiuiduatione, atq; adeo obiectum eius eſt abſtractius,& immaterialius, conſequenterque nobilius: cum voluntas attingat res uniuerſales, id

enim

enim non negat Diuus Thomas, uerum non ſiſtendo in ipſa earum uniuerſalitate, ſed concernendo eſſe, & indiuiduationem, ſi quidem reſpicit res vt amabiles, & fruibiles, & aſſequibiles, quod ſupponit rationem boni prout in eſse, & in indiuiduatione; non enim aſſequi uolumus, aut frui aliqua re in communi, ſed vt practice conſiderata. *Tum* etiam quia, vt ait idem Sanctus Doctor 1. 2. quæſt. 68. art. 8. Virtutes intellectuales regulant morales, etenim morales regulantur ratione, proptereaque tanto ſunt perfectiores, quanto magis accedunt ad rationem, ac de ea participant: Igitur virtutes intellectuales rationem perficientes ſiue ſpeculatiuè, ſiue practicè, ſunt ex genere ſuo ſimpliciter perfectiores moralibus, ſi ſpectentur in ratione entis, ſiue attendatur phyſica earum ſpecificatio proueniens ex obiectis, modoue in illa tendendi.

Hæc tamen maior perfectio, aut nobilitas virtutum intellectualium ex genere ſuo, ſupra morales in voluntate reſidentes, non impedit, quin in genere voluntario quantumuis inferiori nō dentur aliquæ virtutes intellectuales nobiliores, vt ſatis patet in charitate nedum in ratione virtutis, verum etiam in ratione entis ſimpliciter nobiliori fide, ut colligitur ex Apoſtolo 1. Corinth. 13. *Maior autem horum eſt charitas*, iuxta communem, magiſque probabilem Theologorum ſententiam.
Et ratio eſt, quia perfectio ſpeciei ita ſupponit genus, radicaturque in illo, vt ſe habeat per modum principij potentialis, non autem actualis, hoc enim competit differentiæ, à qua ſumitur determinatio, & nobilitas ſpeciei. Non repugnat autem quod principio potentiali ignobiliori coniungatur forma eminentior, & ſuperior alijs formis, materiæ ſeu principio potentiali nobiliori coniunctis, ſicut materiæ primæ ſublunari coniunguntur formæ viuentes, & inter eas anima rationalis, quæ non coniungitur materię cæleſti, quæ eſt nobilior. Quemadmodum ergo non repugnat, materiam primam ignobiliorem eſſe capacem altioris formæ, cuius tamen non eſt capax alia materia nobilior, ita non repugnat genus aliquod minus perfectum eſse capax differentiæ ſpecificæ nobilioris, prę alio genere magis perfecto. Quodque conſequenter ſub genere volibili, quãtumuis imperfectiori contineantur plures ſpecies perfectiores, quam ſub genere intellectuali licet ex ſe perfectiori. Nec tamen virtutes omnes intellectuales inferiores ſunt charitate, nam in genere ſupernaturali, lumen gloriæ, à quo immediatè elicitur viſio beatifica, nobilius, & altius eſt charitate, licet ipſa dignitate fidem ſuperet. Et ratio eſt, quia ad fidem non ſequitur per ſe, & ex natura ſua, ſed ratione ſtatus, quatenus ſcilicet eſt charitas viatoris, ſeu in ſtatu viæ, cui inſeruit fides; ad lumen autem gloriæ per ſe ſequitur, & ab eo regulatur in tota ſua perfectione, vnde eſt ipſo inferior.

In genere autem virtutum intellectualium principatum tenet virtus ſapientiæ, ſi quidem habet obiectum formale cæteris altius, & excellentius, nimirum attingere res, iudicareque de illis per altiſſimas cauſas, præſertim per cauſam primam. Scientia autem attingit per cauſas inferiores, & proprias. Prudentia verſatur circa actiones humanas ex regulis humanis. Ars circa factibilia, & per regulas proximas ipſis artefactis. Habitus principiorum per notitiam ex ipſis terminis. Et quamuis ſapientia ſit diſcurſiua, non verò habitus principiorum; & iterum ſapientia verſetur circa concluſiones, quarum idem habitus eſt ratio, vel cauſa manifeſtatiua, non idcirco potior eſt ſapientia, quæ diſcurrendo plus aſſequitur de obiecto, & ſub altiori ratione procedit, quam habitus principiorum ſine diſcurſu cum ea imperfectione, qua eſt in nobis, qui non comprehendimus ſicut Angeli in vnico principiorum intuitu omnes concluſio-

cluſiones. Verſatur enim ſapientia circa ens in communi, & eius proprietates, nec non circa ipſos terminos ex quibus componuntur principia, quatenus non ſolum procedit ex illis deducendo ſuas concluſiones, verum etiam ſe extendit ad illa explicanda, & contra negantes defendenda, atque adeo illa habet pro obiecto non ſolum vt ex terminis nota, ſicut habitus principiorum, ſed vt explicata, & defenſa, profundiuſque penetrata. Quod non competit alijs ſcientijs, quę ad ſua principia non ſe extendunt, ſed ad concluſiones inde illatas, & probatas. Illa autem maior perfectio ſapientiæ, qua non ſolum, ſuppoſito lumine principiorum, eſt illatiua, & probatiua concluſionum, verum etiam explicatiua, & defenſiua eorumdem principiorum per quamdam ſuper illa reflexionem, non oritur præcisè ex illo lumine tanquam ex cauſa totali, ſi quidem repugnat cauſam excedi à ſuo effectu, ſed ex ipſa potentia intellectuali, vtroque habitu perfectiori, quatenus cum lumine intellectus agentis; id eſt cum ſpeciebus ab eo productis, & depuratis, poteſt vti lumine principiorum ad producendum perfectius lumen, ſcilicet ſapientiæ acquiſitæ, quæ ſit iudicatiua, & defenſiua principiorum. Nam ſapientia ſupernaturalis infuſa, vel quæ eſt donum Spiritus Sancti à neutro cauſatur, ſed infunditur à Deo, ſicque eſt altius donum.

3. Licet virtutes intellectuales modo explicato, ſiue in ratione entis ſint ex genere ſuo perfectiores moralibus, tamen iſtæ vice verſa ſunt illis perfectiores in ratione, & ſtatu virtutis. Ratio eſt ex notatis ſupra, quia per hoc nihil aliud intelligitur, niſi quod attenta vi motionis, & efficacia executionis ſint perfectiores, ſed eo ipſo, quod ſe tenent ex parte voluntatis, quæ eſt potior in mouendo quo ad exercitium, & exequendo, cum ſe habeat vt inclinatio, & pondus, ſeu impulſus ſuppoſiti, debet illis quoque competere talis maior uis, & efficacia: In hoc ergo eminent ſuper uirtutes intellectuales, ſicut uoluntas eminet ſuper intellectum in efficacia mouendi, & impellendi. Quia autem ordo ad actum in uirtutibus poteſt eſse duplex, vel ordo ad actum proprium, & elicitum, uel ordo ad actum à ſe motum, qui magis eſt effectus uirtutis, quam actus, vt pote pertinens ad efficaciam, & executionem uirtutis in mouendo potius, quam ad ſpecificationem actus, eiuſque elicientiam; ſi conſideretur actus proprius, & elicitus, ſic, cum ordo ad ipſum ſit intrinſecus, & eſſentialis habitui, nec ponat in numero quantum ad ſpecificationē actus, & obiecti, quia habitus ſpecificatur ab actu, quatenus uerſatur circa tale obiectum, atque adeo talis ordo ad actum in uirtutibus moralibus ſit imperfectior ordine ad actum in uirtutibus intellectualibus, maior perfectio, quæ tribuitur virtutibus moralibus in ratione virtutis, non debet attendi penes ordinem ad actum hoc modo cōſideratum, ſed ſecundo ſcilicet quo ad motionem, & efficaciam; quæ motio quia eſt effectiua, non ſpecificatiua, & formalis, propterea penes illam non attenditur nobilitas ſimpliciter, quæ eſt eſſentialis, & quidditatiua, ſed illa duntaxat, quæ ad executionem, & efficaciam ſpectat, quæ tamen denominat virtutem in ſtatu, & ratione virtutis; virtuſque intellectualis dicitur abſolutè, ſeu ſpecificatiuè nobilior habitus, moralis autem magis virtus motiuè. Propriè autem attribuitur ſpecificatio habitui, quia ſpecificari eſt quid commune omni habitui, & non ſolum virtuti. At mouere, & efficaciam habere ad exequendum, proprium eſt virtutis, ſeu vigoris.

In hoc genere virtutum moralium appetitiuarum potior eſt iuſtitia, vbi per particulam appetitiuarum excluditur comparatio cum prudentia: Nam cum immediatè perficiat rationem, præfertur alijs virtutibus moralibus.

vim

vim appetitiuam perficientibus, vt docet D.Thomas 1.2. q.66. art.1. & ideo art.4. iuſtitiam præfert alijs, quia propinquior eſt rationi. Vnde cum prudentia ſit intra ipſammet rationem, præferenda eſt iuſtitiæ; hoc autem patet, quia regulat omnes alias virtutes morales, etiam iuſtitiam, ſemper autem in genere regulabili præfertur abſolutè regulans regulato. Deindè loquendo de virtutibus moralibus appetitiuis, iuſtitia præfertur alijs, ſi ſumatur in tota ſua latitudine, prout nimirum complectitur omnes partes, & ſpecies iuſtitiæ, comparetur que totum eius genus ad reliquas virtutes, quæ ad iuſtitiam non ſpectant, vt ſunt temperantia, & fortitudo; virtuteſque illis annexæ. Loquendo quoque de illa, & alijs virtutibus ex ſpecie, & obiecto ſuo precisè, ita obiectum iuſtitiæ, & ipſa conſequenter eſt virtus cæteris nobilior, quia dirigit operationes hominis ad alterum, tam erga Deũ, quam erga bonum commune, & priuatum, quod reliquis aliarum virtutũ obiectis non competit, quæ verſantur circa moderationem paſſionum, vt tamen in aliquo accidentali, ſiue in circunſtantia, ſiue in effectu, non repugnet aliquam virtutem eſſe excellentiorem iuſtitia, ſicut accidens ſecundum quid eſt dignius ſubſtantia, ſcilicet in ornando, in perficiendo, & complendo per modum vltimi actus. Inter ipſas autem partes iuſtitiæ, vel eius ſpecies, Diuus Thomas 2.2. quæſt. 81. art. 6. docet eſſe religionem. Quæ cum non habeant ſpecialem difficultatem, tantum ſufficiat de tertia virtutum proprietate, ad præſens inſtitutum.

§. III.

De duratione Virtutum.

QVarta, & vltima proprietas Virtutum eſt earum duratio, qua nimirum poſt hanc vitam durare dicuntur. Primò igitur loquendo de virtutibus Theologicis, communior probabiliorque Theologorum ſententia eſt, neque fidem, neque ſpem manere in patria, nedum quo ad actus, verum etiam quo ad habitus; Charitatẽ verò manere quia ex Apoſtolo 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit; ſiue prophetia euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.*

Secundò, probabilius quoque eſt, Virtutes intellectuales manere poſt hanc vitam in patria. Suppoſito enim quod, vt docet D.Thomas 1.p. qu.89. ſpecies intelligibiles ibi maneant, quia non habent à quo deſtruantur, vel corrumpantur, manere quoque debent ob eamdem rationem virtutes intellectuales huiuſmodi ſpeciebus vtentes. Quia tamen non manent quo ad dependentiam à phantaſmatibus, hac ratione dicitur ab Apoſtolo loco ſtatim citato, ſcientia deſtruenda, nimirum quo ad modum ſciendi, ſicut modo eſt in nobis cum occurrentia, & confuſione phantaſmatum, conuerſioneve ad illa. Quod tantum eſt quid accidentale, vel materiale in virtutibus intellectualibus, non quaſi huiuſmodi conuerſio ſit materia circa quam verſentur, hæc enim eſt veritas ipſa obiectiua, quam attingunt, ſed quia ſenſus miniſtrant ea tanquam materiam, vndè intellectus ſuas accipiat ſpecies, ac notitias.

Tertiò, quamuis maior ſit difficultas de Virtutibus moralibus, an maneant in patria? multi enim negant, eo quod materia earum ſunt, vel operationes ad alterum in contractibus, vel paſſiones refrenandæ, & ad mediocritatem redigendæ. Quæ materia cum deficiat in patria, non videtur aliqua ratio ſupereſſe,

pereſſe, vnde tales virtutes remanere, aut exerceri poſſint. Nihilominus oppoſita D.Thomæ ſententia 1.2. qu.67. art.1. eſt probabilior, eas nimirum non ſolum remanere habitualiter in ſubiectis capacibus ipſarum, verum etiam quoad exercitium plures actus eliciendo. Ratio eſt, quia in illo ſtatu beatitudinis ratio erit perfectiſſima, mouebunturque perfectiſſimè ſecundum illam omnes potentiæ, atque adeo neceſſario ponendæ ſunt in eo virtutes morales, ſiquidem ſunt inclinationes, & perfectiones potentiarum rationi ſubiectarum ad operandum rectè ſecundum eius regulam. Quæ ratio non ſolum probat ibi futuras eſſe virtutes morales infuſas, ſed etiam acquiſitas, quia non ſolùm operabuntur iſtæ potentiæ operationes rectas ordinis ſupernaturalis, ſed etiam naturalis, quia in ordine quoque naturali rectificabiles ſunt iſtæ potentiæ, & in eodem operatiuæ, conſequenterque etiam virtutes, & inclinationes habebunt in ordine naturali rectificantes ipſas.

Quæ etiam virtutes erunt eiuſdem rationis, ac ſpeciei cum virtutibus moralibus præſentis vitæ, vt potè operaturæ ex eadem ratione formali, ſcilicet ex prudenti regulatione rationis in proprijs materijs, quæ totaliter in patria non deficient, ibi enim erunt actus, & operationes voluntatis, & appetitus conformes legi, & impletiui mandatorum Dei, quæ eſt ſufficiens materia iſtarum virtutum; ſed aliquæ mutabuntur ſolum accidentaliter pro diuerſitate vtriuſque ſtatus. Cùm enim hic iuſtitia verſetur circa venditiones, & emptiones rerum conſumptibilium ad vſum præſentis vitæ ſpectantium; nec non circa contrapaſſum, id eſt circa iniurias, & circa honores temporales, & corruptibili modo factos; ceſſantibus ibi huiuſmodi commercijs, ſuccedentibus verò cæleſtibus, & communicationibus ſpiritualium bonorum, Beati illam exercebunt principaliter in reddendo debito ſubiectionis Deo; tum pietatis, & obſeruantiæ ſuperioribus; & mutui gaudij, ac honoris in omnibus bonis, in quibus ad inuicem communicabunt. Similiter cum cæteræ virtutes morales verſentur circa paſſiones, tanquam circa propriam materiam, hic eas refrænando, & moderando, ibi id fiet poſt reſurrectionem cum totali earum dominio, & ſubiectione; quique tunc elicientur earum actus non erunt circa delectationes guſtus, & tactus, vel circa timores mortis, aut circa alia pertinentia ad vitam corruptibilem, ſed in ſummo gaudio, & animi tranquillitate, ac pace circa omnia ſenſibilia, cum omnimoda conformitate ad legem diuinam, vt ſit Deus omnia in omnibus.

Aduertendum eſt autem ex D.Thoma loco ſtatim citato ad 3. non quidē ante reſurrectionem in anima ſeparata manere formaliter, & in actu virtutes appetitus ſenſitiui, cum iſte appetitus, vtpotè corporeus non maneat in anima ſeparata, eoque conſequenter ablato non poſſint manere virtutes, quæ in eo ſubiectantur; manet tamen radicaliter, quatenus in ratione, & voluntate ſunt earumdem ſemina, nimirum ſynderesis, prudentia, & inclinatio voluntatis ad bonum, tàm intendendum, quam eligendum. Quocirca reaſſumptis in reſurrectione corporibus, reſtaurato que appetitu repullulabunt, non eædem numero, quę fuerunt in hac vita, quia iſtæ deſierunt, nec niſi miraculosè reproduci poſſunt, ſicut enim in aqua calida, cum ad priſtinam redit frigiditatem, non redit idem numero frigus, ſed aliud, ita proportionabiliter in hoc caſu dicendum eſt, non redituros eoſdem numero habitus virtutū, ſed alios acquirendos, non ſolum ab adultis, qui prius in vita ſimiles habuerunt, verum etiam à pueris baptizatis, qui nunquā vllos habuerunt, per actus ordinis naturalis, quos ſecundum legem, & regulas rationis tunc exercuerint, quique ob ſummam ſuam perfectionem non poterunt etiam non generare habitus

bitus perfectos illi ſtatui conformes.

De hac materia agens D. Auguſtinus relatus à D. Thoma habet hęc verba lib. 14. de Trinit. cap. 9. quibus eam, præſenſque caput abſoluam: *Prudentia,* inquit, *ibi erit ſine vllo periculo erroris; fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum; Temperantia ſine repugnantia libidinum: vt Prudentia ſit, nullum bonum Deo præponere, vel ęquare: fortitudinis, ei firmiſsimè adhærere: Temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. De iuſtitia verò manifeſtius eſt, quem actum ibi habebit, ſcilicet eſſe ſubditum Deo, quia etiam in hac vita ad iuſtitiam pertinet, eſſe ſubditum ſuperiori.*

CAPVT XI.

De medijs acquirendi Virtutes.

QVia præcipuus Viæ Illuminatiuæ finis, aut ſcopus, potiſſimumque conſequenter ſtudium in illa Proficientium conſiſtit in adipiſcendis virtutibus, ijs quoque apprimè nota, perſpectaque eſſe debent media huic fini, & ſtudio accommodata; de quibus propterea acturi ſumus in pręſenti capite, eaque reducemus claritatis gratia ad duas claſſes; ita vt in prima contineantur media veluti extrinſeca, ac remota, in alia verò intrinſeca, & proxima.

Primi generis ſunt omnia prorſus bona opera, tum propria, tum aliena, hoc eſt in quibus ab alijs etiam vtcunque dependemus. De quibus omnibus quia nimis longum eſſet tractare, præcipua duntaxat referam, primumque erit ſeniorum, & ſuperiorum exhortationes, ſiue collationes. Quemadmodum enim Deus in Eccleſia hoc præcipuum fidei propagandæ medium eſſe voluit, miſſis nimirum Apoſtolis in vniuerſum mundum, prædicare Euangelium omni creaturæ, ita quoque fide iam ſtabilita, ad mores Chriſtianos perfectè per virtutes formandos mirũ in modum conducere, ſi ſuperiorum exhortationes audiantur, clarè probat, qui ſemper tam inter priſcos, quam recentes Religioſos perfectionis ſectatores viguit earumdem vſus. Quibus vt ad hunc finem fructuoſæ ſint, verus perfectionis amans debet prius ſui ipſius diſcuſſionem præmittere, & quo animo ad illas audiendum accedat, dijudicare; animum ab alijs curis abſtrahere; ſciendi curioſitatem excludere, renouare actuale deſiderium virtutes acquirendi, cor docile à Deo poſtulare. Inter audiendum verò præſentem ſibi Deum conſtituere, & in eo, qui loquitur exhortantem contemplari, nec alijs, ſed ſibi, quæ dicuntur applicare, & in proprium lucrum trahere. Demum poſt exhortationem, quē ex ea fructum collegerit examinare, & quæ audiuit ad virtutes quibus eget comparandas, altè memoriæ infigere.

Secundum, idque ab alijs dependens medium eſt priuata alicuius magiſtri ſpiritualis directio, & inſtructio, quæque propterea fit ei, etiam extra confeſſionem ſacramentalem, conſcientiæ manifeſtatio, hoc enim medio, quæ in virtutum, quas proſequimur ſtudio, plures occurrunt difficultates, dubia, & tentationes, tum ex parte intellectus nondum ſatis illuminati, tum ex parte voluntatis non ita adhuc firmiter omni bono honeſto adhęrentis, mirum eſt quam facilè ſuperentur; & propterea varijs in religionibus tam accuratè cõmendatur, & practicatur. Præterquam, vt ſupra diximus, ipſa virtus humilitatis hoc exigit, vt aliquando nos alijs, noſtraque bona, & mala ſubijciamus, vt, cum timidæ, valdeque incertæ ſint prouidentiæ noſtræ, ab illis dirigamur.

Tertium medium eſt lectio ſpiritalis. Nam ſi referente Suida Zenoni Cythico oraculum percontanti, quid agere deberet, vt tranquillam, ac beatam duceret vitam reſpõſum fuit, quod cum mortuis conuerſaretur, hoc eſt antiquorum Philoſophorum libros euolueret: multo magis id afferi debet de

lectione librorum ſpiritalium, & aſceticorum de virtutibus tractantium. Quæ propterea fieri debet, non tam diſcendi gratia, aut paſcendi intellectũ; quam operandi, aut voluntatem excitandi ad verarum virtutum exercitium; ſeu plus in illa inquirendo, quod mores noſtros ad virtutem inſtruat, quam quod intellectum acuat ad diſputandũ, vel linguam expoliat ad eloquendum. Item non multa ſimul legi, vel obiter percurri debent, ſed in aliquibus egregijs ſententijs hęrendum potius, quæque lecta fuerint ruminanda, & expendenda; eritque lectio numeris omnibus abſoluta, ſi eam comitetur nonnunquã, & interrumpat oratio. Et hoc gallinarũ more, quæ vt delibata paululum aqua ſurſum erigunt oculos, ita nos hauſto paululum aquæ ſpiritualis lectionis, mentis oculis toti per orationem in cælis defigi debemus; vt ſic non tantum erudiatur intellectus per lectionem, ſed & inflammetur affectus ad virtutum amorem, & praxim per orationem.

Quartum medium, illudque nobiliſſimum acquirendi virtutes, eſt oratio mentalis, cuius propterea pręſtantiam, vtilitatem, ac neceſſitatem tot tantiſq; efferunt laudibus Sancti Patres. Tum quia licet diuina bonitas multa in nos vltrò beneficia conferat, non pauca tamen ſunt, eaque maximè, quæ ſpectant ad verarum virtutum acquiſitionem, & exercitium, quæ nullatenus nobis elargiri ſtatuit, nonniſi media oratione, ſeu Deo per illam mente propius admota, vt dum ita nos diuinę maieſtati orando ſubijcimus, dum noſtram inopiam, & omnium bonorum egeſtatem aperimus, illorum abundantiam ab ea demum obtinere promereamur. Tum quia oratio ipſa eſt officina in qua omnes cuduntur virtutes, adeo vt ſine illa virtutes inutiles, vel quaſi ſopitæ eſſe videantur. Primo enim excitatur fides, quia nihil eſt aliud orando diuina contemplari, quam ſacra myſteria noſtræ fidei animo eius lumine illuſtrato, & adiuto, reuoluere, approbare, & admirari, variaſque inde concluſiones tum ſpeculatiuas, tum practicas vtiliter deducere. Quæ omnia, & ſimilia quantum conferunt ad fidei exercitium, & augmentum ſatis conſtat. Secundò ad virtutis ſpei exercitium pariter, & augmentum facit oratio, qua enim parte conſtat petitionibus, poſtulationibus, obſecrationibus ex Apoſtolo 1. Timoth. 2. definiturque à multis, eleuatio mentis in Deum cũ petitione decentium; quid ſunt hæc niſi præclari actus ſpei, & fiduciæ in Dei auxilio, miſericordia, & liberalitate? Nullus ſiquidem ſerio petit, quod ſe non ſperat aliquando obtenturum. Charitatem denique virtutum omniũ reginam mirum etiam in modum excitari, ac perfici ben[e]ficio frequentis, & iteratæ orationis, inde patet, quod, vt fieri non poteſt, ferri in Deum actibus amoris eum, qui non ſæpè de illo meditatur; ita ex aduerſo non poteſt non feruere in eius dilectione, qui mare immenſum infinitarum eiuſdem perfectionum attentè, & aſſiduè contemplatur.

Tranſcundo à virtutibus Theologalibus ad Cardinales ad illas pariter exercendas, & perficiendas plurimum iuuat interna cum Deo per orationem conuerſatio. Vt enim *cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtrę*. Sap. 9. 14. primò prudentia nulla meliori ratione acquiri, exerceri, ac perfici poteſt, quam agendo frequenter cum Deo, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, ad imitationem illius, de quo Eccleſiaſtici 39. 6. dicitur: *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur*. Nec minus ad virtutem iuſtitiæ confert oratio, vt enim eius munus eſt, tribuere vnicuique ius ſuũ, ſi cordis noſtri tributum tot titulis Deo debitum reddere neſcimus per orationem,

nem, quam D. Chriſoſtomus ſiue author oper. imperfecti in Matth. homil. 13. appellat præcipuum noſtrum tributum Deo ex animæ viſceribus offerendum; quomodo cum noſtris proximis ius ſuum circa res ordinis longè inferioris, atque adeò iuſtitiam obſeruare poterimus? Quæ Apoſtolus epiſt. ad Hebręos cap. 11. v. 33. narrat de fortitudine Sanctorum, eos videlicet viciſſe regna, obturaſſe ora leonum, extinxiſſe impetum ignis, effugiſſe aciem gladij, conualuiſſe de infirmitate, fortes factos eſſe in bello, caſtra vertiſſe exterorum, tribuenda eſſe fidei orationе permixtæ docet D. Chriſoſtomus lib. 2. de orando Deum: *Dic mihi*, inquit, *quomodo Moyſes Iſraeliticum populum in bello ſeruauit? an non arma quidem cum exercitu diſcipulo tradidit, ipſe verò deprecationem oppoſuit hoſtium multitudini? nos interim docent preces iuſtorum plus valere quam arma, quam equitatum, quam pecunias, quam multas copias, eoque vniuerſus exercitus, & immenſa militum multitudo in deprecationẽ Propheta ſpem ſalutis habebat*. Et ibidem de Dauide agens ſic ſcribit: *Admirandus ille Dauid Goliath illum immanem, cum veluti dęmon quiſpiam irrueret, non armis, neque gladijs, ſed precibus deiecit: vſque adeo aduerſus hoſtes Regibus ipſis in prælijs valida arma ſunt deprecatio. Quin eadem, & nobis ęquè valida ſunt arma aduerſus Dæmones*. Temperantia tandem, quæ eſt quarta, & vltima virtus Cardinalis ita iuuat ex parte orationem, dicente Apoſtolo de virginitate præcipua eius ſpecie 1. Corinth. 7. quod *præbet facultatem ſine impedimento Dominum obſecrandi*, vt tamen ad omne genus temperantiæ ſtudium mentalis orationis ſpeciali ratione ſit perutile, Sapienti enim diuina in oratione, & guſtanti, quam ſuauis ſit Dominus, facilè terrena omnia viteſcunt, & ab illis ſe abſtinet. Vnde refertur de Abbate Syluano ſolitum oculos ſibi manibus obtegere, cũ diceret, non decere eos ad hæc infima, & vilia

intendere, quando tam ſublimia in oratione perſpexiſſet. Deindè de ipſa continentia protulit exemplum in ſeipſo Sapiens cap. 8. v. 21. *Et vt ſciui*, inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis*. Vnde meritò concludi poteſt cum Chriſoſtomo citato lib. 2. de orando Deum: *Quanta ſapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta ſobrietate, quanta morũ æquitate replet precatio, & obſecratio? vt nequaquam aberraris à vero, ſi quis affirmet deprecationem eſſe cauſam omnis virtutis, atque iuſtitiæ, neque quicquam eorum, quę conferunt ad pietatem venire poſſe in animum, cui non adſit deprecatio, & obſecratio*.

Quintum medium eſt exercitium præſentiæ Dei, cuius inter fructus, vt diximus ſupra, primum fere locum tenet, quod inde maximè ad perfectionem, omniaque virtutum genera, vbi opus eſt, exercenda mirabiliter excitemur; de cuius iterum varijs modis erit ſermo infra, vbi agemus de oratione proficientium propria.

Sextum medium eſt, præter generale quotidianum, particulare adhuc cõſcientiæ examen, ſæpius in die, circa præcipuarum maximè virtutum, quæque ſunt caput multarum aliarum praxim, diligenter explorando, quem in illis fructum faciamus, quam frequentes, & præſtantes illarum actus occaſione data eliciamus, quæ ſint impedimenta maioris in illis profectus, his enim & ſimilibus ſæpius in die conſideratis non poteſt non fieri magnus virtutum quæſtus, & cumulus.

Septimum medium ſunt exercitia ſpiritualia, quorum nomine hic intelligitur annuus, vel adhuc frequentior ſeceſſus à conturbatione hominum, per aliquot dies, qui ordinariè ſunt decem; pauciores tamen, aut plures eſſe poſſunt, pro vniuſcuiuſque inſtituto, vel conditione, tum neceſſitate, vel deuotione. Cum varios inter eorum fines,

maximè reſpectu proficientium, computari potiſſimum debeat tam generalis virtutum acquiſitio, quam alicuius etiã in particulari, cuius nos magis indigos eſſe deprehendimus. Sic enim iuxta Apoſtolum Epheſ. 4. v. 22. rectè dicimus renouari ſpiritu mentis noſtræ, & induere nouum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt in iuſtititia, & ſanctitate veritatis. Porrò huiuſmodi exercitiorum peragendorum variæ ſunt formulę, de quibus conſuli poſſunt earum authores, hic enim ſolùm intendimus in generali inſinuare, quæ ſint pręcipua virtutes, & per illas perfectionem adipiſcendi media, vel inſtrumenta.

Octauum medium eſt Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſus, quia ait D. Thomas opuſculo 57. agens de ipſa, virtutes augeri, & mentem omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguari. Cuius tamen frequentiam exiſtimo regulandam eſſe iuxta vniuſcuiuſque ſtatum, maiorem, vel minorem veræ deuotionis ex diuina charitate prouenientis perfectionem, & prudens de vtroque Patris ſpiritualis iudicium. Horum quoque Sacramentorum deuotè percipiendorum plures habentur formulæ à diuerſis authoribus typis demandatæ, quæ pro pio vniuſcuiuſque affectu fructuosè vſurpari poſſunt. Hactenus de præcipuis medijs extrinſecis, vel remotis, ſeu etiam vniuerſalibus virtutum acquirendarum, cuiuſmodi ſunt omnia bonorum operum genera.

Secundi generis media virtutes acquirendi, ac perficiendi, dicta intrinſeca, vel proxima, ſeu etiã particularia, quia veluti ex natura ipſarum deſumuntur, aut ad illarum acquiſitionem, ac perfectionem magis immediatè concurrunt, ad tria maximè reduci poſſunt. Primum eſt frequens actuum tum internorum, tum externorum repetitio, ſeu exercitium illarum virtutũ, quas acquirere, vel augere, ac magis perficere deſideramus; huiuſmodi enim actibus virtutes acquiri, vel augeri pro earundem diuerſitate oſtendemus capite ſequenti.

Alterum medium, quod & motiuum etiam dici poteſt, eſt attenta conſideratio bonorum, quæ ſecum veræ afferunt virtutes; habent enim ſingulari Dei beneficio, quicquid honeſtum, vtile, ac delectabile mundus eorum bonorum cupidiſſimus excogitare non potuit, vt rectè ait Ven. Pater noſter Ioannes à Ieſu Maria par. 2. Inſtruct. Nouit. cap. 1. *Quę enim honeſtas*, inquit, *aquè ſublimis ei, quam virtus parit, quæ homines eius cultores honore ſempiterno dignos efficit? quę totius mundi gloriam, quaſi ſordidam luti concretionem proculcat? quæ animum adeo generoſum procreat, vt nihil ei niſi Deus ſatis eſſe poſsit. Quæ verò vtilitas adeo compendioſa, quam quæ bonorum æternorum lucro conſtat? quæ opulentiam, ſine vllo decremento permanſuram exquirit? Quę autem delectatio, cum ſinceriſſimis veræ virtutis gaudijs è viuo Ieſu Chriſti fonte profluentibus, vbi ſpes felicitatis coaleſcit queat vllo pacto componi? Hæc omnia profectò cumulatius, quam ſcribi, aut dici poſsit, Virtus Chriſtiana producit, quaſi fructus ſtirpi congeneres, non homini tantùm, qui virtutem colit, ſed ipſi quoque Deo ſuauiſsimos. Pulchritudo quippè virtutis tam exacta eſt vt ſubtiliſsimam illam mentem alliciat, quam certè amore captam Scriptura Sacra, non obſcurè demonſtrat: vt enim cætera ſileamus, totum ferè Salomonis Canticum, per multiplices imagines, quas homines corporeis aſſueti ſimulachris intelligerent, quamdam diuerſarum virtutum abſolutam vnam formam componentium expreſsio eſt.* Hactenus Venerabilis, æternaque memoria dignus pater, cuius corpus iam à quinquaginta, & pluribus annis ſupra miraculum incorruptum aſſeruatur, loco citato, vbi deinceps oſtendit quambellè pręcipuis virtutibus præfata omnia benè conueniant.

Tertium denique medium, nec minus nobile motiuum, imo omnium ex-

cellen-

cellentiſſimum acquirendi, & exercendi virtutes eſt Chriſti Domini imitatio, quatenus non ſolum eſt cauſa efficiens meritoria omnis noſtræ perfectionis, verum etiam exemplaris, ſeu exemplar numeris omnibus abſolutũ, & in noſtra natura tanquam in tabula ſenſibilibus virtutum coloribus depictum, ac proindè noſtris oculis ſenſibiliter à Deo propoſitum, vt nos, non ſecus atque pictores agere ſolent, vna manu hoc exemplar, altera penicillum tenentes, oculos mentis modo in illud, modo in opus noſtrum viciſſim conijciamus. *Sua enim quiſque vita pictor eſt*, inquit D. Gregor. Nyſſenus epiſt. 1. de perf. Chriſt. *artifex huius operis eſt voluntas, colores ſunt virtutes, exemplar Chriſtus eſſe debet*. Vnde quod ipſe ait de virtute humilitatis Matth. 7. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Et Ioann. 12. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, de cæteris quoque virtutibus intelligendum eſt. Siquidem ex D. Baſilio, *omnis actio Saluatoris pietatis excolenda, virtutiſque obeundæ regula eſt*; ita vt Chriſtum imitari, nihil aliud ſit quam ſingulas eius actiones, heroicaſque virtutes benè apprehenſas intellectu, & affectu ad noſtras applicare, & eas tantæ regulæ quantum fieri poteſt commenſurare: Eſt enim Chriſtus Dominus, ſanctiſſimaque eius vita, illa menſura, qua Angelus Ezech. 43. templum metitur, quod ſumus nos per veras virtutes, & S. Ioannes Apocal. 11. illud idem metiri iubetur. Verum quia regulæ ſimilitudo non ita diſtinctè eſſentiam exprimit imitationis, propterea idem Baſilius eodem loco addit aliam pictoris, & Chriſtum Dominum, vt diximus, archetypum, aut exemplar nobis à Deo propoſitum appellat: *Propter hoc enim*, inquit, *noſtram naturam ſuſcepit, vt in ſe velut in tabula quadam veram nobis veritatem, & virtutem depingeret, eamque nobis omnibus tanquam archetypum imitandam proponeret*. De quo etiam, non incongruè, myſticè intelligi poteſt, quod litteraliter Moyſi tabernaculum formaturo dictum fuit Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Quatenus tota noſtra vita in eo conſumi debet, vt ſicut Deus præcepit Moyſi, Inſpice, & fac, tabernaculum materiale formaturo, ita & perpetuò Chriſtum inſpiciamus, & quod inſpeximus faciamus, formaturi per eius imitationem ſpirituale, ac myſticum virtutum tabernaculum.

Igitur, ſi vt ait D. Ambroſius lib. 2. de Virginibus loquens de Beatiſſima Virgine Maria imitanda, *primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri*, multò magis id de optimo fidei, ac ſalutis noſtræ, & totius perfectionis authore, ac magiſtro Chriſto Domino aſſerendum eſt, qui quod docuit verbo, etiam firmauit exemplo, & iure merito de ſe dixerit Ioann. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*: vita, qua Deo viuimus; veritas, qua eumdem cognoſcimus; via, per quam veſtigijs eius inhærendo perfectas virtutes conſequi, indeque cum ipſo ad æternam ſalutem tutò peruenire poſſumus. *Nam*, vt dicit Apoſtolus Rom. 8. 30. *quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*.

CAPVT XII.

De augmento Virtutum.

QVia Proficientium via illuminatiua incedentium maximè proprium eſt, adhibitis omnibus viribus, ac medijs ire de virtute in virtutem, ita vt *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, Apocal. vlt. propterea breuiter hic agemus de augmento virtutum, pertinentibuſque ad illud.

Pro cuius intelligentia, & explicatione notandum eſt primo, ex duplici habitudine, vel ordine, quem dicunt habitus virtutum, ſcilicet ad ſubiectum in quo ſunt, & ad obiectum circa quod

ſunt,

ſunt, duplicem oriri modum augmenti, alterum extenſionis circa obiecta materialia, ad quæ ſe extendunt ſub eadem ſemper ratione formali, à qua ſumitur vnitas ſpecifica, ideoque iſta nec creſcit, nec variatur: Alterum autem intenſionis circa ſubiectum, in quo firmiores, magiſque radicati redduntur hi habitus. Fit extenſio penes diuerſa obiecta materialia procedendo de vno ad aliud, & propterea dicitur fieri per additionem, non partium, ſeu entitatum, quibus intrinſece componatur, ſed per additionem extrinſecam obiectorum, ad quæ tamen reſpectum habent ipſi habitus. Fit verò intenſio non penes diuerſa ſubiecta, vel partes ſubiecti, quia eas non requirit, ſed in vna, eademque parte, & in eodem indiuiſibili ſubiecto, & puncto poteſt eadem qualitas intendi, & remitti, hoc eſt magis, vel minus firma, & radicata reddi in ſubiecto. Quare interdum D. Thomas vocat augmentum extenſiuum, *augmentum per additionem*, contradiſtinctè ad augmentum intenſiuum quod ipſe aſſerit non fieri per additionem. Et nomine additionis non intelligitur aliqua partium compoſitio ex parte ipſius qualitatis, ſed dicitur additio, quia fit per ordinem ad aliquas partes, ſiue ſubiectiuas, ſiue obiectiuas; cum quo tamen ſtat, quod quando qualitas extenditur per partes ſubiecti, etiam ipſa qualitas dicatur habere partes reales, per accidens tamen, nimirum ratione partium ſubiecti, in quo eſt: quando verò virtus extenditur ad ſua obiecta, non habet partes reales in ratione qualitatis, ſed partes obiectiuas, ad quas non qualitate noua, ſed noua applicatione ſe extendit. Sicut quando creſcit corpus hominis, eadem forma humana ad nouas partes ſe extendit non additione formæ, ſed applicatione informandi; & ſimiliter quando eadem potentia ad noua obiecta attingenda procedit, ex D. Thoma 1.2. q. 44. art. 4.

Secundò aduertendum eſt, quod ſpectat ad augmentum intenſiuum, conſentire omnes, in hoc ſitum eſſe, quod aliqua forma fiat perfectior in eodem, & circa idem, quod vtique non competit omni formæ, quia non omnes habent latitudinem in actualitate circa idem. Sed cum hoc ſit certum inter Philoſophos, & Theologos, diſſenſio inter eoſdem eſt, in quo conſiſtat iſta maior perfectio, & actualitas in eodem, & circa idem. Scotus enim, alijque plures exiſtimant hanc perfectionem conſiſtere in aliqua additione realitatis nouæ; vel quòd idem eſt, intenſionem, ſeu augmentum intenſiuũ fieri per additionem gradus ad gradũ, quaſi per entitates reales partiales diſtinctas, ex quibus conſurgit, vel coaleſcit vna forma per ſe, licet ſemper ſit valde difficile explicare, quomodo iſta vnio fiat inter multas entitates realiter diſtinctas, & non fiat ad modum quantitatis, quaſi per partes integrantes. Fundamentum autem præcipuum Scoti, & aliorum eſt: Quia per nouam mutationem realem, cuiuſmodi eſt actio intenſiua, debet aliquid reale produci, quod ante non fuerit, quod non poteſt eſse, niſi noua entitas, ſeu gradus. Deinde quia ipſa experientia conſtat, quod dum gradus intenſi ſeparantur à remiſſis, non propterea ſimul amittitur tota qualitas, vt quando aqua calida reducitur ad priſtinam frigiditatem, non ſimul deperditur totus calor, ſed aliquid illius tantùm gradus: ergo vt ſunt ab inuicem ſeparabiles, ita prius erant diſtincti.

At Diuus Thomas, eiuſque ſchola conſiderans cum illo intenſionem non fieri per expulſionem vnius formæ, & productionem alterius, vt aliqui malè ſenſerunt contra naturam intenſionis ab omnibus exploſi, ſed per eiuſdem formæ meliorationem circa idem, huiuſmodi meliorationem docet, non fieri per additionem, vt ait Scotus, ſed quia melius applicatur in informando, quod eſt intenſionem fieri per maiorẽ radicationem in ſubiecto. Quia non poteſt

poteſt intelligi dicta additio, quin ſimul intelligatur diſtinctio eorum quæ adduntur; illæ igitur entitates diſtinguntur, vel ſpecie, vel numero, ſi ſpecie non pertinent ad eamdem formam; ſi numero, præterquam duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem numero ſubiecto, inſuper non apparet, quomodo vniri inter ſe poſſint, ad conſtituendam vnam qualitatem indiuiſibilem, & per ſe vnam; non per modum actus, & potentiæ, cum vtraque ſit forma, & actus; non vt partes integrantes qualitatis, quia partes integrantes ſunt quantitatiuæ, quæ per ſe non inueniuntur in qualitate, præſertim ſpirituali; eius ergo intenſio fieri non poteſt per additionem entitatis ad entitatem, vel gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto.

In quo explicando diſsentiunt inter ſe diſcipuli D. Thomæ, aliqui enim excludunt omnem prorſus additionē realitatis, ſiue entitatiuæ, ſiue modalis de nouo productæ, fundati in verbis Sancti Doctoris 2.2. queſt. 24. art. 5. ad 3. vbi agens de augmento charitatis hęc habet: *Augmentatio charitatis importat mutationem ſecundum magis, & minus habere, & ideo non oportet, quod aliquid inſit, quod prius non infuerit, ſed quod magis inſit, quod prius minus inerat; & hoc eſt, quod facit Deus charitatem augendo, ſcilicet quod magis inſit, & quod perfectius ſimilitudo Spiritus Sancti participetur in anima.* Si enim nihil ineſt per motum intenſionis, quod prius non infuerit, videtur iuxta mentem D. Thomę dicendum, nihil de nouo produci, quia id ſolum dicitur produci, quod antea non erat, & modo eſt; atque adeò intenſionem non eſſe actionem productiuam qualitatis, aut factiuam alicuius, quod antea non eſſet, ſed quaſi applicatiuam eius, quod præerat, ſiue conſeruatiuam fortiori modo quam ante. Et ſicut in cauſa agente poteſt fieri noua applicatio virtutis, ſine nouę virtutis productione, ita poteſt fieri noua applicatio formæ in ratione informandi, abſque eo quod producatur noua forma, vel pars illius. Quæ applicatio non conſiſtit in noua inhærentia, vel exiſtentia accidentis, ſed in hoc, quod ipſa materia, ſeu potentia ſubiecta formæ, quæ ſecundum ſe, ſe habet ad multa, & eſt ſuſceptiua contrariorum habentium latitudinem, magis terminetur ab actu illo, & à confuſione potentialitatis in vnum colligatur, vt ait Diuus Thomas in 1. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 2. Et hoc eſt magis radicari in ſubiecto, & in ratione informandi magis perfici, quatenus magis ei ſubijcitur latitudo, & confuſio potentialitatis ad multa in materia, vel ſubiecto ſuſcipiente. Quia autem perfectio informandi ſpectat ad ipſam accidentis eſsentiam, cuius eſse, eſt alteri ineſse, propterea S. Thomas ait qualitatem augeri ſecundum eſsentiam, non per additionem nouæ entitatis, vel productionem illius, ſed per eiuſdem qualitatis diuerſam applicationem, non in agendo, ſed in informando. Vnde hoc ipſo quod concipitur in formis poſse dari nouam applicationem informandi, ſicut in agentibus ad agendum, concipitur ſententia D. Thomæ ſic à nonnullis explicata. Alij enim eius diſcipuli, vt ſaluent, quod actio intenſiua ſit etiam ſuo modo productiua, exiſtimant hanc applicationem, ſeu terminationem eſse nouum modum productum, & ideo admittunt in intenſione additionem non quidem entitatiuam, ſed modalem, ita tamen vt remanente ſemper eadem qualitate, quæ dicitur augeri, pereat modus remiſſior, v.g. vt duo, accedente fortiori, v. g. vt tria, vel quatuor, quo fit augmentum. Quæ ſufficit breuiter inſinuaſse pro intelligentia præſentis materiæ, longior enim eorum diſcuſſio non eſt huius loci.

Tertiò notandum eſt, actus illos, quibus virtutum augmentum fieri poteſt, eſse in triplici differentia, alij enim ſunt intenſiores, ſeu perfectione ſuperantes

rantes ex vi vberioris auxilij diuini habitum ipſum, à quo eliciuntur: alij ſunt æquales, hoc eſt eiuſdem cum habitu intenſionis, alij denique illo remiſſiores; & de his omnibus poteſt eſse difficultas, an per illos virtutes augeantur.

Quartò, vt certum ſupponi debet, virtutum habitus, tam Intellectualium, quàm Theologicarum, & Moralium, tum infuſarum, tum acquiſitarum, augeri poſse loquendo in genere. Nam de charitate dicitur Philipp. 1. *Oro, vt charitas veſtra magis, ac magis abundet.* Et Epheſ. 4. *In charitate creſcamus.* De fide Lucæ 17. *Dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.* Et de fide, ſpe, & charitate ſimul orat Eccleſia ad Deum: *Da nobis Fidei, Spei, & charitatis augmentum.* Quod ſi verum eſt de virtutibus Theologicis, & conſequenter etiam de infuſis, multo magis adhuc de acquiſitis, nec enim eſt ratio, cur virtutes infuſæ augeri poſſint, & non acquiſitæ, quæ magis ex actibus dependent, & ab eis generantur. Hoc, inquam, cum certum ſit circa augmentum virtutum in genere difficultas eſt in ſpecie, quomodo fiat, per quos actus, item an efficienter, aut meritoriè ſolum, & quando. Quæ omnia breuiter aperiemus in ſequentibus.

Primò igitur incipiendo à virtutibus intellectualibus acquiſitis experiẽtia conſtat earum augmentum, maximè in probatiuis, tam eſse extenſiuum, quàm intenſiuum. Si quidem videntur homines dupliciter in ſcientijs proficere, nimirum capiendo notitiam plurium obiectorum, ſeu concluſionum, quas antea ignorabant, quod certè pertinet ad quamdam extenſionem, quia plures notitiæ acquiruntur, poſſeque in plura extenſio poteſtatis eſt; tùm etiam eamdem veritatem profundius penetrando, magiſque, ac magis firmiter illi adhærendo, quod pertinet ad augmentum intenſionis, vel meliorationis, quia non erga plura dilatatur, ſed in eodem firmatur, & radicatur. Cum autem varij ſint modi explicandi iſtud augmentum extenſiuum, communiter tamen diſcipuli D. Thomæ, iuxta mentem ipſius docent, non fieri per ſolam collectionem, vel coordinationẽ ſpecierum, nec per compoſitionem, & vnionem realem, & intrinſecam diuerſarum qualitatum inter ſe, ſed penes nouum modum applicantem habitum, & rationem formalem eius ad attingẽdum aliquod obiectum, vbi ſpecialis eſt difficultas in tali applicatione facienda. Quod non accidit in potentijs, quia potentiæ tantum operantur, vt cauſæ vniuerſales, & indifferentes, quã vniuerſalitatem, & indifferentiam ſtatim à principio ingenitam habent. Habitus autem dantur ad determinandum eas in ſpeciali, tollendumque difficultates. Vndè, cum aliquando poſſit eſſe difficultas in ipſamet applicatione ad hoc obiectum materiale præ alio, propterea de nouo applicari ad illud, extenſio eſt, dicunturque habitus ſuſcipere augmentum extenſiuum. Quod ſtatim magis explicabitur.

Secundo, nec Virtutes Theologicæ, nec morales infuſæ, vel acquiſitæ capaces ſunt augmenti extenſiui intrinſeci. De charitate ita docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 24. art. 5. Quia minima charitas ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt ex charitate diligenda, in augmento igitur charitatis non poteſt intelligi additio extenſiua, ſed intenſiua tantum, vt mox dicetur. Eadem autem ratio probat de fide, & ſpe, ſicut de charitate, quia minima fides ſe extendit ad omnia credenda, & minima ſpes ad omnia ſperanda, ſub ijſdem prorſus rationibus formalibus. Vndè licet hæ virtutes poſſint creſcere ſecundum extrinſecam applicationem, & appoſitionem materiæ, v. g. fides, materiæ credibilis, quo in ſenſu dici poteſt perfectiorem haberi fidem nunc, quam in Lege Veteri, ratione plurium credibilium, ad quæ ſe extendit; charitas, materiæ amabilis, & ſpes, ſperabilis

bilis, non tamen poſſunt creſcere ſecundum intrinſecam immutationem rationis formalis, nec conſequenter ſuſcipere augmentum extenſiuum intrinſecum; ſicut nec ob eamdem rationem ſtatim ponderandam, cæteræ virtutes morales, ſiue infuſæ, ſiue acquiſitæ; vt expreſsè docet Diuus Thomas 1.2. quæſt.66. art.1. *Quod ſi virtus*, inquit, *conſideretur ſecundum ſe, attenditur magnitudo, vel paruitas eius ſecundum ea ad quæ ſe extendit. Quicumque autem habet aliquam virtutem, puta temperantiam, habet ipſam, quantum ad omnia, ad quæ temperantia ſe extendit, quod de ſcientia, & arte non contingit: non enim quicumque eſt Grammaticus ſcit omnia, quę ad Grammaticam pertinent, & ſecundum hoc bene dixerunt Stoici, vt Simplicius dicit in commento Prædicamentorum, quod virtus non recipit magis, neque minus ſicut ſcientia, vel ars, eo quod ratio virtutis conſiſtit in maximo.*

Ratio igitur, cur ex D. Thoma concedendum ſit artibus, & ſcientijs augmentum extenſiuum intrinſecum, ſecus autem virtutibus Theologicis, & moralibus, nec non habitui etiam intellectuali primorum principiorum eſt, quia licet in omnibus iſtis detur extenſio, non tamen eodem modo fit in omnibus, ſiquidem in ſcientijs eo ipſo, quod lumen, ſeu vis attractiua vnius concluſionis non habet de ſe, & ab intrinſeco vniuerſalitatem ſuper omnes concluſiones, ſed eſt probatiua, ſeu deductiua vnius ex alio, adeoque dependens in ſua ratione formali à medijs, & præmiſſis, quæ pro diuerſis concluſionibus diuerſa ſunt, non poteſt non perfici ab illis lumen ſcientificum in ratione illuminatiua, quia perficitur in ratione probatiua, & illuminatio fit per probationem, conſequenterque etiam non poteſt non ſuſcipere augmentum extenſiuum intrinſecum, & non ſolum extrinſecum, ſeu penes aliquid extrinſecum, quatenus eadem ratio formalis applicatur diuerſis materijs, vt eadem lux diuerſis partibus diaphani, vel diuerſis coloribus, hoc enim non ſufficit in lumine ſcientifico, quod, vt dixi, eſt probatiuum, & illatiuum ſit, non autē per comprehenſionem, & ſimplicem intuitum manifeſtans, debet reddi neceſſario probatiuum nouæ concluſionis ex nouis præmiſſis, ſeu nouis medijs, quæ non ſe habent ſolum, vt conditio requiſita, ſed vt veræ rationes inferendi, & illuminandi concluſiones; ſicque ratio illa formalis ſcientifica, quæ in eadem ſcientia diuerſas attingit concluſiones, debet neceſſario auctior fieri, ſiue ſuſcipere maius augmentum extenſiuum intrinſecum; quia non eſt illa lux vniuerſalis pro omnibus concluſionibus ſimplici modo, & abſolutè, ſed dependenter à præmiſſis; multiplicique modo, licet omnes inter ſe connexæ ſint, ideoque indiget nouis extendi modis, vt ad omnes feratur.

Secus autem ſe habet in virtutibus, quarum etiam minima vis ſe poteſt extendere ad omnia, dummodo ſint ei applicata. Et hoc ideò, quia ſi ratio formalis in illis non omnia complecteretur de ſe, decideret à vera ratione formali talis virtutis. Sic in virtutibus Theologicis tota ratio operandi eſt aliquid diuinum, ſicut in fide authoritas Dei dicentis, in ſpe omnipotentia, & auxilium Dei promittentis, in charitate bonitas infinita Dei, quæ eſt ratio omnium diligendorum propter ipſum; atque adeò rationes earum formales, quantumuis minimæ, quia diuinæ ſunt, & vniuerſaliſſimæ, ad omnia ſe extendunt, qui enim credit authoritati diuinę, credit vt authoritati infallibili, conſequenterque habet vniuerſalem extenſionem ad omnem veritatem à Deo reuelatam, ita vt ſolum deſit ad credendum de facto applicatio extrinſeca tali, vel tali veritati in particulari: Et cum eadem reperiatur vniuerſalitas in ſpe reſpectu omnipotentiæ diuinæ in auxiliando, nec non in charitate reſpectu bonitatis, idcirco etiam non ſunt capaces augmenti extenſi-

tenſiui intrinſeci, quia non poſſunt vniuerſaliorem rationem habere, nec conſequenter in ratione formali intrinſece creſcere.

Idem quoque inuenitur in virtutibus moralibus tam infuſis, quàm acquiſitis, quarum pariter ratio formalis de ſe habet vniuerſalitatem imbibitam in ſeipſa indiuiſibiliter, ſi quidem electio non poteſt eſse recta, & bona, niſi ſit plena, & perfecta ex obiecto, fine, & omnibus circumſtantijs: vnde etiam includit vniuerſalitatem ad omnia, quæ in materia cuiuſque virtutis moraliter attingenda ſunt, nec indiget magis extendi in ipſa ratione formali bonitatis moralis, quia hæc eſt perfecta, & plena ſubiectio ad legem, & ad regulas rationis ſine vllo defectu, quia bonum eſt ex integra cauſa. Et certè, ſi ex hac ratione, vt diximus ſupra, omnes virtutes morales ſunt inter ſe connexę, & concatenatæ, quia ſcilicet ratio formalis circa vnam materiam ita debet eſſe bona, & ſine defectu regulationis, vt ex defectu circa alterius materiam non vitietur, ſi, inquam, propterea debet extendi quælibet virtus ad aggregandum, & connectendum ſibi aliarum virtutum materias ne deficiat in ſua propria, multo magis extenſionem habebit ad omnes ſuas materias, ne in aliqua deficiat, & deficiendo virtus non ſit: Dicendumque eſt, quod ſi quis habet affectum non deficiendi in aliquo, nec eligendi defectuosè in aliqua materia, hoc ipſo etiam habeat vniuerſalitatem, & totalitatem ad omnia, ex quibus deficipoteſt in tali materia, vt illa excludat, & plenè, ac perfectè bona ſit, quãtum ad hoc, quod eſt non deficere in aliqua circumſtantia, & regulatione, quia ſi non eſt firmatus animus ad non deficiendum in aliquo, nondum eſt affectus ille moraliter bonus, & virtuoſus, contra ſuppoſitum.

Tota igitur vis præſentis diſcurſus, nec non rationis diſparitatis inter ſciẽtiam, & virtutes morales, quo ad augmentum extenſiuum intrinſecum, reducitur breuiter ad hoc, quod in ſciẽtijs dependet ratio formalis earum in illuminando à medijs, & pręmiſſis, quę, vt pro diuerſis concluſionibus diuerſa ſunt, ab illis quoque perfici debet. In virtutibus autem non perficitur ratio formalis per media particularia rectificatiua, ſed quælibet minima virtus habet integram, & totalem rectificationem, atque adeo vniuerſalem pro ſua materia, ſeu obiecto, non tamen pro alijs, non ſufficit enim vna virtus pro omnibus materijs, quia ex diuerſis materijs ſunt diuerſæ rectificationes, modique regulandi electionem, nec poteſt inclinatio voluntatis vno modo ſe extendere ad omnes. In qualibet autem materia quælibet rectificatio illius eſt plena, & perfecta, vniuerſaliſque reſpectu talis materiæ, cum ex nulla parte debeat deficere, bonũ enim, maximè morale ex integra cauſa. Vndè ſi dantur diuerſa motiua, vt vna virtus ad diuerſas inadæquatas materias ſuas ſe extendat, illa non ſunt motiua diuerſa, aut meliori modo rectificantia, ſed tantum conducentia ad auferenda impedimenta extrinſeca, & applicandum materiam, ſeu ad ſuperandas aliquas duntaxat difficultates accidentales.

Sciendum enim eſt, difficultatem maiorem, vel minorem in operando eſſe duplicem, vnam eſſentialem, alteram accidentalem. Prior ſe tenet ex parte ipſius virtutis, aut rationis eius formalis, poſterior ex parte ipſius operantis, aut alicuius circumſtantiæ extrinſecæ, vel applicationis. Etſi ergo ad vincendam aliquam difficultatem eſſentialem perfici debeat virtus ipſa, vel ratio eius formalis, quotieſcunque in ſua intrinſeca vi non eſt ſufficiens aliquid facere, vel attingere ſimplici modo, & directo, quia formalis ipſa ratio non eſt ſimplex, ſed dependens ab aliquo priori, quod non eſt vniuerſale, complectenſque omnia ad materiam illius virtutis ſpectantia, ſed medium

dium quoddam, aut motiuum particulare; Ad ſuperandam tamen difficultatem dnnraxat accidentalem, ſeu totam ſe tenentem ex parte ipſius operantis, vel applicationis, aut alterius circumſtantiæ, non requiritur in virtute noua aliqua, & intrinſeca perfectio ipſius rationis formalis, vel modalis, vel entitarina, iuxta diuerſitatem opinionum, verum ſufficit vel minima huiuſmodi ratio, ſi ſimplici modo operetur, aut modo vniuerſali, vt iam explicuimus; ſolumque indiget applicatione extrinſeca obiecti, & operantis, vt ad nouam materiam ſe extendat. Pro tali enim applicatione facienda, vel propter indiſpoſitionem operantis, vel propter reſiſtentiam materiæ, aut indebitas circumſtantias, plures interdum difficultates occurrere poſse, nec tamen ad illas vincendas poni debere augmentum intrinſecum in virtute ſuperante, multa probant exempla viſus, ſenſuumque, & potentiarum vegetatiuarum, imò ipſius ignis, aliarumque facultatum naturalium; Malè igitur à nonnullis arguitur à diuerſitate difficultatum vincendarum abſolutè, & abſque vlla diſtinctione, ad augmentum extenſiuum intrinſecum, de quo modo eſt ſermo, quodque fit per hoc, quod virtus intrinſecè immutetur, & perficiatur, vt ad noua obiecta ſe extendat, nouaſque difficultates vincat, cum in pluribus ſufficiat extrinſeca immutatio, & applicatio.

Huinſmodi autem difficultates accidentales, quæ in virtutibus, extrinſeca ſolum extenſione, aut applicatione vincuntur, non autem intrinſeco augmento, variæ aſſignari ſolent, nimirum ex parte intellectus, ex parte complexionis naturalis, ex parte ipſius actus, qui in ſe difficilior eſt ratione ſuæ materiæ, aut circumſtantiarum. Si quidem negari non poteſt, qnin intellectus multa ſæpè difficilius attingat, quinque conſequenter voluntati difficilius proponat, einſque reſiſtentiam vincat, circa aliquod obiectum. Similiter patet complexionē naturalē in aliquibus eſſe minus idoneam, minuſque diſpoſitam ad obediendum rationi, & actibus virtutum, atque adeò minus facilè operantur. Et tandem ipſimet actus exercendi diuerſam in ſe habent difficultatem propter diuerſam materiam, aut circumſtantias occurrentes, cum in tali tempore, in tali loco, in tali duratione, aur continuatione operari aliquando difficilius ſit.

Quas etiam omnes difficultates, & ſimiles libenter admittimus vinci poſſe frequenti aliqua actuum repetitione, nec non per diuerſa motiua; quia tamen ſemper id fit ſub vna, & eadem ratione formali intrinſeca, ſimplici, & vniuerſali, nam in virtutibus Theologicis hæc ratio formalis, eſt quid diuinnm, vt diuina authoritas in fide, diuina omnipotentia in ſpe, diuina bonitas in charitate, cui vniuerſalitas, & infinitas eſſentialiter competit. In virtutibus autem moralibus motiuum eſt rectitndo, & bonitas operis in tali genere, ſeu materia, quæ vniuerſaliter debet complecti tam obiectum, quàm circumſtantias, & omnes illas regulare, ita vt ex nulla parte deficiat, & ſic non indiget nouo motiuo formali rectificante circa collectionem totius illins materiæ ad quam inclinat; ſicut ſcientia indiget nouo motiuo illuminante circa diuerſas concluſiones, & veritates intra collectionem eiuſdem ſcientiæ. Inde eſt, quod etſi virtutes Theologicæ, quas patiuntur difficultates in aliqua materia potius, quam in alia, frequentatione, aut exercitio actuum ſuperent, vt cum aliquis ſentit maiorem difficultatem circa vnum myſterium credendum, qnam circa aliud, vel circa diligendum inimicum magis, quam circa diligendum amicū, ad id tamen, aut ſimilia non indigent augmenro extenſiuo intrinſeco, ſiue in ſua ratione formali, ſicut nec virtutes morales: nouaque motiua, quæ ſe offerunt in illis pro vincendis diuerſis materijs, & actibus eliciendis non ſunt

noua motiua eas rectificantia, quod pertinet ad formalem, & intrinſecam rationem motiui virtutis; ſed erunt motiua, aut rationes intrinſecæ impulſiuæ, aut attractiuæ, vt in illa materia ſe exerceant, aut ablatiua impedimentorum, ex parte corporis, vel paſſionũ ſe offerentium, vel etiam materia aut conditiones diſponentia, vt ad illam applicetur forma, & virtus. Sicut nec illa maior exercitatio formaliter generat extenſiorem habitum virtutum intrinſecè, ſed pariter ſolum tollit extrinſeca impedimenta, vt applicetur iſti materiæ.

Quantum ad prudentiam, cum ita ſit virtus moralis, vt tamen ſit in intellectu, ſi inquirat aliquis, num ſaltem ipſa ſit capax dicti augmenti extenſiui intrinſeci, cum diſtinctione reſpondendum eſt. Cùm enim duo in ipſa conſiderari poſſint, primum præſuppoſitum ex parte voluntatis, ſcilicet ipſam eſſe rectè diſpoſitam, & inclinatã circa fines virtutum, ſine enim tali inclinatione, non poteſt aliquis eſſe prudens, maximè quo ad principalẽ actum, qui eſt rectè præcipere, & ordinare, tota ſiquidem efficacia præcepti deriuatur à voluntate. Alterum autem formale ſe tenens ex parte intellectus, ſcilicet directio, & imperium, ſeu ordinatio de agendis iuxta regulas rationis, Si conſideretur primo modo non ſuſcipit dictum augmentum, ſicut nec ipſæ virtutes morales, ſupponit enim prudentia rectam æſtimationem circa fines agibilium, & appetitum rectificatum circa illos, quod fit per habitum virtutum moralium ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 58. art. 5. & 22. q. 47. art. 13. ita vt iſtæ rectificationes ſe habeant vt principia prudentiæ, quia iudicium prudentiale formatur ex connaturalitate quadam, & inclinatione hominis ad ea, quæ virtuoſa ſunt, & honeſta: virtuoſus enim vt talis non iudicat, nec æſtimationem habet de agendis, ſecundum ſcientiam ſpeculatiuam, quæ diſputat de naturis vel quidditatibus rerum, ſed ſecundum ſcientiam practicam ortam ex aliqua connaturalitate, & affectu ad res ipſas, ſeu ad ea, quæ ſunt virtutis, qui affectus habetur per habitus virtutum. Vndè eo ipſo, quod ita rectificantes appetitum, reddunt æſtimationem, & iudicium rectum connaturaliter ad res virtuoſas, de quibus eſt prudentia, & ipſa ſupponit hanc rectificationem ex parte principiorum, non poteſt ex hac parte ſuſcipere augmentum extẽſiuum intrinſecum, quia rectificatio illa, ſi vera eſt, ad omnem defectum in illa materia excludendum extenditur, & connexè in materijs aliarum virtutum, vt ſupra explicuimus.

At ſi conſideretur prudentia ſecundo modo, ſcilicet quoad directionem, & imperium, aliaue munia ex parte intellectus ſe tenentia, ſic dicenda eſt capax præfati augmenti. Inde enim videmus quoſdam eſſe perfectioris, ac melioris conſilij, vel prudentiæ, quam alios, quia ſcilicet plures, magiſque extenſas habent notitias, & proficit homo in prudentia, ſicut in ſcientijs, vel artibus, eo quod ad iudicium prudentiale indiget lumine practico etiam dependente ex diuerſis ſpeciebus, diuerſiſque medijs, & probationibus, ſeu rationibus.

Ratio enim practica, quæ diſcurrit circa vnam veritatem, non poteſt ratiocinari circa aliam, niſi diuerſas præmiſſas, diuerſaue media inueniat, propterea que lumen hoc practicum non eſt vniuerſale, & ſimplex, ſed probatiuum, & ex diuerſis medijs dependens, atque adeo in ſua ratione formali indigens extendi, & perfici, vt plura comprehendat, Quamobrem Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 49. art. 3. & 5. eodem modo loquitur de prudentia, ſicut de ſcientia, quia per docilitatem, & diſcurſum comparatur, & de vno diſcurrit ad aliud, imò multo tempore, & experimento indiget ad ſui acquiſitionem; & quæſt. 47. art. 14. ad 3. ait illam in iuuenibus non dari, neque

ſecun-

ſecundum actum, neque ſecundum habitum.

Tertiò, tàm virtutes Theologicæ, quàm morales, tum infuſę, tum acquiſitæ ſunt capaces augmenti intenſiui. Ita communiter docent Theologi abſtrahendo à modo, quo tale ſit augmentum, an nimirum per productionem nouæ formæ perfectioris, vt ait Durandus in 1. diſt. 17. quæſt. 7. An per additionem nouæ realitatis, ſeu entitatis formę ad præexiſtentem? vt vult Scotus in 1. diſt. 17. quæſt. 3. An demum, per modum maioris radicationis in ſubiecto? hoc eſt non additione nouæ formę, aut realitatis, ſed noua modificatione eiuſdem in ordine ad ſubiectum, quod magis ſibi ſubijcit, & potentialitatem eius in actum reducit, vt docet S. Thomas in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. 1. 2. quæſt. 52. art. 2. 2. 2. quæſt. 24. art. 5. & alibi. Abſtrahendo, inquam, ab omnibus iſtis diuerſis modis, quibus Theologi inter ſe diuiſi explicant augmentum intenſiuum virtutum, vnanimiter docent illud dari; petente propterea Eccleſia à Deo, vt diximus ſupra. *Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*; quod, vt vidimus, cum non poſſit intelligi de augmento extenſiuo intrinſeco, debet neceſſario intelligi de intenſiuo in vna eademque parte ſubiecti. Quodque dicitur de his virtutibus Theologicis, à fortiori debet aſſeri de moralibus, ſiue infuſis, ſiue acquiſitis. Ratio communis omnibus fundatur in ipſa experientia, qua videmus actus, & effectus procedentes à magis exercitatis in virtutibus eſſe perfectiores, & intenſiores, atque adeò, & habitus ipſos; ex perfectione enim, & intenſione actuum, vel effectuum colligere, ac perpendere debemus cauſarum, vel principiorum perfectionem. Quod igitur in habitibus virtutum procedant aliquando actus feruentiores, promptius, ac delectabilius, vel firmius manifeſtum eſt ſignum augmenti intenſiui, ſeu meliorationis eorum circa idē.

Quartò, loquendo de virtutibus Theologicis, & moralibus infuſis, difficultas eſt, quomodò per ipſarum actus fiat huiuſmodi augmentum intenſiuū. Pro cuius intelligentia, & reſolutione, tanquam certum, & indubitatum præſupponendum eſt, poſſe Deum abſolutè augere has virtutes phyſicè, nullo interueniente actu noſtro, ſicut illas de facto ſimul cum gratia ſanctificante confert paruulis in baptiſmo, abſque vllo prorſus eorum actu; poſſetque etiam, ſi vellet, vni paruulo maiorem infundere gratiam, quam alteri. Non enim videtur cur Deus ante omnem actum gratiam, & virtutes poſſit infundere, non autem poſtea, nullo poſito obice, augere. Item certum eſt, quod de facto, quando primo infunditur gratia ſanctificans adultis, eorum diſpoſitio per antecedentes actus diuino elicitos auxilio, ſit menſura talis gratiæ infundendæ, in tali etiam, vel tali intenſione, iuxta definitionem Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 7. docentis iuſtitiam vtrumque recipere ſuam, *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis pro vt vult; & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Quare præſens difficultas ad hoc reducitur, an etiam in augmento gratiæ, & virtutum, noſtri actus non ſolum concurrant meritoriè, vt omnes admittunt, & ſtatim oſtendetur, verum etiam phyſicè, aut tanquam diſpoſitiones proportionantes ſubiectum phyſicè ad illud nouum augmentum ſuſcipiendum. Pro quo dico, ſi in huiuſmodi actibus, vel diſpoſitionibus ad augmentum gratiæ, & virtutum aliqua intelligatur cauſalitas effectiua, omninò admittendam non eſſe, cum ſolus Deus ſit cauſa efficiens principalis, Sacramenta autem inſtrumentalis gratiæ, & virtutum ad illam ſequentium. Quare licet actus contritionis, vel attritionis, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ concurrat inſtrumentaliter phyſicè, tam ad productionem gratiæ in eo, qui tunc iuſtificatur,

catur,

catur, quam ad augmentum eiuſdem in eo, qui iam iuſtus accedit ad hoc Sacramentum, extra illud tamen huiuſmodi actus, vel ſimiles talem non habent concurſum, neque ex inſtitutione Dei, nullum ſiquidem fundamẽtum eſt aſſerendi, eum vti noſtris actibus tanquam inſtrumento ad gratiæ, vel virtutum productionem; neque etiam ex natura rei, quia eo ipſo, quod à Deo non eleuantur tanquam à principali cauſa, talem ex ſe non habent vim effectiuam, neque reſpectu primæ productionis gratiæ, & virtutum infuſarum, neque reſpectu augmenti earumdem; quod enim is, in quo tale fit augmentum, iam habeat illas, non facit quod actus eius phyſicè efficienter illud cauſent, ſed ſolum quod abſolutè, & ſimpliciter, ſiue de condigno illud mereantur, quod meritum non reperitur in actibus primam gratiæ productionem antecedentibus, ſed ad ſummum de congruo, vel ſecundum decentiam, vt alibi explicuimus.

At ſi nomine diſpoſitionis quaſi phyſicè intelligatur proportio actus ad augmentum gratiæ, & virtutum, non fundata in ſolo valore meriti ſimpliciter, ſed in proportione intenſionis vnius ad intenſionem alterius; ſiue quod, licet actus, diſpoſitioneſque in illis fundatæ non ſint cauſa phyſica augmenti efficiendo illud, tamen Deus non auget phyſicè formam, niſi poſitis ex parte ſubiecti illis diſpoſitionibus, ſeruatque eundem in augendis formis ſupernaturalibus modum, quem in acquiſitis, excepto quod actus effectiuè non cauſant formam ſupernaturalem, vel augmentum illius, in hoc ſenſu omnino admitti debet, ordinari actus noſtros ad augmentum gratiæ, & virtutum infuſarum in illa fundatarum, quæque ſicut non poſſunt aliter produci, quam ad productionem gratiæ, & per emanationem ab illa, ita non aliter poſſunt intendi, quàm ad intenſionem eiuſdem gratiæ, ita vt illarum augmentum ex augmento iſtius dimanet, non ſolum per modum meriti ſimpliciter talis, verum etiam per modum diſpoſitionis, ſiue quod præter meritoriam in illis diſpoſitionem, detur inſuper alia per modum proportionis intenſionis habitus, ad intenſionem actus; vt expreſſè docet Diuus Thomas in 1. diſt. 17. q. 2. art. 3. nec non in 2. diſt. 27. q. 1. art. 5. ad 2. Cuius ratio eſt primò. Quia actus noſtri habent hanc proportionem, & rationem diſpoſitionis non meritoriæ; ſed phyſicæ reſpectu gratiæ, & virtutum, quando primo infunduntur, vt docet Concilium Tridentinum loco ſuperius citato; Ergo licet ijdem actus, quando in iuſto procedunt à charitate; vt iuſtificetur adhuc, obtineant rationem meriti, quia procedunt à ſubiecto digno, non propterea debent amittere rationem illam diſpoſitionis, & proportionis phyſicæ, cum illam habeant ex natura ſua. Atque adeo ſi eam ſemel habent, vt de facto habent in prima gratiæ infuſione, ſemper eam habebunt, & conſequenter etiam in eius augmento. Secundò, cum in ſupernaturalibus id etiam aſſerere debeamus, quod magis connaturale, magiſque proportionatum eſt naturis rerum, niſi per diuinam aliter reuelationem conſtiterit, nam gratia non deſtruit, ſed perficit naturam; connaturale autem ſit actibus noſtris, quod diſponant phyſicè, & non ſolum meritoriè, vt conſtat in prima infuſione gratiæ, cuius quantitas, ſeu intenſio in adultis menſuratur penes diſpoſitionẽ actuum non meritoriè, ſed phyſicè: connaturale quoque ipſis, gratiæque per illos augendæ eſſe debet, vt non ſolum habeant proportionem moralẽ, verum etiam phyſicam; perfectio ſiquidem, & ratio gratiæ diuinæ, aut charitatis non conſiſtit ſolum in æſtimatione extrinſeca, ſicut munus à Rege datum, quod æſtimatur quia datum à Rege, & non ratione entitatis ſolum; verum ſunt formæ reales, & phyſicæ, quorum valor, & augmentum intrinſecè ſubiecto inhærent; proptereaque

ſicut

ſicut illis connaturale eſt, vt, quando introducuntur in ſubiecto adulto diſpoſitiones præuiæ, per phyſicam menſurationem diſponant; ita quoque dicendum eſt, non eſſe minus illis connaturale, vt quoties phyſicè augentur in eodem ſubiecto, phyſicam etiam proportionem exigant, & ſupponant in diſpoſitionibus, & non moralem tantum.

Vtrum autem iſta proportio phyſica ita in omnibus ſeruetur, vt non ſufficiat operari ſecundum totum conatũ charitatis præcedentis, vt illi cæteriſque virtutibus detur augmentum, ſed requiratur quod actus excedat habitum præcedentem, & proportionetur augmento introducendo? Item utrum actus iſte intenſior augeat habitum ſecundũ totam ſuam latitudinem; an verò ſecundum illud in quo excedit? V. g. habet quis charitatem, aliamque virtutem infuſam vt quatuor, & elicit actum vt quatuor, qui eſt ſecundum totam virtutem talis habitus; difficultas eſt an iſte actus ſufficiens ſit, vt de facto detur aliquod augmentum ſupra habitũ præcedentem; an verò ſemper requiratur actus excedens V. g. vt quinque, aut ſex ſupra quatuor? Et caſu, quo requiratur talis actus excedens, Vtrum augeat habitum præexiſtentem ſolum quantum ad illam partem exceſſus, V. g. actus vt ſex habitum vt quatuor ſolum augeat in duobus, An verò ſecundum totam ſuam latitudinem, ita vt poſito actu vt ſex perficiatur, & augeatur ille habitus vſque ad decem? Circa hæc enim varia ſunt Theologorum placita. Qui enim requirunt actũ duntaxat per modum meriti, conſequenter aſſerunt neceſſariam non eſſe proportionem eius excedentem, vel æqualem, ſed ſolum meritoriam, vt ſtatim augeatur habitus. Ex his verò, qui admittunt eumdem actum requiri etiam per modum diſpoſitionis proportionantis ſubiectum, nonnulli exiſtimant ad augmentum habituum de facto ſolum requiri actum æqualem habitui præcedenti, ita quod homo operetur ex tota illius virtute, putantes iſtam proportionem quaſi phyſicam non eſſe in toto rigore ſumendam, ſed tantum ſecundum quamdam ſimilitudinem, vel analogiam, ita vt homo operetur totum quod poteſt, ſiue in nullo deſit gratiæ diuinæ per negligentiam; & ita poſita iſta conditione augeatur habitus.

Verum alij probabilius cum Diuo Thoma in 1. diſt. 17. q. 2. art. 3. ad 4. & 2. 2. q. 24. art. 6. in corp. & ad 2. docent abſolutè, requiri ad augmentum charitatis, virtutumque infuſarum, non ſolum actũ æqualem habitui præexiſtenti, ſed etiam illum ſuperantem, & æqualem augmento introducendo, quodque proinde bene vti gratia accepta in hunc finem, non ſolum intelligatur de gratia accepta habituali, verum etiam actuali, qua per auxilium mouetur homo ad perfectius augmentum. Et ratio eſt, quia non poteſt cõcipi, quod requiratur diſpoſitio per modum proportionis vltra rationem meriti, vt expreſsè affirmat D. Thomas locis citatis, niſi fiat illa proportio ſecundum exceſſum, quia augmentum habitus eſt exceſſus illius; proindeque idem prorſus eſt habere proportionem ad augmentum habitus præexiſtentis, ac habere proportionem ad exceſſum: Eo igitur ipſo, quod actus æqualis eſt tantum habitui præexiſtenti, non poteſt menſurare aliquid ſupra talem habitum, quod pertinet ad augmentum illius, niſi forte in ratione meriti, cum tamen Diuus Thomas affirmet, noſque ſtatim probauerimus, non ſolum habere rationem meriti, ſed etiam diſpoſitionis in toto rigore ſeruandæ, & non ſecundum quandam duntaxat ſimilitudinem.

Quantum ad ſecundum punctum, iuxta hanc quoque ſententiam Diui Thomæ, dicendum eſt, non poſſe intelligi augmentum charitatis, & ad augmentum illius cæterarum virtutum infuſarum, fieri ſupra habitus præexiſtentes

ſtentes earum ſecundum totam latitudinem actus diſponentis; quia non tota huiuſmodi latitudo eſt proportionata augmento à Deo infundendo, ſed habitibus præexiſtentibus. Vt ſi habens charitatem vt quatuor eliciat actum vt ſex ex auxilio diuino, cum iſte actus quantum ad primos quatuor gradus ſit æqualis cum habitu præexiſtente vt quatuor, tantumque ſuperet illum in exceſſu, qui eſt à quatuor ad ſex, non poteſt habitus augeri per illum niſi duobus gradibus excedentibus, ſiue actus vt ſex habitum vt quatuor ſolum auget in duobus, non verò ſecundum totam latitudinem, ita vt poſito actu vt ſex augeatur ille habitus, vt decem; ſiquidem eſt idem diſponere ad augmentum, ac diſponere ad exceſſum habitus, ſi igitur talis actus ſecundum totam ſuam latitudinem non diſponit ad exceſſum, neque ad augmentum habituum.

Quod contra dicta aliqualem poteſt facere difficultatem, eſt, quod homo iuſtificatus per quemlibet actum charitatis, virtutumque infuſarum ab ea imperatum, etiam remiſſum meretur augmentum gratiæ de condigno, atque adeo debere dari illi tale præmium independenter à quacumque phyſica diſpoſitione; ſed hæc difficultas modo explicabitur.

Quinto interim dico, actus virtutum infuſarum quoſcumque non ſolum non producere, neque augere effectiuè ipſas virtutes, ſed neque etiam producere aliquem alium habitum vel naturalem, vel ſupernaturalem. Quamuis enim aliqui, etiam D. Thomæ diſcipuli eiuſdem teſtimonio conuicti quæſt. 17. de Veritate art 1. ad 4. ſecundi ordinis; vbi ait; *Ex actibus infuſæ charitatis generari aliquem habitum dilectionis*, exiſtiment huiuſmodi habitum eſſe naturalem & acquiſitum, manereque in peccatoribus poſt gratiam amiſſam; nihilominus oppoſita ſententia eſt cõmunior in ſchola D. Thomæ, videturque conformior eius menti 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3. vbi ait, quod actus qui procedunt ex habitu infuſo, non cauſant aliquem habitum, *ſed confirmant præexiſtentem*, diſponendo ſcilicet ad eius augmentum, vt diximus. Et quæſt. de Virtut. art. 10. ad 9. *quod actus virtutis infuſa non cauſant aliquem habitum, ſed per eos augetur habitus præexiſtens*, cum loco citato de Veritate, ſi contrarium dicat, illud ſolum afferat in exemplum, & ſub diſiunctione dicens, quod vel generatur aliquis habitus, vel præexiſtens augetur. Ratio autem eſt, quia ſi talis habitus eſſet ſupernaturalis, nõ eſſet quomodo diſtingueretur à virtute infuſa, quam conſtat non poſſe effectiuè produci, vel augeri noſtris actibus. Naturalis verò produci non poteſt per actus virtutis infuſæ, quia cum iſti ſint quo ad ſubſtantiam ſupernaturales, ſi quem habeant effectum immediatum, ac per ſe, debet ad eumdem ordinem pertinere. Si quidem actus non generant per ſe, aut immediatè niſi habitus ſimiles, & in ordine ad idem formale obiectum: atque adeo per actus ſupernaturales, habenteſque ſupernaturale obiectum non poteſt acquiri, vel cauſari immediatè habitus naturalis, cuius obiectum omnino naturale eſſe debet. Dictum eſt, immediatè, aut per ſe acquiri non poſſe per actus ſupernaturales charitatis, aliarumque virtutum infuſarum habitum naturalem, loquẽdo de actibus ſupernaturalibus ab illis elicitis, ſubſtantialiter talibus, quia ſi loquamur de imperatis tantùm, quique quoad ſubſtantiam ſunt ordinis naturalis, & quoad modum ſolum ſupernaturalis, valde probabile eſt per huiuſmodi actus generari aliquem habitum dilectionis, ſiue amicitiæ naturalis, nec non aliarum virtutum, ſicut per alios actus merè naturales generantur aliæ virtutes acquiſitæ, quique conſequenter dicatur effectus veluti mediatus actuum ſupernaturalium elicitorum. Per quos etiam dici poteſt habitum iã infuſum confirmari, non quidem intrinſecè, aut quaſi ab ipſis aliquem

gradum

gradum intenſionis recipiat: ſed extrinſecè, quia per illos tolluntur impedimenta ad bonum, & inclinationes ad malum; vel ſaltem actualia peccata: quibus ſublatis virtus non poteſt non manere firma: quia non eſt per quod excludatur, vel minuatur.

Sexto tandem, & vltimo ſupereſt explicandum, quomodo per actus virtutum infuſarum, etiam remiſſos fiat earumdem augmentũ. quale, & quando. Cum enim certum ſit apud omnes ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 24. & & 32. iuſtos bonis operibus, (inter quę ſine dubio computari debent actus virtutum remiſſi, vt dicemus in fine huius capitis) non ſolum mereri vitam æternam, ſed etiam augmentum gratiæ, cũ, inquam, id certum ſit in genere, ac veluti abſtrahendo, an tale augmentum ſit eſſentiale quoad intenſionem, vel accidentale ſolum? an ſit diſtinctum ab eo, quod feruẽtiori actui reſpondet, vel non? an detur nouo titulo, vel ſit noua res? item, quo tempore detur? De his tamen omnibus in ſpecie, vt liberam Theologi habent opinandi facultatem, ita quoque variæ ſunt eorumdem ſententiæ, primo circa actus meritorios; ſecundò circa qualitatem augmenti, quod eſt quaſi prę mium eorumdem, ac tertio circa tempus, quo datur.

Quantum igitur ad primum, ratio meriti augmenti gratiæ, & charitatis non ſolum competit actibus ab ea eliciris, verum etiam actibus imperatis, elicitiſque ab alijs virtutibus; ratio eſt, quia quicquid meretur vitam æternã, etiam mereri poteſt augmentum gratię, vtrumque enim parificat Conciliũ locis citatis, & cap. 10. explicans incrementum iuſtificationis ait, quod *Iuſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apoſtolus dicit, de die in diem, hoc eſt mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mandatorũ Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtificantur.* Sed mortificatio carnis pertinet ad virtutem temperantiæ, ſicut & obſeruatio mandatorum Dei, & Eccleſiæ ad alias virtutes, de quibus dantur huiuſmodi mandata, vel præcepta; Ergò, ſi per huiuſmodi virtutum exercitium meremur vitam æternam, nec non iuſtitiæ augmentum, quæ non habetur niſi per gratiam, & charitatem, manifeſtè patet nedum per actus à charitate elicitos fieri eius, vel gratiæ augmentum, verum etiam per actus elicitos aliarum virtutum, à charitate tamen imperatos, tanquam per diſpoſitionem meritoriam, non autem phyſicam, quia ſunt alterius ſpeciei, & licet eſſet phyſica diſpoſitio, multo magis meritoria.

Aduertendum eſt tamen ex D. Thoma 1.2. q.114. art.4. ita præmium vitæ æternæ, & augmenti gratiæ pertinere ad alias virtutes, vt id competat ipſis ſecundariò, charitati autem primariò. Circa cuius tamen dicti intelligentiam variæ ſunt Theologorum placita; aliqui enim ſic illud intelligunt, quod actus aliarum virtutum primo, & per ſe, & ex ſubſtantia operis nullo modo promerentur præmium eſſentiale, nec conſequenter augmentum gratiæ, ſed tantum præmium aliquod accidentale, id eſt gaudium de bono creato: Alij verò admittunt id quidẽ verum eſſe, ſi pręſcindatur ab illis actibus motiuum charitatis, & ſolum conſideretur attingentia proprij obiecti, at ſi ſpectentur vt mouentur, vel dignificantur à charitate, mereri etiam præmium eſſentiale, non quidem primariò, ſed ſecundario. Dixi, vel dignificantur, quia ad hanc rationem meriti exiſtimant nonnulli ſufficere, quod actus procedat à ſubiecto dignificato per charitatem, ſeu concomitanter ab illa, ſine vllo alio influxu, etiam virtuali; quem ſaltem alij indiſpenſabiliter requirunt; adhuc tamen in hoc diuiſi, quod aliqui ita influxum charitatis ſal-

tem virtualem expetunt in actibus aliarum virtutum, vt quando earum obiectum eſt excellentius, vel actus intenſior, aut maioris difficultatis victor, ſint magis meritorij præmij eſſentialis, etſi à maiori charitate non procedant; valde enim abſurdum reputant, ſi ex æquali charitate v.g. vt quatuor det aliquis denarium pauperi, alter autem patiatur martyrium, iſtos duos eſſe æqualis meriti eſſentialis, ſed qui patitur martyrium, debere eſſe maioris, adeoque etiam eſſentialem rationem meriti ſumi ex maiori obiecti vel actus aliarum virtutum excellentia, & non commenſurari præcisè charitati, vt maior debeat eſſe, ad maius earum meritum eſſentiale.

Verum alij oppoſitum tenent, licet enim per ſe loquendo, quanto aliquod opus virtutis moralis de ſe eſt excellentius, ac difficilius, maiori indigeat charitate, à qua imparetur, vnde Ioan. 15. ait Chriſtus: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; & tamen poſitio animæ eſt opus, vel actus fortitudinis; Nihilominus, quia iſta etiam opera ita excellentia aliquando fieri poſſunt ſine charitate, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, & ſi diſtribuero omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*, indè manifeſtè ſequitur, ea quoque fieri poſſe à minori, & imperfectiori charitate, ſumiturque argumentum pro hac ſententia: Si illa opera fiant ſine charitate nihil proſunt; ergo ſi fiant à parua charitate parum proſunt; & ita ſi aliquis ex parua charitate ſuſtineat martyrium, alius autem ex magna charitate det panem pauperi; iſte ſecundus plus merebitur de præmio eſſentiali, quia magis illi prodeſt charitas; aut æqualiter ambo merebuntur, ſi habeant eamdem charitatem, cui commenſuratur eſſentialis beatitudo, licet in præmio accidentali, & aureola Martyrij lōge ſuperet Martir propter excellentiorem actum fortitudinis.

Præfatis inſuper actibus nedum quoad ſubſtantiam conſideratis, verum etiam quoad durationem, & multitudinem, ſimileſque circumſtantias nouum valorem competere, & conſequenter nouum etiam augmentum pro præmio correſpondere, concedunt omnes fere Doctores, licet diuerſimodè explicent. Qui melius, aduertunt in continuatione actus dupliciter poſſe hominem procedere. Primo ex electione ipſius continuationis, id eſt intendendo, & eligendo ipſam continuationem, vel durationem, vt qui eligit v.g. per vnam horam orare; quo pacto D. Thomas 2.2. q. 137. art. 1. ad 3. docet perſeuerantiam eſſe virtutem ſpecialem, quando ex propria intentione finis perſiſtit in bono. Secundò poteſt aliquis de facto continuare actū alicuius virtutis abſque eo quod procedat electio continuandi, id eſt, exercendo continuationem, aut de facto continuando, quamuis non ſit intenta, nec electa ipſa continuatio. Igitur loquendo de continuatione primo modo ſumpta, certum eſt, totum meritum continuationis poſſe ſaluari in illo primo actu, quo quis efficaciter, & applicuit ſe ad illum continuandum; talique modo continuatio ipſa pertinet ad ſubſtantiam actus, quia eſt obiectum ſpecificans illam electionem; actuſque exterior, vel exercitus nouam non addit bonitatem, vel meritum bonitati actus interioris, quantum ad illam bonitatem, quæ ex ipſo actu interiori participatur, iuxta doctrinam D. Thomæ 1.2. q. 20. art. 4. niſi vel actus multiplicetur, vel magis extendatur in duratione, vel creſcat in intenſione; tunc autem cum non magis extendatur in duratione, quia illa duratio fuit obiectum intentum, & electum, ideo nihil ſuperaddit actus exterior, vel exercitus continuationi intentæ, & electæ, niſi excedatur: Illaque electio, qua quis vult continuare actum v. g. per horam, ita eſt perfecta, vt ei æquiualeat multiplicatio actuum interruptorum in illa

illa hora, ſi quidem vult aliquid, in quo totum horum actuum tempus includitur, & aliquid amplius, nimirum, id quod continuat, vincendo maiorem difficultatem ex diuturnitate prouenientem.

At ſi continuatio actus ſecundo ſpectetur modo, ſic ille actus ſimpliciter eſt melior, qui eſt diuturnior, ex Diuo Thoma loco citato, ita quod illa continuatio, vel diuturnitas addit rationẽ bonitatis ad primam productionẽ actus quia voluntas redditur melior. Et hic eſt vnus caſus, ex eodem D. Thoma, quo actus exterior addit bonitatem interiori, ſi quis propter impedimentum aliquod ab actu deſiſtat, alius verò illum continuet, iſte enim ſimpliciter eſt melior, quia diuturnior, conſequenter plus meretur, qui in vno cõtinuat actu virtutis per horam, quam qui plures actus interruptos elicit. Vtrum autem iſta diuturnitas excedat in merito primam productionem actus, quo ad ſubſtantiam, ſolus ſcit ponderator ſpirituũ Dominus; ſecundum tamen moralem æſtimationem, aliquando tam magna dari poteſt continuatio, vt in difficultate, & in perfectione primam ſine dubio productionem ſuperet, aliquando verò tam parua, vt ſuperetur. Similiter vtrum cuilibet rationi concurrenti ad conſtituendum actum meritorium, ſiue ſit per modum partis, aut gradus, ſiue per modum circunſtantiæ correſpondeat diſtinctum præmium, & diſtinctum charitatis augmentum, ſiue ſtatim, ſiue ſuo tempore dandum, difficile eſt definire, ſufficitque ſcire, quod, cum ratio meriti penſetur ex morali æſtimatione, & in merito præmij eſſentialis exiſtimatio, & valor deſumatur ex perfectiori charitatis influxu, non eſt cur ratio meriti ſic diuidatur, & cuilibet rationi, vel circunſtantiæ actus ad meritum concurrenti aſſignetur nouum præmium, & augmentum; ſed intelligendum eſt, omnes rationes ad meritum concurrentes à charitate imperari, & formari, nec non ad eius perfectionem creſcere valorem meriti, in actibus quidem immediatè elicitis à charitate per eam ſolam; in actibus autem imperatis, informando per imperium omnes ipſorum rationes, & circumſtantias; vnde ex omnibus illis coaleſcit vnum meritum, & correſpondet vnum augmentum, cuius valorem in indiuiduo ſolus ſcit Deus, ponderator ſpirituum, omniumque bonorum remunerator operum.

Quantum ad alia duo, quando nimirum, & quomodo detur de facto augmentum pro actibus remiſſis; duæ ſunt principales ſententiæ. Qui enim in illis conſiderant tantum rationem meriti condigni, volunt ſtatim, ac elicitur actus meritorius ſiue remiſſus, ſiue intenſus, dari augmentum gratiæ, quod meretur. Qui autem in illis attendunt ad rationem diſpoſitionis, qua ſubiectum debet proportionari formæ infundendæ, admittunt actus remiſſos mereri quidem augmentum gratię, ſicut & vitam æternam, eam tamen non ſtatim dari, ſicut nec vita æterna ſtatim redditur, ſed ſuo tempore, vt ait Diuus Thomas 1.2. q. 114. art. 8. ad 3. quod tempus deſignat 2.2. q.24. art. 6. ad 1. ſcilicet quando quis conatur ad profectum charitatis, & prorumpit in actum feruentiorem, vel in hac, vel in altera vita; ita vt, qui elicit plures actus remiſſos, ſi nunquam eliciat actum feruentiorem, nunquam recipiet augmentum eſſentiale ipſius gratiæ, quia actibus remiſſis non debetur illud augmentum, niſi eo modo, quo merentur illud: merentur autem ſecundũ dependentiam, & coniunctionem ad actum feruentiorem, vnde illo ſublato, aut non dato, non dabitur augmentũ; ſiquidẽ talis actus eſt cauſa quaſi proximè, & vltimatè determinans, actus autem remiſſi præcedentes tanquam cauſæ, & diſpoſitiones remotæ reſpectu eiuſdem augmenti. Sic ergo actus remiſſus tria mereri dici poteſt. Primò gratiam ſuæ latitudini correſpondentem, quam ſi non reperit in ſubiecto,

cto, dabit illam, ſi verò reperit, non dabit, ſed eamdem nouo titulo, qui tamen titulus non eſt ſuperfluus, ſicut nec actus eiuſdem rationis, & intenſionis. Sicut enim ſe habet meritum infinitum in Chriſto ad exhauriendum præmium, ita proportionaliter ſe habet quilibet actus remiſſus ad formam vnius, & eiuſdem intenſionis, & rationis. Secundo meretur præmium accidentale; nec non tertio eſſentiale, ſeu augmentum gratiæ; ſed eo modo meretur, quo diſponit, ſcilicet non determinatam partem augmenti ſeorſim ab actu feruentiori, merendo, ſed concurrendo cum actu feruentiori ad merendum augmentum, quod per ipſum determinatur proximè, & vltimatè. Quæ omnia ſufficit breuiter inſinuaſſe, prolixior enim horum tractatio non eſt huius loci.

Satis igitur eſt ad præſens inſtitutū ſcire, nos per quemlibet virtutis actum, etiam remiſſum promereri poſſe; conſequenterque per illos nos diuinæ non deeſſe gratię, aut in nobis vacuam eſſe, qui illa vtimur, etiam eliciendo actus virtutum remiſſos, cum nō ſint præcepti, ſed conſilij duntaxat, maioriſque perfectionis, aut æquales, aut feruentiores elicere. Vtrum autem ſit de fide, quęmlibet actum virtutis etiam remiſſum eſſe meritorium augmenti gratiæ, affirmant aliqui, fuiſſeque definitum à Tridentino ſeſſ. 6. can. 32. anathematizante, dicentem, *hominem iuſtificatum bonis operibus &c. non mereri augmentum gratiæ vitam æternam, &c.* verum cum ibi Concilium non poſuerit expreſsè, *omnibus bonis operibus*, non videtur alijs eſſe expreſsè de fide. Quia tamen eſt propoſitio indefinita, & doctrinalis, quæ æquiualet vniuerſali, habet fere eamdem certitudinem quaſi ęquiualenter. Sicut & quando definit c. 26. *nihil deeſſe operibus factis in gratia*, cuiuſmodi ſunt actus charitatis, & virtutum infuſarum etiam remiſſi, *quominus vitam æternam promeruiſſe dicantur*, & conſequenter augmentum reliquit Theologorum diſputationi, quomodo mereantur, & dependeat, vel non dependeat hoc augmentum, vt de facto detur, ab aliqua conditione, vel diſpoſitione feruentioris actus, vt vult D. Thomas, & communiter explicant eius diſcipuli.

CAPVT XIII.

De purgatione, vel mortificatione propria Proficientium.

QVod attinet primo ad purgationem actiuam, vel mortificationem proficientium propriam, in hoc maximè conſiſtit, & differt ab illa incipientium, quod proficientes animæ à peccatis etiam leuioribus, quæ venialia dicuntur, deliberatè factis purgandę, atq; adeò affectu ad illa, totas vires adhibere debent. Vt enim, quæ ex ſubreptione fiunt, & quorum purgatio ſpectat ad viam vnitiuam perfectorum, non tam ex affectu ad illa, quam ex ignorantia, & infirmitate naturæ proueniunt, ita quę ſponte, liberè, & de induſtria committuntur, non poſſunt non ſuam habere originem ex malitia, nimioque, licet veniali ad aliquam creaturam affectu.

Sic igitur prima cura, præcipuumq; proficientium ſtudium in his purgandis eſſe debet, ſeu in abnegatione aduerſus dicta peccata venialia, affectumque ad illa. Quamuis enim huius generis peccata vitam ſpiritualem, ſicut mortalia non extinguant, periculum tamen eſt maximum, ne ad iſta incautos miserè diſponant, ac pertrahant; certum autem ſolis iuſtitiæ fulgorem nobis obumbrare, & calorem inde prouenientem diminuere: hoc eſt actualis gratiæ cæleſtes fauores illuſtrationes, inſpirationeſque diuinas. Vndè cum via illuminatiua proficientium ſic à Salomone deſcribatur Prouerb. 4. 18. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem*; ſitque illa eadem, quam ibidem

v. g. commendat dicens: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis: quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum*; manifeſtè patet, quam neceſſaria ſit proficientibus horum peccatorum expurgatio, ob moram, & tarditatem, quam illis afferunt, ne pergant, vt inceperant, & vt par eſt, in virtutum curriculo, quod ſunt ingreſſi: ſunt enim peccata venialia veluti compedes quidam inducti in pedes proficientium, quibus arctantur greſſus eorum; vel offendicula, quibus vel in via reſiſtunt, vel certè ingrediuntur tardiſſimè.

Cum autem ex ſtatim, & alibi dictis duo ſint peccatorum venialium genera, Primum eorum, quæ ſponte omninò, & liberè, atque adeò de induſtria, & plena animi deliberatione fiunt. Alterum eorum, quæ ex ſubreptione, vel ſubito quodam impulſu, dum in præſenti aſſerimus propriam perficientium purgationem in ea conſiſtere mentis puritate, qua à venialibus ſe præſtent liberos, id non eſt intelligendum de omnibus his peccatis; ſine gratia enim extraordinaria, & ſingulari priuilegio, quod vni Beatiſſimæ Virgini conceſſum eſt, nullus nec proficiens, nec perfectus ita venialia omnia ſuperare poteſt, vt longo tempore immunis perſiſtat, & nullum incurrat. Nam *Si dixerimus*, inquit S. Ioannes epiſt. 1. *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Siquidem in ſtatu naturæ lapſæ, attenta in homine inter ſuperiorem, & inferiorem partem diſſenſione, tamque pertinaci huius, qua parere debet, aduerſus rationis imperium rebellione, nec non ſuperioris in intellectu obſcuritate, & in voluntate infirmitate, in eius poteſtate ſitum non eſt cum ſolis gratiæ donis, quæ ordinariè conferuntur, ita continuò excubare, tam aſſidua animi contentione aduigilare, tot, & tam continuis, & importunis, ſubitoq; irruentibus affectibus tam perfectè repugnare; vt aliquando, etſi vltro, & deliberatè hoſtem non admittat, non remittat tamen aliquid, ſiue de tanta rationis vigilantia, ſiue de animi contentione, & ſic voluntas tædio debilitata iam tepeſcat, iamque cum negligentia, atque adeò cum peccato veniali tentationibus reſiſtat; minima enim negligentia eſt peccatum veniale: cum hoc peccati genus non requirat plenam aduertentiam rationis, aut deliberationem.

Quod adeò verum eſt, vt Apoſtoli, licet confirmati eſſent in gratia, ne peccarent mortaliter, potuerint tamen peccare, & peccarint aliquando venialiter, vt ad illud Iacobi 3. v. 2: *In multis enim offendimus omnes*; & Ioannis 1. cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniã peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, aduertunt Sacri Interpretes; hoc enim, quod aiunt, *offendimus*, & *habemus*, in prima perſona, ſatis ſignificare videntur, ſe quoque, æque, ac cæteros Apoſtolos habuiſſe peccata, non quidem mortalia, quia confirmati in gratia, ſed venialia, ſaltem ex ſubreptione commiſſa. Inde pariter de S. Franciſco multiſque alijs Sanctis legitur, quod aſſiduè ſe vocarint peccatores; Sanctuſque Franciſcus Borgia ſuis epiſtolis non aliud ſubſcribebat, quam Franciſcus peccator, ex Petro Ribadeneira in eius Vita: De alijs verò, optaſſe liberari hoc exilio, & tranſire ad Chriſtum, vt hanc eum offendendi non mortaliter, ſed venialiter miſerabilem neceſſitatem euaderent. Quamuis enim ſinguli actus, & lapſus ſint liberi, ideoque in hominis poteſtate tam phyſica, quàm morali ſit eos euitare, tamen omnes ſimul ſumpti non ita ſunt in hominis iuſti poteſtate, vt cum auxilio ſpeciali, quod ordinariè confertur, ſine ſingulari, & ſpeciali priuilegio ſoli Beatiſſimæ Virgini conceſſo, ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 23. omnes vitare poſſit. Ideoque libertas vitandi peccata venialia, dicitur eſſe ſingulorum, neceſſitas verò peccandi aliquan-

quando, eſt omnium copulatim, & ſimul ſumptorum, non quidem phyſica, ſed moralis. Nec inde, quod homo iuſtus tantummodo moraliter hanc à lapſu veniali immunem integritatem præſtare non poteſt, phyſicè tamen poteſt, inde, inquam, non ſequitur, ei non eſſe abſolutè impoſſibile,ac proindè fieri poſſe, vt aliquis in toto genere humano, per auxilium Dei commune euitet omne prorſus peccatum veniale. Cum enim dicitur hominem moraliter hoc non poſſe, non ſic intelligendum eſt, quaſi aliquo modo, raro tamen, aut nonniſi cum ſumma difficultate fieri poſſit, vt homo omne omnino peccatum caueat; ſed quia non caret poteſtate intrinſeca, puta libertate, & voluntate phyſica, quæ ſecundum ſe cum diuina gratia ſufficiens eſt ad hoc præſtandum; Verum cum in ſtatu naturæ lapſæ, tot difficultatibus, & mutationibus ſit obuallata, nec auxilium omne gratiæ, quod Deus ordinariè confert, tollit concupiſcentiam, vt patet in S.Paulo Rom.7. & 2.Corinth. 12. 9. & conſequenter non impedit omnes motus rationem præuenientes, quibus rapiuntur in illicita; quique cum varij ſint, & pene innumeri, ac dum vnum ſuperamus, exurgit,& quaſi ebullit alius,& alius quaſi continuè, propterea dicitur moraliter eſſe impoſſibile, vt per auxilium ſpeciale ordinarium, quod etiam Sanctiſſimis cõfertur, homo euitet in tota vita, imo ad vnum annum, vt limitant aliqui, omne peccatum veniale, licet phyſicè poſſit.

Qui ergo Magiſtri Myſtici,ſeu ſpirituales hanc docerent impeccabilitatem, ſine dubio damnandi eſſent, annumerandique Simonianis, & Gnoſticis,quos D. Iacobus, & Ioannes locis citatis perſtringunt, nec non alios illius qui hæreticos aſſerentes, ſolam infidelitatem eſſe peccatum: fideli autem omnia eſſe munda, etiam ſi turpiter viuat: Quod idem hoc ſeculo docuit Lutherus, & Libertini, Beguardi verò, & Beguinæ cenſuerunt ſe,ſuique ſimiles ad tantam poſſe perfectionem aſcendere, vt fiant impeccabiles,quantacumque tentatio exurgat. Pelagius quoque aliquando docuit peccata omnia, etiam venialia, ſine gratia Chriſti, ſolis naturæ viribus poſſe vitari; multoque magis cum tali gratia,quam poſtea admiſit. Contra quem liber Diuum Auguſtinum audire lib. de nat. & grat. cap. 36. *Excepta*, inquit, *S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem; inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta,ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viuerent congregare poſſemus, & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato,quid fuiſſe reſponſuros putamus? vtrum hoc quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus, Rogo vos, quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nonne vna voce clamaſſent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et Sanctus Gregorius homil. 39. in Euang. *Sine culpa*, ait, *in mundo eſſe non potuit, qui in mundum cum culpa venit.*

Verùm licet nec proficientes, nec etiam perfecti poſſint, nec conſequenter debeant vitare omnia prorſus peccata venialia, quæ tamen ſponte, & liberè, & cum plena deliberatione, ſiue de induſtria committuntur,non tantum ſingula, ſed omnia cum auxilio ſpeciali gratiæ ordinario, hoc eſt diſtincto à ſpeciali, & ſingulari priuilegio caueri poſſe, nonnulli docent Theologi abſq; vllo erroris periculo, ideoque votum emitti poſſe de huiuſmodi peccatis non perpetrandis, quamuis id promiſcuè non expediat. Quæ enim adduximus loca ex D. Ioanne, & Iacobo, aliaque ſimilia facilè intelligi poſſunt de omnibus peccatis venialibus in genere, hoc

hoc eſt tam deliberatè, quàm ex ſubreptione factis, nec etiam aliud probant rationes ab alijs adductæ contra impeccabilitatem. Quod tamen omnibus ferè certum videtur, eſt, non quidem per totam vitam, ſed ad aliquot annos, hæc peccata cum ſpeciali gratiæ auxilio ordinario vitari poſſe; & ita de facto videtur S. Ioannes Baptiſta ea vitaſse, de quo canit Eccleſia, quod à puero fuerit in deſertum, *Ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet*. Idem fortè dici poſset de S. Paulo Primo Eremita, & Antonio, alijſque ſimilibus Sanctiſſimis Viris.

Primus ergo proficientium labor circa venialia, propriaque eorumdem purgatio actiua eſt, ſeriò proponere, illa omnia vitare, quæ ſponte, liberè, & de induſtria committuntur. Nec enim id ab ordinarijs gratiæ diuinæ viribus ita alienum, vel remotum eſt, vt iuſti maximè qui verè ad perfectionem aſpirant, & tendunt, & ad minimam conſequenter peccati vmbram exhorreſcere ſolent, ſi apertè peccati turpitudinem intueantur, illico diffugere,& ſe ſe ad Deum conuertere nequeant, ſi non per totam viram, ſaltem per plures annos. Vt autem huiuſmodi peccata proficienti charitati aduerſantia, ſicut eidem incipienti aduerſatur mortale, eaſdem planè cauſas habent,quas mortale; nam vel ex effræni voluntatis libertate, & nimia in bona terrena propenſione,vt proxima cauſa exoriuntur; vel ex intellectus tenebris, & defectu luminis practici; vel ex paſſionum non ſatis domitarum impulſu; vel ex complexionis, aut conſuetudinis inolitæ vitio; vel ex occaſionum externarum illecebris, dœmonumque tentationibus promanant; idcirco ad victoriam aduerſus ea conſequendam, non diſſimili ratione contra illa pugnandum eſt, & iiſdem vtrobique modis charitatis radix altius infigenda, tum continuo eiuſdem, cæterarumque virtutum exercitio, tum mortificationis, ſeu purgationis actiuæ vtriuſque hominis interioris, & exterioris, vt ſupra diximus, agendo de purgatione incipientium.

Verùm cum inter alia differant peccatum mortale, & veniale,quod vnum mortale ſine alio remitti non poteſt,ſecus autem veniale, propterea ad huius remiſſionem non eſt per ſe, & ſemper neceſſaria nouæ gratiæ habitualis infuſio, ſed ſufficiunt variæ actualis gratiæ motiones, iuxta varias virtutes culpis illis venialibus aduerſantes. Vt expreſsè docet Diuus Thomas 3. p. qu. 87. art 4. ad 2. *Licet*, inquit, *ad remiſſionem peccati venialis non requiratur noua infuſio gratiæ habitualis, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non poteſt eſſe in eo, qui ſubiacet peccato mortali*. Aduertendum tamen,quicumque ſint illi actus gratiæ, vel virtutum, ex quibus deleri poſſint culpæ noſtræ venіales, non ſufficere, ſi ordinis fuerint naturalis, & ſolis naturæ viribus exerceantur: in quo decepti ſunt aliqui,ſed omninò debent eſse ſupernaturales ex auxilio, & gratia ſpeciali Chriſti; vt ſignificauit Sanctus Ioannes epiſt. 1. cap. 1. & 2. cum ait: *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*.

Item quamuis de omnibus virtutum infuſarum actibus dici poſſit, eos eſse in iuſtis venialium remiſſiuos, aliqui tamen ſunt magis proprij ab illis reſurgendi; Primò pius de illis dolor, ſiue cordis contritio, & digna deteſtatio. Qui actus quodammodo facilior, & quodammodo difficilior eſt, quam actus perfectæ contritionis de peccatis mortalibus: facilior quidem, quatenus contritio de venialibus in iuſtis iam de mortalibus iuſtificatis, maiorem habet proportionem ad leues illas maculas diluendas, quam habeat in homine nondum iuſtificato contritio de mortalibus, vndè non requirit formalem Dei dilectionem, ſicut requirit contritio de mortalibus, ad hoc vt extra Sacramen-

cramentum in eius voto mortalia peccata dimittat, ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. Eſt inſuper facilior contritio de venialibus ex parte voluntatis, & propoſiti non amplius peccandi, cum tale propoſitum pro illis in tanta vniuerſalitate non ſemper requiratur, ſicut neceſſario pro cõtritione de culpis mortalibus, quarum nulla poteſt cum amicitia Dei vnquam conſiſtere; poteſt autem culpa quæcumque venialis. Vndè ſi propoſitum non peccandi mortaliter ad omnia talia peccata commiſſa, & nondum remiſſa, non extendatur, cum vnum ſine alio remitti non poſſit, de nullo venia poterit obtineri.

At verò peccata uenialia, cum poſſint ſeparatè unum ſine alio remitti, ſaltem illa remittentur, de quibus firmum emendationis propoſitum contrito corde fuerit conceptum, ut expreſsè docet Diuus Thomas 3. p. qu. 87. art. 1. ad 1. At ex altera parte hæc perfecta de uenialibus contritio difficilior eſt; tum quia pro ea non ſufficit tantum deteſtari graues Dei offenſiones; ſed multo perfectior debet eſſe deteſtatio, orta nimirum ex uoluntate placendi Deo etiam in rebus minimis, atque adeò neque in leuibus diſplicendi: quod non eſt ita facilè, & nonniſi à ualdè perfecta charitate prouenire poteſt. Tum quia, ut diximus ſupra, eſt moraliter impoſſibile concipere ucrum, & efficax propoſitum uitandi omnia prorſus uenialia; & quamuis, loquendo de illis cum plena deliberatione factis, non ita ſit impoſſibile, eſt tamen ualdè arduum, & difficilè ea per totam uitam cauere. Secundus quoque actus in ſpecie, ex quo iuſtus in exercitio uirtutum perfectè ſuas ipſe diluit maculas ueniales, eſt amoris Dei feruentiſſimi, ut mox dicemus. Tertiò ſunt actus cuiuſcumque uirtutis infuſæ perfectam habentis cum illis culpis oppoſitionem, eo enim ipſo quod ſunt tales non poſſunt non directè excludere per quamdam incompoſſibilitatem omnem talium defectuum conſenſum aut complacentiam: cum aliæ uirtutes indirectè ſolum id habeant.

Verùm cum hæc, nec non Sacramentum Pœnitentiæ, cuius peccata uenialia, non quidem neceſſaria, ſed materia tamen ſufficiens ſunt, item ſacramentalia, potiſſimum ſpectent ad eorum ueniam, & expiationem, proficientique non ſufficiat, peccatis, quæ commiſſa ſunt profligandis tantum operam dare, & ab illis animam purgare, ſed multo magis ante laborandum ſit, ne ea committat, hoc etiam ut aſſequatur plura non deſunt media, ac motiua. Primum præcipuumque medium eſt frequens, hoc eſt quotidianum, menſtruum, & annuum in exercitijs ſpiritualibus conſcientiæ examen, in hoc maximè conſiſtens, vt, adhibita diligenti diſcuſſione, primum cognoſcantur, vel iam admiſſi, vel poſſibiles defectus veniales, illique maximè, qui magis retardant progreſſum proficientis, aut quibus ſe magis affectum deprehendit, nec ſolum cognoſcantur, ſed inſuper ex quo ſcilicet habitu, paſſione, propenſione, occaſioneue incurrerit, vel incurrere poſſit in eiuſmodi peccata; indeque ſe aduerſus illa muniat nouo propoſito, nouaque animi deliberatione fortitèr, ac generosè amplectendi eam puritatem, & vitæ ſanctitatem, qua poſtmodum ipſa eorumque radices euellantur. Cuius medij tanto maior æſtimatio facienda eſt, quo veteres Patres illius mentionem fecerunt, illudque ſummoperè commendarunt, Baſilius ſerm. de inſtitut. Monach. Chryſoſt. homil. 2. in Pſalm. 50. Auguſtinus lib. 5. homiliarum, homil. 42. ac demum D. Bernardus ſerm. 55. in Cantica.

Secundum medium ſimul, & motiuum eſt æſtimatiuus horror cuiuſcunque peccati venialis, præſertim deliberatè, uel de induſtria facti; quod licet abſolutè diuinam non uiolet amicitiã, ei tamen, ac omnibus eius conditionibus non mediocriter aduerſatur, & ni reſecetur, ſuffocat tandem ſementem

diuinę

diuinæ gratiæ, aut certè ne fructum ferat, impedit, ut iam ſupra diximus. Vndè cum præcipuus proficientium finis, & ſcopus ſit diuinæ charitatis, & amicitiæ augmentum, difficileque ſit, imo impoſſibile ad illud peruenire, qui non, quantum poteſt ſe, & à peccatis venialibus actualibus, & ab eorum affectibus, omni ope purum, & immunem præſtare conatur; non poteſt non eſſe medium, motiuumque efficaciſſimum proficienti, vereque ad perfectionem charitatis aſpiranti, fugiendi peccata venialia æſtimatiuus horror ipſorum; quod ſcilicet amicitiæ Dei puritas inter huiuſmodi ſordes, vel creſcere, vel illibata conſeruari non poteſt. Vt enim ait D. Auguſtinus lib. 5. homiliarum, homil. 50. cap. 3. loquens de illis; *Noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filijs hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent*. Et iterum, quod licet animam lethali vulnere non afficiant, efficiunt tamen maculoſam, ac velut ſcabie infectam. Imo, licet peccata venialia ſimul iuncta nunquàm vni peccaro mortali exæquentur, ſternere tamen viam ad illud, & prognoſtica eſſe, eum, qui huiuſmodi peccata contemnit, non longe abeſſe à grauiore caſu, & mortis æternæ periculo, docet idem Auguſtinus in Pſalm. 108. tract. 12. in Ioannem, alibique ſæpe. Præſertim quia peccata aliqua, etſi venialia, eius ſunt naturæ, vt ex paruis magna fiant negligentia noſtra, vt ait D. Chryſoſtomus homil. 87. in Matth. *Habet*, inquit, *iuſtum quemdam anima pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare, atque proijcere non poteſt, ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit. Quid enim eſt riſus? orta tamen ex immoderato riſu pauliſper ſcurrilitas, à ſcurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta eſt*.

Tertium eſt illud: ſubinde animo recolere, quamuis exigua, ac leuia peccata hæc ſint, non inulta tamen dimitti à Deo, nec impunita, vt ait D. Proſper in ſentent. cap 210. nec non D. Auguſtinus lib. 5. homil. hom. 16. Item, in homine diuinæ gratiæ donis cumulato, quales ſunt proficientes, & religioſam vitam profitentes; peccata alioquin minima, cenſeri maiora, & eſſe; vt ait Sanctus Iſidorus lib. 21. de ſummo bono; cap. 18. nec non D. Bernardus in fine lib. 2. de conſideratione ad Eugenium, hoc iam fatis celebri dicto: *Inter ſeculares nugæ, nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemia*.

Quartum denique, & vltimum ſit exemplum, & imitatio Sanctiſſimorum Virorum, qui grauiſſimè vindicaſſe in ſeipſis peccata, etiam venialia leguntur. Sicut enim qui ad ſpeculum ſeipſum intuetur maculas, & deformitates, quas alia ratione in ſe non obſeruaſſet, facilè deprehendit, & emundat: ita qui attentè conſiderat Sanctorum admiranda, & ſimul imitanda exempla virtutum, quid in ſe, & qua ratione id corrigat efficaciter admonetur. Cum autem ea innumera ſint ad præſens inſtitutum, de quibus videri poſſunt corũ hiſtoriæ, vnũ duntaxat referam de Euſebio Monacho apud Theodoretum hiſt. Sanct. ſect. 4. *Is*, inquit, *dum alter quidam legeret Euangeliorum hiſtoriam, ad contemplationem quorumdam agricolarum, qui in ſubiecto campo terram colerent, tractus eſt: qui propterea ſuis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam contemplarentur, neque cæleſti pulchritudine, & chori aſtrorum aſpectu fruerentur: ſed anguſtiſſima vtens ſemita, id eſt vnius palmi, ferente ad oratorium, extra eam, deinceps egredi non eſt paſſus. Vt autem ad id eum quoque traheret aliqua neceſſitas, cum lumbos zona ferrea alligaſſet, & grauiſſimum collare collo impoſuiſſet, alio ferro coniunxit zonam collari, vt hoc modo inclinatus cogeretur aſſiduè in terram deſpicere. Has ipſe de ſe exegit pœnas, quod illos eſſet contemplatus agricolas, continuauitque totos quadraginta annos, quibus poſtea vixit*.

Secundò, quod ſpectat ad peccata venia-

cramentum in eius voto mortalia peccata dimittat, ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. Eſt inſuper facilior contritio de venialibus ex parte voluntatis, & propoſiti non amplius peccandi, cum tale propoſitum pro illis in tanta vniuerſalitate non ſemper requiratur, ſicut neceſſario pro cõtritione de culpis mortalibus, quarum nulla poteſt cum amicitia Dei vnquam conſiſtere; poteſt autem culpa quæcumque venialis. Vndè ſi propoſitum non peccandi mortaliter ad omnia talia peccata commiſſa, & nondum remiſſa, non extendatur, cum vnum ſine alio remitti non poſſit, de nullo venia poterit obtineri.

At verò peccata uenialia, cum poſſint ſeparatè unum ſine alio remitti, ſaltem illa remittentur, de quibus firmum emendationis propoſitum contrito corde fuerit conceptum, ut expreſsè docet Diuus Thomas 3. p. qu. 87. art. 1. ad 1. At ex altera parte hæc perfecta de uenialibus contritio difficilior eſt; tum quia pro ea non ſufficit tantum deteſtari graues Dei offenſiones; ſed multo perfectior debet eſſe deteſtatio, orta nimirum ex uoluntate placendi Deo etiam in rebus minimis, atque adeò neque in leuibus diſplicẽdi: quod non eſt ita facilè, & nonniſi à ualdè perfecta charitate prouenire poteſt. Tum quia, ut diximus ſupra, eſt moraliter impoſſibile concipere uerum, & efficax propoſitum uitandi omnia prorſus uenialia; & quamuis, loquendo de illis cum plena deliberatione factis, non ita ſit impoſſibile, eſt tamen ualdè arduum, & difficilè ea per totam uitam cauere. Secundus quoque actus in ſpecie, ex quo iuſtus in exercitio uirtutum perfectè ſuas ipſe diluit maculas ueniales, eſt amoris Dei feruentiſſimi, ut mox dicemus. Tertiò ſunt actus cuiuſcumque uirtutis infuſæ perfectam habentis cum illis culpis oppoſitionem, eo enim ipſo quod ſunt tales non poſſunt non directè excludere per quamdam incompoſſibilitatem omnem talium defectuum conſenſum aut complacentiam: cum aliæ uirtutes indirectè ſolum id habeant.

Verùm cum hæc, nec non Sacramẽtum Pœnitentiæ, cuius peccata uenialia, non quidem neceſſaria, ſed materia tamen ſufficiens ſunt, item ſacramentalia, potiſſimum ſpectent ad eorum ueniam, & expiationem, proficiẽtique non ſufficiat, peccatis, quæ commiſſa ſunt profligandis tantum operam dare, & ab illis animam purgare, ſed multo magis ante laborandum ſit, ne ea committat, hoc etiam ut aſſequatur plura non deſunt media, ac motiua. Primum præcipuumque medium eſt frequens, hoc eſt quotidianum, menſtruum, & annuum in exercitijs ſpiritualibus conſcientiæ examen, in hoc maximè conſiſtens, vt, adhibita diligenti diſcuſſione, primum cognoſcantur, vel iam admiſſi, vel poſſibiles defectus veniales, illique maximè, qui magis retardant progreſſum proficientis, aut quibus ſe magis affectum deprehendit; nec ſolum cognoſcantur, ſed inſuper ex quo ſcilicet habitu, paſſione, propenſione, occaſioneue incurrerit, vel incurrere poſſit in eiuſmodi peccata; indeque ſe aduerſus illa muniat nouo propoſito, nouaque animi deliberatione fortitèr, ac generosè amplectendi eam puritatem, & vitæ ſanctitatem, qua poſtmodum ipſa eorumque radices euellantur. Cuius medij tanto maior æſtimatio facienda eſt, quo veteres Patres illius mentionem fecerunt, illudque ſummoperè commendarunt, Baſilius ſerm. de inſtitut. Monach. Chryſoſt. homil. 2. in Pſalm. 50. Auguſtinus lib. 5. homiliarum, homil. 42. ac demum D. Bernardus ſerm. 55. in Cantica.

Secundum medium ſimul, & motiuum eſt æſtimatiuus horror cuiuſcunque peccati venialis, præſertim deliberatè, uel de induſtria facti; quod licet abſolutè diuinam non uiolet amicitiã, ei tamen, ac omnibus eius conditionibus non mediocriter aduerſatur, & niſi reſecetur, ſuffocat tandem ſementem diuinę

diuinæ gratiæ, aut certè ne fructum ferat, impedit, ut iam ſupra diximus. Vndè cum præcipuus proficientium finis, & ſcopus ſit diuinæ charitatis, & amicitiæ augmentum, difficileque ſit, imo impoſſibile ad illud peruenire, qui non, quantum poteſt ſe, & à peccatis venialibus actualibus, & ab eorum affectibus, omni ope purum, & immunem præſtare conatur; non poteſt non eſſe medium, motiuumque efficaciſſimum proficienti, vereque ad perfectionem charitatis aſpiranti, fugiendi peccata venialia æſtimatiuus horror ipſorum; quod ſcilicet amicitiæ Dei puritas inter huiuſmodi ſordes, vel creſcere, vel illibata conſeruari non poteſt. Vt enim ait D. Auguſtinus lib. 5. homiliarum, homil. 50. cap. 3. loquens de illis; *Noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filys hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent*. Et iterum, quod licet animam lethali vulnere non afficiant, efficiunt tamen maculoſam, ac velut ſcabie infectam. Imo, licet peccata venialia ſimul iuncta nunquam vni peccato mortali exæquentur, ſternere tamen viam ad illud, & prognoſtica eſſe, eum, qui huiuſmodi peccata contemnit, non longe abeſſe à grauiore caſu, & mortis æternæ periculo, docet idem Auguſtinus in Pſalm. 108. tract. 12. in Ioannem, alibique ſæpe. Præſertim quia peccata aliqua, etſi venialia, eius ſunt naturæ, vt ex paruis magna fiant negligentia noſtra, vt ait D. Chryſoſtomus homil. 87. in Matth. *Habet*, inquit, *inſtum quemdam anima pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare, atque proÿcere non poteſt, ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit. Quid enim eſt riſus? orta tamen ex immoderato riſu paulisper ſcurrilitas, à ſcurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta eſt*.

Tertium eſt illud: ſubinde animo recolere, quamuis exigua, ac leuia peccata hæc ſint, non inulta tamen dimitti à Deo, nec impunita, vt ait D. Proſper in ſentent. cap 210. nec non D. Auguſtinus lib. 5. homil. hom. 16. Item, in homine diuinæ gratiæ donis cumulato, quales ſunt proficientes, & religioſam vitam profitentes; peccata alioquin minima, cenſeri maiora, & eſſe; vt ait Sanctus Iſidorus lib. 2 1. de ſummo bono; cap. 18. nec non D. Bernardus in fine lib. 2. de conſideratione ad Eugenium, hoc iam ſatis celebri dicto: *Inter ſeculares nugæ, nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemia*.

Quartum denique, & vltimum ſit exemplum, & imitatio Sanctiſſimorum Virorum, qui grauiſſimè vindicaſſe in ſeipſis peccata, etiam venialia leguntur. Sicut enim qui ad ſpeculum ſeipſum intuetur maculas, & deformitates, quas alia ratione in ſe non obſeruaſſet, facilè deprehendit, & emundat; ita qui attentè conſiderat Sanctorum admiranda, & ſimul imitanda exempla virtutum, quid in ſe, & qua ratione id corrigat efficaciter admonetur. Cum autem ea innumera ſint ad præſens inſtitutum, de quibus videri poſſunt eorũ hiſtoriæ, vnũ duntaxat referam de Euſebio Monacho apud Theodoretum hiſt. Sanct. ſect. 4. *Is*, inquit, *dum alter quidam legeret Euangeliorum hiſtoriam, ad contemplationem quorumdam agricolarum, qui in ſubiecto campo terram colerent, tractus eſt: qui propterea ſuis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam contemplarentur, neque cæleſti pulchritudine, & chori aſtrorum aſpectu fruerentur: ſed anguſtiſſima vtens ſemita, id eſt vnius palmi, ferente ad oratorium, extra eam, deinceps egredi non eſt paſſus, Vt autem ad id eum quoque traheret aliqua neceſſitas, cum lumbos zona ferrea alligaſſet, & grauiſſimum collare collo impoſuiſſet, alio ferro coniunxit zonam collari, vt hoc modo inclinatus cogeretur aſſiduè in terram deſpicere. Has ipſe de ſe exegit pœnas, quod illos eſſet contemplatus agricolas, continuauitque totos quadraginta annos, quibus poſtea vixit*.

Secundò, quod ſpectat ad peccata venia-

venialia, quę fiunt ex ſubreptione, quamuis, vt dictum eſt, vitari omnia non poſſint, cum tamen effici poſſit, diuina cooperante gratia, vt quotidie minuantur, & pauciora numero, atque leuiora exiſtant, huic quoque purgationi proficientes, ſed multo magis perfecti ſedulo incumbere, operamque nauare debent. Eamque aſſequentur ſi ita paſſiones ſuas omnes magis ac magis refrænent, rationique in dies perfectius ſubijciant, quantum humanæ naturæ conditio patitur; cum enim peccata venialia ex ſubreptione facta, inde potiſſimum oriantur, quod inordinati paſſionum motus rationem præueniant, & ſic ea non aduertente ſubrepant, non poterunt non minui, aut pauciora committi, ſi quis continuo excubet, atque aſſidua animi contentione aduigilet, ne paſſiones rationem præueniant, aut illam interturbent. Item, ſi quantum poteſt attendat, & circa ſe vigilet; tum externas occupationes, ſuperflua ſtudia, negotia, quæ mentem ſibi ipſi eripiunt, & totam occupant, quantum patitur vniuſcuiuſq; ſtatus, reſcindat, viretque inutiles conuerſationes, & occaſiones non neceſſarias.

Cum autem peccata venialia plena cum deliberatione, & ex affectu ad illa commiſſa plerumque magis fructuosè impugnentur, & exterminentur acri contrariæ virtutis ſtudio, & exercitio, quæ tamen ex ſubreptione fiunt, potius feruore charitatis vincenda ſunt, horum enim maximè proprius aduerſarius eſt hic feruor. Si enim peccata venialia in genere, quibus à gratia Dei non excludimur, non ſunt materia neceſſaria Sacramenti, & virtutis Pœnitentiæ, atque adeò poſſunt, ſine actibus pœnitentiæ formaliter ſaltem, multis alijs remedijs expiari, certè excogitari aliud non poteſt accomodatius, & præſtantius ad leues offenſiones inter amicos remittendas, quales ſunt veniales ex ſubreptione, quam actus feruidę charitatis, & amicitię, vbi Sacramenti Confeſſionis defuerit opportunitas, illa enim data, melius ſemper erit vti, cum ſit Sacramentum ad remittenda peccata vniuerſim inſtitutum, & quamuis tam cum illo, quàm ſine illo ſufficiat ad remiſſionem venialium ſola attritio ſupernaturalis, ſeu contritio imperfecta, nihilominus verus perfectionis amator, non tam leui diſplicentia, aut retractatione contentus eſſe debet, ſed illa per actum feruentiſsimæ charitatis etiam deteſtari, & ex eodem affectu emendanda, & vitanda proponere; ſic enim fiet, vt à via illuminatiua proficientium, ad vnitiuā perfectorum tandem perueniat; quorū maximè propria hæc eſt peccatorum venialium ex ſubreptione commiſſorū purgatio, quantum fert pręſentis ſtatus conditio.

Tertium denique quod à proficientibus, nec non etiam perfectis circa venialia præſtari debet, eſt, ſi quæ nonnunquam, vt neceſſe eſt, ſubrepant, non animo propterea deſpondeant; ad eam enim animæ puritatem aſpirari, & contendi, quæ omnem prorſus excludat culpæ maculam, ſine errore, vt diximus, magnaque præſumptione abſolutè non poteſt; quodque conſequenter aliqui ita deſpondeant, vbi in aliquem defectum leuem lapſi ſunt, aliūde prouenire non videtur, quam quod ſe ſæpe ab illa, quam ſibi falſo, & ſuperbè perſuaſerant poſsibilem, integritate excidere experiantur. Peccata igitur venialia non debent frangere animum proficientis, ſed inde potius ipſe debet colligere illos vberes fructus, quos Deus noſtræ amicitiæ cupidiſsimus ea permittendo contendit. Cuiuſmodi ſunt *Primò* cognitio ſui, ſe videlicet non Angelum, ſed hominem eſſe, id eſt partim beſtiam, partim ſpiritum, compoſitum nimirum ex anima, & corpore, ſuperiorique, & inferiori parte; indeque dandam ſibi operam, vt rationi pars inferior obediat, & corpus animæ ſeruiat, & beſtiales omnes motus ſpiritus directioni ſubijciantur.

Secun-

Secundò humilitas, cum enim experitur quam fragilis ſit, & infirmus, quam in malum pronus, imo quod ipſi neceſsitas inſit peccandi, non poteſt hoc non eſse materia profundæ humilitatis, confugiendique ad Deum, vt omnis boni fontem, dicendique quotidie iuxta Chriſti doctrinam, hæc verba, *Dimitte nobis debita noſtra*, iuſtorum, quorum culpæ non ſolent eſse niſi veniales, maximè propria; vt habetur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. *Licet*, inquit, *in hac mortali vita quantumuis Sancti, & iuſti, in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti: nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Ex cuius adhuc orationis aſsiduitate, gratiæ intulit in re noſtra neceſsitatem Sanctus Auguſtinus epiſt. 90. ſcripta contra Pelagium nomine Patrum Concilij Carthaginenſis ad S. Innocentium Papam, in hęc verba: *Generaliter quicumque dogmatizat, & affirmat humanam ſibi ad vincenda peccata ſufficere poſſe naturã gratiæ Dei, quæ Sanctorum orationibus euidentius declaratur aduerſarius inuenitur.* Et in Enchirid. cap. 70. de eadem ait: *De quotidianis leuibus, breuibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratiò fidelium ſatisfacit, delet enim omnino hæc oratio minima quotidiana peccata.*

Tertiò, inde quoque monemur nos miſereri aliorum, eiſque qui nos vel leuiter offenderunt, facile etiam dare veniam, vt pote conſcij fragilitatis tã noſtræ, quàm alienæ, ac pariter peccantes corripere in ſpiritu lenitatis Galat. 6. 1. Quare idem S. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 20. hunc corripiendi modum præſcribit: vt corripiens conſideret, an aliquando idem vitium habuerit, an non. *Si non habuit*, inquit, cogitet ſe hominem eſſe, habereque potuiſſe: ſi habuit, & non habet; tãgat memoriam communis fragilitatis, vt obiurgationem non odiũ, ſed miſericordia præcedat. Si eſt in eodem vitio, non reprehendat, vel obiurget, ſed congemiſcat, & ad pariter cauendum inuitet. *Quartò*, quod augeamus pœnitentiæ feruorem, quo hæc minima peccata coram Deo ſeriò, dolenterque agnoſcentes planè confundamur, intimeque compungamur. *Quintò*, vt alij etiam inde proficiant; cum enim iuſtos, ac ſanctos vident, & ita cauete minima, & cum in aliqua inciderint tanta ſeueritate caſtigare, efficaciter magni etiam peccatores docentur, vt ad ſua ſcelera dimittenda, & caſtiganda ſe ſe accingant. *Quid peccatores*, inquit S. Iſidorus lib. 21. de ſummo bono, cap. 18. *de magnis ſceleribus agere debent, quando etiam perfecti leuia quoque delicta quaſi grauiſſima lugent.*

Cum huc vſque dicta pertineant ad purgationem actiuam proficientium propriam, quod ſpectat iam ad paſſiuam, præter illam ipſis cum tyronibus, & incipientibus aliquando communẽ, de qua egimus ſupra, ſæpe Deus proficientes varijs purgat deſolationibus, ſed hac maximè, quod cum eius præſẽtiã, & gratia ſingularis adſit illis ſẽper, conſolatio tamen, quæ ex ea deriuatur, non ſemper percipiatur, quæ idcirco vocatur Dei, aut gratię abſentia, & reuera deſolatio quædam animæ eſt, & afflictio non parua, à Deo tamen immiſſa ad eam ipſam vtilitatem procreandam, ob quam homo iuſtus expetit conſolationem: Ad mentis, videlicet, illuſtrationem, ſcientiam ſpiritualem ampliorem, humilitatem, conſtantiam factorum, fortitudinem, perſeuerantiam, ac omnium denique virtutum exercitium, quas vix aut ne vix quidem ſine deſolatione vnquam cõpararemus; & exerceremus, vt rectè explicat S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 27. vbi omnino videri debet. Imo Caſſianus Collat. 4. cap. 6. aſſerit, Dauidem oraſſe, amoueri à ſe Dei hanc quaſi deſertionem, non tamen amoueri omnino; tam verum eſt, eam prædictas

ctas nobis vtilitates, & virtutes afferre: *Non me derelinquas*, inquit Pſalm. 118. *vſquequaque; ac ſi diceret: ſcio quod derelinquere ſoleas vtiliter ſanctos tuos, vt probes eos: aliter enim ab aduerſario tentari non poſſunt, niſi à te paulisper fuerint derelicti: & ideo non rogo, vt nunquam me derelinquas, quia non expedit mihi, vt non vel infirmitatem meã ſentiens dicam, bonum mihi, quia humiliaſti me, vel exercitium non habeam prœliandi, quod ſine dubio habere non poteros ſi mihi ſemper, & indiruptè cohaſeris diuina protectio: ſed magis peto, ne me vſquequaque deſeras: quod Græce dicitur vſque ad nimietatem: quantum enim mihi vtile eſt, ſi me paululum ſubderelinquas, vt deſiderij mei conſtantia comprobetur, tantum noxium eſt, ſi pro meritis, ac delictis meis nimium me deſeri patiaris.*

CAPVT XIV.

De oratione Proficientium propria, quæ vocari ſolet Contemplatio, & multiplici eius diuiſione.

POſtquàm huc vſque egimus de illuminatione Proficientium, prout ſe tenet ex parte appetitus, & voluntatis, per continuum virtutum exercitiũ, earumdemque præſidio purgationem eiuſdem à peccatis venialibus, quia licet non tollant iuſtitiam, aut gratiam Dei, ſed cum ea conſiſtant, vnde pariter non impediunt, quominus iuſtos cenſeatur implere legem iuxta poſſibilitatem huius vitæ, ſunt tamen in anima, quaſi næui in facie pulchra, ideoque diligenter cauenda proficientibus, nunc ſupereſt agere de eadem illuminatione, prout ſe tenet ex parte intellectus, quod præſtabimus in præſenti capite, breuiter comprehendentes, quæ diffusè ab alijs pertractantur.

§. I.

De diuiſione orationis ſupernaturalis in ordinariam, & extraordinariam.

IGitur vt virtus religionis, quæ & Theoſebia, Euſebia, & latria nominatur, omnium virtutum moralium nobiliſſima, in voluntate exiſtens, per quam debitus cultus, & reuerentia Deo exhibetur, eſt duplex, vna acquiſita, vel naturalis, altera infuſa, & ſupernaturalis, ita quoque oratio, quæ eſt præcipuus eius actus, ſoletque vniuerſim definiri eleuatio mentis in Deum: voluntas quippe intellectum ad cultũ Deo offerendum mouet, & eam viciſſim intellectus dirigit: eſt duplex, vna acquiſita, vel naturalis, quia viribus naturæ acquiſibilis, quæ tamen, vt diſponat ad iuſtificationem, debet eſſe ex diuino gratiæ auxilio, ſubordinari verò charitati, & ab ea imperari, vt ſit meritoria vitæ æternæ: Alia eſt infuſa, & ſupernaturalis, quia à ſolo Deo producibilis, habetque ipſum pro obiecto, vt authorem fidei, ſiue ſupernaturalem.

Sed hæc rurſus diuiditur in orationem ſupernaturalem ordinariam, & eã, quæ extraordinaria eſt. Quæ partitio deſumitur ex multiplici lumine ſupernaturali ad intellectum in oratione colluſtrandum requiſito, iuxta pariter diuerſos, quos patitur in contemplatione rerum diuinarum, defectus. Primus eſt, quod natura ſua intellectus noſter ad ea, quæ ſupra naturam ſunt, planè cæcutiat. Si enim cæcus ille ab omnibus habetur, qui res ſplendidiſsimas nullo modo poteſt intueri; cum intellectus noſter ad ſupernaturalia fidei myſteria, ſine eiuſdem lumine cognoſcenda peruenire non valeat, non poteſt non, quod ſpectat ad illa, cæcus dici, & conſequenter neceſſarium eſſe ad hanc cæcitatem auertendam ſupernaturale fidei lumen.

At quia adhuc Fide Chriſtiana ſuſcepta,

ſcepta, ſiue intellectui illa colluſtrato alius ſecundus ineſt defectus, quod licet omnia ad ſalutem neceſſaria cognoſcat,& in ſimplicitate credat, intelligere tamen per altiſſimas cauſas profunda myſteria ſine alio diuino lumine non poteſt, ad hoc tribuitur donum Sapientiæ, quod eſt primum ex ſeptem donis Spiritus Sancti, mirum in modũ adiuuans exercitationem fidei, eiuſque perfectionem. Sed neque hoc ſufficit, nam alius ſupereſt tertius defectus in penetrandis, & ponderandis omnibus myſterijs, quorum cauſas dono Sapientiæ iam peruestigauit; & eſt quædam mentis obtuſio, ad quam corrigendam aliud donum Spiritus Sancti à Deo infunditur, quod donum Intellectus appellatur. Verùm etſi mens altiora penetret in communi, & ſpeculatiuè, cum tamen fieri poſſit, vt practicè, & in ſingulari non poſſit homo rectè inire conſilia, ſed vel tardus, vel præceps eſſe inueniatur; qui eſt quartus animi noſtri defectus: ideò contra hunc datur donum Conſilij. Quod donum licet multa ſuggerat expeditè, & ſine temeritate pro Dei gloria, & animæ ſalute præſtanda; tamen vt optima quæque rectè concludat, requiritur quintum Scientiæ donum.

Sic ergo oratio ſupernaturalis ordinaria eſt illa, in qua veraque cauſa, id eſt, Deus, & homo communi modo, & ordinaria ratione concurrunt; hoc eſt intellectus ita ſupernaturali fidei lumine à Deo infuſo colluſtratus operatur, vt id ſemper fiat modo humano, ſeu vires hominis ſupra humanam, & conſuetam cum Deo agendi, eumque cognoſcendi rationem non extollente, vel eleuante, ratione cuius non dubitant aliqui eam quoque vocare naturalem, minus tamen propriè. Extraordinaria autem ſimpliciter talis nam, vt mox dicemus, datur etiam oratio extraordinaria ſecundum quid, eſt illa, in qua præter conſuetum operandi modum, & ordinarias virtutis humanæ leges Deus ipſe, pro ſua voluntate, & ſingulari gratia, hominis in oratione facultates euehit. Vnde, licet veriſſimè operetur, id tamen adeo parum eſt, vt diuinam potius operationem pati, quam agere dicendus ſit. De qua oratione, ſeu perfectiſſima contemplatione, tanquam propria perfectorum, quia acturi ſumus infra, ad aliam modo totum conuertemus ſermonem.

Primumque aduertendum eſt, hanc eamdem orationis diuiſionem, ſub alijs terminis fieri poſſe, vt ordinaria vocetur acquiſita, extraordinaria verò ſimpliciter infuſa. Quia licet ordinaria ſit etiam à principio ſupernaturali, & infuſo proximo, nimirum ab intellectu lumine fidei perfuſo, verſeturque circa obiectum ſupernaturale, Deum ſcilicet, vt eiuſdem fidei authorem, ac reuelatorem, nihilominus tamen, quia intellectus, vt diximus, per hoc non eleuatur ſupra ſuum proprium operandi modum, ſeu ſupra leges humanas, diſcurrendi, & cognoſcendi, propterea talis oratio dicitur acquiſita, imo, vt iam notaui, ab aliquibus naturalis, extraordinaria verò ſimpliciter infuſa, quia ſimul cum donis Spiritus Sancti, non amplius humano, ſed diuino fit modo.

Vndè ſecundò notandum eſt, hinc fieri, quod ordinarius orandi modus pendeat plurimum à naturalibus hominis facultatibus, ſaltem miniſterialiter, quodque conſequenter, quo ſunt perfectiores, ac melius diſpoſitæ, eo etiam oratio melius ſuccedere poteſt; imò etiam humano labore, atque Induſtria informari poſſunt, & in eum finem rectè diſponi: Memoria quidem ad materiam, ſeu res melius, & diſtinctius repræſentandas; Intellectus verò ad eas attentius conſiderandas, & diſcurſu facilius luſtrandas; Voluntas deníque ad intellectus ductum ſequendum, & affectus pios ex propoſitis ab eo conſiderationibus elieiendos. Per quod maximè diſtinguitur ab extraordinario orandi, vel contemplandi modo, in quo hoc ſolum confert humana induſtria, ſimul

ſimul cum diuina gratia, vt per accuratum mortificationis, virtutumque omnium ſtudium, & exercitium, corporis & animi vires idoneas efficiat ad diuinas operationes, vel impreſſiones recipiendas. Cum enim, modo ſupernaturali, Deo mirabiliter, & ſingulari fauore eas ſupra ſe eleuante, ipſæ tunc agant; non tam hominis conatus neceſſarius eſt, vt illud opus promoueat, quam vt nullum diuinę operationi impedimentum obijciat, vt dicetur ſectione ſequenti.

Tertiò eodem pertinet, quod ordinarius orandi modus certis poteſt pręceptionibus comprehendi, & conſequenter ab alio tradi, & doceri, vt qui non longè recedit ab eo ordine, & ratione operandi, quam animæ facultates naturaliter ſequi ſolent. Deus enim naturæ author cum ſupernaturalem virtutem ſuam noſtris viribus adiungit, ita ſe nobis accommodat, vt eum ordinem, qui naturæ eſt conſentaneus, vt plurimum, vel ordinariè ſequatur. Vndè cum is noſter modus agendi naturalis magis notus ſit, non eſt admodum difficile certa de eo præcepta conſcribere, certaſque orationis partes, vel orandi methodum aſſignare, de quibus egimus ſectione ſuperiori, vt potè magis incipientium proprijs. De extraordinario nulla propriè pręceptio tradi poteſt, cum pendeat ex ſolius Dei arbitrio, qui licet ſoleat multum in mortificationibus, & virtutibus exercitatos ad illum promouere, poteſt tamen alios adhuc humi iacentes, veluti de ſtercore ad eumdem erigere. Quia tamen in hoc plerumque Sathanas in Angelum lucis ſe transformat, non deſunt etiam ſuæ regulæ quibus verus à falſo diſcernatur ſpiritus, vt dicetur infra.

Quartò habetur, orationem ordinariam medium quoddam excellens eſſe ad omne vitæ ſpiritualis augmentum. Nam & ſeipſam ipſa perficit, & mortificationis, virtutumque omnium exercitia conſtituit, & confirmat, vt dictum eſt cap. 11. huius ſectionis.

Altera verò extraordinaria, non tam medij, quam finis rationem habet, & accedit quam proximè ad ęternæ beatitudinis ſimilitudinem, ſoletque ſæpè numero eſſe pręmium, ac merces diligentiæ, & laboris circa orationem ordinariam, & virtutum ſolidarum, mortificationiſque ſtudium adhibiti. Quare pertinet ad tertium perfectionis, ſeu viæ vnitiuæ ſtatum, ordinaria autem ad primum, & ſecundum, cum aliquibus tamen mox aſſignandis differentijs.

§. II.

De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinariæ, in diſcurſiuam, & non diſcurſiuam.

ITerum ergo oratio ſupernaturalis ordinaria diuidi poteſt multipliciter. Primò in diſcurſiuam, & non diſcurſiuam. Diſcurſiuam appello illã, qua mens inſtructa iam fidei lumine, tanquam habitu primorum principiorum ſupernaturalium, nondum tamen ſufficienter conuicta circa cõcluſiones, vel agenda ex illo, multos, ac diuerſos format diſcurſus, quibus voluntas ad hæc feratur, ſiue ad bonum alliciatur, vel à malo auertatur, lectionem piam in hunc finem ſelectam penſitando, & digerendo, quaſi cibum, quo voluntas alitur, & conualeſcit. Taliſque orationis ſpecies vocari ſolet meditatio, intellectum videlicet illuminans practicè, non tantum vt ſciat, quod etiam competit omni meditationi, & ſtudio, quo vel naturales veritates lumine rationis inueſtigamus, quod ſæpè multum curioſitatis habet, & ideo veræ meditationi, vel orationi multum obeſt: vel quo veritates ſupernaturales expendimus, vt noui aliquid circa eas expendamus, & hoc eſt ſtudium Theologicum, non autem oratio, vel meditatio, de qua hic agimus, intellectum videlicet illuminans practicè, non tantum, vt ſciat, ſed vt veritates notas, earum-

rumque rationes ad mores,& ad actiones tum internas tum externas ritè inſtituendas, & obeundas applicet; vndè efficitur,vt ex tali meditatione tria hæc conſequantur. *Primò* prudentia,id eſt concluſio aliqua practica deducta per diſcurſum ex præuijs fidei actibus, ex quibus tanquam ex principijs inferatur, quid amandum, quid timendum, quid deſiderandum, quid fugiendum, quid poſtulandum; quomodo homo ſentire de ſe debeat,quomodo de Deo, & diuinis, quomodo de honore, & diuitijs, alijſque rebus caducis. *Secundò* affectus voluntatis, eadem ipſa, quæ intellectus ex principijs fidei collegerit, vel repudiantis ſi mala ſint; vel amplectentis, ſi bona. *Tertiò* petitio, quæ eſt pars orationis, quæ etiam vocatur oratio, qua anima iam vehementi deſiderio æſtuans habendi, quod ſibi bonum videt, illud ſupplex à Deo poſtulat, cum per ſe obtinere non poſſit.

Nomine autem orationis non diſcurſiuæ intelligitur illa, qua mens iam ex longo meditationis vſu conuicta circa præfata, non amplius diſcurrit, ſed illa ſimpliciter, & amorosè contemplatur, proptereaque hæc orationis ſpecies contemplatio ſolet appellari, nec incongruè etiam finis, ac velùti præmium præcedentis, vt eleganter ait D. Bernardus: *Meditatio*, inquit, *quid ſit appetendum diligentius inquirit, & quaſi effodiens theſaurum inuenit, & oſtendit: ſed cum per ſe obtinere non valeas, mittit nos ad orationem*,hoc eſt,petitionem, *oratio ſe totis viribus erigens ad Deum,impetrat theſaurum deſiderabilem,contemplationis ſuauitatem*. Sic igitur oratio ſupernaturalis ordinaria non diſcurſiua, nihil eſt aliud quam contemplatio definita à D. Thoma 2.2. q.180.art.3. *Simplex intuitus veritatis*. Intuitus, ſcilicet intellectualis, hoc enim ſubintelligitur, ſimplex, ad differentiam aliorum actuũ intellectus; qui ſi ſint intuitus ſimplices, non ſunt intuitus veritatis in ſeipſa perfectè, vt contingit in prima mentis operatione, in qua non eſt perfecta veritas quaſi in cognoſcente; ſi verò ſunt intuitus veritatis, non ſunt ſimplices intuitus, vt contingit tam in ſecunda, quam in tertia mentis operatione, ſcilicet in compoſitione, diuiſione, & ratiocinatione. Quamobrem licet ad contemplationem varijs animi operibus perueniatur, vt auditione, lectione, meditatione, & ſimilibus, ſuppoſita, quæ inter hominem, & Angelum verſatur differentia; quod iſte ſimplici apprehenſione veritatem intuetur, homo verò quodam proceſſu, ſeu diſcurſu ex multis,contemplatio tamen conſiſtit in vnico,& ſimplici veritatis intuitu. Et hæc eſt oratio Proficientium propria, in qua quoniam nonnunquam Deus, aut nouas infundit ſpecies, aut iam præexiſtentes melius coordinat, diei quidem poteſt extraordinaria ſecundũ quid, non autem ſimpliciter, & abſolutè, ſicut enim, quantumuis proueniat ex habitu ſupernaturali fidei, quia tamen modo humano ſemper operante, non propterea dicitur extraordinaria ſimpliciter,ſed tantum vbi perfecta inſuper donis Spiritus Sancti modo quodam diuino operatur, ita quoque, multoque etiam minus, cum illæ ſpecies de nouo à Deo infuſæ,aut præexiſtẽtes ab ipſo melius ordinatæ non extrahant, vt ſupponitur intellectum à modo operandi humano, licet indè oratio nominari poſſit ſecundum quid extraordinaria, non tamen ſimpliciter, & abſolutè.

§. III.

§. III.

De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinaria, in imaginariam, & intellectualem.

SEcundò oratio ſupernaturalis ordinaria diſtingui poteſt in imaginariam, & intellectualem, ſiue in illã, quæ fit cum vſu, & applicatione ſenſuum, & in illam, quæ fit ſine tali vſu, & applicatione. Prò cuius diuiſionis intelligentia notandum eſt eam fundari in diuerſitate diuinæ præſentiæ ad bene orandum, ſiue debitam erga Deum inter orandum reuerentiam excitandum neceſſariæ, neve mens diuagetur; teſte Diuo Baſilio, qui interrogans quomodo quis id aſſequi poſſit, reſpondet: Si Deum ante mentis oculos habere præſentem ſibi perſuadeat; *Etenim*, inquit, *ſi quis cum principe ſtat, & ipſum alloquitur, magno metu ſtat, & tùm corporis extrinſecus, tum mentis intrinſecus oculos attentos tenet; quanto tandem maiore cum metu, trepidatione que cenſendum eſt, oportere nos ſtare in conſpectu Dei tota mente in illum vnum intentà, neque vſquam alio; cum ille non hominis partem modò, quæ foris apparet, vt homines faciunt, ſed illam etiam, quæ intus occulta oculorum aſpectum fallit, clariſſimè peruideat*.

Sicut igitur præſentia Dei, quæ, vt de illa nunc agitur, nihil eſt aliud, quã quædam applicatio mentis, & affectus ad Deum, reſque diuinas, eſt duplex, Imaginaria vna, quæ fit cum imaginationis, & aliorum ſenſuum præuiè ſaltem, vſu, circa res, quæ percipi poſſunt ſub imaginibus corporeis, vt ſunt actus vitæ, & paſſionis Chriſti, vel ſi ſint intellectuales, ſub iiſdem tamen formis corporeis concipiuntur; Alia autem intellectualis, quæ verſatur circa res ſpirituales, quia licet, vt dicebã, ſub aliquibus etiam figuris corporeis concipi poſſint, id tamen ex natura ſua non expoſcunt, ideoque ſine concurſu formali imaginationis, aliorumve ſenſuum, non tamen ſine præſuppoſitiuo, vt mox dicemus, concipi poſſunt. Vt inquam præſentia Dei ad orationẽ omnino neceſſaria hoc duplici modo exercetur, ſcilicet imaginario, & intellectuali, ſic, vt dicebam, oratio ſupernaturalis ordinaria diſtingui poteſt in imaginariam, & intellectualem, ſiue in illam quæ fit cum vſu, & applicatione formali ſenſuum, ſaltem internorũ, & in illam, quæ fit ſine tali vſu.

Vbi, cum dicimus orationem intellectualem fieri ſine vſu, vel applicatione ſenſuum, ſatis patet id non ita eſſe accipiendum, quaſi omninò, & abſolutè omnes eorum operationes excludantur, hoc enim eſſe impoſſibile pro præſenti ſtatu etiam in contemplatione, vel oratione extraordinaria perfectiſſima, oſtendemus ſectione ſequenti contra nonnullos Theologos Myſticos, ſed quia, cum in oratione imaginaria, rerum ſcilicet ſenſibus perceptibilium ſub imaginibus corporeis, quo diſtinctius, & magis in particulari eas imaginatio, ſuppoſita tamen fide myſterij tunc meditandi, figurat, & componit, eo perfectior eſt ex hac parte, magiſque apta ad excitandos plures pios affectus, vt ſatis patet in meditatione ſacroſanctæ humanitatis Chriſti Domini, actuumque eius externorum, niſi aliquid aliud obſtet, quod noto, quia aliqui pollent imaginandi vi, & quidquid libet ita figurant, vt lineamenta quoque, minimaſque corporis partes, quaſi ad viuum exprimant, vnde multis illuſionum periculis patent, neve decipiantur vera putantes, quæ vehementer imaginantur, & cogitant: Oratio intellectualis ex aduerſo, licet aliquo indigeat ſenſuum miniſterio, nihilominus in alta de Deo, & de diuinis perfectionibus contemplatione, ita illos cohibet, nec non etiam interna phantaſmata rerum creatarum, & cogitationes de huiuſmodi rebus omnes abigit,

abigit, vt ad ſolum Creatorem mentis intentionem dirigat, diſcurſus quoque per ambages rationum deſerat, ſolo tunc ſimplici fidei oculo, & lumine contenta, quo certo cogitans, & agnoſcens Deum per ſuam ſubſtantiam nedum circa nos, ſed & intra nos eſſe, & nos intra ipſum ſemper vel quieſcere, vel moueri, quod pertinet ad præſentiam Dei intellectualem, tota in eius contemplatione defigitur, non per partes, & particulares rationes attributorum, ſed in communi, & ſub conceptu vniuerſali, ex D. Thoma q. 10. de verit. art. 2. ad 3. quia eſt tanta capacitas intellectus noſtri ad cognoſcendum Deũ quod veluti videtur, quod non ſatiatur in cognitione vnius attributi, niſi cognoſcat totum Deum.

Quem modum orationis expreſsè docuit S. Dionyſius lib. de Myſtica Theologia cap. 1. quando ait: *Tu autem Timothee cariſsime pro maxima myſticorum ſpectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, & animo cernuntur, &, quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia, teque ad eius, qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat, coniunctionem & vnitatem pro virili parte clam excita; libero enim ſolutoque, ac liquido à te, & ab omnibus diſceſſu ad diuinarum tenebrarum radiũ, qui omni eſſentia ſuperior eſt contendes.* Quatenus in hac contemplatione mediante habitu fidei, debemus denudari, non quidem ab omni prorſus ſenſuum vſu, ſed ab omnibus ſpeciebus ſenſuum externorum, & internorum, & ab omnibus ſimilitudinibus intellectualibus, & ab omni re creata, earum perfectiones tribuendo Deo, ſolique fidei lumini inniti docenti ſine diſcurſu, res creatas, quaſcunque propter magnam ab illo infinito eſſe diſtantiam, & multiplices defectus, quantumuis perfectæ eſſe videantur, Deo tamen comparatas plus habere cum ipſo diſſimilitudinis, quam ſimilitudinis. Et hoc eſt, quod idem S. Dionyſius ſubiunxit in fine capitis, vbi ait: *Ab extremis ad prima, & principalia aſcendendum, & omnia tollenda, vt ſine integumentis agnoſcamus ignorationem illam, quæ ab omnibus rebus, quæ ſcientia comprehenduntur in ijs, quæ ſunt, occultata eſt, caliginemque illam cernamus eſſentia ſuperiorem, quæ ab omni luce, quæ in rebus ineſt occulitur.* Quod igitur hæc orationis ſpecies vocetur caliginoſa, aut per illam dicamur, ingredi in diuinam caliginem; Primò eſt, quia in illa ſine diſcurſu, & ſine aliqua ratione naturali, quemadmodum aſcendimus ad cognitionem aliarum rerum, ſed ſolo lumine diuinarum tenebrarũ, quod eſt lumen fidei, propterea comparatum 2. Petri 1. *Lucernæ lucenti in caliginoſo loco*, Deum, reſque diuinas contemplamur. Qui etiam Deus, cum ſit lux inacceſſibilis, proptereaque dicatur poſuiſſe tenebras, vel caliginem latibulum ſuum, quia per ſolam fidem in hac vita perfectè cognoſcibilis, indè ſecundò hæc oratio non incongruè ex parte obiecti dici poteſt caliginoſa, noſque per illam ingredi in diuinam caliginem, ita nocte nocti indicante ſcientiam; verum tam de hoc titulo, quam de alijs ſilentij, ſomni, quietis, & ſimilibus, potiori, & eminentiori iure cõpetentibus orationi, ſiue contemplationi extraordinariæ propriæ perfectorum, ſeu viæ Vnitiuæ, fuſius agemus in ſequenti ſectione.

Nunc ergo ſi iſtæ duæ orationis ſupernaturalis ordinariæ ſpecies, quas cum diuina gratia nos acquirere poſſumus ad inuicem comparantur, ita ſe habent, vt prima ordinetur vt medium ad ſecundam, tanquam ad ſuum finem, aut præmium. Orationis enim exercitium, ordinariè, & regulariter loquendo, non ſtatim, ſed ſenſim, & per ſuos gradus perficitur, vt expreſsè docent Patres; ſic Diuus Bernardus ſerm. 1. de S. Andrea ait: *Nemo repentè fit ſummus, aſcendendo non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Aſcendamus igitur velut duobus quidem pedibus meditatione, & oratione; meditatio quidem* docet,

docet, quid ſit, oratio ne deſit obtinet; meditatione denique cognoſcimus imminētia nobis pericula, oratione euadimus: Vbi per orationem ſignificatur petitio. Similiter Richardus à S. Victore in Beniamin p.1. cap.79. *Per triplex*, inquit, *ſtudium ad huius cognitionis celſitudinem perducimur; per ſtudium operis, per ſtudium meditationis, per ſtudium orationis*, id eſt, petitionis. *Multa enim experimur operando, multa inuenimus inueſtigando, multa extorquemus orando*, hoc eſt petendo. Et D. Thomas 2.2.q.82. art.3. ait, meditationem eſſe primum contemplationis gradum, quod maximè verum eſt de meditatione non ſolum diſcurſiua, ſed imaginaria: quatenus ex eodem S. Doctore multis in locis maximè 1. p. q. 84. art. 7. qu. 85. art.1. & q.87. art.2. ad 2. ordo præſcriptus à natura, quem præſupponit, & non deſtruit, ſed perficit gratia, eſt, vt ab imperfectioribus ad perfectiora aſcendatur: vndè cum res ſpirituales in hac vita mortali ſint nobis obſcuræ, & parum cognitæ, nec cognoſcamus illas, niſi per ordinem ad ſenſibilia, & corporalia eorumque ſpecies; priuſquā ad ſimplicem illarum contemplationē perueniamus, neceſſe eſt prius exerceri in meditatione ſenſibili, & corporali, tum diſcurſiua.

Quamuis autem hæc vtraque oratio diſcurſiua, & non diſcurſiua, imaginaria, & intellectualis poſſint eſſe communes tam Incipientibus, quam Proficientibus, nihilominus magis propria iſtorum eſt non diſcurſiua, ſeu contemplatiua, & intellectualis, illorum verò imaginaria, & diſcurſiua. Ratio eſt primò, quia, vt ait D. Thomas 1.2.q.27. art.3. Similitudo eſt cauſa amoris, ſiquidem cauſæ, & omnia agentia operantur, cum maiori vi, & efficacia cum rebus maiorem cum ipſis ſimilitudinē habentibus; igitur cum meditatio corporalium, & per ſpecies ſenſibiles, varioſque diſcurſus maiorem habeat ſimilitudinem cum Incipientibus, & qui ſunt in via purgatiua, ſitque etiam magis connaturalis modo operandi humano, mirum non eſt, ſi dicatur etiam magis ipſorum propria. Via tamen eſſe debet ad vlteriorem, & perfectiorem contemplationem. Quare fugienda ſunt hic duo extrema, ſeu potius dæmonis tentamenta, primo alta, ſecundo humilia ſuadentis. Nimirum vt quæramus finem ſine medijs, hoc eſt veram contemplationem, ſine meditatione ſenſibili, & diſcurſiua; quod eſt rationi contrarium, & conſequenter Theologiæ Myſticæ, quæ rationi non eſt aduerſa; aut ſiſtamus in meditatione, vel oratione ſenſibili, & diſcurſiua, nihil diuinam curantes contemplationem. Quod repugnat fini vltimo, ad quem omnia debemus referre.

Itaque Proficientium eſt, ex diſcurſu imaginario transferre ſe ad nudam, ac ſimplicem in fide contemplationem rei meditatæ; vt enim meditatio, vel oratio ex D. Thoma in 2. ſent. diſt. 24. q.2. art. 3. poſſit mouere voluntatem, qui eſt finis, ad quem oratio ordinatur, eſt neceſſarium, quod diſcurſus inquiſitionis ceſſet, & quietem quamdam habeat, & vniformitatem, & ceſſante ratione ſpeculariua, ratio practica communicet animæ ſubſtantiam ſpeculationis, & hoc fit quando ceſſat diſcurſus, & intellectus eſt in quiete, & vniformitate notitiæ acquiſitæ per diſcurſum, qualis eſt notitia contemplatiua. Vnde ſupracitatus Richardus rectè ait: Quod bona meditatio debet habere pro fine contemplationem, & illuſtrationem diuinam. Quatenus ſicut ab oratione diſcurſiua incipientium propria, tranſeunt proficientes ad contemplationem per ſimplex lumen fidei, ita ab iſta diuinitus eleuantur perfecti ad illam, quæ vt plurimum exercetur per dona Spiritus Sancti, tanquam ipſorum propriam. Iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 3. 18. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu*.

§. IV.

§. IV.

De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinariæ in affirmatiuam, & negatiuam.

EX huc vſque explicatis diuiſionibus orationis ſupernaturalis ordinariæ, noſtroque labore cum diuinæ gratiæ auxilio acquiſibilis, vt potè modum operandi humanum non excedentis, vt eſt illa, quæ fit ex inſtinctu Spiritus Sancti per excellentiſsima eius dona, oriuntur adhuc aliæ tres cum prædictis ferè coincidentes, de quibus, cum paſſim in libris Myſticis, & alijs fiat mentio, neceſſe eſt, vt hic breuiter de illis agamus. Prima itaque eſt illa, qua diuiditur in orationem, quæ eſt per affirmationem, & in eam, quæ eſt per negationem. Secunda, qua diuiditur in orationem, quæ eſt per aſcenſum, & in eam, quæ eſt per deſcenſum. Tertia tandem, qua diuiditur per tres motus in circularem, rectam, & obliquam.

Incipiendo à prima, quæ alijs etiam terminis poſitionis, & ablationis, vel æquiualentibus fieri poteſt, expreſſum eius habemus fundamentum in diuinis Scripturis bifariam Deum exprimentibus, quaſi duplex ſit, quem de Deo formare debeant conceptum, qui in eius contemplatione verſantur. Primus enunciatur, per affirmantia nomina, aut verba, quę cum in Deo quidpiam ponant, idcircò pertinent ad orationem, vel contemplationem, quæ per modum affirmationis, vel poſitionis progreditur; Secundus per negantia, quæ cum à Deo aliquid remoueant, idcircò deſeruiunt contemplationi, per modum negationis, vel ablationis. Hanc eamdem duplicem Deũ contemplandi rationem, aut viam plures quoque approbarunt Patres, Baſilius lib. 1. contra Eunomium; Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 1. vbi affirmationem negationi coniungens, ita de Deo loquitur: *Intelligamus Deum, ſi poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine intelligentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine ambitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla mutatione ſui mutabilia omnia facientem*. Cyprianus, vel quiuis alius ab eo author in Prologo de operibus Cardinalibus Chriſti. Ioannes Damaſcenus lib. 1. de fide. Nec non Ioannes Cypariſſiotus decade 2. cap. 1. Sed his, & alijs primus facem prætulit Dionyſius Areopagita pluribus in locis; quorum præcipua ſunt, cap. 11. de Cæleſti Hierarchia. Cap. 7. de diuinis Nominibus. Cap. 1. & 2. Theologiæ Myſticæ. Et ex his fontibus poſtea ad Scholaſticos deriuata eſt hæc eadem diuiſio; illaque vtuntur D. Thomas 1. p. quæſt. 13. art. 2. & 12. 2. 2. qu. 8. art. 7. in 3. diſt. 34. q. 1. art. 4. & diſt. 35. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. D. Bonauentura opuſc. de paruo bono q. 3.

Sed priuſquam ex his, vtriuſque huius cognitionis naturam explicemus, aduertendum eſt, Theologos tũ Scholaſticos, tum Myſticos, præclaro duplicis artificis exemplo, vel ſymbolo, Pictoris nimirum, & Sculptoris diſpari modo eamdem effigiem formantis, illam apprimè ſignificaſſe. Quorum primus alicuius imaginem repręſentaturus faciem, ac totius lineamenta corporis exprimit additione: ſcilicet in ligno, lapide, aut tela colores coloribus tamdiu copulando, & adiungendo, donec imaginem perfecerit. Sculptor autem contrarium facit, qui malleo, ſcalpro, alijſque inſtrumentis paulatim hinc inde quidpiam ex lapide, vel ligno demit, donec tandẽ omnibus perfectum partibus ſimulachrum, vel ſtatua prodeat. Qui enim ad Dei contemplationem via affirmationis aſcendit, videtur aſſiduè pingere, dum è varijs rerum creatarum perfectionibus, quas Deo tribuit, ſecluſis tamen earum imperfectionibus, eius veluti imaginem efformat, affirmatque eum eſſe ſapien-

tem, iuſtum, bonum, miſericordem, ac denique talem, quo maius & excellentius excogitari nihil poteſt: Sculpere verò, ſeu ſculptorem agere, qui via negationis, quatenus non ignorans, Deū nec perfectione vlla creata, nec omniū aggregatione ſatis repræſentari poſſe; imo infinito interuallo vniuerſis eſſe ſuperiorem, remouet ab eo quicquid in creaturis pulchri reperitur, vt ſic tandem ſublimiorem cunctis ſenſibilibus, intelligibilibuſque formam effingat. Et ſic vero ſenſu negat Deum eſſe ens, vitam, ſapientiam, cæteraque huiuſmodi. Si quidem in rei veritate non eſt Deus horum aliquid eo, quo à nobis modo concipitur, vel in creaturis reperitur.

Huius duplicis modi contemplandi Deum, duplex quoque datur fundamentum: Vnum ex parte noſtri; Alterum ex parte Dei. Scilicet ex parte noſtri, imperfectio intelligendi; ex hoc enim, quod pro præſenti ſtatu Deum ſine medio non cognoſcimus, neque illius conceptum abſque relatione aliqua ad creaturas formare poſſumus, fit, vt cum illum contemplamur, ad modum entis alicuius perfecti, ſed nobis noti, ideoque creati eumdem concipere debeamus. Verùm quia creatis perfectionibus omnibus immixta ſemper eſt aliqua imperfectio, vel defectus, dum hunc, & omnes alios à Deo ente in ſe puriſſimo, ac perfectiſſimo remouemus, per negationes, & ablationes, in eius notitiam deuenimus. Ex parte autem Dei, eſt eiuſdem infinitas, eo enim ipſo, quod ſit abſque vlla limitatione infinitus, comprehendit in ſe, quicquid perfectionis eſſe, vel cogitari poteſt, ſed cum ex his perfectionibus, vt mox dicemus, aliæ ſint nullam in ſuo conceptu eſſentiali imperfectionem inuoluentes, secus verò aliæ, propterea ſequitur, plura ſaltem de Deo formaliter affirmari poſſe, plura verò negari debere; vt in hoc declarando totum fere caput primum de diuinis nominibus inſumit D. Dionyſ.

Sic igitur cognitio Dei affirmatiua, ſiue per poſitionem eſt illa, qua omnes prorſus perfectiones excogitabiles ei tribuimus, vnamquamque tamen ſuo modo; huiuſmodi enim perfectiones ſunt in triplici differentia, aliæ puræ increatæ, ſolique Deo competentes, vt ratio actus puri, creatoris, & ſimiles, quæ ex vi ſui formaliſſimi conceptus increatæ ſunt, nec alio modo obiectiuè concipi poſſunt, Aliæ purè creatæ, vt eſſe dependens, & potentiale, vel quæ ex ſuo formali conceptu aliquam dicunt imperfectionem ab eo prorſus impræſcendibilem, vt ratio corporis, accidentis, & ſimiles. Aliæ tandem, quæ medio veluti modo ſe habent, quia licet, vt reduplicatiuè ſunt in creaturis aliquam dicant imperfectionem, nullā tamen prorſus inuoluunt ex ſuo conceptu formali, vt ratio ſubſtantiæ, viuentis, intelligentis, quæ propterea vocantur perfectiones ſimpliciter ſimplices. Primæ formaliter de Deo efferuntur, quamuis pro vt ipſæ ſunt in ſe non concipiantur, taliſque modus, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata, tribui illi non poſſit. Secundæ virtualiter eminenter tantum; non autem formaliter, ea ratione qua in cauſa effectiua æquiuoca, & vniuerſaliſsima, qualis eſt Deus, continentur eminentiori, & perfectiori modo omnes prorſus effectus. Tertiæ formaliter eminēter, quia non ſecundum imperfectionis modum, quo reperiuntur, aut limitatè, aut tanquam accidentia in creaturis.

Inde eſt quod in contemplatione Dei affirmatiua debent potius huiuſmodi perfectiones concipi, & exprimi, tum internè, tum externè per vocabula ex propoſitione *ſuper*, & nomine ſubſtantiuo, vel adiectiuo compoſita, apud Dionyſium vſitatiſsima, dum vocat Deum ſuperſubſtantialem, ſuperſapientem, &c. ſic enim ex vna parte intelligitur, quod importata in illis perfectionibus verè, & ſimpliciter Deo conueniunt: ex alia verò parte per illum exceſſum concipitur, & ſignificatur,

quod

quod tales perfectiones alia eminentiori, ac ſuperiori ratione competant Deo, quam in creaturis appareant. Propterea que D. Thomas exponens cap. 7. de diuinis nominibus, hunc modum cognitionis, vel contemplationis vocat per exceſſum, ſiue præſtantiam. Et de ipſo debet intelligi Boetius lib. de Trinitate, vbi ait: Deum non eſſe ſubſtantiam, ſed ſuper-ſubſtantiam. Idem quoque D. Thomas 1. p. qu. 13. art. 3. diſtinguens duo in nominibus, quæ Deo tribuuntur, & perfectionem ſignificatam, & modum cognoſcendi, ſiue modum non rei conceptæ, ſed ipſius conceptus, ait, primum propriè competere Deo, ac magis propriè quã creaturis, atque adeo prius dici de illo, quàm de iſtis; ſi verò attendatur ſecundum, ſeu modus concipiendi, & ſignificandi, propriè Deo nequaquam conuenire, quia habent modum ſignificandi proprium creaturarum. In concreto enim ſignificant per modum compoſitionis, quæ in Deo non reperitur. In abſtracto, per modum formę, quæ imperfectionem inuoluit. Vndè cum dicitur perfectiones huiuſmodi nominibus conceptas, & ſignificatas propriè conuenire Deo, & magis propriè quam creaturis, aduerbium propriè non ſolùm ſumitur, quatenus opponitur aduerbio metaphoricè, ſed etiam diſtinguitur contra communiter; ſiquidem huiuſmodi perfectiones non ſunt abſolutè communes Deo, & creaturis, nullam cum ipſo conuenientiam vniuocam, ſed tantum analogam, vel proportionalem habentibus, analoga autem ſunt illa, quorum etſi nomen ſit commune, ratio tamen ſignificata eſt ſimpliciter diuerſa, & ſecundum quid tantum eadem. Quare non ſunt probandi nonnulli Theologi docentes, Deum non habere aliquid commune, quod ſit in ipſo, & creaturis, neque vt ſpecies, neque vt genus, neque vt analogiæ principium; ſed eſſe ibi tantum imitationis communitatem, qua creata imitantur creatorem, vt queunt; quæ non eſt vera, vt aiunt, communitas. Etſi enim admitti non debeat vera inter Deum, & creaturas communitas, ſi ſumatur prędicatio vera, pro prædicatione propriè dicta, vel vniuoca, eiuſdem perfectionis, analoga tamen, vel ſecundum quid neganda non eſt, niſi velimus abuti terminis.

Quæcumque inſuper in hac cognitione, vel contemplatione per viam affirmationis propriè, vt explicuimus, Deo attribuuntur, docet D. Thomas loc. citato art. 2. ſubſtantiam diuinitatis deſignare, & ſignificare, ſeu prædicari de Deo ſubſtantialiter, quamuis deficiant à repręſentatione illius. Hoc fundatur in infinita ſimplicitate Dei, nullum præter rationis diſtinctionem admittente inter attributa, & eſſentiã diuinam, quæ adhuc diſtinctio rationis eſt penes implicitum, & explicitum tantùm; ita vt Deus per idem formaliter ex parte rei conceptæ ſit ſapientia, per quod eſt bonitas: per idem iuſtitia, per quod eſt miſericordia; & quodlibet horum eſſentialiter eſt totum, quod eſt Deitas, & omnia quæ Deitas; Quamuis pro pręſenti ſtatu, quo Deum in ſe non cognoſcimus, ſed ex creaturis, atque adeo quatenus illum repræſentant, non ſint ijdem formaliter omnes eius conceptus, cum enim vnico actu omnia illa, quæ formaliter in ipſo ſunt, diſtinctè attingere, vel adæquare non poſsimus, multiplicatis id actibus, vel conceptibus præſtare conamur, ad diſtinctionem Beatorum, qui Deum intuitiuè, & ſicut in ſe eſt cognoſcentes vnico actu viſionis Beatificæ contemplantur omnia, quæ in eo formaliter ſunt, taliter quod nec eſſentiam ſine attributis, nec vnum attributum ſine alio cognoſcere poſsint, etiam de potentia abſoluta, iuxta probabiliorem ſententiam: Ex hac, inquam, infinita Dei ſimplicitate habetur, & docent Patres, maximè D. Auguſtinus lib. 6. de Trinitate cap. 4. & 7. lib. 7. cap. 1. S. Anſelmus in Monologio cap. 15. & 16. D. Bernardus ſerm. 80. in Cantic.

contra

contra Gilbertum Porretanum, nomina,& conceptus omnes noſtros ſubſtātiam Dei ſignificare, quamuis imperfectè, vt diximus.

Tandem, cum nonnulli, quos refert D. Thomas loco citato, nec non in 1. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. exiſtimarint, quæ in contemplatione per viam affirmationis in Deo concipiuntur, potius ab illo quidpiam remouere, quam tribuere; ita vt cum dicitur viuere, hac vita tantùm ſignificetur, non ita ſe habere, ſicut res inanimes; aut cum vocatur ſubſtantia, non eſſe ſicut accidens; vel vt explicant alij, perfectiones iſtas competere Deo negatiuè dupliciter. Primò ad remouendum priuationem, ſeu defectum oppoſitum, vt, cum dicitur Deus eſt ſapiens, vel iuſtus, ſignificetur in eo non eſſe malum inſipientiæ, vel iniuſtitiæ. Secundò, pro vt ex negatione relinquitur, ſeu conſequitur aliquid, vt ex hoc quod quis dicatur immaterialis, infertur quod ſit intelligens; hoc falſum eſſe cum eodem S. Doctore tenendum eſt, præterquam enim indè ſequitur mira nominum, & rerum confuſio, tolliturque omnis loquendi proprietas, inſuper haberetur, Deum æque propriè dici poſſe corpus, ac ſubſtantiam, ad ſignificandum eum non eſſe ens potentiale, cuiuſmodi eſt materia prima. Imo concipi poſſet, vt materia prima, & hæc de eo affirmari, ad ſignificandum, non eſſe omnino nihil.

Non magis audiendi ſunt, qui aſſerunt, quæ de Deo affirmantur, tribui illi ſecundum cauſalitatem tantum, per ordinem ad creata; vt cum dicitur, Deus eſt bonus, ſit ſenſus, Deus eſt cauſa bonitatis in rebus, & ſic de alijs perfectionibus. Quod etiam dupliciter explicant, vel quia Deus cauſat perfectiones eiuſdem denominationis in rebus; vel quia ad modum creaturæ ſe habet. Vt cum dicitur intelligens, & iuſtus; idem ſit, quod inſtar intelligentis, ac iuſti ſe habet. Etſi enim libenter admittamus, verumque ſit multa dici de Deo non formaliter, ſed cauſaliter tantum, cuiuſmodi ſunt omnia illa entia, quæ in ſuo conceptu formali aliquam includunt perfectionem; nō tamen modo explicato, ſed quatenus omnia prorſus rerum genera, ſpecies, ac indiuidua in eo ſunt tanquam in cauſa vniuerſaliſſima, ſecundum rationes æternas, ſeminales, ac ideales; vt verè eleganterque Nazianzenus orat. in Natalit. Deum appellarit, *Pelagus eſſentiæ infinitum, ac interminatum*; & propterea dictus etiam fuerit, *Pan*, ſeu *vniuerſum*, vt oſtendit Auguſtinus Eugubinus lib. 3. de perenni Philoſophia; quoniam vniuerſa, quæ aliquod eſſe habent, ampliſſimo quaſi Diuinitatis ſinu comprehendit; ſic tamen omnia de illo affirmari, omnino abſurdum eſt, tum quia non poſſet adduci ratio, cur quædam nomina magis de illo affirmarentur, vel prædicarentur, quam alia: ita enim eſt cauſa corporum, ſicut eſt cauſæ iuſtitiæ, & ſapientiæ; atque adeò æque poſſet dici Deus corpus, ſicut ſapiens, & iuſtus. Tum quia, vt ſatis patet ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, dum in ea affirmatur de ipſo, quod viuat, quod ſciat omnia, quod amet homines, certè aliud quid ſignificatur, quam eum eſſe authorem vitæ ſcientiæ, vel amoris in creaturis; nimirum eiuſmodi perfectiones, ac ſimiles, quæ nullam in ſuo conceptu formali includunt imperfectionem, affirmari debere de Deo formaliter eminenter, vt diximus.

Quia autem in eadem contemplatione affirmatiua, multa Deo ex diuinis Scripturis tribuuntur, quæ nonniſi figuratè, ac metaphoricè de eo intelligi poſſunt; cuiuſmodi ſunt omnia, quæ ſimbolicè illi accommodantur, vt dictum eſt ſuperiori libro, inde aduertendum eſt, quæ ſic impropriè dicuntur, alias non ſignificare perfectiones, quam quæ propriè de eodem affirmantur. Ita vt eædem perfectiones per diuerſa licet nomina, vel prædicata ſignificentur. Cum enim res per voces

tro-

tropicas propriè ſignificatæ, ſi conſiderentur ſecundum ſe non reperiantur in Deo, neque conſequenter illi ſub ea ratione tribui poſsint, ſed ſub metaphora, per quam nomina à propria ad impropriam ſignificationem transferuntur, non poſſunt aliam ſignificare perfectionem, quam quæ per nomina propria exprimitur, talis enim perfectio eſt impropria nominum tropicorũ ſignificatio. Sic, vbi in Scriptura tribuitur Deo nomen tropicum Leonis, nihil aliud ſignificat, quam diuinam virtutem, aut potentiam, quam propriè ſignificat nomen fortis, vel potentis; & ſic de alijs, quæ ſuppoſitis loco citato dictis vlteriorem non habent difficultatem.

Iam ergo, quod attinet ad aliud membrum diuiſionis, nimirum orationis, vel contemplationis negatiuæ, ſeu per ablationem, illa nihil eſt aliud, quam cognitio, qua remouemus à Deo omnes prorſus perfectiones, quas videmus, & intelligimus, eo ſcilicet modo, quo illas in creaturis & videmus, & intelligimus, & ita dicimur intrare in diuinam caliginem ignorationis Dei, docente nos fide, Deum nihil horum eſſe; vt docet D.Dionyſius cap.7. de diuinis nominibus, vbi agens de hac duplici contemplatione ait: *Itaque in omnibus Deus noſcitur, & ſine omnibus: ſcientiaque Deus cognoſcitur, & ignoratione: Eſtque eius & notitia, & ratio, & ſcientia, & tactus, & ſenſus, & opinio, & viſio, & nomen, & cætera omnia: & neque intelligitur, neque nominatur. Non eſt etiam aliquid eorum, quæ ſunt: nec in quoquam eorum, quę ſunt, noſcitur. Et in omnibus eſt omnia: atque nihil in quoquam: omnibuſque ex omnibus cognoſcitur, & ex vlla re nemini.* S. Dionyſio ſubſcribit D. Thomas in 3. diſt. 35. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc.2. vbi ait: *Quod intellectus ad ſpiritualia ingreditur dupliciter: Vno modo per viam remotionis, dum à ſpiritualibus viam, quæ in corporalibus inuenitur, remouet: Alio modo, ſecundum quod vlterius in ipſa ſpiritualia defigit intuitum. In ſtatu ergo viæ intellectus ingreditur ad ſpiritualia primo modo, maximè ad diuina: Quia in hoc perficitur cognitio humana ſecundum ſtatum viæ, vt intelligamus Deum ab omnibus ſeparatum ſuper omnia eſſe, vt dicit Dionyſius in lib. de Myſtica Theologia: Et ad hoc peruenit Moyſes, qui dicitur intraſſe ad caliginem, in qua Deus erat. Exodi 19. Et propter hoc etiam quantum ad ſtatum viæ munditia ponitur in ſexta beatitudine, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus: Sed ad ſecundum modum pertingere non poſſumus in ſtatu viæ, maximè quantum ad Deum: Sed hoc erit in patria: Vnde Gregorius ſuper Ezech.homil. 14. Quandiu in hac carne mortali viuitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, vt in ipſo iam incircumſcripto luminis radio mentis oculos infigat; ſed quidquid modo de illo conſpicitur, non eſt ipſe, ſed ſub ipſo eſt: Hoc tamen infirmæ mentis deſiderio ſatisfacit, quia ſecundum quod Philoſophus dicit in ij de animalibus, Amans in parua comprehenſione amati magis delectatur, quam in magna aliorũ comprehenſione: Et ideo, vt ipſe dicit, illud parum quod de ſubſtantijs ſeparatis cognoſcere poſſumus, plus deſideratur, & delectat, quam quidquid de alijs rebus cognoſcimus.* Hactenus ibi Diuus Thomas.

Hoc eſt autem potiſsimum inter vtramque hanc contemplationem diſcrimen ex D. Dionyſio cap. 3. Theologiæ Myſticæ, quod in prima, quæ exercetur per affirmationem, ſumi debeat exordium à poſitione rerum, vel perfectionum magis excellentium in Deo, hoc enim, vt ſatis per ſe conſtat, magis congruit nobilitati naturę illius, quę vt rerum omnium perfectiones ſuperat, non poſſunt non ſublimiora eſſe illi viciniora, atque adeò, quæ tribuuntur illi perfectiones in contemplatione affirmatiua, per nomina propria, & non tropica, aut metaphorica, non poſſunt non eſſe perfectiones excellen-

cellentiores; dixi per nomina propria, quia, vt ſuperiori libro diximus ex eodem Areopagita cap. 2. de cæleſti Hierarchia, quando fit per nomina metaphorica, eo melius fit, quo minus conſentaneis, aut diſsimilioribus ſignis, ac ſymbolis fit. Ac verò in contemplatione per negationem, ablatio inchoāda eſt ab his, quæ ſunt magis vilia, & abiecta, & à Deo conſequenter magis diſsita, & aliena.

Quoniam particula ſuperlatiua ſuper dupliciter ſumi poteſt. Primo, vt propriè ſignificat iuncta nomini ſubſtantiuo, vel adiectiuo exceſſum, vel præſtantiam alicuius rei pręalia: Secundò, vt minus propriè ſignificat quodammodo aliquam excluſionem; quamuis iuxta hanc acceptionem in contemplatione negatiua poſſint efferri, vel ſignificari remotiones per particulam ſuper, dicique Deus ſuperſapiens, ſuperbonus, & ſic de reliquis; quia nimirum excludit ſapientiam, & bonitatem, aliaſque omnes perfectiones creatas, ita vt verè concipiatur, & dicatur Deus eſſe nihil earum; attamē ſi particula ſuper ſumatur primo modo, ſic eſt propria contemplationis affirmatiuæ tribuentis propterea Deo, vt diximus ſupra, formaliter eminenter, omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, id eſt, quæ nullam in ſuo conceptu formali, aut eſſentiali imperfectionem includunt. Per quod facilè conciliantur diſſidentes circa hoc Theologorum opiniones.

In hac contemplatione negatiua, licet deueniendum ſit ad nihil, eo videlicet ſenſu, quod Deus nihil eſt prorſus eorum, quæ extra ipſum ſunt, ſiue rerum creatarum, quandoquidem ab eo remouētur omnes earum perfectiones, & inde vocatur contemplatio negatiua, non deuenitur tamen ad nihil Dei abſolutè, quia licet à nobis nec cognoſcatur, nec concipiatur, in ſeipſo tamen ſemper eſt Deus, & conſequenter omnia, licet vltra omnia creata; hic enim modus Deum cognoſcendi negat omnia, quæ de Deo dicuntur, non propter eius imperfectionem; ſed quia ipſe omnia illa ſuperiori quadam ratione antecellit. Ideoque etiam diuina vocatur caligo; licet enim nulla res ex tot repræſentatiuis, & ſimilitudinibus, effectibus, & exemplis, ex tot rationibus, argumentis, & medijs, ex tot veſtigijs, & doctrinis agnoſcatur vt Deus, quo ad an eſt, in eo tamen concipiendo, vel exprimendo quo ad quid eſt mens noſtra omnino caligat, donec in patria videamus eum ſicuti eſt, hoc eſt in lumine lumen. Vnde Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 85. exponens verſum illum: *Non eſt ſimilis tibi in Dijs Domine*, hæc aurea habet verba: *Quodlibet aliud cogitet homo, non eſt ſimile, quod factum eſt, illi, qui fecit. Excepto Deo, quidquid aliud eſt in natura rerum, factum eſt à Deo. Quantum intereſt, inter eum, qui fecit, & illud, quod factum eſt, quis digne cogitet? Iſte ergo dixit: Non eſt ſimilis tibi in Dijs Domine; Quātum autem eſt diſſimilis Deus? non dixit, quia dici non poteſt. Intendat, Charitas veſtra, Deus ineffabilis eſt. Facilius dicimus, quid non ſit, quam quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc Deus. Mare cogitas, non eſt hoc Deus. Omnia quæ ſunt in terra, homines, & animalia, non eſt hoc Deus. Omnia, quę ſunt in mari, quæ volant per aerem, non eſt hoc Deus. Ipſum cœlum, non eſt hoc Deus. Angelos cogita, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes. Non eſt hoc Deus. Et quid eſt hoc? Solum potui dicere, Quid non ſit. Quæris quid ſit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quęris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit?*

Vnde etiam ſatis patet, in hac contemplatione, quantumuis negatiua, & per ablationes, formari tamen aliquem conceptum, ſeu verbum mentis, quia in qualibet intellectione creata formatur conceptus, aut verbum de re, quæ intelligitur, quod eſt vel ipſamet intellectio, vt volunt aliqui, vel terminus

ab

ab eo ſeparabilis, vt volunt alij. Qui conceptus per negationes etiam formatus, eſt conceptus poſitiuus, & abſolutus Dei, confuſus tamen, & vniuerſalis. Quatenus ſublatis à Deo per negationes omnibus perfectionibus creatis, relinquitur in intellectu pulcherrima ſpecies, vel imago à contemplante tanquam à Myſtico Sculptore efformata, non tamen diſtinctè, quia non intuitiuè; illum repræſentans. Quo aptiſſimo Sculptoris exemplo vtitur S. Dionyſius, vt iam notauimus ſupra, videturque clarè demonſtrari res præſēs. Quemadmodum enim poſtquam Sculptor, è ligno, vel marmore artificiosè dempſit tollenda, remanet vera imago ab eo intenta; ita quoque ſubductis à Deo per negationes, veluti per ſcalpellum myſticum, omnibus perfectionibus creatis tanquam inſufficientibus particulis ad formandum perfectū eius conceptum, remanet in contemplantis animo alius conceptus, qui omne illud à nobis per affirmationem poſitum in infinitum excedit, eſtque conceptus entis perfecti, ſeu ex omni parte, ac genere infiniti. Hic enim eſt proprius Dei conceptus; & rei nulli creatæ conueniens, abſolutus, non intuitiuus. De quo Dominus ad Moyſen: *Ego ſum, qui ſum*. Hæc dices filijs Iſrael: *Qui eſt miſit me ad vos*. Exod. 3.

Etſi enim conſtitutiuum Dei præciſiuè ſumpti ſit gradus vitæ intellectualis, per quem Angeli, & homines dicuntur eſſe ad imaginem eius; attamen ſi conſideretur, vt quid omnino diſtinctum ab omnibus creaturis, aut eſt mēbrum diuidens in illa diuiſione, qua ens analogice diuiditur in ens à ſe, vel independens, & in ens ab alio, vel dependens, in ens infinitum, & finitum, puriſſimum, & potentiale, aut alijs ſimilibus terminis, ſic, vt alias docuimus, conceptus Dei abſolutus debet exprimi per rationem entis à ſe; independentis, infiniti, puriſsimi; ſic enim apprehenſus, & expreſſus, erit in apprehenſione, & expreſsione quidpiam continens perfectiones omnes poſsibiles, aut cogitabiles abſque vllo termino, aut limitatione, vel formaliter, vel eminenter. Hoc tamen ipſum, quamuis poſitiuum, per negationem concipitur, & exprimitur, quia alio modo concipi, & loquutione noſtra exprimi non poteſt; & non eſt aliud, quam ſumma, & nunquam ſatis explicabilis, quia intellectui creato incomprehenſibilis Dei perfectio. Vt meritò dixerit Sanctus Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 4. *Cùm Deus nobis incomprehenſibilis ſit: hoc ſolum de eo comprehendimus, quod incomprehenſibilis ſit*. Cumque etiam perfectiſſimus ſit, nihil verius de eo concipimus, & loquimur, ſiue lingua, ſiue mente, quam cum ab eo omnem perfectionem remouemus. De quo videri poteſt Diuus Auguſtinus, tum lib. 8. de Trinitate cap. 1. tum lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 6. Interim vltimo infero in hac contemplatione per negationem concipi immediatè Deum in ratione obiecti. Ratio eſt, quia in ipſa Deus immediatè intelligitur, quod enim intelligitur eſt illud, quod ablatis perfectionibus creatis remanet, ſeu quod eſt ſupra omnes perfectiones creatas, vt dictum eſt, illud autem non eſt aliud quam Deus; adeoque de illo immediatè formatur conceptus; immediatè enim aliquid intelligi, & de illo immediatè conceptū formari non diſtinguntur. Dictum eſt immediatè Deum intelligi, & concipi in ratione obiecti, quia, quæ mediant ſpecies, quomodocumque ſit, non impediunt abſolutè immediatam obiecti intellectionem, vel conceptionem.

Quam autem vtilis eſt hic contemplandi modus per negationes ex Richardo Victorino in Cant. cap. 1. Diuo Bonauentura de paruo bono par. 3. & alijs, tùm quia quo magis ab omni creaturarum cogitatione, & ſpecie mētem abducimus, eo ſimus Deo propiores; tum quia dum cogitamus, eum nihil eſſe illorum, quæ in hominum ſenſus incurrunt eo maiorem erga tale

tantumque Numen ſubiectionem profitemur; tam quoque difficilis eſt; nam ſi impoſsibile eſt, via ſaltem ordinaria de qua agimus modo, ſectione ſequenti acturi de extraordinaria, Dei conceptum formare, abſque aliquibus rerum creatarum ſpeciebus per viam diſcurſus, indè patet huius contemplandi modi præ affirmatiuo arduitas, quo remoueri debent à Deo omnes huiuſcemodi ſpecies. Quam difficultatem expertus Diuus Auguſtinus lib.7.Confeſſ. cap. 1. & lib. 10. cap. 6. 17. & 24. practicè ibidem docet modum illam ſuperandi, ſeu praxim contemplationis negantis per ſeparationem perfectionum omnium, vbi videri poteſt.

Maioris quoque perfectionis eſſe modum contemplandi negatiuum, quã affirmatiuum communiter docent Patres, Cyprianus, vel alius author, prologo in lib. de Cardinalibus Chriſti operibus, Gregorius Nyſſenus homil.6. in Cant. D. Auguſtinus in Pſalm. 85. Sãctus Ioannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 4. D. Bonauentura de paruo Bono par. 3. Quia licet ex parte obiecti, idem ſit Deus cognitus, modus tamen illum cognoſcendi per negationẽ excellentior eſt modo cognoſcendi per affirmationem. *Primò*, quoniam pro præſenti ſtatu verius cognoſcimus de Deo, quid non ſit, quam quid ſit, neque enim definibilis eſt diuinitas, igitur cum modus cognoſcendi negatiuus indicet quid non ſit, quoniam quidquid ſenſui ſubiacet, illud eſſe nõ poteſt, quod omnem ſuperat intellectum, præferri debet modo affirmatiuo conanti exprimere quid ſit, attribuendo illi perfectiones, quæ reperiuntur in creaturis. *Secundò* quia ipſa cognitio affirmatiua non eſt vera, aut perfecta, niſi per negationem, ſcilicet, quatenus ita aliquas de Deo aſſerit perfectiones, vt tamen remoueat ab iiſdem imperfectiones, quibus admiſcentur in creaturis, quod non fit niſi per negationem. Nec refert, quod hoc modo negatio præſupponat affirmationem, quia ſupponit illam, vt quid deſtruendum, negando videlicet de Deo, omne illud, quod de ipſo affirmatur, tanquam omnino inſufficiens ad illum concipiendũ, vel exprimendum. Vnde etiam *Tertiò* probatur eiuſdem cognitionis negatiuæ, præ affirmatiua nobilitas. Quia licet affirmatio ſit nobilior negatione, quando per iſtam remouetur à ſubiecto aliqua perfectio ipſi proportionata, ſecus tamen quando eſt improportionata, ſiue inferior; Igitur cum modus cognoſcendi Deum negatiuè, neget omnia, quæ de illo affirmantur, nõ propter eius imperfectionem, quaſi nimirum talia attributa aut eſſent illi adæquata, aut ſuperiora, ſed potius propter infinitam illam perfectionem, qua ipſe omnia illa in infinitum quoq; antecellit, quæque propterea concipi à nobis non poteſt; manifeſtè ſequitur hunc modum cognoſcendi Deum per negationem præcellere alteri per affirmationem. In Patria tamen, vbi intuitiuè Beati vident Deum ſicuti eſt, conceptus affirmatiuus nobilior dicendus eſt abſolutè negatiuo. Ratione cuius poſſet etiam dici, modum cognoſcendi affirmatiuum eſſe abſolutè, ac ſimpliciter negatiuo præſtantiorem; ſi quidem ad hoc ſufficit quod intra totam ſuam latitudinem habeat cognitionem omni alia negatiua nobiliorem, qualis eſt viſio Dei Beatifica.

Quamuis autem hæ duæ cognoſcendi rationes, ob diuerſum quem habent tendendi modum in Deum, tanquam in ſuum obiectum, videantur habere inter ſe oppoſitionem, talis nihilominus non eſt, quin inter ſe aliqualiter connectantur. *Primò* quia modus affirmatiuus ordinatur ad negatiuum, negari enim, aut remoueri abſolutè nihil poteſt, quin prius affirmatum, aut poſitum fuerit; contemplans igitur Deum cum idcirco non remoueat ab illo perfectiones omnes, quod ſentiat in ipſo eas non eſſe, ſed non eſſe, ſicut illas concipit, & affirmat, verum longe eminentiori modo, quem ipſe ignorat, pro-

pterea tales negat de Deo perfectiones, exiſtimatque Deum melius apprehendi per negationes, quam per affirmationes. *Secundò*, quia per vtrumque modum idem attingitur obiectum, ſiue tam per affirmationem, quam per negationem, eadem de Deo perfectio prædicatur. Nam E.g. cum ei ſapientiam ineſſe dicitur, aut ſapiens pronuntiatur, perfectio illi tribuitur, qua ſe,& omnia alia altiſsimo quodam modo cognoſcit. Quando verò ab eodem ſapientia per negationem remouetur, limitatio quædam, ſeu modus minus nobilis, quam ſummo enti competat aufertur: atque ita eadem perfectio per excellentiam eidem ſemper adſcribitur, & conſequenter hi duo modi licet eumdem non habeant conceptum formalem, eumdem tamen obiectiuum vltimatè habent.

Iam ſi conferantur hi duo modi, vel ſpecies orationis ſupernaturalis ordinariæ cum præcedentibus, ita videntur ſe habere, quod oratio via affirmationis correſpondeat orationi diſcurſiuæ, & imaginariæ; non diſcurſiuæ autem, & intellectuali, quæ fit via negationis. Vnde ſicut iſtæ duæ ſunt magis proficientium propriæ, ita quoque & oratio negatiua, modo tamen ordinario, & humano, quamuis ex principijs ſupernaturalibus fidei, & charitatis elicita; nam ſi fiat, ſicut & aliæ etiam, modo extraordinario, hoc eſt mediantibus virtutibus infuſis, iam per dona Spiritus Sancti, perfectis, & ad modum quemdam operandi diuinum eleuatis, ſic pertinet ad viam vnitiuam perfectorum, vt dicetur ſectione ſequenti. Et non amplius ordinaria, ſed extraordinaria dicenda eſt oratio, vel contemplatio.

Ad hanc quoque diuiſionem referēda eſt, quam habet D. Thomas cap. 7. de diuinis nominibus, in Contemplationem ſecundum rationem cauſæ, quando nimirum, quæcumque in rerum natura conſpiciuntur, tanquam effectus Dei ſeu primæ cauſæ conſiderantur; in Contemplationem per exceſſum, ſiue præſtantiam, quam indicant vocabula ex præpoſitione ſuper, & nomine ſubſtantiuo, vel adiectiuo compoſita: Et in Contemplationem per negationem, ſeu ablationem rerum, quas cernimus, aut intelligimus. Ad contemplationem enim via affirmationis, quæ etiam vocatur contemplatio, vel oratio per exceſſum, ſiue præſtantiam, & eminentiam, vt explicuimus ſupra, reducitur contemplatio ſecundum rationem cauſæ, qua tribuuntur Deo eminenter tanquam vniuerſaliſsimæ rerum omnium cauſæ, omnes earum perfectiones.

§. V.

De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinariæ in eam, quæ eſt per aſcenſum, & in eam, quæ eſt per deſcenſum.

Diuerſimodè explicari poſſunt hæ duæ orationis, vel contemplationis ſpecies; Primò, ita quod contemplatio per aſcenſum ſit illa, qua quibuſdam quaſi gradibus à cognitione creaturarum ad Creatoris contemplationem deuenimus: Contemplatio verò per deſcēſum ſit illa, qua ex Creatoris contemplatione per quamdam redundantiam ad contemplandas creaturas, tanquam ad ſecundarium contemplationis obiectum veluti reuertimur. Huius diuiſionis ſic explicatæ fundamentum eſt, quod ſicut cauſa, eiuſque perfectio reſplendet in proprijs effectibus, tanquam in imagine, vel in ſpeculo,aut veſtigio ſuo,ita quoque effectus, eorumque perfectio relucet in propria cauſa, tanquam in exemplari,vel in principio: vndè & cognitio effectuum ad contemplationem cauſæ, & vice verſa cognitio cauſæ ad contemplationem effectuum nos manuducit.

Secundò hæc eadem diuiſio congruè explicari poteſt, per ordinem ad duos

duos libros, quos Deus materiam noſtræ contemplationis eſſe voluit. Primus eſt, mundus iſte viſibilis, omnibus ſemper apertus, rectèque dictus liber aſcenſus, quia ex eius conſideratione, ad diuinam aſcendimus, vt mox dicemus, contemplationem: Secundus, liber diuinarum Scripturarum, vocatus liber deſcenſus, quia diuinitus inſpiratus, atque adeò per illum ad nos veluti deſcendit Deus, docens nos plura, quæ, nonniſi eo reuelante, per fidem, de ipſo, & nobis cognoſcere poteramus. Nec enim oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit, quod Deus præparauit diligentibus ſe.

Incipiendo igitur à primo, de illo intelligitur, quod ait Regius Propheta Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*; Item quod ait Sapiens cap. 13. 1. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt: neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet artifex.* Nec non tandem illud Diui Pauli Rom. 1. 20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Sed cum iſte liber tripliciter legi poſſit. *Primò*, curioſè, ſiue ſolo ſciendi animo, atque adeò inutiliter ad ſalutem, quomodo ipſum legerunt Gentiles illi Philoſophi, & mundi ſapientes, quos Apoſtolus loco ſtatim citato reprehendit dicens eos, Deum cognouiſſe, ſed non ſicut Deum glorificaſſe, nec gratias egiſſe, ſed euanuiſſe in cogitationibus ſuis. Quare D. Auguſtinus lib. de Vera Religione cap. 29. ait: quod in creaturarum conſideratione non vana, & peritura curioſitas eſt exercenda, ſed gradus ad immortalia, & ſemper permanentia faciendus. *Secundò* pernicioſè, vt legerunt, de quibus dicitur Sapient. 14. 11. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Quatenus aſpicientes externam duntaxat ſpeciem creaturarum, ſicut pueri, qui legere neſcientes, pictura tantũ, & minio characterum delectantur, non penetrare ſtudent, ad quid propriè ſignificandum, manu ſapientiſsimi conditoris, ſingulæ fuerint efformatæ, nẽpè, vt ait Richardus à Sancto Victore lib. 6. de Arca Myſt. cap. 4. ad illa tria nobis tacita indicanda, Accipe, Redde, Caue; Accipe nimirum beneficium, Redde gratias tanto benefactori, & Caue, ne inde ſumas occaſionem peccati. *Tertiò* tandem legi poteſt vtilitèr, & fructuoſè, hoc eſt in ordine ad magis cognoſcendum, & amandum Deum, quomodo ait Regius Propheta Pſal. 142. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarũ meditabar, expandi manus ad te.* Nec non Pſalm. 91. *Quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*; nimirum iubilo diuinæ dilectionis. Et Sanctus Antonius, apud Socratem lib. 4. hiſt. cap. 18. aliquando interrogatus à quodam Philoſopho, qua ratione vir adeò ſapiens, qualis ipſe erat, tantaque præditus intelligentia vitam ſine libris in eremo poſſet traducere: ipſe reſpondit, magnum ſe habere librum mundũ hunc vniuerſum, in quo, qui bene legere nouiſſet, plurima poſſet addiſcere, & de multis quotidie erudiri. De tali lectione agimus in præſenti, quando dicimus librum mundi, eſſe etiam materiam orationis, vel contemplationis diuinæ ſupernaturalis. Quæ autem eſt materia contemplationis pure naturalis, & humanæ, ſicut eſt liber mundi, omnibus apertus, & viſibilis, poſſe quoque eſſe materiam contemplationis infuſæ, & ſupernaturalis tam ordinariæ, quam extraordinariæ, pro anima iam diuinæ gratiæ donis eleuata, & exornata, ſatis per ſe conſtat, etſi enim quæ inferiora, ad ſuperiora ſe extendere non poſſint, ſecus tamen ſuperiora maiori luce prædita ad inferiora: Sic-

que

que Sacrę Scripturæ liber ſæpe, & maximè in Pſalmis Dauidicis, ad Deum in operibus ſuis cognoſcendum, & amandum, magnificandum, & exaltandum nos excitat, atque inducit.

Iam ergo, quod attinet ad vtilem, & fructuoſam huius libri lectionem, talis ſanè erit, ſi in illo quatuor iſtæ veluti paginæ attēta cōſideratione in generali reuoluātur, nimirū à quo factus ſit, ad quid factus, quomodo factus, & qualis ſit factus. Item cū ex dictis ſuperiori paragrapho dupliciter ad Dei cognitionem ex creaturarum libro peruenire poſſimus, nimirum via affirmationis, & via negationis, fructuosè prima incedemus, ſi conſideratis tam in communi, quam in particulari cuiuſcumque vel minimę creaturę perfectionibus, inde aſcendamus ad concipiendam, & formandam infinitam Dei perfectionem, & ſuo modo in illā referamus, vel ſingulatim illi attribuamus omnes illas perfectiones. Ad quod præſtandum, tot gradus aliqui conſtituunt, quot ſunt præcipua creaturarū genera. Primum elementorum, ſecundum mixtorum inanimatorum, tertium meteororum, quartum cælorum, quintum vegetabilium, ſextum ſenſibilium, ſeptimum intellectualium. De quibus videri poſſunt ex antiquis Richardus, & Hugo Victorini, D. Bonauentura, ex recentioribus autem plures, ſed maximè Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus in verè aureo opuſculo de Aſcenſione mentis in Deum per ſcalas rerum creatarum. Quo autem ordine earum perfectiones Deo attribuuntur via affirmationis, eodem quoque ſingulatim via negationis ab illo remoueri debent.

Vniuerſim adhuc via veluti affirmationis dantur plures modi ex creaturarum libro ad Dei cognitionem, vel contemplationem aſcendendi. Primus eſt conſiderando in ſingulis, id quod forma dicitur, à qua omne eſſe, & operationum energia, inde enim eleuatur mens ad ſupremum eſſendi, ac operandi principium inquirendum, & cōtemplandum. Secundus eſt, examinando rationem cauſæ, & effectus, ex perfectione enim effectus deprehenditur perfectio cauſæ: cum omnis cauſa, maximè vniuerſalis contineat perfectionem ſuorum effectuum. Tertius eſt, inueſtigando officia Dei, tanquam cauſæ vniuerſaliſſimæ erga creaturas, eas creando, conſeruando, gubernando, & prouidendo, quod veluti pertinet ad modum orationis per deſcenſū à Deo, tanquam ab obiecto contemplationis primario, ad creaturas, tanquam ad obiectum ſecundarium, iuxta primam ſuperius adductam huius orationis explicationem. Ex hac enim veluti effuſione Dei verſus creaturas plane conſtat non paucas nobis innoteſcere eius perfectiones, & attributa, quæ mirum in modum animos hominum inflammatos totaliter ad ſe trahant, ſommaque ſuauitate perfundant. Vnde Pſalm. 35. dicitur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ,* quaſi totius creaturæ, & ſic *torrente voluptatis tuę potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.* De quo vide D. Thomam in epiſtolam ad Romanos, vbi explicat illud: *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, nec nō 2.2. q.180. art.4. & in cap.1. lib.2. contra Gentiles.

Via etiam negationis, præter modum iam dictum, quo mens ſupra omne creatum eleuata, illudque prætergreſſa, abſque varietate diſcurſus hæret defixa in ſimplici contemplatione Dei, licet occulti, & tecti nebula inacceſſibilis diuinitatis, dantur quoque alij modi eiuſdem contemplationis per aſcenſum. *Primò*, Deum intuendo, ea ratione, qua concipitur fuiſſe ante mundi creationem: quando nec cæli erant, nec elementa, extra ipſum: in ipſo enim ab omni æternitate fuere omnia, quæ rationem entis participant, tanquam in fonte eſſendi, & veluti in artifice, in quo ſunt ideæ rerum faciendarum. Sic enim concipi poteſt, abſque vllo creaturarum

turarum conſortio, ſe ſolo feliciſſimus, ſe ſibi bonorum omnium cumulus, ſe ſibi voluptas liquidiſſima, ac denique honor, & gloria ſuperabundantiſſima. *Secundò*, ſi conſideretur inſuper cum operatione, non quidem exteriori, ſed quæ in ipſo reſideat; ſic enim concipi poteſt, perfectiſſimè ſe cognoſcens, & in ſe poſſibilia omnia, & conſequenter vim virtutemque ſuam omnem comprehendens, & eminentiam omnium ſuarum perfectionum, infinita quadam ſapidiſſimaque, qua pleniſſime beatus eſt, contemplatione.

De quibus omnibus, & ſimilibus bonis, nec non alijs, quæ fides, ſeu liber diuinarum Scripturarum nos docet, de Deo Vno, & Trino, quomodo nimirum Pater generet conſubſtantialem ſibi filium: vterque verò amando ſe amore quodam abdito, & reciproco nobiſque incomprehenſibili, producat vt vnum principium Spiritum Sanctũ &c. ſi contemplans verò congaudeat affectu, magis de illis, quam de proprijs lætans, contemplatio erit numeris omnibus abſoluta.

Quantum igitur ad alterum librum, Sacræ videlicet Scripturæ, qui non metaphoricè, vt hoc Vniuerſum, ſed proprijſſimè, & per excellentiam liber appellandus eſt, quippe qui totum fere continens, quod in magno mundi libro poſſumus contemplari, & inſuper multa alia ordinis altioris diuinitus reuelata, tantam præbet contemplandi materiam, quot in eo Deus fidei veritates, ac myſteria nos docere voluit. De quibus innumeri in hunc finem extant libri, qui poſſunt conſuli, nec enim huius loci, nec mei eſt inſtituti ſingillatim de illis agere. Solum in communi aduerto ſacros libros, ſeu omnem Scripturam Sacram, ad finem exercendi contemplationem diuinam, *eo ſpiritu debere legi, quo facta eſt*, vt ait deuotus Thomas à Kempis lib. 1. de imitat. Chriſti cap. 5. Non igitur ſtudio accurato, vel Theologico eam addiſcendi legenda eſt, etſi enim non parum adiuuare poſſit negotium internæ orationis, vel contemplationis, paucorum tamen eſt, nec omnibus etiam permittitur, quibus tamen contemplandi ſtudium, & exercitium conceditur. Multo minus legenda eſt vitio curioſitatis, aut alio minus ordinato affectu vanæ ſcientiæ; verum ſicut ad nos venit, tanquam epiſtola à Deo miſſa, tanquam cæleſte oraculum, & alloquium illius, cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum; eodem affectu reciproco eum loquentem audire, edoctaque ab eo in Scriptura myſteria, v. g. alicuius in Euangelio narrati miraculi, alicuius parabolæ, vel actionis Chriſti Domini, piè meditari, ac contemplari debemus. Quo certe affectu eam legebat D. Auguſtinus, qui lib. 9. Confeſſ. cap. 2. ait: *Sint, ò Domine, caſtæ delitiæ meæ Sacræ Scripturæ tuæ, non fallar in eis non fallam ex eis*. Et iterum, *legebam, & ardebam*. Nec non Sanctus Carolus Borromæus, qui, vt habetur in eius Vita lib. 8. cap. 2. Sacram Scripturam ſemper detecto capite, & genibus flexis legere ſolebat.

§. VI.

De diuiſione orationis ſupernaturalis ordinaria in Circularem, Rectam, & obliquam.

HVius diuiſionis expreſſam facit mentionem Sanctus Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus, & ex eo D. Thomas quæſt. 8. de Veritate art. 15. ad 3. tum maximè 2. 2. quæſt. 180. art. 6. quem excitat de ipſa, & vbi eam explicat analogicè, ſiue per ordinem ad tres motus locales. *Operatio*, inquit, *intellectus, in qua contemplatio eſſentialiter conſiſtit, motus dicitur, ſecundum quod motus eſt actus perfecti, vt ex Philoſopho dicitur in 3. de Anima. Quia verò per ſenſibilia in cognitionem intelligibilium deuenimus, operationes autem ſenſibiles ſine motu non fiunt, inde eſt, quod etiam operationes intelligibiles, quaſi motus* quidam

quidam deſcribuntur, & ſecundum ſimilitudinem diuerſorum motuum earum differentia aſſignatur. In motibus autem corporalibus, perfectiores, & primi ſunt locales, vt probatur 8. Phyſicorum. Et ideo ſub eorum ſimilitudine potiſſimè operationes intelligibiles deſcribuntur. Quorum quidem ſunt tres differentiæ. Nam quidam eſt circularis, ſecundum quem aliquid mouetur vniformiter circa idem centrum: Alius autem rectus, ſecundum quem aliquid procedit ab vno in aliud. Tertius autem eſt obliquus, quaſi compoſitus ex vtroque. Et ideo in operationibus intelligibilibus id, quod ſimpliciter habet vniformitatem attribuitur motui circulari. Operatio autem intelligibilis ſecundum quam proceditur de vno in aliud, attribuitur motui recto. Operatio autem intelligibilis habens aliquid vniformitatis ſimul cum proceſſu ad diuerſa, attribuitur motui obliquo. Hæc ibi Diuus Thomas.

Porrò trium horum motuum habentur exempla; Primi in corporibus cæleſtibus, quæ mouentur circa centrum terræ, in eadem ſemper diſtantia ſecundum ſe tota manendo; vnde ſecundum partes tantummodò ſunt mobilia, ſecundum ſe autem immobilia. Secundi, qui fit vel aſcendendo, vel deſcendendo, vel tranſuerſum eundo, in corpore leui recta ſurſum tendente, in corpore graui recta deorſum, & in ſagitta, quæ ſaltem in principio directa in tranſuerſum mouetur. Tertij in corporibus dextrorſum, vel ſiniſtrorſum à termino à quo, ad terminum ad quē progredientibus.

Hæc cum pertineant ad explicationem veluti in genere trium præfatorum motuum intellectualium, illos magis in ſpecie declarans D. Thomas loco citato de veritate ait: *Tribus enim modis anima mouetur in Deum, vno modo inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt viſibilia conſpiciens, & iſte eſt motus rectus, vnde dicit, quod in directum mouetur anima, quando ab ea, quæ circa ſeipſam progreditur, & ab exterioribus, ſicut à quibuſdam ſignis variatis, & multiplicatis ad ſimplices, & vnitas ſurſum agitur contemplationes. Alio modo mouetur in Deum, ex illuminationibus ex Deo receptis, quas tamen recipit ſecundū modum ſuum ſenſibilibus figuris velatas, ſicut Iſaias vidit, Deum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Et hic eſt motus obliquus habens aliquid de vniformitate ex parte diuinæ illuminationis, & aliquid de difformitate ex parte ſenſibilium figurarum, vnde dicit, quod obliquè mouetur anima, in quantum ſecundum proprietatem ſuam diuinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter, & ſingulariter, ſed rationabiliter, & diffuſè. Tertius modus eſt, quando anima à ſe omnia ſenſibilia abijcit, ſupra omnia Deum cogitans, & etiam ſupra ſeipſam, & ſic ab omni difformitate ſeparatur. Et hic eſt motus circularis, vnde dicit, quod animæ circularis motus eſt introitus ad ſeipſam ab exterioribus, & intellectualium virtutum ipſius conuolutio, & quod demum iam vniformis facta vnitur vnitis virtutibus, & ſic manuducitur ad id, quod eſt ſuper omnia.* Ita D. Thomas.

Sic igitur ex doctrina Diui Dionyſij à S. Thoma explicata: Motus contemplationis rectus eſt, cum anima ex cōſideratione pulchrorum, ac bonorum, ſeu perfectionum, quæ hic in creaturis ſparſæ, ſed limitatæ, alioue modo imperfectionis admixtæ reperiuntur, ad contemplationem ſummi illius pulchri, ac boni; quod Deus eſt, directè conſurgit, ita vt ſtatim ad illud dirigatur, ſecluſa ab eo omni imperfectione. Qui motus maximè reperitur in oratione, vel contemplatione per aſcenſum ſuperius explicata; Nec tantam habet vniformitatem quantam circularis, ſiquidem præter multiplicitatem aliorū actuum annexam, qua ſæpe vel diſtrahitur, vel ſaltem remittitur, nam pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, in ſeipſo quoque ex tali diſtractione, vel remiſſione, vel nimia etiam intenſione, quamdam patitur difformi-

tatem,

tatem, ac veluti continuam varietatem.

Motus contemplationis obliquus eſt quando anima ex Dei contemplatione, maximè orta ex lectione Sacræ Scripturæ, ſeu ex diuina per fidem reuelatione; nec non aliquando ex particulari Dei inſpiratione, qua ipſe mentem contemplantis excitat, diuertitur ad contemplandos varios eius effectus, promiſsiones, aut alia ſimilia, tam in ſe, quam in alijs creaturis relucentia, vnde iterum reuertitur ad contemplãdum Deum, vel aliquod eius attributum v. g. potentiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ, in admirationem illius veluti raptus. Quapropter hic motus maximè reperitur in oratione, vel contemplatione per deſcenſum, ſuperius quoque explicata, & participat aliquid tam de recto, quam de circulari; De illo quidem difformitatem ſuorum actuum qui in illa diuerſitate, & varietate obiectorum formantur: De iſto verò vniformitatem, in contemplatione Dei per modum principij, & finis; quatenus ab ipſo, vt dictum eſt, ad conſideranda plurima eius opera procedit, & ab illis rurſus ad ipſum redit.

Motus tandem contemplationis circularis eſt ipſamet ſimplex contemplatio Dei, vel diuinitus per fidem reuelati, ſeu ex diuinis principijs cogniti, vel etiam ex creaturis, modo tamen ſupernaturali, & cum charitate coniuncto, & non naturaliter ſolùm (ſic enim eſſet contemplatio merè naturalis, aut Philoſophica, de qua modo non agitur) relictiſque omnibus earum ſpeciebus, tum ſenſibilibus, tum intelligibilibus. Etſi enim contemplatio ordinaria, licet ſupernaturalis, ſecundum ſtatum præſentis vitæ, non poſſit eſſe abſque phantaſmatibus, quia connaturale eſt homini, vt ſpecies intelligibiles in phantaſmatibus videat, ſicut Philoſophus dicit in 3. de Anima. Tamen intellectualis cognitio non ſiſtit in ipſis phantaſmatibus, ſed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis. Sic ergo, quia in hac contemplatione anima nequaquam ſecum rerum creatarum vmbras trahit, vel fortaſſe tractas manu diſcretionis abigit, vt ait D. Gregorius lib. 6. Moral. vt vniformiter, id eſt abſque difformitate, ſeu diuerſitate aliarum ſpecierum, vel operationum ſenſibilium circa alia obiecta verſantium, ſoli Deo dulciter vacet, propterea vocatur circularis, id eſt circa Deum, tanquam circa centrũ, mobiliter quidem, quia non otioſè ſe voluens, immobiliter autem, quia nihil extra illum cogitans, vel quærens, ita vt ibi ſit veluti in labore requies; etſi enim motus corporales, & ſenſibiles opponantur quieti animæ, prout de illa agitur in præſenti, ſecus tamen ſpirituales, & intelligibiles puræ contemplationis, imo ſunt in hac vita inchoatè tranquilla vltimi finis poſſeſsio, & felix in eius fruitione quies. Vnde ſatis patet, hunc contemplationis modum, vel motum ferè coincidere cum altero per negationem ſuperius explicato.

Verùm, licet, homo conueniat in intellectu cum Angelis in genere, quia tamen vis intellectiua eſt multo altior in Angelo, quam in homine; ſiquidem intellectus Angeli habet cognitionem vniformem, ſecundum duo. Primo quidem, quia non acquirit intelligibilem veritatem ex varietate rerum compoſitarum. Secundò, quia non intelligit veritatem intelligibilem diſcurſiuè, ſed ſimplici intuitu. Intellectus verò animæ à ſenſibilibus rebus accipit intelligibilem veritatem, & cum quodam diſcurſu rationis ipſius eam intelligit, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 180. art. 6. propterea ibidem ex D. Dionyſio paulo aliter in Angelis tres præfatos motus explicat, vbi videri poteſt:

Solum aduerto hos tres motus ita ſe habere in hominibus, ſi remaneant intra limites orationis ſupernaturalis ordinariæ, vt duo primi magis conueniant incipientibus, tertius autem ſit

proficien-

proficientium maximè proprius. Dixi ſi maneant intra limites orationis ſupernaturalis ordinariæ; nam ſi conſiderentur, ſecundum quod tam ipſi, quam omnes alij contemplandi modi ſuperius explicati, eminentiori ratione reperiuntur in contemplatione perfectorum propria, hoc eſt prouenienti à Donis Spiritus Sancti, certum eſt illam pertinere ad viam vnitiuam, imo perfectam cum Deo vnionem in illa conſiſtere, licet interdum, ipſo ita miſerante, & ſpirante vbi, & quando vult, tam incipientibus, quam proficientibus communicetur.

§. VII.

De diſpoſitionibus Proficientium ad orationem ipſorum propriam.

CVm omnes ſupradictæ orationis ſupernaturalis ordinariè ſpecies, provt ſimpliciter ab extraordinaria, vel infuſa, tam quoad modum, quã quoad ſubſtantiam diſtinctæ, ſubſtantialiter, vel eſſentialiter ſint eædem, accidentarioque duntaxat modo differant, licet quæ propria Incipientium dicatur aliquando naturalis, vel acquiſita, nec non ordinaria, quæ verò Proficientium ſupernaturalis, infuſa, & extraordinaria, propterea etiam, quod ſpectat ad cauſam efficientem earum creatam, ſiue ad eorum, qui orationi vacant diſpoſitiones, eædem quoque ſubſtantialiter eſſe debent, differuntq; ſolum accidentaliter penes modum maioris, vel minoris perfectionis in Incipientibus, & Proficientibus.

Huiuſmodi autem diſpoſitiones in genere ſunt in duplici differentia, aliæ negatiuæ, aliæ verò poſitiuæ. Priores ſunt illæ, quibus remouentur, vel auferuntur impedimenta, orationi obſtantia, ſeu vires orantis, ne rectè oret, infringentia, & debilitantia; quæ ex D. Bernardo ſerm. 23. in Cant. reducuntur communiter ad quatuor, ſcilicet *ad ſenſum egentem, curam pungentem, culpam mordentem, ea quæ difficilius amouentur irruentium imaginum corporearum phantaſmata.* In his igitur, ac ſimilibus, vt Incipientes, quorum eſt gratiam, & charitatem iam receptã conſeruare, totis viribus conari debent cum diuina gratia remouere illa omnia, quæ charitatem extinguere, vel deſtruere poſſunt; ita Proficientes, quorum eſt eamdem charitatem augere, debent, modo ſuperius explicato, etiam venialia peccata vitare; quorum affectus ſi actu inhærcant, vel ſi qui inhæſerant, non omninò euellantur, voluntatem ipſam charitatis feruore, qui verè orationis ſpiritus eſt, & quaſi anima, deſtitutam ſummoperè debilitant, atque ad terrenos affectus à ſupernarum rerum contemplatione, ac deſiderio deprimunt. Quamobrem inter poſitiuas ad orationem diſpoſitiones reponenda eſt maximè vitæ ſanctitas, & puritas, vt ſtatim dicetur: Deus enim mundis corde libentius adlaborat, ſeque illis videndum, & guſtandũ præbet; vt ait D. Bernardus ſerm. 62. in Cant. *Placeat neceſſe eſt facies, quæ in Dei claritatem intendere poteſt; neque enim id poſſet, niſi clara quoque ipſa eſſet & pura, vtique transformata in eamdem, quam conſpicit claritatis imaginem alioquin ipſa diſſimilitudine reſiliret, inſolito reuerberata fulgore.*

Quantum iam ad diſpoſitiones poſitiuas, ſeu poſitiuè orationem iuuantes. Prima eſt viua fides, in cuius potiſsimum ſimplici lumine Proficientes contemplantur, vt diximus ſupra, quatenus purificatio cordis eſt effectus eius, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 7. art. 2. & probat ex illo Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* Quod explicans ait, *impuritatem vniuſcuiuſque rei conſiſtere in hoc, quod rebus vilioribus immiſcetur. Non enim dicitur argentum eſſe impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, ſed ex permixtione plumbi, vel ſtanni. Manifeſtum eſt autem, quod rationalis creatura dignior eſt omnibus temporalibus, & corporalibus creatu-*

creaturis: & ideo impura redditur ex hoc, quod temporalibus ſe ſubycit per amorem: à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum ſcilicet tendit in id, quod eſt ſupra ſe, ſcilicet in Deum: in quo quidem motu primum principium eſt fides. Accedentem enim ad Deum oportet credere, vt dicitur Hebræor. 11. Et ideo primum principium purificationis cordis eſt fides, qua purificatur impuritas erroris: quæ ſi perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem cauſat.

Quâ igitur fides etiam informis, multoque magis per charitatem formata, & viua excludit quamdam impuritatem ſibi oppoſitam, ſcilicet impuritatem erroris, quæ contingit ex hoc, quod intellectus humanus inordinatè inhæret rebus ſe inferioribus, dum ſcilicet vult ſecundum rationes rerum ſenſibilium metiri diuina, ex D. Thoma 2.2. q. 7. art. 2. ad 2. Item ad eius lumen, quo perfectius fuerit, deprehenduntur, vel minima peccata venialia diligenter à Proficientibus quantum poteſt fugienda ex dictis ſupra, non poteſt non eſſe in illis fides aptiſsima ad orationem, & contemplationem diſpoſitio ex his capitibus. Sicut in Incipientibus ſe habet tanquam principium ſpiritualis vitæ, & fundamentum illius.

Altera diſpoſitio ex parte intellectus ad contemplationem, vel orationem Proficientium propriam, eſt cognitio ſaltem confuſa, & generalis naturæ ipſius, proprietatum, & effectuum. Cum enim natura noſtra in primo parente corrupta, & ad bonum ſenſibile ſuo veluti pondere declinans, virtutis auſteritate plerumque deterreatur, vitæque cōtemplatiuæ difficultates horreat; non parum ad illas ſuperandas, voluntatemque excitandam ad eius amorem, conducunt rationes ab intellectu propoſitæ, & ex dignitate contēplationis tam in ſe, quam in ſuis effectibus deſumptæ, quæ propterea ſaltē confuſè, & in generali vitam contemplatiuam aggredienti, multoque magis in ea proficienti nota eſſe debent, iuxta viam ordinariam.

Ex parte voluntatis ad contemplationem quoque, non quidem eſſentialiter, ſed diſpoſitiuè pertinent virtutes morales, quarum maximè augmento ſtudere debent Proficientes. *Impeditur enim*, ait S. Thomas 2.2. qu. 180. art. 2. *actus contemplationis, in quo eſſentialiter conſiſtit vita contemplatiua, & per vehementiam paſſionum, per quam abſtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad ſenſibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam paſſionum, & ſedant exteriorum occupationum tumultus; & ideo virtutes morales diſpoſitiuè ad vitā contemplatiuam pertinent.* Vel, vt ibi explicat Caietanus, virtutes morales dupliciter diſponunt ad vitam cōtemplatiuam. Vno modo reſpiciendo ad ipſam contemplationem. Et ſic diſponunt indirectè, hoc eſt remouendo prohibens, ſcilicet paſſiones, & occupationes exteriores, quæ prohibent contemplari. Alio modo reſpiciendo cauſam contemplationis, quæ eſt charitas. Et ſic directè diſponunt, & pertinent virtutes morales ad vitam contemplatiuam, quia directè diſponunt, & pertinent ad charitatem.

Ex his tamen maximè diſponit, neceſſariaque eſt ſumma animi fortitudo. Cum enim ex S. Iob cap. 7. *Militia ſit vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenary dies eius*; hiſque duobus præſertim ſtatibus comparetur vita præſens propter duo, quæ imminent homini, vt ſcilicet reſiſtat impedimentis, & nociuis; & propter hoc comparatur militiæ; & vt operetur vtilia ad finem, & propter hoc comparatur mercenario, in quibus duobus, vt non deſunt plures labores, plures contentiones, aut certamina aduerſus carnem, mundum, ac demonem, nos à contemplatione auertentia, vnde dicit Sanctus Ephrem in quadā exhortatione: quod bellum militum breue, ſed Monachi

pugna, donec migret ad Dominum, ſemper durat; ita quoque ſumma deſideratur animi fortitudo, ad contemplationem, qua tamen, vt in ſequenti dicetur paragrapho, ex forti tandem hauritur dulcedo, hoc eſt vera animi delectatio.

Temperantia quoque, quæ reprimit concupiſcentias, & in ea maximè caſtitas reddunt hominem aptum ad ſuperuam Dei contemplationem, cum nihil ſit, quod magis mentem ad ſenſibilia deprimat, quam delectationes Venereæ. Rectèque propterea ait Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Mulierem innuptã, & virginem, cogitare, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Nec mirum, cum enim in hoc ſancto contemplationis exercitio mens quodammodo in Deum transformata, ſe habeat per modum ſpeculi, quod inter alias qualitates debet eſſe terſum, propterea que terra, & quodlibet opacum corpus recipit quidem vmbram, ſed non ſpeciem, ſeu non repręſentat, ad huiuſmodi transformationem, vel repręſentationem, neceſſe eſt animam ab omni, vel minima quantum poteſt, impuritatis macula eſſe innoxiam, vt ait D. Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 15. Sicque experientia compertum eſt, nullum fere eſſe, qui verè caſtitatem colat, carnemque ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigat, & ſe contemplationi exercendæ diſpoſitum, & expeditum non ſentiat. Iuxta illud Chriſti Domini: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matt. 5.

Sed cum ſupradicta, & ſimilia ſpectent ad remotam etiam diſpoſitionem, vel præparationem ad contemplationẽ, nunc loquendo de proxima, qua vtraq; cauſa illius, Deus nimirum, & homo, veluti immediatè diſponitur, & completur, vt in effectum influat, eſt duplex, vna interna, altera externa, quarum prior licet ſit magis principalis, ambæ tamen ſunt magni ad orationem vel contemplationem momenti.

Diſpoſitio igitur proxima interna conſiſtit in ijs actibus internis, quibus omnes hominis facultates, memoria, intellectus, voluntas, & imaginatio ipſa ad rectè orandum, vel contemplãdum præparantur, & aptantur, nec nõ etiam Deus excitatur, vt gratiæ ſuæ influxum adiungat. Ad memoriam enim reuocanda eſt præparata iam per lectionem materia rei contemplandæ; per intellectum cogitanda, & ponderanda, tum etiam veluti à longè proſpiciendi, quinam potiſſimum effectus ex ea poſſunt elici: in voluntate autem excitandum deſiderium, non ſolum generale placendi Deo, faciendique voluntatem eius, verum etiam fructuosè impendendi tempus illud contemplationi deſtinatum, & præuiſos iam tum affectus, eos præſertim, qui vtiliores eſſe poſſunt, exercendi. Huius autem deſiderij rectè orandi, quanta ſit vtilitas docet S. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini cap. 3. his verbis: *Ipſa orationis intentio cor noſtrũ ſerenat, & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda diuina munera, quæ ſpiritualiter nobis infunduntur.* Imaginatio denique, cum magis ſit volubilis, exercitio maximè diuinæ præſentiæ cohibenda eſt, ne vagetur, indeque ortæ diſtractiones, & mentis tumultus eius ſolitudinem impediant tantoperè neceſſariam accedenti ad orationem; vt ait D. Gregorius lib. 30. Moral. cap. 12.

Actus autem interni, quibus pręſertim diuinam ad benè orandum promeremur gratiam, eſt humilis, ſimulque fiducialis eius à Deo petitio, tum propriæ coram eo infirmitatis agnitio, & confeſſio, nec non de peccatis quantumuis minimis vera contritio. Ad quos, & ſimiles affectus formandos mirum in modum prodeſſe, conducereq; poteſt, pręparatos habere nonnullos Pſalmorum Dauidicorũ verſus, vniuſcuiuſque deuotioni accommodatos, V. g. ex Pſalm. 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: ſuſceptor meus es.* Pſalm. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxe-*

duxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Pſal. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco, quem poſuit.* Et ſic de alijs pluribus.

Alter actus diuinam quoque tam in ingreſſu, quam in progreſſu orationis promerens gratiam, eſt interna ergà Deum reuerentia; vt autem reuereri, & vereri, à quo verecundia, ſicut à reuereri reuerentia nominatur, eſt aliquid quodam modo timere, indè ſpecies quædam timoris eſt ipſa reuerentia interna, qua voluntas ſuppońens in intellectu cognitionem infinitæ Dei præſentis excellentiæ, & propriæ vilitatis, illi ſe prorſus, omneſque vires ſubijcit; cuius exemplum dedit, & praxim nos docuit Abraham oraturus Geneſ. 18. dicens; *Loquar ad Dominum, cum ſim pulnis & cinis.* Cum autem ſpecies timoris boni ſint potiſſimum duæ; alius enim timor eſt, quo timetur pœna, & ſeruilis appellatur, imperfectus, non tamen malus, alius quo timetur culpa, & dicitur filialis; dum in præſenti dicimus internam Dei reuerentiam conſiſtere in timore Dei, non eſt ſermo de timore ſeruili, qui etiam reperitur in peccatoribus, & licet non ſit malus, vt alias docuimus contra hæreticos huius temporis, eſt tamen imperfectus; ſed de filiali neceſſariò cum charitate in homine iuſto coniuncto. Cuius timoris filialis, ſiue caſti, & ſancti, atque adeo reuerentiæ, quia tres ſunt gradus: Primus propter culpas commiſſas præſertim graues, cum quo acceſſit ad Chriſti pedes mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, *& ſtans retrò*, inquit S. Lucas cap. 31. *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis ſuis tergere.* Secundus propter culpas inſuper veniales, ſed deliberatè factas, vel etiam ex ſubreptione. Tertius demum etiam ob culpas, quas licet aliquis non commiſerit, neque de illis exſtimuletur à conſcientia, ſaltem committere potuiſſet. Vt primus eſt incipientium proprius; ita ſecundus proficientium; tertius autem perfectorum; quo S. Iob, etiam ſi de ſe diceret 31. 23. *neque reprehendit me cor meum in omni vita mea:* addebat tamen: *ſemper ego quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui*; nec non etiam S. Paulus 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me Dominus eſt.* Quæ reuerentia interna, licet præcipuè neceſſaria ſit in principio, vel ingreſſu orationis, toto nihilominus eius tempore retinenda eſt, taliter, vt nihil in intimis etiam cordis noſtri receſſibus lateat, vel nobis placeat, quod vel minimum diuinæ maieſtatis oculos offendat.

Quod attinet iam ad alteram diſpoſitionem proximam externam, ad contemplationem, vel orationem, illa quoque maximè conſiſtit in reuerentia Dei per exteriorem corporis compoſitionem; cui licet interna longè præcellat, ad quam comparatur tanquam anima ad corpus, vel corpus ad ſuam vmbram, & nucleus ad corticem, vnde ſola exterior corporis compoſitio, & cultus reuerentię interiori vacuus Deo placere non poteſt, mentis ac cordis habitum præcipuè intueri, cum ex eo veluti principio corporis omnes motus, ac quies, vt verè pij ſint, deriuari debeant, negari tamen non poteſt, quin externa quoque corporis reuerentia ſit alicuius momenti in oratione. Quod clarè demonſtrat tum exemplum Chriſti in horto Gethſemani ad terram vultu, totoque corpore depreſſo orantis: tum aliorum Sanctorum; de Sancto enim Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo teſtatur S. Hieronymus lib. de viris illuſtribus, aſſiduitate flectendi in oratione ita callum genibus obduxiſſe, vt duritie pellem cameli imitaretur: addit S. Chriſoſtomus homil. 5. in Matth. etiam eius frontem aſſidua proſtratione corporis vſque ad paui-

mentum,

mentum, callo ſimiliter fuiſſe obductam. Tum inde Eccleſiæ vſus, ac traditio. Tum denique ratio ipſa. Sicut enim ex anima conſtamus, & corpore, ita non anima tantum, ſed etiam corpore oportet Deum venerari, vt totus homo Domino, & factori ſuo integer famuletur. Et hoc certè eſt, *Deum in ſpiritu, & veritate adorare*, vt ait Chriſtus Ioann. 4. 23. ita ſcilicet vt primas in oratione partes teneat mens, & corpus id ipſum, quod in ſe mens habet, externa ipſa compoſitione, ac reuerentia exprimat, eaque deuotio orationis augeatur. Vt rectè ait D. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 5. his verbis; *Orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt: quamuis eorum inuiſibilis voluntas, et cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indicijs, vt ei humanus pandatur animus; ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius atque feruentius, et neſcio quomodo cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, ijſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hos cordis affectus, qui vt fierent iſta præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.*

Externæ autem huius corporis compoſitionis, vel reuerentiæ in oratione tres ſunt pręcipuæ ſpecies, aut formæ. Prima ſtandi erecto corpore, Secunda in genua procumbendi, Tertia humi ſe reliquo etiam corpore proſternendi. Quarum quælibet ſuas adhuc varietates admittit. Stando enim poteſt aliquis orare, ambas ſimul in cælum manus eleuando, aut in formam crucis ante pectus attollendo, vt de Moyſe aliquibus videtur dici Exod. r. p. 11. vel etiam brachijs in Crucis figuram extenſis, qua forma alij dicunt Moyſen oraſſe, eamque aſcribit Eccleſia Sanctis Virginibus Agathæ, & Agneti in eorum officijs. Aut denique non manibus, ſed vultu in cælum eleuato; ſicut fecerant Apoſtoli Act. 1. 11. Quibus ab Angelis propterea dictum eſt, *Quid ſtatis aſpicientes in cælum*. Genua etiam flectendo poteſt aliquis orare, vel prono pectore vultum interdum, vſque ad pauimentum demittendo, ſicut creditur à multis Chriſtum Dominum in horto oraſſe, videnturque ſignificare verba Euangelij; Nam *poſitis genibus orabat*, inquit S. Lucas 22 & S. Marcus 14. *procidit ſuper terram, et orabat*. Sanctus verò Matthæus: *procidit*, inquit, *in faciem ſuam orans*. Quod videtur multo ante à Propheta Ieremia prædictum Thren. 3. 29. dum ait: *ponet in puluere os ſuum*. Vel etiã, qui modus magis vſitatus, & ordinarius eſt, orando flexis quidem genibus, non tamen capite adeo inclinato, ſed erecto vultu, & brachijs, manibuſque ante pectus decenter compoſitis. Tandem humi proſtratio fit, vel ſtrato ſuper terram pectore, humi affixo vultu, & ibidem brachijs in crucis figuram expanſis; qua forma auſteriori vſos fuiſſe Sanctos in feruentioribus ſupplicationibus teſtantur eorumdem hiſtoriæ, videturque à Regio Propheta Dauid vſurpatam fuiſſe Pſalm. 43. dum ait: *Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge Domine adiuua nos*. Vel alia moderatiori forma, quam Beatam Magdalenam adhibuiſſe in Euangelio deſcribitur Luc. 7. cum ſtans, retro ſecus pedes Domini lachrymis cępit rigare pedes eius, & capillis ſuis tergere; & cap. 10. ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.

Verum quęnam ex iſtis, aut alijs ſimilibus reuerentiæ externę formis, ac ſpeciebus ſit pręſtantior? non ita eſt facile iudicare, ſicut nec quæ ſit ad orationem aptior, vniuerſim loquendo. Solum, quod prudentiores aduertunt, eſt, aliud eſſe loqui de publica, aliud de priuata oratione, nam in ea, quæ publicè, ſeu cum pluribus ſimul

mul fieri ſolet, non tam ſuæ propriæ & ſingularis deuotionis habenda eſt ratio, quam communis plurium ędificationis, nec non ad alios conformationis. Quamobrem fugiendi tunc erunt omnes illi modi, ex quibus in aſpicientium animis poſſet ingenerari ſuſpicio hypocriſis, & ſingularitatis, nec non in ipſomet orante motus aliquis interior vanitatis, & ſuperbiæ, quaſi non eſſet ſicut cæteri orantes. Si autem ſermo ſit de priuata oratione, cum poſſit eſſe duplex, vna breuis, ſeu interrupta, quæ vocati ſolet iaculatoria, altera longiori tempore continuata; ſi ſermo ſit de prima, forſan perfectius eſſet, ad vnamquamque coram Deo ſe ſe proſternere, aut ſaltem genuflectere, ſicut refertur de Sancto Bartholomeo, centies illum in die, & centies in nocte ad orandum genua flectere conſueuiſſe. Vbi tamen nihil aliud obſtaret legitimę occupationis ſtudij, aut alterius ſimilis, tunc enim totum negotium huiuſmodi orationū iaculatoriarum, ſiue anagogicarum raptim interius mente, ſiue corde perficiendum eſſet, abſque alio ſigno externo, niſi fortè eleuationis oculorum in cælum.

Loquendo verò de priuata oratione, ad longum tempus in cubiculo, vel oratorio continuata, licet tradi non poſſit regula adeo certa, quæ pro varietate perſonarum, imo in eadem perſona pro varietate temporis non patiatur exceptionem; nihilominus vniuerſim loquendo, qui reuerentię externę modus videtur eſſe orationi magis accommodatus, & in eius decurſu retinendus, eſt genuflexio, ſeu poſt humilē in principio totius corporis proſtrationem, terramque deoſculatam, ſemper genuflectere, manibus etiam quietis, vt plurimum iunctis, oculiſque demiſſis non vagis, ac ea tandem totius corporis compoſitione, quę nihil Deum, quem habemus pręſentem offendere valeat. Id ſi fieri non poteſt ſtandum eſt, vel, quod plures iuuat, ſępe genua flectenda, & ſurgendum per vices: debilioribus, vel infirmis permittitur humilior aliqua ſedes, quo tamen in caſu, aut ſimili interior reuerentia maior eſſe debet, vt exterioris qualemcumque defectum ſuppleat. Demum, quem vnuſquiſque ſitum ex dictis, aut ſimilibus propria experientia deprehenderit, ſibi magis ad quietem, & fructum bonę orationis conducere, poterit illum vſurpare, nec ſine rationabili, aut ſufficienti cauſa permutare, qualis non eſt ſemper maioris mortificationis deſiderium, cum enim orationis ad longum protrahendæ felix ſucceſſus, qui tunc maximè debet attendi; nimia corporis fatigatione facilè impediri poſſit, ſatius eſt mortificationis exercitium alteri tempori reſeruare. Quod enim in vita S. Simeonis Stylitæ narrat à ſe viſum Theodoretus cap. 26. Hiſt. Sanct. Patr. eum ſpatio vnius horæ ſolitum vicibus frequentiſſimis genua flectere, capite vſque ad terram ita depreſſo, vt eam fronte percuteret, & ab vno ex ſocijs ait numeratas fuiſſe vices mille ducentas quadraginta quatuor, donec defatigatus ille deſtitit numerare, ſanctus autem vir infatigatus genua, & ceruices flectere non ceſſabat: Item alio quoque tempore eundem notarum fuiſſe, integris noctibus erecto ad cælum vultu, & brachijs in modum crucis expanſis immotum perduraſſe, tanquam ſi ex lapide, non ex carne conſtaret: Quæ ſimilia etiam fieri conſueuiſſe à quibuſdam ſeuerioris diſciplinæ monachis ſui temporis teſtatur Ioānes Climacus grad. 5. de pœnitent. admiratione prorſus digna ſunt, & non tam in imitationem, quam in noſtram humiliationem trahenda.

Quia autem vtraque hæc reuerentia tam interna, quam externa maximè in nobis excitatur ex apprehenſione diuinę præſentiæ, idcirco primum quod oraturus præſtare debet initio orationis, eſt ſiſtere ſe conſpectui Maieſtatis Dei; quod dupliciter fieri poſſe, iam

ſupra

ſupra notauimus, ſcilicet imaginatione, & intellectu; vnde etiam diſtinximus orationem in imaginariam, & intellectualem. Sed vtraque rurſus multipliciter exerceri poteſt. Imaginaria quidem tribus præſertim modis magis contractis. Primo conſiderando Deũ, vt aſſiſtit tanquam rex ſummæ maieſtatis templis, & locis ipſi conſecratis ſpeciali modo propter eorum conſecrationem, nec non etiam proprio, vbi oramus, cum Deus vbique ſit, & præceperit olim Abrahæ Geneſ. 17. *vt coram ipſo ambularet*. Secundo vt nos ambit, & intra ſe continet. Ad quod concipiendum pluribus adiuuari poſſumus ſimilitudinibus. Prima eſt piſcis intra aquam manentis, atque ita circũdati, vt quocumque ſe natando vertat, aquam circa ſe vndique inueniat, illaque ſit ei pro habitatione, pro vehiculo, pro ſede, pro alimento, pro vita; extra quam moriatur neceſſe eſt: eadem enim, & multo adhuc maiori ratione, quocumque nos vertamus in Deo, & intra Deum nos eſſe, imaginari poſſumus. Altera infantis in vtero matris exiſtentis, quam ipſemet Deus nos docuit Iſaiæ 46. 3. dum ait: *Audite me Domus Dauid, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectam, ego ipſe, et vſque ad canos ego portabo: ego feci, ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Quemadmodum enim infanti maternus venter eſt pro cubiculo, pro vehiculo, & ſella geſtatoria, pro indumento, & fomento: indeque etiam alimentum trahit; inde habet ſuſtentationem, & vitam; ita eodem modo, multoque excellentiori concipere poſſumus, nos quicquid ad vitæ noſtræ ſubſidium, & ſolatium pertinet, totum nonniſi intra Deum reperiri, & ab eo mira eius dignatione obtineri. Et ſic de alijs id genus ſimilitudinibus. Tertia demum ratio præſentię Dei imaginariæ, alijs duabus profundior, eſt illa, qua non ſolùm ipſum circa nos, verum etiam intra noſmetipſos eſſe apprehendimus, ſub aliqua figurà, vel ſimilitudine tali præſentiæ proportionata, potiſſima eſt animæ exiſtentis in corpore, quod ipſa viuificat, quam ſano modo intellectam tanti fecit S. Auguſtinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 29. vt non habuerit, qua meliori ratione declararet modum cognoſcendi præſentiam Dei in hoc mundo viſibili, qualem Beati reſumptis corporibus glorioſis obtinebunt, niſi per modum, quo nos in hac vita, non fide, nec intellectu tantùm, ſed etiam corporeis ipſis quodammodo oculis animam corpori eſſe præſentem ex membrorum motu, & viuacitate diſcernimus.

Hæc enim ſimilitudo non conſiſtit in hoc, quod quaſi anima mundi ſit Deus, vt peruersè intellexerunt, & docuerunt aliqui antiquorum Philoſophorum, ſed in alijs tribus potiſſimũ. Primùm, quod ſicut anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; ita Deus nedum in mundo, ſed etiã in nobis totus eſt per totum, & in qualibet parte nonniſi totus. Secundò, quod ſicut anima corpori ſuo eſt præſentiſſima, nec poteſt non ſtatim ſentire, quidquid ab illo, vel in illo fit; ita Deus quidquid in mundo, & in nobis quantumuis ſecretò agitur, præſentiſſimo ſemper intuitu cognoſcit, iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 138. *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto*, & Apoſtoli Hebr. 4. 13. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Tertiò, quod ſicut anima dat corpori vitam, motum, & operationes, ita etiam Deus, *qui*, vt habetur Act. 17. *cæli, & terræ cum ſit Dominus, ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* Atque hoc eſt, quod dici ſolet: Deum eſſe in rebus omnibus, & vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: non per ſolam potentiam, vt eſt Rex in ſuo regno vniuerſo, vbi tamen non eſt per præſentiam: neque ſolam præſentiam, ſicuti eſt rex in ſua, quam circumſpicit aula regali, eam

tamen

tamen ſua ſubſtantia; vel eſſentia replere non poteſt, ſed tantùm ſolium, vbi ſedet. At verò cum Dei potentia, & præſentia, ſeu immenſitas, nec non actio, in qua fundatur, ſint ipſemet Deus, ita vt ferri nõ poſſit vlterius eius actio, aut inueniri, vbi ipſe non ſit: propterea etiam dicitur eſſe vbique per eſſentiam, nec minor eſſe ipſius ſphæra, hoc vniuerſum, quam potentiæ, vel præſentiæ Regiæ ſit regnum, & aula.

Præter hos tres modos præſentiæ Dei imaginariæ veluti ad nos contractæ, dantur inſuper alij tres generaliores illam apprehendendi. Primus eſt iuxta attributum immenſitatis, qua nõ ſolum in nobis, ſed vbique eſt; quam ſic D. Auguſtinus lib. 7. confeſſ. cap. 5. concipiebat, vt prius mundum, & intra illum ordinatas creaturas vniuerſas imaginatione complecteretur, deinde mundiſſimam Dei ſubſtantiam, hæc peruadentem, & ex omni parte ambiẽtem, tanquam ſi mare eſset vbique, & vndiq; per immenſum quietiſſimè ſpatiaretur. Libro verò de cognitione veræ vitę cap. 25. eandem comparat interminato lumini vndique in infinitum diffuſo, in cuius medio ſteni ſuſpenſi orbes tam elementares, quam cæleſtes, tanquam globi vitrei minores maioribus inſerti, & omnes illo lumine repleti. Alter modus apprehendendi, ſiue imaginandi diuinam præſentiam, præcedenti paulo contractior, eſt, ſecundũ quem intra mundum ſua operatione, quam extra non emittit, veluti continetur, ad modum, vel ſimilitudinem qua anima exiſtit in corpore, vt diximus ſupra. Tertius denique his duobus adhuc contractior, valdè tamen anguſtæ imaginationis noſtræ capacitati accommodatus, eſt ille, quo Diuinam Maieſtatem cœlum potiſſimum implentem, & inhabitantem conſideramus; iuxta illud Regij Prophetæ Pſ. 102. *Dominus in cælo parauit ſedem ſuã*; & Pſal. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis*. De quo ſic ait D. Chryſoſtomus homil. 19. in cap. 6. Matth. *Et tu igitur regalem ingreſſus aulam, non eam, quæ in terra eſt, ſed illã, quæ multo eſt terribilior videlicet in cælo, plurimum reuerentiæ, atque ordinationis oſtende: vnus enim es ex Angelorum choro, atque Archangelorum ſocius effectus, cum Cherubin quoque, atque Seraphin canis.* Item D. Bernardus ſerm. de 4. modis orandi. *Quid aliud cogitare debet intrans ad orationem, quam Propheticum illud; Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei? Omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem; illam, inquam, curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circumſtante innumerabili, & ineffabili Beatorum Spirituum exercitu. Vnde & ipſe, qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit, millia ait millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens, & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm denique humilis, & ſolicitus, & toto intẽtus animo maieſtati glorię in præſentia Angelorum, in conſilio iuſtorum, & congregatione aſſiſtere poterit miſer homuncio?* Et paulo poſt: *Porro quamuis vbique ſit Deus, in cælo tamen orandus eſt, ibique orationis tempore cogitandus: vt mens noſtra non oratorij tecto, non aeris ſpatio, non ipſa retardetur nubium denſitate, iuxta eam formam, quæ nobis à Chriſto tradita eſt, vbi ait, ſic orabitis: Pater noſter qui es in cælis: Sic igitur oret, qui orat tanquam aſſumptus, & præſentatus ei, qui ſedet ſuper excelſum thronum in Angelis, qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos ſuſcitauit de puluere inopes, & erexit de ſtercore pauperes; ſic, inquam, ſemetipſum conſideret, & ſic attendat tanquam præſentatum Domino maieſtatis; vt dicat cum Abraham, Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis; & quia tuo præcepto commotus, tua inſtitutione formatus id præſumo, Domine fons pietatis.*

Quod attinet iam ad alterum præ-

ſentiæ

ſentiæ Dei modum, ſcilicet intellectualem, ille eſt, quo non amplius Deum ſub aliqua forma, vel imagine corporea ex dictis, aut alijs ſimilibus, præſentem nobis apprehendimus; ſed potius illis omnibus reiectis, ſub obſcuritate quadam fidei certiſſimè credimus orantibus nobis Deum eſſe præſentiſſimum, quantumuis inuiſibilem. De quo rectè ait Diuus Auguſtinus tract. 111. in Ioann. *Sed quis idoneus loca iſta, vel quæ ſunt in locis iſtis ſine ſpatioſis capacitatibus, & ſine corporeis molibus cogitare? Non parum tamen proficitur, ſi ſaltem quidquid tale oculo cordis occurrit negatur, reſpuitur, improbatur; & lux quædam, in qua iſta neganda, improbanda cernuntur, ſicut potuerit, cogitatur, & amatur, vt indè ſurgatur, atque ad interiora tendatur. Quæ cum penetrare mens inualida, & minus quam illa ſunt pura, nequiuerit, non ſine amoris gemitu, & deſiderij lachrymis indè pellatur, & patienter ferat, quamdiu fide mundatur, atque vt illic habitare valeat, ſanctis moribus præparetur.* Ad hanc eamdem præſentiam Dei intellectualem, reiectis ſcilicet omnibus phãtaſmatibus corporeis, ſiue non ſiſtendo in illis, (quatenus, etſi pro præſenti ſtatu non cognoſcamus Deum, niſi ad modum rei corporeę, ſiue per conuerſionem ad phantaſmata, non iudicamus tamen illum eſſe corporeum, qualem ſe ſe obijcit phantaſię, ſed vti verè eſt, ab omni prorſus corporis, & materiæ concretione remotum, correcta per fidem, ſiue per intellectum ea inſtructum phantaſia ita ipſum repræſentante, ſicut oculorum ſenſus per ſuperiorem rationem caſtigatur, cum proponit ſolem, vt orbiculum aliquem à nobis cogitandum) pertinet, & conducit, quod ait Diuus Gregorius lib. 33. Moral. cap. 13. *Perfectam ſcilicet animam iſtam compunctionem afficere familiarius ſolere, quæ omnes imaginationes corporeas inſolenter ſibi obuiantes diſcutit, & cordis oculum figere in ipſo ratio incircumſcripta lucis intendit. Has quippe corporalium figurarum ſpecies ad ſe intus ex infirmitate corporis traxit; ſed perfectè compuncta hic ſummoperè inuigilat, ne cum veritatem quærit, eam imaginatio circumſcripta viſionis illudat: cunctaſque ſibi obuiantes imagines reſpuit. Quia enim per illas infrà ſe lapſa eſt, ſine illis ſupra ſe ire conatur, & poſtquam per multa indecenter ſparſa eſt, in vnum ſe colligere nititur; vt ſi magna vi amoris præualet, eſſe vnum atque incorporeum contempletur.*

Vt autem ex his duobus modis apprehendendi Deum præſentem ſiue in ingreſſu, ſiue in progreſſu orationis, intellectualis perfectior eſt imaginario, ita quoque Proficientium magis eſt proprius, qui tamen non propterea imaginarium reijcere debent, ſicut nec Incipientes intellectualem, ſed omnes eo vti debent, quem propria experientia ſibi faciliorem, magiſque idoneum cognouerint, *Ad eum enim, qui vbique præſens eſt, non locis mouemur, ſed ſtudio, & bonis operibus*, ex Auguſtino lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. Quamobrem quocumque modo cogitemus adeſſe præſentem Deum, ſiue in nobiſmetipſis, ſiue in alio remotiori loco, quale eſt cælum, ſanctis ſemper deſiderijs eum compellare poſſumus.

Aduertendum eſt tamen, tam Incipientes, quàm Proficientes, vbi Deum ſibi præſentem intellectualiter conſtituũt, ita id debere facere, vt quãdo meditanda ipſis ſunt aliqua vitæ, aut Paſſionis Chriſti myſteria, necnon cæterarum perſonarum Euangelicarum, nõ dedignentur deſcendere in terras ad Caluariæ locum, aut ad alium aliquem, in quo res geſta ſit, ita omnia ad viuũ, quantum fieri poteſt, imaginando, ac ſi ea coram denuò geri oculis cernerent, illiſque dum geruntur pręſentes eſſent. Licet enim dubium non ſit, quin tale ſpectaculum, quod nosipſi conformatione illa terreſtris loci nobis per imaginationem exhibemus, myſteriorum vitæ, & mortis Chriſti, in ipſomet Cælo fingere poſſimus, eaque meditari, ſicut

ſicut beatis ipſis inter ipſa cæleſtia arcana demonſtrantur, non quidem ad commouendum doloris affectum, vt in nobis, ſed potius ad excitandam admirationem, tantique beneficij memoriã recolendam, quo cælum ipſum adepti ſunt, niſi enim ita eſſet, non ſcripſiſſet S. Ioannes Apocal. 5. *Et vidi in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum*. Et paulo poſt. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo ſanguine tuo*. Nihilominus in præſenti vita, in qua, ex tali meditatione, doloris, & imitationis affectus inter orandum elicere præcipue debemus; ſatius eſt, ac vtilius, vt loci, reique geſtæ, & omnium aliarum circumſtantiarum imaginatione id præſtemus, iuxta Apoſtolum Hebr. 12. nos monentem: *Vt aſpiciamus in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum*. Quem locum interpretans Diuus Chryſoſtomus homil. 28. ait: *Aſpicientes, hoc eſt, vt diſcamus currere, ſicut enim filij parentes, diſcipuli in certaminibus magiſtros attendunt, informantes mentes ex parte doctorum, per viſum regulas quaſdam ſumentes; ſic etiam hic ſi volumus currere, & diſcere vt bene curramus, ad Chriſtum attendamus*. In eamdem rem ſcripſit D. Bonauentura Prologo medit. vitę Chriſti: *Tu, ſi ex his, quæ per Dominum Ieſum dicta, & facta narrantur, fructum ſumere cupis, ita te præſentem exhibeas, ac ſi tuis auribus audires, & oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter, & amoroſè, omnibus alijs curis, & ſolicitudinibus tunc omiſſis*. Quod idem repetit cap. 18. *Rem per Dominum Ieſum geſtam, vel dictam ante oculos mentis ponas, & quod cum eo conuerſoris, & familiaris fias: nam in hoc videtur haberi maior dulcedo, & deuotio efficacior, & quaſi totus fructus meditationis conſiſtere: Et vbique, & ſemper intueare eum deuotè in aliquo ſuo actu, vt quando ſtat cum diſcipulis ſuis, quando cum peccatoribus, quando ſedet, quando dormit, & quando vigilat, quando comedit, quando alijs miniſtrat, quando ſanat ægrotos, & quando alia facit miracula. In his autem, & ſimilibus conſidera omnes geſtus ſuos, maximè contemplans faciem eius, ſi potes imaginari, quod ſupra omnia prædicta mihi videtur difficilius. Illud etiam attentè obſerua, ſi fortè ipſe te cum benignitate reſpiciat*.

§. VIII.

De effectibus orationis Proficientium propria.

EOdem modo diſcurri debet de effectibus orationis, ac de diſpoſitionibus ad illam, vnde ſicut ex eo, quod omnes orationis ſupernaturalis ordinariæ, hoc eſt, noſtra etiam propria intellectus exercitatione cum diuina gratia acquiſibilis ſpecies ſunt ſubſtantialiter eædem tàm in Incipientibus, quàm Proficientibus, tales quoque ſunt diſpoſitiones ad illas, nec alio diſtinguuntur modo, quam penes maiorem, vel minorem perfectionem intra idem genus, ita etiam, & non alio ſe habent modo fructus, vel effectus ex ijſdem prouenientes; ad diſtinctionem eorum, qui procedunt ex oratione, vel contemplatione ſupernaturali extraordinaria Perfectorum propria, quę vt nõ exercetur amplius modo humano, ſed diuino per dona Spiritus Sancti, nedum excellentiores, aut perfectiores ſunt eius effectus, verum etiam modum humanum plane ſuperantes, vt dicetur ſectione ſequenti. Interim, cum ſint innumeri propè orationis ordinariæ effectus, de pręcipuis duntaxat hic agemus, iam ſupra ſect. 2. cap. 8. §. 9. adductis, hi enim, & alij Proficientium proprij dicuntur, & ſiunt attento in illis maiori duntaxat gradu perfectionis, qui non competit Incipientibus ex vi ſtatus ipſorum.

Huiuſmodi ſunt. Primò ex parte intellectus maius lumen, non ſpeculatiuum tantum, ſed & practicum, quo

mens perfuſa, & perfectius Deum, diuinaque cognoſcit,nec non de illis ſentit, fugiendaque proponuntur, non ſolùm quæ diuinam charitatem poſsunt deſtruere, vt in Incipientibus,quorum munus proprium eſt illam conſeruare, verum etiam vel minima peccata venialia deliberata, quæ illius feruorem minuere, vel augmentum poſsunt impedire,cui potiſſimum incumbere proficientes debent.

Secundò, ex parte voluntatis ardens deſiderium proficiendi in perfectione. Diuina enim lux, vbi ſemel per orationem exorta eſt mentis noſtræ cœlo, fugatis iam ignorantiæ, & cæcitatis vmbris, non poteſt non inſuper ſuas progreſſiones facere, & vt alter ſol, quaſi quodam aſcenſu, ad ſpirituales actiones ingredi. Vt igitur aurora, & prima lux eſt diluculo pœnitentiæ incipientibus, vt peccata præterita defleant,futura caueant: ita eiuſdem augmento in Proficientibus, magis inde illuminatis, & accenſis, virtutum omnium ſemina mirabiliter augeſcunt,quę demum complebuntur in meridie perfectionis, maiore adhuc diuinæ gratię luce affulgente Perfectorum mentibus. Vnde rectè ait Salomon Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Et Eccleſiaſtici 24. dicitur de aqua Sapientiæ, qua otantes maximè potantur, quod qui eam *bibunt, adhuc ſitient*. Quatenus, quj perfectionem deſiderat, vt deſiderare debet, quieta mente non erit, niſi cum ea fruetur in æterna beatitudine.

Tertius effectus eſt maior charitas, non ſolùm, quia in ea conſiſtit perfectio, vnde vocatur ab Apoſtolo vinculum perfectionis, atque adeò non poteſt eſse verum, & efficax eius deſiderium ſine charitate, imò in illa fundari debet, verum etiam quia oratio in charitate radicata, non poteſt non producere in eam excolentibus, multiplici virtutum ſtudio, & exercitio, vberiorem ſemper eiuſdem fructum. Sed vt hic amor in Incipientibus ſolet eſse *ſenſibilis*, quia licet proueniat ab habitu charitatis, profluit tamen ab eo ſecundum infimum eius gradum, qui eſt quando in oratione eius dulcedo in inferioriqus animæ viribus guſtatur, vt iam illis dulce, & ſuaue appareat,quod antea amarum, & laborioſum videbatur; dicitur etiam *vulnerans* à Richardo Victorino tract. de grad. violent. charit. iuxta illud Cant. 2. *Vulnerata charitate ego ſum.* Quatenus ſuo aculeo mentem Incipientium medullitus penetrat, affectumque tranſuerberat & inde mira eorum compunctio, intima contritio, ac præteritorum peccatorum dolor generatur; à Diuo autem Bonauentura vocatur *ignis*, dum ait in tract. de ſeptem gradib. Contemplationis. *Primo anima ignitur, ignita vngitur, vncta rapitur*: & tandem ab alijs amor ligans,quia eius vinculis ita ligantur, vt licet interdum grauiſſimis tribulationum, & tentationum tempeſtatibus concutiantur, non propterea Deum deſerant, vt, inquam, tales ſunt charitatis, ſiue amoris qualitates, vel effectus in Incipientibus, qui tamen ſunt magis proprij, & ordinariè tribuuntur charitati, vel amori Proficientium, ſunt, quod ſit languens, & æſtuans; ſed de his fuſior erit ſermo infra,agendo de charitate, & amore perfectorum.

Quartus orationis, vel contemplationis effectus eſt delectatio: Sic Iſaiæ 56. dicit Dominus: *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Vt enim ait Diuus Thomas 1. 2. quęſt. 180. art. 7. *Aliqua contemplatio poteſt eſſe delectabilis dupliciter: Vno modo, ratione ipſius operationis: quia vnicuique delectabilis eſt operatio ſibi conueniens, ſecundum propriam naturam, vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini ſecundum ſuam naturam, prout eſt animal rationale: ex quo contingit, quod omnes homines natura ſcire deſiderant, & per conſequens in cognitione veritatis* dele-

delectantur. Et adhuc magis fit hæc delectabilis habenti habitum ſapientiæ, & ſcientiæ: ex quo accidit quod ſine difficultate aliquis contemplatur. Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti, in quantum ſcilicet aliquis rem amatam contemplatur. Sicut etiam accidit in viſione corporali, quæ delectabilis redditur non ſolum ex eo quod ipſum videre eſt delectabile, ſed etiam ex eo quod videt quis perſonam amatam. Quia ergo vita contemplatiua præcipuè conſiſtit in contemplatione Dei ad quam mouet charitas, vt dictum eſt: inde eſt quod in vita contemplatiua non ſolum eſt delectatio ratione ipſius contemplationis, ſed etiam ratione ipſius diuini amoris. Et quantum ad vtrumque eius delectatio omnem delectationem humanam excedit. Nam & delectatio ſpiritualis potior eſt quam carnalis, vt ſupra habitum eſt cum de paſſionibus ageretur: & ipſe amor quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit. Vnde & in Pſalm. dicitur, Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Hactenus Diuus Thomas. Quo certè nihil melius ad præſens inſtitutum, quodque commentans Caietanus, rectè aduertit, quod cum dicitur, quod delectatio contemplationis excedit omnem humanam delectationem, intelligitur non ſolum ſecundum ſe, ſed etiã quoad nos ex parte animæ habentis habitum contemplatiuæ charitatis. Et ſignum eius eſt, quod talis tolerat quæcunque contraria delectationibus corporalibus, & ſenſibilibus, potius quam amittat contemplatiuam delectationem.

Vt autem ex dictis amor ex charitate contemplatiuæ prouehiens in Incipientibus eſt plerumque ſenſibilis, ita & delectatio, vel dulcedo illi annexa, ſic exigente eorum ſtatu, vt docent communiter Theologi Myſtici, Richardus à Sancto Victore de gradib. viol. charit. S. Bonauentura lib. de ſeptem gradib. contemplat. nec non Proceſſu 7. Relig. cap. 5. vbi explicat varios diuinæ huius iucunditatis, & ſuauitatis effectus, quos Incipientes in hac via experiri ſolent. Item Henricus Hardhius lib. 2. Theol. Myſt. cap. 41. de quibus etiam nos infra agemus, nec non de periculis illis annexis, tum quia ſæpe à dæmone cauſantur, tum quia licet à Deo proueniant, plerumque imperfecti eis abutuntur.

Verùm in Proficientibus ſicut amor non tam ſenſibilis eſt, quàm ſpiritualis, ita quoque talis eſt indè procedens delectatio, quia lætificatur ſpiritus, cor exultat, pariter caſtificatur & caro, atque tota diuino mancipatur obſequio; iuxta illud Regij Prophetæ: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ*; Quæ etiam propterea, nec non effectus ad illam ſequentes, qui præclarè deſcribuntur à Richardo Victor. in Pſalm. 4. non tantum ſunt illis qui in incipientibus reperiuntur excellentiores, ſed etiã ſecuriores, quia à ſenſibus magis abſtracti, & elongati. Quibus tamen, ſi nimium indulgeatur, non deſunt ſua quoque illis pericula, & impedimenta, de quibus conſuli poteſt Rusbrochius lib. 2. Nupt. cap. 26. & ſequentibus. Dicemuſque aliquid capite ſequenti.

Quintus effectus eſt maior animæ puritas, cum enim in via purgatiua peccata mortalia potiſſimum incipientes abhorreant: in via illuminatiua ſic diuina contemplatio teneram reddit animam, & delicatam, vt à venialibus deliberatis fugiat, imo etiam, quantum in hac vita fieri poteſt ab illis, quæ ex infirmitate, & ſubreptione committuntur; & vbi aliqua talia perpetrat, plus illa ſentiat, & grauiora reputet, quam multi ſuos lethales, & craſſos lapſus, nihil aliud magis exoptans, quam vt vni Deo quam maximè placeat, nihil magis ægrè ferens, quam ſi vel minimo cum peccato offendat.

Sextus effectus cõtemplationis proficientium in via Illuminatiua eſt perfectus tum ſui, tum omnium aliarum rerum creatarum contemptus, & renunciatio, nedum illicitarum, vt in via purgatiua, ſed & licitarum, imo etiam

plerumque vtilium, & neceſſariarum. Vndè Geneſ. 32. legitur, quod Iacob poſtquam dixerat, vidi Dominum facie ad faciem, claudicabat, quatenus poſt agnitionem ſuauitatis Dei per contemplationem, conualeſcente in nobis eius amore, debilitatur amor ſeculi; *Quiſquis enim*, vt Deum alloquitur Diuus Auguſtinus, vel alius author Soliloq. cap. 1. *cognoſcit te*, quod maximè fit per charitatem contemplatiuam, *diligit te, ſe obliuiſcitur, amat te pluſquā ſe, relinquit ſe, & venit ad te, vt gaudeat de te*. Et alibi, *Quanquam*, inquit, *hæc infima habeant ſuas delectationes, ſuoſque amores, non tamen tali modo delectant, ſicut tu Deus noſter; in te enim delectatur iuſtus, quia amor tui ſuauis eſt, & quietus; nam pectora, quæ poſſides, dulcedine, & ſuauitate, & tranquillitate reples; & contra amor ſeculi anxius eſt, & perturbatus, animas certè quas ingreditur quietas eſſe non patitur, ſemper enim ſuſpicionibus, & perturbationibus, varijſque timoribus ſollicitat eas, tu itaque es delectatio rectorum, & merito, quies enim valida eſt apud te, & imperturbabilis vita, qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini ſui, & non timebit amplius, ſed habebit ſe optime in optimo*. En quomodo ſapientibus Deum per orationem omnia alia deſipiunt, amaritudine plena ſunt, ac prorſus deſpicabilia, nedum vitæ bona, ſed & mala. Quemadmodum enim, qui in excelſo aliquo, ſublimique loco conſtituti ſunt, omnia inferiora, quæ antea ſuſpiciebant, & admirabantur, deſpiciunt, ac parua fere nulla æſtimant, ita *Iuſti*, inquit Diuus Gregorius lib. 5. moral. cap. 22. *ſupra ſe interius rapti in alto animum figunt, atque dum extra carnem fieri mente decertant, ipſa pene, quæ patiuntur ignorant: nam velut in magni montis vertice ſubiecta ſibi intus vident; quæ per carnalem gloriam foris tumcnt*.

Cum autem defectus temporalis moraliter ſignificatus per claudicationem Iacob, annexus contemplationi dupliciter conſiderari poſſit, primò vt ex ipſa ſecutus, quia ſcilicet dum anima inhærens eſt contemplationi diuinæ, deficit ab amore temporalium. Secundò vt augens amorem contemplationis, quia debilitato temporalium amore, magis inardeſcit amor ſpiritualium. Qui enim temporalibus non confidit, ſpiritualibus neceſſe eſt innitatur, ſicut claudicans vno pede innititur alteri ſano; ita præfatus defectus ſub hoc ſecundo reſpectu eſt diſpoſitio ad contemplationem ex Diuo Thoma 2. 2. qu. 180. art. 7. ad 4. vt tamen ſub alio ſit eiuſdem effectus.

Septimus contemplationis Proficiētium effectus eſt pax, & tranquillitas animę. Etſi enim ex hoc quod contemplatio Dei in hac vita imperfecta ſit reſpectu contemplationis Patriæ & ſimiliter delectatio contemplationis viæ ſit imperfecta reſpectu delectationis contemplationis patriæ de qua dicitur in Pſalm. *De torrente voluptatis tuæ potabis eos*, ideoque non plenè hic tranquilletur cor noſtrum, ſed detur flammigerum in iuſtis deſiderium ad glorioſam, & nudam dilecti faciem videndam, & fruendam in plenitudine amoris in Patria. Nihilominus, quia contemplatio diuinorum, quæ habetur in via, etſi ſit imperfecta, tamen eſt delectabilior omni alia contemplatione, quantumcunque perfecta, propter excellentiam rei contemplatæ, vndè Philoſophus dicit in 1. de Partibus animal. accidit circa illas honorabiles exiſtentes, & diuinas ſubſtantias, minores nobis exiſtere theoricas, ſed etſi ſecundū modicum attingamus, tamen propter honorabilitatem cognoſcendi, delectabilius aliquid habent, quàm quæ apud nos omnia. Non poteſt non talis cōtēplatio, maximè in charitate radicata, & ad eamdem terminata, ſummam in anima cauſare pacem, ac tranquillitatē, excluſa omni inquietudine, & faſtidio, non tamen vlteriori videndi Deum deſiderio, vt enim ait Diuus Gregorius homil. 14. ſuper Ezechielem: *Vita contemplatiua hic incipit, vt in cœleſti patria perficia-*

perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipſum quem amat viderit, in amore ipſius amplius ignefcit. Vnde etiam ex Diuo Thoma 2. 2. qu. 180. art. 8. ad 1. licet modus contemplandi non ſit idem hic, & in patria, tamen vita contemplatiua dicitur manere ratione charitatis, in qua habet & principium, & finem.

Qui etiam loquens de deſiderio 1. 2. quæſt. 33. art. 2. rectè ad hoc noſtrum propoſitum ait: illud dupliciter poſſe conſiderari, vno modo propriè, ſecundum quod importat appetitum rei nõ habitæ, alio modo communiter, ſecundum quod importat excluſionem faſtidij. Deſiderium, vt importat appetitũ rei non habitæ, cum habetur imperfectè, vt cognitio de diuinis in hac vita, cauſare quidem ſitim, vel deſiderium perfectę cognitionis, ſecundum quod poteſt intelligi, quod habetur Eccleſ. 24. *Qui bibunt me, adhuc ſitient.* Si verò per deſiderium intelligatur ſola intenſio affectus tollens faſtidium ſic delectationes ſpirituales maximè facere deſiderium ſui ipſarum. Ex quo ſatis patet deſiderium æternorum in diuina contemplatione rectè compati cum pace, & tranquillitate animæ, Deo per charitatem immediatè vnitæ, & in eo tanquam in ſuo centro quieſcentis. Cuius adhuc contemplationis tranquillitati, & dulcedini minimè repugnat, quod ait Diuus Gregorius citata iam homilia, *Animam cum contemplari Deũ nititur, velut in quodam certamine poſitam, modo quaſi exuperare, quia intelligendo, & ſentiendo de incircumſcripto lumine aliquid deguſtat; modo ſuccumbere: quia deguſtando iterum deficit.* Vt enim rectè ait Diuus Thomas explicans hũc locum 2. 2. quæſt. 18. art. 7. ad 2. contentio quidem, vel certamen quod prouenit ex contrarietate exterioris rei, impedit illius rei delectationem. Non enim aliquis delectatur in re contra quam pugnat, ſed in re pro qua quis pugnat; vndè cum eam homo adeptus fuerit, cæteris paribus, magis in ea delectatur: Sicut Auguſtinus dicit in 8. Confeſſ. *Quod quanto fuit maius periculum in prælio, tantò maius eſt gaudium in triumpho.* Non eſt autem in contemplatione contẽtio, & certamen ex contrarietate veritatis, quam contemplamur, ſed ex defectu noſtri intellectus, & ex corruptibili corpore, quod nos ad inferiora retrahit: ſecundum illud Sapient. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Et indè eſt, quod quando homo pertingit ad contemplationem veritatis, ardentius eam amat, & conſequenter in ea quieſcit; ſed magis odit proprium defectum, & grauitatem corruptibilis corporis, vt dicat cum Apoſtolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vnde & Gregorius dicit ſuper Ezechiel. homil. 14. *Cum Deus iam per deſiderium, & intellectum cognoſcitur, omnem voluptatem carnis arefacit.*

Octauus contemplationis, vel orationis Proficientium effectus, eſt ſingulare deſiderium, ſiue effectus imitationis Chriſti Domini. Vt enim præcipuum eorum ſtudium eſſe debet virtutum verè Chriſtianarum exercitium, & incrementum, ita quoque potiſſimum poſt Deum obiectum contemplationis eorumdem eſſe debet Chriſtus Dominus, perfectiſſimum virtutum omnium exemplar, quod deuotè meditatum, menteque recogitatum, non poteſt non producere in nobis hunc effectum veri deſiderij, ſeu affectus illud imitandi. Nam vt ait Sanctus Ioannes epiſt. 1. cap. 2. 6. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Vnde ſicut iure merito hæc Chriſti imitatio inter præcipua virtutes acquirendi media, & motiua reponitur, vt dictum ſupra, ita quoque tanto cæteris omnibus excellentior eſt orationis fructus, quò omnes alios perficit, & euehit ad ſummum gradum, dum efficit, vt tales ſint noſtræ virtutes, ſiue nos tales ſimus in earum exercitio, qualis

qualis fuit ipſe Chriſtus Dominus; nec vnicus, aut ſimplex eſt effectus, ſed aliorum omnium veluti ſumma, & totius Chriſtianæ perfectionis quaſi cōpendium: tot enim virtutes amplectitur, quot ex omnibus Saluatoris Noſtris ſanctiſſimis actionibus exprimi pec imitationem poſſunt; proponunturq; etiam imitandæ, non vni tantum, vel alteri hominum generi, ſed ſingulis, & plane vniuerſis. Habet ſiquidem diuinum illud exemplar in ſe mirabiliter, quid conueniat pauperibus, quid diuitibus, quid domino, quid ſeruo, quid magiſtro, quid diſcipulo, quid Religioſo, quid ſeculari; omnibus tandem omnia, multo magis, quam Apoſtolus 1. Corinth. 9. factum, vt omnes faceret ſaluos omnium ipſe Saluator. Vnde licet primus quidē, ac præcipuus Dominicæ Incarnationis finis fuerit humanæ naturæ plena redemptio, huic tamen maximè opportuit adiungeretur alter imitationis Chriſti. Cum enim eius merita nonniſi per imitationem virtutum adultis hominibus eas ſæpe meditantibus applicentur, parum nobis illius vita, paſſio, & mors profuiſſent, niſi etiam viam ad eius proſequēda veſtigia per tot exempla virtutum ipſe aperuiſſet. Proptereaque etiam, cum vel minima eius actio, vel paſſio ſatis ſuperque ad promerendam nobis cum Deo reconciliationis gratiam ſufficiens extitiſſet, & pro omnium peccatis ſatisfacere pleniſſime potuiſſet, tot nihilominus, & omnis generis virtutum actiones perfectiſſimas per triginta trium annorum ſpatium exercere voluit, ſcilicet vt ſuo exemplo nos animaret, & erudiret; ſicut in extrema vitæ ſuę nocte proteſtatus eſt, dicens: Ioann. 13. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Tantumque ſit de præcipuis contemplationis, vel orationis maximè Proficientium effectibus, qui etiam affectus vocari poſſunt, ex quibus, aut ſimilibus tanquam ex manifeſtis ſignis dijudicanda eſt potiſſimum bonitas, & perfectio illius, non autem ex raptibus, viſionibus, reuelationibus, alijſque id genus impreſſionibus, quæ etiam Incipientibus, & Proficientibus nonnunquam contingunt, & tam à Dæmone ſe transformante in Angelum lucis, quàm à Deo eſſe poſſunt, vt dicetur infra.

§. IX.

De materia orationis, vel contemplationis Proficientium propria.

Quamuis tam Incipientium, quàm Proficientium, & Perfectorum orationes habeāt vnum, & idem obiectum, nempe Deum, cæteraque omnia ad illum cognoſcendum, & amandum ordinata; negari tamen non poteſt, quin ex eis aliqua ſint vniuſcuiuſque illarum magis propria; idque ex duplici capite. Primò, ex modo tendendi in illa, ſiue contemplandi; Secundò, quia ſpecialius mouentia, vel excitantia ad propria etiam vniuſcuiuſque dictorum ſtatuum munia, & exercitia.

Sic igitur, quia proprius contemplandi modus Incipientium non tam eſt intellectualis, quam vi, & ope imaginationis; ſimiliter quia proprium eſt eorumdem, præterita deflere peccata, futura autem cauere præſertim mortalia, quibus adeptam iam diuinam gratiam, & charitatem deperdere poſſunt: Ita quoque magis propria orationis ipſorum materia, ſunt illa omnia obiecta, quæ ſub imaginationem cadunt; nec non quæ, ſiue ſint corporea, ſiue intellectualia, efficacius illos excitant ad horrorem, id eſt timorem, non qualēcumque, ſed vehementē iuſtitiæ, iræ, & furoris Dei, ad abominationem peccati, nec non fiduciam veniæ illius. Qui ſunt præcipui Incipientium actus. Ad quorum primum multum iuuat in oratione frequens contemplatio, vel conſideratio diuinæ ſeueritatis in peccatis puniendis, tribus potiſſimū modis Innoteſcentis. *Primò* in cauſa,

quæ

quæ eſt Deus ipſe non ſolum in ſe iuſtiſſimus, verum etiam ipſa iuſtitia, & in quo conſequenter per excellentiam reperiuntur omnia veluti capita, vnde ſeueritas Iudicum in ferenda ſententia contra commiſſa crimina potiſſimum cognoſcitur; nimirum, ſi eos talia delicta latere nulla ratione poſſint, ſed habeant omnia ritè examinata, teſtibus omni fide dignis probata, & perſpecta: Si velint, vt nihil quod ad culpas attinet diſſimuletur, ſed omnes ſeuerè puniantur: demum ſi poſſint, ita vt non ſit, qui obſiſtat, nec detur ad altius iudicium appellatio. *Secundò* in effectibus pænarum temporalium, quas infert propter commiſſa peccata; quarum exemplis tum Sacræ Scripturæ, tum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſunt plenæ; quæque diuinæ tribuuntur iræ metaphorica locutione per extrinſecam attributionem, quod ira ſit breuis furor. *Tertiò* in effectibus cruciatuum æternorũ, diuino furori attributorum. Sicut enim ex hoc quod ira, vt mox dicebam, breuis furor ſit, rectè per illam metaphoricè ſignificatur in Deo voluntas inferendi pænas temporales breues; ita ex hoc qnod furor ſit ira quædam vehementior, rectè quoque per illnm ſignificatur in Deo per metaphoram voluntas puniendi reprobos cruciatibus æternis, omnes huius vitæ pænas, ac tormenta exceſſu incomparabili ſuperantibus.

Ad alterum actum, ſiue effectum abominationis peccati mortalis, ſic denominatum, quia odium illius eſſe debet non qualecunque, ſed omnium maximum, iuxta illud Regij Prophetæ Pſalm. 118. v. 136. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* Multum iuuat, vt excitetur, contemplatio eorum omnium, quæ tale peccatum reddunt abominabile. Vt quod ſit *Primò* res grauiſſima omnium, quę poſſunt accidere creaturæ intellectu, & ratione prędite. *Secundò* omnium fœditatum fœdiſſima. *Tertiò* omnium malorum perniciosiſsimum, ac nocentiſsimum. *Quartò* omnium aliorum cauſa, & origo. *Quintò*, quod abſolutè, ac ſimplicitèr nihil ſit in hac vita malum, niſi peccatum. Et ſic de alijs pluribus motiuis.

Denique ad actum, vel affectum fiduciæ adeò neceſſarium Incipientibus, vt alij duo ſint ſine illo prorſus inutiles; vt enim ait Diuus Gregorius lib. 33. moral. cap. 11. explicans illud Iudæis à Deo per Moyſem vetitum. *Non accipiens loco pignoris ſuperiorem, aut inferiorem partē molæ* Deuteronomij cap. 24. 6. *Superior, & inferior pars molæ eſt ſpes, & timor, ſpes quippe ad alta ſubuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola ſuperior, & inferior ita ſibi neceſſario iunguntur, vt vna ſine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore inceſſanter debet ſpes, & formido coniungi, quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam timeat: incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat.* Ad hunc, inquam, actum fiduciæ Incipientibus adeò neceſſarium, ſicque vocatum, quia non debet eſſe ſpes quæcumque, ſed admodum vehemens, orta videlicet ex conſideratione eorum, quæ faciunt firmiſſimam ſpem boni aſſequendi, vt mirum in modum tria potiſsimum attributa Dei conducunt, ſcilicet ſumma eius bonitas, liberalitas, & miſericordia, ita quoque pręcipua debent eſſe orationis Incipientium materia, & motiua; ſiue ipſa Chriſti vita, paſsio, & mors, quatenus primarius Dominicæ Incarnationis finis fuit humana redemptio, ſummoperéque in illa reſplendent tria pręfata attributa. Inde enim non poteſt non excitari, & oriri in nobis firmiſsima ſpes, ſeu fiducia conſequendi veniam omnium peccatorum noſtrorum.

Similiter quia proprius contemplādi modus Proficientium, eſt intellectualis, quamuis non ſine comite imaginatione, vt explicuimus ſupra, propterea etiam propria eiuſdem materia ſunt res omnes ſpirituales; maximè autem quæ ad diuinitatem pertinent, vt ſunt omnia eius attributa, & myſteriũ

Sanctiſ-

Sanctiſsimæ Trinitatis;ad extra autem, opera tam gratiæ, quàm gloriæ,& inter opera gratiæ, Dominica præſertim Incarnatio; ſub alio tamen modo, quam in Incipientibus, ſeu via purgatiua incedentibus; ibi enim ſub velamine incarnatæ veritatis, velamina verò ſunt omnes infirmitates, & dolores, quos ad noſtram redemptionem aſſumpſit, quique in ſenſibilibus formis,& imaginibus repræſentantur, eas duntaxat contemplantur Dei perfectiones, ex quibus affectus timoris, abominationis peccati, compunctionis,& fiduciæ erui poſſunt; Proficientes autem in via illuminatiua omnes prorſus, in Chriſti humanitate mirabiliter reſplendentes, contemplantur diuinas perfectiones.

Item, cum præcipui eorum actus, vel affectus ſint affectus imitationis, deuotionis, lætitiæ, & gaudij ſpiritualis, gratitudinis, compaſſionis, contritionis etiam venialium peccatorum, ea quoque omnia, quæ ad huiuſmodi affectus eliciendos conducere poſſunt, ſpeciali ratione dici poſſunt propria eorumdem in orando materia. *Imitationi* autem deſeruiunt omnes tum Dei, tum Chriſti perfectiones, quatenus ambæ ſunt duo perfectiſſima virtutum omnium exemplaria, quibus in ſe exprimendis omnem Proficientes operã nauare debent. *Deuotioni*, quæ e x D. Thoma 2.2. q.81. art.1. nihil aliud eſt, quam voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, vndè deuoti ſunt propriè ij, qui ſeipſos quodammodo Deo deuouent, vt ei ſe totaliter ſubdant, ſicque & Dei gloriam vnicum ſibi finem conſtituant, multum prodeſt attenta omnium illorum, quæ in diuino præ cæteris famulatu reperiuntur, priuilegiorum conſideratio, defectu cuius plurimi ex miſeris mortalibus ab eo ſe ſubtrahunt, vt vili & ſordidæ mundi, dæmonumque ipſorum ſeruituti, ſe tradant, ac deuoueant. Quare iuſtiſſima eſt illa Dei querela apud Thomam à Kempis lib.3. cap.3. quam hic libet apponere. *Promittit mundus temporalia, et parua; et ſeruitur ei auiditate magna: ego promitto ſumma, & æterna, & torpeſcunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus ſeruit, & obedit, ſicut mundo, & dominis eius ſeruitur? proh dolor, pro bono immutabili, pro præmio ineſtimabili, pro ſummo honore, & gloria interminabili piget, vel ad modicum fatigari. Erubeſce ergo ſerue piger, & querulose, quod illi paratiores inueniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam; gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem: illi à ſpe ſua ſæpe fruſtrantur, ſed promiſsio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promiſi dabo, quod dixi implebo, ſi tamen vſque ad finem fidelis quis in dilectione mea permanſerit. Ego remunerator ſum omniũ bonorum, & fortis probator omnium deuotorum.*

Verum vt ad deuotionem excitandam confert in oratione contemplatio eorum, quæ ad Deum, vt ad ſupremũ pertinent Dominum, ita & ad affectum lætitiæ, & gaudij ſpiritualis contemplatio eorum, quæ eidem competunt vt ſummo, & omnibus modis infinito bono. Si enim lætitiæ nomine in genere, nihil aliud intelligitur, quam affectio quædam animi ſe quodammodo affundentis,ſeu quidam motus cordis ſe dilatantis circa bonum delectabile, quod apprehenditur tanquam aliqua ratione præſens,tantoque maior, quo tale bonum maius fuerit, dubitari non poteſt quin ad lætitiam ſpiritualẽ magis ac magis in nobis excitandam ſpecialiter conferat, imo vnice, recogitata in oratione diuinorum bonorum delectabilitas. Quam propterea lætitiam nemo accipit, niſi fuerit de numero iuſtorum, & amicorum Dei, quibus Pſal.31. dicitur: *Lætamini in Domino,& exultate iuſti*; & Pſal.32: *Exultate iuſti in Domino*. Vt enim rectè ait D. Chriſoſtomus homil. 2. in epiſt. ad Rom. *Animi tranquillitatem, & lætitiã, non principatus magnitudo, non pecunia-rum*

rum copia, non potentia tumor, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre conſueuit præterquam rectè factum, & bonum ſpirituale, et munda conſcientia: quam certè, qui habet, vt pannoſus ſit, et cum fame luctetur, tamen tranquillior, et beatior eſt ijs, qui inter delitias magnoperè degunt. Quemadmodum et qui male ſibi conſcius eſt, et omnia bona poſſideat, omnium eſt miſerrimus. Et D. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 22. *Abſit ergo à corde ſerui tui, qui confitetur tibi, abſit, vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impijs, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es: et ipſa eſt vita beata, gaudere ad te, de te, et propter te, ipſa eſt, et non altera.* Vt propterea Apoſtolus merito ſcripſerit ad Rom. 1. *Pax à Deo Patre, et Domino noſtro Ieſu Chriſto;* & ad Galat. 5. *Fructus ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax.* Quod nimirum à Deo Patre, à filio eius Ieſu Chriſto, & Spiritu Sancto, non ab alio, nec in alio vera pax, & vera animæ lętitia inueniatur, nec aliũdè nobis prouenire debeat.

Affectus gratitudinis, cum ſit virtus inclinans ad beneficij accepti ęſtimationem, & repenſionem, maximè in nobis excitatur erga Deum, contemplando collata nobis ab ipſo beneficia. In quibus, vt rectè quantum poteſt æſtimentur quatuor ſunt potiſſimum expendenda; primùm numerus ſine numero, tam in ordine naturali, quam in ordine ſupernaturali; ſecundò magnitudo; tertiò indignitas recipientis; quartò dignitas conferentis.

Affectui compaſſionis, quæ eſt triſtitia de miſeria aliena, nam ratione coniunctionis, amicitiæ, & charitatis, malum alienum tanquam proprium æſtimamus; ideoque patienti compatimur, deſeruiunt, propriaque eius materia ſunt; quælibet opera laborioſa, & pęnoſa noſtri Saluatoris, à pauperrima in vili ſtabulo eius Natiuitate, vſque ad acerbiſſimam mortem in dura cruce; quę tamen circa extrema paſſionis, & mortis ſuſtinuit, maiorem adhuc à nobis compaſſionem expoſcunt: ipſomet dicente per Ieremiam Thren. 1. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, et videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus;* & per Dauidem Pſal. 68. 21. iuſtè conquerente: *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, et non fuit: et qui conſolaretur, et non inueni, et dederunt in eſcam meam fel, et in ſiti mea potauerunt me aceto.* Huius autem pij compaſſionis affectus ſex veluti gradus diſtingui ſolent, per quos iuxta motiui altitudinem mens contemplantis aſcendere, & in Deum eleuari poteſt. Primus eſt ex conſideratione innocentię Chriſti patientis; ſecundus ex conſideratione dignitatis eiuſdem, qui non ſolum omni vacauit culpa, atq; demerito, iuxta illud Apoſt. Hebr. 7. *talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus;* verum inſuper tanti fuit meriti, tanteque maieſtatis, vt omni honore, reuerentia, & obſequio dignus eſſet. Is eſt enim, quem ex eodem Apoſtolo ibidem c. 1. *Aeternus Pater conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit, et ſæcula, qui eſt ſplendor gloriæ, et figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, qui ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* Tertius gradus eſt ex conſideratione quamplurimorum relationum, quibus illi magis, quam fratri, pluſquam matri, & patri amantiſſimo, amico omnium fideliſſimo coniuncti ſumus, & deuincti; inde enim fieri nõ poteſt, quin eidem patienti, nos vehementi, & ardenti compatiamur affectu.

Quartus gradus eſt, ſi conſideremus quod pro nobis paſſus eſt, quæcumque paſſus eſt. Nobis enim debebantur illa flagella, illæ ſpinæ, claui, crux, lancea, cæteraque omnia tormenta, & ludibria: peccato ſiquidem debebantur, & non innocentiæ, ſeruo, & mancipio iniquitatis, non Domino, & Regi gloriæ, ac maieſtatis. Ad quod attendens D. Ber-

D. Bernardus ſerm. 3. de Natali Domino merito in hæc prorupit verba, ad exprimendum in ſe piæ compaſsionis affectum. *Ludebam ego foris in platea, et in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius, exijt, poſito diademate, ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudus pedes, flens, et eiulans, quod morte damnatus eſſet ſeruulus eius. Intueor illum ſubito procedentem, ſtupeo nouitatem, cauſam percunctor, et audio. Quid facturus ſum? adhuc ne ludam, et deludam lachrymas meas? planè niſi inſanus ſum, et mentis inops, non ſequar? et ſimul cum lugente lugebo?* Quintus ex conſideratione grauitatis dolorum, & pœnarum Chriſti Domini, ad quam ipſe nos inuitat, dum per Ieremiam loco citato ait: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, et videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Sextus denique ex conſideratione ſitis, & deſiderij ipſius adhuc multo plura pro nobis patiendi. tandem ad affectum contritionis, & doloris de minimis etiam peccatis venialibus, qui eſt maximè Proficientium proprius, propria quoque eorundem conſideratio eſſe debet, obiectumque motiuum, magna Dei, amicitiæq; eius æſtimatio, cuius conditionibus, vt ſupra iam notauimus, plurimum aduerſantur peccata venialia, inde enim non poterunt non illa ſummoperè abhorrere, qui diuinæ amicitiæ excolendæ, pro ratione ſui ſtatus, totas vires adhibere tenentur.

Quantum autem ad materiam orationis Perfectorum propriam, ſectione ſequenti dicemus, omnia quoque eſſe tam diuina, & increata, quam creata obiecta, quæ competunt Incipientibus, & Proficientibus, modo tamen magis ſpirituali, & perfecto attacta, nec non ſub illa ratione formali, vel reſpectu, quo excitant ad actus, vel affectus perfectorum proprios, cuiuſmodi ſunt affectus admirationis, deſideriorum cæleſtium, ardentiſsimæque charitatis, & quatenus tandem per illa, aut alia ſpecialiter eis reuelata mouentur à Deo modo diuino per dona Spiritus Sancti. Etſi enim omnia perfectorum opera non ſint heroica, aut ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti per ipſius dona, nihilominus huius ſtatus proprium eſt ita moueri, quodque perfecti non ſolum in eſſendo per gratiam ſanctificantem ſint diuini, quod etiam conuenit Incipientibus, & Proficientibus, eo ipſo quod gratia ſanctificans, qua præditi ſunt, eſt formalis participatio diuinæ naturæ, qua accidentaliter ſumus, quod Deus ſubſtantialiter eſt, verum inſuper ad diſtinctionem iſtorum, ſint tales in operando, quod eatenus fit, quo mouentur ſpecialiter à Deo per dona Spiritus Sancti, vt explicabitur inferius.

CAPVT XV.

De defectibus Proficientium, et eorum remedijs.

PRæter defectus Incipientium ſuperiori ſectione cap. 11. allatos, qui etiam Proficientibus communes eſſe poſſunt, dantur nonnulli alij iſtorum magis proprij, quive ſæpius illis contingere ſolent; quorum præcipuos, opportunaque ſimul remedia breuiter hic adducemus ex doctrina Sanctorum.

Primus igitur ſit, quod cum Proficientes maximè debeant cauere à peccatis venialibus, interdum aliqui ita ſunt addicti externæ diſciplinæ, vt pro vna inclinatione, aut alia cæremonia in choro neglecta, ſi ſint religioſi, aut alia ſimili, ſi ſint ſæculares, plus accendantur, quam pro aliquo alio grauiori peccato veniali, vel interno, vel externo detractionis, aut ſimili. Huius defectus meminit S. Bonauentura lib. de ſex alis Seraphim cap. 3. nec non longè ante Diuus Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt; cui pro remedio dat, primam nobis curam animi, eiuſque cultus habendam eſſe, iuxta illud A-

poſtoli 1. Timoth. 4. affirmantis, pietatem ad omnia vtilem eſſe, cum corporalis exercitatio ad modicum ſit vtilis.

Secundus defectus precedenti veluti oppoſitus eſt, quod nonnulli ſub pretextu cuiuſdam libertatis ſpiritus, maioriſque diligentiæ adhibendę in excolenda vinea animę, non curent, vel etiam negligant exteriorem diſciplinam, quaſi facilem, aut nullius, vel ſaltem parui momenti, vt ſunt ſilentij cultus, modeſtia oculorum, aliorumque membrorum exquiſita, aliquæ ſui demiſsiones externæ, aliqua humilia officia. Contra hunc defectum, quem S.Baſilius acriter reprehendit epiſt. ad Canonicam, non ſolum vult Conſt. monaſt. cap. 24. omnia humilitatis ſigna in tempore exhiberi à Proficiente, ſed precipit etiam; quia inquit, *hoc fecerunt Apoſtoli, qui iuſſi à Domino pullum ad ſe alacriter adduxerunt*. Demumque concludit; *ſi de muneribus ijs, quæ abiectiora ſunt, aliquid exercendum ſit, ſcire conuenit, Saluatorem quoque ipſum diſcipulis miniſtraſſe; & abiectiora opera facere nõ recuſaſse; magnumque homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat, cum per hęc, quæ humilia ſunt, ad altitudinem illam, quod illum eſt imitatus aſcendat: quanquam quis iam humile auſit quippiam appellare, quod Deus ipſe attingere non recuſauit*. Qua etiam de re poſtquam multa ſcripſit D. Bernardus epiſt. 87. ad Ogerium Canonicum regularem, eius tandem hæc clauſula eſt: *Ludam vt vilior fiam, vt dixit David 2. Reg. 6. Ludam ſcilicet, vt illudar: bonus ludus, quo Michol iraſcitur, et Deus delectatur: bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, ſed Angelis pulcherrimum ſpectaculum prabet, etc.* Denique epiſt. 321. Religioſis potiſſimum regulas religioſæ diſciplinæ diligenter ſeruandas eſſe, & ex eis magnas vtilitates percipi breui ſententia, ſed graui oſtendit, cum ait illis: *Sollicitì ſitis circa cuſtodiam ordinis, vt ordo ipſe cuſtodiat vos*.

Tertius defectus eſt, quod nonnulli zelo quodam indiſcreto ducti, in cultu vtriuſque diſciplinæ, interioris nimirum, & exterioris iuſta mediocritate non contenti, rapi ſe ſinant, aliſque rapi velint ad ea agenda, vel ferenda, quæ vires eorum excedant, vel ſaltem ſingularia ſint. Horum meminit, & in eos inuehitur D. Bernardus ſerm. 64. in Cant. dum ait: *Quid illud quod nos quoque toties in domo iſta tam grauiter inquietat, notabilem loquor quorumdam, qui inter nos ſunt, ſuperſtitioſamque abſtinentiam, ex qua ſe omnibus, ſibique omnes moleſtos reddunt, etc.* His certè corrigendis apta ſunt verba Scripturæ Ierem. 48. *Quia plus fecit, quam potuit, idcirco perierunt*: & cap. 6. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, et ambulate in ea, et inuenietis refrigerium animabus veſtris*: tum denique ea, quæ communiter docent Patres, & Magiſtri ſpirituales contra ſingularitatem fugiendam, maximè in publico.

Quartus defectus eſt, quod interdum Proficientes commiſſo aliquo peccato veniali, vehementer inde perturbantur, quaſi de impeccabilitate ſuperbè præſumentes, cum potius ex impoſſibilitate morali vitandi omnia prorſus peccata venialia, poſt lapſum in aliquod illorum, humiliores, cautiores, ac feruentiores eſſe deberent, enitique ſolum vt hęc ipſa admodum pauca ſint, & ad perexiguum tempus, ac etiã non vltra punctum temporis durent, nec tam ex malitia, quam ex ſubreptione fiant, vt diximus ſupra cap. 13. huius ſectionis.

Quintus defectus eſt, quod cum valdè laborioſum ſit hominem contra ſeipſum ita continuo excubare, tam aſſidua animi contentione aduigilare, tot, & tam frequentibus, ac importunis, ſubitoque irruentibus aſſaltibus repugnare, vt aliqua interdum non committat peccata venialia; inde aliqui Proficientes animo deſpondent, tędioque affecti non ſolum vltra non

progre-

progrediuntur in via virtutum, ſed potius, tepeſeunt, ac regrediuntur, dicentes, non eſſe magnum, ſi in his maneant venialibus, minimiſque peccatis. Quod Diuus Bernardus ſerm. 1. in conuerſione S. Pauli vocat blaſphemiam in Spiritum Sanctum, blaſphemiam irremiſſibilem, nimirum propterea quod ad illius grauiſſimæ blaſphemię ſimilitudinem, qui ita diceret, loqueretur: & peccatum veniale non remittitur, quamdiu in eo perſiſtendi propoſitum non mutatur. Quam etiã ob cauſam D. Chriſoſtomus homil. 87. in Matth. dicere non veretur, magis adhuc timenda parua, quam magna peccata. *Magna enim*, inquit, *vt auerſemur ipſa peccati natura efficit; parua autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt: & dum contemnuntur, non poteſt ad eorum expulſionem animus generoſè inſurgere.* Cuius etiam defectus, vel tentationis meminit D. Auguſtinus in Pſal. 106. vbi de tentationibus loquens aſſerit, primùm tentari hominem conuerſum ad Deum tentatione famis cognoſcendæ veritatis, quã antè ignorauit: quam cognitionem vbi Dei dono adeptus eſt, tentari deindè tentatione difficultatis, qua veluti cõpedibus retineri ſe dolet, ne currat viã mandatorum Domini: poſtremò tentatione tędij; de qua ſic ait: *Quiſquis talis eſt, & vicit illas difficultates, & probabiliter iam conuerſatur inter homines ſine vlla querela malorum morum, excipitur tertia tentatione tędij cuiuſdam in mora huius vitæ, ita vt aliquando eũ legere, nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria: prius enim periclitabatur fame, poſtea faſtidio; vnde & hoc niſi de quodam languore animæ? iam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Iam poſt periculum imperitiæ, et concupiſcentiæ, de quibus duobus te euaſiſſe lętaris, vide ne tædium, faſtidiumque te necet. Non eſt et iſta leuis tentatio.*

Verùm quantum hic defectus tepiditatis ſpiritualis, qui vel eſt effectus acediæ, tepor dictus, vel acedia ipſa progrediens, ſine mortali tamen peccato, quæ enim cum illo coniuncta eſt frigus potius, quam tepor, mors quam ſomnus nominari deberet, cui hanc, de qua agimus, quæque Proficientium defectus interdum eſt, comparauit dicens Pſal. 118. *Dormitauit anima mea præ tædio.* Quanto, inquam, hic defectus tepiditatis ſpiritualis, qui eſt affectio quædam hominis, ſine mortali quidem peccato, qualis eſt ſæpè in incipientibus, ſed iam defatigati, aut ſatietate rerum ſpiritualium; aut certè deterriti, vt dicebamus rei magnitudine, & itineris difficultate, qui quaſi de via languens reſiſtit, nil vltra progrediens, capitalior eſt Proficientium peſtis, quorum maximè proprius eſt feruor charitatis, nec non tali feruori magis oppoſiti eius effectus, quos deſcriptos inuenies apud Caſſianum lib. 14. cap. 2. 3. & 4. Nec non apud S. Bernardum ſerm. 6. de Aſcenſione, tanto plura, & maiora huic malo adhibent remedia. Primum eſt orationis ad Dominum ex D. Auguſtino in pſal. 106. Vnde cum Pſalmiſta dixiſſet in illa tentatione tædij iam allata verba: *Dormitauit anima mea prę tædio*, ſtatim ſubiungit iſta, *confirma me in verbis tuis; viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei*; quaſi præſcribens etiam nobis formam orationis. Quam Diuus Bernardus ſerm. 21. in Cant. his adhuc proponit verbis. *Trahe me poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus. Propterea opus habeo trahi, quia refriguit pauliſper in nobis ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris huius currere modo, ſicut heri, et nudius tertius. Curremus autem poſtea, cum reddideris lætitiam ſalutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ, cum ſol iuſtitię iterum incaluerit, et pertranſierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad leuem flatum auræ blandioris ſolito cęperint vnguenta liqueſcere, et aromata fluere, et dare odorem ſuum. Spirantibus vnguentis curre-*

curremus, quia abſcedet torpor, qui nunc eſt, et reuertetur deuotio, et iam non erit opus nobis, vt trahamur, quippe odore excitatis, vt ſponte curramus. Alterum remedium eſt ex Caſſiano lib. 10. c. 25. acediam non declinando fugiendam eſſe, ſed reſiſtendo ſuperandam; quod idem docet D. Bernardus loco ſtatim citato: *Ergo*, inquit, *cum te torpore, acedia, vel tadio affici ſentis, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali*. Eoque promptius illud pra ſtandum eſt, repetendaque priora ſpiritualia munera, vel virtutiſ officia, ex quorum intermiſsione, vt ſæpè oritur acediæ languor, ita ex eorumdem renouatione ſpiritus feruor denuò excitatur, quo inſuper, ni ita fiat, tepiditatis hæc vis eſt, & potentia, vt quem ſemel abſorbuit, ferè retineat ſemper, periculoque maioris alicuius ruinæ exponat, vt ait Caſſianus collat. 6. cap. 17. Tertium denique remedium eſt Chriſti Domini exemplum, qui tædio, & triſtitia vſque ad mortem affectus, non tamen acedia, aut tepiditate, vel leuiter affici potuit. Vt hinc quoque intelligeremus poſſe hominem cum Dei gratia tędium etiam grauiſſimum tolerare ſine peccato, imo manifeſtum eſſe progreſſus noſtri ſpiritualis indicium, & argumentum, ſi aliquando eius angoribus cruciati, nec cadamus animo, nec eas exercitationes, quibus nititur noſter ſpiritualis progreſſus, propterea deſeramus.

Septimus defectus, qui interdum Proficientibus contingit, eſt, quod affectionis æſtu, & deſiderij videndi Deum vſque adeo accenduntur, & ferueſcunt, vt inde reddantur impatientes, & inquieti, vel malè contenti. De quo videndus eſt Rusbrochius lib. 2. Nupt. cap. 26. & duobus ſequentibus; nec non lib. 2. de ornat. ſpiritual. nupt. à cap. 76. vſque ad finem libri, vbi plures alios defectus refert, ſuperbię, quod exiſtiment ſe ad altiſſimæ quietis contemplationem perueniſſe; propriæ voluntati ſint addictiſsimi, ne cuiuſquam iudicio ſe ſubmittant, hoc ipſum libertatem ſpiritualem autumantes. Itē diabolici otij, tum quod ſub prætextu maioris quietis internæ parum curent de exercendis internis virtutum actibus; tum maximè quod nihil exiſtiment à ſe actiuè agendum, ſed tantum paſsiuè à Deo moueri, perindè vt inſtrumentum aliquod in ſe otioſum, quod artificem, dum operari velit, pręſtoletur. Verum tam de his vltimis defectibus, vel erroribus, quam de alijs ſimilibus, qui etiam perfectis obuenire poſſunt, cum infra acturi ſimus, ſufficit illos breuiter inſinuaſſe.

CAPVT XVI.

Quæ in hac Sectione dicta ſunt de ſecundo ſtatu, vel gradu Theologiæ Myſticæ Proficientium, ſeu via Illuminatiuæ propria breuiter recapitulantur.

THeologia Myſtica, vt eſt Proficientium, ſeu viæ Illuminatiuæ propria, nihil eſt aliud, quam notitia ſupernaturalis, & ſapida Dei, diuinorumque, ſed quo ad modum perfectior, quam in Incipientibus, ordinata ad purgandam etiam à peccatis venialibus animam, eamdem pacandam, & virtutibus exornandam. Ad iſtum gradum, vel ſtatum propriè pertinent omnes, & ſoli illi, qui vel ex officio, vel ex voto, vel ex firmo duntaxat propoſito, ita ſunt diſpoſiti, vt, licet plures in ſe adhuc immoderatos erga creata bona affectus experiantur, & aliquando eorum vi abrepti in peccata venialia, ſiue deliberatè, ſiue ex ſubreptione, & infirmitate labantur, nulli tamen prorſus bono creato, quantumuis indifferenti, aut licito fixam, captāque voluntatem ſuam adhæreſcere patiuntur; ſed continua potius pugna effrenem eius cupiditatem, & in bona creata propenſionem, ne etiam venialiter, quantum fieri poteſt, peccent, com-

comprimunt. Ita exigente huius ſtatus fine, qui eſt illuminatio, & exornatio animæ, per maius tam charitatis, quam cæterarum virtutum augmentum, & exercitium.

Harum autem virtutum, ſeu virtutis in genere, prò vt definitur diſpoſitio perfecti ad optimum, vel bona qualitas, ſeu habitus bonus mentis, quo bene viuitur, & quo nullus male vtitur, cum multiplex ſit diuiſio: Prima ex parte principij in diuinam, ſeu ſupernaturalem, & infuſam per ſe, quia non poteſt aliter haberi, quam à Deo infundente: Et in humanam; ſeu naturalem, quia viribus naturæ per ſe eſt acquiſibilis, quamuis vt ſit meritoria, debeat ſemper eſſe ex imperio charitatis. Deus enim vt author naturæ eſt, omnium virtutum ſemina noſtris mentibus inſeruit, quæ nobis agentibus adoleſcunt, & formantur, vnde non immeritò humanæ, naturales, & acquiſitæ vocantur: vt verò author eſt gratiæ, & ſupernaturalis, eos habitus, qui ad ſupernaturales, & meritorias vitæ æternæ operationes efficiendas naturales potentias eleuant, nobis antea diſpoſitis ex præuenienti gratiæ auxilio diſpoſitis ad tanta, & tam eximia dona, ſolus ipſe format, & infundit: propterea que rectè appellantur virtutes diuinæ, ſupernaturales, ac per ſe infuſæ.

Vtraque rurſus diuiditur ex parte potentiæ perficiendæ in intellectualẽ, & moralem. Virtus enim intellectualis eſt habitus inclinans, aut perficiens intellectum ad veri aſſenſum certum, & firmum, & conſequenter ad falſi diſſenſum, iuxta præſcriptum rectæ rationis naturalis, ſi ſit naturalis, per fidem verò illuſtratæ, ſi ſit ſupernaturalis; Virtus autem moralis eſt illa, quæ voluntatem perficit ad affectum honeſti, ſiue quod rectæ rationi naturali conſentaneum eſt, ſi ſit naturalis, illi autẽ per fidem quoque illuſtratæ, ſi ſit ſupernaturalis. Quæ licet primariò in voluntate, ſiue in appetitu rationali reſideat, ſecundario tamen reperitur etiam in appètitu ſenſitiuo virtutibus indigente, vt facile voluntati, & rectæ rationi, in ijs bonis, quæ honeſta ſunt, proſequendis pareat, ſiue eæ propriè ſint virtutes, vt volunt aliqui, cum non videatur minus ijs egere appetitus ſenſitiuus ad rectè parendum, quam voluntas ad imperandum; ſiue ſint tantùm habitus quidam, quibus in ſuis functionibus perficitur; & ab intrinſeco rationi, & voluntati obedire conſueſcit, ac facilis in bonum, promptuſque redditur, & determinatur, vt volunt alij.

Habitus intellectualis naturalis, quẽ expreſsè docet D.Thomas 1.2.qu.57. art.2. poſſe eſſe virtutem; quia licet nõ ſit virtus applicans ad bene vtendum, dat tamen facultatem ad bonum; vndè cum pertineat ad rationem virtutis non ſolum bona applicatio, verum etiam bona, & perfecta facultas operandi, non poteſt non eſſe iſta ex parte virtus habitus intellectualis; eatenuſque reuocatur ad moralem, quatenus ad ſui perfectionem requirit imperium voluntatis, in qua ſubiectatur virtus moralis; Hic, inquam habitus, ſeu virtus intellectualis naturalis eſt quintuplex, ſcilicet intellectus principiorum, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars; quarum tres primæ perficiunt partem ſpeculatiuam; duæ autem poſteriores partem practicam, ſcilicet prudentia, quo ad agibilia; ars verò, quo ad factibilia, ſeu artefacta. Qui negant virtutes infuſas, nec non dona Spiritus Sancti, nimirum Sapientiæ, intellectus, ſcientiæ, & conſilij diſtingui à virtute fidei, hanc conſequenter vnicam eſſe virtutem ſupernaturalem intellectualẽ affirmant; verum præter illam dari quoque præfata Spiritus Sancti dona, nec non virtutes infuſas, tam intellectuales, quam morales, probabilius cũ ſit, diuidenda eſt virtus intellectualis ſupernaturalis in habitum fidei, tum in præfata Spiritus Sancti dona, nec non inſuper in ſcientiam, & prudentiam per ſe infuſam.

Virtus moralis acquiſita naturalis, licet

licet multipliciter diuidi poſſit per ordinem ad diuerſa, magis tamen ordinariè diuidi ſolet, attenta conditione materiæ, nimirum quod vna ſit principalior, aut difficilior altera, in quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet Prudentiã, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, tanquam in quatuor ſuprema genera ſub ſe adhuc continentia plures alias virtutum ſpecies. Supernaturalis autem, ſeu diuinitus infuſa diuiditur in Theologicas, immediatè circa Deũ, aut diuinam aliquam perfectionem, vt obiectum verſantes, cuiuſmodi ſunt ſpes, & charitas; tum in eas quæ in cæteris rebus mores hominum ſecundum præſcriptum rationis fidei lumine illuſtratæ, & directæ componunt; quæ per analogiam ad virtutes morales naturales, diuidi quoque poſſunt in quatuor Cardinales, & principales, quibus cæteræ omnes ſunt annexæ, tanquam partes quędam ſiue ſubiectiuæ, ſiue poteſtatiuæ.

Quæ omnes virtutes, plus tamen, aut minus, vel per ſe, vel per accidens ſunt Proficientibus neceſſariæ. Imprimis enim loquendo de intellectualibus, tum naturalibus, quam ſupernaturalibus, ſola fides, & prudentia ſunt huiuſmodi, vt ad ſui vſum neceſſariò poſtulent voluntatem rectam, vnde ſunt abſolutè virtutes, ac per ſe neceſſariæ; aliæ verò quatuor non, ſed tantum ex parte, quia, vt notauimus, efficiunt tantum, vt opus in ſuo genere perfectum ſit, bonum verò vſum non pręſtant. Siquidem ſapientia, Intellectus, ſcientia, & ars, licet mentem, vt aſſequatur veritatem, perficiant, & ars etiam dirigat potentiam executricem, vt opus artificiale reddat perfectum, non tamen faciunt, vt voluntas bene ijs honeſtè, & laudabiliter vtatur, cum ad prauum finem adhiberi poſſint; adeoque non ſunt virtutes abſolutè, ſed quatenus tantum pręſtant, vt rei cognitio, vel opus externum in ſuo genere perfectum ſit; nec conſequenter etiam ſunt abſolutè ad perfectionem neceſſariæ, ſicut ſunt fides, & prudentia, poſſunt tamen veluti per accidens ad eam iuuare, vel quatenus perficiendo intellectum, melius quoque voluntas dirigitur, vel quatenus eidem voluntati, & ipſi charitati multa, & magna præſtandi ad Dei gloriam circa proximum facultatem ſuppeditant, ſiue ſunt inſtrumenta ſalutis tam ſpiritualis, quam corporalis proximo, quare qui ad id vitæ inſtitutum vocati ſunt, vt huic muneri incumbant, eos neceſſe eſt, hæc ipſa inſtrumenta comparare.

Quantum autem ad virtutes morales voluntatem perficientes, cum in ea duplex inclinatio ſit, altera in bonum honeſtum, altera in bonum naturæ cõmodum, quæ, vt recta ſit, per primam ſemper moderanda eſt, pręſertim cum ab appetitu inferiore, ſeu ſenſitiuo vehementer augeatur, propterea ad vtrãque neceſſariæ ſunt virtutes morales. Nam cum bonum honeſtum, vt plurimum arduum ſit, ac difficile, eget virtutum auxilio voluntas, naturalium quidem, ſi tale bonum ſit tantum naturale, vt ad illud facilius, ſupernaturalium verò, aut infuſarum, ſi ſit ſupernaturale, vt ad illud omnino, & ſimpliciter aſſurgat. Inter quas virtutes infuſas primum locum obtinent, quæ circa Deũ verſantur immediatè, vt Theologicæ, nimirum ſpes, & charitas, deinde quæ mediatè vt religio, & aliæ ad ipſam pertinentes; tum quæ circa proximum, vt iuſtitia, omneſque illi annexæ virtutes, ad quas pertinet modum rationis, quem prudentia ſupernaturalis dictat, noſtris illis actionibus, quæ attingunt alterum, ſiue ſint ſuperiores, ſiue æquales, ſiue inferiores, aut alij quicumque, imprimere. Rurſus cum voluntatis in ea bona, quæ ſunt naturæ commoda, inclinatio vehementer ab appetitu ſenſitiuo incitetur, adeo vt difficile ſępè ſit conſtanter in bonis naturę commodis procurandis rectam rationem ſiue ſolam, ſiue fidei lumine colluſtratam ſequi, idcirco varijs quo-

que

que indiget virtutibus, quibus ſecundum rationem honeſti, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, hanc inclinationẽ regat, & moderetur, appetituique ſenſitiuo, prout par eſt, imperet. Quales virtutes, ſunt aliæ duæ cardinales, fortitudo nimirum, ac temperantia, earumque comites. Vnde cum iuſtitia, & quæ ad iuſtitiam pertinent virtutes verſentur circa operationes noſtras, quatenus ad alium referuntur, fortitudo, & temperantia verſantur circa illas, vt ſunt in nobis, ſeu circa paſſiones noſtras tam Concupiſcibilis, quam Iraſcibilis in officio continendas.

Tandem ob rebellionem partis inferioris cum ſuperiori, maximè in ijs bonis, quæ honeſta ſunt, proſequendis, cum probabilius ſit, in appetitu quoque ſenſitiuo dari aliquos habitus efficientes, vt in prçfatis bonis facilè voluntati, & rectę rationi obediat, ſiquidem non videtur minus talibus habitibus egere appetitus ad rectè parendum, quam voluntas ad imperandum, ſiue ſint perfectæ virtutes, ſiue non; ſiue ſint ſupernaturales infuſæ, vel naturales tantum, & acquiſitę, quatenus dum voluntas propriarum virtutum ope reprimit paſſionem aliquam in appetitu ſenſitiuo, naſcitur quoque in illo habitus quidam naturalis, quo fit, vt facilè poſtea obtemperet rationi, minuſque impediat perfectum harum virtutum exercitium, qualeſcumque, inquam, ſint huiuſmodi habitus, iuxta diuerſitatem opinionum inter doctores, ſtudioſus perfectionis ex frequenti virtutum moralium exercitio, hoc inſuper vtilitatis habet, quod pars inferior dictos habitus, atque adeo facilitatem acquirat, quò promptius, & cum opus fuerit, à ſuperiori ratione moueatur: Etſi enim illę voluntatem ad moderandas paſſiones ſecundum rectam rationem fide illuſtratam, quãdo ſunt ſupernaturales, attollant, & corroborent, ſi tamen pars inferior ſuis deſtituatur habitibus ęque ſemper repugnabit, & eadem execurricis facultatis ratio eſt. Sic igitur vt omnes hominis vires in ſuo ordine fixę contineantur, conſpirentque in vnum, & ita demum facile ſuam perfectionem Proficiens conſequatur, neceſſariæ ſunt planè omnes prçfatę virtutes; nam pars ſuperior Deo, vt authori naturæ, & gratiæ per virtutes acquiſitas, ſiue naturales, & infuſas, ſiue ſupernaturales ſubijcitur, vt facile ab eo moueri poſſit. Superiori autem pars inferior per illos habitus in ipſa reſidentes.

Cum autem duobus modis virtutes etiam infuſæ exerceri poſſint, vno ordinario, vel humano, altero extraordinario, vel diuino excedente communẽ regulationem virtutum, eo quod ab altiori menſura prouenit, quia non regulatur immediatè per regulas rationis, & ordinarium modum operandi eius, V.g. diſcurrendo, aut alio ſimili, ſed per regulam, & motionem Spiritus Sancti, iuxta illud Apoſtoli, *Qui ſunt filij Dei, hi ſpiritu Dei aguntur.* Ita virtutes tam intellectuales, quàm morales ad priorem modum, qui eſt Proficientium proprius, ſimpliciter ſufficiunt, vt tamen ad poſteriorem perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ proprium, requiruntur inſuper dona Spiritus Sancti illas virtutes perficientia, & eleuantia, propterea dona dicta, quia ſupra debitum modum humanum menſurant. De quibus tamen in præſenti ſectione egimus, tum ob connexionem doctrinæ principiorum virtutum; Tum quia aliter explicari non poterat communis ipſarum diuiſio in exemplares, politicas, purgatorias, purgati animi, & heroicas, de qua egimus cap. 9. cum virtutes heroicæ maximè conſiſtant in modo agendi diuino, & ſupra omnes naturæ regulas, qui habetur per dona Spiritus Sancti: Tum denique, quia hic modus operandi non eſt ita Perfectorũ proprius, quin aliquando Deo largiente competat etiam Proficientibus, imo & Incipientibus. Et quamuis non ſit in noſtra poteſtate, quandiu Spiritus Sanctus impulſu aliquo pecu-

peculiari non mouet, quod ex donorum doctrina diſcerni debet, ad illum tamen per ordinarium virtutum exercitium diſponere ſe debent maximè Proficientes, ad vlteriorem Perfectorum ſtatum tranſituri.

Quod ſanè virtutum exercitium maximi ad perfectionem ponderis erit, ſi quis exercendo vnam, præſtituat ſibi adhuc fines aliarū; ſic enim actus vnus, qui vnius tantum meriti ferax eſt, ſola directione ſeptuplo, aut decuplo fœcundabitur; V.g. qui miniſtrat Miſſæ, qui eſt actus latriæ, ſi miniſtrat, vt placeat Deo, eſt actus amoris; ſi ad profitendam fidem eſt actus fidei; ſi vt per id ſacrificium conſequatur beatitudinem, eſt actus ſpei: ſi vt ſatisfaciat Deo pro peccatis, eſt actus pœnitentiæ: ſi ad obediendum ſuperiori, eſt actus obedientiæ; denique quot fines honeſtos concipit, tot virtutum ſpecies vnus actus ille, aut ſimilis ſortitur.

Inſuper cum alij ſint paſſione vna, quam altera moleſtius infeſtati, & ex natura ſua, virtute vna magis, quam altera indigeant: vniuerſorum Patrum conſenſio eſt, quam & experientia docet, valde vtile, imo conſultius eſſe, poſtquam quis paſſione vna, vel altera magis ſe affici nouit, vt vires prope omnes, ad vnum præcipuè ſtudium virtutis vnius cogat; v.g. quem iracundia vexat, luxuria verò minimè, ſtudioſius in manſuetudinem, quam in caſtitatem incumbere debere; quem verò ſuperbia moleſtat, ira verò, aut luxuria parum, humilitatem potius, quam vtramque virtutem illam colere oportere; & ſic de reliquis. Cuius ratio eſt, quia vires modicæ in ſtudia multa diuiſæ, nihil egregium præſtare ſolent, ſecus autem in vnum contractæ; & ſic animus in aliquam virtutem v.g. humilitatis intentiſſimus, actus admodum intenſos, quos in plura diuiſus non produceret, promit, atque adeo eam virtutem breuius comparabit. Cumq; vt diximus ſupra cap. 10. agendo de proprietatibus virtutum, omnes, vbi ſtatum ſpecie ſua perfectum attigerint, ſint connexæ, ſeu fieri non poſſit, vt virtus vna perfectè acquiratur, niſi omnes quoque parentur, conſtat, quam vtile ſit vires omnes in vnum præcipuè ſtudium virtutis vnius contrahere, qua magis indigemus, cæteras tamen, pro incidentibus occaſionibus, libenter etiā colendo. Cuius exempla habemus in Sanctis, de quorum vnoquoque Sancta canit Eccleſia: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi*; ob præcellentem nimirum aliquam virtutem, aut perfectionem, à qua etiam plures denominationem ſuſceperunt.

Verum cum charitas ſit virtutum omnium princeps, ac Domina, quæ à Theologis forma, & vita virtutum appellatur, quod virtutes cæteræ, ipſæ quoque Theologicæ, rude quiddam, & informe, nec non inanime ſint ſine illa; Vnde Apoſtolus, nec Angelorum linguas, nec prophetiam, nec virtutem miraculorum, nec eleemoſynarum largitionem, nec ipſius etiam mortis tolerantiam, abſente charitate, vllius pretij, vel meriti, quod ad æternitatem ſpectat, eſſe profitetur, eo certè affectu, multoque adhuc maiori, à perfectionis ſtudioſo, cuius etiam ipſa dicitur vinculum ab eodem Apoſtolo, coli debet, quo ab hominibus vita ſolet exquiri, & per illam, more aquilæ pullos ſuſpendentis, cæterarum inſuper virtutum actus, ad veri ſolis aſpectum extolli, hoc eſt in vnicam Dei gloriam referri, vt quo per ſe perferri nequirēt, nobiliſſima virtutis huius directione pertingant, ſimulque maius tanquam à ſua radice augmentum, vel incrementum ſuſcipiant.

Plura quidem ſunt huiuſmodi virtutum exercendarum, & acquirendarū tum media, tum motiua; præcipua tamen vniuerſim ſunt, ſeniorum, ac ſuperiorum exhortationes, ſiue collationes. Priuata alicuius magiſtri ſpiritualis directio, & inſtructio. Lectio ſpiritualis. Oratio præſertim mentalis. Aſſiduum præſentiæ Dei exercitium. Frequens conſcien-

conſcientiæ examen. Exercitia ſpiritualia, ſiue ſeceſſus, ſaltem annuus per aliquot dies. Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequens vſus. Quæ autem ſunt particularia, deſumi ex natura, vel dignitate, ac neceſſitate cuiuſque virtutis debent: omnium tamen excellentiſſimum, ac efficaciſſimũ eſt imitatio Christi Domini nobis à Deo dati in perfectiſſimum omnium virtutum exemplar.

Verum quia intra charitatem ipſam, quæ longiſſimè procurrit, ac proinde intra reliquarum ſpatia virtutum, Proficientes longè, Perfecti longiùs ab Incipientibus diſtant: hinc ſequitur, vt longè quoque diuerſos virtutis colendæ, & exercendæ, animæque à vitijs, & paſſionibus purgandæ modos inire debeant. Igitur, vt ex dictis ſupra, Incipientes virtuti nauant operam, purgandæque per illam animæ à paſſionibus, cæteriſque motibus ad peccatum mortale inclinantibus, & conducentibus: ita Proficientes, vt illius ſplendoribus illuminentur, indeque nedum à mortalibus, ſed & à venialibus, ſiue paſſionibus ad iſta ferentibus, quantum fieri poteſt, expurgentur: Perfecti verò, vt Deo iugiter adhæreant. Sic ergo, vt diximus cap. 15. purgatio, vel mortificatio actiua Proficientium propria, in hoc maximè conſiſtit, quod animæ à peccatis etiam leuioribus, quæ venialia dicuntur, maximè deliberatè factis, mundandæ, atque adeo affectu ad illa, totas vires adhibeant, modo ibi explicato.

Quantum ad purgationem paſſiuam à Deo prouenientem, quæ de illa Incipientium diximus ſect. 1. cap. 6. & 7. Proficientibus quoque applicari poſſunt, maximè illa, quæ ſuperiorem animæ partem concernunt. Quæ autem ad inferiorem pertinent, cuiuſmodi ſunt vehementiſſimæ carnis tentationes, quibus interdum ſanctiſſimos, & caſtiſſimos à dæmone vexari permittit Deus, ad maiorem illorum probationem, & oſtenſionem fortitudinis, nec non humilitatis cuſtodiam; vt de ſe narrat S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium. De Sancto Benedicto, D. Gregorius lib. 2. dialog. cap. 2. De Sancto Franciſco, D. Bonauentura in eius vita cap. 5. De Sancta Catharina Senenſi, Laurentius Surius in eius vita. Huiuſmodi, inquam, tentationes Incipientibus, vel Proficientibus, nec non etiam perfectis aliquando contingentes, inter ſe valde differunt: nam quæ Incipientes impugnant, plerumque ex carnis petulantia, & immortificatione proueniunt. Quæ verò Proficientibus, aut Perfectis ſenſus iam exercitatos, corpuſque in ſeruitutem reductum habentibus obueniunt, potius à dæmonum inuidia immittentibus turpes cogitationes, adhibentes illuſiones, & phantaſmata dormientibus, imo etiam corpora ex aere ſumpti oculis, & auribus vigilantium ingerentibus, quam à propriæ carnis corruptione. Inſuper, Incipientibus ab effræni, & rebelli carnis motu inopinatè ante vllam animæ operationem ſimiles oriuntur tentationes; Proficientibus verò, prius in imaginatione turpes repræſentari ſpecies, quàm carnis motus inſurgere ſolent; imò aliquando ipſa quieſcente, tentatio imaginationem, totumque hominem internè ſolùm exagitat.

Ne autem laborantes circa virtutum acquiſitionem, præfatamque animæ per illas munditiem, & illuminationem, non ſpe tantum percipiendi, ſed inſuper aliquali fructus percepti certitudinis ſolatium habeant; non deſunt plura, quibus id ipſis innoteſcat, ſigna vel argumenta. Huiuſmodi ſunt primò, quod, qui prius in ſtatu Incipientium difficulter, lentè, difformiter, inconſtanter, ac mæſtè circa alicuius virtutis materiam operabatur, nunc circa eamdem facile, prompte, vniformiter, conſtanter, ac delectabiliter operetur; ſecundum quod in hoc ſtatu Proficiẽtium, ſeu viæ illuminatiuæ requiritur. Vt enim ait D. Bernardus epiſt. 72. ad Ramaldum, ſimilitudine ducta ex pennis,

nis, *Si virtus ſic onerat, vt non premat mentem, ſed leuiget, abſque dubio virtutem habet, qui non ſe difficilem, & mœroſum ad eius opera, ſed agilem, ac expeditum aduertit.* ¶ Cuius etiam ratio deducitur ex ipſamet virtutis natura, dantis facile operari, ergo vbi prius nõ ita facile, & promptum erat, poſtea autem facilius, ac promptius, nec non etiam delectabilius eſt eius exercitium, non poteſt non eſſe clarum virtutis in ſuperiori gradu acquiſitæ indicium, ſimul & animæ perfectius à paſſionibus, & terrenis affectibus euacuatæ. Vnde etiam ſecundum talis acquiſitionis ſignum, eſt carere ſimilium affectuum impugnatione, & importuna paſsionũ moleſtia. Si quidem virtutis munus eſt huiuſmodi immoderatos motus coercere, non ſolum per ſimplicem eorum repreſsionem, ſed etiam per contrariorum actuum eiuſmodi virtutis poſitionem. Vnde, vt ex Auguſtino, Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis, & perfecta charitas nulla cupiditas; ita augmentum humilitatis diminutio eſt ſuperbiæ; & perfecta humilitas nulla ſuperbia; & ſic de alijs virtutibus reſpectu paſsionum, aut vitiorum contrariorum eſt. Tertium ſignum, vel indicium eſt, exacta mandatorum Dei cuſtodia, in perſonis autem religioſis rigida inſuper ſuarum legum obſeruantia. Quartum, vbi quis maximum in ſeipſo probat, & experitur proficiendi in virtute deſiderium. Vt enim virtus adepta, & poſſeſſa ſuauis eſt, multumque delectabilis, ſemelque proinde guſtata non poteſt non accendere guſtantibus ſui deſiderium; ita quo magis per aſsiduum, perfectiuſq; exercitium veluti guſtatur, maius quoque accendit deſiderium. Pro quibus omnibus, vt ſummæ Deo rependendæ ſunt gratiæ, ita qui illa in ſe ſentit, corã Deo profundius humiliare ſe debet, nihil de ſeipſo præſumendo, imo credendo ſe vix incepiſſe, multoq; ſollicitius vltra in via perfectionis progrediendo, cum in ea non progredi ſit regredi.

Dicente Domino, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, mirum eſt, quantum anima ſic per virtutum acquiſitionem illuminata maximè quo ad vim appetitiuam, indeque purgata tum creatarum omnium rerum, tum ſuipſius inordinato affectu, & amore, ſit rectè diſpoſita ad vacandum diuinæ contemplationi, & orationi, per quam pars, ſeu vis cognoſcitiua actiuè illuminatur. Cum enim duplex ſit oratio, vel contemplatio ſupernaturalis, vna ordinaria, ad quam multum confert propria exercitatio, alia extraordinaria, ſeu ſimpliciter infuſa, ad quam vel eius modum potius paſsiuè nos habemus, De priori loquimur in præſenti, quæ eſt propria Proficientium. Nam altera, vt dicemus infra, eſt propria perfectorum.

Sed cum hæc contemplatio ſupernaturalis ordinaria ſit adhuc multiplex quæ videtur Proficientium eſſe magis propria, eſt illa, quæ fit via negationis, caliginoſa etiam dicta; *Primò*, ex parte principij, quia non amplius lumini rationis, ſed fidei illam colluſtrantis, quæ vt eſt eſſentialiter obſcura, definitur enim ab Apoſtolo, *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, ita etiam, quæ ea duce ſit, vel exercetur contemplatio, non poteſt non eſſe ex parte principij obſcura, & caliginoſa. *Secundò*, ex parte obiecti, quia eſt inacceſsibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, quodque ita lucet in tenebris, vt tamen illud tenebræ comprehendere non poſsint, imo ad illud caligent; ſicuti ſol materialis, quantumuis in ſe viſibilis, vt pote fons ipſe viſibilis lucis, dicitur inuiſibilis, ſeu corporales oculos tantam claritatem aſpicere non poſſe, ſed ad illam caligare, ob eorum debilitatem, & inhabilitatem; Vnde rectè Pſalm. 22. de hac cognitione dicitur, quod *Nubes, & caligo in circuitu eius*; & Pſalm. 96. quod *poſuit tenebras latibulum ſuum*; definirique interdum ſolet, defixio mẽtis in immenſam, & inacceſsibilem Dei

lucem, intelligentiæ oculum reuerberantem, & ſua claritate ſeipſam abſcõdentem. *Tertiò*, ex modo tendendi in huiuſmodi obiectum, quia non amplius via affirmationis, quæ Incipientibus in via purgatiua eſt familiaris, per creatas ſpecies, ſed illis eliminatis, tranquillè, ac purè Deum, ſub quadam generali incomprehenſibilitatis ratione contuetur; Cum enim eiuſmodi rerum creatarum ſpecies ſint quædam veluti lumina, aut faces, quibus prælucentibus ad Deum aſcenditur, illis ſemel remotis, non poteſt non dici hæc etiam ex parte caliginoſa, talis eius notitia, vel contemplatio; nec non animam in illa ſuſpendium elegiſſe, quatenus licet per hanc contemplationem Deũ ineffabili modo intueatur, adhuc tamen veluti media manet inter cælum, & terram, ad iſtam, vbi Deus ſub imaginibus, & ſimilitudinibus quaſi ſub vmbra cognoſcitur, inclinare ſe renuendo, ad illud autem, vbi Deus in ſua glorioſa eſſentia conſpicitur, ardentiſsimo amore anhelando. Quam amoroſam anhelationem in hac caliginoſa contemplatione tria proinde comitati ſolent exercitia, tædium ſcilicet, quoniam quem diligit, & in ſua proprietate videre deſiderat, minimè reperit in imaginibus, & ſimilitudinibus; tum flammigerum deſiderium ad glorioſam, & nudam dilecti faciem videndam, & fruendam in plenitudine amoris, quia nunquam gaudium plenum niſi in perfecta Dei viſione, & cognitione valebit adipiſci. Ac demum ſpes ſecura cum diuina gratia tanti boni adipiſcendi, *Quartò* denique contemplatio dicitur caliginoſa ratione alterius modi tendendi in Deum per dona Spiritus Sancti, hoc eſt modo diuino, & omnem conatum humanum excedente, qui vt eſt proprius Perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ, ita ratione illius nonnulli aſſerũt eorum quoque propriam eſſe caliginoſam contemplationem, ſiue per illum eos ingredi, & à Deo introduci in diuinam caliginem.

Ad Præfatam contemplationẽ Proficientium propriam, quamuis optimè ſint diſpoſitiones uirtutes omnes, quibus maximè remouentur omnia rectè orandi impedimenta, magis tamen poſitiuè, & propriè ad illam diſponunt, ex parte intellectus viua fides, nec non cognitio ſaltem confuſa, & generalis naturæ, proprietatum, & effectuum diuinæ contemplationis; ex parte autem voluntatis ſumma animi fortitudo, virtus temperantię, & in ea præſertim caſtitas; humilis ſimulque fiducialis, rectè orandi petitio à Deo, interna erga ipſum, tum etiam externa reuerentia, ad quam vtramque excitandam neceſſaria eſt diuinæ præſentiæ apprehẽſio, cujus cum varij ſint modi, magis tamen Proficientium proprius eſt intellectualis.

Similiter etſi quæcumque bona, quę ab illis fiunt opera, nec non virtutum exercitia, & earum augmenta meritò orationis, vel contemplationis effectus, aut fructus dici poſsint, ſpecialiter tamen illi adſcribi debent. Primò ex parte intellectus maius lumen non ſolùm ſpeculatiuum, ſed & practicum, quo mens vlterius illuſtrata perfectius Deum, diuinaque cognoſcit, nec non de illis ſentit, fugiendaque voluntati proponit non tantùm quæ diuinã charitatem poſſunt deſtruere, vt in Incipientibus, quorum munus proprium eſt illam tueri, verum etiam vel minima peccata venialia deliberata, quæ illius feruorem minuere, vel augmẽtum poſſunt impedire, & retardare, cui potiſsimum ſtudere Proficientes debent. Secundò ex parte voluntatis ardens deſiderium proficiendi in perfectione: Item maior charitas: ſumma animi, ſeu ſpiritualis delectatio. Maior puritas; nec non tum ſui, tum omniũ aliarum rerum contemptus; pax, & tranquillitas animæ; ac denique ſingulare deſiderium, ſiue affectus imitandi Chriſtum Dominum.

Ita quoque Deus primario, cæteraque omnia ad illum cognoſcendum, &

amandum

amandum ordinata ſecundariò poſſunt eſſe materia, vel obiectum orationis; & contemplationis Proficientium, vt tamen ſpecialiter ad illud pertineant, quæ ad proprios eorum actus magis excitant, & conducunt, nimirum imitationis Chriſti Domini, deuotionis, lætitiæ, & gaudij ſpiritualis, gratitudinis, compaſsionis Chriſto patienti, feruentioris charitatis, & contritionis, ſiue doloris de minimis etiam peccatis venialibus.

Tandem quantùm dæmones aſtutis tentationibus aduerſus Proficientes in via Illuminatiua vtuntur, ad impediẽda omnia ſupradicta eorum bona, indeque vlteriorem ad viam vnitiuam tranſitum, nam vt ait D. Gregorius lib. 7. Regiſt. cap. 126. *Antiquus hoſtis quanto maiora in hominibus dona conſpicit, tanto hæc auferre ſubtilioribus inſidijs exquirit: neque enim latrones in via capere viatores vacuos expetunt, ſed eos, qui auri vaſcula, vel argenti ferunt: via quippe eſt vita præſens: & tanto quiſque neceſſe eſt, vt inſidiantes ſpiritus caueat, quanto maiora ſunt dona, quæ portat:* Tanto magis ipſi debent eſſe cauti, ac ſolliciti in vitandis iſtis defectibus, de quibus magis tentari ſolent, & eo periculoſius, quo videntur eſſe leues, ſcilicet nimiæ affectationis in fugiendis aliquibus peccatis venialibus ad externam diſciplinam ſpectantibus, ſpretis interdum alijs maioris momenti: contemptus exterioris diſciplinæ ſub prætextu cuiuſdam libertatis ſpiritus: indiſcretionis in vtraque hac diſciplina: inquietudinis, vel nimiæ poſt lapſum in aliquod peccatum veniale perturbationis, quaſi de impeccabilitate præſumendo: tepiditatis ſpiritualis, ac tandem nimiæ impatientiæ, dum bona quæ ſperant differri vident, aut in via Dei, ſe nihil, aut parum proficere exiſtimant, cum inde humiliores, & feruentiores, non autem impatientes reddi deberent; adhibendo tam iſtis, quàm alijs ſimilibus defectibus opportuna, & proportionata, quę cum gratia Dei non deſunt remedia. Tantumque ſit de via Illuminatiua Proficientium.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

SECTIO QVARTA.

In qua agitur de Theologia Myſtica, vt eſt propria tertij gradus charitatis, nimirum Perfectæ, ſeu Viæ Vnitiuæ.

CAPVT PRIMVM.

Quænam ſit definitio, & quodnam obiectum Theologiæ Myſticæ propriæ Perfectorum, ſeu Viæ Vnitiuæ.

INHAERENDO definitionibus iam allatis Theologiæ Myſticæ duorum præcedentium graduum, vel ſtatuum propriæ, eadem, vt eſt propria huius tertij gradus, vel ſtatus Perfectorum, ſeu Viæ Vnitiuæ, definiri, vel deſcribi pariter poteſt, quod ſit *Notitia ſupernaturalis, & ſapida Dei diuinorumque, tendens in illa modo diuino per dona Spiritus Sancti, nec non ordinata ad exercendas eodem modo, ſiue in gradu heroico virtutes, purgandamque animam, quantum fieri poteſt, à peccatis venialibus etiam ex ſubreptione contingentibus.*

Qua in definitione primæ particulæ habent rationem generis, in quo hæc Theologia conuenit cum alijs duabus, quæ etiam ſunt ſupernaturales, hoc eſt à principio ſupernaturali procedentes modo tamen humano, ſiue ad quem valet propria hominis exercitatio, hic enim agimus de contemplatione fidelium perfectionis cupidorum tendente ad finem æternæ beatitudinis, per fidem creditum, ac propoſitũ, non autem Philoſophorum ad ſcientiarum duntaxat naturalium aſſecutionem aſpirantium. Cæteræ autem particulæ habent rationem differentiæ.

Pro quarum intelligentia aduertendum eſt, modum diuinum, quo dicitur hæc Theologia Perfectorum verſari circa ſuum obiectum, nempè Deum cognoſcendum, & amandum, dupliciter ſumi poſſe. Primum largo modo, ſeu prout coincidit cum ſupernaturali, eo enim ipſo, quod ſupernaturalitas, formaliſque eius conceptus, vt communius docent Theologi, conſiſtat in quadam formali participatione diuini eſſe, & operationis, non poteſt non vocari diuina, quæcumque res ſupernaturalis. Secundò ſtricto modo, nimirum pro eo, qui non ſolum prouenit à principijs ſupernaturalibus, ſeu à virtutibus infuſis, ſed inſuper à donis Spiritus Sancti eas eleuantibus ad ſpecialem modum operandi diuinum, ad quem humana non valet exercitatio. Dum dicimus in præſenti Theologiam vnitiuam, ſeu propriam perfectorum tendere in Deum modo diuino intelligitur iuxta poſteriorem, non autem priorem rationem, qua etiã contemplatio Incipientium, & Proficientium dici poteſt diuina, quia ſuperna-

pernaturalis. Ab iſta igitur contemplatio Perfectorum propria, & per illam cum Deo vnio, non ſolum, aut præcisè diſtinguitur, quia coaleſcit ex intenſiori fide, & charitate; vel quia Deus infundit aliquod lumen intellectuale ſupernaturale ad modum actus, ſicut in Prophetia contingit, qui eſt contemplari diuina per inſpirationem internam; vel quia ſimul cum iſto lumine interno, ſpecies tum imaginabiles, tum intelligibiles in potentijs iã præexiſtentes diuinitus ordinantur, ac diſponuntur, vt obiectum melius repræſentent; aut aliæ perfectiores de nouo infunduntur, quibus mens non amplius per ſimilitudines à rebus creatis mendicatas, ſed à Deo ipſo immiſſas, inſtar Angelicæ naturæ ſubleuari ſolet; His, inquam, omnibus, quantumuis ſupernaturalibus, quamdiu accommodantur, vel determinãtur modo agendi humano, non conſtituitur, nec diſtinguitur præcisè ab alijs contemplatio Perfectorum propria, niſi perficiatur inſuper per dona Spiritus Sancti eam attollentibus ad modum operandi diuinum, quem explicaturi ſumus in ſequentibus ſectionibus, quomodo ſcilicet huiuſmodi dona perficiant tam vim cognoſcitiuam, quam appetitiuam in particulari. Solum hic in communi aſſerimus, contemplationem ſupernaturalem, cum ex donis Spiritus Sancti elicitiuè procedit, mentem ipſam ſuper ſemetipſam rapere, ſiue eam ſupra modum contemplandi connaturalem ſibi eleuare, ita vt iam non proprio, vel humano operetur modo, ſed agatur ſpiritu Dei, modo diuino, quod eſt ſupra ſeipſam rapi. Et aliquando tali ſpiritu ſic agitur, quod non ſolum ſupra ſeipſam, ſed etiã extra ſeipſam rapitur, ita vt à proprijs ſenſibus alienata, quodammodo ad patriam cæleſtem transferri videatur. Quamobrem D.Thomas 2. 2. q. 175. art. 1. loquens de raptu ait, quod violentiam quamdam importat. Violentum autem dicitur, cuius principium eſt extra, nil conferente eo, quod vim patitur, vt quando aliquis ſpiritu diuino eleuatur ad aliqua ſupernaturalia cum abſtractione à ſenſibus, ſecundum illud Ezechielis 8. *Spiritus eleuauit me inter cælum. & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei.* Et iterum explicans illud D.Pauli 2. Corinth. 12. *Scio hominem*, &c. *raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum*, definit raptũ, quod ſit ab eo, quod eſt ſecundum naturam, in id quod eſt ſupra naturam, in vi ſuperioris naturæ eleuatio.

Ordinati præterea debet hæc contemplatio ad heroicum virtutum exercitium, vt enim iam multoties notauimus, ſic virtutis exercitium omninò neceſſarium eſt in toto viæ perfectionis decurſu; ſicque omnes virtutes morales perfectæ inter ſe neceſſariò ſunt connexæ, vt tamen diuerſimodè, & accommodatè vnicuique eius gradui, vel ſtatui exerceantur; vt paucis verbis innuit Sapiens Prouerb. 4. ſimilitudine deſumpta è Sole, vel ab eo proueniente luce: *Iuſtorum ſemita*, inquit, *quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem*; Quatenus iuſtus ſingulari Dei gratia è tenebris ad iuſtitiæ lumen primum vocatus, arctamque purgatiuæ viæ, veluti aurora, aut lux conſurgens, ſemitam ingreſſus, virtutibus operam nauat, vt vitia, & paſſiones ad mortalia inclinantes potiſſimum elidat; deinde in via illuminatiua, quaſi lux progrediens, maiori ſuſcepto diuinarum gratiarum incremento, eaſdem colit ad exornandam eo vſque animam, & ab inordinatis affectibus, vel paſſionum motibus expurgandam, vt nedum mortalia, ſed nec venialia amplius voluntariè, & deliberatè committat: Tandem in via vnitiua, quæ eſt tertius perfectionis gradus, & perfectæ diei, ſiue meridiei inſtar, vbi paſcit Deus, vbi cubat, & ſuauiſſimè commoratur; quemque ipſe efficit affuſis intellectui, & voluntati Spiritus Sancti donis, modo heroico, & diuino, mediantibus illis virtutes exer-

cet,

cet, iuxta illud Chriſti Domini Mat. 5. *Eſtote vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Nam licet actus omnes, qui in hoc ſtatu exercentur, creati ſint, & proindè ſuos habeant limites ſanè perangustos, ſi cum infinita Dei ſanctitate conferantur; tamen ita ab omni fece purgati ſunt, animamq; Deo vniunt, vt fiat illa vnus cum eo Spiritus, Diuina planè vita viuat, ac diuinas operationes æmuletur. Ad quod facit totum ferè caput tertium 1. epiſt. S. Ioannis; nec non opuſculum 62. de diuinis moribus, Sancto quidem Thomæ adſcriptum, ſed quod eſt alterius authoris, quiſquis ſit ille, qui eodem ferè tempore vixit.

Eidem triplici perfectionis viæ correſpondet diuiſio, quam habet D. Thomas 1. 2. quæſt. 61. art. 5. & explicuimus ſectione ſuperiori cap. 9. Virtutū in Exemplares, Politicas, Purgatorias, purgati animi, & heroicas: ita vt hæ vltimæ ſint, ex eodem D. Thoma, aliquorum in hac vita perfectiſſimorum, qui ſcilicet ad ſtatum viæ vnitiuæ feliciter peruenerunt, non quod hoc ſemper modo operentur, ſed tantùm quādo ex vi huius ſtatus operantur, cuius eſt proprium, vt ab alijs diſtinguitur, operari per dona Spiritus Sancti modo diuino, hoc eſt, communes morum regulas excedente, vndè cum iuxta illas huiuſmodi actus iudicari nequeant, nec in commune conſequenter trahi exemplum, vbi à viris ſanctitate claris eliciuntur, præfatis donis, per motionem Spiritus Sancti peculiarem attribui debent. Quorum multa habentur exempla tam in Sacra Scriptura, quam in Eccleſiaſtica hiſtoria, Donis enim Sapientiæ, Intellectus, & Scientiæ, quæ per ſingularem Spiritus Sancti impulſum ad ferendum iudicium conferunt, adſcribi ſolet illud Salomonis, quando infantulum, quæ duæ meretrices ſibi vindicabant, interſecari iuſſit, & veram matrem dignouit: item quod Daniel puer, cum Suſanna ad ſupplicium traheretur, de duobus ſenibus iudicium ſtupore totius populi ſapientiſſimum tulit. Dono Conſilij tribui merito poſſunt, quæ clariſſimi Sancti dementiam, vel ruſticitatem ſimulantes egerunt: cuiuſmodi fuit præſtantiſſimus ille Philoſophus Sanctus Alexander cognomento Carbonarius, Sanctus Alexius Romanus, S. Ioannes Calibita, alijque plures. Sed & perfecta mundi renunciatio, qua quis diuitias, honores, & voluptates omninò contemnit, Spiritus Sancti conſilio cōgruit, id ſanè non reuelante carne, & ſanguine, aut ſuadente humana ratione. Dono Fortitudinis aſſignatur, quod cum ad littus maris Rubri ſubſtitiſſet, & Moſes, præcipiente Deo, aquas intercidiſſet, cæteris ad prodigium illud cohibitarum aquarum alueum ingredi trepidantibus, primus Aminadab in illum irruperit: Samſon columnas templi Philiſtæorum concuſſerit: & Dauid cum Leone, Vrſo, & Goliath Philiſtæo congreſſus fuerit: multoque magis, quod vt refertur in Eccleſiæ actis, multi Sancti Martyres, non pertracti, ſed ſpontè ſua, ſe flammis, vel fornacibus, vel feris obiecerunt. Dono Timoris, quæ plures Sancti in caſtitatis cultu, & occaſionum fuga, vel victoria prodigiosè patrarunt: quorum aliqua protulimus exempla ſuperiori ſectione cap. 7. vbi egimus de actibus huius virtutis: quibus annumerari poteſt ille Sancti cuiuſdam Eremitæ, qui pacto pretio ſcorrorum noctes emebat, & nocte tota vigilans, Deoque iuxta impudicum lectum caſtiſſimè vacans, peccata Lenonum prohibebat: concupiſcentiam quippè Dei timor validiſſimè ſuperauerat: iuxta illud Dauidicum: *Confige timore tuo carnes meas*. Dono tandem Pietatis, quo Deus tanquam Pater, & Sancti, aliaque ad Dei cultum ſpectantia coluntur, tribuuntur plurima inſolita, quæ ex ijs affectibus prodibant, dum Sancti ſe publicantes, & tyrannos maledictis exagitantes, pro Deo, pro ſanctis imaginibus, & alijs ſacris decer-

certabant. Item quod nonnulli euomitas aliquo caſu Sacramentales ſpecies hauſerint. Vt refertur de V.P.N. Dominico à Ieſu Maria, de cuius nunc tractatur beatificatione, quod cum quadam die vidiſſet Sacerdotem paulò poſt miſſam celebratam in medio vomuiſſe vico ſpecies Sacramentales, ipſe motus reuerentia, ac pietate erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in heroicum illius exemplum, in luto totum colligens vomitum, & ſimul luti plurimum deglutierit.

Denique dicente S. Ioanne 1. epiſt. cap 3. v. 9. quod, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Certè mirum non eſt, ſi perfectus in via vnitiua cum Deo per gratiam, & virtutes, ac dona Spiritus Sancti intimè coniunctus, iugiterque intendens ſemini eius, hoc eſt, ſe eſſe inſigniter filium eius adoptiuum, vel ſanctis inſpirationibus, ac impulſibus, quos veluti ſemen ſeminat in agro cordis eius, ad ipſum nomen peccati exhorreſcat, totiſque viribus contendere debeat, vitare peccata venialia, non ſolum quæ deliberatè, verum etiam quantum poteſt, quæ ex ſubreptione fiunt, dicens cum S. Ioſepho ſollicitato ab adultera Geneſ. 39. v. 9. *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit præter te: quomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Etenim ſi apud S. Auguſtinum lib. 3. de ciuitate Dei cap. 3. *Varro vtile eſſe ciuitatibus dicit, vt ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex dijs genitos eſſe credant; vt eo modo animus humanus velut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius;* ſicque Romulum ex Marte, Alexandrum ex Ioue Ammone, Iulium Cæſarem ex Venere genitos finxerunt. Multo magis perfectis, ſtimulus ad omnem virtutem, & ad heroica, imò diuina opera, nec non quæcumque peccata fugienda, eſſe debet, quod verè ſint filij Dei adoptiui. Audi S. Cyprianum lib. de ſpectac. *Nunquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei: deijcit ſe de culmine generoſitatis, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.* Vndè homo verè iuſtus, ac perfectus cum ſollicitat eum caro reſpondet: filius Dei ſum. Ad maiora natus ſum, quam vt me ventris, vel in minimo mancipium efficiam. Cum eum tentat mundus, cum aurum, & opes oſtentat, reſpondet: Dei ſum filius cæleſtibus opibus deſtinatus. Indignum ergò eſt, vt terræ albæ, aut rubræ, quamuis etiam licitè, punctum ſectetur. Cum eum dæmon inuadit, cum honores, & pompas promittit, reſpondet: Vade Sathana in gehennam: abſit, vt filium me efficiam diaboli, qui filius, & hæres ſum Dei. Regno æterno natus, omnem terræ honorem, pompamque velut ſumum calco, & pedibus premo: Et ſic de alijs.

Ex huc vſque dictis ſatis ſuperque colligitur, quinam ad hunc ſtatum propriè dicendi ſint pertinere, nimirū illi, qui iam probè in primo, & ſecundo exercitati, quo ad ordinarium virtutum cultum, & peccatorum tam mortalium, quàm venialiū deliberatorū fugam, ita ſunt diſpoſiti, vt per dona Spiritus Sancti non iam agant, quam agantur, cum ſint habitus, vt diximus ſuperiori ſectione, hominem tandem perficientes, ad hoc vt inſtinctum, atque motionem Spiritus Sancti promptè ſequatur, indeque heroicos virtutum actus eliciat, peccataque venialia nedum ſponte, ſed ex ſubreptione cōmiſſa deuitet; vnde etiam non poteſt non magis vniri Deo, ſeu non perfundi altiſſima eius contemplatione ſecūdum intellectum, & eodem perfrui ſecundum voluntatem per ardentiſſimā, & perfectiſſimam charitatem. Vt enim docet Diuus Thomas 2.2. quæſt. 184. art. 2. *In hac vita haberi poteſt perfectio charitatis dupliciter: vno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne*

illud,

illud, quod contrariatur charitati, ſicut eſt peccatum mortale, & ſine tali perfectione charitas eſſe non poteſt: vnde eſt de neceſſitate ſalutis. Alio modo, in quantum ab affectu hominis excluditur, non ſolum illud, quod eſt charitati contrariũ, ſed etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum: ſine qua perfectione charitas eſſe poteſt; Sicut de facto eſt in Incipientibus, & Proficientibus, attento præcisè eorum ſtatu, non autem in perfectis, à quorum affectu excludi debet,non ſolum illud, quod eſt charitati contrarium, verum etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum, fugiendo ſcilicet quantum poſſunt vel minima etiam peccata venialia ex ſubreptione contingentia.

Reducendo iam dicta, maioris claritatis gratia ad quatuor cauſas, materialem ſcilicet, formalem, efficientem, & finalem. Quę etiam proportionaliter adaptari poſſunt definitionibus Theologię Myſticæ duorum præcedẽtium ſtatuum. Cauſa veluti materialis, ſeu ſubiectiua, huius tertij ſtatus, vel Theologiæ Myſticæ eius propriæ, eſt homo tendens ad perfectionem, ſiue ex officio, ſiue ex firmo propoſito, ſiue quod perfectius eſt ex voto,vt ſupra diſpoſitus, remotis iam per aſſiduum virtutum exercitium, omnibus eius impedimentis,cuiuſmodi ſunt vel minimæ affectiones deliberatæ rerum temporalium, nam vt ait Diuus Auguſtinus lib. 83. q. q. q. 36. *Venenum charitatis*, atque adeò perfectionis in ipſa conſiſtentis, *eſt, ſpes adipiſcendarum, aut retinendarum rerum temporalium: augmentum eius eſt,cupiditatis diminutio: perfectio verò nulla cupiditas.* Verum quia hoc modo diſpoſitis occulta quædam ſuperbia, & præſumptione plena ſui ęſtimatio ſuboriri ſolet, dicente D. Bernardo, ratam eſſe auem in terris,ſanctitatem non perdere, aut humilitatem ſanctitate non excludi, vbi enim ſapientiæ cæleſtis clariora, purioraque lumina ſentiunt, ſibi clam inde blandiuntur facilè, propterea in ipſo huius ſtatus limine,totoque decurſu, nulla magis vtilis, ac neceſſaria eſt diſpoſitio, quam maior adhuc, & profundior, quam antea humilitas, totaliſque ſuperbiæ deſtructio.

Nam cum nemo ſuis, vel viribus, vel meritis, ſed ſingulari Dei beneficio, & gratia euocatus, & adiutus ad ſummum perfectionis culmen aſpirare, ac peruenire poſſit, nihil ita vel Dei vocationi, vel gratiæ inimicum eſt, quam ſuperba, vel inani ſui æſtimatione extolli. Vnde iure merito ait Diuus Auguſtinus lib. de S. Virg. cap. 3. quod, *Humilitas, penè tota diſciplina Chriſtiana eſt.* Et epiſt. 56. ad Dioſcorum, *Sicut Demoſthenes*, inquit, *interrogatus, quid primum obſeruari deberet in præceptis eloquentiæ,quid ſecundò, quid tertiò, ſemper reſpondit pronuntiationem: Sic ſi interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil mihi aliud reſpondere,niſi humilitatem, liberet.*

Cum gratia ſupponat naturam, ſeque illi interdum accommodet, & aliqui ſint ab illa ita ſedato,& quieto animo, vt ad ſanctæ contemplationis otiũ nati eſſe videantur, propterea nonnulli naturalem hanc complexionem inter diſpoſitiones,remotas tamen ad ipſam ponunt: docetque D. Thomas 2.2. q. 182. art. 4. ad 3. ex Diuo Gregorio lib. 6. Moral. cap. 26. quod qui vehementiores habent paſſiones, propter earum ad agendum impetum,ſint ſimpliciter magis apti ad vitam actiuam: qui verò naturali quadam animi lenitate, & quiete prædìti ſunt, magis sũt ad contemplationem idonei. Verum licet ita ſit, attamen gratia corrigente, & eleuante naturam, nullus eſt quocumque modo à natura compoſitus, & comparatus, qui aſſiduo virtutũ exercitio, paſsionumque immoderatarum mortificatione, quæ in præcedentibus vijs eo efficacius adhiberi debuerunt, quo

quo natura in alteram partem decliuius ferebatur, non poſſit ad illã aſpirare, ſeque diſponere. Quare Sanctus Proſper lib.1. de vita Contempl. cap. 6. omnes contemplationis eſſe capaces, videtur velle: *Non hic*, inquit, *contemplatiua vitæ ſublimitatem in futuro, vbi perfectio perficienda eſt, prædicaui, vt in præſenti eam negarem poſſe ab omnibus mundi contemptoribus apprehendi, ſi modo ſe ad eam tota deuotione conuertant: ſi deſiderio eius accenſi, præſentia blandimenta deſpiciant, & longe fortiores effecti, quam vt eos terrena occupationes illaqueent, diuinis rebus, ac futuris promiſſionibus conſiderandis inhæreant.*

Cauſa formalis ſunt omnes virtutes Theologicæ, & infuſæ, non quomodocumque conſideratæ, ſed vt per dona Spiritus Sancti perfectæ & eleuatæ ad agendum modo diuino, ſeu ad exercendos actus heroicos. Etſi enim certum ſit, Virtutes Theologicas, quæ reperiuntur etiam in Incipientibus, & Proficientibus, nobiliores eſſe donis Spiritus Sancti, vt ſuperiori ſectione cap. 8. notauimus; non minus quoque certum eſſe debet, eaſdem cum his donis eſſe in agendo perfectiores, quam ſine illis, vnde etiam ratio veluti formalis, & conſtitutiua huius ſtatus, quaque Theologia myſtica conſummatur, ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti. His, inquam, cæleſtibus donis totum hominem ſpiritualem perfici, ac fere cæleſtem reddi, Sacræ nos paſſim docent Scripturæ: *Spiritus*, inquit Ezechiel 3. *ipſe leuat, & aſſumit hominem quaſi manus Domini confortans.* Et non incongruè comparantur calculo illi cãdido, & carboni ignito, quem Iſaiæ 6. Vnus de Seraphim volans habebat in manu ſua, & forcipe tulerat de altari, quo videlicet inflammante, & animam igni ente, non ſolum purgantur labia Prophetæ, quod pertinet ad initium vitæ ſpiritualis, & viæ purgatiuæ; ſed vlterius prouehitur ad ſcribendum nomen nouum, quando non ſolum illuminatiuam viam ingreditur ſecundum communem modum, & regulam virtutum, in quibus proficit, ſed multo adhuc magis vnitiuam, quatenus in ea per præfata dona nouã accipiens regulam, qua regulatur, & dirigitur, meretur quoque noui, ſeu diuini hominis nomen, edoctus non ſolum vt prius ſtylo hominis, & modo quodam communis prudentiæ, verum inſuper digito Dei, & excellentia motionis diuinæ.

Ad eamdem cauſam formalem huius ſtatus pertinet quoque obiectum notitiæ, & contemplationis illius propriæ, quod, loquendo de eo materialiter ſumpto, eſt idem penitus, ac obiectum contemplationis tam incipientium, quam proficientium, nimirum primario Deus Vnus, & Trinus, ſeu ſecundum omnia quæ in eo ſunt, formaliter, tum abſolutè, tum relatiuè; obiectum enim primarium materiale vniuerſim eſt illud, circa quod præcipuè, & propter ſe verſatur contemplatio aliqua, ſed contemplatio huius ſtatus propria, verſatur circa Deum Vnum, & Trinum &c. præcipuè, & propter ſe, dubitari igitur non poteſt, quin Deus Vnus, & Trinus ſit obiectũ primarium Theologiæ Myſticæ, ſeu contemplationis propriæ huius viæ Vnitiuæ. Secundarium verò obiectum ſunt effectus omnes tam naturales, quàm ſupernaturales, inter quos primum tenet locum Sacroſancta Chriſti Domini Humanitas. Loquendo autem de obiecto formali quo, ſeu de ratione ſub qua hæc omnia attinguntur a Theologia Myſtica, vel contemplatione huius ſtatus, eſt idem Deus, creaturæque omnes cum habitudine ad illum, non præciſè, qua intelligibiles ſunt, & amabiles amore, vel charitate ordinaria, ſicut in alijs duabus vijs, ſed amore heroico, ſeu qua cognoſcuntur, & voluntati proponuntur, tanquam quid eam mouens ad charitatem heroicam, ſeu perfectam; ita enim Theologia Myſtica Viæ Vnitiuæ

tiuæ propria, præſupponit in ſubiecto illa incedente, & ad perfectionem tendente, charitatis gradum ordinarium, vt ordinetur ad extraordinarium, quo arcano nexu cum Deo, ſummo videlicet bono vnitur. Quare appoſite Dionyſius Chartuſianus lib. de fonte lucis art. 13. Theologiam Myſticam vocat ſapientiam vnitiuam, quam dicit non eſſe niſi in viris heroicis, ac perfectis, quos ipſa efficit conſiliarios omnipotentis. Alexander autem Alenſis 4. part. quęſt. 26. memb. 1. art. 1. trium dictorum ſtatuum hominibus, totidem orationum, vel contemplationum genera adſcribit, vt oſtendat contemplationem per excellentiam dictam Myſticam, ſeu infuſam, alias ſupereminentem, & ſuperintellectualem, nonniſi perfectos concernere; quam definit ex S. Ambroſio, quod ſit, *cibus mentis, praclaraque alimonia ſuauitatis; qua membra non onerat, ſed in ornamenta conuertit.* Et ex D. Bernardo ſerm. ad Fratres de monte, quod ſit, *hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quadam, & pia alloquutio, & ſtatio illuminata mentis ad fruendum, quandiu licet.* Quæ definitiones, & ſimiles ſubſtantialiter coincidunt cum noſtra ſuperius allata, quamque modo explicamus per ordinem ad ſuas cauſas, vix enim aliundè melius natura alicuius rei declarari poteſt.

Quod ſpectat iam ad cauſam efficientem, duplex eſt; Deus, & homo: Ita tamen vt Deus ipſe ſit cauſa primaria, & principalis penè omnia hic efficiens; homo verò ſecundaria, ac veluti inſtrumentalis radicaliter quidem per intellectum, & voluntatem, proximè autem per virtutem ſupernaturalē illas potentias eleuantem, cum talis virtus ſit totalis ratio agendi proxima. Quæ virtus ex parte intellectus, non eſt lumen fidei ordinarium, ſicut nec charitas etiam ordinaria ex parte voluntatis, ſed partim ſeptem Spiritus Sancti dona, quæ cuilibet iuſto pro eius diſpoſitione, & neceſſitate infunduntur, partim actualia illuſtrationum diuinarum auxilia ijſdem Spiritus Sācti donis habitualibus conformia, quibus ea ipſa cumulat, & perficit, quorumque conſequenter vſus in iuuando ad contemplationis opus, tum intellectum, tum voluntatem excellens eſt: ſunt enim veluti ſeptem faces ad lumē fidei ordinarium addita mirabili claritate Deum, & diuinas perfectiones in rebus detegentes, & omnes, qui in contemplatione reperiuntur, tum intellectus, tum voluntatis actus ſuſtollentes. Species autem intelligibiles impreſſæ huic contemplationi deſeruientes ſunt per ſe infuſæ, ſic dictæ, quia nulli intellectui humano ſunt debitæ: à nullo intellectu agente, licet perfectiſſimo, vel ex phantaſmate, vel aliundè educi poſſunt; nullus illas intellectus patiens expetit. Quamuis etiam interdum vti poſſit pręexiſtentibus ſpeciebus naturalibus, noua quadam, ac peculiari diſpoſitione à Deo ordinatis, accommodatè ad perfectiorem eius notitiam. Quæ omnia, & alia ad id pertinentia fuſius infra explicabuntur.

Quamobrem ſupereſt, vt breuiter de cauſa finali aliquid dicamus, quę reſpectu huius ſtatus eſt ipſamet ſupereminens contemplatio, cū enim ſit vitę huius beatitudo, & ſuprema hominis perfectio, ſatis conſtat nō in alio, quam in hac contemplatione ſitum eſſe huius ſtatus finem propriū. Si verò ſermo ſit de cauſa finali ipſiuſmet contemplationis, eſt Deus intima, arcana, & feliciſſima animæ contemplatiuæ per amorem fruitiuum vnione coniunctus, ſeu diuina vnio ex his coaleſcens actibus intellectus, & voluntatis: vt quemadmodum ipſe Deus ſeipſum contemplando beatus eſt, ita homo, quantum in hac vita fieri poteſt, & miſericorditer illi à Deo conceditur, abſtracto ab omnibus creaturis intellectu pariter, & affectu, ſolum Deū contemplando, & amando, atque ita modo quodam comprehendendo, eoque

que fruendo, iuxta illud Sponſæ, *Tenui eum, & non dimittam*, beatus ſit in hac vita, & ad futuram in altera beatitudinem optimè diſponatur.

Aduertendum eſt autem hanc ſupereminentem contemplationem, quæ eſt ipſamet Theologia Myſtica conſummata, non ita eſſe ſtatus perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ propriam, vt omnibus in illa conſtitutis, ſtatumque Incipientium, & Proficientium tranſgreſſis ſtatim, aut ſemper communicetur; contingit enim nonnunquam Dei iudicio, & ſingulari prouidentia, illis negari; vt monet Sanctus Bernardus ſerm. 3. de Circumciſione: *Multi*, inquit, *tota vita ſua ad hoc tendunt, ſed nunquam pertendunt, quibus tamen ſi pie, & perſeueranter conati ſunt, ſtatim vt de corpore exeunt, redditur, quod in hac vita diſpenſatoriè eſt negatum, illuc perducente eos ſola gratia, quo prius tendebant ipſi cum gratia.* Sed dicitur proprius, quia ex vi iſtius ſtatus, ſeu diſpoſitionis ex parte perfectorum nihil deeſt, vel nihil prohibet, quin illis à Deo concedatur, concederetur que, ſi eſſet neceſſarium ad ipſorum ſalutem, aliter tamen ordinante, conſeruandæ in illis humilitatis gratia, aut alio ex fine, vt ait idem Bernardus ſerm. de quatuor modis orandi.

Similiter non eſt ita proprius huius ſtatus, aut ſolis perfectis ita competens, quin etiam aliquando (ex eodem D. Bernardo ſermone citato de Circumciſione, Incipientibus ipſis ſingulari Dei fauore obtingat: *Pius enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, inquit, *puſillos corde blanditijs talibus ſolet allicere, ſed nouerint, qui huiuſmodi ſunt gratiam hanc præſtitam ſibi eſſe, non datam.* Per quæ vltima verba ſatis aſſignatur differentia collationis huius gratiæ, reſpectu vtriuſque ſtatus: nimirum perfectis ordinariè, ac veluti de iure conferri, alijs autem extraordinariè. Quemadmodum enim homines officijs virtutum, & pijs actionibus mereri poſſunt quidpiam quod excedit vires naturæ; ita non eſt vlla cauſa, cur non etiam hoc Dei donum promereri aliquo modo poſſe dicantur, qui in omni virtutum genere perfectè exercitati, & ab omni terreno affectu, vt ſupponimus, purgati ſunt. Certè eleuatur aliquando homo ad efficienda opera miraculoſa, idque propter eximia quædam eius merita, & in eorumdem etiam teſtimonium. Quare non eleuaretur etiam ad nobile illud contemplationis genus ob ſedulam in virtutum, & pietatis exercitijs adhibitam operam?

Verum quia reſpectu finis adipiſcendi potiſſimum verſatur deſiderium, ſupereſt vltimo loco explicandum, an Contemplationis ſupereminentis, ſeu Theologiæ Myſticæ donum, quod diximus, eſſe finem huius tertij ſtatus perfectorum, deſiderari poſſit à Deo, peti, procurari, intendi per propria opera, cum diuinis tamen gratiæ auxilijs facta? Circa hoc enim diuiſi ſunt Doctores. Aliquibus id vniuerſim negantibus, eo quod videatur eſſe quoddam genus vanitatis, & ſuperbiæ, ac de ſe valde expoſitum illuſionibus, & deceptionibus: Alijs verò per oppoſitum affirmantibus, de quorum maximè numero ſunt, qui exiſtimant hac contemplatione neminem abuti poſſe. Sed in hac re nonnullis diſtinctionibus vtendum, vel cum aliquibus reſtrictionibus loquendum puto; primùmque ad illius explicationem dico, non poſſe ſine aliquali temeritatis, vel præſumptionis nota, talem deſiderari, aut peti à Deo Contemplationem ab ijs, qui nondum ſatis domitis affectibus, aut euulſis vitiorum radicibus, adhuc in via purgatiua, vel illuminatiua exiſtũt; his enim petentibus finem ſine proportionatis medijs, reſponderi poteſt, eos neſcire quid petant.

Secundò exiſtimo valdè probabile eſſe, quod viri perfecti mentem iam habentes à vitijs expurgatam, à paſſionibus defæcatam, & in charitate ſincera ſtabilitam, poſſint vlterius contemplationis

plationis ſupereminentis donum deſiderare, illudque à Deo petere; tum quia multi putant hoc donum eſſe ſimpliciter, ac per ſe bonum, neminemque proindè eo abuti poſſe; tum quia licet ſecundum alios, ſit tantum ex parte bonum, ideoque bonum, ac malum vſum admittat; tamen non eſt minus bonum, quam naturalia pleraque tum interna, tum externa corporis, vel animi, cuiuſmodi ſunt robur, valetudo, ingenij perſpicacitas, memoriæ tenacitas, ſcientiæ, aliaque ſimilia; nec non quædam bona ſupernaturalia, quales ſunt gratię gratis datæ, donum linguarum, interpretatio ſermonum, gratia ſanitatum, quibus etiam abuti poſſunt improbi, vt pote illis, & iuſtis aliquādo communibus. Vt igitur hæc omnia bona honeſtum in finem deſiderari, petique à Deo poſſunt, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 6. Ita & in eumdem finem, perfectius ſcilicet cognoſcendi Deum, indeque illū amandi, poſſunt iam perfecti deſiderare, & à Deo humiliter petere contemplationem ſupereminentem: iuxta illud Dauidicum: *Requiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Pſalm. 26.

Tertiò, quæ bona non ſunt abſolutè ad ſalutem neceſſaria, conſequenterque eſſe poſſunt mali occaſio, aut minus bonum ſortiri euentum, quale multi Patres volunt eſſe iſtud ſupereminentis, vel extraordinariæ contemplationis, inde aliquibus ſæpè ſuperbientibus, vel alios contemnentibus; vnde vt ait Bernardus ſerm. de quatuor modis orandi, humilitatis conſeruandæ gratię tale donum Deus pluribus perfectis non concedit, imo interdum ali. quid permittit, quod expietur, & purgatione indigeat: hacque potiſſimum de cauſa ſolet Deus ſuauiter, & ſine ſenſu proficientes ex ſecundo ſtatu ad hunc euehere, ſic vt ſæpè ſuum ipſi profectum ignorent: & quamuis per actum contemplationis diuinitus conceſſę illi adhæreſcant, ipſi tamen, Deo ſemper profundiſſimam humilitatem inſinuante, ad incipientium ſtatum ſe ſe demittunt, priora ſcelera ſua, & infirmitatem continuo ante oculos habentes, propterea tutius eſt, qui hoc donū deſiderant, & petunt, hoc ſemper facere, adhibita conditione expreſsè, vel tacitè, quatenus eſt ipſis vtile, vel neceſſarium, ad maiorem in virtute progreſſum, ad mandatorum, conſiliorūque Euangelicorum exactam obſeruationem, ad perfectionem denique citius, & expeditius conſequendam.

Quartò, vt valdè erraret, qui ex curioſitate, vel aliquali in fide dubitatione, ambitione, alioue ſimili prauo affectu, tale donum à Deo irreuerenter poſtularet, indeque permittere poſſet Deus iſtiuſmodi contemplantem multis illuſionibus decipi; ita quoque vanitatis, ac ſuperbiæ inſimulandus eſſet, quiſquis illud peteret tanquam meritis ſuis debitum. Cum enim ſit gratuitum Dei beneficium, quod nequidem optimis ſemper conceditur: neque vlli viatorum debeatur, de hoc enim maximè ait Chriſtus Dominus Ioann. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat; ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu;* non poſſet non ex arrogantia, & immodica ſui æſtimatione oriri opinio illa, quod ipſe præ cæteris dignus ſit, cui illud concedi debeat, atque adeo ſcire vnde veniat nimirum ex proprijs meritis, quod repugnat viro perfecto, vereque ex ſpiritu nato.

In hoc igitur cęleſti contemplationis dono obtinendo, vere iuſtus, ac perfectus, nullam aliam partem habere debet, quam ſe diſponendi ad illud per aſſiduum virtutum exercitium, pręſertim abiectiſſimæ coram Deo humilitatis, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.

CA-

CAPVT II.

Explicatur quid vniuerſim ſit vnio, tùm varia eius genera, ſiue modi adducuntur, pariterque declarantur.

CVm finis Viæ Vnitiuæ, ſeu contemplationis, vel Theologiæ Myſticæ ipſius propriæ ſit arcana quædam animæ cum Deo vnio, priuſquam ad illam in particulari explicandam deueniamus, neceſſario præmittendum eſt, quid vniuerſim hoc intelligatur nomine, & quot ſunt, ſaltem principaliora eiuſdem genera, vel modi, quod in præſenti capite præſtabimus.

Primùm igitur incipiendo à quid nominis vnionis, ſciendum eſt illud tripliciter ſumi, primò *effectiuè*, pro actione ſcilicet, per quam duo extrema inter ſe coniunguntur, & quæ potius vnitio, quam vnio dici debet, licet ab aliquibus vocetur vnio in fieri. Secundò *formaliter*, pro eo quod illa extrema formaliter inter ſe coniungit, atque ita vnio eſt ratio quædam media, per quam dicuntur talia extrema eſſe inter ſe vnita, quam nonnulli vocant vnionem in facto eſſe. Tertiò *relatiuè*, pro relatione ſcilicet, quæ reſultat inter ipſa extrema, ex eo quod inter ſe coniuncta fuerunt. In præſenti agimus de illa ſecundo modo maximè conſiderata, talis ſiquidem eſt vnio animæ contemplantis cum Deo, definirique vniuerſim poteſt, duorum, vel plurium inter ſe diſtinctorum coniunctio. Ex qua etiam definitione oritur multiplex vnionis diuiſio. Tot enim debent dari illius modi, vel genera, quot contingit fieri aliquod vnum, ſeu coniungi inter ſe duo, aut plura. Sunt autem tria, vt rectè docet Diuus Thomas 3. p. quæſt. 2. art. 1. nam *Primò* ex duobus integris, perfectis remanentibus, vel ſine vllo ordine coniunctis, fit vnum, vt ex pluribus lapidibus fit aceruus: vel aliquo ordine coniunctis, ac diſpoſitis, vt ex lapidibus, & lignis architectonicè diſpoſitis, fit domus. *Secundò* fit vnum ex duobus perfectis, ſed alteratis, & tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum. *Tertiò* fit vnum ex aliquibus non permixtis, vel permutatis, ſed imperfectis, ſaltem quo ad vnam partem, vt ex anima, & corpore fit homo; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi ambæ partes ſint imperfectæ, per talem vnionem inuicem perficiantur, vna autem duntaxat, ſi altera ſit perfecta, nulliuſque indiga. Sic in vnione animæ, & corporis, ex qua fit homo, corpus ab anima vitam recipit, ipſa autem à corpore, vt operetur, cum ab eo in præſenti ſtatu non quidem in eſſendo, ſed in operando dependeat. At verò in vnione creaturæ cum Deo noſtrorum bonorum non egente, ſola creatura perficitur, adeò vt Deum ipſi vniri, nihil ſit aliud, quam eidem aliquod bonum de facto elargiri.

Ex quo ſecundo notandum eſt, impoſſibile eſſe, Deum alicui de nouo creaturæ realiter vniri, quin etiam nouum aliquem in ea cauſet, vel producat effectum, naturalem, vel ſupernaturalem, eo modo quo vnitur. Siquidem implicat, duas res prius non vnitas, realiter inter ſe vniri, abſque aliqua mutatione, aut in duobus extremis, aut in altero ſaltem eorum; alias ſi nulla prorſus interueniret mutatio, remanerent vt antea, cum nullum de aliquo contrarium enuntiari, verificarique poſſit, abſque aliqua ipſius mutatione; hęc autem ex parte Dei, qui eſt immutabilis ſe tenere non poteſt, vt enim ait Diuus Thomas 3. p. quæſt. 2. art. 7. ad 1. *Dicitur Deus vnitus creaturæ, ex hoc quod creatura eſt realiter vnita Deo, abſque eius mutatione*: creaturam igitur afficere debet ex eodem S. Doctore docente 1. p. quæſt. 9. art. 1 ad 3. *Deum appropinquare ad nos, in quantum percipimus influentiam bonitatis ipſius.* Et lib. 3. contra gentes cap. 18. *Res non ordinari in Deum ſicut in finem, cui aliquid acquiratur: ſed vt*

ab

ab ipſo ipſummet ſuo modò conſequantur, cum ipſemet ſit finis. Ita ut huiuſmodi unio ſit propter Dei bonitatem, ad quam maximè pertinet ſe communicare, & propter creaturæ utilitatem, cuius eſt ab illa tanquam ab omnis perfectionis fonte, ſuam recipere.

Vndè tertio aduertendum eſt, Deũ tribus duntaxat modis uniri creaturæ, quibus aliquod ei communicat bonũ. *Modi*, inquit idem Sanctus Thomas in 1. ſentent. diſt. 14. art. 4. ad Hannibaldum, *quibus Deus eſt in creatura, diſtinguntur ſecundum diuerſos modos, quibus creatura Creatori unitur, quod quidem contingit tripliciter, vno modo ſicut effectus cauſæ efficienti, cuius ſimilitudinem gerit; & ſic eſt modus communis prout eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: alio modo ſicut obiecto operationis, in quantum creatura cognoſcit, & amat Creatorem, & ſic dicitur eſſe in Sanctis: tertio modo quantum ad eſſe in vna perſona, & ſic dicitur diuinitas eſſe in Chriſto*. Quod idem docet 1. p. q. 8. art. 3.

Circa primum eſſendi modum, quẽ Theologi omnes, ut quid de fide admittunt, & uocant plures unionem quo ad locum, ſeu unionem præſentiæ, quemque rurſus omnes conueniunt Deo competere ratione ſuæ immenſitatis formaliter, per illam enim habet, ad res omnes, quæ exiſtunt omni præſentiam actualem, ac intimam, ut bene dixerit Regius Propheta Pſalm. 138. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. &c.* quatenus nullibi poteſt conſtitui creatura, ubi à Deo ſit loco diſiuncta. Vnde ſcite D. Gregorius ait lib. 11. Moral. cap. 12. *Ipſe manet intra omnia, & extra omnia: ipſe ſupra omnia, & infra omnia: Superior per potentiam, inferior per ſuſtentationem; exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem: ſurſum regens, deorſum continens: extra circumdans, interius penetrans: nec alia parte ſuperior, alia inferior: aut alia parte exterior, alia interior: ſed vnus, & idem totus vbique præſidendo ſuſtinens, & ſuſtinendo præſidens: circumdando penetrans, penetrando circumdans*. Conſentientibus, inquam, omnibus Theologis hunc eſſendi modum conuenire Deo formaliter per attributum immenſitatis, difficultas eſt inter illos, quænam ſit ratio illam fundandi: ſiue cum certum ſit eſſentiam diuinam per ſuam ſubſtantiam eſſe præſentem rebus tanquam per extremum huius præſentiæ, ipſa enim ſubſtantia Dei eſt, quæ dicitur præſens rebus, eaſque immediatè, & intimè tangere; diſputant Doctores de ratione formali, qua iſta ſubſtantia diuina tangit res, quibus redditur præſens, quemadmodum enim corpora redduntur pręſentia corporaliter mediante quantitate extenſa tanquam ratione formali contactus, quamuis ipſa ſubſtantia corporea ſit extremum quod redditur pręſens: ita difficultas eſt, quæ ſit ratio contactus in ſubſtantia diuina; cum enim in ſpiritualibus loco quantitatis ſit contactus uirtutis, ita neceſſe eſt aſſignare uirtualem in Deo contactum, quo tangit creaturas, & in hoc aſsignando uaria ſunt placita; quibus relictis, ut pote ad noſtrum inſtitutum non ſpectantibus, probabilior, ac uerior eſt ſententia Diui Thomæ, quam hic ſolùm explicabimus.

Itaque dico, quod ipſa operatio Dei immanens ſecundum quod virtualiter eſt tranſiens, & ponens effectum in eſſe, eſt formalis ratio à priori contactus diuini ad creaturas, & exiſtentiæ Dei in rebus, quantum ad contactum, ſeu immenſitatis, vel vbiquitatis eius. Hæc eſt mens Diui Thomæ vbique; nam 1. p. q. 8. art. 5. concludit: *Quod Deus eſt in rebus non ſicut accidens, nec ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut agens, & quia agit ipſum eſſe profundiſsimè, & intimè eſt in rebus*. Quibus verbis non ſolum docet, Deum eſſe præſentem, verum etiam tradit modum, & rationem, qua præſens eſt, ſcilicet per mo-

du m agentis, & ſic rationem agendi, vel operationem non ſumit tanquam rationem à poſteriori, vt gloſſant aliqui ad probandum Deum eſſe in rebus, ſed tanquam rem intentam in aſſerto probat illam. Certè quando negat Deum exiſtere in rebus, ſicut pars eſſentiæ, vel vt accidens, negat illa tanquam modum, & rationem formalem exiſtendi in loco: igitur quando ait, quod eſt ſicut agens, affirmat id tanquam rationem formalem, & non vt conditionem, aut rationem à poſteriori, ſiquidē contraponit id alijs duobus negatis. Deindè, ſi actio Dei ſolum eſt conditio, quia requiritur ad hoc vt ponatur aliud extremum, cui debet eſſe præſens, iam ex ipſa ratione agendi ſolum inferri poſſet, dari extremum, cui Deus aſſiſtat, non verò quod tali modo aſſiſtat illi, ſcilicet intimè, & profundè in illo exiſtendo, hoc enim inferri non poteſt, ſi actio Dei ſolum eſt conditio ponendi illud extremum, non autem ratio habendi intimum illum contactum, & præſentiā; vt infra magis ponderabitur.

Eodem modo rem explicat in 1. diſt. 37. q. 1. art. 1. & 2. dum ait, Deum exiſtere in loco, per hoc quod dat loco naturam locandi, & quod non eſt vbique ab æterno, quia eſſe in rebus importat relationem fundatam in operatione, indè enim clarè patet, eum ſentire, quod ratio formalis à priori habendi omni præſentiam ſit operatio, ſiquidem eſt fundamentum relationis omni præſentiæ. Et lib. 3. contra gentes cap. 68. in fine ait: *Quod Deus non determinatur ad locum, vel magnum, vel paruum ex neceſſitate ſua eſſentiæ, quaſi oporteat eum eſſe in aliquo loco, cū ipſe fuerit ab æterno ante omnem locum, ſed immenſitate ſua virtutis, attingit omnia, quæ ſunt in loco, cum ſit vniuerſalis cauſa agendi*. Poſtea concludit, *quod Deus non eſt vbique tanquam diuiſus per ſpatia, neque vt punctus, qui habet determinatum ſpatium, neque vt materia, neque vt forma, ſed ad modum cauſæ agentis*. Quibus in omnibus locis, ſi Sanctus Thomas non ſentiret, nec doceret operationem Dei eſſe rationem formalem exiſtendi in loco, ſed tantum conditionem requiſitam, fuiſſet valdè diminutus in explicando intento, obtrudendo nobis conditionem, loco rationis formalis, quod quam ſit abſurdum, vel ſuſpicari de tanto doctore, ſatis patet.

Probatio huius veritatis deſumi poteſt primò ex illo D. Pauli Act. 17. vbi loquens de Deo ait: *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*. Illis enim verbis, *non longè eſt*, videtur clarè ſignificari indiſtantia præſentiæ, non autem, vt exponunt aliqui, ſolum præſentia obiectiua, qua Deus eſt in cognitione noſtra, ſatis enim conſtat, à multis noſtrum Deum eſſe longè ſecundum hanc obiectiuam præſentiam, non ſolum de illo non cogitantibus, ſed etiam inſipienter in corde ſuo dicentibus, *non eſt Deus*: Deindè illa cauſalis *in ipſo enim viuimus, &c.* ſignificat cauſam propriam, ſeu rationem, quare Deus non longè ſit *ab vnoquoque noſtrum*, nimirum, quia *in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus*, quod vtique ex operatione Dei habemus.

Secundo probatur ex infinita perfectione, qua Deus dicitur immenſus, eſſeque omnipræſens, aut tangere res, quibus ineſt; hoc enim non fit per quamdam aſſiſtentiam extrinſecam aut dependentiam à loco, aut ſecundum contactum merè extrinſecum, ſicut cōtingit in rebus corporeis, vel quantis, ita tangentibus alia quanta, quod ſolum ſuperficie illis coniunguntur, non autem interius penetrent, quia potius contactus quantitatis obſtat penetrationi, à qua ſuperficie ſi ambiantur, dicuntur illi extrinſecè ineſſe, ab eaque tanquam locatum à locante dependere: ſed Deus dicitur eſſe præſens, ipſo ſubordinante, & ſubijciente ſibi locum, ſiue rem cui eſt præſens, eique ita illabente, vt non habeat terminum

minum in tangendo, ſed nihil intactū relinquat in te, quam tangit, alias non eſſet contactus infinitus, infiniteque illapſiuus, de cuius ratione eſt, quod non ſupponat extremum, ſed faciat; nam ſi aliquid ſupponit, cui adhereat, & quod tangat ſuperaddendo aliquid, hoc ipſo habet contactum quaſi extrinſecum, & conſequenter non intimè illabitur intra ipſum eſſe rei, ſed illud præſupponit, & tanquam extrinſecus, vel ſuperficialis illi aduenit; Igitur, cum virtus diuina, eaque ſola, ita vniuerſalis, & infinita ſit, quod nihil, vt præſuppoſitum reſpiciat, ſed omnia vt effectum, etiam materiam primam, manifeſtè ſequitur, ſolam operationem diuinam eſſe rationem à priori dicti contactus diuini, ſeu cur Deus ſolus ſit intimè, & illapſiuè præſens omnibus rebus, quia reſpicit illas vt effectum potius quam vt paſſum, iuxta illud Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Quod etiam expreſſè docet D. Thomas in 2. diſt. 8. q. 1. art. 5. ad 3. vbi ait: *Quod in eſſentia non intret niſi ille, qui dat eſſe, ſcilicet Deus Creator, qui habet intrinſecam eſſentiæ operationem. Aliæ autem perfectiones ſunt ſuperadditæ ad eſſentiam.*

Vnde colligitur primo præſentiam immenſitatis coincidere cum præſentia illapſus, eſſeque Dei ita propriam, vt nulli prorſus creaturæ conuenire poſſit. Quando enim Angelus intrat in corpus, licet ibi ſint intimè quoad terminos loci, & quantitatis, vt ibidem ait D. Thomas, non tamen intra terminos eſſentiæ, & ſubſtantiæ. Eſſimiliter anima licet intimius penetret materiam, quam Angelus quantitatem, quia informat illam in eſſe ſubſtantiali, tamen quia præſupponit entitatem potentialem materiæ, cui ſuperaddit eſſe ſubſtantiale actuale, non totaliter illabitur entitati materiæ: Deus autem cum neque quantitatem, neque materiam, neque formam, neque aliquid entitatis præſupponat, ſed contactus eius omnia tangat, ita vt prius intelligatur incipere, quam præſupponatur res, ad quam terminatur, inde eſt, quod ipſe ſolus ratione ſuæ operationis, vel virtualis contactus ſit immenſus, & vbique præſens per intimum illapſum, coincidatque præſentia immenſitatis cum præſentia illapſus.

Colligitur ſecundo in iſto perfectiſſimo, & intimo contactu, ſubſtantiam Dei non eſſe applicabilem ad alterum extremum, ſed applicatiuam alterius extremi ad ſe, in quo ſuperexcedit Deus omnem contactum creatum: Omnis quippè creatura tangit alteram applicando ſe ad illam, ſeu præſupponendo aliquid cui ſuperaddat contactum ſui. At Deus non præſupponit aliquid, cui ſe applicet, ſed omnia facit, & reſpicit tanquam effectus ſuos, non vt ſubiectum præſuppoſitum, propterea que contactus eius debet eſſe actiuus, & applicando alia ad ſe, & immutando, non verò applicando ſe ad alia, tanquam ad præſuppoſita: ſiue quod idem eſt, ratio, & fundamentum contactus diuini ad creaturam non eſt aliquid paſſiuum, & applicabile Dei ad creaturam, ſed aliquid actiuum, vel applicatiuum creaturæ ad ſe.

Habetur tertio, quod etſi in creaturis ſpiritualibus, vt in Angelis ratio præſentiæ, & contactus ad corpora, ſit etiam quantitas virtutis, quatenus operatur circa illa, vt docet D. Thom. 1. p. q. 52. aliter tamen pertinere operationem in Angelo ad rationem formalem præſentiæ eius in rebus, & aliter in Deo, nam in Angelo requiritur operatio ad præſentiam, ſeu ad contactū eius localem, quatenus non ſolum elicit effectum ex corpore, cui ſe applicet, ſed quatenus per eamdem operationē prius ſe reddit applicatum corpori, vt ſubiecto præſuppoſito, ex quo debet producere effectum, quam ipſum effectum producat. Et hoc ideo, quoniam Angelus operatur per actionem eductiuam, non creatiuam, atque ita præſupponit ſubiectum, non facit, vndè neceſſe eſt, quod virtus Angeli opera-

tiuà applicetur, & vniatur ſubiecto, tanquam rei præſuppoſitæ non factæ à ſe, ſicque ex hac parte contactus eius non eſt intimus, nec propriè illapſiuus, ſed ſuper addens ad rem, quam præſupponit. Cæterum virtus diuina ita eſt vniuerſalis, vt nihil reſpiciat, tanquam ſubiectum, quod non ſit etiam effectus eius, quia omnium eſt radix, & principium iuxta illud Roman. 11. *Non tu radicem portas, ſed radix te*. Atque adeo operatio eius non reddit ipſum præſentem per modum applicationis ad rem præſuppoſitam, ſed per modum effectionis ad effectum, quem ſuo contactu attingit, quia antecedenter ad ſuā operationem nihil præſupponit cui ſuperaddatur, quodque ab ipſo non fuerit productum, ſi ſupponatur.

Infertur quarto, attributum diuinæ immenſitatis ad duo conſequi attributa, habereque reſpectum ſecundum duplicem eius conſiderationem. Si enim ſpectetur quantum ad ſuam extenſionem, vel ſphæram, cui poteſt aſſiſtere, & coexiſtere, cum ita ſit infinita, omnique termino carens, ſequitur ad attributum infinitatis; qua ratione D.Thomas poſt attributum infinitatis 1.p. q.8. tractat de immenſitate, *quia*, inquit, *infinito conuenit eſſe vbique*. Si autem conſideretur, ſecundū quod dicit rationem formalem, modumque habendi contactum intimum, & illapſiuum ad res, ſic conſequitur ad virtutem operatiuam, ita quod antecedenter ad operationem non intelligatur contactus diuinus, vt diuinus eſt, hoc eſt nullum præſupponens ſubiectum quod non ſit effectus eius. Et hoc modo explicari ſolet in Scriptura, & Patribus ratio diuini contactus, ſeu præſentiæ ad omnia; citato enim loco Act.17. non dixit Apoſtolus, Deum nō eſſe longè à nobis, quia infinita eſt eius ſubſtantia, ſed quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, vnde immutationem noſtram, qua viuimus, & mouemur in ipſo, poſuit tanquam cauſam exiſtendi non longè à nobis. Similiter Sapient.7. dum dicitur, quod *Diuina Sapientia vbique attingit propter ſuam munditiam*, ſubditur cauſa; *Vapor eſt enim virtutis Dei*. Exiſtere enim Deū in aliqua re poſitiuè tam impoſſibile eſt ſine operatione, quam rem ipſam exiſtere independenter ad operationem Dei.

Quamobrem ante mundi conſtructionem, fuit quidem Deus realiter, & actu præſens, aut melius in ſeipſo exiſtēs in ſpatijs imaginarijs, quibus nunc reſpondent ſpatia mundi realia, iuxta verſiculum:

Dic vbi tunc eſſet, cum preter eum nihil eſſet?
Tunc, vbi nunc, in ſe: quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Non tamen fuit actu illis præſens, aut formaliter, ſed virtualiter, aut poteſtate tantum, quia nimirum potuit in illis creare res, prout de facto creauit, & eſſe in illis.

Eodem modo diſcurrendum eſt de ſpatijs imaginarijs, quæ extra mundum vel vniuerſum fingi poſſunt, nimirum reſpectu illorum nullam habere Deum præſentiam abſolutam actualem, qua dicatur illis adeſſe per præſentiam, & deſignationem ſui in illis, neque tanquam in termino ſuæ præſentiæ, neque tanquam in medio à ſe repleto repletione virtuali, ſed tantum habere formaliter in ſeipſo virtutem infinitam, reſpicientem illa ſpatia infinita mediatè, quatenus poteſt in quacumque deſignatone illorum producere rem aliquam, & exiſtendo in illa per contractum inmutatiuum, mediatè quoque eſſe in quocumque ſpatio deſignato; non autem ſic eſt diſpoſitus, vt ſi per impoſſibile aliquod ens poneretur in illo ſpatio à Deo non procedens, coexiſteret illi, vel diceretur illi præſens ratione immenſitatis ſuæ, & aſſiſtentiæ ad ſpatium, ſicut aſſerunt Doctores negantes, quod operatio Dei ſit formalis ratio talis eius præſentiæ.

Sic ergo licet ad hoc, quod Deus exiſtat omnino abſolutè in ſeipſo non requi-

requiratur operatio, ſeu contactus operatiuus, ſed identitas, & exiſtentia, ſiquidem contactus non eſt ad ſe, ſed ad alterum; attamen vt rebus extra ſe ſit præſens, vel coexiſtat ratione immenſitatis prærequiritur dictus contactus; ſiue quod idem eſt, reſpectu eorum, quæ ſunt extra ſe, ſolum poteſt exiſtere per præſentiam replentem res effectiuè, & tangentem intimè, vnde ſi actu producit, & dat eſſe, actu replet, & tangit, ſi verò non producit actu, ſolum eſt in potentia non paſſiua, ſed actiua, ac virtute tangens. Atque adeo ad nihil deſeruit exiſtentia, vel præſentia Dei in ſeipſo, vt ſit præſens alicui, niſi inſuper illud effectiuè attingat, vt diximus.

Quare ſicut anima non poteſt eſſe præſens corpori, niſi informando illud ſeu dando illi eſſe per modum formæ, ad id verò, quod non eſt informabile à ſe, nullo modo comparari poteſt, vt præſens tanquam anima, aut per modum animantis, ſic neque Deus poteſt intelligi præſens; niſi vt primum, & vniuerſaliſſimum agens, & conſequenter nonniſi reſpectu alicuius factibilis à ſe. Similiter etſi vt aliquid operetur præſupponatur habere eſſe, quia operatio egreditur ab agente, vt exiſtente, & conſequenter admittendum ſit Deũ neceſſario exiſtere ante ſuam operationem virtualiter ad extra tranſeuntem; attamen eo ipſo, quod talis operatio ſit ei ratio eſſendi in rebus, ſubijciendo illas ſibi, ita vt nihil ei præſupponatur, quod non ſit eius effectus, implicat præſentiam in Deo illud antecedere, vel quod idem eſt, non eſt neceſſe, quod præſupponatur eſſe hic, ſed ſufficit, quod concomitanter ſit hic, quia, vt mox dicebam, licet operatio egrediatur ab agente, vt exiſtente, non requiritur tamen, quod egrediatur ab ipſa præſentia, quam habet cum ſuo effectu, ſed potius talis præſentia conſequitur ad productionem, & poſitionem effectus. Demum patet ex his, quomodo deſignari poſſit, vbi ſit Deus ante ſuam operationem; nimirum quod ſit in ſe ipſo formaliter, extra ſe verò vbique virtualiter, & poteſtatiuè, quia vbique poteſt exercere contactum, & præſentiam ſuam, non tamen de facto & poſitiuè eſt ibi, quia poſitiuè non immutat.

Sequitur quinto contactum, ſeu præſentiam Dei, quantum ad entitatem ita eſſe aliquid intrinſecum, adeoque neceſſarium, & ab æterno ex parte ipſius, vt tamen quantum ad relationẽ, & denominationem aliquid extrinſecum ſupponat, nempè creaturam ab ipſo immutatam immutatione temporali, ſine qua non denominatur, aut non dicitur ad illam præſens. Quocirca nulla mutatio ponitur ex parte Dei, ſed tota ex parte creaturæ, quæ tangitur à Deo per actionem immutãtem illam, non autẽ immutantẽ ſe; ſicut etiam operatio diuina, & dominij poteſtas, quantum ad ſubſtantiam, & entitatẽ ab æterno eſt neceſſario in Deo, ſed quantum ad denominationem creatoris, vel agentis, vel domini, temporaliter ei competit, quia fundatur in ipſa immutatione paſſiua rei creatæ, & productæ: non enim habet Deus contactum, vel præſentiam per aliquid intrinſecum immutans ſe, ſed ſolum immutans creaturam quam tangit, cuique præſens eſt, & ideo Deus ſemper eſt in ſe, non tamen ſemper eſt in creatura. Similiter talis præſentia non habetur voluntatè, ſed natura quantum ad rationem eius formalem; verùm quantum ad connotationem, & immutationem ex parte creaturę voluntatè conuenit Deo, non natura, & ideo ab æterno non habet præſentiam ad creaturas actu, ſed poteſtate, & virtute. Sicque non eſt pręſens denominatiuè, & relatiuè, niſi ſupponendo aliquid voluntarium, nempè mutationem creaturæ, quamuis ratio formalis ex parte Dei ſit operatio eius, quæ eſt eius ſubſtantia, ſicut etiam non dicitur creator relatiuè, niſi per voluntatem, licet ratio formalis creandi ſit per ſubſtantiam ſuam.

ſuam. Etſi autem operatio, & ſubſtantia idem ſint ex parte Dei, quia tamen operatio in ſuo conceptu conſideratur per ordinem ad creaturas, ſubſtantia verò abſolutè dicitur in ordine ad ſe, propterea illa ſe habet immediatius ad exiſtendum in rebus, quam iſta. Siue iſta eſt præſens rebus tanquam extremum huius pręſentiæ, ipſa enim ſubſtantia Dei eſt, quæ dicitur vt quod pręſens rebus, eaſque immediatè, & intimè tangere, operatio autem Dei, vt productiua ad extra eſt ratio formalis huius præſentiæ, vel contactus.

Conſtat ſextò attributum immenſitatis diſtingui ab alijs etiam reſpicientibus res ad extra, vt ſunt iuſtitia, miſericordia, & omnipotentia, ratione diuerſæ formalitatis; cum enim alia attributa reſpiciant res ſecundum aliquam participationem ſuam in eis relucentem, V. g. iuſtitia in quantum ponit in rebus æqualitatem, & id quod vnicuique debetur, miſericordia in quantum ſubleuat à miſeria, omnipotentia in quantum producit, & præbet eſſe rebus: Immenſitas reſpicit illas immediatè illis aſſiſtendo, vel coniungendo Deum vt quo, licet vt diximus debeat in hoc præſupponere, vt rationem fundandi ipſammet omnipotentiã operantem, ſeu dantem eſſe rebus, vnde reſultat.

Tandem habetur ſeptimo, quodnam ſit diuiſum huius diuiſionis, qua modus generalis exiſtendi in rebus diuiditur à D. Thoma 1. p. q. 8. art. 5. in tres modos exiſtendi per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſiue quodnam ſit genus huius diuiſionis. Cum enim D. Thomas per iſtos tres modos voluerit explicare non ſolum ipſum modum immenſitatis, quatenus habet contactũ virtualem, vt opponitur quantitatiuo, & phyſicum ad res, qui ſit mediante operatione, ſeu virtute operatiua, vt dictum eſt, ſed inſuper modos, quibus immenſitas ipſa, vel potius Deus immenſus ſubijcit ſibi omnia, quæ tangit, ſiue gubernando, ſiue conſpectui ſuo pręſentando; ita vt potentia ſecundum quã Deus dicitur eſſe in rebus, duplicem habitudinem, ſeu conſiderationem habeat, nempe & tangendi res, quas immediatè producit, & gubernandi, ac regendi illas: Sic diuiſum, ſeu veluti genus huius diuiſionis, eſt modus exiſtendi in rebus, vt communis eſt multis attributis, quibus Deus generaliter in omnibus prorſus rebus exiſtere poteſt, ad diſtinctionem aliorũ duorum modorum eſſendi in ſolis iuſtis per gratiam, & in humanitate Chriſti per modum ſubſiſtentiæ terminantis, nempè continendo, & ſubijciendo illas ſibi extra ſe. Poteſt enim *primò* illas ſubijcere, & continere per operationem, vt productiuam, & ſic pertinet ad contactum immenſitatis, ſiue per illam, tanquam per rationem formalem fundandi dicitur Deus eſſe immenſus, vel in omnibus rebus per eſſentiam, ita quod modus exiſtendi per eſſentiam ſit idem, quod modus exiſtendi per contactum immediatè, quo ipſa ſubſtantia Dei eſt in rebus, nã eſſentia conſiderata abſolute, & ſine contactu non exiſtit niſi in ſe tantum, non verò in alio; *Secundò* poteſt ſubijcere, & continere eaſdem creaturas, non continentia contactus, ſed continentia poteſtatis gubernatiuæ, & directiuæ effectuum extra ſe; ſiquidem potentia comparari poteſt ad effectus ſuos, vel prout continet illos in cauſa, ſeu in virtute, vel prout illos continet extra ſe in actu. Primo modo effectus non tanguntur à cauſa, quia in ſe non ſunt aliquid, ſed intra cauſam, & in eius virtute: Secundo modo dupliciter illos reſpicit, & continet, vt ſtatim dicebam, vel gubernando, ſeu dirigendo, ſicut Rex gubernat, & continet in officio ſubditos medijs miniſtris, vel prout producit, & phyſice dat eis eſſe: Hoc vtroque modo Deo reſpiciente omnes creaturas, vt in poſteriori modo fundatur modus exiſtendi in illis per eſſentiam, ita in priori fundatur alter modus exiſtendi per potentiam, vt guberna-

bernatiuam, & non præciſe vt productiuam. *Tertiò* denique, cum res ipſas, quas Deus producit in ſua propria menſura, faciat etiam ſubiectas conſpectui ſuo per intuitionem, non ſolum quatenus eas intuetur in æternitate tam futuras, quam præteritas, ſed prout exiſtentes in propria menſura non poſſunt oculos eius effugere, nec tantum gubernationi diuinæ ſunt ſubiectæ, iuxta illud Apoſtoli Hebr. 4. *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda ſunt, & aperta oculis eius*. Quod certè maxima ſubiectio eſt, & diſtincta à ſubiectione gubernationis; inter homines enim quantacumque polleat quis authoritate, non tamen omnia ſubiecta, & nuda ſunt oculis eius; per hunc quoque modum ſubijciendi ſibi creaturas, non cognoſcendo eas quomodocunque, ſiue per ſimilitudinem, qua ratione res ſunt in cognoſcente, potius quā cognoſcens in illis, & eſt quid generale omni cognitioni, ſed ſic cognoſcendo, vt non poſſint abſcondi, & effugere à Deo, quod eſt ipſi ſpeciale, maximèque proprium, per hunc, inquam, modum habetur, ſeu in eo fundatur tertius eius exiſtendi modus in omnibus rebus, qui dicitur per præſentiam. Hiſque tribus exiſtendi modis confutantur à D. Thoma loco citato tres errores, qui fuerunt circa diuinam prouidentiam, & ſubiectionem creaturarum ad ipſam.

Sic igitur diuiſum, aut genus huius diuiſionis eſt modus exiſtendi Dei in rebus, vt communis multis eius attributis, quibus generaliter in omnibus prorſus rebus exiſtere poteſt continendo, & ſubijciendo illas ſibi, vt explicatum eſt; non autem modus exiſtendi per operationem, vt præciſè eſt productiua ipſius eſſe, & contactiua rei productæ, ſic enim eſt vnū ex membris diuidentibus, pertinetque ad modum exiſtendi Dei per attributum immenſitatis, quatenus eſt contactiua præſuppoſitiuè rei ſibi coniunctæ, virtuali contactu; & vocatur modus exiſtendi per eſſentiam, diſtinctus à modo exiſtendi per potentiam, non quidem à modo exiſtendi per potentiam, quia tenus preciſè potentia illa productiua eſt immutando, & aſſiſtendo actiuè recreatæ, ſic enim operatio eſt ipſa ratio formalis contactus diuinæ ſubſtantiæ, ſiue modi exiſtendi eius in rebus per eſſentiam, ſed à modo exiſtendi per potentiam, vt gubernatiua eſt, ſicut rex dicitur eſſe in regno per poteſtatē gubernatiuam, qua diſponit de omnibus; quæ ratio diſtinguitur à contactu virtuali, & phyſico, vt ſatis per ſe patet.

Præter hunc modum, quo per immenſitatem in operatione fundatam dicitur Deus modo explicato eſſe in omnibus rebus intimè, & illapſiuè, ſiue vniri illis quoad locum, paulò fuſius explicatum ad maiorem preſentis materiæ intelligentiam, dantur alij duo, quibus non in omnibus, ſed in aliquibus duntaxat dicitur ſpecialiter fieri præſens, ſiue illis præſentialiter vniri, nimirum iuſtis per gratiæ dona, ſeu per modum cogniti, & amati; & ſacroſanctæ Chriſti Domini humanitati per modum ſubſiſtentiæ terminantis, ſeu vnionis hypoſtaticæ. Relicto hoc ſecundo modo ſolius Chriſti proprio, & quo certum eſt animam iuſtorum Deo non vniri, ſed tantum contra negantes probari poſſet à pari non repugnare aliquam realem ipſorum cum Deo vnionem, vt mox explicabimus; de primo duntaxat agemus, nimirum de exiſtentia Dei per gratiam, conſiſtente ex D. Thoma in eo, quod ſit in anima per modum cogniti, & amati; quæque talis eſt conditionis, vt ſi per impoſſibile Deus non haberet immenſitatem, tamen per gratiam ſubſtantia eius redderetur præſens animæ iuſtæ.

Igitur pro intelligentia huius rei, dū dicitur modum exiſtendi Dei per gratiam conſiſtere in eo, quod ſit in anima per modum cogniti, & amati, cum cognitum, & amatum dupliciter ſumi poſſit,

poſſit, vno modo pro ſola, & pura denominatione extrinſeca, hoc modo Deus non exiſtit ſpecialiter in cognoſcente, & amante, nec requiritur ſpecialis miſſio, vel vnio diuinarum perſonarum, ad animam, imo etiam per naturalem cognitionem, & amorem, vel per fidem ſine gratia poteſt Deus denominari cognitus, vel amatus: Alio modo non pro denominatione ipſa cogniti, & amati præcisè, ſed pro vt dicit modum ſpecialem familiaris conuictus cum Deo, & communicationis ad poſsidendum, & fruendum ipſo, ſiquidem hæc poſſeſsio, & fruitio nō fit, niſi per cognitionem, & amorem, & ſic Deus, vt cognitus, & amatus non quomodocumque, ſed poſſeſsiuè, & fruibiliter dicit ſpecialem rationem exiſtendi in anima, eo quod poſſeſsio, & fruitio Dei non poſſet fieri ſi eſſet abſens, & non intra nos; ad quas quia nos diſponit gratia, & charitas, quatenus reddunt animam eleuatam ad amandum, & fruendum Deo, hinc eſt, quod D. Thomas ait, modum exiſtendi Dei per gratiam conſiſtere in eo, quod ſit in anima per modum cogniti, & amati. In quo etiam conueniunt omnes Theologi, ſed diſſentiunt in eius explicatione, aliqui enim docent hanc præſentiam Dei, vt poſſeſſi eſſe ſolum vnionem affectiuam, non autem realē, & phyſicam: Vel quod idem eſt, exiſtimant modum iſtū exiſtendi per gratiam non ſpectare ad præſentiam ſubſtantiæ diuinæ, ita vt ſi alias Deus non eſſet immenſus, ratione vnionis gratiæ precisè non eſſet præſens ſecundum ſubſtantiam in anima, quia iſta vnio ſolum eſt affectiua, & non requirit vnionem ſubſtantiæ, ſed dicitur perſona Spiritus Sancti nobis dari, aut aliæ perſonæ ad nos venire, quando infunduntur nobis dona gratiæ, & charitatis, non quia ex vi illarum ſubſtantia earum in nobis ſit, ſed quia cum aliàs immenſitate ſua nos repleant per nouū gratiæ effectum nouo modo apparent in nobis. Nihilominus oppoſita ſententia, quæ eſt Diui Thomæ, omniumque eius diſcipulorum, videtur probabilior, & verior, diuiniſque Scripturis, & SS. Patribus conformior.

Itaque cum illa tenendum eſt, Deū quidem eſſe in anima producēdo gratiam per modum agentis, & operantis illam, qui modus licet ex parte rei productæ ſit perfectior, non extrahit tamē Deum à pręſentia, & contactu communi immenſitatis, quæ eſt per modum agentis: cæterum hac præſentia ſuppoſita mediantibus talibus gratiæ donis, reſultat noua habitudo ad Deum, vt poſſeſſum, & inhabitantem ſecundum cognitionem, & amorem, conſtituens quoque nouum, & ſpecialem Dei in anima præſentiam à priori diſtinctam; ſiquidem ratio formalis illius, ſeu præſentiæ immenſitatis eſt per modum operationis, & agentis, formalis autem ratio exiſtendi per gratiam, eſt per modum obiecti cōgniti, & amati; quas rationes ſatis conſtat eſſe diſtinctas: deindè ad pręſentiam per modum agentis non ſupponitur aliqua diſpoſitio ex parte alterius extremi, vt illam Deus habeat, quia operatio eſt influxiua, & communicatiua totius eſſe, & conſequenter nullam ſupponit diſpoſitionē; inhabitatio verò, ſeu præſentia eius in anima per modum finis poſſeſſi præſupponit in ea diſpoſitionem gratiæ, & charitatis, cuius quidem productio ſupponit præſentiam Dei per modum operantis, vt dicebamus, ſed illa præſuppoſita, redditur ſub noua ratione formali rei poſſeſsæ, & fruibilis ab anima, ſpecialiter illi præſens.

Hanc autem præſentiam Dei, vt poſſeſſi per cognitionem, & amorem, non ſolum eſſe vnionem affectiuam, ſed etiā realem, & phyſicam, quatenus ipſe Deus perſonaliter datur, aut mittitur, vt inhabitet, & ſit in anima, non ſolum per modum agentis, ſed & amici conuiuentis ipſi animæ, & poſſeſsi ab ea, quæ quidem nō eſt, ſicut vnio per modum ſpeciei in viſione gloriæ, ſed ad illam tendens tanquam inchoata quædam,

dam, & imperfecta fruitio, ac poſſeſſio Dei, expreſsè docet D. Thomas pluribus in locis 1. p. q. 8. & quæſt. 43. in 1. diſt. 14. 1. Corinth. 3. lect. 3. nec non de illa intelligit, quod dicitur Ioann. 14. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* 1. Chorint. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Nec amplius de iſta vnione, vel præſentia diuina ſciri poteſt, ſed illa explicatur, per iſtas habitudines, & connotationes ad Deum, vt ad amicum conuiuentem, & inhabitantem, poſſeſſumque ab anima, quæ quidem præſupponunt Deum per modum agentis, ſeu immenſitate ſua præſentem, ſed ſuperadduntur vt rationes formales nouæ præſentiæ ipſius perſonæ Dei, quia perſonaliter datur, & non ſolùm dona diuinæ gratiæ. Vndè vltimò patet, ſecundum dona naturalia, vel quæcumque ſupernaturalia extra gratiam ſanctificantem, & charitatem, Deum non eſſe in anima iſto ſpeciali modo. Si quidem per nulla dona ordinis naturalis, aut ſupernaturalis extra gratiam ſanctificantem, & charitatem attingi poteſt Deus, vt finis vltimus poſſeſsus, & fruibilis, ſed ſolum hoc habet per gratiam, & charitatem, qua ſemel præditus homo poteſtatem habet fruendi Deo in ſe ipſo immediatè, atque adeò talis modus ſpecialis exiſtendi Dei per poſſeſſionem, & fruitionem in anima non inuenitur extra duo prædicta pretioſa dona. De quibus omnibus fuſius agunt Theologi 1. p. q. 43. tractantes de Miſſione inuiſibili diuinarum perſonarum, ibique conſuli poſſunt; huc enim vſque dicta ſufficiunt pro inſtituti noſtri ratione, & explicando in qua vnione conſiſtat illa quæ eſt propria Viæ Vnitiuæ.

CAPVT III.

In quanam ex dictis ſuperiori capite vnionibus conſiſtat illa, quæ eſt Viæ Vnitiuæ propria.

QVi exiſtimarent inter Deum, & & animam non eſſe aliam vnionem, quam localem, ſeu vnionem præſentiæ per immenſitatem, conſequenter aut deberent aſſerere, in illa conſiſtere vnionem Viæ Vnitiuæ propriam, aut quæ præter illam celebratur à Myſticis, eſſe quid ab eis excogitatum, ac confictum. Verum relictis huiuſmodi, ſi qui ſint, Doctoribus.

Dico primo Vnionem Myſticam, quam Scripturæ, Sancti Patres, indeque Theologi tot encomijs celebrant, præſupponere quidem primam vnionē, minimè autem in illa formaliter conſiſtere. Ratio in promptu eſt, quia localis cum diuinitate vnio eſt communis omnibus, etiam inanimatis: nec enim eſse poteſt res vlla in rerum natura, quæ hanc cum Deo vnionem non habeat: Vnio autem Myſtica eſt peculiaris certis quibuſdam naturis intellectualibus, multis inſuper gratiæ donis inſigniter ornatis; non poteſt igitur formaliter conſiſtere in locali cum Deo vnione, licet illam præſupponat.

Etſi autem Myſtica cum Deo Vnio formaliter in ea, quæ eſt per immenſitatem non conſiſtat, ad eam tamen nō paucis ex capitibus obiectiuè confert. *Primò*, vt anima Deum contempletur in ſe, rebuſque omnibus, non ſolum vt in effectu, vel imagine; verum etiam vt realiter, ac ſubſtantialiter exiſtentē; abſcondite tamen, ac veluti latenter. *Secundò*, vt ſe pariter reſque omnes conſideret in ipſo Deo, intimè ſingula penetrante, & omnia circumdante. *Tertiò*, vt ita Deum ſemper ſibi præſentem cogitans, debitam illi reuerentiam deferat. *Quartò*, varios inde fructus, quos ſupra adduximus agentes de

de exercitio præſentiæ Dei, colligat. Nec tandem cogitationes per tot creaturarum diuerticula euagari ſinat, conſiderans, quod quidquid in illis, imo in infinitum perfectius, domi ſui habeat, atque inibi quiete poſsidere poſsit.

Cum ex dictis ſuperiori capite præſentia Dei per immenſitatem, indeque reſultans vnio coincidat cum intima eiuſdem præſentia, & vnione per illapſum, eodem eſt modo diſcurrendum de iſta, ac de illa, dicendumque vnionem Myſticam non conſiſtere formaliter in ea, quæ fit per illapſum, vt pote communi omnibus prorſus rebus, etiã inanimatis, quibus tamen vnio Myſtica nec competit, nec competere poteſt.

Verum quia huiuſmodi intimus illapſus propriè, & ſtrictè ſumptus, ſolique Deo conueniens, hic enim non eſt ſermo de illo impropriè, & largè ſumpto, quo ſubſtantia aliqua ingreditur alteram, ſeque illi penitiſsimè præſentem facit in eodem vbi, vel in eodem ſpatio, vt cum duo corpora miraculosè ſe penetrant, Angelus penetrat parietem, aut inuadit corpus humanum, ſicut in dæmoniacis; Quia, inquam, illapſus priori modo conſideratus poteſt fieri dupliciter, primo ratione donorum purè naturalium, ſicuti Deus dicitur eſſe vbique in omnibus prorſus rebus, quas producit; Secundò ratione donorum gratiæ ſanctificantis, quibus ſpecialiter Deus dicitur illabi in animæ iuſtæ ſubſtantiam; propterea nonnulli uolunt, Myſticam quidem unionem non conſiſtere formaliter in illapſu priori modo conſiderato, ſed poſteriori, ſoletque hæc ſententia tribui Henrico Gandauenſi quodlib. 13. quæſt. 12. loquendo de beatitudine formali; cuius cum unio myſtica ſit quædam participatio, uel impreſsio, de utraque eodem modo proportionaliter ratiocinari debemus.

Dico tamen ſecundò præſuppoſitiuè quidem proximè, non autem remotè, vt in illapſu per ſola dona naturalia, conſiſtere unionem myſticam in eodẽ illapſu per dona gratiæ, & in hoc ſenſu poſſe habere bonum ſenſum Henrici ſententiam, non uerò formaliter, niſi noua in ea intelligatur habitudo ad Deum ut poſſeſſum, & inhabitantem ſecundum cognitionem, & amorem. Ratio eſt, quia, ut mox dicemus, Vnio Myſtica eſt ſpecialis unio animę iuſtæ, cum Deo per modum obiecti cogniti, & amati, non poteſt igitur formaliter conſiſtere in hoc, quod *Deus* ſit in illa per modum agentis, ſeu producentis gratiam, ſiquidem hic modus, licet ex parte rei productæ, nimirum gratiæ, ſit perfectior, quam ubi producuntur ſola dona ordinis naturalis, nihilominus non extrahit Deum formaliter à præſentia, & contactu communi immenſitatis, quæ eſt per modum agentis, igitur ſemel admiſso, quod unio Myſtica ſit ſpecialis unio animæ iuſtæ cũ Deo, diſtincta ab ea, quæ prouenit præcisè ab eius immenſitate, formaliter conſiſtere non poteſt in hoc, quod Deus ſit in illa per modum producentis gratiam, niſi intelligatur dicta noua habitudo.

Quare tertio dico Vnionem Myſticam ut ſic, ſeu prout abſtrahit à tribus vitæ ſpiritualis ſtatibus formaliter cõſiſtere in unione animæ cum Deo per dona gratiæ in ratione cogniti, & amati. Ratio eſt, quia per vnionem Myſticam, nihil aliud intelligitur, quam unio, qua, qui prius erant peccatores, longeque à Deo, iuxta illud Sapient. 3. *A Domino receſſerunt*, & Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum*, quod proculdubio nec de illis, nec de ullo poteſt intelligi quo ad eſse naturale, poſtea tamen dicuntur Deo coniuncti, conſociari, adhærere, commiſceri; quod Diuinæ Scripturę, & Sancti Patres ubique docent non fieri, niſi per ſupernaturalia gratię dona; non præcisè ut ſunt effectus Dei in anima operantis, alias non eſſet, ut ſupponimus, ſpecialis unio ſpe-

cialem conſtituens modum, aut ex illo reſultans diuinæ præſentiæ: igitur debet fieri per illa, ut unientia Deum in ratione cogniti, & amati. Deindè ex communi Theologorum conſenſu, iſta unio Myſtica eſt quædam participatio, uel impreſsio unionis Beatorum cum Deo per beatitudinem in patria, ut hęc igitur unio eſt intima cum Deo coniũctio in ratione cogniti, & amati, eadem quoque participatione eſſe debet, quæ reperitur in uia inter Deum, & animam iuſtam, ſiue talis unio ſit affectiua tantum, ſiue realis ſimul, & phyſica, iuxta diuerſitatem opinionum.

At quia huiuſmodi gratiæ dona multipliciter conſiderari poſſunt, uel in actu primo, ſiue per modum habitus, cuiuſmodi ſunt gratia ſactificans, in ſubſtantia animæ reſidens, Virtutes Theologales, Virtutes infuſæ, ſeptem Spiritus Sancti dona potentias animæ perficientes; uel in actu ſecundo, quatenus nimirum medijs ulterioribus diuinæ gratiæ auxilijs ſunt in actu operatiua: quod iterum dupliciter fieri poteſt, uel modo ordinario, & humano, ſiue medijs auxilijs illi proportionati; uel modo extraordinario, & diuino, ſiue media ſpeciali motione Spiritus Sancti correſpondente eiuſdem donis: Et de his omnibus poteſt eſse difficultas, quomodo nimirum per illa fiat unio myſtica, id ſequentibus dictis totum gradatim explicabitur.

Quartò igitur dico Vnionem Myſticam, quæ eſt poſseſsio ſummi boni, per cognitionem, & amorem, non fieri formaliter per habitualia gratiæ dona, ſiue in actu primo conſiderata, uel ut dant ius ad præfatos actus.

Eſt contra aliquos Theologos exiſtimantes beatitudinem patriæ, & conſequenter vnionem Myſticam, quæ eſt beatitudo viæ, formaliter in habitu conſiſtere, & non in operatione; pro qua etiam ſententia, cum quadam tamen limitatione ſolet referri S. Bonauentura in 4. diſt. 49. 1. p. diſt. qu. 1. ad vltimum; vbi ait beatitũdinem formalem importare vtrumque, ſcilicet habitum, & operationem, ſed principalius importare habitum. Verum quidquid ſit de mente S. Bonauenturæ ſententia noſtra eſt certa; cuius etiam certitudo, aut veritas non dependet ex illa quæſtione an nimirum potentia, vel habitus ſit perfectior actu, etenim vt conſtabit ex ſtatim dicendis, non ex maiori perfectione entitatiua, ſeu in eſſe rei attendi debet, ſed aliunde perfectio ſpectans ad rationem formalem beatitudinis, & vnionis myſticæ, quæ eſt eius participatio, quod eſt vnicum fere fundamentum dicendorum, penſanda eſt, vnde quidquid ſit de quęſtione illa philoſophica, independenter ab ea intentum ſic probo.

Formalis beatitudo Patriæ non conſiſtit in vnione cum Deo per dona gratiæ habitualia, ſiue in actu primo, ergo nec beatitudo viæ, qualis eſt vnio Myſtica, quæ eſt participatio quędam beatitudinis patriæ. Conſequentia eſt certa, ſi antecedens eſt verum, ſi quidem per vnionem Myſticam nihil aliud intelligimus. Antecedens autem probatur tum authoritate Sacræ Scripturę, tum Sanctorum Patrum vbique loquentium de ęterna beatitudine formali, tanquam de vera noſtra operatione; Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* 1. Ioann. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, & ſic de alijs. Tum ſequenti ratione, quia huiuſmodi vnio debet eſſe perfectiſſima, quę cum ſummo bono, vt à creatura intellectuali attingibili reperiri poſſit; quæ autem fit per dona gratiæ habitualia, quæcumq; ſint, talis non eſt, vt pote vlterius perfectibilis, & complebilis per actualem aſſecutionem, & vnionem, quæ fit medijs actibus intelligendi, & volendi: quamuis igitur præfata dona dici queât principium potentiale talis aſſecutionis, & vnionis, non ſunt tamen formaliter ipſa aſſecutio obiecti vel vnio cũ illo. Deinde vnio per dona gratiæ habitualia eſt communis omnibus iuſtis, etiam

etiam paruulis ante vſum rationis. Omnes enim verè iuſtificati Spiritum Sanctum inhabitantem habent, vt patet ex innumeris Scripturę locis. Sed vnio Myſtica non omnibus iuſtis conuenit, nec etiam ſemper: Vnio igitur Myſtica non fit formaliter per dona gratiæ habitualia, ſed per ipſos actus, quorum ſimul cum diuinis auxilijs ſunt effectiua principia proxima, radicalia verò intellectus, & voluntas.

Si quis retorqueat argumentum, dicens, vnionem tam beatificam in patria, quam myſticam in via debere eſſe perfectiſſimam; & huiuſmodi eſſe, quæ fit per habitualia dona gratię, nõ autem per actualia; atque adeo in illa, non verò in iſta conſiſtere debere. Reſpondetur facile, debere quidem eſſe perfectiſſimam, non entitatiuè, ſeu in eſſe rei, ſed formaliter in eſſe adeptionis ſummi boni ſatiantis appetitum perfectiſſimum, qualis eſt appetitus rationalis, quæ perfectio, quoad præſens, & non alia debet principaliter attendi, competitque actui ſecundo. Quare admiſſo quod vnio per gratiam ſanctificantem, cæteraſque virtutes ad illam ſubſequentes animæ, & potentiarum eius cum Deo ſit perfectior entitatiuè, vel in eſſe rei, quam quæ fit per actum ſecundum, attamen quia nõ eſt talis in ratione formali adeptionis ſummi boni ſatiantis appetitum rationalem, bene autem actus ſecundus: propterea nec vnio beatifica in patria, nec myſtica in via, quæ eſt illius participatio, & de qua conſequenter analogicè ad illam diſcurrendum eſt, conſiſtere poteſt in vnione quæ fit per dona gratiæ habitualia, ſed in ipſomet actu ſecundo, cuius ſunt radix, & principium cum vlterioribus gratiæ actualis auxilijs.

Et huius rei manifeſtam habemus inſtantiam, nec non exemplum in vnione hypoſtatica, quã omnes Theologi admittunt eſſe omnium perfectiſſimam in eſſe entitatiuo, & tamen nullus ipſorum in ea ponit beatitudinem formalem Chriſti Domini, ſicut nec in vnione per gratiam ſanctificantem animę eius conceſſam propter vnionem ad Verbum Dei, vt docet Diuus Thomas 3. par. quæſt. 7. art. 1. Ergo nec etiam in iſta, quantumuis in nobis entitatiuè perfectiori, poni poteſt formaliter vnio beatifica, ſiue beatitudo formalis patriæ, nec conſequenter & eius participatio, vnio myſtica præſentis vitæ.

Dico quinto, vnionem myſticam, vt ſic, vel prout eſt communis tribus vijs Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuę conſiſtere formaliter, & eſſentialiter in ſola operatione ſupernaturali animæ. Patet primò ex dictis, quia non conſiſtit in vnione animæ cum Deo per gratiam ſanctificantem dantem ſolum animæ eſſe diuinum formaliter, & operatiuum radicaliter, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 110. art. 4. ad 2. *Eſt gratia principium meritorij operis, mediantibus virtutibus: ſicut eſſentia animæ eſt principium operum vitæ, mediantibus potentijs.* Et de Virt. quæſt. 2. art. 2. ad 3. *Charitas coniungit nos Deo per operationem: gratia per modum aſſimilationis.* Quatenus per illam reddimur conſortes diuinæ naturæ. Non conſiſtit in vnione per ſupernaturales virtutum habitus, potentias perficientes, quia licet ſint proximè operatiuæ, non ſunt tamen formaliter aſſecutio obiecti, ſed principium aſſecutionis; atque adeo cauſaliter quidem, ac præſuppoſitiuè, proximè pertinent ad vnionem myſticam, hęc tamen non conſiſtit illis. Deinde quis hanc vnionem admittat in pueris baptizatis, habentibus tamen ſimul cũ præfatis habitibus gratiam ſanctificantem. Supereſt igitur vt vnio myſtica vt ſic formaliter, & eſſentialiter conſiſtat in ſola operatione ſpirituali animę, quę ſit actualis poſſeſſio, vel aſſecutio ſummi boni in ratione cogniti, & amati.

Secundò beatitudo formalis patriæ conſiſtit eſſentialiter in ſola operatione

ne ſupernaturali animæ: igitur in ea quoque conſiſtere debet beatitudo viæ ſupernaturalis, quam Theologi collocant in vnione myſtica cum Deo, ſiquidem beatitudo vitæ huius futuræ illi quam ſimillima eſſe debet, inchoata enim quædam participatio eius eſt. Cum certa ſit conſequentia, probatur antecedens. Primò quia de ratione beatitudinis eſt, vt ſit quid vltimum in ordine actuationis, ſiue quoad vnionẽ cum obiecto beatificante, vel id, quo ſubiectum eſt ita vnitum huiuſmodi obiecto, vt non ſit in potentia ad aliam vnionem, hoc autem ſoli operationi, vel actui ſecundo potentiæ competit in eo igitur tam beatitudo formalis patriæ, quam viȩ eſsentialiter conſiſtere debet. Sécundò cum beatitudo formalis, ſit proculdubio vltima perfȩctio noſtra, eodem modo diſcurrendum eſt de illa, ac de perfectione cuiuſcumque alterius rei, quam Diuus Thomas 3. p. quæſt. 34. art. 2. expreſsè docet non conſiſtere nec in potentia, nec in habitu, ſed in operatione; multo igitur magis hoc competere debet beatitudini noſtræ. Indeque colligit Sanctus Thomas, gratiam Chriſti Domini ab inſtante ſuæ conceptionis, ſimul fuiſse cum vſu liberi arbittij includentis actus intellectus, & voluntatis coniunctam, quodque alias talis gratia fuiſset imperfecta, vt pote ſuis actibus intelligendi, & amandi deſtituta.

Tertiò, ordo diuinȩ gratiȩ ad hoc finaliter tendit, vt per intimam, qualis eſt myſtica, cum Deo vnionem, eo perfruamur, vt docet Diuus Thomas 2.2. quæſt. 19. art. 7. *Vita noſtra*, inquit, *ad diuinam fruitionem ordinatur, & dirigitur ſecundum quamdam participationem diuinæ naturæ, quæ eſt per gratiam*: Certum eſt autem ex eodem S. Doctore in 3. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3. *coniunctionem animȩ ad Deum per fruitionem conſiſtere in operatione intellectus, & voluntatis*. Et lect. 4. in cap. 12. epiſt. ad Hebr. *Fruitio*, inquit, *in duobus conſiſtit, ſcilicet in viſione intellectus, & in delectatione affectus*; ita igitur diuina gratia, & habitus infuſi ſupernaturales ſunt principia huiuſmodi actuum, vt tamen in iſtis eſsentialiter conſiſtat vnio myſtica vt ſic, ſive prout eſt communis tribus ſtatibus vitæ ſpiritualis. *Mens hominis*, ait idem S. Thomas 2. 2. quȩſt. 81. art. 7. *Spiritualibus actibus Deo coniungitur*.

Quartò, actio eſt medium quid inter agens, & patiens, vel vt loquitur D. Thomas 1. p. quæſt. 36. art. *Eſt media inter faciens, & factum*; Sicut igitur medium duo inter ſe coniungit, vel vnit extrema, ita quoque actio vnit agens patienti, vel ſubiectum obiecto cognito, ſi ſint operationes immanentes quales ſunt intelligere, & amare; & ſi enim, vt ait idem D. Thomas 1. p. quæſt. 54. art. 1. ad 3. *Actio immanens realiter conſequatur unionem obiecti cũ agente*, quatenus anima nec illud cognoſcere, nec amare poteſt, quin intellectus iam ſit ſpecie eius impreſsa fœcundatus, hæc tamen unio per ſpeciem, à quocumque proueniat principio, cum ſit ſolum in actu primo, ſiue reſpectu obiecti ut intelligibilis, ordineturque ad aliam ſtrictiorem, & perfectiorem in actu ſecundo, quo medio vnitur agens obiceto cognito, & amato, in tali actu ſecundo neceſsario conſiſtere debet vnio myſtica cum Deo, vt concludit D. Thomas 3. par. quæſt. 6. art. 6. ad 1. egoque cum illo: *Vnio naturȩ ad Deum eſt per operationem, in quantum ſcilicet eum cognoſcimus, & amamus*.

Sed obijciet aliquis vitam æternam, quȩ eſt ipſamet beatitudo formalis, vocari ab Apoſtolo Roman. 6. gratiam; *Gratia*, inquit, *Dei vita æterna*, beatitudo igitur formalis patriæ, & conſequenter uiæ non conſiſtit in unione cum Deo per actum ſecundum, ſed per gratiam, uirtuteſque ad illam ſubſequentes in actu primo.

Reſpondetur primò, gratiam ibi ſumi ab Apoſtolo lato modo, prout nimirum

mirum nocabulum gratiæ ſignificat quodcumque Dei beneficium, cum igitur tale ſit, idque excellentiſſimum formalis beatitudo patrię, merito vocatur ab Apoſtolo gratia eiiam in nominatiuo.

Reſpondetur ſecundò, ſi ibi per gratiam intelligatur ſtrictè ſola gratia ſanctificans, ſumi poſse dupliciter, uel in ablatiuo, uel in nominatiuo, ſi ſumatur priori modo, gratia ſanctificans dicitur beatitudo non formaliter, ſed ſolum meritoriè, & uirtute, quatenus eſt illius ſemen, & ius ad illam confert: ſi autem poſteriori, poteſt quidem uocari aliqualiter uita æterna, non in actu primo conſiderata, ſed in actu ſecundo, ſiue ut eſt conſummata in actu ſecundo, gratia autem conſummata in actu ſecundo, eſt ipſa operatio beatifica, per quam graiia habitualis in ſua ultima actualitate, & perfectione conſtituitur, in ordine ad fruendum Deo.

Dico ſextò, huiuſmodi actus ſupernaturales, in quibus eſsentialiter conſiſtit unio myſtica animæ cum Deo, communis tribus ſtatibus, eſse actus tam intellectus, quam uoluntatis. Eſt res certa apud omnes, abſtrahendo quinam ex illis magis, uel minus principaliter ad illam pertineat. Probatur *Primò* ſolito principio, quod hæc unio ſit quædam participatio illius, quæ habetur in cælo per æternam beatitudinem, igitur quemadmodum uitæ beatæ perfectio in his duobus maximè actibus intellectus, & uoluntatis ſita eſt; idem quoque aſserendum eſt de unione myſtica animæ cum Deo pro præſenti ſtatu. *Secundò*, hæc unio non eſt quæcumque, ſed, ut diximus, ſpecialis illa, quæ fit cum Deo per dona gratiæ in ratione cogniti, & amati poſseſſiuè, ac fruibiliter non in actu primo, ſed in actu ſecundo; ſatis autē conſtat Deum ita attingi non poſse niſi per actus tam intellectus, quam uoluntatis à præfatis donis procedentes. Propterea que ait D. Thomas lect. 2. in cap. 2. Coloſs. *Inhabitationem Dei, qua Sanctos inhabitat eſſe per operationem, id eſt per amorem, & cognitionem, quod eſt opus ſolius mentis rationalis*, per gratiæ dona nimirum eleuatæ. *Tertiò*, eo ipſo quod hæc unio fit ultimate per dona gratiæ in actu ſecundo, non poteſt fieri niſi per actus ipſi proprios, quales ſunt ſoli intellectuales, maximè cognoſcendi, & amandi Deum; ita ut etiam ad illam, ſiue ad contemplationem unitiuam requiratur uterque actus, in hoc, ut alias diximus, à contemplatione naturali maximè diſtinctam, quod ad iſtam ſufficiat ſolus actus intellectus, ad ſupernaturalem autem requiratur inſuper actus charitatis. Vnde quod oratio, uel contemplatio ſupernaturalis ſit actus religionis, non ita accipiendum eſt, quaſi pertineat ad ſolam uoluntatem, in qua uirtus religionis eſt poſita, uel quod idem eſt, à uirtute religionis eliciatur, ſed quia ab ipſa ſolet in Dei cultum referri, atque imperari. Sicut etiam dum Scriptura, & Patres, orare, meditari, & contemplari nonnumquam tribuunt intellectui, non ad excludendum affectum id faciunt, ſed ut indicent pręire intellectum oportere, & quaſi facem præferre uoluntati; cuius tamen operationem eſse huic exercitio pernecesſariam, atque adeo intimæ per illud cum Deo unioni, aptis ſimilitudinibus ambulationis, uolatus, & amplexus explicarunt, præſertim SS. Auguſtinus in lib. Scala Paradiſi, & Bernardus ſerm. 4. in illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum*, nec non ſerm. 79. in Cant. ad illa uerba, *Tenui eum*. Quemadmodum enim ambulatio uno pede non perficitur, & multo minus uolatus una ala, atque unica tantum manu amplexus; ita nec ſolus in oratione, & contemplatione ſupernaturali ſufficit intellectus, nec ſola ſine intellectu mouere ſe ullatenus uoluntas poteſt. Congrue autem ambulatio, in qua plus eſt laboris, comparari poteſt Incipientium orationi, uolatus autem

Profi-

Proficientium, & amplexus Perfectorum dici.

Dico ſeptimo in vnione Myſtica, etiam communi tribus ſtatibus, potiorem eſſe abſolutè actum voluntatis, ſiue charitatis, quam actus intellectus. Etſi enim in felici æternę beatitudinis ſtatu potiorem obtineat locum actus intellectus, cum iuxta probabiliorem D. Thomę ſententiam beatitudo eſſentialis conſiſtat formaliter in ſola viſione beatifica, conſecutiuè autem in actu fruitionis Dei, iam per dictam viſionē in ſeipſo apprehenſi, & poſſeſſi: loquēdo tamen de vnione myſtica præſentis ſtatus, in ea dicendum eſt, principaliorem eſse abſolutè actum voluntatis, dico abſolutè, quia licet actus intellectus per fidem, & alia intellectualia, Spiritus Sancti dona modo quodam magis abſtracto, & vniuerſali in ſuum tendat obiectum, ideoque ex hac parte ſit ſecundum quid perfectior, quocumque actu voluntatis, attamen abſolutè in hac vita actus charitatis præcellit cuicunque actui intellectus non videnti Deum in ſe, atque adeo in unione myſtica præſentis viæ primum abſolutè locum habere debet.

Prima huius ratio deſumitur ex imperfectione fidei, & conſequēter quorumcumque actuum intellectus in illa fundatorum, quales etiam ſunt actus prouenientes à donis Spiritus Sancti, ſpecialique eius motione, quibus Deū, non in ſeipſo, ſicut in viſione beatifica cognoſcimus, ſed per ſpecies duntaxat creatas, vel acquiſitas, vel à Deo infuſas; unde comparatiuè tam ad viſionem beatificam, quam ad actum charitatis amantis Deum in ſeipſo, realiterque animam illi unientis, non poſſunt non eſſe niſi valde imperfecti, indeque pariter reſultans unio, & conſequenter non ipſa, ſed quæ fit per actū charitatis debet principaliter attendi in unione Myſtica huius uiæ. Quocirca D. Thomas 1. 2. qu. 66. art. 6. licet admittat mentem hominis virtutibus Theologicis Deo maximè coniungi, & vniri; id tamen ſpecialiter diuinę tribuit charitati; cuius rationem inſinuat 2.2. qu. 27. art. 6. ad 3. eo quod fides reſpiciens Deum obſcurè, ſpes autem abſentem, important conſequenter in ſui ratione quamdam diſtantiam ab illo, at verò charitas immediatè nos unit Deo tanquam præſenti, quandoquidem proprium eſt amoris perfecti, unire realiter amatum cum amante, vt enim ait D. Dionyſius cap. 4. de diuin. nomin. *Eſt quædam virtus unifica connectens, mirificeque commiſcens.*

Secunda ratio deſumi poteſt ex alia differentia inter charitatem, & alias duas Virtutes Theologicas, quam aſſignat D. Thomas 2.2. qu. 17. art. 6. in corp. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quod virtus aliqua dicitur eſſe Theologica ex hoc, quod habet Deum pro obiecto, cui inhæret. Poteſt autem aliquis alicui inhærere dupliciter. Vno modo propter ſeipſum, alio modo in quantum ex eo in aliud deuenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter ſeipſum, mentem hominis vniens Deo per affectū amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhęrere Deo, ſicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt: De Deo autem proueniunt nobis, & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere in quantum eſt nobis principium cognoſcendi veritatem. Credimus enim ea vera eſſe, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhęrere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum ſcilicet per ſpem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Hactenus D. Thomas. Quàm igitur perfectius eſt, inhærere Deo, vel ei vniri propter ſeipſum, quam inhęrere illi tanquam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt; tam certo aſſerendum eſt, unionem ex charitate prouenientem, cuius eſt facere hominem Deo inhærere propter ſeipſum, eſse abſolutè ea excellentiorem, quæ prouenit ex alijs duabus Virtutibus Theologicis, atque adeo non in iſtarum, ſed in illius

actu

actu principaliter conſiſtere vnionem myſticam viæ; qui, vt concludit idem Sanctus Doctor ibidem ad 3. *Propriè facit tendere in Deum vniendo affectum hominis, vt ſcilicet homo non ſibi vinat, ſed Deo*. Propterea que etiam docet 2. 2. quæſt. 24. art. 12. ad 3. omne peccatum mortale contrariari charitati, illamque deſtruere, non autem fidem, & ſpem, ſed quædam peccata determinata duntaxat, per quæ habitus fidei, & ſpei tollitur. Quia ſcilicet, *Charitas*, inquit, *importat vnionem quamdam ad Deum, non autem fides, & ſpes*, qua dicitur abſolutè *vinculum perfectionis* ex Apoſtolo Coloſs. 3. præ fide, & ſpe; & 1. Corinth. 13. *Fides, ſpes, charitas, tria hac; maior autem horum eſt charitas*. Quia nimirum perfectius vniens Deo.

Tertiam rationem præcedenti ferè ſimilem adducit idem Diuus Thomas 2.2. quæſt. 23. art. 6. vbi probat charitatem eſſe excellentiſſimam virtutum, quia magis Deum attingit. Verba ipſius ſunt. *Reſpondeo dicendum, quod cum bonum in humanis actibus attendatur, ſecundum quod regulantur debita regula, neceſſe eſt, quod virtus humana, quæ eſt principium bonorum actuum conſiſtat in attingendo humanorum actuum regulam: eſt autem duplex regula humanorum actuum, vt ſupra dictum eſt, ſcilicet ratio humana, & Deus. Sed Deus eſt prima regula, à qua etiam humana ratio regulanda eſt. Et ideo virtutes Theologicæ, quæ conſiſtunt in attingendo illam regulam primam, eo quod earum obiectū eſt Deus, excellentiores ſunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quę conſiſtunt in attingendo rationem humanam. Propter quod oportet, quod etiam inter ipſas virtutes Theologicas illa ſit potior, quę magis Deum attingit. Semper autem id quod eſt per ſe, maius eſt eo, quod eſt per aliud. Fides autem, & ſpes attingunt quidem Deum, ſecundum quod ex ipſo prouenit nobis vel cognitio veri; vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipſum Deum, vt in ipſo ſiſtat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et ideo charitas eſt excellentior fide, & ſpe, & per conſequens omnibus alijs virtutibus*. Ita D. Thomas ad noſtrum intentum.

Quarta tandem, & vltima ratio ex eodem ibidem ad 1. petitur ex diuerſo operandi modo intellectus, & voluntatis; *quod*, inquit, *operatio intellectus completur, ſecundum quod intellectum eſt in intelligente. Et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur ſecundum menſuram intellectus. Operatio autem voluntatis, & cuiuslibet virtutis appetitiuæ perficitur ex inclinatione appetentis ad rem ſicut ad terminum: ideo dignitas operationis appetitiuæ attenditur ſecundum rem, quæ eſt obiectum operationis. Ea autem, quæ ſunt infra animam, nobiliori modo ſunt in anima, quam in ſeipſis, quia vnumquodque eſt in aliquo per modum eius in quo eſt, vt habetur in lib. de cauſis. Quæ vero ſunt ſupra animam, nobiliori modo ſunt in ſeipſis, quam ſint in anima. Et ideo eorum, quæ ſunt infra nos, nobilior eſt cognitio, quam dilectio. Propter quod Philoſophus in 7. Ethic. prætulit virtutes intellectuales moralibus. Sed eorum, quæ ſunt ſupra nos, & præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur. Et ideo charitas eſt excellentior fide*.

Ea igitur cum ſit in intelligendo natura intellectus, vt quæ percipit ad ſe trahat, & ſibi accommodet, vnde fit vt infima intelligendo eleuet, deprimat verò ſublimia; voluntas autem ex aduerſo in volendo, non ad ſe trahat, quæ appetit, & vult, ſed potius ab illis ipſa pertrahatur, illis ſe accommodet, & conformet, & in illa quodammodo ſe transformet, iuxta illud Pſalm. 113. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*. Et Oſee 9. 10. *Et facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*. Vt enim ait D. Augnſtinus tract. 2. in epiſt. 1. Ioann. *Talis quiſque eſt, qualis eius dilectio eſt: terram diligis, terra eris; Deum dilsgis, quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me; Scripturas audiamus., Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Manifeſtè ſequitur,

loquendo de cognitione, & dilectione viæ, vbi dilectio ad Deum in ſeipſo terminatur, ita vt ſit eadem prorſus dilectio viæ, & patriæ, cognitio autem ad Deum in nobis per ſpeciem attingit. Videmus enim nunc per ſpeculum, & in ænigmate, *per affectum hominem perfectius Deo coniungi, quam per intellectum*, vt ait D.Thomas in 4.diſt. 49. q.1. art.1. quæſt. 2. ad 3. & meliorem eſſe amorem Dei, quam cognitionem. 1.p.q.82.art.3. In patria tamen ſecus eſſe, vbi cum tam viſio, quam dilectio Deum ſecundum ſe attingat, viſio autem inſuper modo quodam abſtractiori id præſtet, ibi ſimpliciter præcellit dilectioni, & in ea eſſentialiter conſiſtit beatitudo formalis.

Octauò dico contemplationem perfectorum, ſeu ea mediante vnionem eorum propriam, aut viæ vnitiuæ, cōſiſtere in actibus intellectus, & voluntatis per dona Spiritus Sancti, ſpecialemque motionem illis correſpondentem extraordinariè elicitis. In hoc cōueuire debent omnes Theologi; & probatur primò, quia eo ipſo quod admittunt, vt debet admitti, contemplationem, atque adeo vnionem propriam huius tertij ſtatus ea eſſe perfectiorem, quæ reperitur in alijs duobus ſtatibus, & diſtingui ab ea, manifeſtè conſtat non poſſe conſiſtere in ſolis actibus ordinarijs intellectus, & voluntatis, hoc eſt per virtutes Theologicas, & infuſas duntaxat ab eis elicitis, cum hæc omnia gratiæ dona, & auxilia ordinaria illis correſpondentia ſint alijs etiam ſtatibus communia, ſicut & ipſamet dona Spiritus Sancti habitualia; Sita igitur eſſe debet in actibus ex ſpeciali inſuper motione Spiritus Sancti modo quodam diuino procedentibus; etſi enim virtutes Theologicæ ſint ex ſe donis Spiritus Sancti perfectiores, quia tamen ab illis, vt per hæc dona eleuatis, ſpecialemque motionem eis proportionatam actus eliciuntur, ſunt omnium perfectiſſimi, & excellentiſſimi, ſtatuſque perfectorum proprij, qui ex tali modo agendi dicuntur maximè pati diuina.

Secundò probari poteſt, quia contemplatio, quantumuis ſupernaturalis, aliorum ſtatuum, vt vidimus, valde dependet ab exercitatione humana, ita vt cum ordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs quilibet iuſtus poſſit quandolibet ad illam conari, ſeve illi applicare: at verò contemplatio, indeque vnio huius tertij ſtatus, vel gradus propria, non eſt in noſtra poteſtate, nec pro libito noſtro poſſumus illam habere, non alia ratione, niſi quia merè pendet ab extraordinaria Spiritus Sancti motione, ſupra modum humanum nos extollente, & qua conſequenter non tam agere, quam pati dicimur.

Tertiò demum id fuſius patebit ex dicendis duabus ſequentibus ſectionibus, in quibus agemus de natura, & proprietatibus horum actuum tam intellectus, quam voluntatis huius viæ propriorum, quibuſque conſequenter ab alijs differunt.

Adeo verum eſt, quod iam notauimus ſupra, totum Theologiæ myſticæ arcanum negotium per dona Spiritus Sancti, eiuſque motionem finaliter conſummari, nec non, quod obſeruat Caietanus ſuper cap.3. Ioann. perfectum ſpiritus, ſpiritualiſque hominis ſtatum à Chriſto Domino deſignatum fuiſſe, cum ait: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat, ſic eſt omnis qui natus ex ſpiritu*. In his enim verbis tres conditiones hominis ſpiritualis exprimuntur. *Prima* pertinens ad interiorē diſpoſitionem in illa clauſula, *Spiritus vbi vult ſpirat*. *Secunda* ad exteriorem compoſitionem, cum dicitur, *& vocem eius audis*. *Tertia* ad occultam Dei motionem, & inſtinctum, cuius certitudo plenè capi non poteſt, cum dicitur: *Et neſcis vnde veniat, aut quo vadat*.

Prima explicatur, quia diſpoſitio interior per dona, & motionem Spiritus Sancti perfectorum maximè propria, ea eſt,

eſt, quod nedum purgatam iam habentes, ac liberam mentem ab omnibus affectibus inordinatis, ſed & inſuper ſolidis virtutibus exculiam, & illuſtraram, ſentiant ſe valde liberos, voluntarios, & expeditos in his omnibus, quæ Spiritus ſunt, imo aſſumant pennas quaſi columbæ, & volent, & requieſcant in ſolitudine, hoc eſt ſolo Deo ſint contenti: Quæ diſpoſitio, vel natiuitas ex ſpiritu, quia non aufert, imo potius fert libertatem electionis, vbi enim *Spiritus Domini ibi libertas*, multum enim periret de merito, ſi Spiritus non ſpirando, & ponderando inclinationem voluntatis, ſed violentando determinaret, & operaretur in illa, idcircò ait Chriſtus, quod *Spiritus vbi vult ſpirat*; ſicut etiã Apoſtolus ait 1. Corinth. 14. *& Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt*, hoc eſt, iuxta interpretationẽ D. Thomæ, quod quantum ad vſum denuntiandi res propheticas, Spiritus voluntati Prophetarum ſubiecti ſunt, & non ſicut in arreptitijs. Quare etiam dona Spiritus Sancti per modum habituum nobis dantur, vt videlicet modo rationali, & voluntario moueamur ad ea opera, ad quæ à Spiritu dirigimur. Et ſic qui aguntur ab ipſo, non vt ſerui, ſed vt volentes, ac liberi mouentur, & per principia ſibi inhærentia, à Spiritu tamen deriuata aguntur ad eas operationes, quæ in ſua regulatione, & menſura modum humanum ordinarium, & communem excedunt.

Secunda conditio requiſita ad perfectionem ſpiritualis vitæ, vel ſtatus ſignificatur his verbis: *Et vocem eius audis*: quibus non ſolum denotatur promptitudo correſpõdendi diuinæ inſpirationi, verum etiam quod in homine ſpirituali omnes ſenſibiles, exterioreſque eius actiones, maximè autem ſermones, *ex abundantia enim cordis os loquitur*, Deum ſapere debent. Siquidem nihil eſt, quod ita ſpiritualem hominem internum manifeſtet, quam externa compoſitio, ſenſuumque externorum directio, præſertim in loquendo, iuxta illud Iacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir; poteſt etiam fræno circumducere totum corpus*.

Tertia conditio deſignatur in illis verbis: *Et neſcis vnde veniat, aut quo vadat*; quatenus, Spiritu Sancto nos mouente, non amplius humano, ſed diuino modo, præſertim in operibus arduis, & extraordinarijs, non tam facile id poſſumus dignoſcere, vel ſcire vſquequaque vnde veniat, aut quo vadat, id eſt, principium eius, & finem. In quo etiam edocemur, non propterea turbari nos debere, vel ab his motionibus Spiritus Sãcti exequendis retardari, veluti in noſtra puſillanimitate hærentes, ſed potius dilatato corde in Deo ſperare, vt monet nos Iſaias c. 42. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt Aquilæ* (non vt homines, modo humano operantes, ſed vt Aquilæ per dona Spiritus Sancti eleuati) *current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Vbi notandum congruè, pennas Aquilæ promitti, & non tamen dici, quod volabunt, ſed quod current, & ambulabunt, ſcilicet tãquam homines adhuc in terra degentes, acti tamen, & moti pennis Aquilæ, quia licet dona Spiritus Sancti in terra exerceantur, his tamen veluti pennis Aquilæ, actiones inde procedentes ducuntur, tantumque differunt, qui virtutibus ordinarijs exercentur, ab his qui donis Spiritus Sancti aguntur, quantum qui ſolis pedibus laborando ambulant, quaſi proprio ſtudio, & induſtria regulati; vel qui pennis Aquilæ, ſuperiori aura inflatis mouentur, & currunt in via Dei, quaſi ſine vllo labore.

Quamuis autẽ perfectæ huius vnionis animæ cum Deo ſint principium, vel cauſa tres perſonæ Sanctiſsimæ Trinitatis, æqualiterque ad illam concurrant, cum eamdem prorſus habeant naturam, omniaque conſequenter earumdem opera ad extra ſint indiuiſibilia, & inſeparabilia, ita vt quod in creaturis vna, illud idem aliæ duæ perſonæ æquè

æquè prçſtent; Quia tamen, hoc nonobſtante, vnus plerumque effectus vni potius, quàm alteri perſonæ diuinæ per quamdam appropriationem attribuitur quatenus maiorem cum vna, quam cum alia ſimilitudinem, vel analogiam habet, ſicque filio per intellectum à Patre procedenti tribui ſolent omnes, quæ in creaturis reperiuntur perfectiones ad intellectum ſpectantes; eadem quoque ratione Spiritui Sancto à Patre, & Filio per amorem procedenti omnia ad ipſum pertinentia approprianṭur, cuius cum maximè proprium ſit vnire, hinc eſt, quod ſicut ex D. Thoma 1. p. q. 37. art. 1. ad 2. *Spiritus Sanctus dicitur eſſe nexus Patris, & Filii, in quantum eſt amor*; vel, vt ait D. Auguſtinus ſer. 11. de verb. Domini cap. 12. *In Spiritu Sancto Patris, Filijque communitas*; vel ſecundum phraſim Patrum Græcorum apud S. Ioann. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 38. *Medius ingeniti, & geniti*; ita quoque myſtica, quæ in tempore reperitur inter Deum, & animam vnio, nec non indè, inter fideles ipſos, attribuitur Spiritui Sancto *Spiritus Sanctus*, inquit D. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 3. *vtrumque coniungit*, ſcilicet Patrem, & Filium, *noſque ſubiungit*. Et citato ſermone: *Quod commune eſt Patri, & Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem, & inter nos, & ſecum, & per illud donum nos colligere in vnum, quod ambo habent vnum, hoc eſt Spiritum Sanctum Deum, & donum Dei.*

Tantumque ſufficiat ad explicandam ex veris principijs Theologicis myſticæ vnionis naturam.

CAPVT IV.

De vnitate, ſiue termino ex myſtica anima cum Deo vnione reſultante.

POſtquam in prçcedentibus egimus de myſtica animæ cum Deo vnione, nunc erit ſermo de termino eiuſdem, ſiue de vnitate ex tali vnione deriuata, vel reſultante; Si enim omnia ad vnitatem tendunt, eaque ſubſiſtunt, multò magis id competit vnioni, quæ ex D. Thoma 3. p. q. 2. art. 9. *importat coniunctionem aliquorum in aliquo vno*. Quandoquidem ergo datur inter Deũ, & hominem quædam ſpecialis per dona gratiæ vnio, ex ea quoque neceſſe eſt, reſultet aliqua inter vtrumque vnitas, aliàs Apoſtolus non dixiſſet 1. Corinth. 6. 17. *Qui adhæret Domino vnus Spiritus eſt*; quæ D. Pauli verba expendens S. Bernardus ſerm. 71. in Cant. rectè obſeruat eum non dixiſſe, Deum, & animam *eſſe duo in vno ſpiritu, imo vnum ſpiritum*; ad maiorem ſcilicet huius vnitatis commendationem. Verũ quia variæ ſunt, vel fingi poſſunt vnitatis ſpecies, quarum aliquæ ſunt quidem veræ, aliæ autem falſę, ſingulas referemus, & falſas, quibus nonnulli Theologiam myſticam contaminari opinati ſunt, primùm refellemus, deinde veras explicabimus.

Primùm igitur quidam Almaricus circa ann. 1204. ad hanc rem aſſerens Ideas, quæ in mente diuina ſunt, poſſe eſſe creatas, exindè docuit hominis contemplatini, ſicut & beati mentem perdere ſuum eſſe naturale, ſiue in proprio genere, & redire in eſſe illud Ideale, quod habuit in mente diuina. Sed ab hac hęreſi, vel potius inſania, vt eam vocat Gerſon conſiderat. 41. longè abſunt Theologi Myſtici, qui talem animæ cum Deo vnionem, & indè vnitatem admittunt, vt duo tamen

extrema in ſe maneant, non autem aliquod eorum deſinat, vt contingeret, ſi anima penitus deficeret à ſe, ac reuerteretur in Ideam propriam, quam habuit immutabiliter, ac ęternaliter in Deo: Atque adeo iam non ipſa, ſed alia eſſet anima, quæ vnà cum Deo fieret. Deindè ſi mens contemplatiui vnita myſticè diuinitati, perdito eſſe naturali, rediret in eſſe illud ideale, quod habuit in mente diuina, tale eſſe, vel quid increatum, vel quid creatum eſſet; primum dici non poteſt, tum quia iam non eſſet creatura, ſed ſolus Deus, in quem anima mutaretur, aut conuerteretur; tum quia, vt mox dicemus, talis mutatio, vel conuerſio admitti in Deo non poteſt. Si dicatur eſſe quid creatum, vt dicebat Almaricus, quod tamen de ideis diuinis concedi non poteſt, cum ſint ipſamet creatrix eſſentia; tale eſſe, vel eſt quid accidentale, & hoc non, quia non poſſet corpus informare; ſi ſit ſubſtantiale, vel eſt naturale, vel ſupernaturale; ſupernaturale eſſe non poteſt, quia non datur ſubſtantia ſupernaturalis, ſi ſit naturalis, quomodo à priori differret anima, vel potius à ſeipſa ſecundum ſuum eſſe naturale conſiderata. Denique manifeſta conſtat experientia non ſemper durare in hac vita hanc vnionē, imo potius breuiſſimum eſſe eius tempus, mittente Deo Criſtallum ſuam ſicut buccellas, poſt quod conſequenter cum redire deberet contemplatiuus ad priorem ſtatum, deberet quoque iterū à Deo mutari anima ab eſſe ideali, in naturale, quæ omnia, & ſimilia tam ſunt abſurda, vt riſu potius, quam confutatione indigeant.

Secundò, ſicut de Eutychete hęreſiarcha referunt aliqui, eum vnam in Chriſto conſtituiſſe naturam: quam volebat reſultaſſe per conuerſionem humanitatis in Diuinitatem, vel, vt alij volunt, diuinitatis in humanitatem; ita quis poſſet credere in vnione myſtica animam deſinere, & in diuinitatem per transformationem realem conuerti, ſique in eſſe increatum, & ſupereſſentiale, quod in ſua idea habuit ab æterno, vbi vna ſit cum Deo, vna eſſentia, vna vita, vna lux, vna beatitudo, vnus Spiritus. Quam ſententiam Ioanni Ruſbrochio, citato eius tractatu de ornatu ſpiritual. nupt. ſed tacito nomine, impingit Ioannes Gerſon, p. 8. de Theolog. Myſtica conſiderat. 41. immeritò tamen, cum ipſe Rusbrochius eam, tanquam impijſsimā hæreſim damnet, ram pręfato tract. lib. 2. c. 76. quā lib. de ſeptē cuſtodijs c. 14. pluresq. nō vulgares authores eum falsò huius erroris inſimulari arbitrentur, hi ſunt Ioannes Scouhauienſis, Gerardus Hainon, Laurentius Surius, Dionyſius Carthuſianus, qui tanti eum facit, vt alterum Areopagitam non dubitarit appellare; Cardinalis Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. vbi vocat eum virum diuinæ contemplationi addictiſſimum; quem carpſerit Ioannes Gerſon, defenderit autē Dionyſius Carthuſianus: *Id enim*, inquit, *accidere ſolet ijs, qui ſcribunt de Myſtica Theologia, vt eorum dicta ab alijs reprehendantur, ab alijs laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur*.

Falſitas autem huius ſententiæ patet primò, ex dictis contra primam Almarici, cum qua ferè coincidit, & quā propterea Rusbrochium renouaſſe, ait Gerſon loco citato. Secundo ex omnibus argumentis, quibus ſuo loco oſtendimus contra Eutychetem, impoſſibilem eſſe huiuſmodi conuerſionem humanitatis Chriſti in diuinitatem, aut vice verſa, atque adeo in omnibus alijs, ob infinitam Dei ſimplicitatem, ac immutabilitatem, cui huiuſmodi conuerſio, vel tranſmutatio omnino repugnat. Dum ergo Myſtici aſſerunt in vnione Myſtica animam deificari, vel in Deum transformari, non debet accipi, nec ipſi accipiunt in eo ſenſu, vt ſecundum rem deſinat illius eſſe creatum per conuerſionem in Deum, vel in eſse increatum, ſed ſolum quod deſinat quoad ſenſum, & affectum contemplan-

plantis, qui ita ad Deum rapitur vt ſeipſum amplius non ſentiat, ſed ſolum Deum, in quem videtur ſibi transformatus, iuxta illud Apoſtoli Galat. 2. *Viuo autem ego, iam non ego; viuit vero in me Chriſtus*? Ad quod non requiritur alia vnio, & vnitas, quam quæ fit per cognitionem, & amorem; cum aliud non ſit quam ſimilitudinaria transformatio; ſicut amantium dicimus cor vnum, & animam vnam. Eodem quoque modo intelligi, & accipi debet, quod ijdem Myſtici in vnione arcana cum Deo contingere dicunt annihilationem, & mortem animæ; tum aliæ ſimiles phraſes. Cum enim anima ſic vnita ita mutetur, vt nihil præcedentiũ conſuetudinum, nihil imperfectionum, nihil deſideriorum carnalium retinere videatur, non incongruè hoc modo myſticè annihilari dicitur. Eſt enim alia, quam fuit: non tam per conuerſionem mutata, quia vitia non conuertuntur in virtutes, quam per annihilationem: amore vnitiuo, ita omnia abſumente, vt nihil anteactæ vitæ, quaſi remaneat. Similiter cum anima in illo felici ſtatu, mortificet membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, carnẹm ſuam crucifigens cum vitijs, & concupiſcentijs, mortificationem Ieſu Chriſti ſemper circumferens; ſicque omnibus terrenis affectibus veluti inſenſibilis reddatur; aptè quoque mori dicitur, non morte naturali, quæ eſt vitæ naturalis priuatio, ſed morali, ſeu virtutis, & gratiæ; de qua ait Apoſtolus Roman. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem*.

Tertiò, cum animam Deo realiter vniri, abſque hoc quod conuertatur in ipſum, aut ipſe in illam, dupliciter adhuc intelligi poſſit. Primo, quatenus ex anima, & Deo fieret quoddam tertium diſtinctum, vel compoſitum, quod contemplatiuum, aut myſticum appellaretur, ſicut ex anima, & corpore componitur vnus homo; vt aſſeruit Eutyches ſecundum aliquos in Chriſto poſt vnionem manſiſse vnam naturam per compoſitionem ex duabus in ipſo permanentibus, non per conuerſionem vnius in aliam; quam compoſitionem Eutyches mixtionem appellabat. Secundò, quia ſicut in vnione hypoſtatica ex natura humana, & perſona Verbi fit vnum compoſitum, quod eſt Chriſtus, ita in vnione myſtica, ex anima, & ſubſiſtentia diuina abſoluta, ſi datur, fieret vnum quoque compoſitum ſubſiſtens. Hæ duæ etiam vnitates non ſolùm ſunt falſæ, verum etiam erroneę, & hæreticæ, omninòque alienæ à ſenſu Theologorum Myſticorum.

Falſitas, ſiue impoſſibilitas primæ patet ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 8. aſſerentis, quem & ſequuntur omnes Theologi, Deum ingredi non poſſe per modum partis in alicuius rei compoſitionem; quod ibi Sanctus Doctor tribus demonſtrat rationibus, quæ videri poſſunt. Secunda autem quamuis non ſit impoſſibilis, loquendo tamen de facto, cum fides nos doceat, nec diuinum verbum, nec alias perſonas talem vnquam cum alia, quam cum ſacroſancta Chriſti Domini humanitate perſonalem contraxiſſe vnitatem, manifeſtè patet illam non reperiri in vnione Myſtica; nec, ſi per impoſſibile reperiretur in illa conſiſteret; ſiquidem hęc vnio, vnitaſque ex illa reſultans, in qua conſiſtit beatitudo huius vitæ, quæque eſt participatio futuræ, debet eſse quid vitale per modum actus, ſeu poſitum in ſenſu quodam ſuauiſſimo, & gaudio dẹ ſummo bono in ratione cogniti, & amati poſseſso. Quod vnioni hypoſtaticæ formaliter competere non poſse ſatis conſtat: vnde in Chriſto Domino, vbi de facto reperitur modo perfectiſſimo, nullus admittit in ea conſiſtere beatitudinem eius formalem.

Quartò, quia ſicuṭ nonnulli Theologi exiſtimarunt beatitudinem formalem, qua dicuntur homines in cœlo beari, eſſe ipſammet viſionem, & intellectionem Dei increatam, & amorẽ increatum, quibus ſeipſum videt, & amat, ita quoque aliqui perſuadere,

ſibi

ſibi poſsent, ſic ſe habere in vnione myſtica, ſiue vnam, & eamdem eſſe animæ, & Dei intellectionem; eo modo quo Hugo Victorinus tom. 3. tract. de ſapientia animæ Chriſti probare nititur, ei inditam non fuiſse ſcientiam creatam, ſed communicatã ipſam Dei ſcientiam increatam, ita vt per illam ipſa cognoſcat infinita, adeoque omnia quæ cognoſcit diuinitas; refellitur hęc etiam vnitas, tanquam omnino aliena à vero Myſticorum ſenſu. Pro quo notandum eſt dupliciter concipi poſse, quod intellectio, vel amor increatus vniatur menti noſtræ primò materialiter, ſecundò formaliter; nomine materialis communicationis nihil aliud ſignificatur, niſi in eſse entis, qua ratione, cum diuina eſsentia, ſecundum opinionem D.Thomæ, & in ſchola magis communem, vniatur intellectui beati in ratione ſpeciei intelligibilis, neceſse eſt etiam, quod in eſse entis, ſiue materialiter eidem vniatur in ratione intellectionis, ſi quidem in Deo intellectio, ſpecies, & res intellecta non diſtinguntur. Per formalem autem cõmunicationem intellectionis, vel amoris intelligitur, quod ita menti beatæ, aut alteri vniantur, vt ijſdem dicantur intelligere, & amare. Et in hoc ſenſu, loquendo maximè de potentia ordinaria Dei, vel ſecundum decretum ab ipſo ſtatutum, aſſerimus, nec in viſione beatifica, multoque minus in vnione myſtica, vnam, & eamdem eſſe animæ, & Dei intellectionem, vel amorem. Idque aliqui putant pertinere ad fidem.

Probatur primò, quia Scripturæ, & Patres loquentes tam de viſione beatifica, quàm de vnione myſtica cum Deo in ratione cogniti, & amati in hac vita, loquuntur de illis, tanquam de proprijs beatorum, & contemplatiuorum actionibus, & ab ipſis ſimul cum diuinæ gratiæ auxilijs elicitis; viſio igitur beatifica, & vnio myſtica, non ſunt Deus, ſeu increata eius intellectio, aut volitio; ſiquidem nec Deus, nec aliquid eius produci à creatura poteſt.

Probatur ſecundò, Chriſto Saluatori id conceſsum non eſt, vt actio naturæ diuinæ tribueretur humanæ, vt habetur ex Concilio I. Epheſino. VI. Conſtantinopolitano ſub Agathone Papa. XIV. Toletano, multo minus ergo puris id creaturis concedi debet.

Probatur tertiò ex ipſamet natura intellectionis, & amoris, quæ ſunt operationes vitales, & immanentes, ad quas proindè ſpectat, vt producantur à principio viuente coniuncto; nimirũ ab illo ipſo viuente, cuius ſunt operationes; implicat enim contradictionẽ, quod aliquid viuat, aut vitaliter moueatur, & operetur per aliquid ſibi extrinſecum: Igitur cum diuina intellectio, diuinuſque amor, nullo modo ſint animæ intrinſeca, neque enim illi ſunt intrinſeca per identitatem, ſicut Deo, neque per informationem, ſicut intellectio elicita creata, implicat, quod anima per illa cognoſcat, vel amet.

Vnde eſt iſta differentia inter eſſentiam diuinam, in ratione intellectionis, aut cuiuſcunque alterius operationis vitalis formaliter conſideratam; & ipſam, vt in eſſe intelligibili ſupplet vices ſpeciei impreſſæ, & expreſsæ, nec non inter ſubſiſtentiam diuinam, quod iſta poteſt naturæ humanæ communicari ipſam terminando, ſicut & eſsentia vniri intellectui creato per modũ ſpeciei intelligibilis, ſecus verò in ratione intellectionis, aut amoris formaliter loquendo, eo quod ſic ſumpta includit intrinſecè duplicem ordinem ad vidẽtem, & amantem, nempe procedentis, & informantis, debet enim tanquam vitalis motio à viuente actiuè procedere, & in eo tanquam forma recipi, & manere, quorum neutrum intellectioni, vel amori increato reſpectu animæ conuenire poteſt. Subſiſtentia autem neutrum poſtulat, ſicut nec eſsentia in ratione ſpeciei intelligibilis vnita, non enim debet procedere ſubſiſtentia à natura, quam terminat, ſiue quæ per illam ſubſiſtit, nec eſſentia ab intelle-

ctu,

ctu, qui per illam intelligit, neq; etiam debent inhærere, aut informare, vt fusè explicant de eſsentia Theologi 1. p. qu. 12. & de ſubſiſtentia 3. par. quæſt 2. & 3.

Quæ ratio fundata in natura actionis vitalis, & immanentis, non ſolum probat de facto, & ſecundum legem Dei ordinariam, creaturam intellectualem non poſse videre Deum per ipſam viſionem beatificam increatam, qua Deus ipſe beatus eſt, aut etiam amare per eumdem amorem, verum nec etiam de potentia abſoluta. Cui non obſtat, quod aliqui aſserunt, non eſse impoſſibile, quod in potentia vitali cõſtituatur aliquis actus vitalis ab ea non elicitus, ſed ab alia potentia. Dato enim, & non conceſso, quod ſua Deus abſoluta potentia poſset conſtituere actum vitalem vnius in potentia vitali alterius, aut etiam in ſubiecto non vitali, conſiderando illam actionem materialiter, & in eſse entis, ſicut ſunt ſpecies in aere, vel in medio; nihilominus in eſse operationis vitalis formaliter, implicat, quod afficiat aliquam potentiam præter illam, à qua elicitur, quamque denominat vitaliter operantem; vt dicetur ſectione ſequenti, docetque expreſsè Diuus Thomas pluribus in locis. De veritate quæſt. 29. art. 1. in 3. diſt. 14. qu. 1. vbi multa diſputat in hanc quæſtionem, Vtrum in Chriſto Ieſu fuerit ſcientia creata; nec non 3. p. q. 9. art. 1.

Ne autem, dum ait D. Paulus 1. Corinth. 6. 17. *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt*. Et ex illo Myſtici libera daretur tam in dictis, quam in alijs ſimilibus vnitatibus errandi occaſio, quaſi in vnione myſtica eſset aliqua inter Deum, & creaturam identitas realis, ſiue vnitas indiuidua, ac numerica: aduertendum eſt cum S. Auguſtino lib. 1. contra Max. cap. 12. Satis in Scripturis vnitatem eſsentiæ indiuiduæ ſignificari ſimpliciter, & abſolutè hoc termino *Vnum*, abſque alio addito; ſique interdum vſurpetur in creatis, fieri cum addito, ad denotandum, quod de ſpecifica tantum, aut generica, non autem numerica, vel indiuiduali agatur vnitate. Sic D. Paulus 1. Corinth. 3. loquens de miniſtris Euangelicis, quorum alij plantant, & alij rigant, ait. *Qui plantat, & qui rigat vnum ſunt*, vnitate ſcilicet miniſterij, non verò eſsentiæ, ſatis enim conſtat D. Paulum, & Apollinem, de quibus ibi eſt ſermo, habuiſse diuerſas naturas numericè diſtinctas. Similiter Chriſtus orans pro fidelium communione Ioann. 17. 21. ait: *Vt & ipſi in nobis vnum ſint*: cum enim certum ſit, non eamdem eſse numericè omnium fidelium naturam; proinde non abſolutè dixit, *vt vnum ſint*, ſed cum addito, vt *in nobis vnum ſint*; ad ſignificandum ſe loqui de vnitate ſpecifica, mutua charitate coniuncta, quæ vna cum ſit, ſiue vnicus numero habitus, duo tamen habet obiecta, Deum ſcilicet, & proximum. At verò cum loquitur de eadem numero, quam habet cum Patre ſubſtantia, ſimpliciter ait Ioann. 10. 3. *Ego & Pater vnum ſumus*. Vnde concludit præcitatus Diuus Auguſtinus: *Aliud eſt, vnum ſunt, aliud vnus eſt; quando dicitur vnum ſunt, & ſi non dicatur quid vnum, intelligitur vna ſubſtantia: quando dicitur vnus eſt, de duabus diuerſiſque ſubſtantijs*. Propterea que etiam D. Paulus loquens de anima cum Deo myſtice vnita, non ait, *vnum eſt*, ſed *vnus ſpiritus eſt*: vt oſtenderet inter Deum, & animam nullam eſse eſsentiæ vnitatem, nec indiuidualem, nec ſpecificam, nec genericam, ſed tantummodo accidentalem, quę inter has duas ſubſtantias medijs gratiæ donis reperiri poteſt, vt mox explicabitur, docentque expreſsè D. Auguſtinus eodem lib. 1. contra Maximin. cap. 20. nec non lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 10. 20. & 22. D. Bernardus ſer. 71. in Cant.

Refutatis igitur, ac reiectis ab vnione myſtica prædictis falſis vnitatibus, nunc quæ veræ, & in ea admitti debent,

bent, breuiter explicandæ ſunt. Quare *primùm* dico vnitatem ſimilitudinis eſſe terminum vnionis animę cum Deo; *ſimilitudo*, enim ex D. Thoma 1. par. quæſt 93. art. 9. *Quadam vnitas eſt: vnum enim in qualitate ſimilitudinem cauſat*: Sicut vnum in quantitate, vel virtutis, vel molis, æqualitatem, & vnum in ſubſtantia identitatem; Cum autem homo dupliciter dici poſſit habere vnitatem ſimilitudinis cum Deo, ſiue eſse ad imaginem,& ſimilitudinem eius. Primùm in ordine naturali, ratione naturæ intellectualis, & potentiarum eius: Secundò in ordine ſupernaturali per dona gratiæ, cum ex D. Thoma 1. 2. quęſt. 112. art. 1. ipſa ſit participatio quædam formalis diuinæ naturæ; dùm aſserimus, terminum vnionis myſticę animæ cum Deo eſse vnitatem ſimilitudinis non debet intelligi de illa, quæ attenditur penes ſimilitudinem in natura intellectuali omnibus prorſus hominibus communem, quæque eſt terminus productionis, vel creationis eorum; propter quod Diuus Thomas quæſtione citata in prooem. volens explicare, quomodo fuerit ad imaginem Dei creatus, ait ſe velle loqui *de termino productionis hominis*. Sed de illa,quę attenditur penes ſupernaturalia diuinæ gratiæ dona, quia, licet ſit tantum accidentalis, priorem tamen ordinis naturalis dignitate longe ſuperat, & ex ipſa, vt docet D.Thomas lib.4. cont. Gentes.cap. 34. *nomina quæ Deo propriè conueniunt, ad homines transferuntur, vt dicantur, & filij Dei, & Domini, & Sancti, & Chriſti.*

Verùm cum hęc quoque dona gratiæ dupliciter conſiderari poſſint, vel in actu primo, vel in actu ſecundo, quatenus nimirum anima in ſtatu vnionis per illa producit actus cognitionis, & amoris Dei, tunc maximè, ratione horum actuum, dicitur ei ſimilis, ſiue in illis conſiſtere, aut ex illis reſultare vnitas ſimilitudinis cum Deo, quandoquidem ipſe eſt in continuo actu intelligendi, & amandi ſeipſum. Sicque D. Thomas ait 1.p. qu.93. art. 7. *Primo, & principaliter attenditur imago Trinitatis in mente ſecundum actus*. Et lib.3. cont. Gent. cap. 25. arg.5. *Magis aſſimilatur homo Deo, ſecùdum quod intelligit ipſum Deum &c. Quia Deus ſemper eſt actu intelligens,& ſe intelligit.* Quod idem, imo à fortiori dicendum eſt de actu amoris; non ſolum quia, vt diximus ſupra, primum in vnione obtinet locum, verum etiam, quia ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 27. art. 3. ita in ſimilitudine fundatur, vt eadem rurſus, perfectiorique adhuc modo ſit illius terminus. Quare ſicut duorum inter ſe amicorum dilectio oritur ex ſimilitudine, cauſante mutuum hunc inter ipſos affectum; quoque magis radicatur, eo conantur, magis, ac magis ſimiles fieri in exercitijs, habitibus, alijſque huiuſmodi; ita ſimiliter, quo magis anima Deo per amorem vnitur, eo adhuc perfectius illi ſtudet aſſimilari diuinoſque eius mores imitari. Vndè ait D. Auguſtinus in Pſalm. 70. *Faciens quod dictum eſt: mihi adhęrere Deo bonum eſt: vere cuſtodit ſimilitudinem, & imaginem ad quam factus eſt.* Et in Pſalm.99. *Quantum accedis ad ſimilitudinem, tantum proficis in charitate, & tanto incipis ſentire Deum.* Diuus autem Bernardus de inter. domo cap. 68. *Quanto plus*, inquit, *virtutes in te habebis: tanto propinquior Deo eris, & maiorem tui conditoris geres ſimilitudinem*, vt pote in bene operando, Deoque in hoc imitando principaliter conſiſtentem, qui eſt fons, & exemplar totius ſanctitatis.

Secundò, cùm primò, & principaliter ex dictis attendatur imago Trinitatis, ſeu vnitas ſimilitudinis diuinę in anima ſecundum actus ſupernaturales ab ea elicitos, vt in illis tria potiſſimum conſiderari poſsunt, ſcilicet principiũ, obiectum, & finis, tot etiam animæ cũ Deo vnitates in ijſdem reperiuntur actibus, ſcilicet principij, obiecti, & finis. Vnitas principij in hoc ſita eſt, quod ſicut Deus mouet ſeipſum in omnibus

nibus ſuis operationibus, ita quoque mouet animam ad actus diuinæ cognitionis, & amoris viç vnitiuæ proprios, non per modum cauſæ vniuerſalis tantum, verum ſpeciali inſuper modo, ita Dei proprio, & humanum ſuperante, vt quantumuis phyſicè, & etiam liberè anima exerceat huiuſmodi actus, Deo tamen potius, ſiue inſtinctui Spiritus Sancti tribuantur, quam animç, ipſaque potius agi, ſeu pati, quam agere dicatur: iuxta illud Apoſtoli Roman. 8. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*; Quocirca Sanctus Thomas ait in 3. diſt. 34. qu. 1. art. 1. *Si ea quæ hominis ſunt, ſupra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana ſimpliciter, ſed quodammodo diuina*. Et 1. 2. q. 93. art. 6. ad 1. *Hominis opera, qui Spiritu Sancto agitur, magis dicuntur eſſe opera Spiritus Sancti, quam ipſius hominis*, Et qu. 68. art. 3. *Donorum operationes menſurantur ex altera regula, quam ſit regula humanæ virtutis, quæ eſt ipſa diuinitas ab homine participata ſuo modo, vt iam non humanitas, ſed quaſi Deus factus participatione operetur*. Merito igitur in actibus viç vnitiuç proprijs, quique fiunt, ſpecialiter Spiritu Sancto ſe cordibus infundente, & ad illos dirigente, & ordinante, ſpecialis datur vnitas principij cum Deo, prçter illam quæ competit cæteris gratiæ donis, communem etiam duobus alijs ſtatibus, vel gradibus viç purgatiuæ, & illuminatiuæ.

Reperitur quoque in iiſdem actibus altera vnitas obiecti, quatenus eadem natura diuina, quç eſt obiectum Dei intelligentis, & amantis, tale quoque eſt reſpectu animæ, cui dicitur ineſſe per actus intellectus, & voluntatis, ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante: Vndè ſicut Deus ſeipſum, & omnia in ſeipſo cognoſcit, & amat, ita quoque anima in vnione myſtica eodem proportionali modo illum cognoſcit, & amat ſuper omnia, non ſolum appretiatiuè, quod eſt commune omnibus iuſtis, verum etiam intenſiuè, quod perfectorum eſt, ita abſumente igne Spiritus Sancti omnem amorem proprium, vt anima in illo felici ſtatu verè cum Regio Propheta poſſit dicere Pſalm. 72. 25. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram*; nec non cum cæleſti Sponſa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*; vt enim ait Diuus Hieronymus epiſt. 1. ad Heliod. *Perfectus ſeruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet: aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt*.

Vnitas denique finis conſiſtit in hoc quod ſicut Deus nullum alium habet finem, quam ſeipſum, Prouerb. 16. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ita pariter anima illi intimè vnita, tanta puritate intentionis operatur, vt quidquid faciat, propter Deũ faciat, indeque cum illo rectè dicatur habere etiam vnitatem finis; quam agnouit D. Bernardus, dum ait lib. de dilig. Deo: *Oportet in eundem nos affectum quandocumque tranſire, vt quomodo Deus omnia eſſe voluit propter ſemetipſum, ſic nos quoque nec nos ipſos, nec aliud aliquid fuiſſe, vel eſſe velimus, niſi æque propter ipſum*. Qua certe vnitate finis nihil eſt, quod nos Deo magis ſimiles efficiat.

Tertio tandem, quia loquendo de intellectu, ea eſt ipſius natura, & conditio, ex communi Philoſophorum conſenſu, vt cognoſcẽdo aliquod obiectum, fiat illud idem in eſſe intelligibili propterea que Ariſtoteles lib. 3. de anim. dixerit, quod *intelligibile in actu eſt intellectus in actu*; & ibidem Auerroes comm. 5. aſſeruerit vnitatem inde reſultantem, ea eſse maiorem, quæ reperitur inter materiam, & formam: Inde quoque eſt, quod in vnione myſtica animæ cum Deo per actum intellectus, lumine fidei, ac donorum Spiritûs Sancti illuſtrati, nec non ſpeciebus diuinitus infuſis, ipſa dici poteſt Deus in eſse intelligibili. Etſi enim huiuſmodi ſpecies Deum formaliter, & immediatè non repræſentent, imo iuxta pro-

probabiliorem D. Thomæ doctrinam, tales ſpecies creatæ implicent, id tamen inſtrumentaliter præſtant, excitando nimirum intellectum primum ad nobiliorem alicuius obiecti per illas formaliter repræſentati cognitionem, indeque ipſiuſmet Dei; Vbi autem ſpecies aliqua vnitur cum noſtro intellectu, fit idem in eſſe intelligibili non ſolum cũ obiecto formaliter, & immediatè, verum etiam inſtrumentaliter, ac mediatè per illam repræſentato; atque adeò ex hacmet vita, in qua videmus per ſpeculum, & in ænigmate, per ipſas ſpecies creatas, rectè Deo intelligibiliter vniri dicimur, eſſeque idem cum illo per participationem in tali ordine; iuxta illud Apoſtoli 2. Corinth. 3. 18. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginẽ transformamur à claritate in claritatem*; ibi enim cum loquatur de cognitione, quæ habetur in hac vita, & de qua ait 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*. Manifeſtè patet per ſpeculationem *reuelata facie*, non intellexiſſe claram, & intuitiuam Dei cognitionẽ, ſed quæ habetur per fidem noui Teſtamẽti, vt opponitur Veteri, in iſto enim cum eſſet fides multorum myſteriorũ tantummodo implicita, *Omnia enim in figuris contingebant illis*, atque adeò magis obſcura reſpectu huiuſmodi myſteriorum; nunc in nouo eſt explicita, atque adeo veluti reuelata facie cognitio, loquente nobis Deo per Filium, qui prius loquebatur per ſeruos, vt ait idem Apoſtolus Hebr. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*. Quę igitur in præſenti ſtatu habetur cognitio Dei per fidem, quantumuis ſit obſcura, per ſpeculum, & in ænigmate creaturarum, nihil obſtat, quin gloriam Domini per illam ſpeculantes *in eamdem imaginem transformemur*, ex Apoſtolo. Cuius ibi rationem reddens D. Thomas ait: *Cum omnis cognitio ſit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, oportet quod qui vident aliquo modo transformentur in Deum*. Addit aliquo modo, quia imperfectè, & comparatiuè ad transformationem patriæ, in qua videntes eum ſicuti eſt, & facie ad faciem, hoc eſt non amplius per velamina creaturarũ, ſed per ipſammet diuinam eſſentiam, ſupplentem vices ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, perfectè ſimiles illi erimus.

Similiter, quia ea eſt natura amoris, vt transformet amantem in amatum, vt rectè probat Diuus Thomas in 3. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. explicans definitionem Diui Dionyſij cap. 4. de diuinis nominibus: *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quod amor ad appetitum pertinet: Appetitus autem eſt virtus paſſiua: vnde in 3. de anima dicit Philoſophus, quod appetibile mouet ſicut mouens non motũ; appetitus autem ſicut mouens motum. Omne autem paſſiuum perficitur ſecundum quod informatur per formam ſui actiui: Et in hoc motus eius terminatur, & quieſcit: Sicut intellectus, antequam formetur per formam intelligibilis, inquirit, & dubitat; quã cum informatus fuerit, inquiſitio ceſſat, & intellectus in illo figitur; & tunc dicitur intellectus firmiter illi rei inhærere. Similiter quando affectus, vel appetitus omnino imbuitur forma boni, quod eſt ſibi obiectum, complacet ſibi in illo, & adhæret ei quaſi fixus in ipſo: & tunc dicitur amare ipſum; Vndè amor nihil aliud eſt, quam quædam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne quod efficitur forma alicuius, efficitur vnum cum illo, ideo per amorem amans fit vnum cum amato, quod eſt factum forma amantis*. Et ideò dicit Philoſophus 9 Ethic. *quod amicus eſt alter ipſe*. Et 1. Corinth 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*. Ita, inquam, ſe habente natura amoris vt ſic, quod ſit *virtus vnitiua formaliter, quia eſt ipſa vnio, vel nexus, vel transformatio, qua amans in amatum transformatur, & quodammodo conuertitur in ipſum*, vt ibidem ad 2. ait Diuus Thomas: item ad 4. quod transformando amantem in amatum,

Faciat

Faciat amantem intrare ad interiora amati, & è contra: vt nihil amati remaneat non vnitum; ſicut forma peruenit ad intima formati, & è conuerſo. Et ideo amans quodãmodo penetrat in amatum. & tandem ad 5. *quod cum vnio ſit duplex: quadam quæ facit vnum ſecundum quid, ſicut vnio congregatorum & ſuperficialiter tangentium; & talis non eſt vnio amoris, cum amans in interiora amati transformetur, vt dictum eſt: Alia eſt vnio, quæ facit vnum ſimpliciter; ſicut vnio continuorum, & formæ, & materiæ: Et talis eſt vnio amoris; quia amor facit amatum eſſe formam amantis: & ideo ſupra vnionem addit concretionem ad differentiam primæ vnionis; quia concreta dicuntur, quæ ſimpliciter vnum ſunt effecta: vnde & alia littera habet continuatiua.* Hæc omnia, aliaque ſimilia ad naturam, & perfectionẽ amoris ſpectantia multo magis de diuina charitate, amore omnium perfectiſſimo dicenda ſunt, quodque conſequenter in vnione myſtica, ſicut anima per actum intellectus ſit quid vnum cum Deo, vt obiecto intellecto, ita & per actum charitatis, vt cum obiecto amato, in quod transformatur.

Quod idem paſſim docet Diuus Auguſtinus tract. 2. in 1. Ioann. *Talis eſt quiſque*, inquit, *qualis eius dilectio eſt*: Et in Pſalm. 141. *Mundus ſunt peccatores, quia diligunt mundum, & diligendo inhabitant mundum.* lib. de moribus Eccleſ. cap. 11. *Et rei quemque conformari, quam diligit*: & ſerm. 28. de temp. *Homines accipiunt nomen ex eo, quod amant; amando Deum, efficiuntur Dÿ, ergo amãdo mundum, mundus dicuntur.* Idcoque Apoſtolus iſtos alloquens Roman. 12. ait: *Nolite conformari huic ſæculo:* quia, inquit Diuus Thomas in hunc locum: *Rebus temporalibus homo conformatur per affectum, eis amore inhærendo.* Tantumque ſufficiat ad explicandam vnitatem animæ cum Deo, ex vnione eiuſdem cum ipſo reſultantem: vt autem iſta non conſiſtit formaliter in vnione eſſentiæ animæ cum Deo per gratiam ſanctificantem, nec potentiarũ eius cum eodem, per habitus virtutum infuſarum ad illam ſubſequentium, ſed in ipſis actibus, principaliterque in actu charitatis, ita præcipua, magiſque attendenda in illa vnitas, in præſenti vita, eſt ea quæ reſultat ex amore itạ animam in Deum transformante, vt quamuis accidentaliter dicatur tamen Deus, taliſque verè ſit per participationem. *Deum diligis?* inquit D. Auguſtinus tractatu citato in Ioannem. *Quid dicam? Deus eris.*

CAPVT V.

De aliquibus effectibus vnionis Myſticæ Perfectorum magis proprÿs.

POſtquam in præcedentibus egimus de vnione Myſtica animæ cum Deo, quoad eius extrema, materiam, ſcilicet, & formam, indeque reſultante vnitate, nunc breuiter explicabimus aliquos eius effectus magis proprios, ita enim, qui in alijs duobus ſtatibus tribuuntur vnioni, ſiue orationi eorum propriæ, effectus tertio Perfectorum competunt, vt nonnullos inſuper habeat ſibi magis proprios, ſuæque vnioni magis conſentaneos. Qui à Theologis Myſticis ſolent reduci ad quatuor præcipuos. Quorum primus eſt, animam eleuare ad heroicam perfectionẽ: Secundus eadem ſanctitate illam cumulare. Tertius in poſſeſſione Dei cõſtituere. & Quartus beatam, ac felicem inchoate iam ex hac vita reddere.

Incipiendo igitur à primo notandum eſt ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 184. art. 3. per ſe, & eſſentialiter conſiſtere quidem perfectionem Chriſtianæ vitæ in charitate; ad illam tamen non ſufficere quemcumque eius gradum, vt dicamur abſolutè perfecti; alias qui vel minimum eius haberent gradum, tales deberent appellari, contra doctrinam Patrum id negantium, propterea que iuſtos in tres claſſes, vel ſtatus diſtinguentium; quatenus et ſi diuina chari-

tas verè in vnoquoque eorum reperiatur, quia tamen ſoli vltimo competit charitas heroica, hoc eſt donis Spiritus Sancti perfecta, & ex ſpeciali eius motione operans, idcirco proprius vnionis huius ſtatus effectus eſt, animam eleuare ad heroicam quoque, & inſignem perfectionem, à qua denominatur hic ſtatus.

Præterea cum ſumma perfectionis Chriſtianæ in hac vita maximè conſiſtat in vitandis, non ſolum peccatis mortalibus, cum charitate incompoſſibilibus; venialibus deliberatis illius feruorem minuentibus, verum etiam, quantum fieri poteſt ex ſubreptione contingentibus, hocque ſit proprium charitatis heroicę, ſiue in ſupremo gradu, qui eſt proprius vnionis huius tertij ſtatus, inde quoque rectè pro ſingulari, & proprio eiuſdem effectu aſſignatur heroicę perfectionis conſecutio.

Inſuper *hac eſt hominis in hac vita ſublimior perfectio, ita vniri Deo, vt tota anima cum omnibus potentijs ſuis, & viribus in Deum collecta vnus ſpiritus fiat cum eo*, ex D. Bonauentura lib. 2. de prof. Relig. cap. 72. vel, vt ait Diuus Thomas 2.2. quæſt. 24. art. 9. *Quando homo ad hoc principaliter intendit vt Deo inhæreat, & eo fruatur, hoc pertinet ad perfectos*. Item quæſt. 184. artic. 2. quod *affectus mentis totaliter dirigatur in Deum*; quæ omnia cum non ſint niſi effectus heroicę charitatis nedum à quibuſcumque rebus, vel affectibus illicitis, verum etiam licitis abſtinentis, vt liberius diuinis obſequijs vacet, omniumque virtutum exercitio; merito quoque heroica perfectio attribuitur tanquam proprius effectus vnioni myſticæ, in præfata charitate principaliter conſiſtenti; & qua ſemel ac aliqua anima eſt Deo vnita, cum nihil ei boni deſit, vnde Geneſ. 31. 3. Deus iubens Iacob, vt ad patriam rediret, nihil aliud ei dixit niſi: *Ero tecum, oſtendens*, inquit Diuus Ambroſius lib. 2. de Iacob cap. 5. *nihil ei deeſſe, cui adeſſet omnium plenitudo*, non poteſt talis anima non dici heroicè perfecta in hoc ſtatu; ſiquidem perfectum dicitur, cui nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis.

Quantum ad ſecundum effectum, qui eſt ſanctitas, cum hęc dupliciter accipi poſſit; Primo pro ſpeciali virtute, & quæ, ſecundum doctrinam Diui Thomæ 2.2. quæſt. 81. art 8. realiter à virtute religionis non diſtinguitur, ſed tantum ratione, quatenus iſta habet pro obiecto cultum diuinum, illa autem applicat animam ad ea, quæ ſunt eiuſdem cultus, Secundo pro ſanctitate, quæ eſt terminus, ac finis vitæ Chriſtianæ; qua ratione Diuus Petrus in p. cap. 1. 15. ait, fideles à Deo fuiſſe vocatos, vt *& ipſi in omni conuerſatione ſancti ſint, quoniam ſcriptum eſt ſancti eritis: quoniam ego ſanctus ſum*: dum in præſenti aſſerimus ſanctitatẽ eſſe proprium Vnionis Myſticæ effectum, non eſt ſermo de illa priori modo conſiderata, ſed poſteriori, ſeu ſumpta pro ſtatu ſanctitatis; Idque patet primo ex dictis, quia talis ſanctitas conſiſtit in hero co virtutum omnium, maximè autem charitatis exercitio; hoc enim requirit D. Petrus, dum monet nos, vt in omni conuerſatione ſancti ſimus: eo igitur ipſo quod tale exercitium ſit proprium viæ vnitiuæ, ſiue vnionis, & orationis illius propriæ; non poteſt etiam non eſſe proprius eiuſdem effectus, illa ſanctitas, quæ exigit continuũ, & heroicum exercitium non vnius, ſed omnium virtutum; vtque omnis conuerſatio noſtra in cogitando, loquendo, & agendo ſit pura, Angelica, imo & diuina; monente nos Chriſto Matth. 5. *vt ſimus perfecti, ſicut & Pater noſter cæleſtis perfectus eſt*; & Paulo Epeſ. 5. vt ſimus *imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi*. Quales fuere primi Chriſtiani, qui proinde proprio nomine vulgò vocabantur Sancti, vti paſsim eos vocat Sanctus Paulus. Quorum vita, & mores graphice depicti videri poſsunt apud Sanctum Iuſtinum Philoſophum, & Martyrem epiſt. 1. ad Diogenetum. Item apud Euſebium lib. 9. de præparat.

Euangel. cap. 1. ex Porphyrio iuſtato licet Chriſti, & Chriſtianorum hoſte, & obtrectatore. Quos enim Eſſæos vocat, primi fuerunt Chriſtiani Alexandriæ ſub S. Marco. In quorum etiã Laudem ſub eodem nomine Philonem Hebræum ſcripſiſſe notat S. Hieronymus, ideoque ab ipſo ponitur inter Scriptores Eccleſiaſticos.

Secundò, ſi ex S. Dionyſio cap. 12. de diuinis nominibus; *Sanctitas eſt ab omni ſcelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas; quæ ita in Deo eminet, vt meritò Sanctus Sanctorum nuncupetur, & celeberrimo illo hymno triſagio à beatis mentibus in cœlo celebretur*: vel ſi ex Origene homil. 11. in Leuiticum, *Sanctus Græcè dicitur Agios, quod cum quaſi extra terram eſſe ſignificat: quicumque enim ſe conſecrauerit Deo, meritò extra terram, & extra mundum eſſe videbitur*. Talis quoque efficitur, quem perfecta, & heroica charitas vnit Deo in via Vnitiua.

Tertiò cum Sanctitas ſit ipſamet Charitas, iuxta illud Apoſtoli Rom. 1. *Dilectis Dei vocatis Sanctis*, diligi enim quis à Deo non poteſt, quin ſimul habeat charitatem, cum ipſa ſit præcipuus diuinæ erga nos dilectionis effectus; ideoque etiam ex D. Auguſtino lib. 6. de Trinit. cap. 5. vocetur Spiritus Sanctus, *Charitas, quia Sanctitas*; quemadmodum qui vel minimum habet charitatis gradum, non poteſt non eſſe largo modo Sanctus, pro vt omnis iuſtus eſt Sanctus; ita qui habet perfectam, & heroicam charitatem, qualis eſt illa, quæ eſt viæ vnitiuæ propria, non poteſt non dici perfectè Sanctus, nec non talis Sanctitas effectus vnionis animæ cum Deo perfectorum propriæ.

Quartò tandem, ſi qui Deo conſecrati, vocantur Sancti, vt de Nazaręis Num. 6. dicitur; & de Sacerdotibus Leuit. 21. cum illi qui in hoc tertio viæ Vnitiuæ ſtatu verſantur, toti ſint per charitatem in pio affectu, vel interna inclinatione, atque amoris exercitio quo non ſolum Deo vniuntur, ſed inſuper omnia propter ipſum faciunt; ita vt actiones eorum, cogitationes, ſermones in illum tendant; vi atque impetu amoris in illis dominantis impellantur, in ipſius bonum, tanquam in verum finem, & terminum vltimum, propter quem formati ſumus: Manifeſtè patet quàm meritò Sanctitas dicatur eſſe proprius huius ſtatus, vnionis videlicet eius effectus.

Tertius eiuſdem vnionis effectus eſt, quod mediante illa, charitate eius propria, ad ineffabilem Dei in hac vita, tanquam ſummi boni, & vltimi finis noſtri poſſeſſionem peruenimus; vt enim diximus ſupra, ita in patria finalis hæc poſſeſſio conſiſtet in clara, & intuitiua Dei viſione, vt tamen in hac vita fiat per actum charitatis; vt enim ait D. Thomas 2. 2. q. 44. art. 1. *Finis ſpiritualis vitæ eſt, vt homo vniatur Deo, quod fit per charitatem*; item q. 27. art. 6. *Finis omnium actionum humanarum, & affectionum eſt dilectio Dei, per quam maximè attingimus vltimum finem: & ideo in dilectione Dei non poteſt accipi modus*: Et ibidem ad 3. *Interior actus charitatis habet rationem finis; quia vltimum bonum hominis conſiſtit in hoc, quod anima Deo inhæreat*: Igitur, cum charitas vnionis Myſticæ propria, ſit omnium perfectiſſima, & qua Deo, modo quodam diuino vnimur, & inhęremus, non poteſt ipſa non eſſe formalis eius poſſeſſio, eique non aſſignari pro effectu formali, quod ipſa media Deũ, vt vltimum finem in hac vita perfectè poſſidemus, quantum patitur eius ſtatus.

Quartus, & vltimus effectus, ad præcedentem ſubſequens eſt, quod etiam per eamdem vnionem ex hac vita reddamur inchoatè beati; cum enim beatitudo formalis conſiſtat in adeptione, & poſſeſſione Dei vltimi finis, ſi in hac vita per actum perfectæ charitatis, vtpotè omnium excellentiſſimum, & in quo maximè conſiſtit vnio cum Deo, illum perfectè poſſidemus, vt probauimus ſupra, ideoque ait D. Thomas 2. 2. q. 23.

q.23.art.6 ad 1. *Eorum, quæ ſunt ſuprà nos, & præcipuè Dei dilectio cognitioni præfertur*; & 1. p. q.108. art. 6. ad 3. *Cognitio eſt ſecundum quod cognita ſunt in cognoſcente : amor autem ſecundum quod amans vnitur rei amatę. Superiora autem nobiliori modo ſunt in ſeipſis, quam in inferioribus, inferiora verò nobiliori modo in ſuperioribus, quam in ſeipſis. Et ideo inferiorum quidem cognitio pręeminet dilectioni, Superiorum autem dilectio, & præcipuè Dei præeminet cognitioni*. Indè manifeſtè ſequitur per hanc vnionem, in actu charitatis principaliter conſiſtentem, inchoatè nos in hac vita beari, conſummatè verò in patria per viſionem beatificam; Vndè ſicut hæc eſt terminus, & merces charitatis viæ, ideoque formalis beatitudo Patriæ, *beatitudo enim habet rationem finis*, vt docet D. Thomas 1. p. qu. 62. art.4. ita quia ad charitatem in via referuntur tanquam in finem vltimum omnes aliæ virtutes, vt docet idem D. Thomas 2. 2. q.23.art. 8.ad 3.& q.58. art.6. *Charitas*, inquit, *dicitur finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem ſuum*; in eius quoque excellentiſſimo actu principaliter conſiſtere debet formalis beatitudo viæ.

Etſi enim in diuinis Scripturis hic quoque effectus tribuatur alijs duabus virtutibus Theologicis, nimirum fidei, & ſpei : de prima enim ait Chriſtus Ioann.17. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcat te, ſolum Deum verum, & quē miſiſti Ieſum Chriſtum*, iuxta interpretationem S. Cyrilli Alexandrini, & S. Auguſtini ibidem. De Spe autem dicitur Prouerb. 16. 20. *Qui ſperat in Domino beatus eſt*. Id tamen ipſis nonniſi imperfecta quadam competit ratione, ſiquidem beatitudo perfecta dicit poſſeſsionem, ac fruitionem obiecti totaliter appetitum ſatiantis, quod actibus fidei, & ſpei conuenire non poſſe ſatis conſtat, quandoquidem per illos credimus, & ſperamus obiectum quod non videmus, nec poſſidemus, ſed expectamus. Quare hæ duæ virtutes neceſſariæ quidem ſunt vt benè, non autem ſufficiunt, vt in hac vita beatè viuamus, vt rectè ait D.Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ cap.6. *Deum ſi ſequimur, bene : ſi aſſequimur non tantū benè, ſed etiam beatè viuimus*; quam aſſecutionem fieri per amorem docet idē Sanctus Doctor lib. 8. de ciuit. cap.9. *Beata vita ſi non amatur, non habetur; porrò ſi amatur, & habetur*. Atque adeo fatendum eſt in eo, maximè, vt eſt perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ proprio, ſitam eſſe ſupernaturalē huius vitæ beatitudinem : eamque proindè eſſe effectum veluti formalem vnionis Myſticæ, imo ipſammet vnionem, conſecutio enim, & poſſeſsio, in qua conſiſtit res, quæ eſt beatitudo formalis, quæque eius nomine ſignificatur, nihil eſt aliud, quam quædam coniunctio, & vnio cum bono, quod eſt obiectum beatificans; quæ fit in Patria cum Deo per viſionem beatificam, in qua proindè conſiſtit beatitudo eius formalis, hic autem in via, per heroicam, & ſupereminentem charitatem. Quod patet exemplo auari ſuam beatitudinem in pecunijs conſtituentis, qui conſequitur eam per coniunctionem cum illis, quæ eſt dominium earum, & libera facultas ad vtendum eis; Et ſimiliter qui ponit ſuam beatitudinem in delectatione ciborum, aſſequitur eam per coniunctionem cum ipſis cibis, quæ fit per ſenſum guſtus, & ſic de alijs.

Cum autem, vt explicuimus ſupra, multiplex ſit, ſingique etiam poſſit vnio animæ cum Deo, in illa ſola conſiſtit, qua vnitur cum ipſo per dona gratiæ in ratione cogniti, & amati, ita vt vnio in ratione amati debeat in hac vita principaliter attendi, in altera vero in ratione cogniti, propter rationes dictas

CA-

CAPVT VI.

De varijs Vnionis Myſticæ ſymbolis, vel figuris.

QVam difficilis eſt intellectu ſimul, & dictu, ſiue explicatu, Vnio Myſtica animæ cum Deo viæ vnitiuæ propria, ſiue in culmine ſuo conſiderata; tàm Theologi, & Doctores Myſtici varia conati ſunt adinuenire ſymbola, variaſque metaphoras, quibus eius naturam, affectus, & effectus vtcumque nobis explicarent, præcipua hic referam, quorum aliqua licet vnioni, vel orationi aliorum ſtatuum accommodari poſſent, huic tamen, quę eſt propria perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ, ſingulariter conueniunt. Quia autem huiuſmodi ſymbola, vel metaphoræ, vt ſuperiori libro explicuimus, alia ſunt verbalia, quæ ſolum fundantur in aliqualiter figurata, ſeu metaphorica verborum ſignificatione, quorumque conſequenter ſenſus proprius, eſt litteralis improprius. Alia autem realia, hoc eſt in rebus ipſis fundata, ſecundum quod aliquæ ad aliatum ſignificationem aſſumi poſſunt, quæ rurſus ſunt in multiplici differentia pro diuerſitate rerum, hic eodem ordine agemus de ſymbolis Vnionis Myſticæ.

§. I.

De Symbolis Verbalibus.

INcipiendo igitur à verbalibus primum quod occurrit eſt nomen *Sponſalitij*; cuius vſum probant tum Sacræ Scripturæ, maximè Canticum Canticorum; tum acta Sanctorum, quibus Chriſtum cum S. Agnete, duabus Catharinis Alexandrina, & Senenſi, S. Virgine Thereſia ſponſalitium contraxiſſe refertur. Cum autem hoc nomen Sponſalitij generaliter ſe extendere poſſit, ad ſignificandam quamcumque animæ cum Deo vnionem per dona ſupernaturalia gratiæ; *Primò* per fidem, de qua Oſee 2. dicitur; *Et ſponſabo te mihi in fide*; quatenus ſicut anima per illam vnum dumtaxat agnoſcit Deum, reiectis omnibus illis, quos falſa proponit Gentilitas, in illius quoque præmium, ac mercedem, iure meritò dicitur aſſumi à Deo in ſponſam. *Secundò* per gratiam, & charitatem, cum enim per illam anima iuſta Deum ſuper omnia ſaltem appretiatiuè, caſteq; diligat; inde non incongruè diuinæ Sponſæ nomen, ac dignitatem meretur. Ideoque ait Apoſtolus 2. Corinth. 11. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, iuxta interpretationem D. Thomæ 2. 2. q. 19. art. 2. ad 3. *Tertiò*, quia in auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento non ſolum anima per gratiam, quam cauſat, ſed & corpus cum ſacroſancto corpore, & ſanguine Chriſti realiter ſub ſpeciebus panis, & vini exiſtente vnitur, meritò quoque tali vnioni tribui ſolet nomen Sponſalitij; nec non *quartò* ſolemni profeſſioni religioſæ. Cum, inquam, his, & alijs ſimilibus, ſi quæ ſint, myſticis vnionibus tribuatur nomen ſponſalitij communiter ſumptum, & ob dictas rationes competat etiam vnioni viæ vnitiuæ, & perfectorum propriæ, ſingulari tamen adhuc, ſpecialique priuilegio eidem conuenit hoc nomen, qua ratione fit per excellentiſſimos, & heroicos tum intellectus, tum voluntatis actus.

Vndè analogia ſumpta à ſponſalitio corporali, ſicut illa dicitur Sponſa perfecta, numeriſque omnibus abſoluta, quæ deſiderat Sponſi ſui præſentiam, & fruitionem, affligitur abſentia, vultque illum ſequi quocumque ierit de alio vix cogitat, languet eius amore, quærit illum inceſſanter, magna propter ipſum, & ardua operatur, labores, vbi opus eſt, infatigabiliter ſuſtinet, illius ſolius pulchritudinem, pręclaraſq; tum animi, tum corporis dotes commendat, de illo libenter loquitur, nec non loquentem audit, & ſic de alijs huiuſmodi

iuſmodi. Ita quia hæc omnia, multoque plura myſticè, perfectiorique modo conueniunt animæ cum Deo vnitæ in via vnitiua præ alijs duabus, vt iam ſatis patet ex dictis, patebitque amplius ex dicendis in ſequentibus ſectionibus, ſingulariter quoque dicitur ſponſa, taliſque vnio ſpirituale ſponſalitium.

Secundum ſymbolum verbale huius vnionis eſt nomen *matrimonij*, quod etſi non nunquam confundatur cum Sponſalitio, ea tamen, ſi ſtrictè ſumantur, diſtingui certum eſt, maioremque eſſe vnionem in matrimonio corporali inter contrahentes, quam in ſponſalitio, aut alia quacumque confęderatione. Si quidem Sponſalitium eſt futuri tantum matrimonij mutua promiſſio acceptata; matrimonium autem eſt cōtractus, quo legitimæ perſonæ, corporum ſuorum dominium mutuo tradunt, & accipiunt. Igitur cum vnio myſtica etiam viæ vnitiuæ propria ſuſcipiat magis, & minus ſecundum maiorem, vel minorem animæ cum Deo, & Dei cum illa familiaritatem, communicationem, indiſſolubilitatem, aliaque ſimilia, ad ſignificandum hæc ſecundum ſummum quem habet in vnione myſtica apicem, vtuntur myſtici nomine metaphorico, vel ſymbolico matrimonij. Quatenus ſicut in matrimonio corporali duo contrahentes mutua corporum ſuorum traditione fiunt indiſſolubiliter caro vna, ita in altiſſimo hoc gradu vnionis, vel orationis vnionis, vt vocat S.M.N. Thereſia Manſione 5. cap. 1. anima cæleſti luce, ſpecie buſque infuſis iam directa per intellectum cognoſcendo, & per voluntatem amando, magis adhuc quam antea fruens Deo, ac veluti indiſſolubiliter, quantum in hac vita mortali fieri poteſt, ſpeciali quoque ratione dicitur vnà cum illo, non in carne, ſed in ſpiritu; vt enim ait D. Bernardus ſerm. 85. in Cant. *Quando videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe gerere, de Verbo concipere, quod pariat Verbo, qua poſſit dicere; mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum; puta coniugem, Verboque maritatam*. De quo etiam videre poteſt ſerm. 9. & 83. Nec non Dionyſius Carthuſianus lib. de fonte lucis art. 16. Sancta item M. Thereſia varijs in locis, cap. 16. 17. 18. 19. vitæ ſuæ. Manſione 5. cap. 1. 2. & 4. Manſ. 7. cap. 3. Quibus in locis inter hos gradus vnionis Sponſalitiæ, & matrimonij ſpiritualis pertinentes ad viam vnitiuam ſequentes aſſignat differentias.

Prima eſt, quod in vnione ſponſalitia præſertim extatica ita ligentur potentiæ, vt anima remaneat veluti cæca, neſciatque diſcernere, qualis ſit hæc, qua tunc fruitur gratia; At in matrimoniali, Deo clarius quam antea intellectum illuminante, nedum talem agnoſcit gratiam, ſed & perfectius, quā antea Deum contemplatur, quamuis non omnino clarè ſicut erit in patria, cognoſcitque eum eſſe incomprehenſibilem, & in infinitum magis viſibilem, quam videatur; ſæpeque etiam mirabili quadam repręſentatione perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis ei exhibentur; quæ cum ipſa familiariter conuerſantur, miris ipſam recreant modis, diuiniſque ditant donis, ac muneribus. Secunda differentia eſt, quod in vnione Sponſalitij ſpiritualis non ita continuā, nec etiam intimam anima in ſe experitur Dei pręſentiam, quia ſicut ſponſalitium corporale non coniungit inſeparabiliter, ſic in Sponſalitio ſpirituali, multoties Deus ab anima ſponſa recedit, vel ad fidelitatis experimentum, vel ad amoris probationem, vel ad augmentum meriti; Secus autem accidit in vnione matrimonij ſpiritualis, qua iam anima in Deum plenè transformata, vel tota illi facta, ab ipſo penè eſt inſeparabilis; ſicut in illo felici ſtatu ſemel reuelauit Deus Sanctæ Matri noſtræ Thereſiæ dicens: *Iam tu es mea, & ego tuus*. Iuxta illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*.

Tertia differentia eſt, quod cæleſtis gratiæ dona, quæ Deus in vnione ſponſa-

ſponſalitij ſpiritualis animæ confert, in ea plerumque medijs recipiuntur ſenſibus: In vnione autem matrimonij ſpiritualis id fit ſublimiori modo, ſæpe ſcilicet Deo animæ apparente in viſione intellectuali.

Quarta, quod in iſta vnione matrimonij ſpiritualis, Deo animam ad ſe perfectius eleuante, intra ſe rapiente, atque ſe ei clarius videndum, guſtandum, ac fruendum, veluti intimè præſentem offerente, ac exhibente, ipſa nullas ferè amplius ariditates, nullas perturbationes internas patitur, ſed manet in pacifica quiete tranquilla, innexo eo quem diligebat. Et quamuis, vt ait Dionyſius Carthuſianus lib. de Fonte Lucis art. 16. in hac intuitione tranquilliſſima, ac cherubica mens humana, vt plurimum non diu defatigetur; ſed Deus lucem, quam paulò ante infuderat, retrahat, & abſcondat in manibus, poſt modicum tamen denuo præcipiti ei, vt menti adueniens oriatur, maiori nonnunquam claritate, quam ante. Qua luce menti fulgente mens iterum intus ſplendeſcit, igneſcit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit, tuncque Deus amænitatis immenſæ annuntiat de ea (hoc eſt de luce iſta, quam paulo ante abſcondit in manibus) electo ac dilecto, feruido ſcilicet amatori, quod poſſeſſio eius ſit. Vnde etiam fit quod in hac vnione, vel gradu orationis, tollantur ab anima, ſaltem ordinariè, raptus, qui prius frequenter accidebant, quantum ad effectus exteriores, qui ſunt ſuſpenſio ſenſuum, & carentia caloris naturalis, vt dicemus infra: cum ex hac intima cum Deo vnione ſic roboretur, & firmetur, vt à dictis effectibus maneat libera.

Tertium ſymbolum verbale vnionis myſticæ eſt nomen *oſculi*, quod cumde illa nonniſi metaphoricè dicatur ſimilitudine ſumpta ab oſculo propriè dicto, vt huius variæ ſunt acceptiones, varijque vſus, ita quoque oſculi myſtici non eſt vna notio, vel acceptio. Primùm ergo oſculum eſt duplex. Prophanum, & Sacrum. Quæ diuiſio ſumitur ab vſu, & fine, qui ſi ſit ciuilis, dicitur oſculum prophanum, ſi verò ſacer, ſacrum. De primo multa reperiuntur apud authores prophanos tam quoad eius vſum, quam quoad corporis partes in quibus fiebat; frequens enim olim fuit oſculorum vſus, amoris, honoriſque cauſa, nec ſolum in ore, ſed in omni ferè corporis parte imprimebantur, ſcilicet in parte auerſa dextræ, in collo, in genis, in oculis, & in his, ait Plinius lib. 11. cap. 37. quaſi ibi maximè habiret, videbantur animũ ipſum attingere; in genibus, in pedibus in ſoleis, & veſtigijs. Crebrior tamen mos fuit oſculandi os, vnde nomen oſculi deriuat Feſtus; de quibus videri poteſt Iuſtus Lipſius lib. 11. Elect. cap. 6. nec non Lælius Biſciola horar. ſubceſiu. lib. 7. cap. 3.

Quoad oſculum Sacrum, vel Eccleſiaſticum eſt illud, cuius, vel fit mentio in diuinis Scripturis tam Veteris, quàm Noui Teſtamenti, vel potius ex vſu Eccleſiæ olim adhibebatur, & etiamnum adhibetur in ſignum 1. recõciliationis, ſicut benignus pater reconciliatus eſt filio prodigo, Lucæ 15. 2. Salutationis, vel bonæ apprecationis. Qua ratione Chriſtus Dominus Luc. 7. conqueſtus eſt, quod Simon oſculum ei non dediſſet. Et D. Petrus 1. ep. 5. nec non D. Paulus 2. Corinth. 13. monent fideles, vt ſalutent inuicem in oſculo ſancto. 3. fraternitatis, vel mutuæ charitatis, intimæque in Deo vnionis; quod in Sacrorum celebratione interueniebat, cuiuſque ritus frequens eſt mentio apud veteres Patres. Sed cum nihil ſit tam ſanctum, quod impietas non violet; caſtum oſculum fœdante poſtea libidine, hinc deſitum dari. Ne tamen deeſſet charitatis mutuæ teſſera, inducta eſt tabella, quæ oſculum recipit; ſicut & in ſolemni ſacrificio, qui Sacerdoti proximè aſſiſtunt ab eo illud idem recipiunt. 4. Honoris, & reuerentiæ, quale eſt illud maximè, quod Pontificis Maximi pedibus

bus aduoluti exhibent. 5. tandem oſculi, quod poſt inſufflationem communicabatur olim baptizando, forſan in ſignum, vel ſymbolum coniunctionis eius cum Eccleſia meminit D. Cyprianus lib. 3. epiſt. 8.

Oſculum igitur Myſticum his omnibus modis cum accipi poſſit, intelligique illud Sponſæ dicentis *oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 1. ita vt *primò* hæc ſint verba Sacroſanctæ humanitatis Chriſti Domini, ex D. Bernar. ſerm. 11. in Cant. *Sit*, inquit, *et oſculans verbum aſſumens: oſculatum caro, quæ aſſumitur: oſculum vero, quod pariter ab oſculante, & oſculato conficitur, perſona ipſa ex vtroque compacta, Mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus. Quo pacto Sanctorum nemo dicere præſumebat: oſculetur me ore ſuo: ſed tantum oſculo oris ſui: ipſi ſane ſeruantes prærogatiuam iſtam, cui ſingulariter, ſemelque os verbi impreſſum tunc eſt, cum ei ſe corporaliter plenitudo omnis diuinitatis indulſit. Felix oſculum; ac ſtupenda dignatione mirabile: in quo non os ori imprimitur: ſed Deus homini vnitur. Et ibi quidem contactus labiorum complexum ſignificat labiorum; hic autem confœderatio naturarum diuinis humana componit, quæ in terra ſunt, & quæ in cœlis pacificans; Ipſe enim eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum. Ad hoc oſculum Sanctus quiſque antiqui temporis ſuſpirabat, eo quod iucunditatem, & exultationem theſaurizari ſuper eum, & theſauros omnes ſapientiæ, & ſcientiæ in ipſo abſconditos præſentirent, cuperentque & ipſi de plenitudine eius accipere.*

Secundò Eccleſiæ militantis ante incarnationem Verbi à Patre æterno illam efflagitantis in ſignum reconciliationis generis humani, bonæ eidem apprecationis, ſuæque erga illud infinitæ charitatis, ac miſericordiæ, & cũ ipſamet tanquam ſponſæ intimæ coniunctionis.

Tertiò Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ cũ Spiritui Sancto ad Verbi incarnationẽ ſumma humilitate, æquè ac charitate conſenſum præbuit; dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*: tunc reipſa dixit: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, id eſt, aſſumat ex me carnem, eamque oſculetur, & ſibi intimè vniat filius Dei. Atque eodem inſtanti, inoperante Spiritu Sancto, in ſacro eius vtero peractum eſt Dei cum humanitate oſculum, quo ſe pax, & iuſtitia oſculatæ ſunt, cum *Verbum caro factum eſt.*

Quartò tandem animæ iuſtæ, & ſanctæ petentis in oratione, & accipientis oſculum, id eſt illuminationes, impulſus, & ardores diuinos Spiritus Sancti. Vndè S. Ambroſius ſerm. 90. *Oſculum Verbi*, inquit, *eſt lumen cognitionis ſacræ.* Et Nyſſenus homil. 1. *Quia verba ſponſi Spiritus ſunt, & vita: quicumque autem conglutinatur Spiritui, fit ſpiritus: & qui vitæ coniungitur, tranſit à morte ad vitam: propterea ſpiritualis anima deſiderat appropinquare fonti vitæ, nempè ori Sponſi, vnde ſcaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahens.* Demum Bernardus ſerm. 1. in Cant. *Cuius* (Chriſti) *vtique ſermo viuus, & efficax oſculum mihi eſt, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum; ſed planè infuſio gaudiorum, reuelatio ſecretorum, mira quædam, & quodammodo indiſcreta commixtio ſuperni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærens quippè Deo vnus ſpiritus eſt.* Vel etiam eiuſdem animæ amantis, & totius amori diuino vacantis, ex eodem Nyſſeno loco citato: *Sicut Moſes*, inquit, *qui dignus eſt habitus Exodi 33. cum Deo loqui facie ad faciem, eiuſmodi oſculorum maiori tenebatur deſiderio, rogans, vt videret quem deſiderabat, poſtquam ei toties Deus apparuiſſet; perinde ac ſi nunquam eum fuiſſet contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum diuinum deſiderium imis inſidebat penetralibus, nunquam ſuum ſiterunt deſiderium, quicquid eis diuinitus eueniebat, quo fruerentur eo, qui deſiderabatur, materiam arripientes, & fomitem maioris deſiderij. Quomodo etiam, quæ nunc*

quoque

quoque Deo coniungitur anima, ſatiari non poteſt fruitione, quo copioſius fruitione impletur, eo vehementiori vigens deſiderio, atque adeo dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui.

Verùm licet in omnibus his ſignificationibus nomen oſculi ſacri ſymbolicè, vel metaphoricè accipi poſſit, nihilominus à Theologis myſticis potiſſimum vſurpatur, ad ſignificandum intimam animæ cum Deo vnionem per dona gratiæ; in qua ſicut ſunt tres gradus, vel ſtatus Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ex D. Bernardo ſerm. 3. 4. & ſequentibus, primo tribuitur oſculum pedum, quo Incipientes, & pœnitentes oſculentur duos Chriſti pedes, nimirum miſericordiam, & veritatem, ita vt per veritatem peccata pœnitendo condemnent, per miſericordiam confidendo veniam ſperent. Vel, vt ait ipſemet Bernardus: *Oſculum, pacis indicium eſſe, omnes nouimus. Porrò autem, ſi, vt Scriptura loquitur, peccata noſtra ſeparant inter nos, & Deum, tollitur de medio, quod intereſt, & pax eſt. Cùm ergo ſatisfacimus, vt ablato, quod ſeparat, peccato, reconciliemur, indulgentiam, quam recipimus, quid niſi quoddam oſculum dixerim pacis? Idque interim non alibi, quam ad pedes ſumendum. Humilis quippè, & verecunda debet eſſe ſatisfactio, qua emendatur ſuperba tranſgreſſio.*

Secundo ſtatui tribuitur oſculum manus, quo Proficientes oſculantur manus Chriſti, dum ei bona virtutum opera offerunt, & viciſſim ab eo vlteriora, & vberiora gratiarum dona recipiunt. Et de quo ait idem quoque D. Bernardus: *At cum etiam ad viuendum emendatius, Deoque dignius conuerſandum, placida quadam amplioris gratiæ familiaritate donamur, cum ampliori fiducia caput iam leuamus de puluere largitoris, vt aſſolet manum oſculaturi, ſi tamen de accepto munere, non noſtram, ſed auctoris gloriam quærimus, eique ſua, dona, & non nobis adſcribimus. Alioqui, ſi in te, & non magis in Domino glorieris, propriam profectò, & non Domini manum oſculari conuinceris: quod iuxta B. Iob ſententiam cap. 31. eſt iniquitas maxima, & negatio in Deum. Si ergo ad Scripturæ teſtimonium propriam gloriam quærere, propriam eſt oſculari manum, profectò, qui das gloriam Deo, Dei dicitur nõ incongruè manum oſculari. Et in hominibus quidem ita eſſe videmus: ſeruos ſcilicet offenſorum dominorũ oſculari ſolere pedes, cum ab ipſis veniam petunt: & pauperes diuitum manus, cum ab ijs munus accipiunt. Verùm quia Spiritus eſt Deus, & nullis ſimplex illa ſubſtantia membris diſtincta corporeis, nonniſi hæc latè accipienda ſunt. Sic enim os Deus habet, quo docet ſcientiam; & manum habet, qua dat eſcam omni carni; & pedes habet, quorum ſcabellum eſt terra, ad quos nimirum peccatores conuerſi, atque humiliati ſatisfaciunt. Sed hæc habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Inuenit profectò apud Deum, & verecunda confeſſio, quo ſe humiliando deijciat: & prompta deuotio, vbi ſe innouando reficiat, & iucunda contemplatio, vbi excedendo quieſcat.*

Tertio denique ſtatui, ſiue vnioni illius propriæ attribuitur oſculum oris. Quatenus ſicut tale oſculum iungit os oſculantis ori eius, quem oſculatur, vt ſignificet animum ſimili modo animo ipſius coniungi, vt ex duobus amantibus fiat quoque vnus amans, vna anima, vnus ſpiritus; vel qui ſe ita oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti; ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem ſumma cum ſuauitate videntur infundere. Ita animæ perfectæ in ſummo contemplationis gradu vnum Deũ ſitienti, eique ſoli inhærere geſtienti, veluti inhalatur, & transfunditur Spiritus diuinus; ſiue Deus ita per ſe illabitur intellectui, & voluntati eius, illique intimè fit præſens; intellectui quidem ſub ratione immenſæ lucis; voluntati ſub ratione ſummi boni, vt anima ſic impulſa, & à Deo veluti deoſculata in illum viciſſim ardentiſſimè rapiatur, illum plenè amplectatur, omneſque vi-

res ſuas in illo amando, ſibique aſtringendo, & exoſculando exhauriat. Quare Diuus Gregorius in hunc locum ait: *Os Sponſi, inſpiratio Chriſti: oſculum oris, dulcis amor inſpirationis. Dicit ergo Sponſa deſiderio æſtuans, & in amplexum ſponſi ſui inardeſcens: Oſculetur me oſculo oris ſui; ac ſi diceret: Ille quem ſuper omnia, imo ſolum diligo, veniat, qui dulcedine ſuæ inſpirationis me tangat; quia cum eius oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinem illicò liquefacta transformor. Faſtidit quippè ſancta mens omnia, quæ per corpus ſentit, & in illa ſpiritalia tota tam tranſmutari concupiſcit; & dum iſta obſtrepant, in illa fugit, ſeque abſcondere, ne hæc ſentiat, appetit, ideoquè oſculum ſponſi quærit: quia ſi ille gratiſſimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi ſua moleſtiſſima grauedinis detenta, quomodo ſe ad illum conferat, omnino non inuenit. Sed pius ſponſus anxietatem eius ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens, oſculum porrigit; & ne deſiderio laſſeſcat, guſtu ſuæ ſuauitatis lenit, & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit.* Eodem ſenſu D. Bernardus loquitur, tuncque hoc oſculum oris contingere ait: *cum iam conſumpto luctu pœnitentiæ, iam acceptis virtutum donis, mens cæleſti deſiderio inſpirata ad ſecreta interioris cubiculi gaudia, impatiens amoris, introduci deſiderat, ac proindè congruentiſſimè oſculum petens, inquit: Oſculetur me oſculo oris ſui; id eſt, vnum, quod mihi reſtat, efflagito, vt perfectè per Spiritus Sancti infuſionem cum meo vniar dilecto.* Sic ergo Myſtici per oſculum oris intelligunt intimam animæ cum Deo, ſuauitateque plenam vnionem, inſtar oſculantium, non per quæcumque dona gratiæ, ſed per ipſamet dona Spiritus Sancti, qualis eſt vnio Viæ Vnitiuæ propria.

Cum autem præfatis tribus ſymbolis verbalibus, ſeu nominibus metaphoricis, alijſque ſimilibus vnionem, coniunctionem, amplexum, introductionem, habitationem, commorationem, inhæſionem, penetrationem, illapſum, aliaque id genus ſignificantibus potiſſimum vtántur Myſtici ad exprimendam vtcumque intimam, & arcanam animæ cum Deo vnionem per dona gratiæ, indeque reſultantem vnitatem, plura inſuper habent alia, quibus eiuſdem affectus, & effectus declarant. Aliqua magis principalia adducemus, breuiterque explicabimus.

Quartum igitur Symbolum verbale, eſt nomen *ſomni*, quo per analogiam, vel ſimilitudinem ad ſomnum propriũ, aut corporalem, ſignificatur quies, quã anima in ſupremo contemplationis, diuinæque vnionis gradu capit, acta à Spiritu Sancto, Sopitis tunc, vel excluſis omnibus humanæ rationis, propriæque induſtriæ actibus; ita vt cum Sponſa dicere queat Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; In ſomno enim illo myſtico, intelligendum non eſt, animam eſſe otioſam, ſeu ab omni prorſus actu vacare, vel illam totam abſorptam ſoli dilectioni vacare, operatione etiam intellectus excluſa; hoc enim impoſſibile eſſe oſtendimus inferius, ſed dicitur dormire ſimul, & vigilare, non ſolum quia à concupiſcentijs, & curis ſecularibus libera, vni Deo eiuſque amori, & cultui vigil intendit, vt hunc locum interpretantur D. Ambroſius exhort. ad Virg. ſub medium, & Diuus Gregorius lib. 5. moral. cap. 22. & eſt quid commune duobus alijs ſtatibus, ſed maximè quia in ſupremo vnionis gradu operatur vt acta, & patiens diuina, ſiue ex ſpeciali motione, & inſtinctu Spiritus Sancti, ſopitis interim, vt dicebam ac veluti dormientibus potentijs, quo ad proprios actus.

Itaque multiplex cum ſit ſomnus ſpiritualis, vel myſticus, ſeu ſomnus vigil, aliqui enim per illum intelligunt contemplationem extaticam, in qua ſopitis etiam ſenſibus externis, quaſi dormire videtur, qui illam patitur; multique Patres exiſtimant huiuſmodi fuiſſe ſomnum primi parentis, de quo

Geneſ.

Geneſ. 11. 21. dicitur: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius.* Nec non Patriarchæ Iacob. Geneſ. 28. 11. cum vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, cuius cacumen cœlos tãgebat: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam. Alij intelligunt vitæ, vel animæ contemplatricis quietem, calcatis omnibus carnis deſiderijs illam impedientem, ſicque ei accommodant vocem Sponſæ: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quaſi diceret ex Gregorio Nyſſeno: *Ego à temporalibus delectationibus, conſopitis quodammodo ſenſibus, conquieſco, ſed futura deſidero, æternaque conquiro: Sic dormio, ſic vigilo.* Et ex altero Gregorio Magno lib. 5. moral. cap. 22. *Somno quoque calcatis carnis deſiderijs vitæ quies figuratur, ſicut Sponſæ voce in Canticis Canticorum dicitur. Ego dormio, & cor meum vigilat: quia videlicet, ſancta mens, quo ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit, eo verius interna cognoſcit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto ſe ab exterioribus inquietudinibus occultat.*

Alij etiam per hunc ſomnum vigilem, ſeu quod anima dormiens vigilet, intelligunt eiuſdem ſtatum, cum ita per diem ſanctis meditationibus, affectibus, & amoribus ſe implet, vt noctu de iiſdem ſomniet, imo dormiens eoſdem iteret. Signum enim perfectæ virtutis eſt, de eadem ſomniare, illamque quaſi ſomniando exercere. Vnde Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 13. ait: *Modeſtorum, quam aliorum meliora fieri viſa.* Et Plutarchus lib. de profectu morum, inter alia eius ſigna in virtute hoc aſſignat: *Si quis noctu nullas fœdas, vel rixoſas patiatur phantaſias.* Quocirca rectè S. Ambroſius ait: lib. 3. epiſt. ad Anyſium. *Eſt enim Sanctorum ſomnus feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti innehens, placiditatem animæ, vt tanquam ſoluta nexu corporis ſe alleuet, & Chriſto adhæreat.*

Caſſianus autem, Ioannes Climachus Gradu 15. Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ tract. de continent. cap. 6. alijque communiter docent, perfectũ, & quaſi ſummum caſtitatis gradum eſſe, ſi quis nihil impuri, ſed omnia pura, & ſancta ſomniet.

Alij tandem per eumdem ſomnum, eum ſignificari volunt animæ ſtatum, in quo quis per diem tanto feruore rapitur ad diuina meditanda, & ad continuos amoris erga Deum actus, vt nõ ſolum eoſdem dormiendo, & ſomniãdo veluti reiteret, ſed etiam illi modicum eius ſomnum crebrò abrumpant, ac ipſa experrecta, & vigilans in ſolitos hoſce amoris actus ſe ſe effundat. Quod ſingulariter in Beatiſſima Virgine fuiſſe, imo, quod magis eſt, ſopitis inter dormiendum ſenſibus, per ſingulare Dei donum mentem habuiſſe ſolutam, & vigilantem, vt liberos actus eliceret, ac in ardentia contemplationis, & amoris ſuſpiria erumperet, plures docent Patres. Diuus Ambroſius lib. 2. de Virgin. vbi loquens de Beata Virgine ait: *Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit, & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Item Rupertus Abbas in præfatum Canticorum locum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sanctus Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. art. 1. cap. 2. *Somnus,* inquit, *qui abyſſat, & ſepelit in nobis rationis & liberi arbitrij actus, & per conſequens actum merendi, non credo, quod talia in Virgine fuerit operatus; ſed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum* &c. Sanctus Antonius de Padua, Albertus Magnus, Dionyſius Carthuſianus, alijque plures, quos citat, & ſequitur Suarez 3. p. qu. 37. art. 4. diſput. 18. ſect. 2. Idque probat primò, quia Adæ, & Euæ id conceſſum docet Sanctus Auguſtinus lib. 1 contra Iulianum cap. 9. *Tam felicia,* inquit, *erant ſomnia dormientium, quam*

vita

vita vigilantium. Ergo multo magis B. Virgo tam fœlix fuit dormiendo,quã vigilando. Secundò, quia Angeli ex quo in primo inſtanti ſuæ creationis, conuerſi ſunt in Deum, nunquam ab actuali illius amore ceſſarunt; ergo multo magis id credi poſſit de B. Virgine Angelorum Regina. Tertiò, quia B. Virgini data fuit ſcientia per ſe infuſa, qua vti poſſet ſine conuerſione ad phantaſmata: Quare etiam noctu dormiens ſopita phantaſia illa vti potuit.

Quamuis igitur in præfatis omnibus ſignificationibus,ac ſimilibus vſurpari poſſit ſomnus myſticus, principaliter tamen accipitur à Myſticis ad ſignificandam vnionem perfectorũ propriam, ſiue illum amoris gradum, quo anima ſpecialiter à Spiritu Sancto accenſa non ſolum excludit cæteras operationes proprias, verum etiam præ feruore, ac vehementia eius intellectus operationem, quantumuis ſublimem, adeò reddit ſubtilem, ac ſimplicem, vt quaſi illam non aduertat; ad diſtinctionem ſilentij myſtici, quod, vt dicetur infra, pertinet ad intellectum, quieſcẽtem in ſimplici intellectus intuitione, vel aſpectu, reliqua autem intelligibilia, quantumuis excellentia repudiantem; ſomnus autem ſpectat ad affectũ intelligentiam etiam veluti ſopientem, vt amor magis dominetur, ſuauiuſque in ſinu ſponſi requieſcat. Quo in ſenſu Richardus Victorinus maximè in Pſalm. 4. & D. Bonauentura lib. de proceſſu religionis cap. 14. accipiunt ſomnum Myſticum,eiuſque cauſam ait D. Bonauentura eſſe ebrietatem ſpiritualem, de qua agemus infra.

Quintum Symbolum verbale eſt nomen *quietis*, quod licet aliqui confundant cum nomine ſomni tanquam ſynonimum, ea tamen aliqualiter inter ſe diſtingui certum eſt; ita enim, ſicut & cætera, de quibus hic agimus, ſignificant entitatiuè, & in hoc conueniunt, eamdem vnionem myſticam animæ cũ Deo perfectorum,ſeu viæ vnitiuæ propriam, vt tamen id faciant ſub diuerſis formalitatibus, quod ſufficit vt verè nõ ſint ſynonima. Deinde licet omnis ſomnus ſit aliqua quies, non tamen omnis quies eſt ſomnus.

Igitur vt quies corporea à ſomno diſtincta ſignificat ceſſationem ab opere, vel motu, maximè ſi ſit poſt laborem; ita quies myſtica, vel oratio quietis, quæ eſt perfectorum, viæque vnitiuæ propria, eſt ceſſatio animę à proprijs, proprioue labore cum diuina tamen gratia elicitis prius operationibus, in duobus præcedentibus ſtatibus, per infuſam aliam ſuperiorem ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, ſine vllo labore prouenientem; qua, vt dicitur Deus quieſcere in anima, quia in præſenti ſtatu, vix aliud ei ſupereſt in ipſa operandum, illam dicitur facere quieſcere, quia nihil ei remanet deſiderandum; ſicque rectè dicitur tam Dei, quã animæ requies, vel Sabbathiſmus per analogiam ad illud Geneſ. 2. vbi dicitur requieuiſſe die ſeptimo, vt mox dicemus; tum quia Deus modo dicto quieſcendo,facit quoque animam quieſcere; tum maximè, quia requies Dei ſignificat requiem animæ in ipſo quieſcentis; ſicut lætitia domus, lætitiam ſignificat eorum,qui lætantur in domo, etiam ſi non eos domus ipſa, ſed alia res lætos faciat; multoque magis ſi id domus præſtaret; ſicut Deus in anima quieſcens facit illam quieſcere, quatenus ipſe etiam eſt eius quies obiectiua; donec namque hoc modo vniatur Deo, ſiue in eo ſit, & quieſcat anima, apprehenditur eſſe adhuc in motu: Siquidem verè dixit Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Quia feciſti nos ad te, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Itaque S. Bonauentura tract. de 7. gradibus contemplat. ſic eam deſcribit: *Quies eſt totius animæ mira quædam, & ſuauis tranquillitas per infuſam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde ſpiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur*

datur etiam ipſas ſupercæleſtes ſubſtantias contemplando tranſcendere. Superignota enim bonitas ipſis familiaris, ſeipſam ijs immittit; & ipſi tota uirtute dilatato ſinu ſancti deſiderij potenter ſuſcipiunt beatas immiſſiones, animalibus, & præſumptuoſis omnino incognitas. Sic igitur puris Sanctorum contemplatiuorum animabus, tam inſueto nutrimento ditiſſimè adimpletis, ſplendeſcit ipſorum ratio, dulceſcit concupiſcentia, bilareſcit iraſcibilis, ex dilectione quorum deificam illam quietem non ambigimus emanare. Hactenus D. Bonauentura.

Vnde colligendum eſt primò; quietem myſticam à ſomno item myſtico diſtingui in maiori illius præ iſto amoris ſuauitate, indeque orta tranquillitate, vel etiam in hoc quod quies ineffabilem ſomni myſtici quietem exprimat, juxta illud Regij Prophetæ Pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*; quod de quieta rerum temporalium obliuione, & diuinarum contẽplatione communiter intelligunt Patres. Dormire enim quis cum poſſit aliquando, etiam perturbatè, ac inquietè, ad denotandum ſomnum myſticum eſſe quietiſſimum coniungitur vtrumque verbum, *dormiam*, & *requieſcam*; alia verſio, qua vtitur Caietanus habet: *Iacebo, & requieſcam*, vt enim ipſe notat, iacere, ſiue quieſcere, vt plerumq; idem ſignificat ac iacere, vt Geneſ. 8. dicitur arca requieuiſſe menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ, ſic inquam iacere abſque dormitione inquietudinis eſt, dormire autem abſque cubitu ſollicitudinis, vndè cum vtrumque abſit à myſtica vnione animæ cũ Deo, vel abſit à ſomno myſtico, cui quies adiuncta, & ſecura tranquillitas, idcirco ad illud ſignificandum, vel denotandũ, Myſtici vtroque vtuntur verbo dormiendi, & requieſcendi, ſeu iacendi, vel nomine ſomni, & quietis.

Habetur ſecundò, quod etſi Deus aliquando gradum hũc orationis quietis concedat etiam proficientibus, imo & incipientibus, ipſe enim ſua elargitur dona quibus vult, quando vult, & quomodo vult, tamen, vt rectè aduertit Sancta Mater Thereſia manſ. 4. cap. 1. ordinariè non datur niſi animabus iam in oratione, virtutumque omnium exercitio apprimè verſatis, vel vt ait D. Bonauentura *Solis valde ſpiritualibus*; ita ut cauſa materialis, ſeu diſpoſitiua ad quietem myſticam ſit præuia orationis, uel contemplationis proprio labore cum diuina gratia exercitæ frequentia. Quam etiam eadem S. Mater Itineris, ſeu viæ perfectionis cap. 30. docet naſci ex receſſu interno, vel ut ipſa ait ex oratione recollectionis, de qua agemus infra.

Quia autem de hac quiete myſtica, quam orationem quietis appellat omnium perfectiſſimè, & ex propria experientia, ſiue Theodidacta ſcripſit, præcipua notabo loca, quibus primo eius naturam, tum varios effectus explicat, & ultimo illa, in quibus uaria circa hunc orationis tradit monita. Igitur cap. 31. uiæ perfectionis, & cap. 14. uitæ ſuæ potiſſimum declarat quietis naturam; effectus autem cap. 14. & 15. uitæ ſuæ; nec non manſione 4. cap. 1. 2. 3. & 11. monita autem reperiuntur lib. uitæ cap. 15. Viæ perfectionis cap. 31. fundationum cap. 11. ubi uideri poſſunt, hic enim ea tranſcribere non uacat.

Tertio, quod ait D. Bonauentura præcitato loco, quietem myſticam ſpectari in ratione concupiſcibili, & iraſcibili, ſic explicat Ioannes Gerſon conſiderat. 42. Theolog. Myſt. *Nam cum*, inquit, *res qualibet ſit in quiete, dum perfectionem ſuam adepta eſt illique coniuncta: & ſpiritus noſter vniatur, ac coniungatur ſummo perfectibili per amorem perfectum, neceſſe eſt, vt exindè quietetur, ſatietur, & ſtabiliatur. Sic materia in forma habita: ſic lapis in centro poſitus: ſic res qualibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippe rationalis dum coniungitur, & vnitur Deo, copulatur ſuo ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, & centrum eius, finis, totaque*

quę ipſius perfectio. Quid ergo aliud ipſa requireret, aut ad quid aliud ipſa inhiaret? Porro in ipſa anima conſidero tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicem vim eius, ſiue potentiam: quarum vna eſt concupiſcibilis: alia rationalis: tertia iraſcibilis nominatur. Concupiſcibilis tendit in bonum: Rationalis in verum: Iraſcibilis in arduum. Sic anima per has vires tendentiam habet in Benedictam, & Sanctam Trinitatem. Nimirum, quia ad eam, & eius ſimilitudinem facta eſt, eiuſque imago conſtituta. Attribuimus itaque Spiritui Sancto bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis. Attribuimus filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis. Attribuimus Patri potentiam, maieſtatem, & gloriam, & ad hanc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur, ut his uiribus ſatiatis per coniunctionem cuiuslibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totaliter ſatietur, quietetur, & ſtabiliatur.

Quod præfatus author ſic ſpeculatiuè, S. Mater Therefia experimentaliter declarat his verbis cap. 31. viæ perfectionis. *Vnde dici poteſt, quod hæc oratio,*nimirum quietis,*ſit quædam amoris diuini ſcintilla, quam Deus accendit in anima, uult enim quod anima diuinũ ſuum amorem cum ſuauitate experiatur. Hic anima manifeſtè percipit, ſed uia nõ ordinaria, quod iam multum acceſſit ad Deum, & quod parum abeſt, quin in eum per unionem amoris transformetur: non quod ipſum Deum uel externis, uel etiam internis oculis uideat, ſed quia Deus hoc ei modo mirabili, ipſiſque animę penitus ignoto manifeſtat, & ſentit prope ſe regem ſuum, quod tantam cauſat in ea reuerentiam, ut nihil ab ipſo audeat poſtulare. Simul cum hac quiete ſumma ſatiſfactio, & gaudium animæ, maximaque corpori accidit delectatio; nam anima tam læta ex hoc ſolo remanet, quod ſe prope fontem uitæ ſentiat, quod penè ſatiata ſibi uideatur, etiamſi nondum biberit, nec reputat ſibi ſupereſſe aliquid ultra deſiderandum. Tam quietæ ſunt potentiæ, quod nec audent ſe mouere, non quod ſuſpenſę ſint, uel ligatæ, imò ſentiunt ſe prope Deũ eſſe; & memoria, ac intellectus ſunt liberi ad proprias operationes, ſola uoluntas manet captiua, & Deo vnita; ſique in hoc ſtatu aliquid patitur, hoc eſt, quod ad ſuam priſtinam libertatem, ſeu proprium operandi modum redire poſſit. Nollet enim intellectus aliquid aliud intelligere, nec memoria in aliis occupari, clarè enim uident hoc vnum eſſe neceſſarium, cæteraque omnia extra illud multum inquietare. Nollent, quod corpus moueretur, timent enim uel minimo eius motu, quam poſſident pacem amittant: loqui faſtidiũ parit, & vix ſpatio unius horæ Dominicam orationem poſſunt recitare: hic accidunt quædam lachrymæ dulces, & cum magna ſuauitate profluentes: Videtur ipſis, quod non ſint de hoc mundo, nec quidquam aliud uidere, uel audire uellent, quam Deum ſuum; nihil ipſis cauſat laborem, nec cauſare poſſe videtur. Denique toto tempore, quo durat hæc pax, & interna quies, uoluntas propter delitias, quibus fruitur, ſic manet abſorpta, ut nihil ſibi ulterius uideatur optandum, & libenter cum S. Petro diceret: Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula.* Hactenus Sancta, & Seraphicá Mater Thereſia propria loquens, noſque docens experientia.

Quarto tandem aduertendum eſt, ita nomen quietis poſſe attribui orationi Incipientium, & proficientium propriè, quatenus etiam Deus eſt ipſis finis, ac centrum omnium deſideriorum, appretiatiuè illum ſuper omnia diligendo; vnde B. Laurentius Iuſtinianus libello de conflictu interiori cap. 10. diſtinguit duplicis generis orationem, ſecundum duplicem ſtatum, quietis videlicet, & pugnæ, ita vt incipientes, ac proficientes veluti pugnando, & in tentationum adhuc agone contendendo dici poſſint quieſcere, ſicque eſſe illis in labore requies, perfecti autem ſimpliciter quieſcere, abſcondente eos Deo in abſcondito faciei ſuæ ab omni conturbatione: Ita, inquam, nomen quietis largo modo ſumptum, quo quilibet

liber iuſtus in Deo tanquam in ſuo fine vltimo appretiatiuè ſuper omnia amato, dici etiam poteſt quieſcere, tribui poteſt orationi Incipiẽtium,& Proficientium propriè, vt tamen illa,quam huc vſque deſcripſimus, vocaturque ſimpliciter myſtica ſolis duntaxat perfectis propriè, & ex vi ſui ſtatus competat. Et ad hanc orationis ſpeciem, ſeu internæ quietis ſtatum ait S. Mater Thereſia Manſ. 4. cap. 1. multas quidem pertingere animas, præſertim religioſas, ſed paucas eſſe,quæ ſuperius aſcendant: vnde opus eſſe, quod anima in hoc gradu conſtituta agnoſcat dignitatem ſuam, & cum humili reuerentia ſibi conceſſam æſtimet gratiam, vt ſic euitet periculum redeundi in Aegyptũ, & aſſumat animum vlterius procedendi in terram cæleſtis promiſſionis.

Sed cum in Sacra Scriptura variæ huius quietis ſignificandæ ſint figuræ; varijque loquendi modi, vel phraſes; Geneſ. 9. Tabernacula ſem. *Dilatet*, inquit Noe, *Deus Iaphet*, *& habitet in tabernaculis Sem.* Et cap.49. vbi Iſſachar vaticinatus eſt Iacob: *Vidit requiem quod eſſet bona, & terram, quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandũ.* Exodi 3. terra ſancta,fluens lacte Iſraelitis promiſſa, ad quam poſt longam, & laborioſiſsimam peregrinationem deuenerunt. Templum Hieroſolymitanum, ad quod alludens Regius Propheta ait Pſalm. 131. *Surge in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.* Seſſio ad menſam, ſiue accubitus,& requies menſæ, iuxta illud Iob. 36. *Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine.* Habitatio, vel ſeſſio ſub vite, & ficu, lib.3. Reg. cap.4. Zachariæ 3.& Mich. 4. nec non ſub vmbra Cant.2. *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cum, inquam, his, alijſque ſimilibus tum figuris, tum phraſibus, non incongruè ſignificari poſſint ſingularia quietis myſticæ priuilegia, de quibus videri poſſunt Sacri Interpretes; quæ tamen myſticis magis eſt familiaris, eſt illa, quæ deſumitur ex cap.2. Geneſ. vbi dicitur: *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* Cum enim ſeptimus dies, quo dicitur Deus quieuiſſe ab omni opere ſuo ſit Sabbathum Exod. 20. 10. vel dies Sabbathi Deuter. 5. 14. Inde quies myſtica Sabbathiſmus appellatur; nihilque aliud eſt Sabbathiſmus myſticus, quam ipſa quies myſtica; Sicut Sabbathizare nihil etiam eſt aliud, quam quieſcere ab opere, vacare, ociari, vt dicitur Exodi 16. *Sabbathizauit populus die ſeptimo.* Et Leuitici 25. *Sabbathizes Sabbathum Domino.*

Igitur quemadmodum Sabbathiſmus legalis non erat quæcumque quies, aut vacatio ab omni opere abſolutè, ſed à ſeruili tantum, quatenùs dies Sabbathi erat dedicatus diuino cultui; ita quoque quies myſtica, vel Sabbathiſmus, iners ocium putari non debet, aut vacatio ab omni prorſus actu animę contemplatiuæ, ſed eſt vacatio iucundiſſima ab omni actu, qui moleſtiam, vel laborem poſſit parere,quales ſunt actus Incipientium,& Proficientium proprio labore, & induſtria, non tamen ſine diuina gratia exerciti, vt exerceat illos duntaxat, ad quos in quiete myſtica, tanta cum ſuauitate, tantaque à Spiritu Sancto facilitate mouetur, vt quaſi ociari, nihilque agere videatur, cum tamen tunc in excellentiſſimis tum intellectus, tum voluntatis actibus occupetur; vt diximus ſupra; & expreſsè etiam docet Beatus Laurentius Iuſtinianus libello de conflictu interiori cap. 10. ſcilicet, *Intellectum contemplari Deum purè, vel in caligine per ſimplicem quandam intuitionem. Deinde, quod fide antea vt certiſſimum habebat, veluti per experientiam intelligere: ſe nimirum à Deo uideri, adflari, manuduci: ſe prope Deum conſiſtere, illi adhærere, illius beneficio uiuere: illum ad exaudiendum promptiſſimum eſſe. Atque ideo gaudet, & quieſcit, tanquam puerulus in ſinum matris receptus, aut in vlnis baiuli.* Sentit

etiam ſe ad laudandum Deum incitari internis facultatum rationalium actibus; iubilat corde, non ore: petit, non verbis, ſed deſiderijs; poſtulat, non gutturis, ſed pectoris gemitibus, non dolorem, ſed inexplicabilem, liquidiſſimamque voluptatem ſpirantibus. Hactenus ex præfato authore de officijs quieſcentium, ſiue Sabbatiſmum myſticum celebrantium.

Quamuis autem Sabbathiſmus myſticus ſumi poſſit, ſicut & quies, largo modo, ſiue vniuerſim pro vacatione à quocumque opere malo, ſiue à Deo retrahente, atque ita competere magis, vel minus perfectè tam Incipientium, quam Proficientium ſtatui; attamen ſtrictè ſumptus, prout illum huc vſque explicuimus, & vocat Iſaias cap. 58. 13. *Sabbathum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum*, non conuenire niſi Perfectis, qui diu ſe in virtutum ſolidarum muneribus exercuerint, probat Sanctus Auguſtinus lib. 4. in Geneſ. ad litt. cap. 15. ex eo, quod Deus initio mundi non requieuerit, niſi peracto vniuerſo opere ſuo: vt enim rectè ait præfatus Sanctus Doctor: *Et ipſe quidem, nunquam ipſa requie caruit, ſed nobis eam per diem ſeptimum oſtendit. Hinc etiam ſignificans non percipi requiem ſuam niſi à perfectis, cum ad eam inſinuandam non deputauit diem, niſi qui perfectionem rerum omnium ſequebatur.*

Porro noſter Michael Aiguanus, alias Incognitus in Pſal. 94. ſecundum triplicem differentiam ceſſationis ab opere, triplicem quoque diſtinguit requiem myſticam, ſiue Sabbathiſmum. Prima eſt requies iuſtorum: Secunda, requies contemplatiuorum: Tertia, requies beatorum. Prima eſt contra laborem culpæ: Secunda contra laborem vitæ actiuæ: Tertia contra laborem omnis miſeriæ. Secunda, & tertia primam ſupponit. Ad tertiam perueniri poteſt ſine ſecunda, modo præceſſerit prima. Secunda tamen eſt typus tertiæ: & hæc finis tum ſecundæ, tum primæ: De quibus ibi videri poteſt.

Sextum Symbolum verbale eſt nomẽ *ſeceſſus interioris*, alias *recollectionis*. Cum enim duplex ſit ſeceſſus, exterior vnus, interior alter, non agimus in præſenti de primo, quamuis apprime ſecundo vtili, iuxta illud Oſeæ 11. 14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*, ſed ab illo metaphoram deſumimus ad ſignificandum ſecundum. Quocirca ſicut ſeceſſus exterior eſt ille, quo quis ſtatis horis, aliorum conſortio tantiſper excluſo, orationis gratia in ſolitudinem, vel ſecretum aliquem locum ſe abducit, cuius exemplum Chriſtus Dominus, licet illo minimè indigeret, ſemper, vel in medijs turbis ſolitarius, nobis dedit, orandi etiam gratia ſecedens in ſolitudinem, & montium remota petens: noctem quoque eligens tempus quietum, & contemplationi aptiſſimum; vltimo autem tempore, vt perfectiſſimum huius ſeceſſus documentum nobis relinqueret, non ſolum vrbem deſeruit, agrum, hortumque adijt, ſed auulſus inſuper eſt, non tantum à cœtu Apoſtolorum, ſed à tribus etiam illi cariſſimis ad iactum lapidis, vt in ſuo Sacro legitur Euangelio; ita ſeceſſus interior, vel myſticus vniuerſim eſt, animæ contemplatiuæ, omniumque eius potentiarum ab exterioribus, aut ſenſibilibus abductio, & veluti ad ſeipſam, vt ſibi tantum, Deoque intra ſe exiſtenti vacet plena collectio.

Cum autem huiuſmodi ad interiora ingreſſus duplex ſit; ſiue bifariam poſſit anima ſe colligere vel actiuè, hoc eſt, propria diligentia, & conatu ſimul cum ordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs; vel paſſiuè, hoc eſt, Spiritu Sancto ipſam intra ſe extraordinaria gratia ad ſe rapiente, & tranſportante; licet prior ſeceſſus, vel recollectionis modus largo modo myſticus vocari poſſit, competatque tam Incipientibus, quam Proficientibus, poſterior tamen, & ſimpliciter talis, viæque vnitiuæ proprius, & per illum myſtici intelligunt illũ vnionis, vel orationis modum, quo anima, plerumque etiam antequam de Deo

 cogitet,

cogitet, imo aliud agens, ipſomet Deo immediatè vocante, & potentias omnes tum externas, tum internas à ſenſibilibus auellente, vt ſoli Deo vacent, in cordis conclaui veluti compingitur, ibique detinetur.

De primo non incongrue intelligitur, quod ait Chriſtus Dominus Matth. 6. *Cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*. Vt enim ait Diuus Auguſtinus ſerm. 59. de temp. *Cubiculum quod nominat, non occultam domum oſtendit, ſed cordis noſtri ſecretum: claudendum ergo eſt oſtium, ut oratio ſpiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimo cordis, vbi oratur Pater in abſconſo; non monet nunc, ut oremus, ſed quomodo oremus*. Et Diuus Bernardus in formula honeſtæ vitæ; *Cum oraueris, non impleas aures audientium ſingultibus, & ſuſpirijs, ſed intente ora Deum in cubiculo cordis tui*. Idem etiam docet Diuus Thomas in præfatum S. Mathæi locum; *Per cubicula noſtra*, inquit, *intelligenda ſunt corda noſtra. Oſtium eſt carnalis ſenſus, foris ſunt omnia temporalia, quę per ſenſum cogitationes penetrant, & turba uariorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum ergo eſt oſtium ſenſus, ut oratio dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abſcondito; unde ſequitur: Et Pater tuus, qui uidet in abſcondito reddet tibi*.

Sancta autem Mater Thereſia Cap. 28. Vię Perfect. de hoc interiori ſeceſſu agens, ſiue de oratione recollectionis ordinaria, hoc eſt, non ſuperante modum humanum diuina gratia adiutum, vt explicat Diuus Thomas loco ſtatim citato, ad illam refert, quod ait Sanctus Auguſtinus, poſtquam Deum extra ſe multis in locis quæſiuiſſet, ibique fruſtra laborando non inueniſſet, tandem ad ſeipſum reuerſum, & intra ſe collectum in intimo cordis ſui centro reperiſſe: Docetque inſuper plura ad hunc orationis modum ſpectantia; *Primumque* ijs, qui facile diſtractiones patiuntur, ualde utilem eſſe, ſeu plurimum intereſſe, hanc ueritàtem capere, quod Deus eſt intra nos ipſos, & quod ad eius colloquium, non opus ſit cælum aſcendere, uel alta uoce clamare: certum cum ſit, quod, ubicumque anima Deum alloqui uoluerit, quantumuis ſubmiſſe loquatur infallibiliter tãdem exaudietur. *Secundo*, hunc eumdem orandi modum cum interiori recollectione ſui, contemplando Deum intra ſe, etiam ſi uocalis ſit, maxime cum breuitate colligere intellectum, multaque ſecum afferre bona; & ideirco nocari recollectionis, quia ſuas omnes potentias anima colligit, & in ſeipſam ueluti intrat, ibique Magiſter cœleſtis illam inſtruit, breui orationem quietis ei conceſſurus. *Tertio*, animam ita in ſeipſa collectam, poſſe myſteria Paſſionis Chriſti conſiderare, eumque ſibi tunc repræſentatum Aeterno Patri offerre; nec opus eſſe, quod ad Caluariæ Montem, uel ad horrum oliuarum, nel ad columnam ſua diſcurrat imaginatione, cum hęc, & ſimilia facile intra ſe concipere ualeat. *Quarto*, poſſe diuerſis acquiri medijs, nimirum ab omni re exteriori nos liberando, ut interius uacemus; ſique neceſſaria inſtet occupatio, ſaltem per momentum identidem in penetrali cordis nos includẽdo; Item aſſueſcendo intellectum, ut attendat his, quæ coram Deo effundit uerba, ad hoc enim neceſſe eſt ſenſus etiam intra ſe colligere, ibique eos occupare; tum denique multum dolendo, quod Deum intra nos exiſtentem, nam vt ait Diuus Auguſtinus lib. 4. Confeſſ. cap. 12. *Deus intimus cordi eſt*: & ſerm. 44. de temp. *Corda fidelium cælum ſunt*, ſæpiſſimè tamen ſolum reliquerimus.

De altero autem paſsiuo ſcilicet, receſſus interioris, uel recollectionis modo, perfectorum proprio, maximè intelligendum eſt, quod ait Chriſtus Dominus Lucę 17. 21. *Regnum Dei intra vos eſt*. Huncque præfata S. Mater Thereſia ait Manſione 4. cap. 3. eſſe ſupernaturalem, non ſolùm quia fit ex gratia, cum etiam hac ratione ſit ſuperna-

pernaturalis alter, iam dictus recollectionis modus, uerum etiam, quia ex ſpeciali, & ſingulari motione Spiritus Sancti contingit, nihil ad illum concurrente induſtria intellectus Deum intra ſe per fidem conſiderantis, uel imaginationis eum ſibi efformantis; etſi enim dubium non ſit, quin optima ſit ad illum diſpoſitio actiua animæ recollectio, quinque paſſiuam Deus ordinariè communicet illis, qui diu in actiua ſe exercuerint, formaliter tamē in ea non conſiſtit, ſed eſt in nobis, ſine nobis; uel potius à nobis, ſine nobis, quia licet eliciriuè ſit à nobis, & conſequenter in nobis, tanquam actus uitalis immanens, quia tamen non humano, ſed diuino modo, idcirco dicitur eſſe ſine nobis, quia non ex propria induſtria, ſicut & alia quæcumque myſtica Dei operatio. Indeque contingit ex eadem S. Thereſia, quod antequam quis de Deo cogitet, ſæpe eius potentiæ interius colligantur, quaſi uoce Diuini Paſtoris adductæ. Memoria enim in res diuerſiſsimas uagari ſolita, tunc non ſecus, ac ſi unica ſolùm conſignata eſſet ſibi dilecti imagine, illum ſolū repræſentat: illi immoratur, nec per uaria diſtrahitur. Intellectus autem nullius alterius contemplatione uel notitia occupatur; ſed ſuauiſsimè, & quietiſsimè, unicum illum, quem fide credit, perpurgato inſuper intelligentiæ oculo per ulteriora Spiritus Sancti dona lumenque illis correſpondens intuetur, ut dicetur ſectione ſequenti. Voluntas pariter nihil extra illum ipſum, nihil extra cordis penetrale, nihil in rebus ullis creatis quęrit, quod amet, aut ullo modo deſideret. Senſus etiam interni, imo & externi migrare quodāmodo uidentur, & à rebus ſenſibilibus diſcedere, ſe ſeque in cordis domicilium recipere.

Quin autem ex citata S. Thereſia, licet hæc interna collectio, eaque ſuauitate plena percipiatur, non tamen facile concipitur quomodo fiat, monet animam tunc cum ſuaui potentiarum ſilentio, de quo mox agemus, & interna mentis quiete, Deo, quem præſentem, inſpicientem, & auſcultantem percipit, adhærere debere; & amoroſo potius intuitu, quam formato diſcurſu cum eo colloquiimo quod ſi ueller illum formare, ſuam quietem, & intimā Dei communicationem turbatura eſſet. Debet ergo, inquit illa, ſic intra ſe, & ad Deum collecta anima, ſe totum ipſi dirigendam committere, nec de quouis alio curare; quælibet namq; eius operatio, uel propria aduertentia ſacrum hoc otium impedire poteſt, & imaginationem ad operationes diſtractius excitare: quando enim ſuſpendit Dominus intellectum à ſua connaturali operatione, in alia ſolet eum occupare, communicata ei ſuperiori, perfectiorique luce; tuncque breui plus diſcit tempore, quam longo diſceret adhibita quacunque propria induſtria ſua.

Taudem in effectum ſimul, & ſignū huius ſeceſſus interioris, ſiue orationis recollectionis, aſsignat primò, quod anima tunc res omnes mundanas, & caducas ut tales reputat, & deſpiciendo uelut ſtercora arbitratur, quantumcumque prius illas aliqui faceret; imo ſic abhorret, ut nec uidere uellet. Secundo, quod clauſis oret oculis, qui in hoc eſt ſtatu, ſummamque animæ fortitudinem experiatur, quamuis corpus debilitetur. Tertio, quod ei nullus indè ſuperbiæ, uel ęſtimationis ſenſus, uel motus oritur, ſed maioris potius humilitatis ſit occaſio; dum tot tātaque conſpicit in ſe Dei beneficia, & aliunde ſe eſse illi ingratiſsimum; hoc enim habet proprium lux diuina in hoc ſublimi ſtatu communicata, quod ita mirabilem animæ profectum oſtendat, ut ſimul manifeſtet eſse donū Dei uiliſsimæ, & ingratiſsimæ conceſſum creaturæ. Hactenus de hoc ſymbolo uerbali, ſiue de oratione recollectionis ex doctrina, & experientia S. M. Thereſię.

Septimum ſymbolum verbale vnionis

nis diuinę Perfectorum propriæ eſt nomen Silentij: quod vt propriè loquendo ſignificat ceſſationem à loquendo, proindèque refertur ad linguam, ita impropriè, vel metaphoricè transfertur ad ſignificandum in anima, & potentijs eius quamdam earum ab operationibus, tanquam à loquutionibus internis ceſſationem. Loquitur enim anima per intellectum petendo, poſtulando, laudando, alijſque modis, quod intus gerit declarando: per voluntatem optando, deſiderando, aſpirando. Ita vt ſilentium Myſticum, vel vnio Perfectorum ſic denominata, quæque etiam oratio, vel contemplatio ſilentij vocari poteſt, nihil ſit aliud quam animæ in ea abſorptæ quodammodo, & velut ſtupefactæ ceſſatio à ſolitis illis ſuis operationibus, modo ſcilicet humano exercitis, vt alias tunc modo diuino ex ſpeciali Spiritus Sancti motione eliciat, præſertim admirationis diuinæ veritatis, ac pulchritudinis, ſummæque in ea delectationis; tum attentionis ad audiendum, quid ipſi dilectus loquatur ad cor. Tale enim ſilentium non poſſe eſſe ceſſationem ab omni prorſus operatione interna ſatis patet ex dictis, & oſtendetur infra.

Vnde quod ipſi ſolet attribui illud Regij Prophetæ Pſal.64. *Te decet hymnus Deus in Sion*; quod S.Hieronymus legit. *Tibi ſilentium laus Deus in Sion*: non debet intelligi, quaſi Deum laudare, aut magnificare poſſimus, ceſſando ab omni prorſus operatione interna, ſed quia nobis id proprijs viribus, propriaque induſtria ſatis præſtare non valentibus, proptereaque humiliter ſilentibus, iuxta illud Eccleſiaſtici 43. *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum poteſtis: maior enim eſt omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, ſicut eſt ab initio?* ipſemet Spiritus Sanctus in nobis operans facit interdum nos Deum laudare modo extraordinario, ita vt poſſimus dicere, nos non eſſe, qui tunc loquimur, aut laudamus, ſed ipſum, qui loquitur, & laudat in nobis. Eodem ſenſu loquitur S. Dionyſius, dum frequenter aſſerit arcana cæleſtia ſilentio veneranda eſſe; cap.1. de Nomin. Diuin. *Cum abſtruſam*, inquit, *diuinitatem, quæ mentem, eſſentiamque ſuperat ſanctis mentis venerationibus, quæ inueſtigari non poſſunt; ea autem quæ verbis exprimi nequeunt moderato ſilentio honoramus, ad radios, qui nobis in Scriptura Sancta lucent, nitimur, ab iiſque ad diuinas laudes ab iiſdem præſtanti modo illuſtrati, atque ad ſacras laudationes inſtituti, &c.* Tale autem ſilentium proprium eſſe Theologiæ myſticę docet cap.3. de ea: *Hoc tempore*, inquit, *in caliginem, quæ mentem ſuperat, introeuntes, non breuem orationem, ſed ſilentium, & intelligentiæ priuationem reperiemus*.

Permanendo autem in metaphora ſilentij, vt eius propriè dicti, ſiue quod linguam aliquando ſoluere non poſſimus, plures ſunt cauſæ, ſcilicet magnitudo, & nouitas rei, vt de Regina Saba legitur lib.3. Reg. cap. 10. *Quod videns omnem Sapientiã Salomonis*, &c. *non habebat vltra ſpiritum*. Item magnus amor, vel dolor, ſic enim habetur Iob 2. quod tres ipſius amici eum viſitantes, *ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum*. Tum reuerentia, & veneratio, quare ait Daniel cap.10. *Cumque loqueretur mihi huiuſcemodi verbis*, ſcilicet vir veſtitus lineis quem ibi deſcribit, *deieci vultum meum ad terram, & tacui*. Cum in contemplatione ſupernaturali, & à Deo infuſa, multò magis omnes iſtæ, & ſimiles vrgeant cauſæ, mirum non eſt, ſi tunc loquente Deo, omnia in homine taceant, dicique de illo poſſit illud Ierem. Thren.3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe*.

Porrò huiuſmodi ſilentium myſticum poſſe diu continuari, dubium non eſt, ſi Dei illa eſſet voluntas, concurreretque efficaciter ad ceſſationem opera-

operationum ſenſibilium externarum, & quarumdem internarum, interim dum anima in ipſo quieſcit, & ipſe viciſſim in illa; nam vt ait Diuus Bernardus lib. de modo bene viuendi ad ſororem ſerm.30.explicans illud Apocal. 8. *Factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora*; *Cælum eſt anima iuſti, ſicut Dominus per Prophetam dicit: Cælum mihi ſedes eſt. Cum ergo quies contemplatiuæ vitæ agitur in mente ſilentium fit in cælo; id eſt, in anima, quia ſtrepitus terrenarum rerum, atque operationum ceſſat in cogitatione*; de facto tamen non ſolere diu durare, docet idem Bernardus ibidem ſubiungens: *Sed quia contemplatiua vita in hoc mundo non poteſt eſſe perfecta, nequaquam hora integra factum dicitur ſilentium in cælo, ſed quaſi media hora*. Quod idem habet ſer. 67. & libello de amore Dei cap.4. nec non ante ipſum D. Gregorius lib.3. moral. cap.12. explicans illud idem Apocal. *Factum eſt ſilentium in cælo, quaſi media hora*; & illud Ezechielis 40. 5. *In manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum*, vbi loquitur de menſura Sanctæ Ciuitatis, quæ erat in manu Angeli. *Si enim*, inquit Gregorius, *cubitus operationem, & ſenarius numerus eius perfectionem, palmus verò vim contemplationis deſignat: quid eſt, menſuram illam ſex cubitos integros habere, & ad ſeptimum non peruenire: niſi animam viri perfecti in hac vita actione quidem perfectam eſſe: ſed in contemplationis perfectione non diu poſſe durare*. Vt autem in poteſtate hominis non eſt ſilentium myſticum hoc, ſicut nec alios infuſos contemplandi modos primùm habere, ita nec illud continuare; poteſt tamen ad illud ſe diſponere, iuxta illud Iſaiæ 32. 17. *Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium*. Quatenus ibi metonymicè ſumpta cauſa pro effectu, ſignificatur, quod præmium, & merces actionis iuſtæ, religionis perfectè cultæ, pietatis exactè ſeruatæ, erit tandem in anima, vel fiet in illa abſque vlla propriarum eius operationum perturbatione, diuinum ſilentium, Deo ſolo tunc loquente, & ipſa audiente. Vt enim iam notauimus vocatur hæc oratio ſilentij, eo quod Deus in ea loquatur, anima tacente, maximaque attentione audiente, quod cæleſtis eius magiſter ad cor ipſius loquitur, docet, ac de ſe ipſo, ſuiſque myſterijs manifeſtat; non verò, quod animam tacere, & in ſilentio expectare, ſit potentias eius interiores omninò ſuſpenſas eſſe, nec vllos proprios actus exercere, hoc enim eſſe impoſſibile ſtatim oſtendemus, agendo de ſuſpenſione.

Tandem quod attinet ad huius ſilentij myſtici, ſiue in ſilentio orandi vtilitates, vel effectus plures ſunt. *Primus* maioris laudis diuinæ, Deus enim excellentiſſimo non poteſt non laudari modo, dum tacendo proteſtamur eum eſſe ineffabilem, poſſeque tantum à ſemetipſo dignè laudari. *Secundus* eſt, maioris erga eum gratitudinis; ſi quidem dum quis conatur laudando, gratiaſque agendo, aut alio modo commendando, & extollendo beneficium explicare, quaſi luctatur cum benefactore, vt dicendo vincat, vel æquet, quod non eſt tam magnum illud agnoſcere; ac, quando ſe ab eius magnitudinem victum profitetur, eique propterea cedit ſilentio. *Tertius* effectus, vel fructus eſt profundæ humilitatis, eum nedum rerum, quas contemplamur, copia nos inopes in loquendo faciat; verum etiam propria ignorantia, nec non verborum tam externorum, quam internorum penuria: vt iure meritò anima ad ſupremum vnionis cum Deo gradum ſupra ſe eleuata, dicere poſſit cum Ieremia 1 6. *A. a. a. Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum*; nec non cum Apoſtolo 2. Corint. 12. *Audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui*; Quatenus, vt iam notauimus, propria animæ operatio in ſilentio myſtico, non ſe habet per modum locutionis, ſed auditionis, in eumque, loquente Deo, modum ipſa audiens operatur, quo diſcipulus, dum

ſui

ſui magiſtri lectiónem tacens audit, operatur interius aliquid percipiendo, intelligendo, ac ſentiendo quod magiſter docet. Vndè hæc oratio dicta ſilentij non conſiſtit in hoc, vt ineptè fingunt aliqui, quod anima ad illam à Deo eleuata nullum prorſus actũ exerceat; nec quod ſola lingua taceat, cum hoc omni orationi mentali conueniat, nec propterea quod internæ potentiæ ſemper omninò conticeſcant, ſiue ceſſent ab omnibus ſuis operationibus proprijs, ſed in eo duntaxat occupentur, quod à Deo accipiunt, iuxta illud Regij Prophetæ Pſal.84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, qui tunc Magiſtri officium ſpecialiter facere dignatur, & ad cor loqui, ſuas ei veritates reuelando, ac vehementer ad eaſdem alliciendo, non adhibente propriam induſtriam homine, vt alias ſolet ad ſuas meditationes, petitioneſque cum magnis affectibus inſtituendas.

Octauum ſymbolum verbale ſignificatiuum vnionis myſticæ, eſt nomen *ſuſpenſionis*, vnde etiam denominari poteſt *oratio ſuſpenſionis*. Cum autem multiplex ſit huius nominis ſignificatio; *Primò* enim ſumi poteſt pro ſubleuatione alicuius rei in altum; *Secundò*, pro animi dubitatione, vel anxietate, ex ſatis enim communi modo loquendi, dubius anxiuſve Latinè dicitur ſuſpenſus, & in hoc ſenſu putant aliqui Lucæ 19. verſu vltimo dici, populum fuiſſe ſuſpenſum, audiendo Chriſtum; *Tertio* pro ſtupore, quo ſenſu alij intelligunt hunc eumdem D.Lucæ locũ, ita vt populus dici ſuſpenſus, idem ſit ac ſtupens, vel mirabundus, & attonitus. *Quartò* pro prorogatione, quo pacto latus frequenter dicitur aliquod negotium ſuſpendi, hoc eſt, prorogari, vel differre. *Quintò* pro ceſſatione, vel priuatione alicuius officij, aut vſus illius; qua ratione ſuſpenſio Eccleſiaſtica dicitur, eſſe cenſura priuans Clericum vſu Ordinis, beneficij, & officij Clericalis: Cum his, inquam omnibus modis ſumi poſſit nomen ſuſpenſio, difficultas quoque eſſe poteſt, iuxta quem illorum metaphoricè transferatur ad ſignificandam ſuſpenſionem myſticam, vel vnionem animæ cum Deo, vt ſuſcipit denominationem orationis ſuſpenſionis.

Pro quo dico primò non ſumi pro ſubleuatione corporis in altũ; plerumque enim datur huiuſmodi ſubleuatio ſine ſuſpenſione, & vice verſa ſuſpenſio ſine ſubleuatione; in iſta igitur conſiſtere non poteſt ſuſpenſio myſtica.

Secundò ſumi non poteſt, pro animi dubitatione, vel anxietate, quæ incompoſſibiles ſunt, cum perfectiſſima potentiarum omnium tranquillitate, & quiete, ſimili illi, quæ in mari cernitur, dum nulla, vel minima aura commouetur, qua anima Deo vnita fruitur in hoc ſublimi orationis, vel contemplationis gradu.

Tertiò minus accipi debet pro prorogatione; etſi enim plena, ac perfecta Dei vnio & poſſeſſio vſque ad alteram differatur vitam; quæ tamen actu habetur in præſenti ex ſingulari Dei beneficio, ſatis patet in hoc ſenſu ſuſpenſionem myſticam appellari non poſſe prorogationem; cum ſit actualis fruitio Dei.

Quartò, nomen ſuſpenſionis, vt ſignificat ſtuporem, vel admirationem, poteſt extendi ad ſignificandum ſuſpenſionem myſticam, ſiue orationem ſuſpenſionis, in qua anima huiuſmodi communicationibus, ac impreſſionibus diuinis inaſſueta, non poteſt non eſſe tota mirabunda, remanereque attonita.

Quintò, poteſt quoque, vt ſignificat ceſſationem, transferri ad denotandum in vnione myſtica ceſſationem nedum ab omni, vel exiguo paſſionum vento, à qualibet, vel minima aliqua perturbatiuncula, verum etiam ab omni tunc operandi modo naturali, non tamen ab omni operatione abſolutè, vt mox probabimus, ita enim ceſſat à naturali, vt det locum ſupernaturali, & diuinæ opera-

operationi. Vndè ſuſpenſio myſtica eſt ipſamet perfectiſſima, diuinituſque infuſa ad id, quod tunc animæ contemplandum obijcitur attentio, & rerum omnium inferiorum obliuio. Vel ex alijs: Mentis in vnum defixio: Immobilis contemplantis intentio: In vnum idemque animi immobiliter permanentis collimatio: Immutata intelligentiæ in contemplatione perſiſtentia. De quibus conſuli poteſt Richardus Victorinus lib. 1. de Contempl. cap. 5.

Quamuis ergo dubium non ſit, quin homo poſſit ſuſpendere actum omnem intellectus, & voluntatis, vt patet primo in ſomno naturali. Secundo etiam in vigilia, cuius variæ ſolent aſſignari cauſæ, vt in ebrijs nimia vaporum copia cerebrum implentia: in phræneticis nimius ſpirituum feruor illos conturbans: aut alius humor malignus: quandoque vapor noxius, odore enim diuerſarum rerum, vt tabaci, opij, aliorumque ſimilium narcoticorum, hominem vſu rationis priuari manifeſta conſtat experientia. Omnino tamen negandum eſt, contingere aliquando, quod anima in contemplatione poſita ita ſuſpendatur, vt ab omni actuali operatione tam intellectus, quam voluntatis ceſſet: & tamen orare, ſiue apud Deum genus quoddam altiſſimæ contemplationis exercere cenſeatur.

Ratio eſt, quia oratio mentalis tam acquiſita, quam infuſa, ſiue extraordinaria eſt eſſentialiter operatio tum intellectus, tum voluntatis, definitur enim communiter à Patribus aſcenſio, vel eleuatio mentis in Deum; ſiue eſt vnio animæ cum Deo in ratione cogniti, & amati: implicat igitur, quod oratio mentalis actualis propriè dicta poſſit exiſtere, aut conſeruari in proprio ſuo, ac formali eſſe, abſque omni intellectus & voluntatis actu. Sicque dormiens, non dicitur actualiter orare, quamuis ante ſomnum orauerit, nonniſi quia ceſſat ab omni operatione voluntatis, & intellectus, quam dicit oratio; ſiue nullam actu exercet operationem, quæ ad orationis ſubſtantiam ſpectet, nihil ſcilicet petendo, aut deſiderando à Deo, neque ad illum cogitatione, aut voluntate aſcendendo.

Dicitur ad orationem mentalem neceſſarium eſſe aliquem actum intellectus, aut voluntatis erga Deum, ad diſtinctionem orationis vocalis, quæ dici poſſet perſeuerare, quamuis ceſſaſſet actio intellectus, & voluntatis, modo virtute permaneret illa, qua inchoata fuit, quia vocalis oratio, qua talis addit ſupra mentalem expreſſionem verborum, in qua illa virtute perdurare poteſt. At mentalis oratio, cũ in actu interno conſiſtat, ac conſummetur, illo intereunte ne intelligi quidem poteſt. Quemadmodum enim ex hoc, quod ad orationem vocalem, vt talem requiritur indiſpenſabiliter verborum expreſsio, concipi ſine illa non poteſt, ita nec mentalis, vt talis, ſine aliqua interna locutione, quæ fit per actus intellectus, aut voluntatis.

Vndè ſi qui Theologi Myſtici, uel antiqui, vel moderni contrarium aſſererent, omninò corrigendi eſſent, talem enim fingere orationem, in qua nec intellectus, nec voluntas operantur, ſed omnes prorſus eorum actus ſuſpendantur, eſt velle, hominem manere otioſum, tempuſque amittere, & exponere ſe periculo, quo imaginatio mille deliria proferat, aut dæmon prauas ſuggerat, & alienas cogitationes. Vel benignè explicandi, dum ab oratione infuſa videntur excludere omnes operationes, eos nimirum loqui de illis, quæ circa res alias, & extra Deum quoquo modo verſantur: aut quæ aliquo modo propriæ ſunt ipſius hominis, & à proprio ſpiritu profectæ, & quaſi propria inquiſitione inchoatæ. Nam cùm anima in altiſsima contemplatione à Spiritu Sancto mouetur, non debet aliquid propriæ actionis miſcere: ſed Spiritus Sanctus ductum ſequi, quamuis id non faciat abſque vera efficientia, & cooperatione noſtra. Aut quia Spiritu Sancto ita eam mouente, tanta

tanta cum ſuauitate, & quiete operatur, vt quaſi otioſa eſſe, & ab omni prorſus operatione vacare videatur. Aut tandem oratio ſuſpēſionis dicitur, neque intus, neque foris quicquam operari permittere, quia non ſinit voluntatem in alium amorem prorumpere, quam ſimpliciſsimum illum, & vnitiuum; nec tunc intellectum alteri functioni vacare, quam vni illi, quæ in caligine eſt ſimplex, & abſque vllo diſcurſu veritatis intuitio. Quæ adhuc tam intuitio, quam dilectio non incongruè à nonnullis vocanrur *paſſio*, ſed viralis, quæ operationem eius, qui patitur neutiquam excludit. Potius autem vocatur *paſſio*, quam *actio*, eo quod, quia eſt à Spiritu Sancto animā peculiari quadam motione valde diſtincta ab illa, qua ordinario modo, & communiter mouerur, eleuante, ea potius agitur, quam agat iuxta phraſim D. Pauli Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur*; nec non Diui Dionyſij eius diſcipuli, qui ſcribit de diuino Hierotheo, quod eſſet patiens diuina, quaſi in agendo cum Deo, diuiniſque rebus recipiendis potius ſe haberet, vt diſcipulus doctrinam ab alio recipiens, quam ſicut homo, diligentia, & induſtria ſna veritatem quærens, quam non aſſequitur.

Huic myſticæ ſuſpenſioni vix, aut parum à ſilentio myſtico diſtinctæ, vt mox dicemus, ſolet accommodari illud Iob 7. 15. *Elegit ſuſpendium anima mea*; Etſi enim ibi litteraliter loquatur de ſomniorum cruciatu, cum præmiſiſſet; *Terrebis me per ſomnia, & per viſiones terrores concaties*; quaſi ipſi tolerabilius, aut leuius foret, laqueo, ſtrangulatione, aut ſuſpendio tot malis finem imponere, quam ita cruciari: Nihilominus D. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 13. id myſticè intelligit de contemplatione, vel mentis intētione; dum ait: *Quid per animam, niſi mentis intentio? quid per oſſa, niſi carnis fortitudo deſignatur? Omne autem quod ſuſpenditur, procul dubio ab imis eleuatur. Anima ergo ſuſpendium eligit, vt oſſa moriantur: quia dum mentis intentio ad alta ſe ſubleuat, omnem in ſe fortitudinem vitæ exterioris necat.* Vndè myſtici docent, ſuſpendium ſpirituale, ſiue ſuſpenſionem myſticam eſſe intētionem, vel attentionem mentis ad alta ſubleuantem contemplatoris animam, & auocantem ab exterioribus, & rebus omnibus creatis, nec non ab ipſis operationibus proprijs, & connaturalibus; oririque propterea talem ſuſpenſionem ex viſionibus, ſeu ſomnijs: id eſt reuelationibus diuinis immiſsis; ſeu obiectorum luce cæleſti perfuſorum intuitione, & inflammatiſſima dilectione.

Cum autem ſuſpenſio myſtica vix alia ratione diſtinguatur à ſilentio, niſi quod nomen ſuſpenſionis quid vniuerſalius ſonat, quam nomen ſilentij, quæ cauſæ, & effectus huius ſunt proprij, ſuſpenſioni quoque multoque magis tribui debent, præſertim terrenorum affectuum abdicatio; & mundanæ cuiuslibet cupiditatis interitus.

Nonum, & vltimum ſymbolum verbale vnionis myſticæ, eſt nomen *Ebrietatis*, quod vt propriè ſignificat ex ceſſum in potando cauſa voluptatis vſque ad violentam vſus rationis priuationem; Vel, violentam rationis interceptionem per nimium potum cauſa voluptatis adſumptum; vnde qui potus exceſſu deſtituuntur vſu rationis, aguntur, & dicunt multa ab ea aliena, & inſaniā quamdam prodentia, vt delirare videantur; ita impropriè, vel metaphoricè ſumptum omnem iſtiuſmodi operationem ſignificat, quæ inſolens quid habet; ſiue proueniat ex amoris exceſſu, ſiue alterius alicuius effectus; ſicque etiam vocantur ebrij impropriè, & metaphoricè, qui dicunt, aut faciunt ijs ſimilia, quæ à vino madidis, ſiue propriè ebrijs præſtare ſolent.

Etſi autem nulla ebrietas corporea voluntaria ſit bona; ſed genere ſuo omnis ſit peccatum mortale, ex ea tamen

men ſumi poſſe metaphoram nedum in malam, ſed & in bonam partem, proindèque ebrietatem aliquam ſpiritualem eſſe bonam, ac laudandam plura teſtantur Scripturæ loca. Cum enim Propheta Ioel de mala ebrietate loquens dicat cap. 1. 5. *Expergiſcimini ebrij, & flete: & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine*; per oppoſitum Propheta Iſaias cap. 29. 9. de bona ait: *Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate*: nimirum corporali, ſed ſpirituali, de qua idem Propheta cap. 16. 9. *Inebriabo te lachryma mea*; & Ieremias cap. 23. 9. *Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum Sanctorum eius*. Vbi comparat Dei verbum, & doctrinam ſacram vino: quod mentem non ſecus, ac corpus humor vitis inebriet, & bonis operibus fœcundet. Sed omne dubium tollit, poſſe ebrietatem in bonam accipi partem dum à Regio Propheta transfertur in ipſum Deum dicendo Pſal. 77. 65. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*.

Bona igitur ebrietas ſpiritualis propria perfectorum, vtræque vnitiuæ, nihil eſt aliud, quam exceſſus amoris, quo anima Deo vnita, in eo amando neſcit habere modum, iuxta illud,

Eſt in amore modus, non tenuiſſe modum.

Indeque ex ſpeciali Spiritus Sancti talia operatur, vel dicit, quæ præter, aut contra rationem videntur; ſiue ob quæ oculis carneis, qui ita amant alienati à mente, ac ſenſu apparent, ideoque ludibrio ſunt, non minus ac ebrij vino, ac ebrietate corporea correpti.

Cuius illuſtre exemplum habetur in Apoſtolis act. 2. quos Iudæi irridentes, dicebant: *Quia muſto pleni ſunt iſti*. Cum tamen Spiritu Sancto repleti eſſent, diuinique amoris diuino ebrij; quales etiam ſunt in Eccleſia eorum exemplo, quos deſcribit D. Auguſtinus ſerm. 185. de Tempore. *Multi*, inquit, *pro deſiderio ſalutis ſuæ parentes, & patriam ſuam fugiunt, & mortui huic mundo, alios animarum inquirunt parentes, & liberi ſub iugum veniunt: & paulò ante elati, atque ſublimes humilia adfectant; ſuperba faſtidiunt, et cupiunt eſſe quod ante deſpexerant: & odiſſe incipiunt, quod fuerant: præſentium hoſpites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falſitate, ſuſpirant: abſtinentiam, delitiis: vigilias, dulcibus ſomnis: paupertatem, diuitiis anteponunt: arduum contra vitia laborem, iucundiſſimam computant voluptatem: dulceſcunt eis vilia, et quæ prius fuerant pretioſa viloſcunt: diligunt inimicos ſuos, et benefaciunt his, qui ſe oderunt. non conuitiantur indignantibus: non irritantur in opprobriis: non franguntur in iniuriis: prorſus horum nihil ſentiunt propter feruorem* Spiritus *Sancti, et propter æternam retributionem*.

Ex quibus ſatis patet, amorem diuinum ſuperferuidum eſſe cauſam ebrietatis myſticæ bonæ, vel potius ipſummet eſſe formaliter talem ebrietatem, Spiritum verò Sanctum præcipuum eiuſdem authorem, nec non ſimul cũ illo exercitij omnium virtutum heroicarum, hoc eſt ordinarias humanæ rationis leges excedentium, vt qui illas exercent ebrij putentur ab hominibus carnem tantum, & ſanguinem Sapientibus. De quo vide iam à nobis dicta ſuperiori libro ſect. 6. cap. 2. nec non iſto ſect. 1. cap. 3.

Quia ebrietatem corpoream comitari ſolet ructus, & conſequi, propterea hoc idem nomẽ metaphoricè quoque extenditur, vel ad ſignificandum ipſam ebrietatem myſticam bonam, vel aliquem eius effectum. De quo videndus D. Bernardus in Cantica, docens maximè quod flagrans, ac vehemens amor, præſertim diuinus, cum ſe intra ſe cohibere non valeat, non attendit quo ordine, qua lege, quave ſerie, ſeu paucitate verborum ebulliat, indeque eſſe quod anima Dei ſponſa

ſancto

ſancto amore flagrans; idque incredibili modo, ſanè pro captanda quantulacumque euaporatione ardoris quem patitur, non conſiderat, quid, qualiter loquatur, ſed quicquid in buccam venerit, amore vrgente non enunciat, ſed eructat.

Ex hac tandem ebrietate myſtica bona oritur diuiſio, qua nonnulli orationem in ſobriam, & ebriam diſtingunt; vt ſobria ſit illa, quæ ita eſt ſupernaturalis, & exercetur per dona gratiæ diuinitus infuſa, vt tamen non excedat modum agendi humanū, eiuſque regulas; Ebria verò illa, quæ illas tranſcendit ex ſpeciali motione Spiritus Sancti. Tantùmque ſit de præcipuis ſymbolis verbalibus, quibus Theologi myſticè vtcunque conantur explicare naturam, varioſque tum affectus, tum effectus intimæ cum Deo vnionis Perfectorū, ſeu viæ vnitiuæ proprios.

§. II.

De Symbolis realibus naturalibus eiuſdem vnionis.

PRæcipua ſymbola realia, naturalia vnionis myſticæ, ſunt omnes illæ vniones, vel compoſitiones reales, quibus plura entia inter ſe diſtincta fiunt vnum. Inter quas primum tenet locum *Vnio materiæ ad formam*, ſiue corporis ad animam. Cuius ſimilitudo tenet in hoc, cum in multis alijs deficiat, quod ſicut anima eſt intimè præſens corpori, ita Deus per dona gratiæ tum habitualia, tum actualia ſit intimè pręſens tum ſubſtantiæ, tū potentijs animæ: item quod ſicut anima dat corpori vitam, motum & operationes ita Deus per hæc dona animæ vnitus confert ipſi in ordine ſupernaturali, & vitam, & operationes, eoque perfectius, quo talia dona ſunt perfectiora.

Altera vnio naturalis, quam myſtici adducunt in ſymbolum vnionis myſticæ, eſt *vnio miſcibilium*, ſiue quæ ſit per mixtionem, V. g. guttę aquæ in vas generoſi vini immiſſæ. Et ſi enim plurimum diſſimilitudinis habeat, phyſicè loquendo, ſiquidem gutta aquæ perdit ſuum eſſe ſubſtantiale, quod in vnione myſtica non perdit anima, myſticè tamen ſimilitudo in hoc tenet; quod ſicut guttula illa aquæ exuit ſubſtantiam priorem, & amittit propriam naturam, conuertiturque in vinum, ac fit cum eo vnum colore, odore, ſapore, ſic anima, quæ Dei reſpectu eſt tāquam *gutta roris antelucani*. Sap. 11. imo minus, veluti cadens in diuinitatem, tanquam in infinitum quoddam præſtantiſſimi vini pelagus, perdit non quidem phyſicè naturam, ſed mutatur in aliam moraliter, ſitque Deo, quantū fas creaturæ, quam ſimillima.

Tertia vnio naturalis, quæ eſt ſymbolum vnionis myſticæ eſt illa, quæ fit per *nutritionem*, ſiue qua viuentia cibum, & potum, quem ſumunt, ſi naturæ ipſorum ſit cōſentaneus, ſibi vniunt, vel in ſubſtantiam ſuam conuertunt. Quod etiam non phyſicè, ſed moraliter intelligendum eſt de vnione myſtica, in qua veluti in menſa, quam diuina proponit Sapientia, ipſamet in cibum, & potum animæ ſuauiſſimum appoſita, iuxta illud Cant. 5. *Comedite, et bibite amici*, vt enim ait Chriſtus, *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, ad diſtinctionem cibi materialis non tranſmutatur in animæ ſubſtantiam, ſed hanc in ſe non quidem realiter, ſed moraliter tranſmutat, vt dicitur de cibo Euchariſtico. Hincque eſt illud D. Auguſtini lib. 7. Confeſſ. cap. 10. *Cum te primum cognoui, tu aſſumpſiſti me, vt viderem eſſe, quod viderem, et nondum me eſſe, qui viderem. Et reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore, et honore: et inueni me longè eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelſo: cibus ſum grandium: creſce, et manducabis me. Nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ:*

ſed tu mutaberis in me.

In his igitur, & ſimilibus vnionibus naturalibus, vbi in ſymbolum intimitatis vnionis myſticę aſſumuntur, quia aliæ ipſis intimiores dari non poſſunt, diligenter aduertendum eſt, ne aliquã inde mutationem in Deo, aut in anima vnita ſui eſſe deſitionem, aut reſultantem ex illa, & Deo compoſitionem ſubſtantialem concedamus; ſed quod Deo immutabili in ſe manente, ſola anima accidentaliter mutatur per noua diuinæ gratiæ dona, quibus medijs conſequenter maiorem cum Deo non habet vnionem, quam accidentalem, quia licet duo extrema ſint ſubſtantialia, gratia tamen, qua media realiter vniuntur, eſt quid tantùm accidentale.

Quamobrem *quartò* eam aliqui ſignificant per ſymbolum *aeris illuminati*, veluti incorporantis in ſe lumen Solis, ita vt, ſicut ex aere, & lumine vnum fieri videtur, quamuis ſit vnio duntaxat accidẽtalis, haud ſecus Deus ineffabili gratiæ ſuæ lumine penetrat intimè contemplantis animam, vt ſit inſtar globi ex aere, aut vitrei lumine intus, ac foris reſplendentis.

Quintò vaporis, caloris vnitione eam participantis leuitatem, vt aquæ naturam penitus exuiſſe putetur; vel etiam *exhalationis*, quæ eſt anhelitus terræ calidus, & leuis, cum terra ſit frigida, & grauis. Vt quemadmodum arcana illa vnio, & efficientia Solis, qua aqua, & terra copulantur, ita elementa illa afficit, vt eorum halitus, & ſpirationes planè ſecundum ſubſtantiã immutare putetur, cum tamen illa copulatio, nec vaporem ab aqua, nec exhalationem à terra ſubſtantiali forma diſtinguat, ſed accidentaria duntaxat ratione: ſic vnio myſtica, licet aliud facere videatur, tamen in alium tantummodo, diſcrimine accidentario, contemplatiuum commutat, per dona gratię extraordinaria.

Sed cum his ſymbolis ex aliquibus vnionibus naturalibus deductis ſignificetur maximè vnio myſtica, vt vnio eſt ſiue ſub conceptu vnionis animæ cum Deo pręcisè; dantur inſuper alia ex rebus quoque naturalibus deſumpta, ad ſignificandum varios eius tum effectus, tum affectus. Huiuſmodi eſt *ſextò Caligo*, vndè nomen orationis, vel contemplationis caliginoſæ, vel in caligine. De qua Diuus Dionyſius potiſſimum agit cap. 1. Theologię Myſticæ; nec non epiſtola 5.

Caligo igitur propriè dicta cum nihil ſit aliud iuxta Meteorologicos, quã obſeuritas proueniens ex nebulis, aut nubibus, radios luminoſi corporis præſertim Solis detinentibus, aut luminis diffuſionem impedientibus; tam in bonam, quam in malam partem ſymbolicè ſumi poſſe, multiplicemque ſignificationem myſticam habere plura teſtantur Scripturæ loca, in quibus de illa ſit mentio. Quicquid enim, ſiue tanquam cauſa obſcuritatem indueit: ſiue tanquam effectus à luminis defectu prouenit, ipſaque luminis ſpiritualis, ſeu metaphorici orbitas caligo appellatur. Verum omiſſis quibuſcunque alijs, nec non pluribus verborum inuolucris, quibus aliqui hanc materiam iam ſatis obſcuram plus nimio obtenebrant, primùm dico vnionem myſticam, ſeu contemplationem viæ vnitiuæ propriam, potiori iure vocari caliginoſam, ſiue per illa dici debere animam intrare in diuinam caliginem, omnibus illis titulis, quibus ſuperiori ſectione capite vltimo oſtendimus hãc quoque denominationem competere Proficientium contemplationi; Primò, ex parte principij. Secundò, ex parte obiecti; Tertiò, ex parte modi tendendi.

Dico ſecundo, diuinam caliginem viæ vnitiuæ propriam maximè in hoc conſiſtere, quod eius contemplatio, & per eam cum Deo vnio, ex parte principij ſit per dona, & illuſtrationes Spiritus Sancti, atque adeo modo quodã diuino illorum propria, tum per ſpecies à Deo infuſas perfectiores, vt explicabimus ſectione ſequenti. Etſi enim

certum

certum ſit, quod inde orta cognitio ſit in ſe magis clara, eo tamen ipſo intellectus, non proprio amplius agens modo, ſed longe ſuperiori, dicitur ad illum caligare ſecundum ſe conſideratus, ſicque veluti in tenebris lucem lucere; & quamuis agat modo diuino, hoc ipſo magis, clariuſque cognoſcit, Deum eſſe lucem inacceſſibilem, & incomprehenſibilem, omnemque ſuam lucem eſſe tenebras comparatiuè ad illam, ſicque tenebras eam comprehendere non poſſe.

Vndè quamuis lux in genere qualitatis plurimum differat à caligine, ac proinde diſtinguantur ſignificatione naturali; tamen apud Myſticos caligo idem eſt, quod lux, ſiue myſtica, aut ſpirituali ſignificatione omnino conueniunt, propter eiuſdem generis effectum. Lucis namque exuberantis eſt, rem illa tectam abſcondere, & oculis in eam apertis intendentibus obſcuritatem ingerere: idem autem præſtat caligo, ſub qua latet, quicquid illi inuoluitur, claram ſcilicet eius viſionem impediendo. Igitur quemadmodum lux, ſic & caligo myſtica, obſcuritatem cognitionis Dei, vel potius ignorantiá noſtram, in Deo autem incomprehenſibilitatem ſignificat. Siue etiam, hæc caligo obiectiuè, ſeu paſſiuè ſumpta, non eſt aliud, quam infinita lux Dei nobis inuiſibilis propter eximiam, & ſupereminentem ſubſtantiæ claritatem: cum inacceſſibilis, propter immenſam ſplendoris copiam; Actiuè autem eſt ipſa cognitio, non pertingens, quantumuis ſit perfecta, niſi ad illam, cum quaſi maiori adhuc obſcuritate cognoſcendam, quanto enim plus illam cognoſcit, plus agnoſcit, ſe illam neſcire, vel plura ſibi in ea ſcienda ſupereſſe, vel denique naturam diuinam illam eſſe, quæ cognitionem, & comprehenſionem omnem excedit: ſicque illi vnitur tanquam incomprehenſibili, & quo ad quid eſt, mere ignotæ. Vt enim ſol nycticoracum oculis ſunt tenebræ, ita Dei facies hominum, noctuarum inſtar in tenebris agentium luminibus.

Eodem ſenſu, & ratione intelligendum eſt, quod ſatis communiter aiunt iidem Myſtici, in hac nimirum caligine, contemplantem videre, & non videre, avt videndo non videre, & non videndo vídere. Dicitur enim videre, quia licet in illo felici ſtatu præcipuũ ſit neſcire, hoc tamen non contingit per omnem actus intellectus ceſſationem, imo ſublimis eſt eius actus; adeoque dum ait Diuus Dionyſius, Deum ignorando cognoſci, id non priuanter, ſed ſuperlatiuè explicandum eſt: quatenus, non ſicut tenebrę lumine ſoluuntur; & multo lumine maximè ſoluuntur, aut, ſicut ignorantia, quæ eſt tenebra quædam, cognitione tollitur, & multa cognitione maximè tollitur: ita ignorantia de Deo ſimilis ſit ignorantiæ per inſcitiam (quod eſt priuatiuè accipere ignorantiam) ſed quia quo magis quis illuminatur in cognitione Dei, & quo magis cognitionem colligit eorum, quę ſunt: id eſt intellectilium, & intelligentium, nempe Angelorum, & animarum: eo magis aſcendens ad altiorem cognitionem, cognoſcit hoc ipſum, non poſſe ſcilicet comprehendi, & ignorari, lumen eſſe, & cognitionem ſupra omnia cognita. Quod eſt Deum ignorare ſuperlate, ſeu ſecundum ſuperlationem cuiuſcunque cognitionis creatæ, non autem ſecundum priuationem, aut ceſſationem omnis actus.

Dicitur autem non videre, 1. quia licet ibi ſit actus intellectus ad contẽplationem eſſentialiter requiſitus, in hac tamẽ contemplans magis ſpectat, vt amore inflammetur, quam vt cognitione erudiatur: *Sicque Deus præſentiam ſuam exhibet*, inquit Richardus, *Tract. de grad. viol. Carit, vt faciem ſuã minimè oſtendat. Dulcorem ſuum infundit: ſed decorem ſuum non oſtendit. Infundit ſuauitatem: ſed non oſtendit claritatem. Suauitas itaque eius ſentitur; ſed ſpecies non cernitur. Adhuc nubes, & caligo in circuitu eius: adhuc thronus eius*

in

in columna nubis. Eſt lene quidem, & blandum admodum, quod ſentitur: ſed nubilum omnino, quod cernitur: nondum namque apparet in lumine. Et quamuis appareat in igne: magis tamen in igne accendente, quam illuminante. Accendit namque affectum, ſed nondum illuminat intellectum: deſiderium inflammat: ſed intellectum non illuminat. In hoc itaque ſtatu anima dilectum ſuum ſentire poteſt: ſed ſicut dictum eſt, videre non poteſt. Et ſi videt quidem, videt quaſi in nocte: videt velut ſub nube; videt denique per ſpeculum in ænigmate: nondum autem facie ad faciem. Vnde dicit: Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.

II. Dicitur contemplans in caligine non videre, quia in illa magis patitur, quam agat, ſecundum Dionyſij effatum; hinc enim Myſtici ijs nonnunquam vtuntur loquendi formulis, quæ omnis actionis priuationem, vel ceſſationem inſinuare videntur. Sed reuera ijs ſolum actionis quamdam ſimplicitatem, maioremque facilitatem ex diuino impulſu ſignificant, vt iam multoties notauimus. III. Quia in hac potiſſimum contemplatione ſuas partes non agit ratiocinatio, vel diſcurſus, ſed eſt ſimplex quædam inſpectio, ſeu viſio, menti à Deo immiſſa. Quando enim intellectus humanus non diſcurrit, quæ eſt tam propria, & connaturalis eius operatio, homo non animaduertit, nec ita facile diſcernit aliam operationem, vnde ita loquuntur aliquando Myſtici, ac ſi intellectus in caligine nullam exerceat operationem. Sed cum expreſsè viſionem nominent, facile eſt conijcere, quod non omnem partis intellectiuæ operationem ſublatam velint: vt aliqui eis imponunt.

IV. Tandem, quoniam hæc contemplatio fit maximè per viam negationis, imo in recto eſt ipſa contemplatio negans. Vt expreſsè docet Diuus Dionyſius cap. 1. Theol. Myſticæ, vbi de hac contemplatione agens, monet ſubtrahendas eſſe omnes creaturas, vt perueniatur ad incogniti notitiam. Item cap. 2. ſic ſcribens: *In hac caligine, quæ lumen vincit, vt nos ſcimus, precamur: & vt non videndo, & ignorando, videamus, & cognoſcamus; & eum qui eſt ſupra quam ſubſtantia, ſupra ſubſtantiam laudemus, omnibus rebus ab eo ſeparatis: & illam caliginem diuinam, quæ ab omni lumine, quod in rebus eſt, obtegitur.* Et in epiſtola ad Caium: *Tenebra,* inquit, *lumine aufertur à conſpectu omnium; & copioſo lumine magis aufertur. Cognitiones auferunt ignorantiam: & multæ cognitiones magis etiam auferunt. Hæc ſuperlatè, & non priuanter intelligens pronuntia veriſſimè: quod, qui habent quod eſt lumen, & habent creaturarum cognitionem* (vbi per habere quod eſt lumē ſignificat habere cognitionem veritatis ex creaturis) *latet eos ignoratio Dei, & tenebra eius ſuperpoſita, & omni lumine obtegitur, & omni cognitioni ſubducitur. Et ſi quis Deum vidit, & cognouit; quod vidit, non vidit Deum, ſed aliquid creaturarum eius, & eorum quę cognitione percipiuntur. Ipſe autem ſupra mentem, & ſubſtantiam conſtanter manens, hoc ipſo, quod neque cognoſcitur, nec eſt, ſupra ſubſtantiam, & ſupra mentem cognoſcitur. Et illa melior, & ignoratio vniuerſa cognitio eſt eius, qui eſt ſupra omnia, quæ in cognitionem cadunt.* Ex quibus omnibus ſatis colligitur: hanc ſolam Deum habere veram cognitionem, non cognoſci: ſiue eſſe ſupra omnem adfirmationem, & negationem, & nos ſolum ignorando perfectè, & non videndo Deum cognoſcere.

Verum cum ex dictis ſuperiori ſectione, hæc quoque cognitio via remotionis, & negationis competat contemplationi ſupernaturali ordinariæ, illique propterea competat etiam nomen caliginis; in hoc tamen diſtinguitur ſupernaturalis infuſa, de qua modo agimus, quod non ſolum fit per remotionem, aut negationem rerum omnium, quarum ſpecies acquiſitas habemus, ſed earum inſuper, quarum ſpecies longe nobiliores tunc infundit

Deus

Deus. Indeque potiori iure, ac veluti per excellentiam debet vocari contemplatio caliginoſa: ſi enim, vt dictum ſupra, caligo idem eſt apud Myſticos, quod lux, quatenus non minus ex iſta cæcutit intellectus, quam ex ipſis tenebris in cognoſcendo Deo, vt patet exemplo oculi corporei, in quo, quod efficit abſentia luminis, ſcilicet vacationem ſenſus oculorum, ſeu viſus; hoc etiam efficit intendere fixè aciem oculorum aduerſus ſolis radios meridie; quanto maior fuerit, per contemplationem à Deo infuſam, illuminatio, & illuſtratio noſtri intellectus, tanto maior erit eius caligo, dicenduſque erit videndo non videre. & non videndo videre. Nam cæcutit ad immenſitatem luminis diuini, vel cæcatur; animaduertit tamen, nouo miroque modo ſe in ſpiſſis licet tenebris illuminari; limpidiſſimeque cognoſcit, quam ſuperincomprehenſibilis, & ſuper-ſplēdidiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens. Sicque etiam dicitur in caligine, ſeu cognoſcendo via negationis, formare conceptum Dei poſitiuū, vt oſtendimus ſuperiori ſectione, agentes de contemplatione negatiua. Tantum igitur ſit de contemplatione caliginoſa, ſeu de diuina caligine, qua in vnione myſtica, anima Deo potius ignoto, quam cognito dicitur in hac vita vniri. Quæ etiam eadem fere analogia dici poteſt nebuloſa, nubila, abyſſalis, & ſic de reliquis huiuſmodi.

Septimò habetur ſymbolum vnionis myſticæ, maximè quo ad effectum, & affectum ſuſpenſionis in auium volatu, ex Richardo à S. Victore lib. 1. de Cōtempl. cap. 5. vbi dum varios motus, & agitationes contemplationis, Incipientium quoque, & Proficientium propriæ ad ſimilitudinem volatilium exponit, tandem etiam ſuſpenſionem ad perfectos ſpectantem; quatenus ſicut aliqua volatilia tremulis alis, ſæpeque reuerberatis, ſe in vno, eodemque loco diutius ſuſpendunt, & mobili ſe agitatione, quaſi immobiliter figunt, & ab eodem ſuſpenſionis ſuæ loco, diu multumque hærentia penitus non recedunt, ac ſi operis, & inſtantiæ ſuæ executione prorſus videantur exclamare, & dicere bonum eſt nos hic eſſe: Ita anima, maximè in ſupremo vnionis Myſticæ, vel contemplationis gradu conſtituta, iucunditatis ſuæ ſpectaculo libenter immoratur, ſemper ſtudendo, vel in idipſum ſæpe redire, vel in eodem diutius immobiliter permanere.

Octauum eiuſdem vnionis ſymbolū nobis exhibet Sancta Mater Thereſia varijs in locis, præſertim in vltimis manſionibus, in bombice. Quatenus ſicut bombix ſtatim natus repit, deinde aſcendit, tum ſe condit, & moritur; poſteaque exurgit; & transformatus veluti in candidam auiculam volat. Ita anima diuinæ gratiæ virtute regenerata, poſt vitæ Purgatiuæ exercitia, in quibus veluti repere, & Illuminatiuæ, in quibus aſcendere videtur, tum in intimo cordis centro recondita ibi terrenis omnibus mori, tandem glorioſior de hac morte reſurgens, ad viā vnitiuam, & in puriſſimam auiculam vel columbam transformata, Deo ſuo ſuauiter vnitur, non amplius terrenam, ſed cœleſtem ſpirans auram; non humanam, ſed diuinam potius ducens vitam.

§. III.

De Symbolis realibus artificialibus Vnionis myſticæ.

PRæter ſymbola ex rebus purè naturalibus deſumpta, non deſunt quoque alia ex iiſdem artificiosè efformata, quibus Myſtici eiuſdem vnionis myſticæ naturam pariter, & effectus, affectuſque explicent. *Primum* occurrit *ferrum* adfricatione magnetis ita artificiosè temperatum, vt polum aſpiciat. Sicut enim hanc proprietatem coniunctio, vel vnio cum magnete in ferro relinquit: Ita quoque, multoque magis diuinitas occulta vi, & efficacia tangens

ta ngens animam, cui eſt per gratiæ dona extraordinariè vnita, proprietatem illi ſuam communicat non reſpiciendi alium polum, quam ſeipſam; ita vt ſicut ferrum magnete copulatum non tam ferrum, quam magnetem ita anima diuinitati intimè vnita, diuinitatem ipſam referre videatur, vt ſatis explicuimus ſuperiori capite.

Secundum Symbolum ſunt duo *ſpecula* oppoſita. Quemadmodum enim his ſic contra ſe inuicem oppoſitis, vnũ recipit imaginem alterius, & ab illo viciſſim recipitur: ita, quando in vnione myſtica dicere poteſt anima contemplatiua cum Sponſa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, & iterum cap. 7. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius*: tunc duo lucidiſſima ſpecula Maieſtatis diuinæ, & mentis humanæ ſibi opponuntur; quorum hoc recipit claritatem, ac calorem illius, adeò, vt in intellectu, & adſectu imago illius pulcherrima reſplendeat. Cui conſonat illud Apoſtoli 2. Corinth. 3. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu*. Ibi enim *ſpeculantes* non ducitur à *ſpecula*, vt ſit ſenſus: *de ſpecula proſpicientes*; ſed à *ſpeculo*, hoc eſt, intellectu, *inſtar ſpeculi intuentes*: vel *ſpeculum glorię Dei contemplantes*. quaſi dicat nos Apoſtolus gloriã Dei contemplatione diuina ſpeculantes; ſeu ſpeculum diuinitatis rerum omnium repræſentatiuum aſſiduè intuentes, in eamdem quaſi gloriam Dei transformamur, in eſſe ſcilicet intelligibili, vel obiectiuo; vt explicuimus ſuperiori capite. Sicut autem ex diurno ſolis lumine in ſpeculis repercuſſo, tanto facilius ignis accenditur, quanto plures in vnũ quaſi punctum radij coadunantur, ita quo plures anima contemplatiua, quaſi ſpeculum, ante iuſtitiæ ſolem conſtituta, diuinas illuſtrationes ab eo exceperit, & replicata conſideratione circa diuina myſteria reflexerit, eo citius ſentiet accendi ſibi voluntatem, & varijs pijs affectibus inflammari.

Tertium Symbolum eſt, *cera ſigillo obſignata*. Sicut enim cera cui imprimitur ſigillum, abſque vlla mutatione ſubſtantiali, ita imaginem eius repræſentat, vt qui videt illam, ſigillum ipſum, & exemplar videre ſe æſtimet; ita in vnione myſtica, Dei, Chriſtique imprimitur imago in anima ſigillo charitatis, iuxta illud Cant. 8. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum* &c. quod explicans Guillelmus ait: *Imprimere mihi quaſi ſignaculo, per amorem mihi fortiter adhærendo, vt à me quaſi ſignaculo formam accipias, vt mea ſubtili expreſſione ſimilitudinem trahas; quanta fuerit impreſſio amoris, tanta ei erit expreſſio ſimilitudinis; quantò mihi fortius per amorem inhæſeris, tanto mihi ſimilior eris. Quanto te mihi impreſſeris fortius, tanto ego Chriſtus in te formabor expreſſius, & tanto tu in me reformaberis, transformaberiſque inſignius*. Et inferius. *Charitas hominem mundo conformem transformat, quia vt ſignaculum, ſic & formam mutat, vt qui erat mundanus fiat deificus, & diuinus*. Vnde S. Gertrudis lib. 2. Reuel. cap. 27. ait: *Cum in feſto Purificationis recepiſſem S. Synaxim, mente intenta in Deum; & in meipſam percepi, & ſenſi animam meam inſtar ceræ igne diuino liquefactam, talemque effectam ex ſigillatione pectoris Chriſti, ex eo enim impreſſos accepi theſauros gratiarum, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: atque exinde extiti nobiliter ſignata charactere ſplendentis, & ſemper tranquillæ Trinitatis, vt deinceps tota mentis auiditate anhelarem ad ſummum bonum in ſeipſo, quod es tu Domine in veritate tuę æternitatis, quę eſt abyſſus charitatis, ex qua immenſos amoris, omniſque gratiæ, & virtutis gurgites haurire licet*.

Quartum Symbolum deſumitur ex artificioſa arborum *inſitione*; qua ſi oleaſter, exemplj gratia, inſeratur oliuæ fit ſocius radicis, & pinguedinis ipſius. Igitur ſicut ſurculus arboris trunco alterius inſertus ab eo nutrimentum

accipit,

accipit, & fœcundatur, vt fructũ plus afferat; ad eumdem modum in arcana contemplationis vnione, anima Deo veluti inſerta, ſentit à Deo ſe ſuſcipi, & ab illo ſuperiora gratiæ auxilia, & amorem præſertim perfectiſſimum accipere, quibus illi vitæ puritate per quam ſimilis reddatur, iuxta illud Ioannis 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*.

Quintum denique habetur in *ferro candenti*, & *carbone ignito*. Quemadmodum enim ferrum in fornacem coniectum ignem imbibit, nec tamen deſinit eſſe ferrum, ſicut nec carbo, poſtquam ignem concepit; ſed induunt tantum quaſdam proprietates ignis incorporati, & proprias quaſi perdunt, vt frigiditatem, nigredinem, rigorem. Erat enim antea nigrum ferrum, & ex igne candeſcit: erat frigidum, & ex igne caleſcit. Similiter per vnionem myſticam ex Deo, & anima vnum fit ſicut ex igne, & ferro, nec tamen deſinit eſſe anima, ſed ex eo, quod arctiſſimè coniungitur Deo, qui ignis conſumens eſt, per maiora gratiæ dona, igneſcit quoque ſpiritualiter, & illius lucem, pulchritudinem, feruorem, & efficaciam participatiuè induit.

Hactenus de præcipuis vnionis Myſticæ Symbolis, contentiſque in illis, vel ex illis deductis nominibus, epithetis, ac periphraſibus, quibus Theologi Myſtici vtcunque conantur explicare arcanam illius naturam, tum varios affectus, & effectus, ſiue proprietates. Ad quotum normam poſſent alia plura efformari, maximè ex ſenſibus corporis exterioribus; cum enim in vnione Myſtica dicatur tangi, guſtari, videri, & audiri Deus, nec illa de ſenſibus externis intelligi poſſint, neceſſario ſenſus interiores, aut ſpirituales conſtituendi ſunt, quorum exteriores ſint veluti ſymbola, ac figuræ, ſiue per ordinem ad quos analogicè, & ſimilitudinariè de internis, ac ſpiritualibus diſcurrere poſſimus. Sicutque propriè ſunt quinque corporis ſenſus; ſcilicet, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, & Tactus; ita quoque metaphoricè, vel impropriè, aut ſymbolicè quinque ſunt animæ ſenſus; qui etiam facilè ex Sacra deducuntur Scriptura. De Viſu enim eſt illud Deuter. 32. *Videte quòd ego ſum Deus*. De Auditu Apocal. 3. *Qui habet aures audiat, quid dicat Spiritus Eccleſiis*. De Olfactu 2. Corinth. 2. *Bonus odor Chriſti ſumus*, & Cant. 1. *In odorem vnguentorum tuorum curremus*. De Guſtu Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. De Tactu Matth. 9. vbi fide magis, quam corpore mulierem ſe tetigiſſe Chriſtus oſtendit. Quorum ſenſuum internorum vſum docet D. Bernardus libello de amore Dei cap. 6. in hoc conſiſtere, quod ſicut corpus habet ſuos quinque ſenſus, quibus animæ coniungitur vita mediante; ſic anima ſuos habet quinque ſenſus, quibus Deo, ſiue æternis coniungitur mediante charitate. Quare Apoſtolus Rom. 12. ait: Nolite conformari huic ſeculo, ſed renouamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis, id eſt experimẽto ſciatis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

At cum in anima aliæ non dentur potentiæ quam intellectus, ad quem pertinet etiam memoria, & voluntas, proindeque analogicè, & metaphoricè de illis, eorumque operationibus dici debent, quæ propriè de ſenſibus externis dicuntur; Ideo in ſequentibus ſectionibus agendo de huiuſmodi operationibus, ſingulorum explicabimus analogiam; nunc vniuerſim dico in hoc conſiſtere, quod ſicut organis corporeis vitaliter percipiuntur quædam obiecta ſecundum diuerſas rationes, & formalitates: ita potentiæ ſpirituales animæ haud diſpari modo verſantur circa obiecta, ſibi proportionata. Diſparitas autem, ſiue differentia in hoc eſt, quod non ſunt diuerſæ potentiæ, vel organa, quibus exercentur ſenſationes interiores, vt accidit in exterioribus, ſed ad illas ſufficiunt intel-

lectus, & voluntas, vnaque ſola plures elicere poteſt.

Vltimò tandem aduertendum eſt, ita prefata ſymbola, metaphoras, epitheta, loquendi modos, ſeu periphraſes, poſſe quidem largo modo adaptari vnioni, vel contemplationi actiuæ Incipientium, & Proficientiũ propriæ, vt tamen ſtricto, excellentiorique modo conueniant vnioni perfectorum propriẹ ex ſpeciali Spiritus Sãcti motione prouenienti, ideoque paſſiuẹ dictæ. Qua in re tota vertitur, ac ſemper præ oculis habenda eſt differentia inter vnionem Incipientium, & Proficiẽtium ex vna parte, & Perfectorum ex altera; quod illorum vnio ſit actiua, inde ſic dicta, quod actionis humanæ ſit vnionis huiuſce exercitium, ſeu quia fit per actus intellectus, & voluntatis actiuo, ſeu humano modo à contemplatiuo elicitos: nempe præparando ſe ex ſupernaturali Dei auxilio ad illam. At veró paſſiua eſt Perfectorum vnio, ſic à Myſticis denominata, vt iam aliquoties aduertimus, ex ea dicendi formula, qua S. Dionyſius celebrando Hierotheum ait, quod fuerit, *patiens* diuina, nempe quod inſtar patiẽtis potius, quam agentis ſe habuerit, ſiue cum diuina intellectu contemplaretur, reuelationibus, & illuſtrationibus inexpectatis, ac inſolitis, eum Patre luminum perficiente, ac perſuadente: ſiue; cum voluntate in cæleſtia exardeſceret: eodem illum agente, rapiente, impellente, & ad ſecretiorem cum ipſo vnionem eleuante.

Vnde vnio paſſiua ſic dicitur, quia eſt hominis diuina patientis: quia eius adquiſitio, per voluntatis actionem, ab eius libertate, vel induſtria plene dependentem non habetur: quia eius poſſeſſio pariter à Deo potius, quam à voluntate libera dependet. Non autem ex hoc, quod nihil agat, ſed tantummodo patiatur, hoc enim eſt prorſus alienum à Theologorum myſticorum mente, expreſsè docentium ideo vocari paſſiuam vnionem Perfectorũ, eo quod non ſint potentes, quamuis ordinariæ gratiæ præſidio, quo iuſti communiter fruuntur, ſint etiam ipſi donati, vnionem illam efficere, niſi peculiari quodammodo, interius à Deo promoueantur, & Spiritus Sancti opera ſubleuentur.

Vtraque hẹc vnio, eorumque diſcrimen clarè habetur ex D. Bernardo ſer. 2. de Aſcenſione his verbis: *Quidam trahuntur, qui dicere poſſunt trahe me poſt te; Nonnulli ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alij rapiuntur. Et primi quidem felices, qui in patientia ſua poſſidẽt animas ſuas. Secundi feliciores, qui ex voluntate ſua confitentur Domino: tertij feliciſſimi, qui in profundiſſima Dei miſericordia, quaſi ſepulta arbitrij libertate, in diuitias gloriæ, in ſpiritu ardoris rapiuntur: qui ſpreto, ac ſupergreſſo adminiculo rerum, ac ſenſuum, non aſcenſorijs gradibus, ſed inopinatis, inſtantaneiſque exceſſibus feruntur in Patrem.*

Item ex Dionyſio Carthuſiano cõment. in Myſt. Theolog. D. Dionyſij. *Viri,* inquit, *fideles, heroici, & perfecti longe ſublimius Myſticam Theologiam ſortiuntur, experiuntur, venantur per ſupernaturalia chariſmata Spiritus Sãcti quod & dupliciter accidere ſolet. Primò, per eorum prẹparationem-cooperationem, & conatum, ad hoc dando ſeipſos ad abſtractionem à cunctis creatis, & ad feruidam vnionem cum Deo per recollectionẽ mentis ſuæ ad intra, & per affectuoſiſſimã diuini inuocationẽ auxilij, ac conſiderãdo inflammatiua diuini amoris. Secundo, fit iſtud modo mirabili, & eminentiori, quãuis forſan non magis meritorio ſemper: videlicet, cum feruens amor abſq; conamine proprio; prẹparationeq; præuia repente prẹuenitur, praſtringitur, inflammatur, & ſuper ſe tollitur, contemplationiſque luce exuberante perfunditur, prẹoccupatur, ac vincitur, vt etiam ſi velit reſiſtere, nequeat, neque euadere poſſit ſuper gratioſiſſimi Spirituum amplexũ ſponſi, à quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo verè idem ſunt Regio, & Habitator.*

SECTIO

SECTIO QVINTA.

In qua agitur de vnione myſtica in ſpecie ſecundum partem intellectiuam, ſeu prout fit per intellectum, eiuſque actus.

CAPVT PRIMVM.

Quod ad actus cognoſcitiuos, quibus anima in vnione Myſtica coniungitur Deo, non requiratur alia potentia ab intellectu diſtincta.

POSTQVAM ſuperiori ſectione egimus de Theologia, vel vnione Myſtica Perfectorum propria, veluti in genere, oſtendendo, formaliter non fieri per gratiam ſanctificantem in anima, nec in potentijs eius per habitus infuſos ab ea dimanantes, ſed per ipſos actus cognoſcendi, & amandi; nunc agemus de illa in ſpecie, primumque ſecundum partem cognoſcitiuam, tum quia, licet pro præſenti ſtatu actus charitatis in ea præcellat actui intellectus, vt diximus, abſolutè tamen intellectus eſt potentia nobilior; tum quia prælucet voluntati, eiuſque dux eſt in operando.

Omiſſis ergo varijs potentiæ intellectiuæ diuiſionibus, quibus nonnulli Theologi Myſtici hanc materiam obſcurant potius, & confundunt, quam explicant, vnam duntaxat principalem hic examinabo, qua volunt, intelligẽtiæ vim eſſe potentiam ab intellectu diſtinctam, eoque ſublimiorem, & ad eiuſdem diſtinctionem, *intelligentiam* appellari: ſimiliter & aliam dari voluntate quoque ſuperiorem, illi correſpondentem, dictam *Apex mentis*. Verum omnino tenendum eſt cum D. Thoma 1. p. q. 79. art. 10. intelligentiã non eſſe potentiam ab intellectu diſtinctam; cuius authoritas tantò in hac re maioris debet eſſe momenti, quo non ſolum fuit inſignis ſcholaſticus, verum eximius etiam Theologus myſticus, frequenſque contemplatio, ac experimentum Dei probe illum docuerit, quid vellet intelligentia.

Rem autem ſic explicat loco citato. *Reſpondeo dicendum quod, hoc nomen intelligentia, propriè ſignificat ipſum actum intellectus, qui eſt intelligere. In quibuſdam tamen libris de Arabico tranſlatis ſubſtantiæ ſeparatæ, quas nos Angelos dicimus, intelligentię vocantur: forte propter hoc, quod huiuſmodi ſubſtantiæ ſemper actu intelligunt. In libris tamen de Græco tranſlatis dicuntur intellectus ſeu mentes. Sic ergo intelligentia ab intellectu, non diſtinguitur ſicut potentia à potentia, ſed ſicut actus à potentia. Inuenitur enim talis diuiſio etiam à Philoſophis. Quandoque enim ponunt quatuor intellectus, ſcilicet intellectum agentem, poſſi-*

poſſibilem, & in habitu, & adeptum. Quorum quatuor intellectus agens, et poſſibilis ſunt diuerſæ potentiæ: ſicut et in omnibus eſt alia potentia actiua, et alia paſſiua. Alia verò tria diſtinguuntur ſecundum tres ſtatus intellectus poſſibilis. Qui quandoque eſt in potentia tantum. Et ſic dicitur poſſibilis. Quandoque in actu primo, qui eſt ſcientia. Et ſic dicitur intellectus in habitu. Quandoque autem in actu ſecundo, qui eſt conſiderare. Et ſic dicitur intellectus in actu, ſiue intellectus adeptus. Hactenus D.Thomas.

Ratio autem ex eodem eſt, ad 2. Quia non omnis differentia actuum potentias diuerſificat, ſed ſola illa, quę non poteſt reduci in idem principium: alioquin tot eſſent diſtinguendæ potentiæ, quot ſunt operationes intellectus; & pro prima apprehenſione eſſet nominanda vna, pro iudicio, altera; pro diſcurſu, tertia. Sed nullus eſt actus, qui ab intellectu naturaliter, ſi ſit naturalis, vel ſupernaturaliter eleuato, ſi ſit ſupernaturalis, non poſſit prodire, tribuendus tanquam proprius intelligentiæ: Non eſt igitur potentia ab intellectu diſtincta; ſed, vt ait Diuus Thomas, actus ipſius, atque adeo contra ipſum diſtinctus ſicut actus contra potentiam, & ita explicat ad 1. authoritatem authoris lib. 1. de ſpiritu, & anima, qui habetur tom. 3. operum S. Auguſtini, verum non eſt ipſius.

Confirmatur, indeque etiam probari poteſt minor præcedentis argumẽti: quia actus myſtici, quantumuis excellentes; nunquam tamen ad perfectionem viſionis Beatificę peruenire poſſunt: ſed intellectus lumine gloriæ perfuſus, & eleuatus ſufficit ad eliciẽdam viſionem Beatificam, nec Theologi requirunt ad illam, aliam potentiã intellectiuam; nec igitur poni debet ad actus myſticos cognitiuos; ſed ſuprema animæ vis, quæ intelligentia nuncupatur eſt intellectus ipſe, qua ratione lumen à Deo recipit: & vel prima principia, conceptis duntaxat terminis, vi naturali, vel occulta diuinæ ſapientiæ, immiſſo lumine ſupernaturali abſque diſcurſu cognoſcit. Vt ait Richardus lib. 1. de Contemplat. cap. 9. *Simplicem*, inquit, *intelligentiam dico, quæ eſt ſine officio rationis: Puram verò, quæ ſine incurſione imaginationis.*

Iiſdem rationibus patet, nullam eſſe neceſſitatem conſtituendi, pro actibus myſticis affectiuis potentiam appetitiuam altiorem quam ſit volũtas, quomodocumque nominetur, vel *Synteręſis*, vel *apex mentis*. Primo enim, ſi in parte intellectiua, non eſt altior potentia, quam intellectus; ita nec in appetitiua altior eſt alia, quam volũtas. Deinde idcirco ponitur à nonnullis myſticis, quia voluntas, vt aiunt, non eſt capax actuum myſticorum; ſed hoc eſt ſine fundamento dictum; quæcumque enim ipſi attribuunt tali potentiæ, optime applicantur, ac conuenire poſſunt voluntati, ſecundum excellentem quendam operandi modum; ſi enim in Patria ſicut intellectus eleuatus, eſt capax viſionis Beatificæ, ita & ipſa amoris Beatifici; multo magis in via, erectio appetitus intellectum ſupergredientis, ac Deo magis appropinquantis refundi debet in ipſam voluntatem, eadem, qua in Patria nunc etiã charitate amantem. Etſi enim exceſſus ille charitatis Deo hærentis in cauſa ſit, vt portio ſuperior voluntatis in qua viget, quæque portioni ſuperiori rationis reſpondet, tantopere ſe attollat, vt non ipſa voluntas, ſed potentia voluntate altior appareat: re vera tamen eſt ipſa ſummitas voluntatis ignitæ, quæ flammeſcit igne duplici, Sapientiæ ſcilicet, & charitatis; & perfectius Deũ adhæſione, vel guſtatu percipit, quã notitiæ actu intellectus agnoſcat. Porro ex ea ipſa perceptione Dei, quæ voluntatis, illuſtriſſima quædam lux, qua intellectus poſſit excelſius, quam ante diuina contemplari diſſultat. Iuxta illud Apoſtoli Epheſ. 18. *In charitate radicati, et fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, et longitudo, et ſublimitas,*

blimitas, et profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ claritatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

CAPVT II.

Quod actus intellectus, in quibus formaliter conſiſtit Vnio Myſtica, debent eſſe effectiuè à contemplante, non verò à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè ſe habente.

QVod iam non ſemel inſinuauimus, hìc ex profeſſo probabimus, ſcilicet actus intellectus, in quibus formaliter conſiſtit Vnio Myſtica, debere eſſe effectiuè à contemplante, non verò à ſolo Deo, intellectu merè paſſiuè ſe habente. Quia autem dupliciter concipi poteſt, huiuſmodi actus communicari à Deo intellectui, vel vniendo ſeipſum illi in ratione intellectionis, vel infundendo illi perfectiſſimam aliquam intellectionē creatam; cum primum iam ſuperiori ſectione ſufficienter refutauerimus, ſecũdum hìc breuiter refellemus, cum ſit res aperti iuris.

Primumque argumentum deſumitur ex analogia huiuſmodi actuum ad viſionem beatificam, quam cõmuniter Theologi docent 1. p. qu. 12. non infundi extrinſecus à Deo, intellectu beati merè paſſiuè ſe habente, ſed efficienter ab illo procedere eleuato per lumen gloriæ, in hunc finem à Deo ſolo infuſum; Multo igitur magis id aſſerendum eſt, de actibus intellectus ad vnionem myſticam ſpectantibus, multo minus perfectis; eos nimirum efficienter elici ab intellectu, per lumen, & ſpecies infuſas diuinitus eleuato. Eademque ratio currit de actibus voluntatis.

Secundò probatur, quia actus fidei, charitatis, & contritionis, aliique huiuſmodi non producuntur effectiuè à ſolo Deo, voluntate, vel intellectu creato merè paſſiuè ſe habente, ſed producuntur ſimul cum Deo ab huiuſmodi potentijs, vt patet ex definitione Concilij Tridentini ſeſſ. 6. can. 4. & 5. Ergo ſimiliter actus myſtici, quibus anima Deo vnitur in ratione cogniti, & amati, non producuntur à ſolo Deo effectiuè, intellectu, aut voluntati merè paſſiuè ſe habente.

Nec refert quod huiuſmodi actus myſtici perfectiores ſint actus vitales ſupernaturales, quam actus fidei, vel charitatis ordinarij; Hoc enim ſolùm probat illos procedere etiam debere à perfectiori principio, cuiuſmodi ſunt dona, & motiones Spiritus Sancti; ſicut etiam ex hoc, quod viſio beatifica præcellat omnibus, procedere etiam debet à perfectiſſimo omnium principio, quod eſt lumen gloriæ.

Tertiò probatur, quia tam viſio beatifica, quam actus myſtici vnientes animam Deo, ſunt actus vitales, quibus anima viuit, conſummatè quidem in patria, hìc verò inchoatè vita ſupernaturali diuina; ſed de ratione actuum vitalium, ſeu vitæ in actu ſecundo eſt, quod procedant ab intrinſeco, & quaſi ex imis viſceribus eius, quod viuere dicitur, vt patet in omnibus viuentibus, imo hac potiſſimum nota viuentia, à nõ viuentibus diſtinguntur, quod viuentia ſeipſa moueant, & ex ſe in ſe motum cauſent, qui idcircò vitalis appellatur; non viuentia autem ſeipſa mouere non valeant, ſed ab extrinſeco motum accipiant: Ergo tam viſio beatifica in patria, quam actus intellectus, & voluntatis in via vitaliter vnientes animam Deo in actu ſecundo, debent efficienter ab ea, medijs tamen illis potentijs elici, & in ea immanenter recipi, vt patet in omnibus alijs actibus vitalibus.

Quæ ratio benè ponderata non ſolum concludit de facto, has potentias non ſe habere merè paſſiuè reſpectu quorumcumque ſuorum actuum, verum etiam de potentia Dei abſoluta,

id

id fieri non poſſe, loquendo de illis in ratione formali actuũ vitalium (quicquid ſit de ipſis tantùm in ratione qualitatis, vel entis conſideratis, vtrum nimirum de potentia Dei abſoluta poſſit intellectio conſtitui in intellectu merè paſſiuè ſe habente, ſicut ſpecies intentionales ſunt in aere) nam illud manifeſtam inuoluit cõtradictionem, intelligeret enim intellectus, & amaret voluntas, vt ſupponitur, & nõ intelligeret, nec pariter amaret voluntas, quia effectiuè nec intellectus intellectionem, nec voluntas eliceret amorem, quod requiritur ad vitaliter intelligendum, & amandum. Vt enim actus vitales ſint tales, ſuumque effectum formalem tribuant, id eſt vt per eos anima verè,& propriè dicatur viuere in actu ſecundo, duo ſunt neceſſaria; Primò vt procedant,& pullulent ab ipſa anima, medijs ſemper eius potentijs, & alijs requiſitis, pro qualitate, & dignitate huiuſmodi actuum, tanquam eius germen. Secundò vt in eadem recipiantur, vita enim rei maximè intellectualis in actu ſecundo non poteſt eſſe quid extrinſecum, ſed viuenti debet eſſe intrinſecum, & intimè ipſum afficere. Atque duplicem importat habitudinem ad ipſum viuens, nimirum, procedentis, & informantis, ſiue effectus, & formæ.

Per quod patet ad primam quorũdam obiectionem dicentium, Deum poſſe facere ſe ſolo, quidquid poteſt facere cum cauſa ſecunda. Reſpondetur enim primo id intelligendum eſſe de cauſa purè efficienti, non autem efficienti ſimul, & formali, cuiuſmodi eſt actus vitalis; atque adeo ex hoc capite Deus non poteſt ſupplere per ſeipſum actionem vitalem; Secundò reſpondetur, nec etiam creaturam infundere poſſe, dumque dicitur eum poſſe ſe ſolo facere, quidquid poteſt cum cauſa ſecunda, id intelligendum eſt de effectu, non dicente ordinem intrinſecum ad cauſam efficientem, qualem dicit operatio vitalis, eo ipſo quod eſt talis ad principium ſuum vitale intrinſecum, vt probauimus.

Secundò poteſt obijci, quod, ſi homo in patria non ſe haberet merè paſſiuè reſpectu viſionis Beatificæ, & in via reſpectu actuum myſticorum intellectus, & voluntatis, indè poſſe dici, quod ſeipſum beatificaret, & vniret Deo, quod videtur abſurdum, gratiam enim, & gloriam dat Dominus.

Reſpondetur, quod, licet homo producat viſionem Beatificam efficienter, nec non actus myſticos, non propterea ſequitur, nec ſimpliciter, aut propriè dicendum eſt, ipſum ſe beare, vel Deo vnire; ſicut non conceditur, quod homo ſe iuſtificet, quamuis in prima iuſtificatione, cum ex impio ſit iuſtus, actiuè concurrat ad ſuam iuſtificationem, vt ſancitum eſt Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. Et ratio eſt ex D. Thoma in 4. diſt. 49. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 2. quia viſio beatifica, & ſimiliter quicunque actus vitales ſupernaturales, licet producantur ab homine effectiuè, non tamen habent beatificare, nec vnire hominem Deo, ſecundum ea quæ habet naturaliter, & ex proprijs, ſed ſecundum ea quæ habet ex virtute ſupernaturali ſibi à Deo collata, videlicet in viſione beatifica, ex lumine gloriæ, & ex vnione diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis; in vnione verò myſtica, ex ſpeciali motione Spiritus Sancti, & ſpeciebus diuinitus infuſis.

Quamuis etiam in bono ſenſu, & ſecundum quid concedi poſſit, quod homo ſe beatificet, non quidem obiectiuè, hoc enim ſoli Deo competit, ſed formaliter, ſiue quod ſit cauſa ſuæ beatitudinis formalis, & ſuæ ſimiliter cum Deo vnionis, quia videlicet producit effectiuè actum viſionis, in quo conſiſtit eſſentialiter beatitudo formalis, nec non actus intellectus, & voluntatis, in quibus conſiſtit formaliter vnio myſtica cum Deo. Sicut etiam conceditur in ſimili ſenſu, quod homo ſe iuſtificet ſimul cum diuina gratia, iuxta

iuxta illud 1. Ioann.3. *Omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe*, id eſt per actũ contritionis, quem ex motione Dei ſupernaturali effectiuè producit, præparatur,& diſponitur proximè ad gratiam: quia ipſa ſola formaliter ſanctificat, non autem actus ad illam præparantes; ſicut viſio Beatifica,& actus myſtici nos Deo formaliter vniunt.

Tertio obijcitur, tam viſionem Beatificam, quam actus myſticos perfectiores eſſe habitibus, à quibus procedunt, atque adeo ſi iſti producuntur effectiuè à ſolo Deo, intellectu creato merè ſe paſſiuè habente, multò magis, & actus.

Reſpondetur primò iſtud argumentum nimis probare, proptereaque nihil, ſiquidem omnes alij actus ſupernaturales dici etiam poſſunt, ſaltem in ratione actus, ſuis habitibus perfectiores, imo & in ratione entis, quam alij habitus per ſe infuſi, ſic enim volunt multi, actum charitatis eſſe ſimpliciter perfectiorem habitu temperantiæ per ſe infuſo, & tamen hic producitur effectiuè à ſolo Deo, non autē actus charitatis, ſicut nec alij actus ſupernaturales, vt ipſimet aduerſarij fatentur, & tamen eorum habitus ſunt effectiuè à ſolo Deo.

Reſpondetur ſecundò aſſignando differentiam inter lumen gloriæ, & viſionem beatificam, nec non inter alios habitus ſupernaturales infuſos, & eorum actus, quod lumen gloriæ, cæterique habitus infuſi, ſunt quid ſupernaturale per modum principij,& actus primi, quibus eleuantur potentiæ animæ, vt poſſint elicere operationes ſupernaturales;ac per conſequens neceſſariò produci debent effectiuè, ſaltem tanquam à cauſa principali, à ſolo Deo authore gratię; cæterum tam viſio beatifica, quam alij actus ſupernaturales, ſunt quid ſupernaturale per modum actus ſecundi, non tanquam dans virtutem, ſed ſupponens, & ideò poſſunt effectiuè produci à potentia iam eleuata, & in actu primo per habitum ſupernaturalem conſtituta, accedente inſuper actuali Dei auxilio. Eſt & alia differentia, quod lumen glorię, cæterique habitus ſupernaturales intellectum, & voluntatem perficientes, ſi ſint quid vitale, hoc tantum habent in actu primo, nullum autem eſt inconueniens, quod huiuſmodi vitalitas proueniat ab extrinſeco, imo neceſſe vt patet in anima rationali à Deo creata dante vitam corpori; at actus vitales ſupernaturales ſunt vita in actu ſecundo, de cuius ratione eſt, vt dicat intrinſecum ordinem ad ſubiectum in quo eſt, tanquam ad principium effectiuum, vt dicatur illa viuere in actu ſecundo.

CAPVT III.

Quod ad actus intellectus ſupernaturales, in quibus formaliter conſiſtit Vnio Myſtica, requiratur quidem fides, ſed non ſufficiat, niſi perficiatur inſuper, & eleuetur per dona Spiritus Sancti, motionemque illis correſpondentem.

Dicente Apoſtolo Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſſe placere Deo*, manifeſtè patet ad vnionem myſticam animæ cum Deo, neceſſariò fidem requiri; tùm quia ex D. Thoma 1.2. q.68. art. 8. *Virtutes Theologicæ ſunt, quibus mens humana Deo coniungitur*; tum quia ipſa eſt fundamentum, fontaleque principium totius luminis, & cognitionis ſupernaturalis; vnde idem Apoſtolus loco citato ſubiungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deũ, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quæ verba explicans ibidem D. Thomas ait: *Nullus accedit ad Deum niſi per fidem*: & in 4. diſt. 39. qu. 1. art.6. ad 2. *Prima coniunctio animæ ad Deum eſt per fidem, et ideo per eam anima quaſi deſponſatur Deo*. Et 2.2. q. 3. art.2. ad 1. *Homo per fidem ſuam ipſi veritati diuinæ coniungitur*.

Attamen quia fides etiam Theologica ſine charitate, ſiue informis eſſe

poteſt

poteſt, inde ſequitur, eam ita vnire intellectum Deo, ſiue ipſi veritati diuinæ, vt tamen id ſolum præſtet ſecundum quid, & non ſimpliciter, ex D. Thoma 3.p. q.8.art.3. ad 2. *Fides informis*, inquit, *vnit Christo ſecundum quid, et non ſimpliciter*; propterea ad perfectam cum Deo vnionem neceſſaria eſt charitas, ſeu fides per illam formata, de qua ait D. Auguſt. ſer.61. de verb.Dom. *Qui in Chriſtum credit, credendo in Chriſtum, veniet in eum Chriſtus, et quoquo modo vnitur in eum, et membrum in corpore eius efficitur, quod fieri non poteſt, niſi et ſpes accedat, et charitas*. Quæ adhuc fides, & charitas ſimul in iuſto coniunctæ cum dupliciter conſiderari poſſint, vel intra proprios virtutis ordinariæ limites, vel ſecundum quod vlterius perficiuntur, & eleuantur ad gradum heroicũ, ſiue modum operandi diuinum: ita primo modo ſpectatæ ſufficiunt ad orationem, & contemplationem, vel vnionem per illam cum Deo Incipientium, & Proficientium propriam, vt tamen ſecundo modo requirantur ad vnionem perfectorum propriam, & per excellentiam conſequenter myſticam, & arcanam dictam. Quod cum habere non poſſint, niſi per dona Spiritus Sancti, motionemque eis correſpondentem; idcirco aſſerimus actus myſticos debere eſſe ab illis, vt à proprijs principijs: vt expreſsè docet D. Thomas in cap. 11. Iſaiæ: Eſt enim ex ipſo duplex defectus virtutis, alter ex parte habentis, alter ex parte ipſius habitus. Ex parte habentis eſt defectus per accidens, ſcilicet ex indiſpoſitione ſubiecti participantis imperfectè talem habitũ; & hic defectus tollitur per augmentũ, & intenſionẽ, qua creſcit virtus. Ex parte habitus eſt defectus aliquis intrinſecus, quatenus talis habitus habet aliquã imperfectionem annexã: ſicut fides, verbi gratia, ex natura ſua eſt imperfecta, quia ænigmatica, & obſcura, & in ipſa caligat oculus, iuxta quod dicit Salomon 2. Paralip. 6. *Dominus pollicitus eſt, vt habitaret in caligine*, id eſt in fide, iuxta illud Pauli, *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*. Et iſte defectus, inquit D.Thomas, tollitur per altiorem habitum (qui vocatur donum, quia quaſi excedit modum communem operationis humanæ) & eſt donum intellectus, quod facit aliquo modo limpidè, & clarè penetrare conuenientiam, & credulitatem eorum, quæ ſunt fidei, & diſcretionem eorum ab erroribus, & ſenſibilibus.

Igitur cum ſola, & nuda fides in obſcuritate nos relinquat, proptereaque homines ordinario modo procedentes in contemplatione per ſolam fidem, facilè attędiantur, diuque perſeuerare nõ poſſunt, quod in eius caligine potius videātur eis cælari, ſeu res cæleſtes occultari, quam aperiri, iuxta illud Moyſis Deuter. 33. *Oculus Iacob in terra frumenti, et vini, calique caligant rore*. Neceſſe eſt, ne qui contemplatiui ſunt, deficiant, interdum illis aperiri hoc cælum; quod fit per dona intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, & conſilij. In cuius ſignum, & argumentũ dicitur Matth.3. de Chriſto baptizato, *quod confeſtim aſcendit de aqua, & ecce cæli aperti ſunt ei, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam in ipſum*. Quatenus anima, fide ſemel recepta, cuius ſignaculum eſt baptiſmus, hoc inſuper accipit à Spiritu deſcendente, ſeu à motione Spiritus Sancti, vt ei cæli aperiantur, id eſt de cæleſtibus clariorem aliquam habeat notitiam, & non ſolo rore caligent, quantoque amplius in hoc creſcit, tanto amplius ei cæli aperiuntur, & ſpeculatur gloriam Dei, ac de ea delectatur. Quod eſt optimum ſignum aperitionis cælorum, & donorum Spiritus Sancti, ſpecialiſque motionis ipſius, potentias rationales, ſcilicet intellectum, & voluntatem, qui ex ſua ſpiritualitate ſunt quaſi cæli, & virtutes, quibus informantur, ornantium, & eleuantium, vt altius moueatur, & reguletur humanũ

cor,

cot, hoc eſt, non amplius iuxta conſtrictam, & paruam noſtræ rationis menſuram, ſed ſecundum ampliſſimã, & altiſſimam Spiritus Sancti operationem, & regulationem; expulſo etiam omni ſpiritu diabolico. Iuxta illud S.Iob 26. *Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* Vbi enim ſemel diuinus operatur, & regnat ſpiritus, educatur neceſſe eſt omnino ex corde noſtro coluber tortuoſus, id eſt, diaboli ſpiritus, qui non ſolùm in peccatoribus habitat, ſed ipſos etiam ſpirituales viros tortuoſis vijs, puta viſionum, ſeu illuſionum interiorum, decipere, totis conatur viribus, diuino illos ſpiritu illuſtrante, vt illas diſcernere poſſint, rectoque tramite ſine errore, & ambagibus in rectam etiam terram tendant, vt ſcriptum eſt Pſal.142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Idcoque tandem hi cæleſtes habitus, nedum *dona* per excellentiam, ſed & *ſpiritus* etiam vocantur, quia quaſi ipſo Dei halitu inſpiratur anima, quæ ipſis ornatur, vel amplectitur ipſummet Deum tanquam ſponſum oſculantem ſe, & oſculo oris ſui ſpiritum ei immittentem, vt perficiantur, & eleuentur virtutes ad ſuperiorem modum operandi, viæ vnitiuæ, & perfectorum proprium. Quare cæleſtis Sponſa, poſt illa verba, quibus incepit Canticum diuini amoris, & vnionis, *oſculetur me oſculo oris ſui*, ſtatim ſubiungit, *quia meliora ſunt vbera tua vino*, id eſt meliorata, ſeu meliora reddita ſunt vbera tuo vino iſto ſpiritus, quo qui ſunt inſpirati, quaſi ebrij redduntur, adeo vt in die Pentecoſtes multi crederent Apoſtolos muſto madere, vel plenos eſſe, quos ſpiritus repleuerat; Quatenus virtutes diuinitus infuſæ, quæ ſunt quaſi habitus animam ornantes, & quaſi turgentia vbera prominentes, perficiuntur, ſeu meliores fiunt ab ipſo vino ſpiritualium donorum, & vnguentis iſtis optimis fragrantiores; ſpirant enim odorem, quia

à ſpiritu, & halitu diuini ipſius oris procedunt. Quod adhuc magis patebit ſequenti capite, explicando, quid quatuor Spiritus Sancti dona ad vim cognoſcitiuam pertinentia addant ſupra virtutem fidei.

CAPVT IV.

Qua ratione dona Sapientię, Intellectus, Scientiæ, et Conſilij concurrant ad contemplationem, vel vnionem Myſticam.

CVm fides non poſſit illuminari, nec clareſcere ex parte obiecti, quia ſemper nititur teſtimonio dicentis, nec poteſt extra illud ad viſionem rei excurrere, atque adeo anima captiua vinculis fidei, quo ad obiecti caliginem, vt ad clariorem, & perfectiorẽ, quàm quæ in ſola fide fundatur, alijſque virtutibus intellectualibus, & eſt tam Incipientium, quam Proficientium propria, contemplationem in via vnitiua eleuetur, vlterius indiget, vt diximus, Spiritus Sancti donis, nunc breuiter explicandum eſt, qua ratione ad illam concurrant, ſitque.

§. I.

De Dono Sapientiæ.

INcipiendo igitur à dono Sapientiæ, ſuppoſitis iam in hunc finem dictis ſect. 3. cap. 7. de donis in communi, eorumque inter ſe diſtinctione, nec non à virtutibus Theologalibus, cæteriſque infuſis, tum intellectualibus, tum moralibus; In hoc ſapientia, quæ eſt Spiritus Sancti donum, fidem perficit, & contemplationem diuinam, ſupra aliam ex fide duntaxat ortam, ac procedentem extollit, clarumque illius ſignum eſt, vel argumentum, quod dilectionem Dei ſupponit, & in ea fundatur, quia eſt myſtica, & affectiua, ſeu experimentalis notitia diuinorum, ſiue ea reſpiciens

cauſaliter ex affectu vniente per modum obiecti vniti, & guſtati, iuxta illud Pſalm. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*; intellectu videlicet ab ænigmatica cognitione fidei ad limpidè, & clarè contemplandum myſteriorum eius magnitudinem, & credibilitatem exurgente in flamma amoris, & vt dicitur Iſaiæ 3. *In ſplendore ignis flammantis in nocte*; dum ſibi melius, & conuenientius videtur, & apparet, id quod amat, vel per amorem guſtat. Et quamuis hæc quoque formalitas notitiæ ſapidæ, ſeu reſpicientis diuina, per modum obiecti vniti, & guſtati, competat contemplationi ſupernaturali ordinariæ Incipientium, & Proficientium, habentium, vt ſupponimus charitatem; in hoc tamen diſtinguitur ab illa contemplatio ſupernaturalis infuſa Perfectorum, viæque vnitiuæ propria, quod iſta fundatur in perfectiori charitate. Sicque Sapientia, quæ eſt Spiritus Sancti donum, addit ſupra fidem rationem notitiæ ſapidæ, ſeu, vt dicebam, reſpicientis ex ſe diuina per modum obiecti vniti, & guſtati, quod non competit fidei formaliter, ſed tantum radicaliter; idque præſtat eadem ſapientia ex perfecta, & heroica charitate, in quo conuenit quidem cum alijs tribus donis Intellectus, Scientiæ, & Conſilij, diſtinguitur tamen ab alijs virtutibus intellectualibus, quæ, vt & fides Theologica ſimul eſſe poſſunt cum charitate ordinaria Incipientium, & Proficientium propria.

Inſuper Sapientiæ donum, contemplatioque ab illo procedens, addit ſupra fidem, & contemplationē ordinariam in illa fundatā; quod fides credēdo ſimplicem duntaxat habet aſſensū ob diuinam authoritatem, abſque eo quod inquirat, vel intelligat obiecta credita per cauſas; ſique contemplatio in illa fundata ea interdum ita intelligat, id ſolum fit modo ſemper humano; at donum Sapientiæ, cum ſit ſumma, ſeu ſuprema ſcientia, habet illa intelligere, & ſcire per altiſſimas cauſas, non humano, ſed diuino modo, ſiue non cognoſcendo tales cauſas per quidditatem earum, ſed, vt dicebam, per experimentalem, quamdam, & affectiuā vnionem, quæ eſt communis omnibus donis, inſeparabiliſque ab illis vbi operantur ex proprijs; ſeu ex inſtinctu diuino, qui ita contemplatur. Nam ſola fides poſita in intellectu cum non deſeruiat niſi ad aſſentiendum reuelatis à Deo, non autem ad penetrandum, & cognoſcendum conuenientiam, & rationem eorum in ratione credibilium, ſiue quantum digna ſint creditu, quamuis eleuata ſupra omnem naturam, quantumque propterea debeant imprimi cordi, & amplecti; nec etiam ratio humana, quantumuis per fidē eleuata, aut alias quaſcunque virtutes, diſcurſibus humanis, ſeu ſecundum modum humanum procedentibus id poſſit ſufficienter aſſequi, licet enim poſſit credibilitas ipſa myſteriorum fidei per diſcurſum euidenter oſtendi, tamen etiam conuictus intellectus de tali credibilitate non afficitur ſufficienter ad res fidei, tum ad credendum, tum ad inhærendum eis, & operandum iuxta illas: propterea requiritur, quod ex aliquo interiori ſpiritu, & inſtinctu, cōuenientia ipſa myſteriorum ad credendum, & amandum, & operandum moueatur. Quod manifeſtè apparet, quando quis tentatur, & fluctuat in rebus fidei, nec poteſt facile quietari, & tamē repente ſolet in tantam prorumpere ſerenitatem, & affectum, quo videntur ſibi res illa ita certæ, vt nihil verius poſſit dici; hoc enim aliunde prouenire non poteſt niſi ex inſtinctu interiori, & illuſtratione Spiritus Sancti vnicuique eius dono accommodata, ſimul affectum ad illas inflammante, & ex illa inflammatione lumen intellectus accēdente, vt fateatur nihil verius eſſe, & dici poſſe.

Illuſtratio autem propria doni Sapientiæ, eiue correſpondens eſt illa, qua, vt diximus, mens in contempla-tione

tione eleuata cognoſcit rationes credibilitatis, congruentiaſque myſteriorum fidei perſpicaci oculo diuini amoris, & iudicat de illis per altiſſimas cauſas, ſiue tale iudicium fiat per diſcurſum obiectiuum, ſeu ex parte rei cognitæ, aut in alio, quod frequentius accidit, eſtque magis proprium Sapientiæ; ſiue fiat per diſcurſum formalem, ſeu ex parte cognoſcentis, aut ex alio, quod ipſi nō repugnat ex imperfectione noſtra in hac vita. Sic ergo, reducendo rem ad praxim, ſe habet in diuina contemplatione ex dono ſapientiæ, quod fidei promptè aſſentienti myſterio ad contemplandū propoſito, abſq; alia rationum inquiſitione, ſimplici tātum ſuadela captiuando intellectum in obſequium reuelatæ ſub obſcuritate veritatis; talis ſapientia iudicium ſuperaddit multo perſpicacius, atque perfectius, ſecundum altiſſimas huiuſmodi veritatis, aut myſterij cauſas, rationes, & conuenientias, taliter vt mens contemplantis rerum ſublimitate aliquando ſuſpendatur, & in quamdam ſenſim admirationem rapiatur: Quique indè ſequitur in appetitu rationali guſtus, & ſapor exuperans omnem ſenſum, ſoleat etiam redundare, cum eſt vehementior, in appetitum ſenſitiuum.

Exempli gratia ſi myſterium Incarnationis Aeterni Verbi proponatur cōtemplandum, aperit in eo Sapientia congruentias propemodum infinitas: Vt quod natura boni ſit eſſe ſui communicatiuum; atque adeo ſummam Dei bonitatem melius oſtendi nobis non potuiſſe, quam ſumme ſe per hoc myſterium communicando; dandoque mundo, ſicut dedit Vnigenitum filium ſuum. Vnde ipſe Ioann. 3. dicebat: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret*. Dilectio prorſus inæſtimabilis, quam idcirco nimiam S. Paulus appellauit Epheſ. 2. 4. *Propter nimiam*, inquit, *charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto*. Miſericordia pluſquam paterna, propter quam ibidem vocat Apoſtolus Deum noſtrū diuitem in miſericordia. Liberalitas, & magnificentia planè diuina, *vt oſtenderet*, addit ibidem, *in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu*. Summa iuſtitia, qua Deo pro peccatis pleniſſime ſatisfactum eſt, cum aliter ex toto ſatisfieri non potuiſſet. Virtus omnipotentis, in edendo miraculo omnium maximo: *Nihil enim maius*, ex Damaſceno lib. 3. fid. cap. 1. *quam Deum fieri hominem*.

Prouidentia erga genus humanum ſingularis, & inde etiam quodammodo effuſa in alias res propter hominem conditas vniuerſas. *Per quam primum in Sancto Sanctorum*, inquit D. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 15. *prædeſtinata eſt iſta naturæ humana tanta, & tam celſa, & ſumma ſubuectio, vt quo attolleretur altius non haberet. ſicut pro nobis ipſa diuinitas, quo vſque ſe deponeret humilius, non habuit*.

Deinde ſic exhibitus eſt nobis vnigenitus Dei, pro Redemptore, pro Saluatore, pro Magiſtro, & Doctore, pro Duce, Rege, Imperatore, pro vero animarum Paſtore, pro Sponſo Cæleſti, pro Summo Sacerdote, pro luce, ſpeculo, exemplo, bonorum fonte, & malorum omnium medicina. Denique, *Omnia habemus in Chriſto*, ait Sanctus Ambroſius lib. 6. Exam. cap. 4. *& omnia Chriſtus eſt nobis: ſi vulnus curare deſideras, medicina eſt, ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi cælum deſideras, via eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cibum quæris alimentum eſt*.

In eodem quoque myſterio Spiritus Sapientiæ nedum cur Deus homo, verum etiam cur Dei filius homo, ſecunda perſona videlicet potius, quam prima, vel tertia Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, plures adhuc congruentiſſimas contemplanti rationes aperit. Primò ex parte ipſius, quod ſicut artifex per verbum mentis, quod eſt exēplar

plar operis faciendi, ſuum perficit opificium, eodemque, ſi deſtruatur, quod antea fecit, inſtaurat; ita cum Deus per verbum ſuum condiderit vniuerſa; nam S.Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud eum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: oportebat etiã, quod erat reficiendum in opere primario per humani generis redemptionẽ, hoc Diuino verbo reficeretur: *vt notum faceret*, inquit Apoſtolus Epheſ. 1. 9. *nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporis, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.* Ex parte verò noſtri, quod, cum propria hominis perfectio in eſſe rationali ſita ſit, & per hanc Deo aſſimiletur, à qua maximè deſciuit per inordinatum appetitum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam illi verſutiſſimus Dœmon falſe pollicebatur, voluerit quoque nobis Deus ſubuenire increata Sapientia verbi ſui.

Similiter tandem & in hoc, quod Dei Verbum noſtra mortali carne veſtitum, cum potuiſſet vnica pretioſiſſimi ſanguinis ſui gutta tantum in circumciſione fuſa, imo vna qualicunque lachrymula, vel actione, à peccatis ſufficientiſſime nos redimere: tamen adeo multa elegerit ad ignominiam indigniſſima, ad dolorem ſæuiſſima, & crudeliſſima ſuſtinere; & ſic in alijs ad hoc myſterium ſpectantibus; non deſunt plures, quas ſuggerat, & contemplantem edoceat Spiritus ſapientiæ, rationes altiſſimæ, quæ non poſſunt non magnam in intellectu cauſare claritatẽ, ac certitudinem, maioremque adhuc in appetitu amoris dulcedinem, ac ſuauitatem.

Cum autem præter ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis infuſa, & ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti, detur inſuper per ſpiritum *Sermo ſapientiæ* 1. Corinth. 12. per hanc ibi intelligitur, gratia gratis data, vt mox explicabimus, non autem principium aliquod formale, & elicitiuum contẽplationis ſupernaturalis, altius dono Sapientiæ. Etſi enim libenter admittamus, ſermonem ſapientiæ, quæ eſt gratia gratis data, vbi reperitur ſimul cum ſapientia, quæ eſt donum, iſtam indè poſſe dici perfectiorem; itẽ quod illa ſit perfectior eo ſenſu, quo D.Thomas 2. 2. quæſt. 45. art. 5. ad 1. docet quod gratiæ gratis datæ ſunt altiores, & digniores, quam dona Spiritus Sancti, quia ordinantur ad bonum commune Eccleſię, quod eſt ordo Eccleſiaſticus; nequaquam tamen admitti debet eſſe, quid abſolutè perfectius, aut in ratione principij elicitiui contemplationis, quam ſapientia, quæ eſt donum, & pertinet ad gratiam gratum facientem.

Et in hoc ſenſu debet intelligi Diuus Thomas loco citato in corpore articuli, dum ait: *Quidam autem altiori gradu percipiunt ſapientiæ donum. Et quantum ad contemplationem diuinarum, in quantum ſcilicet altiora quædam myſteria, & cognoſcunt, & alijs manifeſtare poſſunt, & etiam quantum ad directionem humanorum ſecundum regulas diuinas, in quantum poſſunt ſecundum eas non ſolum ſeipſos, ſed etiam alios ordinare. Et iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus diſtribuit, pro vt vult, ſecundum illud 1. Corinth. 12. Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ*, in hoc conſiſtens, interim dum infra explicemus ſingulas gratias gratis datas, quod quis poſſit perſuadere ea, quæ ad cognitionem diuinorum pertinent Lucæ 21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri, vt docet Diuus Thomas explicans præfatum Apoſtoli locum lect. 2.

Quamuis hic ſermo ſapientiæ nec ſit, nec arguat lumen aliquod ſuperius in dono

dono Sapientiæ, ſed tantum perfectionem accidentalem; vtrum tamen detur aliud, quod ſit tale, diſcutietur capite ſequenti, vnde ſit.

§. II.

De Dono Intellectus.

HOc donum, actuſque illi correſpondens, præter hoc, quod eſt ipſi commune cum ſapientia, & alijs donis, ſcilicet quod ſit notitia ſapida, & experimentalis, quod fidei non cōuenit, in hoc inſuper illam perficit, & contemplationem, cuius eſt principiū, eleuat; quod, cum iudicium fidei ſit per modum adhæſionis, & credulitatis, ad res ipſas, ſeu veritates ſupernaturales, credere enim eſt *cum aſſenſione cogitare*, vt ex Auguſtino communiter docent Theologi, ita quod ex parte ineuidentiæ, & obſcuritatis habet motum, & fluctuationem, hoc enim ſignificat verbum cogitare, quod motum quaſi dubitantis, non in certitudine, ſed in claritate, aut fluctuantis deſignat, ſeu nondum perfectè ſatiati intellectus qui ſolum per viſionem rei quietatur; ex parte autem certitudinis, ſeu aſſenſus habet firmitatem, non quidem ortam ex viſione obiecti, ſed ex teſtificatione Dei extrinſeca per voluntatem, & piam affectionem acceptata: cum, inquam, tale ſit fidei iudicium, illud doni intellectus eſt iudicium intelligentię, qua ſuccurrit fidei, pro ea parte, qua patitur fluctuationem, & motum ineuidentiæ; ſic enim iſtud donum penetrat terminos ipſos ex quibus veritates fidei conſtant, earumque credibilitatē, & diſcernit inter veritates, & errores, inter ſpiritualia, ſeu eleuationem eorum, & corporalia, aut ſenſibilia, vt anima per illud intelligat, & iudicet, non quidem analytice, ſeu per cauſas, vt per dona Sapientiæ, & ſcientiæ, ſed tantùm ex præfata penetratione, non ita ſe habere ſpiritualia, ſicut per phantaſmata nos cognoſcimus, propterea que multo altius eſſe de illis ſentiendū; indeque per viam remotionis tam euidentem de rebus fidei, format intelligentiam, ſaltem euidentia quadam extrinſeca, & negatiua, mox explicanda, vt non amplius patiatur fluctuationem in fide, firmatam iam, & quietatam per talem euidentiam; ratione cujus fides, non ſumendo illam pro virtute, ſeu habitu fidei, ſed pro dicta firmitate mentis, dicitur fructus Spiritus Sancti correſpondens dono intellectus, tanquam effectus, ſeu fructus eius, vt docet Diuus Thomas 2.2.q. 8. art. 8.

Quæ tamen claritas, aut euidentia ex dono intellectus orta non deſtruit fidem. Penetratio enim, & intelligentia veritatis poteſt eſſe vel perfectè vel imperfectè. Perfectè intelligitur aliquid, quando habetur euidentia illius intrinſeca, poſitiuèque cognoſcitur quid ſit, aut quomodo ſit. Imperfectè verò, quando non cognoſcitur quid ſit in ſe, aut quomodo ſit, ſed potius quid non ſit, vel quod veritati nō contrariatur ſecundum ea, quæ exterius apparent; proptereaque ab eo recedendum non eſſe; quæ eſt euidentia extrinſeca, & quaſi negatiua. Etſi autem prima ſit incompoſſibilis cum fide, ſecus tamen iſta; nec enim opponitur fidei, quod aliquis habeat euidentiam extrinſecam, quæ eſt de credibilitate myſteriorum eius, aut à fide non eſſe recedendum propter quācumq; extrinſecam rationem, eo quod nihil contrarium fidei verum eſt; quæque de Deo creduntur, non eſſe accipienda ad modum ſenſibilium, neque ſecundum hæreticas prauitates. Talis autem eſt, & non prima euidentia, quam cauſat interius illuſtratio Spiritus Sancti per donum intellectus, quęque proindè non opponitur obſcuritati fidei, quæ ſolum circa res ipſas creditas in ſe obſcura, & ineuidens eſt, non verò circa credibilitatem, vel certitudinem ſuam. Vndè licet in hac vita non experiamur euidentiam poſitiuam, circa ipſas res fidei, in quibus

ſemper oculus caligat, tamen circa ipſum ſenſum Scripturæ, circa credibilitatem teſtimoniorum, circa ipſam certitudinem fidei, diſcretionemque eius ab erroribus, talem nonnunquam percipimus intellectus quietationem, quæ ſine aliqua euidentia ſaltem extrinſeca, aut negatiua haberi non poteſt; quamque eſſe effectum interioris illuſtrationis Spiritus Sancti per donũ Intellectus, clarum eſt argumentum, quod plerumque ſimplices, & idiotæ homines, & mulierculæ, quæ nihil de ſtudio Theologiæ attigerunt, ſolùm vitæ ſanctimonia, puritate, innocentia, interna cum Deo conuerſatione, illam tamen ſentiunt, pluresque eorum ſic iſto dono, & alijs profuerunt, vt cum varios libros conſcripſerint, vbi materias ingrediuntur difficillimas, & altiſſimas, attamen non ſolùm in illis nihil inuenitur, quod à ſacra doctrina, catholicis dogmatibus, & bonis, pijſque moribus appareat alienum, quin imo omnia ſunt illis conſona, diuinumque Spiritum redolentia. Talis fuit Sancta Mater Thereſia, de qua Eccleſia in eius lectionibus ait: quod, *Multa cæleſtis Sapientiæ documenta conſcripſerit, quibus fidelium mentes ad ſuperna patriæ deſiderium maximè excitantur*.

Cum igitur euidentia de credibilitate rerum fidei, & euidentia illa negatiua de eo quod res diuinæ non ſunt accipiendæ iuxta modum rerum ſenſibilium, aut errorum hæreticalium, poſſit haberi dupliciter, vno modo per ſtudium, & induſtriam propriam, qualiter in multis Theologis reperitur. Alio modo per inſtinctum internum, & illuſtrationem Spiritus Sancti; quæ dupliciter adhuc fieri poteſt, ex Diuo Thoma 2.2, q.8. art.1 ad 5. vno modo communiter, & imperfectè, ſicut etiam in peccatoribus inueniri poteſt, vt in Caipha, qui habuit inſtinctum internũ ad prophetandum, & in Balaam prophetice quoque illuſtrato. Alio modo ſpecialiter, provt fit in ſolis iuſtis per rectam, & debitam æſtimationem finis vltimi, quæ tunc habetur, quando de Deo ſic ſentiunt, vt ſe & omnia ſua ei ſubijciant, nec propter aliquid ab eo recedendum eſſe determinent; hoc duntaxat vltimo modo illuſtratio Spiritus Sancti habet ſpecialem rationem doni intellectus, quia tunc ſolum habet perfectam rationem doni, quando eſt cum recta, & debita conformitate voluntatis.

Sieque etiam euidentia de credibilitate, & alijs extrinſecis proprio habita ſtudio, aut etiam ex illuſtratione, & inſtinctu Spiritus Sancti provt communiter eſt per modum gratiæ veluti gratis datæ in peccatoribus, & iuſtis, præcedit quidem fidem, & poteſt in peccatoribus manere. Euidentia autem habita ex ſpeciali illuſtratione Spiritus Sancti, quæ, vt dixi, fit in ſolis iuſtis per rectam, & debitam æſtimationem finis vltimi, quæque eſt propria doni intellectus, ſubſequitur fidem, tanquam habitum primorum principiorum ſupernaturalium, & charitatem, quatenus hoc donum non acuit, nec perficit mentem ad intelligendas fidei veritates, quaſi ex ſtudio, & diſputatione, & quaſi metaphyſicè, ſed ex connaturalitate quadam, & vnione ad diuina, aut myſtica; quæ vnio, & connaturalitas, cum fiat per charitatem, vel affectum, ſeu ſpirationem voluntatis, debet donum intellectus, ſicut, & cætera dona illam ſupponere; cùmque etiam quod affectiuum, & ſpiratiuum eſt, vocetur myſticum, indè ad differentiam cognitionis, quæ ſtudio, & diſputatione comparatur, quæque parum mouet voluntatem, niſi ad vanitatem, ſcientia enim inflat; illa quæ ex dono Intellectus, & alijs oritur, mouetque ad affectum rectificandum, & rurſus ex affectu recto maiorem ſumit experientiam diuinorum, rectè vocatur cognitio, & vnio myſtica per excellentiam.

Itaque breuiter ex dictis colligo, donum intellectus, illuſtrationemque eius, in hoc cum cæteris donis primo à fide

à fide diſtingui, eamque perficere, quod tendat ad intelligentiam, & penetrationem veritatis, non quomodocumque, ſed ex quadam experientia affectiua circa res diuinas: fides autem, & actus eius non procedit ex tali experientia, ſed ex nudo teſtimonio dicentis, vnde & datur in peccatore ſine gratia, ſine qua tamen non datur Donum intellectus. Secundo diſtinguitur ab eadem fide, nec non à cæteris donis, perficitque eam in hoc, quod ad fidem pertinet credere, ſiue ſuis aſſentiri veritatibus, propter diuinam reuelationem; ad donum verò intellectus non pertinet formaliter credere, ſed iam credita mente penetrare, & ab erroribus diſcernere. Quare diſtinguendum eſt in donis iſtis intellectualibus id, quod ſe habet regulatiuè, & quod ſe habet formaliter. Regulatiuè enim ſe habet in via fides, in patria viſio, quatenus hic per fidem, & ibi per viſionem mens vnitur, & coniungitur Deo; poſtea per dona Spiritus mens ſic illi vnita, & ſubiecta formaliter mouetur ad proprios vniuſcuiuſque actus ex præſentia, & impulſu ſpiritus agente filios Dei, & ſpirante quocunque voluerit. Vndè S.Thomas 1.2. q.68. art. 8. ait: *Virtutes Theologicas præferendas eſſe donis Spiritus Sancti, quia per eas vnitur mens Deo, & ſubijcitur illi, & ſicut virtutes intellectuales præferuntur moralibus, & regulant eas; ita virtutes Theologicæ præferuntur donis, & regulant ea*; ſi ergo vniuerſim dona regulantur à virtutibus Theologicis; donum quoque intellectus regulatur ab illis, & maximè à fide, quia per hanc mens vnitur veritati, & teſtimonio diuino, deindè circa res creditas formaliter mouetur, & illuſtratur mens dono intellectus, vt eas penetret, & intelligat, & ab erroribus diſcernat. Quare D. Gregorius lib. 1. Moral. cap.32. ait: *Quod donum intellectus de auditis mentem illuſtrat*.

Cur autem in naturalibus idem habitus primorum principiorum, & penetret veritates, & aſſentiatur illis; in ſupernaturalibus verò, præter habitum fidei verſantem circa prima principia ſupernaturalia illis aſſentiendo, detur donum intellectus diſtinctum ad illa penetranda, iam patet ex dictis; quia nimirum in naturalibus aſſenſus primorum principiorum ſolum fundatur in penetratione, & euidentia, non autem eſt alius aſſenſus fundatus in nudo teſtimonio dicentis, & ſolum extrinſecè ſe habentis ad obiectum, ſicut eſt in habitu fidei, & ideo præter illũ, quo aſſentimur veritati credendo, debet dari donum intellectus, quo illi etiam aſſentiamur, non credendo formaliter, ſed penetrando, & aliqualiter experiendo ſaltem, quid non ſit, pro iſta vita, & quomodo à ſenſibilibus diſtet, & erroribus non miſceatur. Itaque per donum intellectus, illuſtrationemque eius reuelat Dominus condenſa; per fidem venit de monte vmbroſo, & condenſo; per illam captiuatur intellectus, & quaſi caligat oculus eius; ambulat per viam deſerti vſque ad montem Dei; denique in terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparet Deo, quod frequenter experiuntur, qui nuda, & ſicca fide orationi inſiſtunt, nempè quaſi ſiccari animam, & faucibus adhærere linguam, dum credit tantum, nec penetrat ad interiora myſteriorum Dei. At vbi vnctio docet nos, vbi Spiritus Sanctus incipit intus flare, vt fluant aquæ, & per donum intellectus aperit nobis ſenſum, & reſerat interiora auſtri, id eſt calidiorem ſuæ charitatis auram immittit, vt ſentiamus, & guſtemus intus quam ſuauis eſt Dominus, tunc planè, tunc conuertit captiuitatem intellectus noſtri, ſicut torrens in Auſtro, id eſt, ad modum, quo torrens acutiori gelu concretus, ſoluitur adſpirante Auſtro, ita & mens noſtra diuino afflante Spiritu per donum intellectus è ſua veluti per fidem captiuitate ſoluitur. Quæ omnia diuerſa horum habituum munera, & officia, clarè

conſtat,

conſtat, pluſquam ſufficere ad ipſorum diſtinctionem.

Habetur inſuper quantum hoc donum intellectus, illuſtratioque eius deſeruiat contemplationi diuinæ; Tum quia per ipſum acuitur, ac veluti ſubtilizatur mens, vt intelligat, & in tam denſis non ambulet tenebris, ſed, vt explicatum eſt in aliquali luce, etiam dum in caligine diuinitatis ambulat, id eſt, per viam remotionis, & vmbrã negationis; ſic enim intrat in potentias Domini, & ingreditur ſpeculando gloriam eius, transformaturque à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, Cuius maximum erit ſignum, & argumentum, ſi mens ita eleuata, & ſublimata, ſentiat quoque ſibi Deum ſupra omnem creaturam exaltari, iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Propriſſimè enim Donum Intellectus, reddit cor altum, quia eleuat illud, vt altè ſentiat, & cognoſcat de diuinis, penetrans, & intelligens, quod ea ſuperant, & excedunt omne, cui comparari poſſunt; & ex tali altitudine cordis ipſum non extollitur, ſicut fit interdum per ſcientiã, quia ſcientia inflat, ſed per donum intellectus, eiuſque illuſtrationem eleuatur, vt exaltetur, & magnificetur Deus, quia apprehenditur, vt magnus, & laudabilis nimis, & anima ipſa noſtra magnificat illum, non ſe.

Tum quia munditia, & limpiditas cordis, cui Chriſtus viſionem, ſeu cognitionem Dei promittit in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam, eſt effectus doni intellectus. Cum autem duplex ſit munditia cordis, ex Diuo Thoma in 3. diſt. 34. q. 1. art. 4. & 2. 2. q. 8. art. 7. vna per modum diſpoſitionis præambulæ, quæ eſt depuratio cordis ab inordinatis affectibus, hanc non facit donum intellectus, ſed fit per gratiam, & virtutes, tam in ſtatu Incipientium, quam Proficientium, neceſſarioque præſupponitur ab illo talis purgatio affectuum, & paſſionum, quantum ad culpam mortalem. Alia eſt munditia cordis in intellectu, ſcilicet ab erroribus, & à formis ſenſibilibus, non quia eis carere omnino poſſimus in intelligendo, ſed quia non ſecundum eas debemus iudicare diuina, & ſpiritualia, ſed ab illis remouere, vel vt docet D. Dionyſius lib. de Myſtica Theologia, *ab eis abſcedere tendentes in diuinam contemplationem*; imo in hoc eſt tota meditationum, contemplationumque cæleſtium lucta, & labor, ſcilicet in remouendo, & ſeparando à diuinis, & ſpiritualibus, quicquid corporalis, vel ſenſibilis formæ eſt; quod cum præſtet Donum intellectus per ſeipſum, iure merito tribuitur ei tanquam effectus proprius munditia, ſeu puritas cordis in cognoſcendo, quatenus eliciendo rectam diuinorum intelligentiam, purgat errores, & remouet mentem à formis ſenſibilibus. Munditiam autem ab affectibus prauis in voluntate, & appetitu quoad culpam lethalem, non facit, ſed, vt dictum, factam ſupponit iam per gratiã ſanctificantem; quoad culpam verò venialem, ſaltẽ deliberatã, etſi in perfectis, & iã valde exercitatis illã ſupponat actualis eius illuſtratio, vbi tamen non reperit, illã quoque cauſat, nõ per ſeipſam, ſed per virtutes, & dona pertinentia ad vim appetitiuã, quæ dirigit.

Tandem cum obiectum Doni Intellectus, illuſtrationiſque illius ſit quodcunque latens obiectum, quod lumine naturali ſufficienter penetrari non poteſt, quodque D. Thomas 2. 2. q. 8. art. 1. comprehendit ſub ſex ſpeciebus; quatenus res latent, vel ſub accidentibus, vel ſub verbis, vel figuris, vel ſub ſenſibilibus, vel cauſis, vel effectibus; Cum, inquam, quicquid ſub iſtis ſex velaminibus latere poteſt, totum hoc ſit obiectum Doni Intellectus, ſiue ad quod penetrandum neceſſaria eſt eius illuſtratio, & acuties, principaliter quidem, aut primario, ſi obiecta ſupernaturalia ſint; ſecundario vero, ſi naturalia, in quantũ ſuperna-

ſupernaturalibus deſeruiunt, vel ex viuacitate circa ſupernaturalia, diſcretioneque eorum ab erroribus, & ſenſibilibus, naturalia etiam aliquando magis illuſtrantur, & penetrantur, hinc reuocando rem ad praxim; I. Quia ſub accidentibus latent ſubſtantiæ, aut alia latentiora accidentia, eius eſt iſta rimari, contemplantique aperire, quomodo, in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſub accidentibus panis, & vini abſit ſubſtantia eorum, & quomodo ſit totum corpus Chriſti modo ſubſtantiali, non quantitatiuo ſub ijſdem; quomodo etiam in myſterio Incarnationis ſit natura humana ſine propria ſubſiſtentia, vel perſonalitate. II. Quia ſub verbis latent diuerſi ſenſus, huius quoque doni beneficio, mens, cum verba Sacrarum Scripturarum contemplanda ſuſcipit, ad earum multiplices, & reconditos ſenſus intelligendos perducitur; quod adeo proprium eius eſt, vt poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus Lucæ 25. aperuerit diſcipulis ſenſum *vt intelligerent Scripturas*, maximè ſecundum proprium, & litteralem earum ſenſum. III. Quia ſub figuris, ſeu ænigmatibus latent ſenſus Myſtici earumdem, vt Moralis, Allegoricus, & Anagogicus, ſicut etiam Parabolicus ſub ſimilitudinibus, vt ſuperiori libro ſatis explicuimus, ad hoc etiam donũ pertinet eorumdem penetratio, & intelligentia. IV. Quia ſub ſenſibilibus latent intelligibilia, & ſpiritualia omnia, quæ propræſenti ſtatu per viam remotionis, ſiue negationis cognoſcuntur à nobis, eius pariter ope intelligimus, idque euidenter euidentia extrinſeca, ea quæ de Deo proponuntur, non eſſe accipienda ad modum ſenſibilium, neque ſecundum hæreticas prauitates, vt diximus. V. Quia ſub cauſis latent effectus, vt ſub Sacramentis gratia, ſub paſſione Chriſti redemptio, omneſque eius effectus, ea quoque omnia, & ſimilia aperit Donum intellectus. VI. Tandem, quia ſub effectibus etiam latent cauſæ, vt ſub effectibus prædeſtinationis, vel reprobationis infinita abyſſus iudiciorum Dei, ad eam quoque penetrandã mens diuinitus per hoc donum aliquando eleuatur. Ad quæ tamen omnia ſe extendit in alijs plus, in alijs minus, prout vult Spiritus Sanctus diuidere.

§. III.

De Dono Scientiæ.

DOnum Scientiæ etiam pertinere ad ſcientiam myſticam, & affectiuam, ſupponimus ex dictis ſect. 3. cap. 8. nec enim in Scriptura vocatur Scientia quomodocunque, ſed ſpiritus ſcientiæ, & ſcientia Sanctorum, quia tantùm eſt in iuſtis; & conſequenter fundari debet in aliqua motione Spiritus Sancti, quæ mouet mentem non puro, & nudo lumine manifeſtante veritatem, prout eſt extra, ſed pro vt interna experientia, & quaſi connaturalitate affectiua ex charitate prouenientе, fertur, & attingit res de quibus iudicat. Cum enim charitas, qua affectus noſter vnitur Deo, primario feratur in Deum, & res diuinas, ſecundario autem in creatas propter Deum; inde fit affectum illum connaturalizari, atque vniri Deo, experimentalemque de illo guſtum habere, nec nõ ſimul de creaturis, formando iudicium de illis, tum ad contemnendum, ne ab illis inordinatè trahatur, tum ad diligendum moderatè, ordinando illas in Deum. Et hoc iudicium diſcretiuum inter Deum, & creaturas quantum ad rectam æſtimationem de creaturis, *ne fiant in odium, & muſcipulam pedibus inſipientium*; ſeu quod ſic illas guſtemus, vt propter illas non hæreamus eis, ſed tranſeamus ad Deũ, nec de illis finem nobis vltimum ſtatuamus, hoc, inquam iudicium, vel cognitio creaturarum tranſire nos faciens ad Deum, ſcientia Sanctorum eſt, fundata in illo ſpirituali guſtu, &

affectu charitatis, qui non ſiſtit ſolum in Deo, ſed etiam ad creaturas tranſit propter Deum, & ordinatè ad Deum; quod iudicium, vel cognitionem, quia format de creaturis, ſecundum earum proprietates, quod pertinet ad cauſas inferiores, & creatas, idcircò vocatur ſcientia, ad diſtinctionem doni Sapientiæ, procedentis ex ipſa cauſa ſuprema, & altiſſima, cui primò & per ſe vnitur per charitatem.

Sic igitur donum ſcientię, illuſtratioque illi correſpondens perficit in hoc fidem, quod iudicat de virtutibus reſolutiuè, & per cauſas, non ſupremas, vt ſapientia, ſed inferiores, fides autem abſque diſcurſu purè credit teſtimonio Dei reuelantis, nec cauſas inquirit; taleque inſuper iudicium procedit ex affectu, & vnione ad Deū, non quatenus vnimur ipſi Deo in ſe, & experimur ipſum, ſed quatenus eſt ratio diligendi ordinatè creaturas, rectamque de illis faciendi æſtimationē; quod non competit fidei, quæ manere poteſt in peccatore ſine charitate, ſicut & ſcientia acquiſita, à qua diſtinguitur etiam ſcientia donum, quod ſit ſupernaturalis, & fundata in præfata interiori experientia, & guſtu rerum ſpiritualium; & ſic eſt ſcientia affectiua, & myſtica, non ſtudio, & induſtria acquiſita, neq; ſolùm quidditates rerū nudo diſcurſu, aut lumine indagatur, ſed affectu ipſo earū differentias ex motione Spiritus Sancti experitur.

Quantum ad obiecta materialia, ad quæ ſe extendit donum ſcientiæ, ſunt eadem, circa quæ verſatur fides, ſub diuerſa tamen ratione formali; ſicut enim donum intellectus circa illa procedit ſimplici iudicio, ex terminis penetrando, & intelligendo quid vnumquodque ſit ſaltem per viam remotionis, non reſolutiuè ex cauſis iudicando; Sapientia verò ex altiſſima cauſa, quæ eſt Deus, ad hæc inferiora deſcendendo, vt explicuimus; ita ſcientia procedit ex cauſis creatis, & inferioribus ad Deum aſſurgendo, & comparationem faciendo inter Deum, & creaturas. Quemadmodum enim ſapientia licet principaliter ſit de diuinis, tamen etiam de creatis, ſeu humanis iudicat, quamuis hoc faciat per altiſſimam cauſam, & inhærendo rebus diuinis, vt docet S. Thomas 2. 2. q.45. art. 1, Ita quoque ſcientia, licet ex cauſis creatis procedat, tamen etiam per eas ad ea, quæ diuina ſunt poteſt attingere, quatenus inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, vndè rectè ait idem S. Doctor 2. 2. q.9. art. 2. ad 2. *Quod cum homo per res creatas Deum cognoſcit, magis videtur hoc pertinere ad ſcientiam, ad quam pertinet formaliter, quàm ad ſapientiam, ad quā pertinet materialiter. Et è conuerſo, cum ſecundum res diuinas iudicamus de rebus creatis magis, hoc ad ſapientiam, quam ad ſcientiam pertinet.*

Ita re ſe habente circa naturam Doni Scientiæ, iam ad praxim reducendo illam; tunc oratio, vel contemplatio ex eius illuſtratione procedit, quando contemplans ex conſideratione creaturarum, attentaque earum conditione, non pluris eas facit; quam in ſe ſint, & ex ſe mereantur, quin imo reſpectu Dei, nihil facit, iuxta illud Apoſt. Philipp. 3. dicentis: *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Indeque etiam iuuari ſolet ad inhærendum firmius Deo, dicens cum eodem Apoſtolo Rom.8. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque Altitudo, neque Profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quibus verbis ſatis oſtenditur, quale iudicium, guſtato ſemel Deo per charitatem, feratur de creaturis ex dono ſcientiæ, ne ſcilicet propter illarum commoditatem, aut timorem ſeparati

quis debeat ab illo; ſiue hanc eſſe ſciẽtiam Sanctorum, qua ſic ipſi nouerunt tranſire per bona, & per mala temporalia, per proſpera, & aduerſa, vt nihil propter illa deflectant à ſemita rectiſſima regni cæleſtis, Ideo de vno tali dicitur Sapient.10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*.

Tandem eum ſcientia acquiſita plerumque reddat hominem ſuperbum, ambitioſum, arrogantem, ſibi nimirum placentem, alios verò facilè contemnentem; ſcientia Sanctorum dono, & illuſtratione Spiritus Sancti obtenta reddit eos, quibus ineſt, magis humiles, modeſtos, manſuetos, ſui non aliorum contemptores; iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas ædificat*, nec non fundata in ea ſcientia Sanctorum, quæ eſt donum Spiritus Sancti. Item cùm plures ſcientia purè acquiſita pollentes, ſæpè magis de creaturis, quam de Creatore ipſo gaudeant; quibus propterea Sapient.54. dicitur, quod *in tentationem factæ ſunt animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*; indeque perpetuò anxij, & inquieti reddantur; Vera Sanctorum ſcientia efficit illos quietiſſimos, & pacatiſſimos: quippè qui per illam norunt, quid tandem ſint omnia creata Creatori ſuo comparata, nec propter aliud condita, niſi vt ad ei melius ſeruiendum nos iuuent, ad illum magis amandum, laudandum, & exaltandum excitent, atque inuitent: norunt conſequenter non tam illis, quam Deo delectari in illis, iuxta illud Pſal. 91. *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*; nec non Eccleſiaſtes 1.2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; quatenus nihil veri ſolatij eſt in creaturis, abſque eo, quod in Creatore quæritur, & inuenitur; aut niſi quatenus ex illis gradum nobis facimus, & ſcalam aſcenſus mentis ad Creatorem. Quæ omnia donum ſcientiæ præſtat abſque vllo diſcurſu formali, ſeu notitia continente in vno ſimplici intuitu iudicium verum, clarum, & rectum de rebus creatis, de omnimoda illarum ab omnium Creatore dependentia, de inſufficientia earumdem ad explendum cor noſtrum, de nihilo, quod habent ex ſe, de ſingulari fuco, vanitate, & inanitate.

Porrò quia ſicut ex Apoſtolo 1. Corinth.12. datur ſermo Sapientiæ, ita & ſermo ſcientiæ, hic quoque, ſicut & ille, cum pertineat ad gratias gratis datas, non reperitur in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ſed in ijs, quibus Spiritus Sanctus diſtribuit, pro vt vult, ad aliorum ordinationem, maioremque ſui manifeſtationem. Vt enim ait D.Thomas explicans præfatum Apoſtoli locum lect. 2. manifeſtatur Spiritus Sanctus per huiuſmodi gratias gratis datas dupliciter. Vno modo, vt habitans Eccleſiã & docens, & ſanctificans eam, puta, cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus Sanctus, facit miraculum, ad oſtendendum, quod fides Eccleſiæ, quam ipſe prædicat, ſit vera. Vnde dicitur Hebr. 2. *Conteſtante Deo ſignis, & prodigijs, & varijs Spiritus Sancti diſtributionibus*. Alio modo, vt habitans eum, cui tales gratiæ conceduntur. Vnde dicitur Act.2. Quod *Stephanus plenus gratia, faciebat prodigia, & ſigna multa*, quem Spiritu Sancto plenum elegerunt, ſic autem non conceduntur huiuſmodi gratiæ niſi Sanctis. Et ne huiuſmodi manifeſtatio vana videatur, ſubdit Apoſtolus, inquit D. Thomas, *ad vtilitatem*, ſcilicet communem. In quo deſignatur finis harum, & hoc, vel dum probatur vera doctrina Eccleſiæ, & ſic fideles confirmantur, & infideles conuertuntur: vel dum Sanctitas alicuius proponitur alijs in exemplum.

Ponit diſtinctionem gratiarum, quæ quidem, vt dictum eſt, dantur ad vtilitatem communem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primò quidem facultas perſuadendi: Secundo facultas perſuaſionem confirmandi: Tertiò perſua-

ſuaſionem intelligibiliter proponendi. Ad facultatem autem perſuadendi, requiritur, quod homo habeat peritiam concluſionum, & certitudinem principiorum circa ea, in quibus debeamus perſuadere. Concluſiones autem in his, quæ pertinent ad ſalutem, quædã ſunt principales, ſcilicet res diuinæ, & ad hoc pertinet Sapientia, quæ eſt cognitio diuinarum rerum, & quantum ad hoc dicitur, *Alij quidem per Spiritũ datur*, ſcilicet Sanctum, *ſermo Sapientiæ*, vt poſſit perſuadere ea, quæ ad cognitionem diuinorum pertinent. Lucæ 21. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere, omnes aduerſarij veſtri.*

Secundariæ concluſiones ſunt, quæ pertinent ad notitiam creaturarum, quarum cognitio dicitur ſcientia. Et quantum ad hoc ſubdit: *Alij autem*, ſcilicet datur, *ſermo ſcientiæ, ſecundum eumdem Spiritum*, vt ſcilicet per creaturas ea, quæ ſunt Dei manifeſtare poſſit. Huic enim ſcientiæ attribuitur illud, quo pia fides defenditur, & roboratur; non autem quidquid curioſitatis in humanis ſcientijs inuenitur, vt Auguſtinus dicit. Sapient. 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*. Eſaiæ 33. *Diuitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia*. Eſt autem notandum, quod Sapientia, & Scientia inter ſeptem dona Spiritus Sancti computantur, ſicut habetur Eſaiæ 11. Vndè Apoſtolus ſignanter inter gratias gratis datas, non ponit ſapientiam, & ſcientiam, ſed ſermonem ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ pertinent ad hoc, vt homo alijs perſuadere valeat per ſermonem ea, quę ſunt ſapientiæ & ſcientiæ.

§. IV.

De Dono Conſilij.

Loquendo de non quocunque conſilio, ſed de ipſo in genere myſtico, & affectiuo, ſeu de Spiritu ipſo conſilij, vt prudentes ſimus eloquij myſtici, ſicut egimus de ſpiritu Intellectus, Sapientiæ, & Scientiæ, ſcilicet quæ ex ſpiritu, diuinoque affectu oriuntur, loquendo, inquam de dono Conſilij, in hoc ſenſu, correſpondente virtuti Prudentiæ, quia propriè ad prudentem pertinet conſiliari, in hoc perficit fidem, in quo tam ab illa, quam à cæteris donis intellectualibus, nec non à prudentia infuſa diſtinguitur ex ſua ratione formali, conſiſtente in hoc, quod dirigat ea, quæ agenda ſunt, non ex rationibus humanis præcisè, ſed ex diuinis, non præcisè cognitis à fide, aut prophetia, qualiter poteſt eſſe in peccatoribus, ſed ex affectu, & experientia diuinorum interna, ex qua docetur, & inſpiratur de omnibus neceſſarijs ad ſalutem, etiam cum diſcurſu, & inquiſitione, aut conſultatione aliorum, quia totum hoc inſpiratur, & docetur à Spiritu qui vt Chriſtus promiſit, *Docebit nos omnem veritatem*. Et *vnctio ipſa docet nos de omnibus*, vtique etiam de diſcurrendis, & inquirendis ab alijs, & ſic agendis.

Fides igitur etiam coniuncta cum charitate, quia ſolum eſt practica eminenter, & per modum regulæ altioris, & vniuerſalis, non autem proximæ, & applicatiuæ ad opus, pro vt hic, & nunc, & ſecundum iudicium, quod ferendum eſt de ipſis medijs, vt eligantur, ideoque exigat aliquam virtutem magis determinatam, & particularem, quæ non ſolum credat, quid debeamus ſcire, & operari, verum etiam diſcernat, & iudicet de medijs, & modo operandi, nec non de circumſtantijs, quibus hic, & nunc operandum eſt, quanta intenſione, & conatu, quanto tem-

tempore, quanta menſura, & ſic de alijs, de his enim omnibus in particulari, non tractat fides, ſuntque arbitraria, & non credibilia. Hæc quidẽ omnia quantum ad modum, & regulas humanas præſtare poteſt ſimul cũ fide virtus prudentiæ infuſæ; verum quia ſæpè Sancti, & iuſti non ſolum iuxta has, ſed diuinas inſuper operantur regulas, ad hoc per vlterius donum Conſilij tam fides, quam prudentia infuſa eleuantur & in contemplatione infuſa diriguntur.

Nec ſufficiunt dona ſapientiæ, & ſcientiæ; quamuis enim eminenter ſint practica, agunt tamen de agibilibus, & de principijs practicis ſolum in communi, & ſcientificè, non autem in ſingulari, & arbitrariè, ſicut donum Conſilij, & ſicut neceſſe eſt pro exercendis actionibus, in quibus maximè deficit humana induſtria, quęve nõ fiunt iuxta modum humanum, & communes regulas virtutum; propterea que præter dona ſapientiæ, & ſcientiæ, requiritur inſuper donum Conſilij, vt ſatis oſtendimus ſupra ſect. 3. cap. 8.

Inſuper cum etiam in pręſenti nomen Conſilij tripliciter ſumi poſſit; Primum pro habitu iuſtorum menti diuinitus infuſo, iuſtiſque omnibus communi, per quem redduntur facilè mobiles circa materiam ad ipſum pertinentem: Secundò pro actu ipſo illius habitus, à quo, diuino Spiritu non ſolum ſupernaturaliter, verum etiam vltra regulas communes operante, procedit: qua ratione, dum videmus aliquem ita extraordinariè agentem, ſicut quod Samſon ſe occiderit, & quod aliquæ Sanctæ Virgines, aut Martyres ſpontè in mortem irruerint, & ſic de alijs, dicimus inſpiratum illi fuiſſe diuinum conſilium, & Deum eſſe ſeminatorem caſti conſilij, Beata Cecilia illi decantabat. Tertiò ſumitur Conſilium etiam pro ipſo obiecto materiali, ſiue pro ipſa materia, circa quam huiuſmodi actus inſpirati conſiliorum occupantur: quemadmodum nomine medicinæ non ſolum artem medendi, ſed etiam eius materiam, videlicet medicam potionem ſignificamus.

In hoc tertio ſenſu loquendo de conſilio, ſiue de obiectis materialibus, ad quæ ſe extendunt habitus, & actus doni Conſilij; certum eſt, directè omnia illa agibilia eſſe, quæ per alia dona appetitiuæ partis operanda ſunt, ſcilicet per Fortitudinem, Pietatem, & Timorem. Sicut enim prudentia virtus reſpicit pro obiecto, & materia ſuę directionis omnia agibilia virtutum Cardinalium, quæ prudentiæ regulis aguntur, ita prudentia donum, ſiue donum conſilij directè attendit regulationi, & directioni eorum, quæ à donis Spiritus Sãcti in appetitiua parte exercenda ſunt; quia ſi donum conſilij per ſe datur ad ſupplendum id, in quo fides prudentiaque & communes eius regulæ deficiunt; per ſe etiam dirigere debet ea opera, quæ vltra modum humanum, ordinariaſque eius regulas appetuntur, & exercentur, & hæc ſunt, quæ fiunt à tribus præfatis donis Spiritus Sancti. Indirectè tamen, & ſecundario etiam poteſt dirigere, & regulare ea, quę ad communes regulas humanas ſpectant, quatenus ſupponi, & ſubordinari debent diuinis. Nec enim ſolum ea, quæ ſunt de conſilio, ſed etiam quæ de pręcepto à dono Conſilij dirigi poſſunt. Vndè ait Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 52. art. 4. ad 1. & 2. *Quod donum Conſilij dirigit nos in omnibus actibus virtutum, & in omnibus, quæ ordinantur in finem vitæ æternæ, ſiue ſint de neceſſitate ſalutis, ſiue non.*

Hocque non ſolum præſtat per ſe, & immediatè, verum etiam mediatè, ſeu mouendo nos, vt ab alijs conſilium petamus; ita vt hoc ipſum diuini ſit conſilij ad alios pro conſilio recurrere, in quibus non poſſimus ſatis nos expedire. Nec enim Spiritus Sanctus ita omnibus manifeſtam ſui copiam facit; vt aliorum communicatione non indigeant, ſed per quoſdam alios inſtruit, & per maiores minores illuminat, ſicut

per

per ſuperiores Angelos inferiores, & dona ſua communicat dependenter ab aliorum inſtructione:

Tandem licet abſolutè poſſit eſſe conſilium, quantum ad id quod determinationis, & reſolutionis eſt in conſiliando, & non quantum ad id, quod dubitationis eſt in inquirendo, qua ratione reperitur conſilium in Deo, in Chriſto, & in Beatis iuxta illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*; nec non Apoſtoli Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Tamen pro præſenti ſtatu, cum tot in agibilibus occurrant dubitationes, & difficultates, quas ſola fides, aut etiam prudentia infuſa ſuperare non poſſunt, datur donum conſilij ad illas tollendas, ſiue per illud maior aliqua certitudo, & ſecuritas, non quidem fidei, ſed prudentialis accipitur, vel occulta inſpiratione, & inſtinctu, quatenus vt ait Apoſtolus Roman. 8. *Spiritus ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus*: vel etiam aliorum inſtructione manifeſta, & exemplo, quorum opera mediante nos inſtruit, & illuminat. Quamuis enim donum Conſilij ſemper ſit ab inſtinctu Spiritus Sancti, reſolutio tamen agendorum non ſemper traditur immediatè, vt diximus, cuilibet à Spiritu Sancto, ſed mediantibus alijs, quibus vult, vt communicemus, & cōferamus agenda, ſicut Apoſtolus ait ad Galat. 2. *Se contuliſſe Euangelium cum his, qui videbantur eſſe aliquid, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet*: Sic ergo donum conſilij interdum mouet nos à Spiritu Sancto ad conſulendum cum alijs, eſtque actus ipſius, deinde ad acceptandum, & agendum, quod bene fuerit viſum, tum tollendo dubitationem, vel incertitudinem rei, ſi quæ ſit; tum, ſi non ſit, vincendo difficultatem, & infirmitatem ſubiecti, quod non debitè applicatur. Non enim ſolum ſpectat ad prudentiam, & rectum conſilium iudicare, aut conſiliari de re, quod pertinet ad Syneſim, & Eubuliā, virtutes adiunctas prudentiæ, verum etiam imperare, & applicare ad operandum, quod eſt maximè difficile in virtute prudentiæ. Vndè cum donum conſilij operetur loco prudentiæ, ipſique correſpondeat, pertinet quoque ad ipſum non tantum bene conſiliari, & iudicare de agendis, ſupra communes regulas, ſed etiam benè imperare, & applicare ad exequendum iudicata.

Reuocando huc vſque dicta ad praxim, dubitari non poteſt, quin propriū, & maximè opportunum tempus, quo hoc donum vnicuique iuſto infuſum per modum habitus, ſolet ad actum, & exercitium ſuum reduci, ſit tempus orationis; iuxta illud Eccleſ. 39. 6. de homine iuſto: *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium eius; & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur*. Nec mirum, ſi enim ex eadem Scriptura Prouerb. 27. 9. *Vnguentis, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici conſilijs anima dulcoratur*, taliaque ab amico conſilia opportunius non accipiuntur, quam in familiari cum eodē conuerſatione; certè, cum oratio, vt multi illam definiunt, ſit colloquium, & ſermocinatio cum Deo, aut aſcenſus mentis à terreſtribus ad cœleſtia, vt inquiramus, & audiamus, quid loquatur in nobis, quid velit, & requirat à nobis Dominus Deus, fatendum eſt nullo opportuniori, quam orationis tempore, ſancta nobis conſilia diuinitus inſpirari. Propterea de Moyſe legitur Exodi 24. ſolitum illum ad montem conferre, vt ibi oraculo diuino doceretur, quod facto opus eſſet in regimine populi Iſraelitici ſibi commiſſi. *Loquebatur autem*, inquit Scriptura ibidem cap. 33. *Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*. Similiter humanis deficientibus conſiliis pios quondam Iſraelitas his vocibus Deo ſupplicaſſe legimus lib. 2. Paralip. 20. 12. *Cum ignoremus, quid agere*

agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

Quia autem agibilia, eaque maximè, quæ ſupra humanam rationem ſunt, qualia ſunt, ad quæ primario ſe extendit donum conſilij, vel altior Spiritus Sancti inſtructio, ſunt in multiplici differentia; aliquando enim occurrere poteſt incertitudo, aut dubitatio de ipſiſmet, an ſint facienda, nec non de ipſa illuminatione, & inſtinctu, an ſit à Deo; aliquando verò non eſt dubitatio de illis ſecundum ſe, quia ſunt bona, & iuſta; ſicut pati martyrium pro fide, & ingredi religionem in homine non legitimè impedito, de quibus propterea nulla debet eſſe conſultatio, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 189. art. 10. licet de modo ſubeundi martyriũ, vel ingrediendi religionem, aliqua eſſe poſsit. Loquendo de iſtis vltimis, dum quis ad illa in oratione moueri ſe ſentit, poteſt credere ſe duci à Spiritu Sancto interius, ac per ſe conſiliante, indeque ſe ad opus applicare, niſi obſtet aliquod legitimum impedimentum, de quo nolit Spiritus Sanctus immediatè per ſe reſolutionem inſpirare, ſed mediantibus alijs, cum quibus conſulatur, vt mox dicemus. Sic autem operari, facto nimirum iudicio recto, & certo, ſublataque dubitatione ex parte rei cõſiliandæ, & agendæ, non eſt proprio, vel particulari Spiritu duci, contra ſtylum Eccleſiæ, hoc enim intelligitur, & procedit in his quæ credenda ſunt, ſeu in doctrinis approbandis, & alijs ſimilibus dubitationibus, quę tenent ſe ex parte ipſarum rerum. Cœterum in applicando ſe, & imperando executionẽ eorum, quæ certo bona ſunt, & in quibus ſoluta eſt omnis dubitatio, ex altiori Spiritus Sancti inſtinctu, cuius, vt ſtatim dicemus, ſua non deſunt ſigna, non eſt cõtra ſtylum Eccleſię, ſed iuxta ipſum, quod aliquis interiori, & ſine cũ alijs examine moueatur inſtinctu; ſiquidẽ à malo ſpiritu eſſe non poteſt, quod inſtigat ad bonum, quod certò, & indubitatè bonum eſt, ſaltem certitudine morali.

At verò ſi occurrat circa ipſaminet rem agendam dubitatio, an nimirum ſit bonum eam facere, debitæque, vt fiat, circumſtantiæ concurrant; vel an ſit ex diuino ſpiritu; tunc eo duci aliquem in oratione ſignum eſt, ſi ſentiat ſe moueri ad conſulendos alios, qui inſtructiores ſint. Cuius exemplum habetur Act. 10. in Cornelio Centurione, cui licet ab Angelo diuinitus viſitato, conſilium tamen datur, vt quærat Petrum, & inſtruatur: *Mitte*, inquit, *& accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus &c. hic dicet tibi, quid te oporteat facere*. Et prius ibidem cap. 9. in Saulo, quem ipſemet Chriſtus apparens ei miſit ad Ciuitatem, vt ibi quoque ab Anania inſtrueretur; *Surge*, inquit, *& ingredere Ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*: Quatenus in his, in quibus Spiritus Sanctus nos immediatè, & per ſeipſum interius non conſiliat, nec dubitationem, vbi eſt, nõ tollit, doni quoque conſilij perfectiſsimus actus eſt, vbi nos moueri deprehendimus ad conſulendos alios. Neque hoc eſt donum conſilij, motionemue Spiritus Sancti ſubijci virtuti prudentiæ, aut eſſe illi inferius, aut ab ea reſolui, quia qui iudicant de iſtis inſtinctibus, non iudicant ſecundum humanas rationes prudentiæ, ſed ſecundum regulas fidei, cui ſubditur donum Spiritus Sancti, à qua regulari debet.

Quia autem huiuſmodi iudicium dupliciter ferri poteſt, vel per modum artis, ac doctrinæ, perpenſis nimirum regulis, quæ à Spiritu Sancto præſcriptæ ſunt in Sacris Scripturis, nec non quas Sancti Patres à Deo inſpirati, alijque Doctores ab experientia inſtructi tradiderunt; vel ex lumine cælitus infuſo, quatenus aliquibus in ea excellentia hoc donum conſilij ineſt, vt illo non tantùm is, qui accipit, verum etiã alij ad ſanctitatem, & perfectionem promoueantur; Etſi negari non poſſit, quin primus examinandi, & iudicandi modus ſit valde vtilis, miniſterialiterque deſeruiat ad explicandas res fidei,

vel

vel inſtinctum Spiritus Sancti, magis tamen principalis eſſe videtur, qui fit ab habentibus excellentius donum, propriaque loquentibus experientia. Nam vt ſcribit Richardus Victorinus lib. de præparat. animi ad contemplat. cap. 67. *Multa quidem de diſcretione legendo, multa diſcimus audiendo, multa ex inſito nobis rationis iudicio, verumtamen nunquam de hac ad plenum erudimur ſine experientiæ deſiderio.* Et Sancta Mater Thereſia cap. 22. vitæ ſuæ, *Parum ex libris diſcitur, niſi Deus intus doceat*. Vnde pro iſtis ſpiritualibus, ac myſticis rebus examinandis, non ſolũ Scholaſtici adhiberi debent, ſed etiam viri ſpirituales, & prudentes eloquij myſtici, qui Eccleſiæ non deſunt. Eo enim ipſo, quod Spiritus Sanctus non omnia ſemper immediatè, aut per ſe interius docet, ſed plura mediantibus alijs, ſeu dependenter ab illorum examine, quia vult, *probari ſpiritus ſi ex Deo ſint* 1. Ioann. 4. & hoc ipſum velle probari, & examinari, & humiliter procedere, & non præſumere de nobis, quod poſſimus de omnibus diſponere, ad donum Conſilij ſpectat, & maximè Dei conſilium eſt, humilitatis, atque examinationis conſilium, pertinet ad ſuauem eius prouidentiam de aliquibus ſemper prouidere, qui ſaltem in rebus ad ſalutem neceſſarijs, nos decipere non poſſint. Verum de his ſatis, de quibus redibit infra ſermo agendo tum de diuinis locutionibus, ac reuelationibus, tum de diſcretione ſpirituum reponi ſolita inter gratias gratis datas.

Interim vltimò notandum eſt, nonnunquam Spiritum Sanctum extra regulas ordinarias mouere aliquorum mentes ad aliquid agendum, quod humanæ prudentiæ limites excedit, etiam ſine aliorum conſilio, vt quod Samſon ſe occiderit, plures Sancti Martyres ſponte in mortem irruerint, aliquæ Sanctæ Virgines conſeruandæ caſtitatis gratia ſibi oculos eruerint, & ſic de alijs. Quæ cum certis regulis definiri non poſſint, ipſe Spiritus Sanctus mouens ad illa facienda, etiam dat interiorem ſecuritatem, & certitudinem de modo faciendi. Qua tamen in re magna cautela adhibenda eſt, ne quis pro ſpiritu veritatis præcipitetur à ſpiritu erroris; vnde ad ſequendum interiorem ſpiritum, & conſilium ſine examine, & communicatione cum alijs, eorumque approbatione (ordinarius ſiquidem modus, quo nos mouet Spiritus Sanctus per donum conſilij, eſt, vt conſulamus, & quæramus alios, à quibus dicatur nobis, quid facere oporteat. *Optimum eſt conſilium*, inquit D. Bonauentura tract. 7. de donis, tit. de Conſilio cap. 2: ex Vercellenſi ſuper Cantica, *ſurgere ad ſponſum quærendum, & efficaciter inueniendum in plateis præceptorum, & vicis ſpiritualibus conſiliorum. Vnde in eis inſtructa, & excitata ab Angelis, inuenit quem diligebat. Surge igitur, & ad conſilium ingredere Ciuitatem, ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere*) quando, inquam, hoc ordinario modo omiſſo, ſequimur interiorem Spiritus inſtinctum, diligenter in oratione perpendendum eſt, an inde mens remaneat ſerenata, & pacificata, ſine vllo nubilo paſſionis, & furoris, cum enim ex D. Iacobo 3. *Sapientia quę de ſurſum eſt primum quidem pudica ſit, deinde pacifica, modeſta* &c. ex his, & alijs huiuſmodi effectibus diſcernitur, an ex Deo ſit: ſi autem aliquid nutationis, aut dubitationis haberet, dum eſt in ſano, vigilantique iudicio, ſignum eſſet Deum non velle rem ſtatim fieri, ſed prius examinari, adhibito maiorum conſilio, quando enim Deus vult illud omitti, & ſe ſolo ſupplet, quicquid per examen deberet approbari, ſic relinquit mentem ſecuram, & certam, vt nullo nutet incerto, quod res fieri poſſit ſine dependentia ab aliorum examine.

Ex huc vſque dictis colligenda ſunt aliqua, quibus hoc caput abſoluetur. Primum eſt, non dari determinatum aliquem habitum proprium Theologiæ Myſticæ, ſeu contemplationis infuſæ, viæ vnitiuæ propriæ, ſed elici poſſe.

poſſe actus eius ad vim intellectiuam ſpectantes; per omnia dona Spiritus Sancti intellectualia, redacta in actum, non per quamcumque vim ſupernaturalem, ſed mediante ſpeciali Spiritus Sancti motione, ita intellectum in materijs vniuſcuiuſque proprijs, vt vidimus, illuminantem modo ſuperhumano, vt in vſu horum donorum potius agatur homo, & patiatur, quam agat, vixque conſequenter eorum rationem reddere poſſit, ad quæ fuerit impulſus, vt pote longe ſuperiora, & excellentiora omnibus illis, quæ à propria induſtria, vel exercitatione proueniunt, ſeu comparari poſſunt. Igitur cum ſint communia omnibus iuſtis, quo ad habitum, omnia Spiritus Sancti dona, quatenus per illa ita diſponuntur, vt ſint facile mobiles non ſolum à ratione humana, & fide, ſed etiam à Spiritu Sancto in operibus quibuſdam raris, ac præſtantioribus, quam quæ communiter, etiam à ſtudioſis, & exercitatis fiunt, in hoc tamen ab his diſtinguuntur perfecti, contemplatioque infuſa eorũ propria, ſeu viæ vnitiuæ, quod Spiritus Sanctus, qui vbi vult ſpirat, interdum eos ſuperiori lumine actuali in oratione illuſtrat, & ad dicta opera mirabiliter impellit. Ideoque in vſu virtutum ipſi quidem potius ſunt agẽtes, vt pote humano modo cum diuina gratia illas exercentes, in vſu autem donorum, potius aguntur, & patiuntur, vt diximus, quia motiones Spiritus Sãcti non ſolum quoad ſubſtantiam ſunt ſupernaturales, & diuinæ, quod etiam competit virtutibus infuſis, proptereaque definiuntur, quod ſint in nobis, ſine nobis, verum inſuper quoad modũ ſunt tales, exceduntque omnem prorſus humanam induſtriam, aut ſtudium; atque adeò ſicut ex hoc, quod virtutes infuſæ ſint ſine nobis cauſantibus, & producentibus, licet non ſint ſine nobis adultis conſentientibus, & diſponentibus, dicuntur boni habitus, quos Deus in nobis, ſine nobis operatur, quod paſſionem ſignificat, ſeu quid ab extrinſeco proueniens; ita quoque in motionibus à diuino ſpiritu extraordinariè excitatis, licet, ſi conſiderentur, vt actiones vitales ſunt, à principio intrinſeco actiuè oriantur, quia tamen non propria induſtria, ſed à diuino ſpiritu, tanquam ab externo agente, & inſpirante id fit, propterea anima in illis dicitur potius agi, & pati, quam agere, ad diſtinctionem eorum actuum, qui fiunt ordinarie ſine tali motione, cum gratia Dei quoque ordinaria, ſiue quorum exercitatio propriæ relinquitur induſtriæ à Deo, ſuam modo operandi humano gratiam accommodanti.

Colligendum eſt ſecundo, omnia Spiritus Sancti dona ad vim cognoſcitiuam ſpectantia, ita eſſe principia elicitiua, ſiue habitus, per quos ipſa eleuatur, & eliciuntur actus Theologię myſticæ, ſeu contemplationis infuſæ, vt tamen id competat principaliter, excellentiorique modo dono Sapientiæ, quatenus, vt ait D. Thomas in 3. diſt. 35. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. *Per ſuprema quibus ſapiens mente vnitur, quaſi in ſuperiori collocatus de omnibus iudicat.* Et ibidem diſtinct. 34. quæſt. 1. art. 2. *Homo per ſapientiæ donum illis cauſis altiſſimis vnitur, transformatus in earum ſimilitudinem, per modum, quo qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* Proptereaque Doctores Myſtici tàm veteres, quàm recentes communiter docent, habitum Theologiæ myſticæ, ſeu contemplationis infuſæ viæ vnitiuæ propriæ eſſe donum Sapientiæ, in alijs autem vijs eſſe ſapientiam virtutem infuſam. Ille enim eſt habitus Theologiæ Myſticæ proprius, quo ad vim cognoſcitiuam, à quo dimanat proprius eiuſdem actus, quo ad talem vim; hic autem dimanat à dono ſapientiæ, in perfectis, à virtute autem ſapientiæ in alijs vijs, ſi quidem talis actus eſt cognitio Dei non quælibet, ſed eo vt eſt prima cauſa, iudicatque de eo vt tali, & de cæteris per ipſum, per connaturalitatem, & conformitatem affectus,

affectus, ſeu per mentalem ſaporem, qui in omnibus iuſtis cauſatur ex charitate ordinaria, in perfectis autem ex eadem ſpecialiori Spiritus Sancti impulſu iam perfecta, & eleuata, vel vlterius eleuanda; quam cognitionem excellentiſſimo modo competere virtuti ſapientię inter virtutes intellectuales, & dono ſapientię inter intellectualia Spiritus Sancti dona, clarè demonſtrat, tum eius definitio, qua definitur vt ſic, rerum notitia per altiſſimas cauſas, tum ipſa nominis deriuatio, quę dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia; ſi enim ſapientiæ, aut ſcientiæ ipſi labore, & proprio ſtudio conquiſitæ ſapor quidam adnaſcitur; multo magis id aſſerendum eſt de cognitione prouenienté ex dono ſapientiæ, ipſaque dicenda eſt myſtica Theologia, vel contemplatio infuſa vię vnitiuæ perfectorum propria per excellentiam non ſolum comparatiuè ad ſapientiam virtutem infuſam, verum etiam ad alia dona intellectualia Spiritus Sancti, quia licet actus eorum ſint etiam cognitiones, non quomodocumque, ſed ex dilectione cum quadam experimentali ſuauitate, & adfectu; id tamen magis propriè conuenit dono ſapientiæ, eiuſq; actibus, ita à ſapore denominatis, vt ait D. Bernardus ſerm. 85. in Cant. *Nec dixerim reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definierit; quare ſapientia à ſapore denominatur.*

Tertiò animaduertendum eſt donum ſapientiæ, & alia, non ita dici habitus Theologiæ myſticę, vel contemplationis infuſæ, aut ſupereminentis, quaſi omnes iuſti, ac perfecti, qui illos habent, poſſint iiſdem pro libito vti, cum gratia Dei ordinaria; ſed talis vſus dependet neceſſario ex ſpeciali Spiritus Sancti lumine, quo rediguntur in actũ, illi non abſimili, quo Prophetarum mentes illuminantur, hoc eſt per modum tranſeuntis, quodque eſt veluti medium inter lumen fidei, & lumen glorię. Quamuis enim ex D. Thoma 2.2. quæſt. 180. art. 8. diſputans vtrum vita contemplatiua ſit diuturna? Reſpondeat illam eſſe diuturnam ſecundum ſe, tum quia verſatur circa incorruptibilia, & immobilia; tum quia non habet contrarietatē; delectationi enim, quę eſt in conſiderando, nihil eſt contrarium: Item quo ad nos, ſiue quia competit nobis ſecundum actionem incorruptibilis partis animæ, ſcilicet ſecundum intellectum; ſiue quia in operibus vitæ contemplatiuæ corporaliter non laboramus. Vnde magis in huiuſmodi operibus perſiſtere poſſumus: nihilominus loquendo de actu contemplationis maximè infuſæ, quam alij ſupereminentem vocant, alij puram, hoc eſt ſine conuerſione ad phantaſmata, de qua infra; illum non poſſe in hac vita eſſe admodum diuturnum, vt non per temporum interualla interrumpatur, ſaltem ordinariè, docet idem D. Thomas loco citato ad 2. *Quia* inquit, *nulla actio poteſt diu durare in ſui ſummo; ſummum autem contemplationis eſt, vt attingat ad vniformitatem diuinæ contemplationis, vt dicit Dionyſius cap. 3. cæleſt. Hierarch.* Vnde infert idem Sanctus Doctor, quod licet vita contemplatiua quantum ad alios contemplationis actus poſſit diu durare, non tamen quantum ad illum, qui eſt ſummus, qualis eſt contemplatio infuſa, de qua agimus in præſenti. Ita vt totum ferè huius contemplationis negotium in via quaſi tranſeunter peragatur. Nec immeritò nam vt rectè ait Diuus Thomas de Verit. queſt. 12. art. 1. ad 7. *Illud eſt plenius, & perfectius lumen, quod datur per modum actus, ſiue paſſionis, quam illud, quod per modum habitus infunditur; quia ex altitudine huius luminis actualis contingit, vt humana mens illud poſſidere non poſſit per modum habitus.* Quare idem S. Doctor 2.2. queſt. 171. art. 2. docet, lumen propheticum non ab habituali aliquo principio, ſed ab ipſo Deo immediatè profluere. Qui etiam de hac re videri poteſt 1. 2. q. 3. art. 2. ad 4. & qu. de Verit. art. 8. & 9.

Eodem ſenſu D. Auguſtinus lib. 7. Confeſſ. cap. 17. ait: *Rapiebar à te decore tuo, moxque diripiebar abſte pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc conſuetudo carnalis.* Item lib. 10. cap. 40. *Neque in his omnibus, quę percurro, conſulens te inuenio tutum locum animæ meæ, niſi in te, quo colligãtur ſparſa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit: ſcio, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor; & multum fleo, ſed multum teneor. Tantum conſuetudinis ſarcina degrauat. Hic eſſe valeo, nec volo: illic volo, nec valeo: miſer vtrobique.*

Idem prorſus docet S. Gregorius Homil. 5. in Ezechiel. *Mens noſtra,* inquit, *ſtare in cogitatione non valet; ſed omne quod de æternitate per ſpeculum, & in ænigmate conſpicit, quaſi furtim hoc, & per tranſitum videt.* & Homil. 14. *Anima ad contemplandum Deum nititur velut in quodam certamine poſita, modo quaſi exuperat, quia intelligendo, & ſentiendo incircumſcripti luminis aliquid deguſtat: modo ſuccumbit, quia deguſtando iterum deficit.* Denique lib. 5. Moral. cap. 23. ſic habet: *Nec enim in ſuauitate contemplationis intima diu mẽs figitur, quia ad ſemetipſam immenſitate lucis reuerberata, reuocatur: cumque internam dulcedinem deguſtat, amore æſtuat; ire ſuper ſemetipſam nititur: ſed ad infirmitatis ſuæ tenebras fracta relabitur: & magna virtute proficiens videt, quia videre non poteſt hoc, quod ardenter diligit: nec tam ardenter diligeret, niſi aliquatenus videret. Non ergo ſtat, ſed tranſit ſpiritus, quia ſupernam lucem, noſtra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abſcondit.*

Quibus etiam conſonat D. Bernardus lib. de Amore Dei cap. 4. vbi agẽs de hac ipſa contemplatione ait: *Hic eſt finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hæc eſt pax, hoc eſt gaudium in Spiritu Sancto, hoc eſt ſilentium in cælo. Quamdiu quippe ſumus in hac vita, hoc feliciſſimæ pacis ſilentio, in cælo, id eſt in anima iuſti: quæ ſedes eſt ſapientię, aliquando fruitur adfectus: ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia intentio verò de reliquijs cogitationum diem feſtũ aget tibi perpetuum.* Tandem Richardus Victorinus lib. de præparat. ad Contemplat. exponens illa verba Pſalmiſtæ: *Quis aſcendet in montem, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* ait. *Rarum valde eſt in hunc montem aſcendere: ſed multo rarius, in eius vertice ſtare, & ibi moram facere: rariſſimum autem ibi habitare, & mente requieſcere.*

Quæ omnes Patrum ſententiæ, & aliæ ſimiles, rationeſque in illis contentę, difficultatis operis, grauis corporis ſarcinæ, efficaciter probant contemplationem infuſam non eſſe diuturnam, vel habitualem, ſaltem ordinariè; quia totum hoc negotium cum à diuina gratia maximè pendeat, cui nihil eſt impoſſibile, probabilitate non vacat, quod aſſerunt aliqui, ſingulari Dei priuilegio, illam poſſe per multum tẽpus protrahi, non tamen in eadem intentione; imo interdum per modum habitus dari, vt anima quoties voluerit ſe colligat ad Deum in interioribus ſuis, & Domino viſione, & affectione iuncta perſiſtat. Vt dicitur de pluribus Sanctis in actis ipſorum.

Quartò, & vltimò patet ex dictis, quomodo intellectus cum ſit ſpeculatiuus, & practicus, nec non etiam fides diuina, ſecundum vtramque rationem perficiantur per dona Spiritus Sancti, eiuſque actus, in ordine ad contemplationem. Vt enim ſunt ſpeculatiua, perficiuntur per dona intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ; per donum enim intellectus, quæ à fide proponuntur credenda, penetrat, & intelligit, iudicatque de eorum credibilitate, & veriſimilitudine, ac conuenientia, donum verò ſapientię conferſt ad iudicium quoddam vniuerſale, de rebus diuinis,

quo ſtatuit ipſis eſſe inhærendum, ac recedendum à contrarijs. Donum quoque ſcientiæ confert ſimile iudicium, ſed de rebus creatis, quo æſtimamus, quibuſdam ex eis inhærendū, à quibuſdam autem eſſe recedendum: Quo ad rationem, ſeu vim practicam perficiuntur per donum conſilij, continentis iudicium practicum particulare, quo, in caſibus determinatis, & particularibus conuenienter illis vniuerſalibus iudicijs doni ſapientiæ, & ſcientiæ, concluditur quid agendum, quid fugiendum. Quod ſimpliciter pertinet ad praxim; vnde licet dona ſapientiæ, & ſcientiæ ſimul ſint ſpeculatiua, & practica, quia tamen per ſolum iudicium quoddam vniuerſale de agibilibus, ad ea hic, & nunc applicatum per donum conſilij, ideo iſtud dicitur ſimpliciter practicum, perficereque intellectum, & fidem ſecundum illam rationem, alia verò ſecundum alteram rationem ſpeculatiui. Licet non deſint, qui exiſtiment dona intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, quamuis dici poſſint ſpeculatiua, quatenus iudicium, ad quod conferunt, verſatur circa res ſpeculatiuas; magis tamen eſſe practica, quam ſpeculatiua, quia illud ipſum iudicium cenſetur practicum, quatenus immediatè habet pro obiecto adhæſionem in rebus, quibus eſt adhærendum.

CAPVT V.

Vtrum detur aliquando ex parte intellectus principium formale, & elicitiuum contemplationis infuſa, altius donis Spiritus Sancti.

Poſſe dari tale principium, vel lumen certum eſt; taleque forſan fuit illud, quod Deum Protoparenti Adamo communicaſſe ad ſui contemplationem docet D. Thomas 1. p. qu. 94. art. 1. vbi excluſo ab eo, quod Deum per eſſentiam viderit, ſecundum communem ſtatum illius vitæ, niſi forte dicatur, quod viderit eum in raptu, quando Deus immiſit ſoporem in ipſum, vt dicitur Geneſ. 2. ſubdit tamen, Deum quadam altiori cognitione cognouiſſe, quam nos cognoſcamus. Et ſic quodammodo eius cognitionem mediam fuiſſe inter cognitionem præſentis ſtatus, & cognitionem patriæ, qua Deus per eſſentiam videtur. Quam altiorem cognitionem clarè conſtat non potuiſſe eſſe ſine altiori quoque lumine ipſius elicitiuo.

Inſuper habitum ſcientiæ infuſæ, vel inditæ, quam Chriſto Domino fuiſſe conceſſam ab inſtanti ſuę conceptionis, docet idem D. Thomas 3. p. quæſt. 11. art. 1. & 4. altius, perfectiuſque lumen fuiſſe donis Spiritus Sancti, patet ex eodem S. Doctore ibidem affirmante, per hanc ſcientiam cognouiſſe Chriſtū, omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt, ſiue pertineant ad donum Prophetiæ, ſiue ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Item in eo nunquam fuiſſe otioſam; ſed nunc iſtud, nunc illud obiectum ſucceſſiuè diuerſis actibus conſideraſſe, ſecundum quod diuerſis ſpeciebus ad hoc infuſis vtebatur. Ac tandem fuiſſe multo excellentiorem ipſamet Angelorum ſcientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad ſcientiæ certitudinem; quia lumen ſpiritualis gratiæ, quod eſt inditum animæ Chriſti eſt multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam.

His deniquè omnibus perfectius eſſe lumen gloriæ, quo etiam D. Thomas ait, D. Paulum vidiſſe per modum tranſitus diuinam eſſentiam, certiſſimum eſt. Sic autem habet 2. 2. quæſt. 175 art. 3. *Quidam dixerunt Paulum in raptu nō vidiſſe ipſam Dei eſſentiā, ſed quamdam refulgentiam claritatis ipſius. Sed contrarium manifeſtè Auguſtinus determinat non ſolum in libro de videndo Deum, ſed etiam 12. ſuper Geneſim ad litteram, & habetur in Gloſſa 2. Corinth.*

rinth. 12. Et hoc etiam ipſa verba Apoſtoli deſignant. Dicit enim, ſe audiſſe ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Huiuſmodi autem videntur ea, quæ pertinent ad viſionem Beatorum, quæ excedit ſtatum viæ; Secundum illud Iſaiæ 64. Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Et ideo conuenientius dicitur, quod Deum per eſſentiam vidit. Idem priuilegium extendit ad Moyſen quæſt. 10. de veritate art. 11. ad 1. dicendo, *quod ſecundum Auguſtinum 12. ſuper Geneſim ad litteram, & ad Paulin. de videndo Deũ, ex verbis illis Moyſes oſtenditur Deum per eſſentiam vidiſſe in quodam raptu, ſicut, & de Paulo dicitur 2. Corinth. 12. Vt in hoc Iudæorum Legiſer, & Doctor Gentium æquarentur.*

Igitur cum certum ſit, & indubitatum Deum puro etiam homini communicare, vel infundere poſſe omnia præfata lumina, cognitioneſq; eis correſpondentes; magiſque probabile ſit Moyſen, & Paulum diuinam de facto vidiſſe eſſentiam per modum tranſitus; difficultas eſt, an talis cognitio, aut viſio protrahenda quoque ſit ad alios? nonnulli enim Doctores Myſtici exiſtimant, in omni ætate aliquibus dono contemplationis eximiè cumulatis, eamdem à Domino fuiſſe conceſſam gratiam. Quod in hac re probabilius poteſt dici, eſt Beatiſſimæ Virgini Mariæ, tàm fuiſſe conceſſum habitum ſcientiæ infuſæ, quam viſionem diuinæ eſſentiæ per modũ tranſitus; quod enim ſeruis, nimirum Moyſi, & Paulo dicitur conceſſum, piè credendum eſt, multò magis fuiſſe Beatiſſimæ etiã Virgini Mariæ diuinitus collatum. De alijs id affirmare, prophetizare eſt.

CAPVT VI.

De medio ex parte obiecti, ſeu de ſpeciebus contemplationi infuſæ deſeruientibus, illamve perficientibus.

POſtquam in præcedentibus egimus de medio contemplationis infuſæ ex parte intellectus, ſeu de lumine eum ad illam eleuante, nunc agendum eſt de medio eiuſdem contemplationis ex parte obiecti, ſeu de lumine illud veluti illuſtrante, cuiuſmodi ſunt ſpecies intelligibiles illud formaliter repræſentantes. Vt enim docet D.Thomas 1. p. p.105. art.3. *Operationis intellectus eſt duplex principium in intelligente, vnum ſcilicet, quod eſt ipſa virtus intellectualis, quod quidem principium eſt etiam in intelligente in potentia. Aliud autem eſt principium intelligendi in actu, ſcilicet ſimilitudo rei intellectæ.* Indeque probat Sanctus Doctor, Deum mouere immediatè intellectum creatum, quia vtrumque dat ei principium. *Ipſe enim,* inquit, *eſt primum ens immateriale. Et quia intellectualitas conſequitur immaterialitatem, ſequitur, quod ipſe ſit primum intelligens. Similiter cum ipſe ſit primum ens, & omnia entia præexiſtant in ipſo ſicut in prima cauſa, oportet, quod ſint in eo intelligibiliter ſecundum modum eius. Sic ergo Deus mouet intellectum, in quantum ei dat virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel ſuperadditam, & in quantum imprimit ei ſpecies intelligibiles: & vtrumque tenet, & conſeruat in eſſe.*

Nunc ergo ſupponendo, quæ Philoſophi in libris de anima, & Theologi 1. p. q.12. fuſius diſputant de ſpecierum neceſſitate, earumque natura in repræſentando; dicendum eſt primò, quod propius ad præſens inſtitutum pertinet, ſpecies ad contemplationem concurrentes, triplicis eſſe generis. Primi ſunt imaginariæ, ſic dictæ, quia à rebus ſenſibilibus acceptæ, eaſque in-

ſe

ſe imaginatio, ſeu phantaſia tecondit, & reſpicit, quando intellectus ſpeculatur, modo, & ſenſu inferius explicando. Sic Deum contemplamur vt lucentiſſimum Solem, vel pulcherrimum hominem, quæ dum oculis corporeis vidimus, tranſmiſerunt ſpeciem ad ſenſum interiorem, & phantaſma dicitur, quod intelligens, vel contemplans ſpeculatur: id eſt circa illud intelligentis imaginatio verſatur. Ad has quoque ſpecies reducuntur aliæ, quæ licet immediatè à rebus ſenſibilibus non ſine acceptæ, ex ipſarum tamen ſpeciebus ſunt elicitæ, vel compoſitæ, quo pacto ex ſpeciebus montis, & auri imaginamur, vel effotmamus tertiam montis aurei ſpeciem, multaque ex alijs ſimilibus ſpeciebus elicimus, & confingimus noua ſimulachra retum nunquam viſarum, ſiue ſenſibus externis perceptarum: quod in naturalibus manifeſtum eſt: in ſupernaturalibus verò, ac cæleſtibus, Deus, vt mox dicemus, Angelorum plernmq; miniſterio idem in imaginatione præſtat, aut nouas ſimilitudines, ſeu ſpecies immittendo, aut antiqnas connectendo, vel ordinando: ſicque mentem ad diuina contemplanda eleuat. Vt enim docet D.Thomas varijs in locis præſertim 1. p. q.114. art. 4. ad 1. in 2. diſt. 8. art.5. ad 4. De potentia q.6. art.5. De malo q.16. art. 12. ad 2. Et ad Galat. 3. lect. 1. *Angeli tam boni, quam mali poſſunt interius quodammodo diſponere, & ordinare ſpecies imaginarias, ſecundum quod competit ad aliquod intelligibile apprehendendum. Quod quidem Angeli boni ordinant ad hominis bonum, dæmones autem ad hominis malum: vel quantum ad effectum peccati; pro vt ſcilicet homo ex his, quæ apprehendit mouetur ad ſuperbiam, vel ad aliquod aliud peccatum: vel ad impediendam ipſam intelligentiam veritatis, ſecundum quod per aliqua apprehenſa inducitur homo in dubitationem, quam ſoluere non ſcit, & ſic trahitur in errorem. Vndè Auguſtinus dicit lib. 83. quæſt. Quod dæmon quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quas perdere lumen rationis mentis ſolet.*

Secundi generis ſunt ſpecies dictæ intelligibiles, ad quarum productionem intellectum agentem concurrere vna cum phantaſmate, vnanimiter docent Philoſophi, licet inter ipſos diſcrimen ſit de modo, quo vtrumque concurrit: aliqui enim volunt ſolum intellectum agentem influere per modum cauſæ efficientis, phantaſma verò tantum in genere cauſæ materialis, determinando ſcilicet influxum intellectus agentis; alij verò diſtinguentes duo genera ſpecierum intelligibilium, ex quibus priores producuntur mediante intellectione, & ex intellectione ipſa relinquuntur; poſteriores verò fiunt nulla præcedente intellectione, ſed per abſtractionem intellectus agentis à phantaſmatibus, afferunt ſpecies intelligibiles primi generis fieri ſolum mediatè ab intellectu agente, & à phantaſmatibus: ab illo quidem, vt à cauſa principali actiua, ab iſtis verò vt à cauſa inſtrumentali, ſiue virtute inſtrumentaria; quæ autem ſecundi ſunt generis, immediatè fieri, ſeu cauſari actiuè ab intellectu agente, & à phantaſmatibus: ab illo quidem, vt à ratione agendi principali: ab iſtis verò vt ab inſtrumento. Quæ eſt expreſſa D. Thomæ ſententia pluribus in locis maximè Quodlib. 8. art. 3. vbi ait: *In productione ſpecierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter, phantaſma verò concurrit inſtrumentaliter.* Et de veritate quæſt. 10. art. 6. ad 7. *In receptione qua intellectus poſſibilis ſpecies recepit à phantaſmatibus, ſe habent phantaſmata, vt agens inſtrumentale, & ſecundarium: intellectus verò agens, vt agens principale, & primũ: & ideo actionis effectus relinquitur in intellectu poſſibili ſecundum conditionem vtriuſque, & non ſecundum conditionem alterius tantum, & ideo intellectus poſſibilis recipit formas, vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis, ſed*

vt

ut ſimilitudines determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum.

Tertij demum generis ſunt ſpecies diuinitus immiſſæ, vel infuſæ. De quibus agens D. Thomas in 4. diſt. 50. art. 2. hæc habet: *Formæ intelligibiles à ſenſibus acceptæ non ſunt omnino vnius rationis cum illis formis, quæ immediatè ex influentia diuina proueniunt, quia ex diuerſis imprimentibus diuerſæ impreſſiones relinquuntur. Et quando contemplatio eſt eleuatior, ſicut dum pertingit ad diuinam caliginem Deus nouas animæ ſpecies infundit. Idem dico de cognitione, quæ habetur per ſcientiam inditam, vel infuſam. Vtrum autem iſtæ ſpecies ſint naturales, vel ſupernaturales, dico, melius, & aptius dicenda ſunt præternaturales, quia ſunt naturales, quo ad ſubſtantiam, & ſupernaturales quo ad modum. Hinc colligitur diſparitas inter ſpecies infuſas, & habitus infuſos per ſe; quod tales habitus ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, non autem ſpecies.* Hactenus D. Thomas ex cuius verbis plura ſunt colligenda ad præſentem materiam.

Secundò itaque dico iuxta mentem D. Thomæ, dari, ſeu infundi à Deo ſpecies intelligibiles altioris ordinis, ſeu altiori modo ipſum repræſentantes, quam ex creaturis viſibilibus conijci poſſit, quando vult animam ad eleuatiorem ſui cognitionem in contemplatione extollere. Ratio eſt, quia ſpecies intelligibilis tota eſt ratio intelligendi, ſe tenens ex parte obiecti, vt potè forma, qua in ordine intentionali conſtituitur intellectus in actu primo ad intelligendum. Igitur qua ratione Deus vult animam eleuare ad altiorem aut perfectiorem ſui cognitionem, quam quæ ex creaturis viſibilibus ſenſus noſtros incurrentibus conijci, vel hauriri poſſit; eadem prorſus nouas, eaſque excellentiores ipſi infundit ſpecies; quibus intellectus ſemel fœcundatus, & informatus tendendo ſimul cum diuino lumine ipſum irradiante, altiſſimo, ac ſubtiliſſimo quodam modo in Deum tanquam in lucem inacceſſibilem producit ſpeciem expreſſã, qua ipſe, eiuſque gloria, ſed ſemper in nube, denſiſſimaque caligine cernitur, quia ſemper videtur magis quid non ſit, quam quid ſit: cum huiuſmodi ſpecies, vt mox dicemus, nec intuitiuè, nec quidditatiuè Deum repræſentent.

Tertiò dico huiuſmodi ſpecies infuſas, quantumuis perfectas, nunquam eſſe repræſentatiuas Dei, ſiue eſſentiæ diuinæ, quidditatiue intuitiuè. In hoc conueniunt omnes Theologi, non ſolùm quia iuxta probabiliorem Diui Thomæ doctrinam implicant tales ſpecies; verum etiam, quia licet non implicarent, quæ per illas eliceretur cognitio, eſſet viſio beatifica; quod eſt abſurdum, in hoc eſſentialiter conſiſtens, quod ſit cognitio Dei quidditatiua intuitiua, ſiue fiat per ſpeciem creatam poſſibilem, vt volunt aliqui, ſiue per ipſammet eſſentiam diuinam eiùs vices ſupplentem, vt communius longèque certius volunt alij. Vndè ſi quando quis, vt de Moyſe, & Paulo ſuperiori capite diximus, vidit in hac vita eſſentiam diuinam, id factum eſt, ipſamet habente rationem ſpeciei impreſſæ, non autem media aliqua ſpecie ipſam quidditatiuè intuitiue repræſentante.

Quartò dico, nec etiam ſpecies diuinitus infuſas in contemplatione, repræſentare quidditatiuè abſtractiuè diuinam eſſentiam. Quamuis hoc dictũ non ſit ita certum, ac præcedens, non deficientibus multis Theologis, qui admittant cognitionem Dei quidditatiuam abſtractiuè euidentem; eſt tamen communior, longèque probabilior ſententia docens oppoſitum, nimirum implicare cognitionem Dei quidditatiuam, quæ ſimul non ſit intuitiua, ſed tantùm abſtractiua; eo quod ipſum exiſtere, aut eſt eſſentia, aut de eſſentia Dei; atque adeo cognitio Dei quidditatiua non poteſt non eſſe ſimul intuitiua eſſentialiter, ad diſtinctionem creatu-

creaturarum, quibus cum eſſentialiter non competat exiſtere poſſunt in illis hæ duæ ſeiungi cognitiones, ſiue dari de illis cognitio quidditatiua, quæ nõ ſit intuitiua, ſed tantum abſtractiua. Si tamen haud implicaret huiuſmodi ſpecies, ac cognitio Dei, non incongruè afferi poſſet, in vnione myſtica perfectorum eam aliquando pluribus ipſorũ forſan infundi. Si enim concedenda eſt ſpecies aliqua, vel cognitio Dei quidditatiua, & euidens abſtractiuè: illa eſt ſanè quam habent perfecti poſt arctiſſimam eum Deo vnionem in caligine: ſiquidem hæc eſt cognitio, vt ſupponimus, altiſſima omnium, quæ in hac vita habentur, & proximè accedens ad viſionem beatam.

Quintò, dico, quæ in contemplatione infuſa diuinitus immittuntur ſpecies diuinam eſſentiam repręſentantes non eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales, ſed tantum quo ad modum. Hoc quoque dictum, quoad vtramque partem eſt D. Thomæ loco ſuperius citato. Ratio eſt, quoad primam, quia vt huiuſmodi ſpecies eſſent ſubſtantialiter ſupernaturales, deberent eſſe formaliter repręſentatiuæ obiecti ſubſtantialiter ſupernaturalis, ſi quidem in via D. Thomæ ſpecies intelligibilis eſt eadem formaliter cum ſuo obiecto ſaltem primario in eſſe intelligibili, ſeu repręſentatiuo, atque adeo talis ſpecies nequit dici ſubſtantialiter ſupernaturalis, niſi etiam tale ſit obiectum per illam repręſentatum; quale non eſt in contemplatione infuſa, quantumuis perfecta; Etſi enim illa tendat in Deũ cognoſcendum, non tamen per ſpeciem formaliter ipſum repręſentantem, cum implicet talis ſpecies, & quamuis non implicaret, non ſit propria huius ſtatus, ſed potius per ſpeciem nobiliſſimę alicuius creaturæ in infinito omnipotentiæ diuinæ theſauro contentæ, ac per modum effectus altiori modo Deũ repręſentantis, quàm ex omnibus creaturis viſibilibus cognoſci poſſit; quæ creatura cum nec ſit, nec poſſit eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, clarè patet ex neutro capite ſpeciem illam contemplationi infuſæ deſeruientem, & ad altiorem, ſeu via affirmationis, ſeu via negationis, Dei cognitionem intellectum manuducentem, nequaquam eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalẽ, ſed tantùm quoad modum; quia nulli intellectui humano eſt debita: à nullo intellectu agente, quamuis perfectiſſimo, vel ex phantaſmate, vel aliundè educi poteſt: nullus illam intellectus patiens, ſeu poſſibilis poſtulat, ſed à ſolo Deo gratis, vbi, & quando vult, illi infunditur.

Vndè hæc eſt differentia inter habitus infuſos, & ſpecies infuſas, quod cum habitus non debeant eſſe eiuſdem prorſus naturæ cum obiectis, ſicut ſpecies formaliter illa repręſentãtes, poſſunt quidem habitus eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales per quamdam participationem diuinæ naturæ in eſſe entitatiuo; ſecus autem ſpecies, quæ eo ipſo, quod ſint formaliter repræſentatiuæ obiectorum, debent eſſe eiuſdem prorſus naturæ cum illis in eſſe intelligibili, quæ conuenientia cum implicet inter ſpeciem creatam, & eſſentiam diuinam, nulla idcircò dari poteſt ſpecies infuſa Deum formaliter repręſentans, ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: illa enim eſſet talis per participationem, quia creata, vt ſupponitur, & eſſet talis per eſſentiam, ſeu Deus ipſe in eſſe intelligibili, quia eiuſdem naturæ formaliter cum illo in tali ordine, quod implicat, vt fusè docent Theologi 1. p. q. 12. & nos aliquando etiam docuimus.

Sequitur quoque ex dictis, omnem diuinam cognitionem, quæ in hoc ſtatu non fit tranſeunter per ipſammet diuinam eſſentiam, ſed per ſpecies infuſas, & creatas nunquam eſſe immediatam, vel intuitiuam, ſeu nunquam excedere abſolutè limites cognitionis abſtractiuæ, & mediatæ; aut quod idem eſt, ſequitur Deum in hac vita non cognoſci per medium, quod habeat

beat ſolum rationem ſpeciei intelligibilis, ſi quidem talis modus cognitionis per ſolam ſpeciem mediam, non impedit, nec immediatam, nec quidditatiuam, nec intuitiuam rei cognitionem; ſed ſemper cognoſci per medium, quod habeat rationem obiecti, quodque conſequenter ſit ſemper aliquis effectus à Deo creabilis, atque adeo medio quo cognoſcitur quidem perfectè abſtractiuè, ſeu quo ad quia eſt, non autem quo ad quid eſt, niſi cognitione confuſa, ac vniuerſali, non verò cognitione immediata, ſeu per ſolam ſpeciem Dei propriam; ſic enim, iuxta probabiliora, & veriora D Thomæ principia, per quæ regulando Theologiam Myſticam errari non poteſt, eſſet cognoſcere Deum quidditatiuè intuitiuè, quod præſenti ſtatui vniuerſim non competit; ſed ſingulari priuilegio dicitur in eo contigiſſe Moyſi, & Paulo, nec non Beatiſſimæ Virgini Mariæ, ſupplente adhuc tunc in ipſis diuinamet eſſentia vices ſpeciei intelligibilis, quia repugnat ſpecies creata quidditatiuè eam repręſentans.

Sextò dico, in contemplatione, vel oratione infuſa, non ſemper immitti, aut à Deo infundi, ad excellentiſſimam ipſius notitiam ſpecies intelligibiles, quo ad modum ſupernaturales, quatenus ſicut, ex dictis, per ſenſuum portas non ingrediuntur, ita nec è rebus ſenſibilibus educuntur; nec ex formis imaginatis reſultant; nec ex formis pręhabitis componuntur, ſed à Deo producuntur, idæatę ab aliqua perfectiſſima creatura intellectuali in ipſo, tanquam in primo ente, & vniuerſali cauſa intelligibiliter quoque contenta; verum interdum etiam fit per ſpecies acquiſitas, & pręexiſtentes, illuſtrato duntaxat, & confortato intellectu per maiorem, & pleniorem diuini luminis influxum. Quemadmodum enim idem obiectum, vt ſatis experientia patet, cognoſci excellentius poteſt à perfectiori intellectu cum ſolo lumine naturali; ita nullum eſt inconueniens aſſerere, quod in contemplatione infuſa per ſolas ſpecies acquiſitas, cum vberiori tamen lumine diuino, ſe tenente ex parte intellectus, cognoſcatur quoque perfectius Deus. Quæ tamen perfectior cognitio, quia habetur ordinariè per peculiarem quamdam, & accommodatiſſimam earumdē ſpecierum acquiſitarum, aut præexiſtentium diſpoſitionem, connexionem, complicationem, ſeu ordinationem, quæ à Deo fit, idcircò etiam dici poſſunt, quo ad hunc modum ſupernaturales. Sicut etiam quando diuinitus ordinantur ad aliquid ſignificandum, vel repręſentandum, quod nos latet, vt contingit in Prophetis.

Vndè quam habet D. Thomas de ipſis doctrinam quæſt. 12. de Verit. accommodari poteſt pręſenti inſtituto, talis eſt autem, ſcilicet, quod *iudicium ſupernaturale Propheta datur, ſecundum lumen ei infuſum, ex quo intellectus roboratur ad iudicandum, & quantum ad hoc nulla ſpecies praexiguntur: ſed quantum ad acceptionem requiritur noua formatio ſpecierum, ſiue vt fiant in mente ſpecies, qua prius non fuerunt, vt potè, ſi alicui cęco nato imprimerentur ſpecies colorum, ſiue vt ſpecies praexiſtentes ordinentur, & componantur diuinitus tali modo, qui competat ſignificationi rerum, qua debent Propheta oſtendi, & per hunc modum concedendum eſt, quod Prophetæ reuelatio non ſolum fit ſecundum lumen: ſed ſecundum ſpecies, quandoque verò ſecundum lumen tantum.*

Et in reſponſione ad 1. ait: *Non autem ſola viſio intellectualis ad prophetiā pertinet: ſed imaginaria, in qua ſpecies formari poſſunt, conuenientes etiam ad ſingularium repręſentationem.* Et ad 3. *Quod illarum rerum quas Propheta vidit, non oportet, vt ei denuò ſpecies infundantur: ſed ex ſpeciebus reſeruatis in theſauro virtutis imaginatiua, fiat quadam aggregatio ordinata, conueniens deſignationi rei prophetanda.* Ad 5. *quod quamuis homo quilibet poſſit quaslibet imaginationes formare naturali virtute:*

tamen quod formentur conuenienter rei figuratæ ſignificandæ, non poteſt fieri,niſi ab eo, qui rerum illarum cognitionem habet, & ſecundum hoc formatio imaginariæ viſionis in Propheta ſupernaturalis exiſtit. Denique ad 6. ait: *Quod ſpecies illæ, quæ præexiſtunt in vi imaginatiua Prophetæ, pro vt exiſtunt, non ſufficiunt ad ſignificationem rerum futurarum, & ideo oportet, quod diuinitus aliter transformentur.*

Septimò tandem, quod pertinet ad harum ſpecierum productionem, dico ſolum Deum eſſe cauſam principalem ſpecierum intelligibilium, ſicut & luminis intellectualis; vel quod idem eſt, ſolum Deum poſſe immediatè ſua virtute intellectui humano nouum lumen ſupernaturale,nouaſque ſpecies intelligibiles, maximè myſteriorum ſupernaturalium repræſentatiuas, vel ſignificatiuas infundere, hæc enim vt cauſa principalis ſolus valet efficere, qui naturæ eſt,totiuſque creaturæ Dominus. Vnde ſi quando aliqui Patres, aut Theologi Myſtici aſſerunt id fieri per Angelos, id debet intelligi, tanquam per cauſas inſtrumentales ad ſummum,quatenus Deus illis vt adminiſtris vtitur in eleuando intellectu per infuſionem tum luminis, tum ſpecierum, ſuppoſito quod nullam inuoluat contradictionem. Si quidem Angelus nihil efficit extra ſe propria virtute, niſi vel per motum, vel applicationem actiuorum ad paſſiua; quo neutro modo produci poſſe nouum lumen in intellectu, aut ſpecies rerum diuinarum ſpirituales ſatis conſtat.

Etſi autem Angelus huiuſmodi ſpecies intelligibiles propria virtute, ac immediatè producere in intellectu côtemplantis non valeat,mediatè tamen, ac veluti indirectè id poteſt. Quatenus, cum homines naturaliter veritatē intelligibilem non capiant nudam, nec ſine conuerſione ad phantaſmata, aliqua huiuſmodi format Angelus, vel diſponit, & ordinat iam præhabita in phantaſia, ex quibus intellectus agens educit ſpecies intelligibiles veritatis contemplandæ, quibus informatus intellectus patiens circa illam contemplationem inſtruit. Sicque Angelus dicitur fungi vice Magiſtri,proponendo contemplanti diuina in ſimilitudinem rerum ſenſibilium, ſeu forma ſenſibili manifeſtando illa, eo ferè modo, quo ſolent Magiſtri exemplis, ac ſimilitudinibus exponere diſcipulis veritates,quas docere habent in animo. Tantum igitur ſit de his ſpeciebus, de quibus plura analogicè dici poſſunt, quæ Theologi docent de ſpeciebus à Deo infuſis tum Angelis, tum Chriſto Domino ad vſum ſcientiæ infuſæ.

CAPVT VII.

Vtrum contemplatio etiam infuſa huius ſtatus pendeat ab operatione phantaſiæ.

PRo intelligentia huius difficultatis aduertendum eſt primò eam procedere de contemplatione infuſa, non autem acquiſita, quam omnes admittunt ſaltem mediatè, aut præſuppoſitiuè pendere ab operatione phantaſiæ, aliqui enim, vt mox dicemus, immediatam negant dependentiam.

Notandum eſt ſecundo difficultatē eſſe de contemplatione infuſa huius ſtatus, quia intellectionem alterius ſtatus, ſcilicet futuræ beatitudinis, quando anima reunietur corpori, non habituram ab operatione phantaſiæ dependentiam, multoque minus contemplationem infuſam extra verbum, eſt ſatis certum, & communiter receptum inter Doctores.

Tertiò obſeruandum eſt hanc difficultatem dupliciter procedere poſſe, vel de potentia Dei ordinaria, ſiue de dependentia contemplationis infuſæ, ſecundum communem rerum curſum, ſeu accommodatè ad naturam hominis; vel de potentia Dei abſoluta ſupra illam omnino operante.Satis enim patet pluribus exemplis, etiam in or-

dine

dine ſupernaturali dari locum vtrique potentiæ. Et in hacmet materia, cum certum ſit in contemplatione infuſa, Deum ordinariè non videri per eſſentiam, certum quoque eſt, id extraordinariè fieri poſſe, ſeu de potentia Dei abſoluta, cum nullam prorſus inuoluat contradictionem.

Quartò demum aduertendum eſt, phantaſiam dupliciter ſumi poſſe: Primò, provt præcisè dicit ſenſum internum ſpecialem, realiter diſtinctum, tum à ſenſu communi, tum etiam ab æſtimatiua, & memoria: Secundò, pro vt dicit, vel ſignificat ſenſum internum generalius ſumptum, illum ſcilicet, qui poteſt ferri in res abſentes, ac proindè provt complectitur omnes ſenſus internos cognoſcitiuos præter ſenſum communem. Difficultas igitur non procedit de dependentia contemplationis infuſæ ab operatione phantaſiæ primo modo, ſed ſecundo conſideratæ, ſeu acceptæ.

His præſuppoſitis circa hanc difficultatem varia ſunt Doctorum placita. Aliqui enim exiſtimant primò intellectionem, vt ſic huius ſtatus non pendere ex natura rei ab operatione phantaſiæ, multoque minus contemplationem infuſam, quęque fit per ſpecies intelligibiles diuinitus infuſas. Alij verò diſtinguunt, & cenſent, quod, vbi contemplatio infuſa eſt talis ſolum ſecundum lumen, non autem ſecundũ ſpecies, ſeu fit per ſpecies acquiſitas, neceſſe quidem ſit, vt prius ad illas acquirendas, interueniat phantaſiæ operatio, quas oportet intellectum agentẽ elicere à phantaſmatibus; ſed poſtquã ſemel acquiſitæ fuerint ab anima, dum eſt vnita corpori, nihil obſtare, quominus ſine concurrente alia operatione ſenſuum internorum poſſit eas conſeruare, & illis vti; ſicque, dum aiunt communiter Philoſophi, *Non contingere nos aliquid addiſcere, aut intelligere ſine phantaſmate*: ſeu, *oportere intelligentem phantaſmata ſpeculari*, reſpondent aliud non ſignificari, quam nullum obiectum ſenſibile poſſe intelligi ſine concurrente operatione ſenſus: neque etiam vllum intelligibile, niſi aliquando ſenſus operatio præceſſerit; & conſequenter tenentur dicere, vbi contemplatio fit per ſpecies intelligibiles acquiſitas, ſiue à phantaſmatibus beneficio intellectus agentis abſtractas; ipſam quidem mediatè ſemper à tali operatione pendere, non tamen immediatè; vbi verò fit per ſpecies diuinitus infuſas, nec immediatam, nec mediatam habere dependentiam ab illa.

Alij tandem hunc naturalem intelligendi modum per conuerſionem ad phantaſmata, adeo eſſe ſtatui huius vitæ connexum, & connaturalem arbitrantur, vt illum de facto ad omnes intellectiones naturales, & ſupernaturales extendant. Ita D. Thomas pluribus in locis præſertim in lib. 3. de anima lect. 13. 1. p. q. 94. art. 2. vbi quærens vtrum Adamus in ſtatu innocentiæ Angelos cognouerit per eſſentiam? id eſt quidditatiuè, vt ibi exponit Caietanus. Reſpondet negatiuè, redditque rationem, quia Adamus naturaliter cognoſcebat per conuerſionẽ ad phantaſmata. Ibidem q. 84. art. 7. diſputans ex profeſſo: Vtrum intellectus poſſit actu intelligere per ſpecies intelligibiles, quas penes ſe habet non conuertendo ſe ad phantaſmata? ait: *Quod impoſſibile eſt intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata*. Idem docet lib. 2. contra Gentes cap. 72. & 159. & lib. 4. cap. 11. Et tandem 2. 2. q. 174. inquirens, Vtrum excellentior ſit prophetia, quę habet viſionem intellectualem, & imaginariam, quam ea, quę habet viſionem intellectualem tantum? cum quarto obieciſſet illud Dionyſij, quod eſt c. 1. Cęleſt. Hierarch. *Impoſſibile eſt nobis ſuperlucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum. Ex quo efficitur, non poſſe reuela-*

tionem propheticam, quæ ſit per immiſſionem radij diuini, eſſe abſque phantaſmatum velaminibus; Reſpondet, *Quod illuſtratio diuini radij in vita præſenti nō fiat ſine velaminibus phantaſmatum qualiumcumque: quia eſt connaturale homini ſecundum ſtatum præſentis vitæ, vt non intelligat ſine phantaſmate. Quandoque tamen ſufficiunt phantaſmata, quæ communi modo à ſenſibus abſtrahuntur, nec exigitur aliqua viſio imaginaria diuinitus procurata. Et ſic dicitur reuelatio prophetica fieri ſine imaginaria viſione*. Vndè Sanctum Doctorem ſequuntur omnes eius diſcipuli, alijque plures. Nec diſſentit Scotus in 4. diſt:45. quæſt.2.

Verum quia, *Intelligentem oportere ſpeculari phantaſmata*, duplicem habere poteſt ſenſum; primò veluti concomitanter, vt dum contemplatur intellectus, ſimul operetur phantaſia, circa idem phātaſma, vel circa aliquid aliud ſimile, aut aliquo modo ad illud pertinens, ſiue moueatur ab intellectu, ſiue à ſuo obiecto; ſiue ab alio quopiam; Secundò veluti ſubordinatè, ſcilicet, vt intellectus, aut ipſa phantaſmata, vel naturas, quæ in eis relucent, contempletur; aut moueat phantaſiam ad formandum phantaſma. Idcircò Doctores admittentes, eam eſſe connexionem, ſiue dependentiam intellectionum à phantaſmatibus, vt nonniſi operante phantaſia, intellectus functionem ſuam exequatur, diuiſi ſunt circa modum huius dependentię explicandum; ſeu quomodo præfatum axioma intelligendum ſit, alij enim in primo, alij in ſecundo interpretantur ſenſu. Nos quid in hac re probabilius, aut verius tenendum ſit, iuxta mentem D. Thomæ, ſequentibus aperiemus dictis.

Igitur dico primò, quamuis intellectionem huius ſtatus ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem ordinariè pendere ab operatione phantaſię, ita vt nequeat dari vlla prorſus intellectio, quin ſimul adſit operatio phantaſiæ. Iſtud dictum eſt ad mentem D. Thomę locis citatis præſertim 1. p. q. 84. art. 7. vbi illud probat à poſteriori ex duplici ſigno. Primum eſt, *quia cum intellectus*, inquit, *ſit vis quædam non vtens corporali organo, nullo modo impediretur in ſuo actu per læſionem alicuius corporalis organi, ſi non requireretur ad eius actum actus alicuius potentiæ vtentis organo corporali. Vtuntur enim organo corporali ſenſus, & imaginatio, & aliæ vires pertinentes ad partem ſenſitiuam. Vndè manifeſtum eſt, quod ad hoc quod intellectus actu intelligat non ſolum accipiendo ſcientiam de nouo, ſed etiam vtendo ſcientia iam acquiſita, requiritur actus imaginationis, & cæterarum virtutum. Videmus enim quod impedito actu virtutis imaginatiuę per læſionem organi, vt in phreneticis; & ſimiliter impedito actu memoratiuæ virtutis, vt in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea, quorum ſcientiam præaccepit*.

Secundum indicium eſt, *quia hoc quilibet in ſeipſo experiri poteſt, quod quando conatur aliquid intelligere, format ſibi aliqua phantaſmata per modum exemplorum: in quibus quaſi inſpiciat, quod intelligere audet. Et inde eſt etiam, quod quando volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus ſibi phantaſmata formare poſſit ad intelligendum*.

Deindè rem veluti à priori probans hanc affert rationem, nimirum, *Quia potentia cognoſcitiua proportionatur cognoſcibili. Vnde intellectus Angeli, qui eſt totaliter à corpore ſeparatus, obiectum proprium eſt ſubſtantia intelligibilis à corpore ſeparata, & per huiuſmodi intelligibilia materialia cognoſcit. Intellectus autem humani, qui eſt coniunctus corpori, proprium obiectum eſt quidditas, ſiue natura in materia corporali exiſtens, & per huiuſmodi naturas viſibilium rerum, etiam in inuiſibilium rerum aliquā cognitionem aſcendit. De ratione autem huius naturę eſt, quod in aliquo indiuiduo exiſtat, quod non eſt abſque materia corporali. Sicut de ratione naturæ lapi-*

dis

dis eſt, quod ſit in hoc lapide: & de ratione naturæ equi eſt, quod ſit in hoc equo & ſic de alijs. Vnde natura lapidis, vel cuiuſcunque materialis rei cognoſci non poteſt completè, & verè niſi ſecundum quod cognoſcitur, vt in particulari exiſtens. Particulare autem apprehendimus per ſenſum, & imaginationem. Et ideo neceſſe eſt ad hoc, quod intellectus intelligat ſuum obiectum proprium, quod conuertat ſe ad phantaſmata, vt ſpeculetur naturam vniuerſalem in particulari exiſtentem. Si autem proprium obiectum intellectus noſtri eſſet forma ſeparata, vel ſi formæ rerum ſenſibilium ſubſiſterent non in particularibus ſecundum Platonicos, non oporteret, quod intellectus noſtri ſemper intelligendo conuerterent ſe ad phantaſmata. Hactenus D. Thomas, cuius propria verba retuli, quia multa ex illis inferenda ſunt.

Secundò igitur dico, non qualemcumque animæ dependentiam in vniri, & informare corpus ſatis eſſe ad hoc, vt anima in operatione ſua omnium perfectiſſima, qualis eſt intellectio, pendeat à corpore, ſed ex tali modo informandi, nimirum imperfectè, prouenire, qualis eſt modus præſentis ſtatus, in hoc conſiſtens, quod anima non dominetur corpori, neque conſequenter ex hoc modo excellentiori informandi, redundet in ipſum corpus, vt plenè, atque perfectè ſubijciatur animæ in ſuis operationibus. Quare cum in ſtatu ſupernaturalis beatitudinis, quē homines reſurgentes ad illam poſſidendam habebunt, futura ſit ex gloria animæ informatio corporis cum pleno dominio eius, inde quoque fiet, quod poterunt, & non poterunt cum dependentia à phantaſmatibus intelligere; vt habetur ex D. Thoma 1. p. qu. 94. art. 2. & 3. p. q. 11. art. 2. vbi reddens rationem ob quam Chriſtus Dominus poſſet intelligere abſque dependentia à phantaſia: ita vt quando liberet vteretur operatione eius, & quando non liberet, non intelligeret per conuerſionem ad illam, ſic ait: *Eſt autem hæc conditio animæ comprehenſoris, vt nulla modo ſubdatur ſuo corpori, aut ab eo dependeat, ſed totaliter ei dominetur. Vndè & poſt reſurrectionem, ex anima gloria redundabit ad corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phātaſmata conuerti, quod eſt corpori obligata, & quodammodo ſubiecta, & ab eo dependens. Et ideo animæ beatæ, & ante reſurrectionem, & poſt intelligere poſſunt abſque conuerſione ad phantaſmata. Et hoc etiā oportet dicere de anima Chriſti, quæ plenè habuit facultatem comprehenſoris.*

Tertiò dico, naturale eſſe animæ corpus informanti in ſtatu viæ, non intelligere quidpiam niſi per conuerſionem ad phantaſmata. Ita D. Thomas, & eſt contra Scotum in 1. diſt. 3. q. 3. qui conſentiens, quod nihil ſine phantaſmate intelligimus, diſſentit in medio. Quatenus vult, quod hoc non inſit intellectui noſtro ex ſe abſolutè; quia ſic anima ſeparata non intelligeret, nec ex hoc, quod eſt coniunctus corpori, quia ſic anima in corpore glorioſo egeret phātaſmate: ſed quod hoc ineſt, aut in pœnam peccati originalis, iuxta illud Auguſtini lib. 15. de Trinitate c. 27. *Quæ cauſa*, inquit, *vt ipſam lucem fixa acie videre non poſſis, niſi infirmitas? Et quis eam tibi fecit niſi iniquitas?* Aut propter ordinem potentiarum naturalē hoc habentem, quod vna potentia attingente obiectum: aliæ quæ natæ ſunt illud attingere, contingunt idem.

Melius tamen cum D. Thoma aſſerendum eſt, non eſſe id referendum in peccatum, ſed in ipſammet conditionem naturæ humanæ, proptereaque docet 1. p. quæſt. 97. art. 4. Adamum in ſtatu innocentiæ habuiſſe eumdem intelligendi modum per conuerſionem ad phantaſmata. Ratio eſt in ſubſtantia, quia licet anima non pendeat quoad ſuam entitatem à corpore, pendet tamen ab illo quodammodo, ſcilicet quoad vnionem, & informationem, qua mediante eſt in materia, ſicque conſequen-

ſequentet pro hoc ſtatu vnionis diſſolubilis dependere debet ab eodem, ſiue ab eius operatione, in intelligendo; quandoquidem modus operandi ſequitur modum eſſendi. Quæ dependentia in intelligendo à corpore, vel operatione corporis, cum non poſſit conſiſtere in hoc, quod intellectio fiat per organum corporeum ſicut viſio; quia hæc dependentia eſt tanta, vt arguat potentiam immediatè elicitiuam illius actionis, quæ fit per prædictum organum, eſſe corpoream, in hoc ſolum conſiſtit, quod habeat neceſſariã connexionem cum aliqua operatione eiuſdem corporis, medio organo corporeo elicita. Quam non poſſe eſſe operationem ſenſus externi, aut ſenſus communis, cuius operatio à ſenſatione externa in eſſe, & conſeruari pendet, cum omnes admittant, ipſaque conſtet experientia; oportet vt ſit alia operatio altior, & independens actu à ſenſatione externa, qualis eſt operatio phantaſiæ largo modo acceptæ, vt diximus ſupra; ſicque naturale dicitur eſſe animę in ſtatu vnionis diſſolubilis, vt pendeat in intelligendo ab operatione phantaſiæ, ſiue dicatur, non intelligere quidpiam niſi per conuerſionem ad phantaſmata.

Confirmatur, quoniam aliæ animæ, & earum potentiæ, quo magis dependent in eſſe à materia, & ſunt amplius in eam immerſæ, eo magis dependent in ſuis operationibus à corpore: Igitur ſi, vt omnes concedunt, anima rationalis pro hoc ſtatu dependet aliquo modo à ſuo corpore, ſcilicet, quo ad vnionem, & informationem, debet quoque habere aliquam ab illo, minimam tamen dependentiam, qualis eſt explicata. Quæ dependentia non tollit, quod anima ſit ſecundum ſubſtantiam ſpiritualis, & ſecundum ſuum eſſe independens à corpore, ſed tantum, ex hoc quod ſit eius forma, arguit minimam ab illo dependentiam, quæ quidem cohærere poteſt cũ hoc, quod ipſa, licet ſit quid ſpirituale, habeat tamen eſſe formam corporis: ſi quidem omnis, & ſola forma, quæ per organũ corporeum tantummodò operatur eſt materialis, & dependens in ſuo eſſe à materia.

Per quæ patet ad ſuperius obiecta de anima beata ſeparata, & in corpore glorioſo. Hic enim loquimur de ſtatibus purè naturalibus, & non de miraculoſis, vt rectè aduertit Caietanus 1. p. ad q. 84. art. 7. Et ſi inſtetur, inquit, quod glorificatio non aufert naturam, ſed perficit: reſpondetur, quod conditiones naturales dicentes imperfectionem, hoc modo, id eſt, quarum oppoſitæ ſunt perfectiones, ſimpliciter poſſunt ſalua integritate naturæ auferri, glorificatio auferendo perficit, vt patet de paſſibilitate corporis. Talis autem eſt obligatio ad phantaſmata.

Ad authoritatem D. Auguſtini reſpondetur eius verbis non inſinuari, culpam eſſe cauſam depẽdentię illius, qua intellectus ad functiones ſuas opus habet conuerſione ad phantaſmata; ſed eſſe cauſam illius difficultatis, quam experimur in cognitione clara veritatis.

Verùm inſuper obijci poteſt primò, operari poſſe etiam in vita mortali phantaſiam, quieſcente, & otiante ſenſu externo; atque adeò, multoque magis poſſe etiam operari intellectum quando iam habet ſpecies acquiſitas, ceſſante à functione ſua phantaſia. Si quidem non videtur eſſe minus adæquatum principium intellectionis, quã cæteri ſenſus ſuarum operationum.

Reſpondetur primo ex S. Thoma, citata quæſtione 84. art. 7. ad 2. Magis dependere intellectum à phantaſia, quam hanc à ſenſu exteriore in ſua operatione. Quia cum phantaſma, quod formatur à phantaſia, ſit ſimilitudo rei particularis, non indiget phãtaſia ad functionem ſuam alia ſimilitudine particulari; ſicut indiget intellectus humanus in corpore exiſtens, cuius proprium obiectum eſt quiddi-

tas,

tas, ſeu natura in materia corporea exiſtens, ita vt quicquid naturaliter intelligit, ad hunc modum intelligat, vt experientia conſtat; quæ enim docet Poſſe ſenſum interiorem operari per ſpecies receptas; quamuis ſenſus exterior eodem tempore ab omni operatione vacet, eadem demonſtrat intellectum ordinariè non poſſe operari niſi per conuerſionem ad phantaſmata, & phantaſia ſimul operante. Experimur enim, vt dictum eſt ſupra, quod quoties intelligimus aliquod obiectum, non ſolum corporeum, verum etiam ſpirituale, toties formamus interius quoddam corporeum idolum, aut phantaſma.

Reſpondetur ſecundò ex eadem D. Thomæ doctrina eſſe diſparitatē prouenientem ex perfectione, ſeu ſpiritualitate intellectus. Si quidem potentiæ, ſenſitiuæ internæ ideirco poſſunt operari, quieſcentibus ſenſibus externis, quia habent organa corporea totaliter diſtincta, at verò intellectus, cum tale organum non habeat, & ex alia parte ſit potentia animæ corpus informantis, eique conſequenter ſe accommodantis, neceſſe eſt, ad ſaluandam hanc animæ in informando dependentiam à corpore, quod intellectio pro hoc ſtatu ſit ſemper coniuncta cum operatione phantaſiæ. Alias eſſet, & non eſſet vnita corpori, & ſimul haberet aliquam dependentiam ab illo, & excluderet omnem dependentiā ab ipſo.

Obijcitur ſecundò, intellectum plura intelligere pro hoc ſtatu, quorum nullum habet phantaſma, vt conſtat in intellectione, qua Deum, & ſubſtantias purè ſpirituales intelligimus: ergo ſaltem talis intellectio, atque adeo non omnis prorſus intellectio pendebit ab oratione phantaſię.

Reſpondet huic argumento D. Thomas loco citato ad 3. *Quod incorporea, quorum non ſunt phantaſmata, cognoſcūtur à nobis per comparationem ad corpora ſenſibilia, quorum ſunt phantaſmata, ſicut veritatem intelligimus ex conſideratione rei, circa quam veritatem ſpeculamur. Deum autem, vt Dionyſius dicit, cognoſcimus vt cauſam, & per exceſſum, & per remotionem. Alias etiam incorporeos ſubſtantias in ſtatu præſentis vitæ cognoſcere non poſſumus, niſi per remotionem, vel aliqualem comparationem ad corporalia; & ideò cum de huiuſmodi aliquid intelligimus, neceſſe habemus conuerti ad phantaſmata corporum, licet ipſorum non ſunt phantaſmata.*

Quartò dico, quod intellectio per conuerſionem ad phantaſmata ita fit, vt intellectus aliquando ipſa phantaſmata, aut naturas, quæ in ijs relucent, contempletur; aut vbi iam eſt fæcundatus ſuis ſpeciebus moueat phantaſiam ad formandum phantaſma; vel dum contemplatur ſuum obiectum, ſimul quoque operetur phantaſia circa illius phantaſma, vel circa aliud ſimile, aut aliquo modo ad illud pertinens, ſiue moueatur ab intellectu, ſiue à ſuo obiecto, ſiue ab alio quopiam.

Quintò dico, non dari contemplationem, etiam infuſam, ſiue quæ fit per ſpecies à Deo infuſas ſecundum legem ordinariam, quę ſit pura, aut ſimplex, aut ſupereminens, ſi per huiuſmodi terminos, quibus aliquando vtuntur Myſtici, intelligatur contemplatio, quæ fiat abſque vllo imaginationis interuentu, ſeu ſine aliqua licet exigua, & quaſi imperceptibili conuerſione intellectus contemplantis ad phantaſmata. Eſt ad mentem D. Thomæ loco citato dicentis in principio articuli, *Quod impoſſibile eſt intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.* Vbi particula impoſſibile debet intelligi de quacumque intellectione, quantumuis ſupernaturali, & infuſa, ſaltem ſecundum legem ordinariam facta, quidquid ſit de extraordinaria, de qua mox dicemus. Hoc dictum ſufficienter probant hæc vſque à nobis allata. Itaque Deus ſecundum legem ordinariam operando, etſi nouas intel-

lectui

lectui contemplantis ſpecies infundat, cum tamen id præſtet, vt ſupponitur, accommodatè ad naturam intellectus, vel ſimul cauſat in imaginatione ſpecies imaginarias,ſeu phantaſmata obiecto contemplato correſpondentia, & proportionata,vel iam in illa prius naturaliter exiſtentia, & acquiſita diſponit,& ordinat, quibus contemplans dicatur ſemper intelligere per conuerſionem ad phantaſmata; verificeturque quod ait Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*.

Dictum eſt non dari contemplationem infuſam, ſimplicem, puram, aut ſupereminentem, ſi huiuſmodi terminis excludatur ab ea ſecundum legem ordinariam conuerſio ad phantaſmata. Nam ſi per contemplationem *ſimplicem* intelligatur ea, quæ fit abſque rationis diſcurſu, ſaltem formali, certum eſt, quod contemplatio infuſa ſit talis; ideoque vocatur, ſimplex intuitus, vt dicetur capite ſequenti. Item ſi per contemplationem *puram* ſignificetur ea, qua mens, cum fuerit à vitijs expurgata, à paſſionibus defæcata, in charitate ſincera ſtabilita, dicitur ad æternas veritates contemplandas ſublimari, certum quoque eſt, talem eſſe perfectorum, ſeu viæ vnitiuæ propriam contemplationem. Demum ſi contemplatio *ſupereminens* ſumatur pro ea, qua mens inſuper ita à Spiritu Sancto illuſtratur, vt modo veluti diuino, & à propria exercitatione, vel induſtria non dependente,diuina contempletur, libenter admittimus in hoc ſenſu, contemplationem infuſam debere dici ſupereminentem,ad diſtinctionem illius, quæ acquiritur, proprioque ſtudio, cũ gratia Dei exercetur; ſolumque per dictos terminos excludimus contemplationem, quæ pro præſenti ſtatu fiat ordinariè, ſine vlla actuali imaginationis operatione.

Quod ſi quis objiciat, experientia conſtare, vehementem animę operationem media vna potentia imminuere operationem illius mediante alia, ex eo quod virtus animæ eſt limitata; atque adeo in altiſſima diuinarum rerum contemplatione, qualis eſt maximè diuinitus infuſa, ita poſſe creſcere attentionem, vt omnino naturaliter tollatur operatio phantaſiæ, ex eo quod tota animæ vis ad operationem illam intellectus applicatur.

Reſpondetur ad hanc obiectionem, eſſe contra ordinariam experientiam, qua cum intenſius contemplationi vacamus, ſentimus defatigationem corporis, quod ſanè nequaquam ex intellectus, ſed ex cerebri defatigatione ob aliquam ſenſitiuam operationem internam, indeque ſpirituum conſumptione prouenit. Et ſi igitur admitti poſſit in altiſſima contemplatione tam infuſa, quam acquiſita, tantam aliquãdo eſſe poſſe intellectus attentionem, vt valdè exigua, aut quaſi imperceptibilis ſit imaginationis operatio, negandum eſt tamen illam totaliter impediri: ratio eſt, quia, cum pro hoc ſtatu ſecundum legem ordinariam, operatio phantaſiæ, & intellectus ſint inter ſe ſubordinatæ, & connexæ, non poteſt attentio intellectus in altiſſima rerum contemplatione eſſe tanta, & talis conditionis, vt tollat naturaliter quo minus anima mediante phantaſia eliciat propriam operationem illius.

Sextò dico, de potentia Dei abſoluta, vel extraordinaria poſſe dari contemplationem infuſam pro hoc ſtatu vnionis diſſolubilis cum corpore, quæ non pendeat ab operatione phantaſiæ. Ita communiter omnes docent, eſtque ad mentem D. Thomæ, qui eo ipſo, quod admittit poſſe hominem in hac vita eleuari ad videndam clarè diuinã eſſentiam, ſaltem in tali caſu admittit poſſe quoque dari intellectionem ſine conuerſione ad phantaſmata, qua nimirum videtur, ſiue cognoſcitur Deus intuitiuè. Verùm etſi difficultas eſſe non poſſit de tali intellectione,quod ſit ſine conuerſione ad phantaſmata;ſupereſt tamen dubium, an quando Deus

non

non ita videtur, aut cognoſcitur, ſed per ſpecies creatas infuſas abſtractiuè tantum, aut quidditatiuè ſecundum quid, & analogicè ad creaturas illum repræſentantes, non autem quidditatiuè perfectè, ſeu intuitiuè, hæc enim inter ſe coincidere iam ſuperiori capite oſtendimus, talis etiam cognitio ita ſit coniuncta cum operatione phantaſiæ, vt ſine illa eſſe non poſſit, etiam de potentia Dei abſoluta, ita enim poſſet alicui videri. At cum illi denegandum ſit tantum illud, quod manifeſtam inuoluit contradictionem, quæ in hac re non apparet, communiter omnes docent, vt dicebam, de tali potentia dari poſſe contemplationem infuſam mediis ſpeciebus creatis elicitam, independenter ab operatione phantaſiæ, ſiue non implicare contradictionem, eleuari mentem hominis in hac vita ad hoc genus contemplationis, in quo, citra cognitionem Dei intuitiuam, quæ fieret per ipſammet diuinam eſſentiam, eumdem cognoſceret per ſpecies infuſas ſine vllius ſenſus interni cooperatione. Siquidem huiuſmodi cooperatio non videtur tam eſſentialiter, aut neceſſariò cum anima connexa, vt repugnet eam impediri, dum ita vellet Deus intellectum immediatè ſua potentia extraordinaria mouere. Quod præſtare poſſet, vel auferendo omnia obiecta motiua phantaſiæ, vel non concurrendo cum illa; vel, quatenus opus eſſet, vberiori etiam lumine confortando intellectum.

Maior difficultas eſt, an de facto Deus in vnione myſtica tali vtatur potentia, ſeu communiter in ea huiuſmodi contemplationem infundat, abſque phantaſmatum concurſu, & phantaſiæ cooperatione? Non deſunt enim plures Theologi Myſtici, qui partem affirmatiuam teneant, eoque ſenſu exiſtiment dari contemplationem ſimplicem, puram, ac ſupereminentem, tanquam huius vnionis, ac diſciplinæ propriam.

Verum præter Chriſtum Dominum, cui per ſcientiam infuſam certo, Beatiſſimamque Virginem Mariam eius Matrem, cui per eamdem probabiliter hoc priuilegium conceſſum fuiſſe credendum eſt, de aliis nihil certi dici poteſt, nec ſatis fundari in aliqua experientia. Quia ex ſignis externis, quæ ſolent eſſe in homine, quãdo actu eſt in exſtaſi ad ſummum oſtenditur ſuſpenſio externorum ſenſuum: interius autem ſolus ipſemet, qui contemplatur, poteſt tunc experiri quid ſentiat. Non poteſt autem poſtea per experientiam certus eſſe, quod nullam operationem phantaſiæ habuerit, tum quia poteſt eſſe operatio tam ſimplex, vt poſtea illius nulla memoria relinquatur, vt contingit in pluribus ſomniis: tum etiam, quia ſi operatio intellectus non ſit de re ſpirituali, prout eſt in ſe, qualis non eſt in hac contemplatione Dei cognitio, vix diſcerni poteſt per experientiam à conſortio operationis phantaſiæ.

Verumtamen caſu quo aliqui alii præter Chriſtum Dominum, & Beatiſſimam Virginem Mariam, hac fuerint contemplatione illuſtrati, vt forſan dici poteſt de multis Prophetarum, de Apoſtolis, aliiſque nonnullis perfectiſſimis vtriuſque ſexus perſonis, dicendũ eſt eadem ratione, qua de ſcientia infuſa, huius quoque contemplationis infuſæ vſum non impediri ſomno, ſicque ad litteram verificari quod ait Spõſa, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; vt ſuperiori ſectione capite vltimo oſtendimus. Item non requiruntur ad ipſam aliæ ſpecies infuſæ perfectiores, quam quæ infunduntur in contemplatione infuſa cum conuerſione ad phantaſmata; ſi quidem talis conuerſio non prouenit ex imperfectione ſpecierum à Deo infuſarum, ſed ex eo quod Deus ſecundum legem ordinariam accommodando ſe modo agendi connaturali animæ, qualis eſt pro præſenti ſtatu intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, aliqua ſimul infundit in phãtaſia dictis ſpeciebus proportionata, & cor-

& correſpondentia, quæ non infundit, imo ſuum tunc cum imaginatione cõcurſum ſubtrahit, quando ſecundum ſuam potentiam abſolutam vult intellectum contemplantis eleuare ad contemplationem puram, ſeu ſine conuerſione ad phantaſmata.

Inſuper licet nulla ſit repugnantia, in eo, quod ſimul cum intellectu vtente ſpeciebus ad puram contemplationem infuſis, functionem propriam exerceat phantaſia circa obiectum aliquod ſenſibile, illudque ſuo modo cognoſcat, nihilominus probabilius eſt, tunc nõ fore in poteſtate contẽplantis, quod poſſet vti huiuſmodi ſpeciebus conuertendo ſe ad phantaſmata, ſiquidem vt ſupponimus talis contemplatio ſic fieret, aut per non productionem phantaſmatum à Deo in imaginatione, aut per ſubtractionem diuini concurſus cum illa. Deinde quia eſſet tantum per modum tranſitus, non autem habitualiter, ſicut fuit in Chriſto ſcientia infuſa, qua cum poſſet vti quandocunque volebat, ita etiam dici poteſt, ipſa vſum fuiſſe, ſpeciebuſque illi deſeruientibus, tam non conuertendo, quam conuertendo ſe ad phantaſmata. Qui etiam modus non repugnaret puro homini, ſi vellet ei Deus eamdem, quam animæ Chriſti ſcientiam infundere. Quod nulli de facto conceſſum fuiſſe pro certo tenendum eſt. Tantum que ſit de præſenti difficultate.

CAPVT VIII.

De quibuſdam actibus intellectus contemplationi infuſæ attributis analogicè ad actus ſenſuum externorum.

QVia tam in diuinis Scripturis, quàm in SS. Patrum, ac Theologorum Myſticorum libris, fit ſæpe ſæpius mentio, præſertim vbi agitur de altiſſima, & à Deo infuſa contemplatione, plurium actuum ſenſuum externorum translatè ad actus intellectus, v. g. viſionis, vel intuitionis; auditionis, eique correſpondentis locutionis; tactus, guſtus, & etiam olfactus: placuit hos ſequentibus paragraphis breuiter explicare, igitur ſit,

§. I.

De Viſione, ſeu intuitione myſtica intellectuali.

CVm omnis noſtra cognitio originaliter ſit à ſenſibus, iuxta cõmune Philoſophorum proloquium, dicentium nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu; viſus autem inter omnes ſenſus externos potiorem teneat locum, & ſubtilitate, & vniuerſalitate, quia plures rerum differentias oſtendit, inde eſt, quod viſionis, vel intuitionis nomen primò, & propriè impoſitum ad ſignificandum actum viſus, translatè quoque, ſeu metaphoricè extendatur ad ſignificandum, non ſolum actus aliorum ſenſuum externorum, vt cum Exodi 20. dicitur quod cunctus populus videbat voces, & lãpades, cum tamen voces nonniſi auditu percipiantur, verum etiam ſenſuum internorum, & ipſiuſmet intellectus; vnde D. Thomas 1. p. qu. 93. art. 6. ad 4. 2.2. quæſt. 174. art. 2. ad 3. de Veritate quæſt. 8. art. 7. communiterque omnes Theologi, quod pertinet ad noſtrum inſtitutum, tres admittunt viſionis ſpecies rerum cæleſtium, nempe corporalem, imaginariam, & intellectualem, de qua vltima agimus in præſenti, de alijs duabus acturi in penultima ſectione.

Itaque viſio, ſeu intuitio Myſtica intellectualis analogicè ad viſionem corpoream, ſiue ad oculum corporeũ, non ſignificat actum intellectus, quo contemplans dicatur Deum clarè, & abſque vllo velamine intueri; nec enim, ſicut oculis corporeis cernimus hominem præſentem cum quo loquimur, & coram agimus; ita oculo intelligentiæ vide-

videri Deus in hac vita poteſt: ſed eſt ipſemet perfectus, ac ſupremus contẽplationis infuſę actus, quo ſimplici quadam notitia, & abſque diſcurſu ſaltem formali, qualis eſt viſio, vel intuitio corporea, intellectus diuina, ac cœleſtia ſpeculatur. Eo enim ipſo, quod in hac contemplatione ipſemet Deus vel nouas intellectui ſpecies imprimit, vel iam præexiſtentes diſponit, & ordinat, vberiorique ſimul lumine eum illuſtrat, & eleuat, rectè anima dici poteſt ſupra omnem diſcurſus, & ratiocinationis eminentiã ita conſtituta, tanquam in altiſſimi montis vertice, ſeu ſpecula; vt Diuina quadamtenus cernere, & intueri videatur; ad quæ alias, longis etiam ratiocinationum anfractibus nunquam pertingere poſſet.

Adeo vt in hac parte non diſcurrendi in hac altiſſima contemplatione, eadem ſit menſura hominis; & Angeli; proptereaque proprium eius ſit, quod in ea non cognoſcatur Deus negando, aut remouendo ab eo aliquid, quæ cognitio, vt diximus ſupra, exprimi ſolet nominibus negatiuis, vel affirmatiuis cum particula negante; vt Deus eſt inuiſibilis, non eſt corpus, non eſt finitus. Neque etiam cognoſcatur per poſitionem affirmando, vel tribuendo illi quidpiam; vt cum dicitur, Deus eſt verax, ſapiens, bonus, miſericors; ſed per illam anima quietiſſimè, ac ſereniſſimè tunc abſque vlla diuiſionis, aut compoſitionis ope maieſtatem diuinã quaſi oculatiter intueatur. Quemadmodum enim dum lucem oculis corporeis conſpicimus, nec diuiſionem, nec compoſitionem facimus, dicendo: lux non eſt caligo, aut lux eſt qualitas; ſed ſimpliciter in lucem oculos conijcimus: haud ſecus anima, nihil affirmat, nihil etiam negat cum ſic contẽplatur: ſed tantum intelligentię lumen in Deum ipſum, tanquam in lucem inacceſſibilem cum ſumma reuerentia fixum habet, illumque tranquilliſſimè videndo ſe paſcit.

Et ſi autem viſio Myſtica, tum intellectualis, tum imaginaria, tum corporea, interdum cum reuelatione confundi ſoleat: nihilominus ex D. Thoma 2. Corinth. 12. lect. 1. in hoc differunt, quod *reuelatio includit viſionẽ, & non è conuerſo*, inquit S. Doctor, *Nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus, & ſignificatio eſt occulta videnti, & tunc eſt viſio ſolum. Sicut fuit Viſio Pharaonis, Geneſ. 41. & Nabuchodonoſor, Dan. 2. Sed quando cum viſione habetur ſignificatio intellectus eorum, quæ videntur, tunc eſt reuelatio. Vnde quantum ad Pharaonem, & Nabuchodonoſor, viſio de ſpicis, & de ſtatua, fuit ſolum viſio; ſed quantum ad Ioſeph, & Danielem, qui ſignificationem viſorum habuerunt, fuit reuelatio, & prophetia. Vtrumque tamen, ſcilicet viſio, & reuelatio quandoque quidem fit à Deo. Dan. 2. Eſt Deus in cælo reuelans myſteria. Oſee 12, Ego viſiones multiplicaui eis. Pſalm. 118. Reuela oculos meos. quandoque verò à malo ſpiritu. Ierem. 23. Prophetæ prophetabant in Baal. Apoſtolo autem facta eſt viſio, & reuelatio, quia ſecreta, quę vidit, plenè intellexit à Domino non à malo ſpiritu. Vnde dicit. Veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini*. Hactenus D. Tomas, qui etiam ibidem tradens etymologiam reuelationis ait, *idem ſonare, ac amotionem velamenti; poſſeque duplex eſſe velamen, vnum ex parte videntis, aliud ex parte rei viſæ*.

Ex parte videntis, ſi obiectum quidem viſibile eſt, atque conſpicuum, at ex indiſpoſitione ſubiecti, vel organi non videatur. Ex parte rei viſæ, vt etiamſi ſit intra ſphæram ſui obiecti, quia tamen eſt improportionatum, non poſſit videri, niſi potentia confortetur, & ità velamen auferatur.

Itaque quod pertinet ad viſionem myſticam intellectualem, quæ eſt ipſamet contemplatio infuſa, in tantum poteſt, aut debet vocari reuelatio, in quantum Deus, aut eleuato intellectu contemplantis tum per excellen-

tius lumen; tum per ſpecies infuſas, ſe quoque perfectius, & clarius illi manifeſtat, quam antea propria eius exercitatione cognoſci poſſet: hoc eſt enim quodammodo velamen ex parte videntis auferre, ſiquidem Deus ex ſe eſt infinitè cognoſcibilis; aut verò aliquam veritatem de ſe occultam, vt futura contingentia, aliaque ſimilia arcana myſteria detegit, quod eſt ex parte rei viſæ velamen pariter tollere, & contemplantem aliquid diſcere, ſiue de nouo intelligere. Igitur ſecundum quod in contemplatione infuſa diuinitus elicitur intellectio, non quatenus intellectus ratiocinatur, ſed ſimplici intuitu ad inſtar oculi corporei res ſibi obiectas contemplatur, talis intellectio vocatur viſio, reuelatio autem, ſecundum quod per illam quæcumque veritas occulta contemplanti manifeſtatur, ſublato, quocumque modo, impedimento, aut velamine ſe tenente, vel ex parte intelligentis, vel ex parte rei intellectæ.

Quantum ad huius viſionis, ſeu reuelationis intellectualis obiectum, certum eſt ſub illo comprehendi tam res corporeas, quam incorporeas. Et primo quidem Deum, ſingulaſque Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas: deinde Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, Angelos, & Sanctos; tum multas veritates, de quibus anima edocetur, ſiue ad fidem ſpectent, ſiue ad mores: res denique omnes materiales, licet abſentes, quæ ſunt in cælo, & in terra: Etſi enim quę ſpiritualia ſunt, & incorporea potentiæ ſenſitiuæ attingere non poſſint; nulla tamen repugnantia eſt, quin poſſint obiecta materialia, & abſentia veluti præſentia intellectui repræſentari per ſpeciem aliquam, & lumen ſupernaturale infuſum. Sic Sancta Mater Thereſia cap. 27. Vitæ ſuæ narrat ſe Chriſtum aliquando vidiſſe: Cum eſſem, inquit illa, die quodam feſto glorioſi Apoſtoli S. Petri, in oratione, videbam ſeu potius animaduertebam, oculis enim corporis, vel animæ nihil penitus videbam, quod Chriſtus prope me eſſe videbatur, & ſentiebam ipſum eſſe, qui mihi loquebatur: verum quia non erat viſio imaginaria, non percipiebam, qua forma eſſet, hoc tantum ſentiens quod lateri meo adſtaret, & teſtis eſſet quarumcumque mearum actionum. Huius autem viſionis ignara eam protinus confeſſario indicaui, qui petijt à me, qua forma ipſum viderem. Dixi me illum non videre: tum ille rurſum rogauit, vnde ſcirem eſſe Chriſtum, reſpondi me neſcire, verumtamen certo ſcire quod prope me eſſet, idque clarè ex eo cognoſcebam, quod in oratione quietis diutius cum ſingulari, & inſolita animi tranquillitate morarer, & vberiores ex ea fructus perciperem. Conabar varijs ſimilitudinibus ipſam viſionem explicare, ſed nullam ad hoc idoneam, & ſufficientem inueni, nec verba occurrebant, quibus eam perſpectam facere poſſem. Si autem dico me nec corporeis, nec interioribus oculis Chriſtum conſpicere, quomodo ſcio, mihique perſuadeo eum apud me eſſe, idque clarius, & euidentius, quàm ſi ipſum oculis cernerem? Certè per quamdam notitiam, quæ ſole clarior eſt, Dominus animæ præſentem ſe exhibet; nec tamen aſſero ſolem hic, aut vllam claritatem videri; ſed eſt lux quædam, quæ ſine vlla lucis viſione intellectum illuminat, vt anima tanto bono perfruatur. Perindè hoc fit, ac ſi aliquis cibus in ſtomacho ſit, quem homo non comederit, nec quomodo illuc venerit, ſciat; nouerit tamen ibi eſſe, tametſi neſciat qualis ſit, & quis eum ſtomacho ingeſſerit. Hæc autem viſio ita ſpiritualis eſt, vt nulla in potentijs, aut ſenſibus concitatio ſit, ex qua aliquid ad rem ſuam pertinens poſſit dæmon elicere. Hactenus S. M. Thereſia de viſione intellectuali Chriſti; eadem fere repetit in Caſtello animæ Manſ. 6. cap. 8. & vbique inculcat non poſſe animam verbis explicare illud, quod videt, imo nec intelligere, aut comprehendere, quomo-

quomodo id cognoſcat, licet ſit certiſſima ſe ipſum cognoſcere.

His conſonant quæ habet Aelredus Abbas Rieuallis ſerm. 2. de oneribus; vbi loquens de huiuſmodi viſione cuiuſdam Sanctæ Virginis ait: *Hac igitur luce perfuſa Chriſtum, quem prius nouerat ſecundum carnem, capit iam ſecundum carnem non noſſe; quia ſpiritus ante faciem eius Chriſtus Ieſus in ipſam eam induxerat veritatem*; tandemque concludit ſermonem docendo, quod quidquid alijs viſionibus cernitur, ambiguum eſſe, certum verò quod in ipſa cernitur veritate, licet inexplicabile. Vt etiam id in ſe experta teſtatur Beata Angela de Fulgineo, cuius verba referuntur in eius vita apud Bollandum 4. Ianuarij. Aduertendum tamen huiuſmodi viſionem, quantumuis certam, & ſemper obſcuram aliquando tamen magis confusè, aliquando magis diſtinctè fieri pro qualitate ſpecierum luminiſque à Deo infuſi. Semper tamen eſt media inter cognitionem obſcuram, quæ habetur per fidem in via, & claram per lumen gloriæ in patria, recedens quidem tantiſper à prioris obſcuritate, non perueniens tamen ad poſterioris claritatem. Vt iam ſupra notauimus.

Cuius adhuc viſionis, ſicut & contemplationis infuſæ cum ea coincidentis, reſpectu ſui obiecti, præſertim primarij, quod eſt Deus Vnus, & Trinus, tres ſunt veluti modi, aut gradus, pro vt diuerſo fit medio ex parte obiecti, ſeu diuerſis ſpeciebus, ex D. Thoma de veritate quæſt. 12. art. 7. In infimo ſui gradu fit per ſpecies acquiſitas in intellectu iam præexiſtentes, diuinitus tamen ordinatas, & applicatas. In ſublimiori gradu fit per ſpecies nouas diuinitus infuſas, cum conuerſione tamen ad phantaſmata. In ſupremo tandem gradu fit per eaſdem ſpecies, ſed ſine tali conuerſione. Vnde licet duorum priorum graduum tempus ſit ſolum diurnum; tertij tamen eſt tam nocturnum, quam diurnum. Poteſt enim contingere tum in vigilia, tum in ſomno, quando fit per ſpecies infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata, ita Deo in anima extraordinariè operante, Sicut Chriſtus, & B. Virgo eius Mater in ſomno contemplationi vacabant, & delitijs cæleſtibus perfruebantur.

Huius etiam viſionis intellectualis plures ſunt, & quodammodo ſpeciales fructus, aut effectus. Primus eſt maximæ erga Deum venerationis, ardentiſſimique amoris, ac deſiderij ſeruiendi illi. Secundus pacis, & tranquillitatis; etſi enim hæc viſio aliqualem in principio timorem cauſare ſoleat, cum non poſſit anima capere quid ſit, nihil enim videns clarè, ac ſenſibiliter, certo tamen ſciens ibi Deum, aut Chriſtum, & ſic de Angelis, & Sanctis, adeſſe, veluti hæret; ſed hærenti dum intus dicitur, *Ego ſum, noli timere*, ſubito tranquillatur. Tertius maioris animæ in ſe collectionis, & libertatis à diſtractionibus. Quartus durationis, non enim ſolet eſſe breuis, & quaſi in tranſitu, vt imaginaria, ſed paulo longior, imo aliquando multo tempore cum modica interruptione durat, & nunquam fere à memoria excidit. Qui omnes, & ſimiles effectus colliguntur ex ſupracitatis Sanctæ Matris Thereſiæ locis, Vitæ cap. 21. & 27. Caſtelli animæ Manſ. 6. cap. 8. & 10.

Tandem cum ſolus Deus aut per ſe, aut per Angelos ſuos miniſterialiter, mouere intellectum creatum poſſit infundendo ei virtutem, ac ſpecies ad intelligendum, in confeſſo eſt apud omnes viſionem, aut reuelationem, & apparitionem intellectualem, nullis ex ſe illuſionibus obnoxiam eſſe. Quia tamen aliquando dæmones phantaſmata in imaginatione coordinando, aut effingendo, ea media excitare poſſunt intellectum ad aliquid tam diſtinctè cognoſcendum, vt videre dicatur, qua ratione putant aliqui Doctores Dæmonem Chriſto Domino in Deſerto oſtendiſſe omnia regna mundi, & glo-

riam

riam eorum; Et valde inſuper difficile eſt viſionem purè intellectualem ab ea diſcernere, quæ cum admixtione phantaſmatum fit, magna propterea in omnibus cautela, & diligens examen adhiberi debet, tum conſulto directore pio, prudenti, & docto, ſique fieri poſsit experto; tum attentis regulis ab Eccleſia, & Patribus præſcriptis ad diſcernendas veras viſiones à falſis; inferius adducendis; inter quas nulla videtur eſſe certior, quam tranquilla humilitas: cum enim Deo comparati nihil ſimus, quo magis ad illum accedimus, eo clarius cognoſcimus nos nihil eſſe. Vnde optimè Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 27. ait: *Sapientia increata habet eſſentiam, habet vitam; ſed hoc quod habet ipſa eſt. Proinde incommutabiliter viuit, quia non ex accidenti, ſed eſſentialiter viuit. Sola igitur cum Patre, & Sancto Spiritu veraciter eſt, cuius eſſentia comparatum eſſe noſtrum non eſſe eſt. Huic ſi coniungimur, ſumus, viuimus, ſapimus: huic ſi comparamur, nec ſapimus, nec viuimus omnino, nec ſumus. Hinc eſt, quod Sancti omnes, quando in Dei viſione proficiunt, quanto magis Diuinitatis interna conſpiciunt, tanto magis ſe nihil eſſe cognoſcunt.*

§. II.

De auditione myſtica intellectuali, eique correſpondente locutione.

Quemadmodum viſio myſtica intellectualis per analogiam ad oculum corporeum, cuius proprium eſt videre, nihil eſt aliud, quam ipſamet contemplatio infuſa modo explicato; ita quoque auditio myſtica intellectualis eſt eademmet contemplatio analogicè pariter conſiderata per ordinem ad aurem corpoream, cuius eſt proprium audire; adeo vt viſio, & auditio myſtica intellectualis, ſint vna, & eadem operatio intellectualis, viſio dicta in quantum Deus videtur per illam, & auditio in quantum homo in ipſa inſtruitur de diuinis, cum auditus vocetur ſenſus diſciplinæ. Ita colligitur ex D. Thoma 2. Corinth. 12. lect. 2. vbi explicans hæc verba, *& audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. ait, Hoc poſſe dupliciter exponi. *Vno modo, vt ly homini conſtruatur, cum licet, & loqui, & ſenſus eſt. Audiuit arcana verba, id eſt percepit intima cognitione, ſecreta de Dei eſſentia quaſi per verba, quæ ſcilicet verba non eſt licitum, vt homini dicantur. Alio modo, vt ly homini, conſtruatur ſolum, cum non licet, & tunc eſt ſenſus, audiuit verba, &c. quæ verba non licet homini loqui, homini ſcilicet imperfecto. Sciendum autem, quod ſecundum Auguſtinum, Paulus eſt raptus ad videndum diuinam eſſentiam, quæ quidem non poteſt videri per aliquā ſimilitudinem creatam. Vndè manifeſtum eſt, quod illud quod Paulus vidit de eſſentia diuina, nulla lingua humana poteſt dici: alias Deus non eſſet incomprehenſibilis. Et ideo ſecundum primam expoſitionem dicendum eſt, audiuit, id eſt, conſiderauit arcana verba, id eſt, magnificentiam diuinitatis, quam nullus homo poteſt loqui: dicit autem, audiuit pro vidit, quia illa conſideratio fuit ſecundum interiorem actum animæ, in quo idem eſt auditus, & viſus, ſecundum quod dicitur Num. 12. Ore ad os loquitur ei, & palam &c. dicitur autem illa conſideratio viſio, in quantum Deus videtur in hac, & locutio in quantum homo in ipſa inſtruitur de diuinis.*

Sic ergo metaphora deſumpta ab aure, vel auditu, qui media auditione dicitur ſenſus diſciplinæ, vnde illud Apoſtoli *Fides ex auditu* Rom. 10. Contemplatio infuſa vocatur auditio intellectualis, quatenus in ipſa anima à Deo loquente inſtruitur. Talis item appellari poteſt, quia eſt ſecreta, & intima diuinorum cognitio à Deo infuſa, ſicut ad aures loqui dicimur, vbi ſecreta alicui communicamus, aut vice verſa. Vel tandem, cum in hac intima, & arcana Dei cognitione contemplans

templans diuina pati dicatur, auditioque corporea relatiuè ad locutionem, videatur potius ſignificare id quod eſt in ea paſſionis, receptionis ſcilicet verborum, quam id quod eſt actionis, non incongruè ex hoc capite contemplatio infuſa vocari poteſt auditio intellectualis.

Minimè enim approbandum, quod cenſent aliqui, auditionem ſcilicet myſticam fieri abſque vlla operatione interiore potentiæ vitalis; vel quod idem eſt, illud contemplationis, ſeu orationis genus debere vocari auditionem myſticam intellectualem, quod eſſe dicunt per ſuſpenſionem omnis actus interioris; id, inquam, omnino reijciendum eſt, tum quia, vt diximus ſupra, repugnat talis contemplatio abſque vllo actu interiore; tum quia loquendo in ſpeciali de auditione myſtica intellectuali, eo ipſo quod eſt perceptio interna intellectualis locutionis diuinæ intellectualis, implicat quod fiat abſque vlla prorſus operatione vitali intellectus. Quia percipere vniuerſim loquentem eſt per potentiam vitalem eius vocem haurire, & agnoſcere. Quod ſatis patet non poſſe eſſe abſque aliqua operatione procedente, tum à volente quidpiam manifeſtare alteri, quæ vocatur locutio, tum ab illam percipiente, quę vocatur auditio. Huius autem tam locutionis ex parte Dei, quam auditionis ex parte orantis, vel contemplantis, plura ſunt Scripturæ teſtimonia paſſim obuia, vt Pſalm. 80. *Audiam quid loquatur in me Dominus*; Item Iſaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*. Et lib. 1. Reg. c. 3. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*.

Loquendo iam de auditione myſtica intellectuali duntaxat, eique correſpondente locutione pariter intellectuali, nam de corporeis, & imaginarijs acturi ſumus infra, cum eadem ſit ſubſtantialiter cum contemplatione infuſa, eodem modo de illa ratiocinari debemus, ac de iſta; vndè ſicut ſolus Deus, aut per ſe immediatè, aut miniſterio Angelorum tanquam cauſarum inſtrumentalium, ſaltem quoad productionem ſpecierum intelligibilium poteſt eſſe cauſa principalis contemplationis infuſæ, ita & auditionis myſticæ intellectualis cum illa coincidentis. Quapropter quemadmodum aliquem loqui corporaliter, nihil aliud eſt quam voce, aut verbis mentis conceptus exprimere, vt ipſe ab alio audiatur, & per correlatiuorum naturam non eſt aliud audire, quam conceptuũ eiuſmodi manifeſtationem percipere; ita Deum loqui animæ intellectualiter & eã hoc modo audire, nihil eſt aliud, quam quod Deus intellectui, ſimul cũ ſuperiori lumine intellectuali, quod eſt ſicut & contemplatio infuſa participatio, aut impreſſio quædam diuinæ cognitionis, nouas infundat ſpecies, quæ etiam ſunt quædam participationes in eſſe intelligibili diuinæ eſſentiæ, aut iam præexiſtentes modificet, quibus ſeu verbis ſpiritualibus, dum animam participem facit diuinorum ſecretorum, aut ea ipſi exprimit, non poteſt non rectè dici loqui illi intellectualiter, eam verò audire percipiendo illa. Sicque locutionem myſticam intellectualem vocant aliqui infuſionem doni. Alij excitationem, illuminationem, vocationem, oſtenſionem occultorum, conſequenterque auditio myſtica intellectualis eſt perceptio talis infuſionis, excitationis, illuminationis, & oſtenſionis ſecretorum; quæ ſanè perceptio, vt iam dixi, abſque omni actu percipientis non contingit.

Quia autem locutio ad auditionem, ſeu loquens ad audientem comparatur veluti mouens ad mobile, inde eſt, quod iuxta multiplicem, quo fit locutio intellectualis modum, diuerſitatemque ſpecierum, aut verborum, quibus illa exercetur, multiplex etiam diſtinguenda ſit auditio myſtica intellectualis. Sicque quantum ad primum, vt ex D. Gregorio lib. 28. Moral. cap. 2. *Duobus modis locutio diuina diſtinguitur.*

Aut per ſemetipſum, namque Dominus loquitur. Aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Quod tam de locutione intellectuali, quàm de imaginaria poteſt intelligi, cum hac tamen differentia, quod primam ſolum vt inſtrumentum poteſt efficere, ſecundam autem, vt cauſa etiam principalis. Ita quoque datur veluti duplex auditio myſtica intellectualis, vna, qua mediatè, altera qua Deum immediatè loquentem in apice mentis percipimus. Eo ferè modo quo SS. Angelis, & Beatis loquitur non aliqua voce ſenſibili, ſed imprimendo, aut per nouas ſpecies, aut iam inditas excitando, ipſorū intellectui veritatem, quam illis manifeſtare decreuit. Sic D. Auguſtinus explicans illa verba Geneſ. 3. *Cum audiſſens vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo,* ait lib. 11. de Gen. ad litter. cap. 33. *Fortaſsis Deus cum illis loquebatur, ſicut cum Angelis loquitur, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum.* Et D. Gregorius loco citato: *Spiritum Dei quaſi quadam nobis verba dicere eſt occulta vi, quæ agenda ſunt intimare, & cor hominis ignarum, non adhibito ſtrepitu, & tarditate ſermonis, peritum repente de abſconditis reddere.* Quatenus nimirum ita loquente Deo plura breuiſſimo tempore docetur anima, quam poſſet proprio ſtudio multis annis ediſcere.

Quantùm iam ad huius auditionis diuerſitatem ex parte verborum, eſt veluti triplex pro triplicitate diuinorum verborum; quorum alia ſunt ſucceſſiua, alia formalia, alia denique ſubſtantialia. Singula breuiter explico. Verba ſucceſſiua ſunt illa, quando Deus animam intus alloquens ita eam illuminat, excitat, vocat, & inſtruit, vt id fiat eum diſcurſu, maxima tamen eum facilitate, varias ei rationes, & non præuiſas ſuggerendo circa obiectum contemplatum; adeoque cognoſcat eas non à ſe ſola, ſed ab alia perſona ſecū interius colloquente, reſpondente, & influente procedere. Verba formalia ſunt, quæ anima pariter percipit ſibi à Deo proferri, nec de hoc quaſi dubitare poteſt. Diſtinguntur à præcedentibus, quod cum illa percipiantur, aut fiant veluti ſucceſſiue per diſcurſum, aut mutuum colloquium, hæc fiant ordinariè in inſtanti, & à ſolo Deo loquente: item contingant etiam animæ non collectæ, minimèque cogitanti de re, vel materia, circa quam proferuntur; cum ſucceſſiua ferè ſemper contingant animæ collectæ, & circa eamdem materiam, quam in ſua interna collectione contemplatur. Tandem verba ſubſtantialia ſunt illa, quæ viuum aliquem in anima effectum habent præter ſimplicem inſtructionem, vnde etiam à duobus præcedentibus differunt, quod ſunt verè, ac perfectè practica, quatenus operantur quod ſignificant, cum alia verba ſint potius ſpeculatiua, aut ſolùm inſtruant remotè ad agendum. Vnde omnia verba formalia non ſunt ſubſtantialia, benè tamen omnia ſubſtantialia ſunt formalia quia ſimul inſtruunt cum formalibus, & inſuper operantur in anima, quod ſignificant, quod præcisè non competit verbis formalibus. De huiuſmodi verbis poteſt etiam intelligi, quod ait Regius Propheta Pſalm. 67. *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis:* item illud Eccleſiaſt. 8. *Et ſermo illius poteſtate plenus erat.* Nec non quod ait Apoſtolus Hebr. 4. *Viuus eſt enim, & efficax ſermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sicque vox Chriſti, verbaque ipſius corporea tot miraculorum, quæ ſignificabant, fuerunt operatoria, ſiue ſanando infirmos, ſiue ſuſcitando mortuos, ſiue mari, vel ventis imperando, multò magis id diuinæ locutioni intellectuali, qua in ſilentio loquitur ad cor Hieruſalem tribuendum eſt. Seque ita expertam fuiſſe multoties teſtatur S. Mater Thereſia.

Vt autem loquitur intellectualiter Deus animæ, quando modo explicato illam illuminat, excitat, & vocat: ita viciſſim homo loquitur intellectualiter

Deo,

Deo, quando aliquid ab ipſo deſiderat, vel deſiderium exprimit, vel gratias agit, vel admiratur, vt ait D. Bernardus ſerm. 45. in Cant. vbi oſtendens qualiter anima loquatur ad Dei verbum, & verbum ad animam, ac, quę ſint eorum linguæ, hęc inſignia habet verba. *Fortè aſcendunt,* inquit, *cogitationes in corde tuo, & quæris dubiè apud te, dicens: Qua ratione verba verbi facta ad animam referuntur: & rurſum animæ ad Verbum, vt illa audierit vocem loquentis ſibi, & perhibentis, quod pulchra ſit, viciſſimque idem præconium ſuo mox reddiderit laudatori? Quomodo poſſunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itemque anima non habet vnde loquatur, niſi os corporis ſibi verba formauerit ad loquendum. Benè quæris: ſed attende Spiritum loqui, & ſpiritualiter oportere intelligi, quæ dicuntur. Quoties perindè audis, vel legis Verbum, atque animam pariter colloqui, & ſe inuicem intueri, noli ibi imaginari quaſi corporeas intercurrere voces, ſicut corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potius, quid tibi ſit in huiuſmodi cogitandum. Spiritus eſt verbum, ſpirituſque anima, & habent linguas ſuas, quibus ſe alterutrum colloquãtur, præſenteſque indicent. Et Verbi quidem lingua, fauor dignationis eius: animæ verò deuotionis feruor. Elinguis eſt anima, atque infans, quæ hanc non habet, & non poteſt ipſi vllatenus ſermocinatio eſſe cum Verbo. Ergo huiuſcemodi linguam ſuam cum Verbum mouet volens ad animam loqui, non poteſt anima non ſentire. Viuus enim eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: Et rurſum cum ſuam animam mouet, Verbum latere multo minus poterit, non ſolùm quia vbique eſt præſens: ſed propter hoc magis, quod niſi ipſo ſtimulante deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur. Verbo igitur dicere animæ Pulchra es, & appellare amicam, infundere eſt, vnde & amet, & ſe præſumat amari. Ipſi verò, Verbum viciſſim nominare Dilectum, & fateri pulchrum quod amat, & quod amatur ſine fictione, & fraude adſcribere illi, & mirari dignationem, & ſtupere ad gratiam.* Ita Bernardus loco citato de hac materia, de qua etiam videri poteſt D. Gregorius lib. 11. Moral. cap 4. Diuus autem Thomas ait de Veritate q. 18. art. 3. *Duplex eſt locutio, vna exterior, qua Deus nobis per prædicatores loquitur; quædam interior qua loquitur nobis per inſpirationem internam: dicitur autem ipſa interior inſpiratio locutio quædam, ad ſimilitudinem exterioris locutionis, ſicut enim in exteriori locutione proferimus ad ipſum audientem, non ipſam rem, quam notificare cupimus, ſed ſignum illius rei, ſcilicet vocem ſignificatiuam: ita Deus interius inſpirando non exhibet eſſentiam ſuam ad videndũ, ſed aliquid ſuæ eſſentiæ ſignum; quod eſt aliqua ſpiritualis ſimilitudo ſuæ eſſentiæ.*

Quo eodem etiam modo dicere poſſumus duplicem homini ineſſe myſticam locutionem vnam exteriorem, qua ore ſimul cum corde laudat Dominum, & aliam interiorem, qua ſine vllo labiorum ſtrepitu, aut alicuius potentiæ corporeæ, ei interius loquenti ſuum maximè aperit deſiderium. Vt enim ait D. Gregorius loco ſtatim citato. *Sanctorum animæ loquuntur Deo, dum quidpiam deſiderant. Magnus quippè earum clamor, magnum eſt deſiderium. Tanto enim quiſque minus clamat, quanto minus deſiderat: & tanto maiorem vocem in aures incircumſcripti ſpiritus exprimit, quanto ſe in eius deſiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ſunt ipſa deſideria. Nam ſi deſiderium ſermo non eſſet, Propheta non diceret, Deſiderium cordis eorum audiuit auris tua.*

Iam quod attinet ad huius tùm auditionis, tum locutionis myſticæ intellectualis certitudinem, ac modum. De prima, eadem ratione diſcurrere debemus, ac de viſione intellectuali, eam ſcilicet, vtpote à ſolo Deo prouenientem, immunem eſſe ex ſe ab omni illu-

ſione diabolica; maximè vbi fit per verba ſubſtantialia. Cuius vbi aliquod ſuborireturdubium ab effectibus mox adducendis facilè dignoſci poſſet. Quātum ad modum, præter iam adductos, quod aliquando à ſolo Deo immediatè, aliquando miniſterio fiat Angelorum, tum per tria dicta verborum internorum genera, inſuper aliquando minus, aliquando magis diſtinctè, aut etiam efficaciter fieri ſolet: hoc eſt, vel per modum ſuſurri, nec non ſibili auræ tenuis, vel per modum ſoni tanquā aduenientis ſpiritus vehementis. Etſi enim aliqui ſuſurrum myſticum à loquela, vel locutione diſtinguant, pro eodem tamen alij loquutionem internam, & ſuſurrum accipiunt, ita vt diſtinguantur ſolum penes hoc, quod locutio ſit magis clara, & diſtincta, nec non efficax, quam ſuſurrus; imo Diuus Gregorius loco ſtatim citando, licet ita etiam accipiat, locutionem adhuc extendit ad viſionem beatificam in patria, ſuſurrum autem reſtringit ad contemplationem præſentis vitæ adhuc obſcuram. Diuus igitur Gregorius explicans illud Eliphaz Iob 4. 12. *Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius*; poſtquam dixit, Deum, quando nobis de diuinitatis natura per contēplationem aliquid inſinuat nequaquā nobis loqui, ſed quaſi ſuſurrare, ait; id fieri, ſeu *Venas ſuperni ſuſurri aurem cordis furtiuè ſuſcipere, quia ſubtilitatem loquutionis intime afflata mens, & raptim, & occultè cognoſcit. Niſi enim ſe ab exterioribus deſiderijs abſcondat, interna non penetrat. Occultatur autem vt audiat, & audit, vt occultetur: quia & ſubtracta à viſibilibus, inuiſibilia conſpicit: & repleta inuiſibilibus, viſibilia perfectè contemnit.*

Vbi etiam diſtinguens ſuſurrum ipſum à venis ſuſurri ait; quod ſuſurrium occulti verbi eſt hæc ipſa locutio aſpirationis internæ; venæ autem ſuſurrij dicuntur cauſarum origines, quibus hæc ipſa aſpiratio ad mentem ducitur. *Quaſi enim*, inquit, *venas ſuſurrij ſui aperit, cum nobis Deus latenter inſinuat, quibus modis ad noſtræ intelligentiæ aurē venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit; aliquando præſentia, quam nulla ſint, oſtendit, & ad æterna diligenda deſiderium erigit; aliquando prius æterna indicat, vt poſt, temporalia viléſcant. Aliquando noſtra nobis mala aperit, & ad hoc nos vſque, vt alienis etiam malis condoleamus extendit. Aliquando, mala aliena noſtris obtutibus obycit, & compunctos mirabiliter à noſtra prauitate nos corrigit. Venas igitur diuini ſuſurry furtiuè audire, eſt occultos diuinæ aſpirationis modos tenuiter, et latenter agnoſcere.*

Quomodo tandem ſuſurrus proprie ſit huius vitæ, & loquutio alterius, ſic deducit idem Sanctus Doctor. Qui ſuſurrat occulte loquitur, et vocem non exprimit, ſed imitatur. Nos ergo quouſque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem diuinæ potentiæ, ſicut in ſe incommutabilis manet, videmus: quia acies infirmitatis noſtræ, non ſuſtinet hoc, quod de eius æternitatis radio ſuper nos intolerabiliter fulget. Cum ergo ſe nobis Omnipotens Deus per rimas contemplationis inducat, nequaquam nobis loquitur, ſed ſuſurrat: etſi ſe plenè non intimat, quiddam tamen de ſe humanæ menti manifeſtat. Tunc autem nequaquam iam ſuſurrat, ſed loquitur, cum eius nobis ſpecies certa reuelatur. Hinc eſt enim, quod in Euangelio veritas dicit: Palam de Patre meo annuntiabo vobis. Hinc Ioannes ait: Videbimus eum ſicuti eſt. Hinc Paulus dicit; Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.

Nunc autem diuinum ſuſurrium tot ad nos venas habet, quot creatis operibus ipſa diuinitas præſidet. Dum enim, quæ ſunt cuncta creata cernimus, in Creatoris admiratione ſubleuamur. Nam ſicut aqua leniter fluens rimata per venas quæritur, vt augeatur; tantoque ſe latius fundit, quanto venas apertiores inuenerit: Ita nos dum ſtudioſè diuinitatis notitiam ex creatura eius conſideratione colligimus, quaſi ſuſurry ad nos venas

illius

illius aperimus. Quia per hoc quod factum cernimus, virtutem Creatoris admiramur: & per ea, quæ ſunt in publico, illud ad nos emanat, quod latet in occulto. Quaſi enim per quendam ad nos ſonitum erumpit, dum conſideranda nobis ſua opera oſtendit. In quo ſemetipſum vtcumque indicat, dum, quam ſit incomprehenſibilis, manifeſtat. Quia igitur conſiderare eum dignè non poſſumus, non eius vocem, ſed vix ſuſurrium audimus; Plenè etiam, quia perpendere neque ipſa, quæ ſunt creata, ſufficimus, rectè dicitur, Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius. Hactenus D. Gregorius; quo nullus cum præclarius ſuſurri myſtici naturam explicuerit, ideo placuit ad longum verba eius referre.

Huius denique locutionis, & auditionis myſticæ tot ſunt effectus, quot illuſtrationis, ac verbi diuini, quibus illas perfici diximus; Præcipuos Diuus Bernardus enumerat ſermone de multiplici vtilitate verbi Dei: vbi expendens illud Chriſti Domini effatum: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud,* Lucæ 11. ait: *Vultis noſſe, quam beati? Primum quidem ſonans in auribus animæ vox diuina, conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuò ſi benè aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requiet: reſurrectio quoque, & conſummatio eſt.* Quibus pariter effectibus ſignificandis, nec non ipſimet diuinæ locutionis naturæ, plura in diuinæ Scripturis reperiuntur ſymbola, vt ſeminis, grani ſynapis, panis vitæ, mannæ, margaritæ, theſauri, ſecuris, gladij ancipitis, imbris, plouię terram irrigantis, auræ lenis, ſpiritus, ſeu venti vehementis, lucis, facis, ſolis, ac roris, de quibus, & ſimilibus conſuli poſſunt ſacri interpretes; ſolumque proferam verba Richardi Victorini lib. de gradibus charitatis cap. 4. de hac re ſic loquentis. *O dulcis confabulatio Dei in anima, quæ ſine linguæ, & labiorum formatur ſtrepitu, quę ſine aure percipitur: ſed ſub ſilentio ſolus, qui loquitur, & cui loquitur, audit illam, à qua omnis alienus excluditur. Sunt autem verba illa quædam cæleſtis fontis irrigua rigantia corda arentia, & tædentia præ amoris deſiderio. Quorum dulcis narratio de ciuitate Dei, de pace, & copia ciuitatis, de ciuium gloria, & decore dulciſſimæ manſionis pellens à corde faſtidium, & à corpore fatigationem, nunciians amico, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. Nec aliud petijt, nec paſſus eſt, qui dicebat, Dormitauit anima præ tædio: confirma me in verbis tuis. Prorſus huic auditui dabitur gaudium, & lętitia, nec reuertetur verbum vacuum: ſed faciet ad quodcunque miſit illud rigans, & fœcundans penetralia cordis. Qui talibus verbis docentur docibiles Dei ſunt, & vnctio eos docet, quæ ſola omnem veritatem docet ſuaui, celebrique magiſterio.*

§. III.

De Olfactu, Guſtu, & Tactu myſtico intellectuali.

OLfactus myſticus intellectualis, analogicè ad ſenſum odoratus, cuius proprium obiectum eſt odor, actus verò olfactus, nihil eſt aliud, quā ipſamet contemplatio infuſa, vt ex intima per ipſam vnione cum Deo ineffabilem includit animæ ſuauitatem. Quemadmodum enim odori, qui eſt proprium odoratus obiectum, maximè competit epithetum ſuauitatis, iuxta illud Eccleſi. 24. *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*, indeque talis ſenſus ſumma dicitur ſuauitate perfundi, vbi ſuauem pariter odorem olfacit; ita quoque animam intellectualiter olfacere, ſiue currere in odorem vnguētorum, aut myſteriorum diuinorum, quæ contemplatur, eſt ipſamet perceptio prouenientis inde ſpiritualis ſuauitatis in hoc potiſsimum conſiſtentis, vt ab amore ad amorem tendat, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 180. art. 1.

art. 1. nec non 7. ad 1. vbi ſic habet: *Vita contemplatiua licet eſſentialiter conſiſtat in intellectu, principium tamen habet in affectu: in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis reſpondet principio, inde eſt quod etiam terminus, & finis contemplatiuæ vitæ habetur in affectu: dum ſcilicet aliquis in viſione rei amatæ delectatur, & ipſa delectatio rei viſæ amplius excitat amorem. Vnde Gregorius dicit ſuper Ezechielem, quod cum quis ipſum, quem amat viderit, in amorem ipſius amplius igneſcit. Et hæc eſt vltima perfectio contemplatiuæ vitæ, vt ſcilicet non ſolum diuina veritas videatur, ſed etiam vt ametur.* Ita vt in præſenti vita ſit potior diuina dilectio, vt diximus ſupra, in æterna verò beatitudine diuina viſio, abſolutèque proinde perfectior ſit potentia intellectus, quam voluntatis. De quo redibit adhuc ſermo ſectione ſequenti.

Guſtus pariter myſticus intellectualis, per ordinem ad corporeum, ac ſenſitiuum conſideratus, cuius obiectum eſt ſapor, guſtatio verò ipſa ſenſatio, vnde vocatur ſenſus ſaporis perceptiuus, ac diſcretiuus, eſt eadem contemplatio infuſa, quatenus in ea diuinis, & æternis ſemper animæ magis, ac magis dulceſcentibus iuxta illud Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*, ipſa quoque ea amplius cognoſcere, auidiuſque amare conatur, & nunquam ſatiatur, ea fere ratione, qua ſapienti aliquem cibum corporeũ, eo nunquam ſatiari ſolet dici, ſed ardentius illum concupiſcere. Igitur, cũ ex communi Patrum conſenſu, præſertim ex Diuo Gregorio homil. 36. in Euangelia, hæc ſit inter cæleſtia, & terrena, quantumuis dulcia differentia, quod illa, dum non habentur, nec percipiuntur, amara videantur, & acerba: dum interiori palato ſentiuntur, & diligenti conſideratione, quaſi maſticantur, guſtum ſuauiſſimum pariant, cuius contrarium in temporalibus accidit. Si quidem quo magis guſtantur res cæleſtes, magis etiam cognoſcuntur: ſicque magis illarum dulcedo percipitur. Quanto magis diuinarum deliciarum ſaporem animus percipit, eo amplius cognoſcit, quod auidius amet; ſtante, inquam, hoc inter cæleſtia, & terrena diſcrimine, guſtus myſticus intellectualis in eo conſiſtit, quod anima præ omnibus terrenis, nedum appretiatiuè, verum etiam intenſiuè cæleſtia ſemper & diuina in contemplatione ſapiat: vel etiam, vt ait D. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 24. quia illa in hac peregrinatione duntaxat guſtãtes, non ad ſatietatem ſumentes, eſurimus ea potius, ac ſitimus, vt ijs poſtea ſaturemur, cum videbimus eum ſicuti eſt: & implebitur quod ſcriptum eſt: Satiabor cum manifeſtabitur gloria tua. Ad quam adhuc metaphoram facit, quod ſæpe Sacra Scriptura res diuinas vt cibum dulciſſimum, & potum ſuauiſſimum per contemplationem guſtandas proponit. *Comedi panem meum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo*, inquit anima illa Deo cara Cant. 5. Et Sanctus Athanaſius ſerm. de Paſſ. Dom. eumdem guſtum myſticum contemplatur in ſuaui ſapientiæ vino, quẽ promeruit nobis Chriſtus aceto, ac felle guſtato.

Contemplationi demum infuſæ nomen guſtus myſtici intellectualis tribui poteſt, quatenus maximè procedit, vt diximus ſupra, à dono ſapientiæ, à ſapore dictæ, quia eſt quaſi cognitio per guſtum. Vnde Diuus Thomas lect. 1. in cap. 3. epiſt. ad Titum ait: *quod in diuinis percipiunt quidam ſolum per fidem, quidam prægustando per lumen ſapientiæ*; Quocirca etiam, ſicut guſtus neceſſario exigit realem cum ſuo obiecto vnionem, ita ſapientia, quæ eſt donum Spiritus Sancti, quæque eſt principium contemplationis infuſæ, neceſſario, præque omnibus alijs donis exigit intimam cum Deo per charitatem vnionem, vt explicuimus ſupra: docetque Diuus Thomas in 3. diſt. 34. qu. 1. art. 2. *Homo*, inquit, *per ſapientiæ*

donum illis cauſis altiſſimis vnitur, transformatus in earum ſimilitudinem per modum quo qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Quæ transformatio tantæ eſt perfectionis, vt diſtinctione ſequenti aſſerat medio hoc dono animam eleuari *ad quamdam Deiformem contemplationem.*

Vltimo tandem non incongrue ad contemplationem infuſam transfertur nomen tactus, ipſaque dicitur tactus myſticus intellectualis, aut ſpiritualis, analogicè ad ſenſum tactus, quatenus, ſicut præ cæteris ſenſibus, etiam viſus, dicit quamdam maiorem circa ſuum obiectum, nec non in ſua ſenſatione certitudinem; iuxta illud D. Thomæ Apoſtoli Ioann. 20. dicentis: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam;* nec non Chriſti ad ipſum, *infer digitum tuum huc;* cum enim aliquando non verum, ſed phantaſticum corpus ſe viſui ingerere poſſit, quaſi per tactum omne dubium de illo tollitur. Vndè Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam apparens Diſcipulis, indeque conterritis, exiſtimantibus ſe ſpiritum videre, dixit Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet;* Ita ſimiliter, cum contemplatio diuina, maximè antem infuſa, ſit ſpecialis vnio animæ cum Deo in ratione cogniti, & amati per ſuperiora, & extraordinaria gratiæ dona, ita per illam redditur anima certa de eius præſentia, ac ſi tangeret illum, etiam ſi non clarè, ſed obſcurè tantùm cognoſcat. Iuxta illud Sponſæ Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*

Inſuper ſicut ſenſus tactus, nec non etiam guſtus, in hoc, quo ad ſuas ſenſationes differunt ab alijs ſenſibus, quòd ad illas non ſufficit intentionalis mutatio, ſed neceſſaria ſit naturalis, ſeu realis præſentia obiecti, eiuſque coniunctio cum organo, præcipuè in ſenſu tactus; ita quia in contemplatione infuſa per actum charitatis ab illa inſeparabilem, & in ea potiorem, ſit etiam realis animæ cum Deo vnio, vt dicetur ſectione ſequenti, non immerito talis contemplatio, indeque reſultans cum Deo vnio, vocatur tactus myſticus intellectualis, vel ſpiritualis. Vel tandem, quia ſicut tactus, ſi ſit duorum eodem ſenſu præditorum, eſt reciprocus, ac mutuus, ita in vnione myſtica per contemplationem infuſam inter Deum, & animam contingit; ideoque dicitur anima tangere, & reciproce tangi; tenere, & teneri. Vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 1. vbi de hac re loquens ait: quod *indicibili modo, anima rapit, & rapitur; tenet, & tenetur: ſtringit, ac ſtringitur, & vna vni per amoris copulam ſociatur.* Tantumque ſit de actibus intellectus contemplationi infuſæ, ſeu per eam vnioni myſticæ attributis analogicè ad actus ſenſuum externorum; qui licet attribui quoque poſſint contemplationi ſupernaturali acquiſitæ; dubium tamen non eſt, quin per excellentiam ſoli competant infuſæ, in qua anima pati potius, quam agere diuina dicitur, mouente eam Spiritu Sancto per ſua dona ſpecialiori quadam ratione.

CAPVT IX.

Quod Deus Vnus, & Trinus, cæteraque ad ipſum pertinentia, ita ſint primarium, vel præcipuum obiectum contemplationis infuſæ Viæ Vnitiuæ Perfectorum propriæ, vt nunquam ipſi debeant excludere Sacroſanctam Chriſti Domini Humanitatem.

Deum Vnum, & Trinum, cæteraque ad ipſum pertinentia, primarium quidem, vel præcipuum eſſe obiectum contemplationis infuſæ Viæ Vnitiuæ Perfectorum propriæ dubitari non poteſt; ſi quidem perfectiſſimæ cognitioni, qualis eſt pro præſenti ſtatu contemplatio infuſa, huc vſque explicata, correſpondere debet perfectiſſimum quoque obiectum, cuiuſmodi eſt Deus Vnus, & Trinus; Propterea-

que

que Doctores Myſtici eam in ſummo perfectionis apice conſtitui aſſerunt, quando illa ad inferiorem quidem, quam quæ in viſione beatifica, ſed ad ſuperiorem tanti myſterij notitiam peruenit, quam quę habetur per ſolam ſimplicem fidem, ſeu non eleuatam vlteriori lumine Spiritus Sancti.

Certum inſuper eſt, præcipuam materiam, circa quam incipientium verſari debet meditatio, vel oratio ſacroſancta eſſe humanitatis Chriſti Domini myſteria, præſertim vero paſſionis eius. Tum quia ex B. Laurentio Iuſtiniano de perfect. Monaſt. cap. 8. ſunt veluti lac ſpirituale, quo Incipientes, quaſi modo geniti infantes primum ali debent. Tum quia frequens beneficiorum conſideratio nobis per huiuſmodi myſteria collatorum, & eſt ſecura ad viam perfectionis ineundam ſtella, & ſumma gratitudinis materia, vel ſtimulus. Tum denique, quia, cum ad incipientes maximè ſpectet paſſionum, affectuumque inordinatorum ad peccatum mortale inducentium, mortificatio, & purgatio, nihil ad hoc magis vtile, magiſque efficax, quam dolorum quos Chriſtus Saluator pro nobis paſſus eſt, aſsidua, ac deuota meditatio. De quo inter alios videri poſſunt Diuus Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. cap. 3. & 4. D. Bernardus ſerm. 43. in Cant. D. Bonauentura de ſtimulo Diuini amoris p. 1. cap. 1. Et nouiſsimè S. M. Thereſia varijs in locis operum ſuorum, Vitæ cap. 22. Itineris perfect. cap. 13. Manſione 6. cap. 7.

Eamdem quoque meditationem ſummoperè vtilem eſſe Proficientibus in Via Illuminatiua clariſsimè patet; ſi enim vel minima peccata venialia, aut imperfectiones deliberatè commiſſas, maximè perſpectas habere, ac fugere debent; ſi virtutum omnium augmento in hunc finem incumbere; id melius præſtare non poſſunt, quam ſibi in meditando, & orando propoſitis pro materia Chriſti Domini virtutibus; inde enim ſemel, facileque deprehenſo, quantum noſtræ ab illarum perfectione deficiant, quantumque plenę defectibus illam impedientibus; non poſſumus non vehementer excitari ad illorum emendationem, ſimulque, ad imitationem Chriſti, quantum fieri poteſt, ad perfectam virtutum omnium acquiſitionem. Deindè cùm contemplatio Proficientium propria ſit illa, qua aut via negationis; aut via affirmationis ad Deum aſcendimus; inuiſibiliaque eius per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, dubium non eſt, quin inter omnia eius opera, potiorem in hunc finem habeat locum Sacroſancta Chriſti Humanitas, eiuſque myſteria. Quod ſtatim magis declarabitur agendo de Via Vnitiua Perfectorum.

Maior enim, imo tota ad hanc reducitur difficultas, num ſcilicet ita ſit addicta rerum diuinarum contemplationi, vt excludat Sacroſanctæ Chriſti Domini humanitatis, myſteriorumque eius conſiderationem, quaſi inde diuerteretur à potioris ſui obiecti, quod eſt Deus Vnus, & Trinus, contemplatione. Aliqui enim affirmatiuam, alij verò negatiuam tenent partem: Qui tamen facile conciliari poſſunt. Pro quo notandum eſt primò, dum agitur de vtilitate, vel neceſſitate huius conſiderationis, id dupliciter intelligi poſſe, vel in ipſomet actu contemplationis, vel extra illam, alijs diei horis; ſi hoc poſteriori modo intelligatur, nullus eſt qui neget illam eſſe ſummopere vtilem, proindeque nos ad illam exhortatur S. Mater Thereſia cap. 22. Vitæ ſuæ. Si verò priori ſumatur modo, non deſunt, qui exiſtiment ex illa contemplationem impediri, præcipuoſque eius effectus, negantibus tamen alijs, vt iam dixi. Qui etiam facile ad concordiam reuocari poſſunt, iterū notando, tam Sacram Chriſti humanitatem, quam plura vitæ, & paſſionis eius myſteria dupliciter quoque in oratione, vel contemplatione repræſentari poſſe, vel imaginario, vel intel-

lectuali

lectuali modo,quorum primus pertinet ad orationem Incipientium, ſecundus autem eſt Proficientium, & Perfectorum. Qui igitur ab horum contemplatione ablegant Sacram Christi Humanitatem, loquuntur de illa modo imaginatiuo conſiderata,qui verò admittunt,loquuntur de illa modo intellectuali. Quod tamen non ita rigoroſè accipiendum eſt,quaſi Incipientes modo ſemper imaginatiuo,& nunquam intellectuali; Proficientes verò, & Perfecti modo ſemper intellectuali,& nunquam imaginatiuo Chriſti Domini humanitatem, eiuſque myſteria meditari debeant,cum in vnoquoque ſtatu,quocumque modo fiat talis meditatio,non poſſit non eſſe apprime vtilis, niſi vitietur,vt mox dicemus. Quamuis non negemus, quin ordinatius meditandi modus Incipientium ſit per imaginationem, Proficientium autem, iſque perfectior per intellectum.

Abſolutè igitur dicendum eſt meditationem, vel conſiderationem Sacræ humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius, quocumque fiat modo, eſſe valdè vtilem, poſſeque admiſceri actui contemplationis tam Proficientium, quam Perfectorum,niſi aliunde vitietur, quod qua ratione fieri poſſit, infra explicabitur. In hoc ſenſu, loquutus eſt ipſemet Chriſtus,intelligendaque ſunt eius verba, dum ait abſolutè, nullaque facta reſtrictione Ioann. 10. 9. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*. Et 14.6. *Ego ſum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me*. Vnde etiam Iſaias de illo Propheticè loquens cap. 12. ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*.

Id ipſum docent Patres. D. Bernardus in form. hon. vitæ cap. 1. *Sit tibi*, inquit, *ſemper Ieſus in corde, & nunquā Imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus, & potus, dulcedo, & conſolatio, mel tuum, & deſiderium tuū, lectio tua, & meditatio tua, oratio tua, & contemplatio tua, mors, vita, & reſurrectio tua &c.* Sic Albertus Magnus tract. de Miſſa ait, quod *ſimplex recordatio,ſeu meditatio Paſſionis Chriſti plus valet, quam ſi integrum annum ieiunaret quis in pane, & aqua, vel ſi qualibet feria ſexta virgis, & flagellis caderetur vſque ad effuſionem ſanguinis; vel ſi quotidiè legeret vnum pſalterium*. Et lib. de adhæren. Deo cap. 2. loquens de altiori, ad quam in hac vita peruenire poſſumus, contemplatione ait: *Verumtamen quicunque hunc ſtatum aggredi, vel ingredi voluerit, oportet omnino, vt velut clauſis oculis, & ſenſibus, ſe totum intra ſe recipiat,nec aliud vnquam obiectum inibi mente attendat, quam Ieſum Chriſtum vulneratum; ſicque per eum in eum, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima diuinitatis ſedulo, & obnixè intendat*. D. quoque Bonauentura ſtim. amotis cap. 1. exclamat: *O cæcitas filiorum Adæ, qui per vulnera Chriſti neſciunt in Deum introire*. Item, *ſi bene paſſionem Domini fueris meditatus, & multum intraueris latus eius, citò peruenies ad cor eius: quicumque enim ad contemplationis quietem, niſi per iſtud oſtium, intrare voluerit, furem ſe reputet, & latronem*. Et Theolog. Myſt. cap. 3. *Latus ſuum Sacratiſſimum ferro lancea aperiri voluit, vt nonniſi per plagas, mens proficientis in intimis Diuinitatis radicetur*. Denique in opuſculo inſcripto *Rithmus de Cruce*, ſic canit:

Quando ſedes, ſtas, & iaces,
Quando loqueris, & taces,
Cum feſſus quieueris,
Ieſum ſemper, in quo ſperas,
Crucifixum corde geras,
Vbicunque fueris.

Sed omnium nouiſſimè tam ſublime & ex propria experientia locuta eſt S. Mater Thereſia de huiuſcemodi meditationis humanitatis Chriſti vtilitate, vt iure merito reſtauratrix vocari poſ-

ſit

ſit neglectæ erga illam deuotionis. Præter loca iam citata videri poteſt Vitæ cap. 28. & Exclamat. 9.

Probatur vltimo ratione; quia cum præter communes etiam alijs ſtatibus actus, & affectus, Perfectorum maximè proprij ſint admiratio, heroicaque dilectio, nec non exercitium cæterarum virtutum, nullum prorſus eſt ex diuinis operibus, vnde efficacius præfati actus in contemplatione excitari poſſint, quam opus Incarnationis, ſeu Verbum caro factum. Quanto enim ad admirationem, ſi hic affectus conſurgere ſolet tribus potiſſimum modis: *Primum*, dum offert ſe nobis aliqua res inſolita, rara, excellens, aut ſingularis, cuius cauſam ignoramus, indè enim ſuſpenſo animo in contemplatione talis effectus ad ignotam cauſam ſuam relati, per admirationem ſubſiſtimus. *Secundò*, cum effectum huiuſmodi videmus, & cauſam aliqua ex parte cognoſcimus, non tamen illam ob eius excellentiam plene comprehendimus. *Tertiò*, cum non ſolum cauſa noſtram ſuperat cognoſcendi virtutem, verum etiam ipſe effectus in ſe; vnde in illius magnitudine tantum hæremus ſine alio diſcurſu, firma cogitatione ſuſpenſi. Cui magis operi, vel effectui diuino, quam operi Incarnationis, quam Sacroſanctæ humanitati Chriſti, altiſsimiſque eius myſterijs, præfata omnia conueniunt.

Quam etiam reſpectu noſtri deuota eiuſdem operis, ſeu Chriſti humanitatis conſideratio ſit efficax ad heroicam dilectionem, ac virtutes perfectorum proprias, medium, vel incentiuum ſuper alia omnia; vnica Diui Thomæ authoritate probabo 2. 2. quæſt. 82. art.3. ad 2. vbi inquirens, *Vtrum contemplatio, ſeu meditatio ſit deuotionis cauſa*. Et ſecundò ſibi obijciens, *Si contemplatio eſſet propria, & per ſe deuotionis cauſa, oporteret, quod ea quæ ſunt altioris contemplationis, magis deuotionem excitarent. Huius autem contrarium apparet, Frequenter enim maior deuotio excitatur ex conſideratione paſſionis Chriſti, & alijs myſterijs humanitatis ipſius, quam ex conſideratione diuinæ magnitudinis. ergo contemplatio non eſt propria deuotionis cauſa*. Reſpondet, *Quod ea quæ ſunt diuinitatis, ſunt ſecundum ſe maximè excitantia dilectionem, & per conſequens deuotionem, quia Deus eſt ſuper omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanæ eſt, quod ſicut indiget manuductione ad cognitionem diuinorum, ita ad dilectionem per aliqua ſenſibilia nobis nota, inter quæ præcipuum eſt humanitas Chriſti, ſecundum quod in præfatione dicitur. Vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc inuiſibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinet ad Chriſti humanitatem, per modum cuiuſdam manuductionis maximè deuotionem excitant, cum tamen deuotio principaliter circa ea, quæ ſunt diuinitatis conſiſtat*. Vnde ſatis conſtat ita etiam quæ ſunt diuinitatis præcipuum eſſe in contemplatione ſupernaturali cognitionis, & amoris obiectum, vt tamē abſolutè ab ea nunquam ſit excludenda poſitiuè humanitatis Chriſti conſideratio, vt pote ex ſe manuducens nos ad præcipuos contemplationis actus, admirationis nimirum diuinorum attributorum in ea maximè relucentium, nec non dilectionis eorumdem.

Vnde probatur ſecundo eadem veritas, nam ſi tam liber creaturarum, quam diuinarum Scripturarum in cōtemplatione etiam altiſsima, ſunt apta eius materia, & circa quam dona Sapientiæ, & Scientiæ verſari poſſunt, quatenus per illos manuducunt intellectum, & voluntatem ad diuinorum cognitionem, & amorem; nec inde turbari dicitur actus contemplationis; potiori iure id aſſerendum eſt de Verbo carne facto, ſiue de Sacroſancta Chriſti humanitate, quæ non incongruè liber appellari poteſt, longe alijs duobus præcellens, totque velut litteris, ac paginis, quot myſterijs exaratus, in quibus ad ſtuporem relucent omnia prorſus diuina attributa, præ-

ſertim

ſertim amoris, vt merito Apoſtolus Epheſ. 24. propterea vocauerit, *Deum diuitem in miſericordia, & nimia charitatis, qui cum eſſemus mortui peccatis, viuificauit nos in Chriſto, vt oſtenderet ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos, in Chriſto Ieſu*. Niſi igitur vitietur hæc conſideratio, vel meditatio humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius, ſatis paret ex dictis eam non eſſe à contemplatione excludendam tanquam illius impeditiuam.

Nunc ergo explicandum ſupereſt, quomodo vitiari poſſit. Et ad hoc facit primò quod docet Diuus Thomas in 3. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. ad 5. *Corporalis*, inquit, *præſentia Chriſti in duobus poterat eſſe nociua. Primo quantum ad fidem; quia videntes eum in forma, id eſt, qua erat minor Patre, non ita de facili crederent eum æqualem Patri. Secundò quantum ad dilectionem, quia eum non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam carnaliter diligeremus, conuerſantes cum ipſo corporaliter, & hoc eſt de imperfectione dilectionis*.

Secundò, quod notauimus ſupra, Sacroſanctam videlicet Chriſti humanitatem, & eius myſteria poſſe in oratione, aut contemplatione repræſentari vel imaginario, vel intellectuali modo, quod paulo fuſius hic declarandum eſt. Imaginaria igitur repræſentatio eſt illa, qua principaliter operante phantaſia, & efformante in ſe diſtinctã Chriſti imaginem, vel inſtrumentorũ paſſionis eius, v. g. Crucis, Clauorum, Lanceæ, & ſimilium, aut etiam locorum vbi paſſus, quo ad eorum figuram, & alias conditiones materiales, ſenſibiliter ei illa omnia conſideranda exhibentur, ipſaque illis applicatur. Ex qua applicatione, maximè ſi ſit vehemens, non poteſt non impediri, aut ſaltem retardari operatio intellectualis.

Repræſentatio autem intellectualis eſt illa, quæ omnia prædicta, & ſimilia beneficio intellectus agentis à ſuis cõditionibus materialibus depurata, per ſpecies intelligibiles inde ab ipſo principaliter, inſtrumentaliter autem ab imaginatione productas in intellectu poſſibili intellectualiter cognoſcuntur, redduntur que proprium eius obiectũ. Vt enim rectè docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 186. art. 1. ad 3. *Singulare non repugnat intelligenti in quantum eſt ſingulare, ſed in quantum eſt materiale: quia nihil intelligitur niſi immaterialiter. Et ideo ſi ſit aliquod ſingulare, & immateriale, ſicut eſt intellectus, hoc non repugnat intelligenti*. Et quæſt. 10. de Verit. art. 4. ad 4. quod, *quamuis in mente non ſint niſi immateriales formæ, poſſunt tamen eſſe ſimilitudines rerum materialium. Non enim oportet, quod eiuſmodi eſſe habeat ſimilitudinem, cuiuſmodi eſt id, cuius eſt ſimilitudo, ſed ſolum quod in ratione conueniat: ſicut forma hominis non habet tale eſſe in ſtatua aurea, quale eſſe habet forma hominis in carnibus, & oſſibus*. Igitur, cum ex hac doctrina D. Thomæ ſingulare non repugnet intelligenti, niſi in quantum eſt materiale, ſeu conditionibus materialibus inuolutum; formæq; ſeu ſpecies intelligibiles, & immateriales poſſint eſſe ſimilitudines rerum materialium; ſi ſemel reddantur tales, per expurgationem obiecti ſingularis à ſuis conditionibus materialibus, ſi quas habet, non poteſt non tale ſingulare, v. g. ad noſtrum propoſitum, humanitas Chriſti, inſtrumenta paſsionis eius, ac ſimilia, fieri obiectum intellectus, vt pote, ſic purgata, & immaterialia reddita, iam ſub vniuerſali, & immateriali, quod eſt proprium intellectus obiectum, tanquam quid ſingulare contenta; quæque conſequenter cognoſcuntur, ſine vllo operationis intellectualis præiudicio, vel diuerticulo, à principali, aut proprio obiecto.

Quæ etiam cognitio, vel repræſentatio intellectualis, vt pote magis ſpiritualis, ac de vniuerſali participans, nec non propterea veluti ſubſtantialis, longe præcellit illi, quæ fit per ſolam imaginationem, quę eſt tantum ſenſibilis,

bilis, & accidentalis. Vt rectè docet D.Thomas, licet ad aliud propoſitum, 1. 2. quæſt. 35. art. 7. ad 2. dicendo, *quod triſtitia interior non procedit ex ſimilitudine rei apprehenſa, ſicut ex cauſa, nō enim homo triſtatur interius de ipſa ſimilitudine apprehēſa, ſed de re cuius ſimilitudo, quæ quidē res tanto perfectius apprehenditur per aliquam ſimilitudinem, quanto ſimilitudo eſt magis abſtracta, & vniuerſalis. Et ideo dolor interior, per ſe loquendo, eſt maior tanquā de maiori malo exiſtens: propter hoc quod interiori apprehenſione magis cognoſcitur malum.* Nec inde ſequitur deeſſe appetitui ſenſitiuo, vnde etiam moueatur, quando res ita intellectualiter cognoſcuntur, vt docet idem Sanctus Doctor quæſt. 26. de Verit. art. 3. ad 13. idque fieri duobus modis. *Ex aliquo*, inquit, *apprehenſo per intellectum poteſt ſequi paſſio in appetitu ſenſitiuo dupliciter. Vno modo in quantum id quod intelligitur vniuerſaliter per intellectum, formatur in imaginatione particulariter, & ſic mouetur inferior appetitus, ſicut cum intellectus credentis accipit intelligibiliter futuras pœnas, & earum phantaſmata format imaginando ignem vrentem, & vermem rodentem, & alia huiuſmodi, ex quo ſequitur paſſio timoris in appetitu ſenſitiuo. Alio modo in quantum ex apprehenſione intellectus mouetur appetitus ſuperior, ex quo per quandam redundantiam, vel imperium appetitus inferior commouetur.* Qui ſecundus modus facit ad noſtrum propoſitum, eſtque alio ex ſe perfectior.

His ita ſuppoſitis, deueniendo iam ad rem propoſitam, dubitari non poteſt, quin, ſi contemplans ita eſſet addictus in oratione repræſentationi imaginariæ humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius, vt intellectualem negligeret, in aliquali verſaretur errore; in eoque ſenſu debent intelligi nonnulli myſtici, quando aſſerunt, deſerendam eſſe humanitatis Chriſti meditationē, hoc eſt, imaginariam, vt nimirum intellectuali, tanquam perfectiori vacetur. Videturque eſſe expreſſa mens S. M. Thereſiæ Manſ. 6. cap. 7. Ratio deſumitur ex doctrina D. Thomæ ſuperius allata ex ſentent. Nam ſi iuxta illam, quantumuis tantæ vtilitatis, tantæque Apoſtolis, ac Diſcipulis conſolationis eſſet corporalis Chriſti præſentia, futuraque fuiſſet cæteris deinceps hominibus, conueniens tamen fuit ipſius, quoad illam ſeparatio, vel abſentia; vt eum ſecundum diuinitatē, qua æqualis erat Patri agnoſcentes, magis in hac fide firmarentur, indeque maiorem ipſius haberent æſtimationem, eaque attenta perfectius in eius amorem inardeſcerent, ſicque ſe diſponerent ad vberiorem donorum Spiritus Sancti receptionem: Non abſimili ratione dici poteſt, conuenire quoque nonnunquam, quod relicta in oratione imaginaria humanitatis Chriſti, aut myſteriorum eius repræſentatione, detur locus intellectuali, tanquam perfectiori, & ex ſe animæ magis vtili, ad quam conſequenter imaginaria debet ordinari ſicut ad ſuum finem.

Inſuper vitiaretur hæc etiam intellectualis humanitatis Chriſti conſideratio; ſi præciſè ſiſteret in ea contemplanda, non autem vlterius ſe extenderet orans ad diuinitatem, cum ipſemet ſe vocet oſtium, quatenus, vt ait D. Albertus, intramus in eum per eum, hoc eſt per hominem in Deum. Vnde qui ita ſe gereret, ſimilis eſſet illi, qui pulcherrima, & pretioſiſſima alicuius palatij interiora viſurus, moraretur in eius limine, vel ianua; aut peruenturus ad feliciſſimum alicuius itineris terminum, hæreret in via. Talis igitur eſſe debet Chriſti Domini, & myſteriorum eius conſideratio, vel meditatio, vt ſine vllo ſit periculo, vel damno orantis, vt ab imaginaria fiat tranſitus ad intellectualem humanitatis ipſius, rerūque ad illam pertinentium, & ab hac ad diuinitatem, rurſuſque ab iſta ad illam, vt mox dicetur, ſic enim anima contemplatiua, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.

Vltimo

Vltimo tandem firmiter tenendum eſt, nec probandi Myſtici, ſi qui oppoſitum aſſererent, quod intellectualis humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius conſideratio, nihil obſtat actui contemplationis altiſſimæ, ſeu verſantis circa diuinam eſſentiam, imo potius de eius perfectione eſt. Pro cuius intelligentia, & explicatione aduertendum eſt, quod, vbi mens eleuatur ad contemplandam ineffabilem diuinæ eſſentiæ magnitudinem in ſimplici, & vniuerſali actu fidei, hoc eſt abſque vlla particulari, vel diſtincta perfectionum eius notitia, licet, qui tunc de Deo formatur conceptus, non ſit Deus formaliter, aut repræſentatiuè, ſi quidem, vt diximus ſupra, nulla datur ſpecies creata, quæ ſit Deus formaliter in eſſe intelligibili, in tali nihilominus conceptu, vel ſpecie cognoſcitur diuina eſſentia veluti per ſpeculum, & in ænigmate, terminaturque proindè intellectus ad illam abſtractiuè tantum, ſeu arguitiuè, qui eſt modus cognoſcendi diuina pro præſenti ſtatu, quique ſufficit ad ponendam differentiam inter deitatem ſic cognitam, & id quod directè cognoſcimus, ſiue fiat per affirmationem, ſiue per negationem. Quod totum colligitur ex doctrina D. Thomæ varijs in locis præſertim 1. p. q. 180. art. 1. & 2. 2. q. 180. art. 5. ad 1. vbi habet hæc verba: *Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Dionyſius in epiſtola ad Caium monachum dicit, ſi aliquis videns Deum intellexit quod vidit: non ipſum vidit, ſed aliquid eorum, quę ſunt eius. Et Gregorius dicit ſuper Ezechiel, quod nequaquam omnipotens Deus iam in ſua claritate conſpicitur, ſed quiddam ſub illa ſpeculatur anima, vndè rectè proficiat, & poſt ad viſionis eius gloriam pertingat. Per hoc ergo,* concludit D. Thomas ſoluens argumentum ſibi oppoſitum, *quod Iacob dixit, Vidi Deum facie ad faciem, non eſt intelligendum, quod Dei eſſentiā viderit, ſed quod formam ſcilicet imaginariam vidit, in qua Deus locutus eſt ei: vel quia per faciem quemlibet cognoſcimus, cognitionem Dei faciem eius vocauit.* Hactenus D. Thomas.

Quia autem eſſentiam diuinam ita cognitam nos fides docet, vnam numero ſubſiſtere in tribus perſonis realiter diſtinctis, hinc eſt, quod intellectus per illam eleuatus, & non intuitiuè, ſed abſtractiuè tantum cognoſcens, ſua poteſt operatione, abſque vlla diuinæ eſſentiæ diuiſione, perſonas diuinas, quando vult, ſeparatim ab inuicem cognoſcere, & contemplari, nunc cum æterno Patre congaudendo, quod ſic dilexerit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: nunc cum iſto, quod aſſumpta noſtra vili carne, dignatus ſit noſter fieri frater, noſque cum tot laboribus à iuuentute ſua, extollere ad ſummam filiorum Dei adoptiuorum dignitatem: nunc denique cum Spiritu Sancto, quod exiſtens vtriuſque amor, ex infinito quoque amore, & inextinguibili charitate tantum opus exequi, & perficere voluerit in remedium, & conſolationem perditæ naturæ humanæ. Vnde ſatis patet in actu contemplationis altiſſimæ etiam Dei vnius, & Trini, abſque vllo eius diuerticulo, imo cum maximo contemplantis fructu, vt mox dicetur, poſſe admiſceri conſiderationem intellectualem humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius, qua, qui per illam ingreſſus fuit ad diuinitatem, ab iſta ad illam regrediens dicat interius: Ergo ne illa tanta maieſtas, illa virtus, & omnipotentia, eſt hic ipſe infans, qui pro me vagit, ac tremit in præſepio? tantus ille Deus eſt hic ipſe, qui de cruce, nudo, lacero, & vulnerato vndique corpore pendet exanguis, & exanimis; ſæpè enim ex huiuſmodi excurſionibus non poteſt non ſequi cordis inexpectata commotio, feruor inſolitus in voluntate; non ſuauiſſimas fluere compaſſionis lachrymas, quemdam que promptæ imitationis ardorem, aut alios ſimiles affectus excitari, mirum in modum animæ proficuos. Cum ta-

men duplex ſit contemplatio ſupernaturalis, vna quæ propria ſit exercitatione ſimul cum diuina gratia ordinaria, alia verò diuinitus infuſa, qua diuina pati, ſeu potius agi, quam agere per dona Spiritus Sancti dicimur, in priori quidem magis dari poteſt locus his excurſionibus, quam in poſteriori. In qua, vel id raptim fieri deberet, vel potius attendi ad id quod tunc Deus operatur in nobis, quam proprium ſequi ſpiritum deſcendendo ad alios actus particulares, quantumuis excellentes, niſi etiam tunc ad illos moueremur ab ipſomet Deo, cuius ſolius eſt proprium mouere creatam voluntatem, vt docet D.Thomas 1.p.q.105. art.4. huiuſque erit ſignum, ſi nulla in eis eliciendis ſentiatur difficultas, aut repugnantia. Deo enim extraordinariè in nobis operante, ita ſuſpenduntur potentiæ, vt nonniſi cum labore proprios eliciant actus.

Præter hanc praxim vniuerſalis laborum, ac dolorum Chriſti conſiderationis, aut repręſentationis, qua contemplans abſque vllo principalis actus, & obiecti damno, imo cum ſummo fructu, poteſt illos meditari, vt vidimus, alia quoque dari poteſt particularis, nimirum conſiderando illos in ſingulari, eorumque inſtrumenta, ſiue quod Chriſtus Dominus, quem iam intellectualiter præſentem habet, & cognoſcit in ratione diuinitatis, quodque eſt principale eius obiectum, flagella, clauos, crucem, & ſimilia paſſus fuerit, talia pariter modo intellectuali conſiderando, hoc eſt, abſque materiali eorum figura, nam, vt notauimus ſupra ex D.Thoma, *ſingulare non repugnat intelligenti, in quantum eſt ſingulare, ſed in quantum eſt materiale*; demptis igitur ab huiuſmodi inſtrumentis, aut alijs rebus materialibus in myſterijs humanitatis Chriſti meditandis, conditionibus materialibus, quæ ſunt obiectum imaginationis, quæque ſi per illam tunc repręſentarentur diſtinctè, non poſſet non aliqualiter impediri ſupremus contemplationis actus, demptis, inquam, talibus conditionibus id non accidit, ſed potius contrarium, ea intellectu ſpiritualiter cognoſcente ex præhabitis iam ante miniſterio ſenſuum ſpeciebus, & in intellectu poſſibili habitualiter reſeruatis.

Porrò ex his duobus meditandi modis intellectualiter humanitatē Chriſti Domini, & myſteria eius, licet vnuſquiſque vno, vel altero vti poſſit, ſecundum quod propria ductus experientia maiorem ex illis percipit deuotionis fructum, qui tamen eſt vniuerſalis perfectior eſt particulari, & ex ſe vtilior. Quemadmodum enim in contemplatione diuinitatis, quæ fit per ſimplicem, & vniuerſalem fidei, aut alterius ſuperioris luminis intuitum, omnes ſimul eius perfectiones cognoſcendo, præfertur à myſticis illi, quæ fit ſeparatim per ſingularum cognitionem; ſi quidem, cum tanta ſit animæ noſtræ capacitas, vt ſolus Deus illam replere poſſit; hinc eſt, quod non ſolum rerum creatarum, ſed nec ipſa diuinarum cognitio illi plenè ſatisfacere queat, ſi ei repręſentatur ſub determinata ratione alicuius particularis attributi, non autem ipſiuſmet Diuinitatis, in qua ſimul omnia adunantur; propterea que D.Dionyſius paſſim, maximè cap.1. de diuin. nominibus, & de Myſtica Theologia volens animam diſponere ad contemplationem, & intimam cum Deo per ipſam vnionem, monet eam, vt toto particulari relicto, in ſolam tendat diuinam eſſentiam, qua tanquam ſuo proprio, & vniuerſali obiecto, tam intellectus in cognoſcendo, quam voluntas in amando ſatiari poteſt. Cuius rationem, ſiue quod nullum bonum particulariter cognitum animæ ſufficiat, nec voluntatem efficaciter moueat, reddit ratione D.Thomas 1.p.q.105.art.4. in corp. quia *non ſufficienter aliquid poteſt mouere aliquod mobile, niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltem adæquet virtutem paſſiuam mobilis*. Igitur cum

ſola

ſola diuina eſſentia, vt includens omnia, ſit quid vniuerſale, tàm in ratione entis, ſub qua eſt obiectum intellectus, quam in ratione boni, ſub qua eſt obiectum voluntatis; eo perfectior erit cognitio, & efficacior ad mouendam voluntatem, quò non ſub aliqua determinata ratione vnius, vel alterius attributi diuinam contemplabimur eſſentiam, ſed ſub illa ſimplici ſimul, & vniuerſaliſſima ratione, qua eſt pelagus omnium perfectionum, complectens in ſe quidquid cognoſcibile, quidquid amabile eſt. Eo fere modo quo Angeli ſuperiores, perfectiuſque cognoſcentes cognoſcunt per ſpecies magis vniuerſales. Nam vt ait D. Thomas 2.2. q.24. art.3. in corp. probans charitatem dari non ſecundum capacitatem naturalium, ſed ſecundum voluntatem ſpiritus ſua dona diſtribuentis, *Vniuſcuiuſque rei quantitas dependet à propria cauſa rei, quia vniuerſalior cauſa effectum maiorem producit.*

Quomodo autem plura ſimul poſſint intelligi, explicat idem S. Doctor 1. p. q.58. art.2. in Angelis, diſputans, *Vtrum Angelus ſimul poſſit multa intelligere.* Et ibidem quæſt. 85. art.4. in nobis, diſputans, *Vtrum poſſimus multa ſimul intelligere*; vbi in corpore docens, *quod intellectus quidem poteſt multa intelligere per modum vnius, non autem multa per modum multorum*, poſtea ad 3. ait, *quod partes poſſunt intelligi dupliciter. Vno modo ſub quadam confuſione, pro vt ſunt in toto. Et ſic cognoſcuntur per vnam formam totius. Et ſic ſimul cognoſcuntur. Alio modo cognitione diſtincta: ſecundum quod quælibet cognoſcitur per ſuam ſpeciem. Et ſic non ſimul intelliguntur.* Quod ſufficit breuiter adnotaſſe, non enim eſt huius loci de hac materia fuſius agere.

Igitur quemadmodum, vt patet ex dictis, in contemplatione diuinitatis; quæ fit ſub ratione magis vniuerſali ipſius, præcellit illi, quæ fit ſub ratione magis particulari, aut determinata alicuius attributi. Ita quoque in contemplatione intellectuali humanitatis Chriſti, & myſteriorum eius, magis perfecta, & ex ſe efficax eſt illa, qua mens iam exercitata in imaginaria meditatione horum omnium diſtinctè, & habens in intellectu poſſibili eorũ ſpecies, aut diuinitus infuſas, aut beneficio intellectu agentis redditas ſpirituales per depurationem à phantaſmatibus imaginationis, ſimul conſiderat illa omnia ſub quadam ratione vniuerſali, & ſimplici, aut laborum, aut humiliationis, aut charitatis Chriſti, aut alicuius ſimilis; quàm ſi ſeparatim, aut diſtinctè ſingula conſideret. Quod aptiſſimo declarari poteſt exemplo faſciculi florum diuerſarum ſpecierum, v.g. liliorum, roſarum, hyacinthorum, narciſſorum, violarum, aliorumque id genus, quæ, ſi, vt ſimul in vnum collectæ videantur, & odorentur, & delectabilius viſum, & ſuauius recreant odoratum, quam ſi ſingulæ ſeorſim videantur, & odorentur. Conſimili ratione diſcurrendum eſt de duobus præfatis contemplandi modis; Quatenus, ſicut ille faſciculus continens omnes huiuſmodi florum pulchritudines, & odores ſimul præſtat, quod vnuſquiſque illorum ſeorſim præſtaret, proptereaque perfectius dictos ſenſus recreat: Ita pariter, cum in dicta ſimplici, & vniuerſali ratione, ſub qua conſideratur humanitas Chriſti, & myſteria illius propria, adunentur, virtuteque contineantur omnes actus particulares, quibus ſe prius mens circa illa meditanda exercuit, non poteſt indè reſultans poſtea conſideratio non mouere ratione talis virtutis vnitæ, modique intelligendi magis vniuerſalis, efficacius voluntatem, quàm faceret ſeorſim vnaquæque illorum particularis conſideratio; adeo vt tunc ſufficiat dicere intellectualiter in hunc finem, Deus homo illuſus, flagellatus, crucifixus, aut quid ſimile, idque amore mei, vel vt ſe propter me humiliaret, cum in tali actu virtualiter, maiorique cum perfectione, & ponderatione contineantur

tur omnes alij inferiores, vt rectè docet D. Bonauentura de ſeptem itiner. æternit. itin.3. diſt.3.

Cui etiam rei non incongruè adaptari poteſt illud Sponſæ Cant.1. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. Intelligendo per faſciculum myrrhæ, quæ amara res eſt, dura, & aſpera, paſſionem Chriſti, omniaque eius acta,& inſtrumenta, vt ibi explicant Sacri Interpretes, *Myrrha*, inquit Theodoretus, *Sponſi mortem,& quæ inde ad Sponſam peruenit, indicat ſuauitatem*. Quæ ſimul, ac veluti faſciculariter in pectore, & corde noſtro deuota conſideratione, aut meditatione recogitata, magis nos mouent, & confortant ad omnes virtutis labores, & dolores, omneſque huius vitæ auſteritates imitatione,& amore Chriſti patientis letè, & fortiter ſubeundos. Quamobrem Diuus Bernardus tam pius, ac deuotus Chriſti paſſionis contemplator, amator, & imitator ſolet dipingi cum omnibus inter vlnas eiuſdem inſtrumentis, velati faſciculariter collectis. Qui etiam ſerm.43.in Cant. rectè notat, Sponſam,*non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicere, quod leue pro amore ipſius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris*. Tantùmque ſit de hac re.

SECTIO SEXTA.

In qua agitur de vnione myſtica in ſpecie ſecundum partem appetitiuam rationalem, ſeu provt fit per voluntatem, eiuſque actus.

CAPVT PRIMVM:

An ſine vllo intellectus actu voluntas in Vnione Myſtica Deum percipere, aut amare valeat.

De ratione vnionis, vel contemplationis Myſticæ tam eſſe actum intellectus, quam actū voluntatis, ſatis oſtendimus ſupra, nec non principaliorem in ea locum habere actum charitatis, ſaltem moraliter loquendo, quod in hac vnione viæ videtur præcipuè attendendum,quidquid ſit de beatitudine ſupernaturali phyſica eiuſdē, de qua diſputant Scholaſtici, viderique poteſt noſtrum Collegium Salmanticenſe in 1.2. tract.9. de Beatitudine num.106. & ſequentibus, vbi res egregiè ab eo pertractatur. Vndè poſtquā in præcedēti ſectione egimus de iſta vnione, vel contemplatione myſtica in ſpecie,quoad actus intellectus,& res ad illos pertinentes, in præſenti erit ſermo de eadem, quo ad actus voluntatis, reſque pariter ad illos ſpectantes.

Primum

Primumque in hoc capite explicabimus, an ſine vllo prorſus intellectus actu voluntas in vnione myſtica Deum percipere, aut amare valeat.

Pro quo aduertendum eſt primo, nomen cõtemplationis eſſe in hac materia æquiuocum, nuncque ſignificare vtrumque actum intellectus, & voluntatis, ex quibus coaleſcit vnio myſtica cum Deo in ratione cogniti, & amati; contemplatio ſupernaturalis frequenter dicta; nunc verò ſolum intellectus actum, cuius ſolius quoque proprium eſt contemplari, quique licet in hac vnione ſit minus perfectus, quam actus charitatis, vt aliàs diximus, & iterum aliquid dicetur capite ſequenti, ei tamen tribuit denominationem contemplationis, tum quia intellectus abſolutè perfectior eſt voluntate, tum quia dux eius in volendo, & amando ſimpliciter neceſſarius, vt dicetur infra. Quare ad tollendam omnem æquiuocationem, non inquirimus hic, num voluntas in vnione myſtica ſine contemplatione poſſit Deum percipere, & amare, ſic enim libenter admitterent, qui talem vnionem, ipſamque contemplationem infuſam in ſolo actu charitatis conſtituunt, eam non poſſe eſſe ſine contemplatione, quia non poteſt eſſe ſine ipſa, vt aliquis poſſet ludere: ſed inquiritur expreſsè, an actus charitatis poſſit eſſe ſine vllo prorſus actu intellectus. Qua etiam diſtinctione facilè conciliari poſſunt duæ oppoſitæ ſententiæ affirmantes, & negantes actum charitatis eſſe de eſſentia contemplationis. Si enim hæc ſumatur præciſè pro actu intellectus, ſic certũ eſt charitatem non eſſe de eſſentia contemplationis, ſed tantum perfectionem extrinſecam eius, aut præſuppoſitiuè, aut terminatiuè; At verò ſi ſumatur pro ipſamet vnione myſtica conſiſtente in coniunctione intima cum Deo in ratione cogniti, & amati, ſic eſt de eſſentia illius, tanquam pars magis principalis: Et in hoc ſenſu loquimur in toto hoc opere quoties diximus charitatem eſſe de eſſentia contemplationis myſticæ, tam acquiſitæ, quam infuſę, vt ſupra explicuimus.

Aduertendum eſt ſecundò, difficultatem dupliciter procedere poſſe, vel de actu voluntatis, ſeu amoris, vbi primum in ea concitatur, vel de eodem vt continuato, an nimirum poſſit eſſe ſine quouis intellectus actu comite, vel preuio. Circa quod non deſunt aliqui Myſtici id affirmantes de vtroque actu: Alij verò diſtingunt, & aſſerunt talem quidem actum primùm produci non poſſe ſine aliquo intellectus, verum ſine illo conſeruari, aut continuari poſſe. Quibus conſonant nõnulli antiqui Scholaſtici exiſtimantes poſſe Deum efficere, vt voluntas amet ſine præuia cognitione. Sunt autem iſti Paludanus in 4. diſt. 49. q. 1. art. 11. Ochamus q. 25. ad 7. & 15. Thomas de Argentina in 1. diſt. 1. q. 1. art. 4. vbi aſſerit, voluntatem poſſe eſſe in actu fruitionis, intellectu exiſtente ſuſpenſo quoad actum cognitionis; id tamen non ſecundum ordinem à Deo conſtitutum, ſed ſecundum abſolutam eius potentiam tantùm fieri poſſe. Quæ eſt ipſiſſima aliquorum Myſticorum ſententia, qui admittentes amorem, quem vocant extaticum, ceſſante in anima omni operatione intellectus, procul dubio loquuntur de potentia Dei abſoluta.

Verùm cum magis communi Theologorum ſententia, tam Myſticorum, quam Scholaſticorum, qui Myſticos regere debent, firmiter tenendum eſt, voluntatem non poſſe in vnione myſtica ſine vllo intellectus actu Deum percipere, aut amare. Ita expreſsè docet D. Thomas 1. 2. q. 27. art. 2. vbi inquirens, *Vtrum cognitio ſit cauſa amoris*, reſpondet affirmatiuè, citato D. Auguſtino lib. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. vbi eſt celebre illud effatum: *Rem prorſus ignotam amare omnino nullus poteſt*. Quod idem aſſerit lib. 16. c. 16. dicens, *Amorem oriri in nobis ex mentis*

tis notitia. Item lib. 3. de libero arbitrio cap. 25.

De hac etiam re loquens D. Anſelmus in Monologio cap. 48. ait: *Nulla res amatur ſine ſui memoria, aut intelligentia*. Et D. Bernardus tractatu de gratia, & lib. arbit. *Voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens, & appetitui. Habet ſanè quocumque ſe voluerit ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quod ſemper ex ratione, ſed nunquam abſque ratione moueatur. Eſt vero ratio data voluntati, vt inſtruat illam*. De quo adhuc videri poteſt ſerm. 7. 8. & 52. in Cantica, vbi agens de amore ardenti, & extatico, quo anima diligit Deum, nunquam à conſideratione intellectus ſeparat.

Rationem affert S. Thomas loco citato, *Quia bonum eſt cauſa amoris per modum obiecti: bonum autem non eſt obiectum appetitus, niſi prout eſt apprehenſum: & ideò amor requirit aliquam apprehenſionem boni, quod amatur: & propter hoc Philoſophus dicit 8. Ethic. quod viſio corporalis eſt principium amoris ſẽſitiui, & ſimiliter contemplatio ſpiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, eſt principium amoris ſpiritualis. Sic enim cognitio eſt cauſa amoris ea ratione, qua & bonum, quod non poteſt amari niſi cognitum.*

Et opuſculo 61. de dilectione Dei, & proximi cap. 2. *Antecedit igitur naturaliter cognitio, & neceſſario dilectionem, & concupiſcentiam apprehenſio. ratio eſt quia vires ordinatæ ſunt, cognitiua ante affectiuam, & in motibus, & motoribus ordinatis, deſtructo priori, deſtruitur quod poſterius eſt. Auguſtinus. Inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam. Vis ergo Deum amare, & concupiſcere, oportet cognoſcere.*

Si quis dicat ad contemplationem Dei affectiuam ſufficere ſpecies habituales iam præhabitas ex præteritis meditationibus, aut conſiderationibus, & in intellectu poſſibili conſeruatas, hoc etiam negat Sanctus Doctor 1. p. quæſt. 84. art. 7. ad 1. dicendo, *Quod ſpecies conſeruatæ in intellectu poſſibili, in eo exiſtunt habitualiter quando actu non intelligit, ſicut ſupradictum eſt. Vndè ad hoc vt intelligamus in actu non ſufficit ipſa conſeruatio ſpecierum: ſed oportet quod eis vtamur ſecundum quod conuenit rebus quarum ſunt ſpecies: quæ ſunt naturæ in particularibus exiſtentes.* Inde enim ſatis patet, nec etiam huiuſcemodi ſpecies, ſeu cognoſcere habitualiter ſufficere abſque ipſo intellectus actu, ad actum amoris, ſecundum mentem D. Thomæ. Quam adhuc clarius explicat opuſc. citato cap. 3. dicẽs. *Sed vide quid impedit, ſicut ſe habet diligere ad cognoſcere, ſic diligere perfectè, quod eſt in patria, ad cognoſcere perfectè, ſic diligere actu ad cognoſcere actu. Scimus autem plura; ſed intelligimus vnum ſolum, vt dicit Ariſt. Verum eſt actu, & ideò diligere poſſumus actu vnum ſolum.*

Nec refert, quod in contemplatione, in qua diuinitus mouetur, & illuſtratur anima, ea illuminatione elapſa, ceſſanteque omni actu intellectus, remaneat voluntas per aliquod tempus excitata, & in ſe recollecta, licet ad alia diuertat, huiuſmodi enim motio, vel recollectio, abſque vlla in Deum aduertentia, non eſt amor actualis, ſed vna duntaxat habilitas, vel diſpoſitio ex diuina impreſsione, antecedentique actu relicta, qua rurſum adueniente actu intellectus, voluntas redditur facilius mobilis ad actus amoris; ſicut aqua ſemel calefacta remanet diſpoſita, ad recipiendum facilius calorem ignis de nouo ipſi applicati; & lignum ſemel inflammatum, facilius iterum inflammatur. Vt docet D. Thomas 2. 2. q. 171. art. 2. vbi inquirens, *Vtrum Prophetia ſit habitus*, & ſtabilita parte negatiua, ad ſecundũ argumentum ſic reſpondet: *Quod ſicut in rebus corporalibus abeunte paſſione, remanet quadam habilitas ad hoc, quod iterum patiatur, ſicut lignum ſemel inflammatum facilius iterum inflammatur:*

tur: ita etiam in intellectu Propheta ceſſante actuali illuſtratione, remanet quadam habilitas ad hoc quod facilius iteratò illuſtretur: ſicut etiam mens ſemel ad deuotionem excitata facilius poſtmodum ad deuotionem priſtinam reuocatur. Propter quod Auguſtinus in lib. de orando Deum, dicit eſſe neceſſarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur. Poteſt tamen dici, quod aliquis dicitur Propheta, etiam ceſſante actuali prophetica illuſtratione, ex deputatione diuina: ſecundum illud Ierem. 1. *Et Prophetam in gentibus dedi te.*

Quæ omnia, & ſimilia D. Thomæ loca, rationeſque in illis contentæ efficaciter probant nō ſolum ordinariè, ſed nec de potentia Dei abſoluta poſſe voluntatem primùm quidpiam velle, cuius non ſit in intellectu actualis cognitio, nec etiam ſine illa continuare, aut perſeuerare in actu ſemel elicito. Vbi enim datur eſſentialis, & intrinſeca dependentia vnius potentiæ in operando ab alia, non poteſt eſſe operatio potentiæ dependentis ſine operatione, aut ceſſante operatione potentiæ à qua ſic dependet: ſed voluntas eſſentialiter pendet ab intellectu non ſolum in eſſendo, ſeu in ratione potentiæ, ita vt ſi eſſet aliqua natura, quæ non eſſet intelligens, non poſſet eſſe volens; verum etiam in operando, ſeu volendo: Ergo ſicut implicat dari aliquam naturam volentem, quæ non ſit intelligens, ita & dari actu volentē, quæ non ſit etiam actu intelligens. Maior huius argumenti cum ſit euidens; probatur minor, quia vt ait D. Thomas loco citato 1.2. bonum, quod eſt voluntatis obiectum non poteſt amari niſi cognitum ab amante, ſeu niſi fiat illi vitaliter pręſens, 1. ad diſtinctionem appetitus innati, vt dicetur infra. 2. quia voluntas non dependet quocunque modo à bono, ſeu appetibili, ſed in genere cauſæ finalis, quia velle non poteſt niſi mota metaphoricè, & allecta à ſuo obiecto appetibili; ſatis autem patet, finem eſſentialiter requirere, vt cauſet, eſſe cognitum: quia debet mouere metaphoricè, quod intelligi nequit ſine cognitione; ſicut nec quod fiat vitaliter pręſens; ſic enim reddi pręſens voluntati, aut volenti, eſt repręſentari illi per aliquam cognitionē, quia voluntas ipſa non eſt cognoſcitiua; rectè igitur concludendum eſt cum Diuo Thoma, *ſic cognitionem eſſe cauſam amoris ea ratione, qua & bonum, quod non poteſt amari niſi cognitum.*

Secundo probatur, quia ſi daretur actus voluntatis abſque actu intellectus, vel eſſet ab ea elicitus, vel ei diuinitus infuſus; ſed vtrumque repugnat, non poteſt igitur dari actus voluntatis, abſque actu intellectus: Minor quoad primam partem conſtat ex ſtatim dictis; ſi quidem elici non poteſt ab aliqua potentia proprius actus, niſi circa proprium obiectum, ſed, vt probauimus, proprium voluntatis, ſeu appetitus eliciti obiectum, eſt bonum, ſeu appetibile cognitum, vitaliterque illi præſens, ni igitur adſit tale obiectum, quod ſine aliqua cognitione eſſe non poteſt, nunquam proprium eliciet actum. Quod autem à Deo infundi non poſſit, voluntate merè paſſiuè ſe habente iam ſatis oſtendimus ſupra, cum de ratione actionis vitalis ſit eſſentialiter, quod ab intrinſeco procedat.

Quando igitur aliqui objiciunt, in omnibus rebus inueniri amorem, vt ait D. Dionyſius cap. 4. de diu. nom. non autem in omnibus inueniri cognitionem; atque adeo cognitionem non eſſe cauſam amoris, ſeu dari poſſe actum voluntatis, ſine actu intellectus.

Reſpondetur facilè huic argumento, D. Dionyſium ibi loqui de amore naturali, ſiue de appetitu innato, quem libenter admittimus ineſſe omnibus rebus, eoque ferri in ſuos terminos, abſque propria cognitione, licet non ſine aliena. Vt rectè aduertit D. Thomas 1.2. q. 27. art. 2. ad tertium dicendo, *Quod etiam amor naturalis, qui eſt in omnibus rebus, cauſatur ex aliqua co-*

gnitione: non quidem in ipſis rebus naturalibus exiſtente, ſed in eo qui naturam inſtituit: vt ſupradictum eſt. Ratio autem eſt, quia amor naturalis, ſeu appetitus innatus nihil eſt aliud, quam pondus, & inclinatio, quæ cum reperiantur in re qualibet, quamuis cognitionis, & intellectus experte, mirum non eſt, quod talis amor, vel appetitus naturalis, poſſit eſſe ſine præuia cognitione, in re, quæ ſic amat, & appetit: concedique poteſt, etiam hominē per eumdem amorem ferri poſſe in Deum non ex actuali cognitione, quæ ipſum cauſet. Si enim in rebus cæteris anima carentibus ineſt amor naturalis, quo feruntur in ſuos terminos abſque cognitione in ipſis exiſtente, homini nihil minus, imo multo magis tribuendum eſt. De quo eſt illud Boethij. *O felix hominum genus, ſi veſtros animos amor, quo cœlum regitur, regat.* Cœterum loquendo de amore diuino elicito, vitaliterque à voluntate procedente, & ponderante in Deum, ſiue neceſſariò in patria, ſiue liberè in via, non poteſt eſſe abſque aliqua intellectus operatione; tam vt voluntas primùm incitetur ad amandum, quam vt poſtquam cœpit amare, in eo amore, quantumuis feruenti, & perfecto poſſit manere, vt iam probatum eſt.

Verùm, quod magis ad noſtrum inſtitutum ſpectat, dato adhuc, & non conceſſo, quod de potentia Dei abſoluta poſſet dari actus voluntatis abſque vllo prorſus actu intellectus, attamen agēdo de myſtica, & intima vnione animæ cum Deo in ratione cogniti, & amati per cæleſtia gratiæ dona, id nullatenus eſt admittendum, imo potius contrarium, videturque mihi merum figmentum oppoſita nonnullorū myſticorum, ſalua eorum pace, ſententia; ſiquidem licet, vt dicetur capite ſequenti, plus amari, quam cognoſci poſſit Deus, certum eſt tamen tantò magis eum diligi poſſe, quantò perfectius actu cognoſcitur, ſeu perfectiorem ab eo infuſam cognitionem non impedire diuinum amorem; aut ſaltem amorem illum abſque cognitione non poſſe pertinere ad illius perfectionem, vel intenſionem, ideoque non eſſe in beatis: nec fuiſſe in Chriſto, aut B. Virgine; ad quid igitur opus, quod Deus in vnione myſtica, vel in oratione, quæ eſt eleuatio mentis in ipſum, ſua vtatur omnipotentia in ſuſpendendo omni intellectus actu? certè ad nihil aliud, niſi vt deſtrueretur, aut ſaltem imperficeretur, ablata actuali præſentia obiecti amati, in eſſe intelligibili, vel in ratione cogniti.

Reſpondent aliqui, quod amor aliquando contingat abſque cognitione, id non tam prouenire ex perfectione amoris, quàm ex imbecillitate, ac imperfectione naturę humanę. Sicut enim in contemplatione lux intellectus adeò ſolet augeri à Domino, vt homo extaſim patiatur, & ſopiatur ſenſus: ita in eadem ad illum gradum peruenire poteſt amor, vt ſopiatur intellectus. Amor ergo, inquiunt, magnus eſt, qui de Deo cognitionem abijcit, ſed imbecillitas animæ cum illo nimio amore cognitionem non ſuſtinet. Quocirca in anima magis exercitata dabitur idem amor, aut etiam ardentior, qui cognitionem non excludat, vt in Beatis; acciditque in Chriſto, & Beatiſſima eius matre.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, pluraque continet inconuenientia. Primò, quia ſic non tam de potentia abſoluta, quam naturaliter in volendo, aut amando contingeret, ob nimiam ſcilicet voluntatis in his actibus applicationē, omnis actus intellectus ceſſatio, quod eſt abſurdum. Etſi enim, de quo ſtatim, admittamus fieri poſſe, iuxta illud, quod pluribus intento minor eſt ad ſingula ſenſus, vt ex vehementi vnius potentiæ applicatione, impediatur aliquo modo alia ei eſſentialiter connexa, non tamen quod omnino ceſſet à ſua operatione. Secundò, quia adhuc ſi dicatur, talem ceſſationem fieri de potentia abſoluta, Deo ſcilicet

licet

licet ſuum tunc ſuſpendente concurſum, ne anima ob ſuam imbecillitatem vtroque ſimul actu nimis debilitetur, velutique opprimatur; id non videtur minus abſurdum, quia ſic non ſolum multiplicatur miraculum ſine neceſſitate, verum etiam contra finem vnionis myſticæ, qui eſt coniungere intimè animam cum Deo in ratione cogniti, & amati; Vndè potius dicendum eſt, ipſum tunc iuxta ſuauitatem ſuæ prouidentiæ, ita vtramque confortare potentiam, vt vnaquæque ſuo fungatur munere, ſuoque ei modo intimè vniatur. Per quod patet ad exemplum de ſenſibus externis,qui cum ad vnionem myſticam non concurrant, nec ab eorum operatione dependeat voluntas, mirum non eſt, quod in extaſi, aut raptu eſſe poſſit abſque illa, ſecus autem abſque vllo intellectus actu, cui,vt vidimus, eſſentialiter ſubordinatur; quique pertinet ad perfectionem vnionis myſticæ, ſeu contemplationis infuſæ.

Supereſt iam vt nõnullis ſatisfaciamus obiectionibus. Prima deſumitur ex authoritate D. Dionyſij cap. 1. Theolog. Myſticæ Timotheum ſuum hortantis, vt abſtrahat mentem ab omnibus ſenſibilibus, & intelligibilibus, ſicque Deo vniatur.

Reſpondetur D.Dionyſium,nec ibi, nec alibi vnquam docuiſſe hunc contemplationis gradum, in quo affectus tantum, & voluntas operatur, abſque vlla operatione intellectus;ſed tantum vt contemplando diuinas perfectiones deleramus quantum poſſumus adminicula phantaſmatum, adiumenta ſenſuum, ambages cogitationum, & inuolucra ratiocinationum, ne limitatos conceptus rerum creatarum,& noſtris ſenſibus ſubiectorum, Deo tanquam proprios adſcribamus; de quo verius, propter ſummam in omni genere perfectionis eminentiam, hæc & ſimilia negamus, & non eſſe tale aliquid,vel non eſse quidquam huiuſmodi melius dicimus, quam eſse affirmamus. Atque hanc ſubliniiorem de Deo per negationes ſcientiam, ignorationis caliginem ſæpe appellat idem Sanctus Doctor. Hoc autem totum in contemplatione præſtari non poſse ſine vlla notione mentis clarè conſtat.

Nec aliud ſignificant nonnulli Doctores myſtici, quam quod D. Dionyſius, dum eius authoritate vtentes aſſerunt, in ſuprema cum Deo vnione relinquendas eſſe nedum ſenſuũ operationes, ſed & intellectus, quia nimirum cognitio ad illam maximè concurrens ſit per remotionem, ſeu in illa diuina caligine, in qua Deus lucem habitans inacceſſibilem ſub ratione incomprehenſibilitatis duntaxat attingitur, vt explicuimus;non autem quod nullo modo intelligatur. Vndè etiam, cum Sancta Mater Thereſia aliquando ſcire deſideraret,quid in myſtica vnione intellectus operaretur, reſpondit ei Dominus, vt ipſa refert cap. 19. ſuæ vitæ, *quando non potes comprehendere quod intelligis, hoc eſt non intelligere intelligendo*. Quaſi diceret, cum intellectus non poſſit immenſam illam Dei claritatem, & incomprehenſibilem plenitudinem comprehendere, hoc ipſum eſt illam cognoſcere, ſeu intelligere; & intelligere ſe non poſſe intelligere. Quod quidem nihil aliud eſt, quam Deum ſub ratione incomprehẽſibilitatis intelligere, vel cognoſcere.

Secundò poteſt obijci, præcipuum Dei finem in myſtica ipſius cum anima vnione eſse,quod ab ea ſummoperè diligatur, idque fieri non poſſe, niſi ſola in illum feratur voluntas, ſuſpenſo, vel ceſsante intellectu ab omni operatione, cum facilè diſtrahatur animus diuerſarum potentiarum actibus ſimul.

Reſpondetur, talem quidem eſse Dei finem in vnione myſtica, qualem dicit obiectio, proptereaque ad illam concurrere etiam debere actum intellectus, qui, ſi non ſemper amorem augeat,ſaltem nihil poteſt tollere de illius perfectione; atque adeo excludendus non eſt. Patet primò in beatis,in quibus

bus nihil perfectionis detrahit eorum charitati viſio beatifica: imo iuuat illam. Secundò in Chriſto Domino, in quo non fuiſset amor perfectior, ſi caruiſset proportionata ad illum producendum cognitione: ac proinde nec defecit cognitio, quamuis diuerſa à viſione, nempè ſcientia infuſa. Idem iudicium ferendum eſt de amore Beatiſſimæ Virginis Mariæ, multorumque aliorum Sanctorum in myſticæ vnionis culmine conſtitutorum; in quibus dicere fuiſse amorem abſque vlla Dei cognitione, merum figmentum eſt; multoque magis hoc potuiſse pertinere ad maiorem amoris in illis perfectionem. Tertiò tandem, quia non minuit libertatem, quæ, vt dicetur infra, eſt in illo actu, in via, imo potius promouet, cum actus amoris, ſine cognitione liber eſse non poſſit, nec proindè meritorius; nec etiam voluntatē diſtrahit ab illo feruentius, vel intenſius eliciendo cum diuinæ gratiæ auxilio. Etſi enim admitti poſſit, quod diuerſitas operationum diſparatarum intentionem mentis naturaliter diminuat; ſecus tamen loquendo de operationibus ſubordinatis, quarum vna eſsentialiter pendet ab altera, quales ſunt intellectio, & volitio. Deinde quamuis non ita ſe haberet, ſatius adhuc eſt, vt notauimus ſupra, in vnione myſtica aſserere, ſupernaturali Dei auxilio, de quo dubitari non poteſt, ſubleuatam mentem poſse æque intensè vtrique vacare; quam ab amore omnem cognitionem excludere, recurrendo ad diuinam potentiam; cui talem virtutem denegant omnes ferè Theologi.

Tertiò ſolet obijci experientia nonnullorum myſticorum aſserentium, amorem ſæpè ſibi ineſse abſque vlla prorſus cognitione, cum eam non ſentiant.

Sed reſpondetur huiuſmodi experientiæ fidem non eſse adhibendam, vtpotè repugnanti & Philoſophiæ, & rectæ rationi, grauiſſimorumque Patrum authoritati, nec non communi Theologorum ſenſui, maximè cum alijs ex fundamentis id poſsint aſserere. Primò, quia cum in hac myſtica, ac ſupereminentiſſima animæ cũ Deo vnione cognitio ad illam concurrens ſit diuinitus infuſa, abſque vllo intellectus labore, quippè quæ propria non fit exercitatione, vt explicuimus ſupra; indè aliqui myſtici aſserere potuerunt ſe illam non ſentire; Vel etiam quia ſæpe vehementi, & amore, & delectatione, quæ hanc vnionem comitantur, ita animæ intentio abſorbetur, vt ſupra ſeipſam, aut ſupra ſuarum potentiarum actus, præſertim intellectus, non reflectat, indeque ſe non cognoſcere exiſtimet. Vel tandem, quia, vt iam notauimus hęc cognitio fit per negationem, ſeu in illa diuina caligine in qua Deus ſub ratione incomprehenſibilitatis attingitur, ideoque mirum non eſt, ſi aliqui myſtici tunc non percipientes, minuſque expertes actuum myſticorum affirmarint nullam ibi intellectus operationem interuenire. Tot viris doctis, maximò autem D. Thoma, cum quo errari non poteſt, conſtanter aſserentibus, impoſſibilem eſse voluntatis amorem abſque aliqua cognitione intellectus.

CAPVT LI.

An poſsit Deus ab homine amplius amari, quam intelligi, vel cognoſci.

STatuimus ſuperiori capite, ſine vllo actu intellectus voluntatem Deum percipere, ſiue amare non poſse; nunc eſt difficultas, an poſſit amplius amari, quam intelligi. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt primò, dubium non eſse, quin maior cognitio cauſare poſſit maiorem amorem; ſed vtrum maior amor neceſsario exigat maiorem amorem; vel quod idem eſt, an poſſit Deus amplius amari, quam intelligi, vel cognoſci.

Secun-

Secundò animaduertendum eſt, iuxta veriorem D. Thomæ ſententiam 1. p. q. 8. art. 3. quod intellectus ſit ſimpliciter perfectior potentia, quam voluntas ex parte obiecti, & ex parte modi operandi, cum ſit abſtractior, & purior; imo ipſe appetitus conſequitur ad intellectum, & cognitionem, veluti inclinatio ad ſuam formam; perfectiorem autem eſse formam ſua inclinatione dubium non eſt. Cum autem eſse aliquid ſimpliciter tale, dicatur dupliciter, vel quia abſolutè eſt tale, id eſt ſine addito; vel quia omnibus modis eſt tale, vt docet D. Thomas 3. p. q. 50. art. 5. ſic etiam ſunt aliqua genera, quę ſimpliciter ſine addito ſunt perfectiora alijs generibus, non tamen omnibus modis; alia verò ſunt ſimpliciter perfectiora omnibus modis. Exemplum primi habetur in corpore incorruptibili, quod eſt genus perfectius corpore corruptibili, quantum eſt ex modo corporeitatis, & informationis materiæ, quæ principaliter attenditur in illa ratione generica, non tamen eſt omnibus modis perfectius, ſiquidem poteſt corruptibile corpus informari ab aliqua forma modo corruptibili, quæ tamen in entitate excedat corpus corruptibile, ſicut eſt anima rationalis. Exemplum autem ſecundi eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ eſt genus ita perfectum reſpectu ſubſtantiæ corporeæ, quod nulla ſubſtantia corporea, nec illud attingere, multoque minus ſuperare poteſt; & genus animalis eſt ita perfectum, quod à nullo inanimato poteſt excedi. Quando igitur aſſerit D. Thomas, noſque cum illo, intellectum eſſe ſimpliciter perfectiorem voluntate, ſeu genus intellectiuum eſſe perfectius voluntate, id debet intelligi ſimpliciter abſolutè, ſeu ſine addito, non verò ſimpliciter omnibus modis; propterea que ab aliquo generis volitiui poteſt excedi in perfectione entitatiua, nempè à charitate, vt mox dicemus. Et hanc eſſe D. Thomæ mentem, patet ex hoc, quod vbi docet intellectum præcellere voluntati, aut illa eſſe altiorem, ponit limitationem, nimirū reſpectu obiectorum, quæ ſunt infra nos; reſpectu verò eorum, quæ ſunt ſupra, voluntatem eſſe perfectiorem. Quarè dum ait 1. p. q. 82. art. 3. & alibi, quod ſecundum quid voluntas eſt perfectior, ſimpliciter autem intellectus, comparat potentiam potentiæ, non autem habitum vnius potentiæ habitui alterius; licet enim potentia intellectiua ſemper ſit abſolutè perfectior voluntate, admittit tamen aliquē in illa habitū entitatiuè minus perfectū, quam ſit aliquis habitus voluntatis, ſcilicet charitas. Ratione cuius etſi voluntas dici queat potentia ſecundū quid tantum perfectior intellectu, ſecus tamen habitus ipſe, vel actus charitatis, comparatus ad fidem, aut ad alios habitus intellectuales, quibus eſt nedum moraliter, ſed etiam entitatiuè ſuperior, vt ſtatim probabimus.

Tertiò notandum eſt, dum requiritur, an charitas ſit cæteris virtutibus etiam intellectualibus perfectior, nec non vtrum poſſit Deus amplius amari, quam cognoſci, difficultatem procedere de charitate vię comparatiuè ad virtutes intellectuales eiuſdem, nō autem patriæ. In hac enim lumen gloriæ, & viſionem beatificam præcellere tum habitui, tum actui charitatis, indubitatum eſt in Schola D. Thomæ.

Quartò diuiditur amor Dei in naturalem, & ſupernaturalem; primus eſt, quo ſuper omnia, vt author naturæ diligitur, naturaliterque per ea quæ, facta ſunt intellectus præcognoſcitur, poſterior autem ille, quo ſuper omnia, vt author ſupernaturalis diligitur, adeòque per fidem præcognoſcitur. Quocirca etiam diuina bonitas, quæ eſt ratio diligendi Deum ſuper omnia, dupliciter conſiderari poteſt: vel ſecundum modum eſſendi, quem habet in ſe ipſa: qui modus eſt ſupra totum, quod ex naturalibus effectibus inueſtigari poteſt, & quod in illis repręſentatur: habemus autem ita eſſe per lumen

fidei,

fidei, quæ ſupra totum quod cognoſcit, & naturaliter videt intellectus, credit, quod nullo modo videt, ſibique eſt obſcurum, remittendo ſe ad euidentiam, quam Deus reuelans habet de ſeipſo. Vel poteſt eadem bonitas conſiderari, vt connexa per modum principij, & finis cum prædictis effectibus, poteſtque per illos manifeſtari: quaſi in ipſo Deo nihil aliud eſſet, niſi quod per illos eſſe deprehenditur.

Quintò ſupponendum eſt fidem (& eodem proportionali modo diſcurrendum eſt de cognitione naturali præuia ad amorem eiuſdem ordinis) non regulare charitatem ſicut prudentia virtutes morales, ſiquidem charitas non indiget regulatione, cum non conſiſtat in medio; ſed tantum ſe habere per modum ſimplicis proponentis obiectū charitati, ſeu potius voluntati per illā amanti. Quæ propoſitio cum non ſit ratio formalis obiecti voliti, ſeu amati, ſed conditio, indiſpenſabilis tamen, vt explicuimus ſuperiori capite, inde eſt, quod non obſtante talis propoſitionis limitatione, charitas ferri poſſit in ipſā bonitatem diuinam non limitatam ſecundum ſe, vt in ſuam rationem formalem, pluſque conſequenter ab ea trahatur amans, quam cognoſcat.

Sextò cum in diuina charitate duplex ſit excellentia, vna in genere moris, altera in eſſe entis, vel naturæ, dum quæritur, num charitas ſit excellentior habitibus ſupernaturalibus intellectus, vt ſunt fides, prophetia, & dona Spiritus Sancti ad ipſum ſpectantia? numque poſſit Deus per illam perfectius amari, quam per iſta cognoſci. Difficultas non procedit de excellentia, aut perfectione in genere moris, hoc enim admittunt omnes Theologi, tum quia excellentius continet genus moris, quod eſt mouere, & imperare cæteris virtutibus; cum enim attingat ſupremo modo finem, & obiectum perfectiſſimum voluntatis, reliqua quæ ſunt ad illud veluti regina mouet, & imperat: tum ratione proprietatis moralis, ſcilicet meriti, quod excellentius conuenit charitati, quia eſt radix meriti in omnibus actibus meritorijs, & inſeparabiliter eſt coniuncta iuſtificationi tā quam vltima diſpoſitio. Hancque moralem excellentiam ad minus probat locus D. Pauli 1. Corinth. 13. *Maior autem horum eſt charitas*; nec non Coloſſenſ. 3. *Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis*. Quare tota difficultas reducitur ad perfectionem entitatiuam, an ea quoque charitas ſit excellentior fide, & alijs habitibus ſupernaturalibus intellectualibus qui ſunt in via.

Septimò tandem, & vltimò notandum eſt, principalem, de qua hic agimus, difficultatem, vtrum nimirum poſſit Deus ab homine viatore amplius amari, quam cognoſci, minimè pendere ab alia de perfectione entitatiua charitatis, præ alijs habitibus intellectualibus, quia licet ignobilior eſſet, non propterea non poſſet Deus per ipſam amplius amari, quam cognoſci, vndè hic tantùm agitur de illa, tum ad maiorem eius commendationem, tum ob quamdam doctrinæ connexionem.

His ita præſuppoſitis, non deſunt plures Theologi docentes, habitum fidei, eiuſque actus eſſe perfectiores charitate entitatiuè; nec poſſe Deum amplius amari in via, quam cognoſci; alij verò circa hoc ſecundum diſtingunt inter amorem naturalem, & ſupernaturalem, iſtoque aſſerunt poſſe Deum amplius amari in via, quam cognoſci, non autem naturali. Nos quid probabilius ad mentem D. Thomæ in vtraque difficultate tenendum eſt, ſequentibus aperiemus dictis.

Primum igitur dico charitatem entitatiuè eſſe perfectiorem fide, & alijs habitibus ſupernaturalibus intellectualibus, qui ſunt in via. Ita D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 6. cum enim ibi loqui non ſolum in eſſe morali, ſed in eſſe entitatiuo ſatis patet ex eo quod comparan-

parando intellectum voluntati determinat intellectum eſſe nobiliorem ratione maioris abſtractionis, quod non procedit in genere moris, ſed in genere entitatiuo, alioquin in genere moris voluntas eſt perfectior intellectu, cum moraliter illum moueat, & illi imperet; & tamen eiſdem locis quibus anteponit intellectum voluntati in genere entis, ſemper excipit charitatem, & amorem rerum ſuperiorum, quem dicit eſſe perfectiorem intellectione earumdem, vt conſtat 1. p. q. 82. art. 3. & q. 108. art. 6. ad 3. nec non 1. 2. q. 66. art. 6. Igitur Sanctus Doctor exiſtimat charitatem eſſe entitatiuè perfectiorẽ quacumque cognitione intellectiua viæ, alias non rectè hanc faceret exceptionem eodemmet loco, vbi agit de perfectione entitatiua. Vndè illum communiter ſequuntur eius diſcipuli.

Quia autem hanc charitatis præcellentiam iam ſufficienter probauimus ſect. 4. cap. 3. nunc breuiter tantùm explicabimus, quomodo D. Thomas docens, charitatem eſſe perfectiorem quocunque habitu intellectiuo, ſaluet tamen intellectum ſimpliciter abſolutè nobiliorem potentiã eſſe voluntate. Pro quo aduertendum eſt, quod perfectio entitatiua habitus, vel actus eius ſumitur quidem ex parte principij ex modo, quo potentia procedit, completè tamen, & adæquatè prout terminatur ad obiectum, à quo ſumitur ratio, ac perfectio ſpecifica actus; nam & ipſe modus potentiæ communis omnibus eius habitibus, & actibus ad attingendum eorum obiectum ordinatur, & per illud determinatur.

Sic ergo attento modo procedendi vtriuſque potentiæ, in via D. Thomæ cum modus intellectus ſecundum ſe ſit perfectior, quia nimirum procedit abſtrahendo, & purificando obiectum à materia, quod eſt habere modum quaſi perficiendi actiuè illud: Modus autem procedendi voluntatis è conuerſo ſit modus, quo trahitur, & allicitur ab obiecto, quare veluti paſsiuè ſe habet reſpectu illius, ab eoque perficitur; inde fit, quod ſi conſiderentur intellectus, & voluntas in ratione potentiæ vt ſic, maior ſit perfectio intellectus, quam voluntatis, quia in potentijs earum perfectio magis attendenda eſt penes modum procedendi erga obiectum vt ſic, quam penes ipſam attingentiam, in qua determinatur ſpecificatio, & perfectio actuum.

At ſi conſiderentur ex parte attingentiæ obiectorum, in qua completur, & conſummatur ſpecificatio actus, cũ modus procedendi intellectus alias altior admittat minorem in illis perfectionem, quam modus voluntatis, ſiue quod idem eſt, quod aliqui eius actus, qui ſcilicet verſantur circa obiecta ſuperiora, reddantur imperfectiores, quam actus voluntatis, qui in tali attingentia perficiuntur; ſiquidem reſpectu rerum, quæ ſunt ſupra intellectum, modus ille purificandi, & abſtrahendi, quem habet intellectus, potius illas imperficit, nec enim poteſt purificare, & abſtrahere vltra modum ſuæ naturę, & conſequenter attribuendo illis abſtractionem ſuam, non poteſt non illas imperficere: E contra voluntas, cum trahatur, & perficiatur ab obiecto ſecundum bonitatem, quam in ſe habet, quando attingit obiectum, quod eſt ſupra animam, in ipſa attingentia redditur perfectior, quam intellectus in modo operandi circa tale obiectum. Inde eſt, quod actus voluntatis reſpectu huiuſmodi obiectorum ſuperiorum ſint altiores quocunque actu intellectus viæ reſpectu eorumdem; Quodque conſequenter charitas illa potiſsimum reſpiciens, entitatiuè ſit perfectior, quam fides, quia licet modus procedendi intellectus ſit abſtractior, & perfectior, tamen attingentia obiecti, vbi completur ſpecificatio, & perfectio actus, nobilior eſt in charitate. Præterquam quod charitas non attingit bonitatem diuinam ſecundum aliquem modum connotantem aliquid creatum, ſicut fides attingit veritatem diui-

diuinam connotando reuelationem diuinam factam in tempore; & ſpes attingit bonum diuinum, vt participat adeptionem ſui creatam. Nec etiam charitas attingit Deum ſecundum aliquam rationem diſtantiæ, cum ſit de eo vnito ſibi per amorem; fides autem cum ſit de non viſo; ſpes de non habito, vtraque ſunt de abſenti, & diſtante. Non inconuenire autem quod aliqui habitus, vel actus contenti ſub genere inferiori, quale eſt volitiuum reſpectu intellectiui, ſint perfectiores aliquibus habitibus, vel actibus ſpectantibus ad genus intellectiuum, patet exemplis ſecundo notando adductis.

Secundo dico poſſe Deum amplius amari, quam cognoſci in vnione myſtica, ſiue loquendo de amore diuino ſupernaturali. Ita Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 27. art. 2. vbi inquirens, *Vtrum cognitio ſit cauſa amoris*, cum ſecundo ſibi obiecisſet, *Eiuſdem rationis videri eſſe, quod aliquid incognitum ametur, & quod aliquid ametur plusquam cognoſcatur: ſed aliqua amantur plusquã cognoſcantur: ſicut Deus, qui in hac vita poteſt per ſeipſum amari, non autem per ſeipſum cognoſci. ergo cognitio non eſt cauſa amoris*. Reſpondet huic argumento, *quod aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionem amoris. Cognitio enim ad rationem pertinet, cuius eſt diſtinguere inter ea, quæ ſecundum rem ſunt coniuncta, & componere quodammodo ea, quæ ſunt diuerſa, vnum alteri comparando: & ideo ad perfectionem cognitionis requiritur, quod homo cognoſcat ſigillatim quidquid eſt in re: ſicut partes, & virtutes, & proprietates. Sed amor eſt in vi appetitiua, quæ reſpicit rem ſecundum quod in ſe eſt. Vnde ad perfectionem amoris ſufficit, quod res, prout in ſe apprehenditur, ametur: ob hoc ergo contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoſcatur: quia poteſt perfectè amari, etiam ſi non perfectè cognoſcatur: ſicut maximè patet in ſcientijs, quas ali-qui amant propter aliquam ſummariam cognitionem, quam de eis habent; puta quod ſciunt Rethoricam eſſe ſcientiam, per quam homo poteſt perſuadere: & hoc in Rethorica amant. Et ſimiliter eſt dicendum circa amorem Dei*. Quæ Diui Thomę authoritas, rationeſque in illa contentæ ſufficiunt ad noſtri dicti probationem. Quod ſequuntur communiter Theologi, tum Scholaſtici, tum Myſtici.

Ex iſtis Hugo Victorinus in annotationibus elucidatorijs in Dionyſium Areopagitam lib. 6. ſic ſcribit: *Intelligas, quanta eſt vis veri amoris, & intellectionis; ſi tamen intelligi poteſt, quoniã dilectio ſuper eminet ſcientię, & maior eſt intelligentia: plus enim diligitur, quam intelligitur. Intrat dilectio, & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat*. Idem quoque docet D. Bonauentura opuſc, de ſeptem itiner. Aeternit. Itinere 5. Vercellẽſis ſuper Cant. alijque plures.

Aduertendum eſt autem in vnione myſtica, & ſupereminente ita poſſe Deum amplius diligi, quam cognoſci, vt tamen hic amor ſit vlterius cauſa nobiliſſimæ Dei notitiæ, nimirum experimentalis, ſiue Dei iam prægustati. Ea fere ratione, qua ſi quis nunquam guſtaſſet mel, aut ſaccharum, audiſſet tamen multa de illorum dulcedine, conceptum quidem in animo formaret dulcis edulij; verum ſi poſtea illa palato admoueret, ſentiretque quamdam in ſenſu ſuauitatem longe perfectiorem eorum notitiam, quam antea conſequeretur.

Cum autem duplex ſit amor, vnus naturalis, alter ſupernaturalis, ratio, cur iſte maximè plus in Deo amet, quam intellectus cognoſcat, ſiue in cognitione repræſentetur, eſt, quia ſequitur fidem, intellectui præter id, quod ex naturalibus effectibus cognoſcit, & videt multa de Deo credenda proponentem, quæ nullo modo videt, remittendo ſe ad euidentiam, quam habet Deus de ſeipſo; inde enim attingendo, vt aduertimus in quarto notando, Di-

uinam

uinam bonitatem ſecundum modum quem habet in ſeipſa, & quem nulla creata ſpecies poteſt repræſentare, neque enim citra viſionem beatificam cognoſci poteſt Deus per ſuam eſſentiam, charitas ex Apoſtolo Epheſ. 3. ſupereminet ſcientiæ, & eſt maior intelligentia; quia hæc reſtringitur ad id quod repræſentatur in intellectu: quod autem non repræſentatur, non ſcit, ſed credit, quia Deus ſic dixit: charitas verò non limitatur ad aliquid in intellectu creato exiſtens, nec ad illud Diuinæ bonitatis quod in prædicto intellectu poteſt repræſentatiuè exiſtere, ſed ipſam bonitatem formaliter abſque limitatione ſecundum modum quem in ſe habet, immediatè attingit.

Amor autem naturalis, cum non amet aliquid creatum, ſed duntaxat quod de Deo in intellectu clarè apparet per cognitionem naturalem, propterea, licet ratio amandi ſit bonitas increata, quia tamen ratio cognoſcendi eſt ſpecies creata, non excedit cognitionem ex parte rationis terminandi, dicta ſiquidem bonitas ſolum terminat amorem, ſecundum id, quod de ea in ſpecie ſplendet; ac proinde non eſt maior in ratione obiecti ſic amati, quam ſpecies, per quam cognoſcitur, in ratione repræſentantis, & manifeſtantis: modusque quem in ſe habet, ad cuius repræſentationem non pertingit ſpecies creata materialiter ſe habet ad amorem merè naturalem; nec plus ex vi huius amoris curatur de tali modo, quam ſi non eſset; quia tantum curatur de eo, quod clarè cognoſcitur; & id ſolùm clarè cognoſcitur, quod per ſpeciem repræſentatur. Alias enim ſi totum quod amatur, non repręſentaretur, iam aliquid amaretur præciſè vt creditum, & non vt clarè cognitum, quod non eſt de ratione amoris naturalis Dei.

Vndè quando obijciunt aliqui, concedentes huic amori exceſſum etiam ſupra cognitionem, in eo, cum ſit amor ſuper omnia, rationem diligendi non poſſe eſſe aliud, quam ipſam bonitatē Diuinam, hoc diſtinguendum eſt, & negandum, ſi intelligatur, quod ratio diligendi ſit bonitas diuina, aut increata ſecundum modum, quem habet in ſe, ſupra omne, quod in ſpeciebus naturalibus reſplendet, ſic enim amatur per charitatem: concedendum verò, ſecundum quod poteſt repręſentari per illas ſpecies, commenſuraturque cum illis in eſſe repræſentatiuo. Quare etiam admitti poteſt diuinam bonitatē terminare quidem amorem naturalem ſecundum rationem perfectiorem, veluti materialiter, & in eſſe rei, quam cognoſcatur, non tamen formaliter in eſſe obiecti. Etenim quamuis diuina bonitas, ſecundum modum, quo eſt in ſe, altior ſit quaecunque repræſentatione, quæ poteſt fieri naturaliter per creaturas, atque adeò quam ipſæ creaturæ, tam in eſſe rei, quam in eſſe repræſentatiuo; & adhuc vt terminat amorem naturalem ſuperexcedat quamcumque ſpeciem creatam in eſſe rei ſpectatam: non tamen vt præciſè prædictum amorem terminat, ſuperat talem ſpeciem in repræſentando abſtractiuè: ſed quantum bonitatis Dei naturaliter diligitur, tantum per creatas ſpecies de illa repræſentatur. Et ſicut amatur vt cauſa prima, vt vniuerſale bonum, vt ens infinitum, ſic ſecundum hæc omnia, aut ſimilia prædicata per ſpecies creatas repræſentatur non intuitiuè, ſed abſtractiuè, ſiue ipſamet ſpecies, quæ primario repræſentat effectus ad hoc ſe extendant, ſiue ex eis aliæ efformentur, vel educantur, quæ prædicata illa Dei abſtractiuè immediatè repræſentent. Igitur cum in cognitione, & amore naturali non ſit altior ratio ſub qua terminatiua vnius, quam alterius, ſiue non plus ametur Deus, quam naturali cognitione clarè de illo deprehenditur, ſequitur eum amore naturali non amplius amari, quā cognoſci. Licet oppoſitum probabilitate

tate non careat, nec videtur repugnare doctrinæ D. Thomæ ſuperius allatæ ſi bene conſideretur.

CAPVT III.

Quod in vnione Myſtica, quantumuis altiſſima, amor ſit liber, ac meritorius.

Cvm oratio ſupernaturalis infuſa, vel vnio myſtica per illam interdum fiat cum raptu, aut exſtaſi, vt explicabitur ſectione ſequenti, circa hoc fuit hæreſis Montani, tum Tertulliani, qui, vt notat Pamelius ad librum de exſtaſi, exiſtimauerunt, illam eſſe operationem, quæ in amentiam rapit, ac inſaniam, atque adeò libertatem deſtruit. Quam autem à ſimili errore alieni ſint myſtici, patebit ex dicendis.

Igitur cum libertas formalis primò & per ſe,ſeu elicitiuè conueniat voluntati, eiuſque actibus, primum dico amorem myſticum, ſiue vnitiuum eſſe formaliter liberum, & conſequenter meritorium. Ratio eſt, quia ſi talis amor non eſſet, ſaltem ſubſtantialiter liber, quidquid ſit de aliquibus eius conditionibus, vel circumſtantijs, ſed neceſſarius, vel hoc proueniret ex parte intellectus proponentis Deum neceſſario diligendum, vel ex parte ipſiuſmet Dei voluntatem neceſſitantis; ſed ex neutro capite prouenire poteſt, dicendum eſt igitur præfatum amorem eſſe ſubſtantialiter liberum. Maior videtur eſſe certa, loquendo enim de intellectu,quamuis libertas formaliter ſit in voluntate, eius tamen cauſa, & radix eſt intellectus; cum enim appetitus ſit potentia cæca ſequens cognitionem, quod ſit liber, ſeu indifferens,vel neceſſitatus, prouenire debet ex determinatione, vel indifferentia ipſius cognitionis. Vnde ſicut repugnat, ſtante iudicio totaliter ad vnum determinato, appetitum non ferri neceſſario in illud: ita ſi iudicium ſit indifferens, & oſtendens viam ad vtrumque repugnat appetitum ferri ſine indifferentia, & libertate; vt paſſim docet D. Thomas, maximè 1.p. quæſt. 83. art. 1. & 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 2. Deum quoque poſſe, ſaltem de lege abſoluta, neceſſitare voluntatem creatam, dubium non eſt.

Vndè probatur minor, quo ad primam partem. Quia in vnione myſtica obiectum intellectus non eſt Deus clarè viſus, ſed per ſpeculum adhuc, & in ænigmate cognitus; ſolus autem Deus clarè viſus, & cognitus, ſiue ſola cognitio clarè Deum videns poteſt neceſſitare voluntatem, tam quoad ſpeciem actus, quam quo ad exercitium; vt docet D. Thomas 1. p. quæſt. 82. art. 2. His verbis: *Sunt enim quędam particularia bona, quæ non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quia ſine his poteſt aliquis eſſe beatus, & huiuſmodi voluntas non de neceſſitate inhæret. Sunt autem quædam habentia neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quibus ſcilicet homo Deo inhæret, in quo ſolo vera beatitudo conſiſtit. Sed tamen antequam per certitudinem diuinæ viſionis neceſſitas huiuſmodi connexionis demonſtretur, voluntas non ex neceſſitate Deo inhæret, nec his, quæ Dei ſunt. Sed voluntas videntis Deum per eſſentiam de neceſſitate inhæret Deo, ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati. Patet ergo, quod voluntas non ex neceſſitate vult, quæcumque vult.* In vnione igitur myſtica non proponitur ab intellectu Deus neceſſario diligendus, nequidem neceſſitate quoad ſpecificationem, multoque minus adhuc neceſſitate quo ad exercitium, quæ illam priorem neceſſitatem ſupponit.

Itaque licet voluntas in via circa beatitudinem, ſeu bonum in communi neceſſitetur quoad ſpecificationem, quatenus etſi poſſit ſuſpendere actum ſuum circa illud, ſi tamen eum velit exercere, non poteſt non elicere certū

actus

actus ſpeciem, nimirum amorem, & non odium; quod quidem eſt eſſe neceſſitatem quo ad ſpecificationem, vt docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 82. art. 1. & 2. 1. 2. quæſt. 10. art. 2. & quæſt. 80. art. 1. Item de Verit. quæſt. 25. art. 5. & 6. De malo quæſt. 6. art. vnico in corp. & ad 7. cuius ratio eſt, quia quæuis potentia, atque adeò etiā voluntas neceſſitatur quo ad ſpecificationem circa ſuum obiectum adæquatum, quale eſt reſpectu voluntatis beatitudo, ſeu bonum in communi: cum enim ex D. Thoma loco citato de malo, *Voluntas ſe habeat in potentia reſpectu boni vniuerſalis, nullum bonum ſuperat virtutem voluntatis, quaſi ex neceſſitate ipſam mouens, niſi id, quod eſt ſecundum omnem conſiderationem bonū, & hoc ſolum eſt bonum perfectum, quod eſt beatitudo, quod voluntas non poteſt non velle: ita ſcilicet, quod velit eius oppoſitum, poteſt tamen non velle actu*. Licet, inquam, voluntas ita neceſſitetur circa beatitudinem, ſeu bonum in communi, ſecus tamen circa illam in particulari, v. g. circa claram Dei viſionem, ſiue Deum per illam cognoſcibilem, vt fides nos docet. Ratio autem, cur, etſi clara Dei viſio, aut Deus clarè viſus ſit ipſa beatitudo, non tamē ſequitur propterea, quod quicumque appetit beatitudinem, appetat diuinam viſionem, aut ad illam neceſſitetur, deſumitur ex D. Thoma in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3. *Quia*, inquit, *beatitudo in quantum huiuſmodi importat per ſe obiectum voluntatis non autem diuina viſio.*

Ex quibus verbis efficax formari poteſt argumentum, ſupponendo tamen, quod obiectum per ſe voluntatis ſit idem proſus, ac obiectum adæquatū; ſiquidem inadæquatum comparatur ſuo modo cum illa per modum obiecti, quaſi per accidens: Quatenus etiam ſi tale obiectum deſtrueretur, aut implicaret, non idcircò voluntas omnino periret, ſecus autem ſi obiectum adæquatum eiuſdem voluntatis impoſſibile eſſet. Sic ergo arguitur. Voluntas neceſſitatur quo ad ſpecificationem à ſuo obiecto per ſe inſpecto, ſeu adæquato, & non ab alio: ſed viſio clara Dei, ſeu Deus, vt clarè viſibilis per fidem nobis propoſitus, non eſt obiectum per ſe, ſeu adæquatum voluntatis in via; non poteſt igitur ab illa neceſſitari. Minor huius argumenti cum ſit certa, & in ipſamet experientia fundata, qua conſtat, voluntatem in via, per ſolam fidem directam, appetere plura alia præter beatitudinem in particulari, & quæ ad illam non ordinantur, imo ei opponuntur: Probatur maior, quæ etiam, quia iam ſatis liquet quoad primam partem ex dictis; quod nimirum quæuis potentia ex natura ſua eſt determinata ad tendendum in ſuum obiectū adæquatum, quoniam totam ab illo ſuam deſumit eſſentiam, ac ſpecificationem. Quoad ſecundam ſic oſtenditur primò: quia ſicut obiectum inadæquatum, hoc ipſo, quod tale, non adæquat, aut non ſuperat totam vim, & facultatem potentiæ: ita non eſt neceſſe, quod hoc ipſo, quod voluntas velit prorumpere in actum, debeat verſari circa illud proſequendo ipſum, ſed poteſt elicere actum alterius, imo oppoſitæ ſpeciei, nimirum odij, apprehēſa in tali obiecto, alias bono, aliqua ratione mali, ad quod ſufficit, quod ſit obiectum inadæquatum. Vnde ſecundò probatur hæc eadem ſecunda pars minoris, quia hoc, quod eſt, non eſſe bonum adæquans voluntatem, aut ſecundum omnem rationem bonum, ſed bonum inadæquatum, vel particulare, & non ſatians illam, quod eſſentialiter includitur in ratione obiecti non adæquati voluntatis, induit aliquam rationem mali; atque adeo eam non poteſt neceſsitare quo ad ſpecificationem; ſed ipſa tam poteſt elicere actum alterius ſpeciei, quam oppoſitæ.

Sic ergo voluntas reſpectu beatitudinis vt ſic, ſeu boni in communi, neceſsitatur quidem quo ad ſpecificationem, viuere enim omnes beate volunt; ſecus autem reſpectu alicuius boni, vel

beatitudinis particularis: vndè cum Deus, vt clarè viſibilis in patria, non ſit obiectum adæquatum voluntatis, aut ſaltem vt tale non ſemper ipſi propoſitum in via, ſed contineatur ſub bono vt ſic, & in communi, tanquam particulare bonum non adæquans voluntatem, & in quo conſequenter apparere poteſt, ſaltem ex parte creaturæ aliqua ratio mali, ob quam poſsit reijci; hinc eſt, quod abſolutè neceſsitare nequit voluntatem quo ad ſpecificationem.

Cum ita probata maneat prima pars minoris primi argumenti, quod ſcilicet in vnione myſtica non neceſsitetur abſolutè voluntas ex parte intellectus, proponendo ipſi Deum neceſſario diligendum; nunc probanda eſt altera, nec eam quoque neceſsitari à Deo.

Quamuis enim Deus abſolutè poſſit neceſsitare voluntatem reſpectu cuiuslibet obiecti boni, multoque magis reſpectu ſui, quia poteſt abſolutè auferre indifferentiam iudicij circa illa, vt patet in beatis, eo ipſo quod Deum clarè vident; ea tamen exiſtente, implicatio eſt in terminis adſtruere talem neceſsitatem. Cum enim prædicta indifferentia ſit voluntati ipſa facultas tendendi ad vtrumlibet, & nihil aliud ad libertatem requiratur, implicat, illa exiſtente, voluntatem non permanere liberam. Quia igitur in vnione myſtica viæ Deus non aufert indifferentiam iudicij, circa ſe per fidem duntaxat cognitum, nec propterea fit reſpectu noſtri bonum adæquans voluntatem, quãuis in re tale ſit, vt patet in beatis, hinc eſt, quod abſolutè non neceſsitatur voluntas ad illum amandum, neque quo ad ſpecificationem: neque conſequenter quo ad exercitium. Quod enim Deus talem indifferentiam, & conſequenter libertatem auferat ab amore vnitiuo, nulla ratio perſuadere poteſt, imo potius oppoſitum: cum ſic priuaret contemplantem, & orantem merito, quod amando habere ſolet. Quis autem dicat eum, quando perfectiſsimè Deo vnitur nihil promereri? idque, etiam ſi interdum fiat cum abſtractione à ſenſibus: quia hæc neque mentem turbat, ſi à Deo ſit, neque vim voluntati infert, imo magis attentionem, & affectum voluntatis promouet: licet huiuſmodi abſtractio non ſit in eius poteſtate: quod non requiritur ad libertatem amoris, reſpectu obiecti amati.

His ita ſe habentibus in vnione myſtica, circa libertatem voluntatis in amando, nunc quod attinet ad eamdẽ, prout ſecundario reperitur in intellectu, ex eiuſdem voluntatis participatione, quatenus eius imperio ſubditur quo ad exercitium, difficultas eſt, vtrũ contemplatio, maximè quæ fit cum extaſi, vel raptu ſit libera; aliqui enim Doctores concedentes, tunc quidem interuenire perfectam cognitionem intellectus, ſeu vſum rationis, negant tamen eum eſſe liberum proximè, quoniam trahitur à Deo intellectus, nec ſinitur aliud cogitare, ſed ad ſummum remotè, quatenus interdum voluntas applicat intellectum ad conſiderationẽ ſeriam, ſicque paulatim Deo operante peruenit ad contemplationem perfectam vſque ad extaſim, vel raptum. Alij verò aſſerunt hanc contemplationem eſſe actum liberum, Deo ita illuſtrante intellectum, & monente, vt nõ tam trahi, quam duci dicendus ſit, poſſitque tunc alijs quoque intendere.

Verum pro huius rei explicatione aliqua notanda ſunt, nec non diſtinguenda. Nimirum quod in intellectu eſt ex parte Dei, ſuperioris ſcilicet luminis, ac ſpecierum infuſio; tum ex parte ipſius, rerum ſcilicet per ea repræſentatarum cognitio. Quæ rurſus cognitio vel eſt prima apprehenſio talium rerum, vel ſubſequens ab illam iudicium de re apprehenſa, quod omnes concedunt, diuerſam eſſe cognitionem à prima, & ſimplici rei apprehenſione; quæ iterum cognitio poteſt eſſe euidens, ac ſcientifica, vel obſcura, iuxta diuerſum modum reuelationis diuinæ.

His prænotatis dico ſecundo, tam

luminis,

luminis, quam ſpecierum infuſionem, quibus in vnione myſtica vtitur intellectus non eſſe liberam, ſiue quo ad hoc ipſum non ſubijci imperio aut libertati voluntatis. In hoc conueniunt omnes Theologi Scholaſtici, & Myſtici, ratioque eſt aperta, quia licet hæc in potentia vitali vitaliter recipiantur, hoc eſt in ordine ad actum vitalem eliciendum, Deus tamen gratis, & ſæpe ſine diſpoſitione recipientis illa infundit, intellectu non agente, ſed merè paſsiuè ſe habente, talis igitur infuſio præcisè non eſt ipſi libera, ſiue quo ad hoc non ſubijcitur libertati voluntatis. Etſi autem huiuſmodi tam luminis, quã ſpecierum infuſio nequeat eſſe libera, vſus tamen poteſt eſſe liber etiam in raptu. Quando enim non neceſsitatur intellectus quoad operationem, eſt libertas quo ad vſum, ſiue exercitium; poteſt autem Deus, vt mox dicetur, ita rapere intellectum, vt non neceſsitet eum: manebit ergo liber, quo ad exercitium, ſiue quo ad vſum luminis, & ſpecierum infuſorum.

Dico tertiò in vnione myſtica, primam apprehenſionem rerum, quæ diuinitus repræſentantur, eſſe ſine actu libero contemplantis, ſeu voluntatis eiuſdem. Etſi enim talis apprehenſio ſit vitalis earum perceptio, ſiue eliciatur actiuè phyſicè ab intellectu, nihilominus eo ipſo, quod in contemplante non datur principium internum, quo ſe ad illam primùm applicet, ſed hoc proueniat à Deo ita mirabiliter operante, primumque excitante animam contemplantis, non poteſt dici liberè ab eo elici primum, ſed ad ſummum continuari. Deinde, vt ſupponitur, non eſt præuium aliquod iudicium rationis, ſine quo non eſt vſus liberi arbitrij, vt docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 83. art. 1.

Dico quartò, loquendo de iudicio rationis, quod eſt cognitio ſubſequens ad apprehenſionem, diuerſaque ab illa, illud non eſſe liberum, quando eſt de re diuinitus reuelata euidenter, ac ſcientificè, maximè quoad ſpecificationem, hanc enim libertatem tollit euidentia rei; verum autem illam quoque tollat quoad exercitium, nonnulli aſſerunt, probabilius tamen eſt, quod non, vniuerſim, & abſolutè loquendo. Talis ſiquidem euidentia de quocunq; obiecto à Deo reuelato, excepto ſeipſo clarè, & intuitiuè viſo, maior eſſe non poteſt in ratione euidentiæ, quam euidentia primorum principiorum naturalium, ſed hęc, licet neceſsitet intellectum, quo ad ſpecificationem, ita ſcilicet illum determinando explicatis terminis ad vnam partem, vt, quamuis ſuſpendi poſsit eius actus, tamen ſi illum eliciat, debeat eſſe illius ſpeciei, ad quam determinatur, & non poſsit eſſe alterius; attamen non neceſsitat quoad exercitium, ita vt non poſsit actum ſuſpendere, aut ab illo ceſſare, ſiquidem voluntas, cui intellectus ſubditur quantum ad exercitium actus, vt docet Diuus Thomas 1.2. quæſt. 9. art. 1. ad 3. *Quia ipſum verum, inquit, quod eſt perfectio intellectus, continetur ſub vniuerſali bono, vt quoddam bonum particulare*, poteſt abſolutè pro ſua libertate retrahere intellectum à conſideratione talis obiecti; ergo etiam & ab illa obiecti diuinitus reuelati; nullum ſiquidem eſt fundamentum aſſerendi, tunc Deum à voluntate libertatem auferre; quodque in vnione myſtica anima attentè contempletur adhęreatque obiectis ſibi diuinitus reuelatis, non eſt argumentum alicuius neceſsitatis, niſi ex ſuppoſitione, vt mox dicemus, ſed liberæ, & efficacis applicationis ex imperio voluntatis, fortiter quidem, ſed ſuauiter, atque adeò libere à Deo motę, vel tractæ, vt docet D. Thomas explicans illud Cant. 1. *Trahe me, poſt te curremus.*

Si tamen inter huiuſmodi obiecta euidenter à Deo reuelata, darentur aliqua, quæ ſe haberent per modum præmiſſarum reſpectu alicuius concluſionis, intellectus, cognita ſemel bonitate illationis, per aſſenſum eiuſmodi præmiſſarum,

miſſarum, non ſolum neceſsitaretur quoad ſpecificationem ad aſſentiendū tali concluſioni, verum etiam quoad exercitium actus, ſicut communiter docent Logici de aſſenſu pręmiſſarum in demonſtrationibus. Ratio eadem eſt vtrobique. Quia nimirum, etſi in ſyllogiſmo, poſito aſſenſu maioris, non ſtatim ſequatur aſſenſus concluſionis, ſed poſsit illa tempore præcedere hunc, cum aſſenſus maioris non ſit integra, nec conſequenter neceſſaria cauſa aſſenſus concluſionis; ſecus tamen quando aduenit aſſenſus minoris in proprio loco, & ſitu minoris, ſcilicet pręcedente aſſenſus maioris; cum enim iam ſit integra cauſa, & totalis; ſtatim ſequitur in eodem inſtanti temporis aſſenſus concluſionis, ſicque minor, & concluſio cognoſcuntur ſimul tempore, quamuis aſſenſus minoris prioritate naturę antecedat aſſenſum concluſionis.

Vndè ſic arguitur primò ad noſtrum intentum. Eodem prorſus inſtanti quo cognoſcitur minor, cognoſcitur etiam concluſio: ergò voluntas ſemel ac imperauit aſſenſum minoris, non poteſt impedire aſſenſum concluſionis: ſiquidem voluntas imperans aliquam actionem alterius potentiæ, non poteſt impedire, quidquid neceſſario ſequitur in eodem inſtanti ad talem actionem, vt de ſe patet: igitur cum aſſenſus concluſionis neceſſario ſequatur ad aſſenſum præmiſſarum in eodem inſtanti, voluntas non poteſt impedire illum, ſiue in naturalibus, ſiue in ſupernaturalibus, ac diuinitus reuelatis.

Secundò intellectus non eſt potentia ex ſe libera, ſed naturalis, ſicut viſiua, aut quælibet alia potentia ſenſitiua. Sed voluntas etſi valeat quidem retrahere potentiam viſiuam à viſione, auferendo obiectum, vel lucem, aut ponendo impedimentum, ſcilicet claudēdo, vel auertendo oculos, alioue ſimili modo, tamen ſi obiectum ſit præſens, medium illuminatum, oculi aperti debiteque applicati, non poteſt impedire viſionem. Similiter igitur poteſt quidem voluntas retrahere intellectum, ne cogitet de præmiſsis, aut de bonitate illationis, diuertendo illum ad alia; ſi tamen ſemel permiſerit ipſum cogitare de bonitate illationis, & aſſentiri præmiſsis, neque alias ſit impeditus, non poterit voluntas impedire aſſenſum concluſionis.

Igitur cum neceſsitas quoad exercitium ſit duplex: alia abſoluta, & alia ex ſuppoſitione alicuius. Licet voluntas non poſsit reſpectu alicuius boni particularis habere neceſsitatem quoad exercitium abſolutam: bene tamen neceſsitatem ex ſuppoſitione alterius, quod liberè voluit, & cum quo tale bonum particulare habet neceſſariam connexionem. Quando enim duo talem habent connexionem, licet ad poſitionem prioris ſit libertas; ſemel tamen illo poſito, non poteſt aliud impedire. Verum hæc neceſſitas ex tali ſuppoſitione non deſtruit abſolutè libertatem.

Dico quintò, quando, quæ ſit in vnione myſtica, vel altiſſima contemplatione reuelatio, eſt obſcura, iudiciū de veritate rerum per illam reuelatarum, ſiue theoriam, ſiue praxim ſpectent, eſſe liberum, tam quoad ſpecificationem, quam quoad exercitium. Nulla enim tunc eſt cauſa neceſſitans ad aſſentiendum, imo cum in tali reuelatione multa contingant, quæ ſolius authoritati Dei reuelantis innituntur, reuelari, vt accidit, quando reuelata ſunt myſteria gratię, & ad credendum propoſita ſub obſcuro fidei lumine; nec non in reuelationibus priuatis fidei actu aſſentiuntur, qui eas recipiunt; fidei autem actus ſit liber neceſſario ſupponens intellectum, & voluntatem; potius ſequitur, reſpectu huiuſmodi obiectorum vtramque potentiam eſſe liberam, nec in tali reuelatione auferri perfectum vſum rationis, quoad intellectum. Gratia enim non deſtruit naturam, ſed perficit; natura autem hominis eſt, vt liberè operetur, eo igitur

operandi

operandi modo, conſequenterque meritorio veriſimile non eſt, Deum velle priuare hominem in contemplatione, licet altiſſima huius viæ.

Deindè in hac contemplatione, iudicium rationis de veritate rerum in ea obſcurè reuelatarum, ſubſequens ad primam earumdem apprehenſionem, actualemque repræſentationem, vel ſit cum abſtractione ab omnibus ſenſibus, etiam internis, hoc eſt ſine conuerſione ad phantaſmata, vel ſeruato modo naturali per conuerſionem ad illa. Si primo contingat modo, cum talis cognitio, vel iudicium non dependeat à ſenſibus, nec in fieri, nec in conſeruari, nullam vim, aut neceſſitatem inferre poſſunt, quominus contemplans, ſiue dormiendo, ſiue vigilando, impediatur à perfecto vſu rationis, & libertatis. Talemque habuiſſe in myſterioſo ſuo ſomno Salomonem plures aſſerunt Doctores. Quibus ſuffragantur illi Patres, qui docent, eum in ſomno verè oraſſe, ac per orationem impetraſſe ſapientiã, quod ſatis patet fieri non poſſe abſque libertate. Tertullianus lib.4. contra Marcion. cap.15. D. Ambroſius Apolog. 2. pro Dauid cap. 4. & in Pſalm. 118. Octon. 18. S. Eucherius q. 2. in lib.3. Regum. Negat tamen D. Thomas, vt mox dicemus. Vnde licet ſit coactio, vel neceſſitas ex parte modi operandi, nimirum per abſtractionem à ſenſibus, qui eſt naturalis operandi modus, liberè tamen eſt, quantum ad terminum, cum ſit ſecundum naturam hominis, operando per intellectum, & voluntatem; non tamen dicitur naturalis illa operatio, quia ex parte principij non eſt illa eleuatio ex natura hominis, licet ſit ſecundum naturam, ſed ex virtute diuina ipſum eleuante; vt docet S. Thomas q. 13. de verit. art. 1. Qui dum 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. ait, Salomonem dormiendo non meruiſſe ſapientiam, nec accepiſſe, ſed in ſomno declaratum eſſe ei, quod propter præcedens deſiderium ei à Deo ſapientia infunderetur. Vnde ex eius perſona dicitur Sap.7. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus*; nihil aduerſatur doctrinæ allatę, quod nimirum in raptu cognitio pure intellectualis independens à phantaſmatum concurſu ſit libera; ſed tantum colligitur S. Thomam exiſtimaſſe, illum Salomonis ſomnum in particulari, mere imaginarium fuiſſe, in quo certum eſt nullam reperiri libertatem.

Quod ſi talis cognitio fiat per conuerſionem ad phantaſmata, ſiue cum ſola abſtractione à ſenſibus externis, non autem ab imaginatione talia phãtaſmata repræſentante, multo magis dicenda eſt libera, etiam ſi aliquando contingat in ſomno. Quamuis enim ligatio ſenſuum externorum, maximè autem imaginationis per ſomnum naturalem impediat vſum rationis, tunc enim propter fumoſitates cerebri non eſt ita expedita, vt deſeruire poſſit liberæ alicui operationi; ſecus tamen accidit in ſomno exſtatico, qualem plures habuerunt Prophetæ, tunc enim, vt docet D. Thomas 2.2. q. 173. art. 2. ad 3. cum potius clarificetur imaginatio, & corroboretur ex adiutorio diuini luminis, vel per nouam ſpecierum infuſionem, vel per iam præhabitarum ordinationem, & eleuationem, non eſt vnde dicatur, vſum rationis, libertatẽque eius impediri. Talemque ſomnum Adami fuiſſe, putant multi, circa futurum incarnationis myſterium, ei cum cooperatione imaginationis repræſentatum per coniunctionem maris, & fæminæ; illud enim cum tunc crediderit, conſtat non fuiſſe actum neceſſarium, ſed liberum. Vnde præclarè dixit Rupertus, non clauſiſſe illum ſomnum vigilias rationis, & ſenſum mentis liberum reliquiſſe. Item plurimorum Prophetarum, qui multas pariter in ſomnis acceptas reuelationes crediderunt; ſine libertate enim fides eſſe non poteſt. Tantumque ſit de præſenti materia.

CA-

CAPVT IV.

Quod amor vnitiuus ſit amor veræ, & propriæ amicitiæ inter Deum, & homines.

PRo explicatione huius rei, primò recolenda eſt multiplex amoris diuiſio, nimirum in amorem complacentiæ, concupiſcentiæ, beneuolentiæ, & amicitiæ. Amor *complacentiæ* ſolet definiri, quod ſit volitio boni in ſe ſiue vnio appetitus ad bonum per ſe, quod ſui non alterius gratia appetitur. Amor *concupiſcentiæ*, volitio boni in commodum amantis. Amor *beneuolentiæ* volitio boni in commodum amati. Qui tripliciter ſubdiuidi poteſt; ita vt alius ſit amor beneuolentię ſimplicis, alius perfectæ, & tertius amicitiæ. Amor ſimplicis beneuolentiæ eſt volitio boni, in commodum amati, non potentis eo liberè vti. Quo amore Deus amat creaturas irrationales; dando, & conſeruãdo illis eſſe. Amor perfectæ beneuolentiæ eſt volitio boni, in commodum amati, potentis eo liberè vti. Amor denique *amicitiæ* eſt volitio boni in commodum amati, eo liberè vtentis, ſiue actu redamantis. Vndè colligitur amorem quidem amicitiæ includere beneuolentiam, non tamen omnem beneuolentiam eſſe amorem amicitiæ; vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 27. art. 2. his verbis. *Amor importat quamdam vnionem ſecundum affectum amantis ad amatum, in quantum ſcilicet amans æſtimat amatum quodammodo vt vnum ſibi, vel ad ſe pertinens, & ſic mouetur in ipſum. Sed beneuolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædictâ vnione affectus ad ipſum. Sic ergò in dilectione, ſecundum quod eſt actus charitatis, includitur quidem beneuolentia, ſed dilectio, ſiue amor addit vnionem affectus. Et propter hoc Philoſophus dicit, quod beneuolentia eſt principium amicitiæ.* Hactenus D. Thomas.

Secundò aduertendum eſt amorem vnitiuum, quo anima in contemplatione, præſertim infuſa, Deo frui dicitur eſſe ipſammet charitatem ſupernaturalem, vt pote amorem perfectiſsimum, vndè ſi diuinæ charitati competit ratio veræ, & propriæ amicitię, non poteſt non etiam conuenire amori vnitiuo, cum ipſa coincidenti. Vnde videndum eſt, nùm talis ratio in diuina reperiatur charitate? Ex qua etiam pendet ratio formalis, qua attingit Deum.

Quare tertiò notandum eſt, ad amorem amicitiæ, id eſt, qui fundat relationem amicitiæ (ſi quidem ſumitur amicitia, & relatiuè pro reſpectu, & fundamentaliter pro actu exercente, vel habente conditiones amicitiæ) requiri ſecundum aliquos ex Ariſtotele octo conditiones. Quas D. Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 1. ad tres præcipuas reducit. *Prima* eſt, vt amor amicitiæ habeat rationem beneuolentiæ, quia debet eſſe amor circa aliquam perſonam, vel quod idem circa aliquã naturam intellectualem, eo potentem vti bono, quod illi vult amans, in quo, vt notauimus ſupra conſiſtit perfectus amor beneuolentiæ. *Secunda*; quod amor iſte ſit mutuus, ad hoc enim, vt aliquis ſit amicus alterius, non ſufficit, quod ſit præcisè amans illum, ſed inſuper debet eſse amatus, ſiue redamatus, vnde amicus dicitur, quaſi amans amatus, ſeu amicatus, ita vt talis amor ſit quaſi nexus inter duos, qua ratione charitas non incongruè vocatur ab Apoſtolo *Vinculum perfectionis*. Et in diuinis Spiritus Sanctus dicitur procedere à Patre, & Filio, vt nexus vtriuſque, quia ex mutuo procedit amore. *Tertia* demum conditio eſt, vt iſte amor mutuus fundetur in aliquali communicatione, qui enim in nullo communicãt, nullam inter ſe coniunctionem, nullum habent nexum, ſi quidem omnis coniũctio aliqua communicatione fit; imo ratione diuerſæ communicationis, diuerſæ quoque ſunt veluti ſpecies amicitiæ;

citiæ; ſicut in communicatione ſanguinis fundatur *amicitia conſanguinitatis*; in communicatione ſociorum *amicitia æqualitatis*: & in communicatione ſuperioris cum inferiori *amicitia excellentiæ*. Quam ſolam poſſe homines habere erga Deum certum eſt: ſed cum ipſi duplicem habere poſsint cum Deo coniunctionem, ſeu communicationem, vnam, vt homines, ſeu creaturæ rationales præcisè, aliam vt filij, illi coniuncti non conſanguinitate, ſed gratia, & ſpiritu, quo regenerati ſunt: de hac ſecunda principaliter hic agitur.

Quartò obſeruandum eſt ex parte ipſius obiecti charitatis, quod eſt bonum diuinum, illud poſſe conſiderari dupliciter. Primò ſecundum quod eſt in ſe abſolutè; ſecundò prout conſtituitur in ratione obiecti amicabilis: quę ratio addit ſupra bonum abſolutè rationem communicatiui, alioquin ſi non eſſet communicatiuum, non redamaret nos, & conſequenter nobis non coniungeretur vt amicus. Cum autem Deus in ſeipſo entitatiuè ſit ens ſupernaturale, attamen cõſideratus vt cõnexus nobiſcum, vel communicans nobis, induit rationem authoris ſupernaturalis, quatenus communicat effectus ſupernaturales gratiæ, & finis naturalis, quatenus effectus naturales præbet. Quæ diſtinctio licet ex parte Dei non importet niſi diuerſitatem rationis, ſufficit tamen ad diſtinguendos amores, quia ſufficit ad diſtinguendas communicationes, & conſequenter ipſam bonitatem, vt diuerſè communicatiuam.

His prænotatis, aliqui Doctores exiſtimant charitatem ſupernaturalem, atque adeo amorem vnitiuum, quantumuis perfectum dici amicitiam fundamentaliter; formaliter autem ſolum eſſe amorem beneuolentiæ, quo Deus amatur propter ſe; ad illum tamen ſequi conditiones amicitiæ, quoniam, qui diligit Deum, ab eo quoque diligitur. Sed oppoſita ſententia inter Theologos communis omnino tenenda eſt.

Primò igitur dico, charitatem ſupernaturalem, atque adeo amorem vnitiuum, qui eſt perfectiſsima charitas, eſſe veram, ac propriam amicitiam inter Deum, & homines. De quo videtur dubitari non poſſe, cum expreſsè habeatur in diuinis Scripturis; præſertim Ioann. 15. vbi ait Chriſtus Diſcipulis ſuis: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos* &c. quibus verbis, & ſequentibus ſtatim oſtendemus eum ſignificare voluiſse diſcipulos ſuos verè, & propriè, atque adeo formaliter fuiſse ſuos amicos: *Sed hoc*, inquit Diuus Thomas 2.2. quæſt. 23. art. 1. in argumento ſed contra, *non dicebatur eis niſi ratione charitatis; ergo charitas eſt amicitia*. Quod in corpore articuli ſic probat. *Reſpondeo dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 8. Ethic. Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, ſed amor, qui eſt cum beneuolentia, quando ſcilicet ſic amamus aliquem, vt ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, ſed ipſum eorum bonum nobis velimus, ſicut dicimur amare vinũ, aut equum, aut aliquid huiuſmodi, non eſt amor amicitię, ſed cuiuſdam concupiſcentiæ. Ridiculum enim eſt dicere, quod aliquis habet amicitiam ad vinum, vel ad equum. Sed nec beneuolentia ſufficit ad rationem amicitiæ: ſed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus eſt amico amicus. Talis autem mutua beneuolentia fundatur ſuper aliquam communicationem. Cum ergo ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundum quod nobis ſuam beatitudinem communicat, ſuper hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur* 1. *Corinth.* 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius. Amor autem ſuper hanc communicationem fundatus eſt charitas. Vnde manifeſtum eſt, quod charitas amicitia quædam eſt hominis ad Deum.* Hactenus Diuus Thomas, ex cuius verbis, nec non ex præfato S. Ioannis loco ab eo citato, ſic efformatur argumentum pro intento.

Ibi reperitur vera, & propria ratio amici-

amicitiæ, vbi ſunt omnes conditiones requiſitæ ad talem rationem, ſed in charitate ſupernaturali, ſeu in amore vnitiuo, quo perfectiſſime Deus diligitur, reperiuntur omnes conditiones requiſitæ ad veram, & propriam rationē amicitiæ, non poteſt igitur charitas ſupernaturalis, coincidenſque cum illa amor vnitiuus, non eſſe vera, & propria amicitia inter Deum homines. Maior, & conſequentia huius argumenti cum ſint certę, probatur minor diſcurrendo per ſingulas amicitiæ cōditiones. Quarum prima eſt beneuolentia, quam Chriſtus Dominus ſatis expreſsit loco citato dicens; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Hæc enim eſt beneuolentia, qua Deus voluit nobis tantum bonum, vt vitam ſuam pro ſalute noſtra daret, vndè optimè ait Sanctus Auguſtinus, *eum dilexiſſe nos pluſquam ſe, quia, vt viueremus, voluit mori pro nobis*; & Sanctus Cyprianus, *nihil nos præponere debere Chriſto, quia Chriſtus nihil præpoſuit nobis*.

Sequitur in Textu, *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*. Quibus verbis exprimitur ſecunda conditio mutui amoris, vt quia ipſe animam ſuam dedit pro amicis, nos viciſſim ſimus amici eius, perfectè illum amando, ſeu mandata illius ſeruando, in hoc enim maximè debemus redamare Deum tanquam finem vltimum, ſummumque bonum noſtrum, ſubijciendo nos illi in omnibus præceptis, & mandatis. Iuxta illud Ioannis ibidem; *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit*.

Tertia denique conditio comprehenditur illis verbis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*, hæc enim fuit communicatio ſupernaturalis, reuelando nobis per fidem omnia myſteria ad ſalutem noſtram pertinentia, tum conferendo cætera gratiæ dona ad illam conducentia, maximè autem charitatem; ratione cuius cum 1. Ioan. 4. dicatur: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; nec non cap. 15. Euangelij: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; Manifeſtum eſt illi non deeſſe communicationem cum Deo, familiaritatemque erga illum requiſitam ad rationem veræ, & propriæ amicitiæ.

Neque huic veritati repugnant nōnulla, quæ ſolent contra illam obijci. *Primò*, quod omnis communicatio Dei ad homines etiam in ordine ſupernaturali ſit cum infinita diſtantia Dei ad nos, & cum ſumma dependentia noſtri ad Deum, atque adeò talem communicationem non tam eſſe rationem fundandi amicitiam, quam ſummam ſeruitutem, & ſubiectionem cum vera amicitia incompoſſibilem. *Secundò*, quod charitas ſuum obiectum habet formale perfectè, & completè per hoc, quod diligit Deum propter ſeipſum ſuper omnia; talis enim amor, vt per ſe patet, prǽſcindendo etiam à redamatione Dei, non eſt amor concupiſcentiæ, cum non velit bonum ipſi amanti, ſed ipſi amato: ergo eſt charitas; quæ conſequenter non eſt formaliter amicitia, ſed ſolum fundamentaliter, quia eius amor nondum includit formaliter mutuam redamationem, ſed ſolam beneuolentiam hominis ad Deum, qui amat ipſum ſuper omnia, etiamſi ab ipſo non redamaretur. *Tertiò*, habitus charitatis eſt etiam elicitiuus amoris concupiſcentiæ, vt patet in illo actu, quo in Patria concupiſcimus Deum, quem ſatis communiter Theologi aſſerunt, elici à charitate; ipſa igitur nō eſt ſola, & vera amicitia. *Quartò* tandem, licet nos amemus Deum propter ſeipſum, cum tamen Deus non diligat nos propter nos ipſos, non videtur poſſe ſaluari in charitate mutuus amor ad amicitiam requiſitus; neque conuictus, & familiaritas ſaltem in hac vita, quia nos latet, quod Deus nos amet,

cum

cum tamen ad veram amicitiam neceſſe ſit, quod amicus cognoſcat ſe diligi ab alio.

Hæc,inquam,& ſimilia nihil obſtant veritati noſtri dicti. Ad primum enim reſpondetur, æqualitatem, ex ipſomet Philoſopho lib. 8. Ethic. cap. 7. non eſſe amicitiæ ita intrinſecā, vt abſque ea ipſius eſſentia non poſſit conſiſtere. Nam in genere amicitiæ ſecundum excellentiam, quod agnoſcit Ariſtoteles, eſt vera, & propria amicitia ſine æqualitate, quæ inter pares reperitur. Sic ergo amicitia excellentiæ, qualis verſatur inter Deum, & homines, non excludit omnem ſeruitutem, neque generalem, & quaſi Phyſicam, quæ eſt inter creaturam, & Creatorem, hæc enim tolli à creatura non poteſt; neque ſpecialem, ſeu moralem, quæ eſt ſecundum conuictum rationalium perſonarum, inter quas aliquæ ſeruiunt, aliæ verò dominantur. Quapropter homo per dona gratię ita manet Dei amicus, quod etiam illi ſeruit: ſicut dicitur amicus Regis, qui eſt eius miniſter. Duplex namque eſt ſeruitus, vna vilis ſicut in mancipijs, & captiuis; alia honorata, quæ inuenitur in liberis, & ingenuis, cuiuſmodi ſunt ſerui Regis, illi aſſiſtentes, & conuiuentes.

Quidquid ſit autem an prima ſeruitus, indeque orta inæqualitas repugnet veræ amicitiæ, non tamen ſecunda. Et ita Sancti, qui vocantur amici Dei, ſimul etiam dicuntur eius ſerui. Sicut Exodi 33. legitur de Moyſe, *Quod loquebatur Dominus ad eum facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*: & tamen vocatur ſeruus Numer. 12. *At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſsimus eſt.* Ad ſignificandum autem diuerſam eſſe fundandi rationem vtriuſque reſpectus, ſeu relationis ſeruitutis, & amicitiæ, ait Chriſtus Ioann. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.*

Ad ſecundum reſpondetur iuxta doctrinam S. Thomæ ſecundo notando adductam, quod ſi Deus per impoſſibile non redamaret nos, ille actus, quo diligeremus eum ſuper omnia, nō eſſet actus charitatis ſimpliciter, & perfectè, ſed tantum beneuolentiæ, quæ eſt inchoatio, & diſpoſitio ad amicitiam, ideoque ſolum reductiuè ſpectaret ad charitatem. Dixi ſi Deus per impoſſibile nō redamaret nos; quia videtur implicare, quod nos amemus Deum ſupernaturaliter propter ſeipsū ſuper omnia, & ipſe viciſſim nos non amet, iuxta illud Prouerb. 6. 17. *Ego diligentes me diligo*. Deindè cum ita amemus Deum, vt ex Apoſtolo Ioanne 1. 4. *Ipſe prior dilexerit nos*, proindeque charitas, qua Deum amamus ſit effectus prioris dilectionis eius, clarè patet eſſe amorem mutuum cum beneuolentia, fundatum in aliqua communicatione, atque adeo veram, proprieque dictam amicitiam.

Ad tertium reſpondetur, charitatem perfectam non poſſe quidem eſſe elicitiuam amoris concupiſcentiæ imperfectæ, hoc eſt, volentis ſibi bonum ſiſtendo in ſe, poſſe tamen elicere concupiſcentiam perfectam, hoc eſt, non ſiſtentem in ſe, ſed relatam ad amicitiā. Sic enim concupiſcit Deum fruendo illo vt præſenti, & vnito, quod hoc ipſum refert ad Deum, vt amicum. Non eſſe autem inconueniens, quod interdum amicitia habeat aliquam concupiſcentiam adiunctam, patet ex hoc, quod quando volumus bonum amico, ly *bonum* eſt concupiſcentiæ, ly *amico* eſt amicitiæ. Vnde etiam charitas fruens Deo, vt præſenti poteſt concupiſcere illum ſibi, quatenus etiam ſecundario diligit ſe; ſicut etiam quemlibet proximum; ſed hoc totum vltimatè ſemper refert ad Deum, vt amicum.

Ad quartum dicitur, neceſſe non eſſe ad veram inter Deum, & homines amicitiam, quod Deus amet nos eadem æquiparentia, quas nos illum. Cum enim iſta ſit amicitia excellentiæ, ſicut inter inferiorem, & ſuperiorem, ſatis eſt, quod amet nos Deus volendo no-

bis bonum, vt ſubiectis, ſeu vt fini cui, non vt fini cuius gratia, ſicut nos illum amare debemus. Ad huiuſmodi ergo amicitiam cum non requiratur æqualitas in perſonis, aut ſtatu, vel officio, aliòque ſimili, ſed ſufficiat, quod ſit æqualitas correſpondentiæ, ita vt ſicut vnus amat, alter amet, manifeſtum eſt nihil charitati ſupernaturali, amorique vtrique deeſſe, ad veram rationem amicitiæ. Quapropter egregiè ait Diuus Bernardus ſerm. 83. in Cant. *Si dominatur Deus, me oportet ſeruire, ſi imperat, me oportet parere, & non viciſſim à Domino, vel ſeruitium exigere poſſum, vel obſequium: cum autem Deus amat, non aliud vult, quam amari, quippè non aliud amat, niſi vt ametur*. Veriſſimè enim dixit Chriſtus Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*, quod eſt idem, ac ſi me amaueritis. Ad id quod in hac vltima obiectione dicitur de conuictu, & familiaritate, reſpondetur quoque Deum, qui ait delitias ſuas eſſe cum filijs hominum, illa ſufficienter habere nobiſcum, in hac quidem vita obſcurè per fidem, atque adeò aliqualiter imperfectè, in patria verò clarè, quando videbimus eum ſicuti eſt. Licet autē in hac vita, ſine ſpeciali reuelatione Dei nullus poſſit ſcire certitudine abſoluta, vel fidei, an diligatur à Deo, ipſeq; conſequenter Deum verè diligat: tamen prudentialiter, ac rationabiliter id poſſunt iudicare multi, præſertim perfecti, nam vt dicit Apoſtolus Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro: quod filij Dei ſumus*. Quæ prudens exiſtimatio ſatis eſt ad rationem amicitię. Nam etiam inter homines mutua beneuolentia interna certo conſtare non poteſt, conſtat tamen nihilominus inter eos amicitiæ ratio.

Dico ſecundò, præcipuè, magiſque expreſsè fundari, veluti ex parte noſtri rationem amicitiæ cum Deo per diuinam charitatem, in communicatione donorum gratię, ſecundum quod per illa efficimur conſortes diuinæ naturæ, ſeu filij Dei adoptiui, & cohæredes Chriſti. Etſi enim exprimatur huiuſmodi communicatio multis rationibus in Scriptura, quandoque vt conciuium, quandoque vt domeſticorum, iuxta illud Epheſ. 4. *Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*; quandoque vt ſociorum, quandoque vt fratrū, quandoque vt ſponſæ, vt ſatis conſtat ex varijs dictæ Scripturæ locis. Præcipua tamen magiſque propria expreſſio videtur communicatio filiorum ad patrem; in hanc enim magis concurrere videntur, & conſortium naturæ, & reuerentia, & inæqualitas, & proportio iuſtitiæ, & amoris, & excellentia, & relatio ad alios diligendos, & quare, aliaque ſimilia, quæ reperiuntur in amicitia inter Deum, & homines, qualis habetur per diuinam charitatem, quæque ſunt magis eius propria.

Dico tertio, loquendo de obiecto formali charitatis, ſeu de ratione formali ſub qua attingit ipſum Deum, eſſe bonitatem eius amandam propter ſeipſam, & vltimum finem fundantem communicationem ſui immediatam; Deus verò amat nos amore amicitiæ, volens bonum nobis, ſeu dona gratiæ, vt ſubiecto, ſeu fini *cui*, non autem *cuius gratia*. Pro cuius explicatione aduertendum eſt, dum dicitur, amorē amicitiæ eſſe illum, quo volumus bonum amico propter ſeipſum, non requiri, quod ly *propter ipſum* dicat ſemper rationem finis *cuius gratia*, ſed ſufficere, quod dicat rationem finis cui, id eſt ſubiecti, cui volumus bonum ex complacentia ad ipſum. Sicut etiam in amore concupiſcentię volumus bonum nobis, non tamen nobis, vt finis *cuius gratia*, ſed vt ſubiecto *cui* volumus bonum. In amicitia tamen ad Deum, cum ſit amicitia excellentiæ, id eſt inter inferiorem, & ſuperiorem, imo reſpectu ſupremi entis, neceſſe eſt, quod non tantum velimus bonū Deo, vt ſubiecto, & fini *cui*, ſed etiam vt fini *cuius gratia*, id eſt tanquam ſupremo Domino; quamuis ſufficiat, vt ipſe velit

velit nobis bonum, vt fini *cui*; ſic enim conſurgit amicitia excellentiæ, qua volumus Deo ex parte ſui ſuprema bona, quæ ſunt ipſa diuina attributa, & ex parte noſtri ſummam ſubiectionem. Ex hoc ergo, quod charitas eſt amor amicitiæ diuinam reſpicit bonitatem ex complacentia ſui, quia autem eſt amicitia excellentiæ, reſpicit illam, ſiue Deum, non ſolum vt finem *cui*, verum etiam vt finem *cuius gratia* vult omnia.

Additum fuit inſuper, debere diuinam amari bonitatem, vt finem ſui communicatiuum, ſeu fundantem communicationem ſui immediatam. Quia licet ad beneuolentiam, qua volumus bonum alicui ex ſimplici complacentia illius, ſatis ſit bonitas perſonæ, quæ nobis complacet propter ſeipſam. Nihilominus ad amicitiam, ſeu ad beneuolentiam pertingentem ad rationẽ amicitiæ, quæque eſt beneuolentia mutua, deſideratur, quod reſpiciatur, perſona, non præciſe vt bona in ſeipſa, & complacens, ſicque ametur, verum etiam vt bona, & complacens in communicando. Et conſequenter Deus conſideratus, vt amandus propter ſeipſum præciſè, nondum intelligitur vt obiectum formale perfectæ amicitiæ, ſeu charitatis, ſed ſolius beneuolentiæ, quæ eſt inchoata Charitas, vel amicitia; vndè vt completè, & formaliter habeat rationem obiecti amicabilis, debet reſpici vt mutuo ſe communicans: actuſque charitatis formaliter fertur in Deum, vt ſummum bonum nobis vnitum per communicationem ſui; qua remota tenderetur in Deum, vt à nobis ſeparatum, quod non pertinet ad charitatem, ſed vel ad timorem, vel ad religionem, ſi illum colendo reſpiciat, vel ad amorem beneuolentię, qui eſt initium amicitiæ, non ipſa amicitia: exigit enim illam vnionem, vt conditionem intrinſecam, ex cuius variatione ratio formalis variatur, quemadmodum ex variatione obſcuritatis variaretur teſtificatio fidei.

Tandem, quia adhuc totum hoc nõ explicat rationem charitatis in quantum ſupernaturalis eſt, niſi ametur Deus, vt communicatiuus ſui ſimpliciter, id eſt per ſeipſum, & non ſolum mediantibus effectibus ſuis, ſeu donis gratiæ, idcirco pro vltima conditione diuinæ bonitatis, quæ eſt obiectum charitatis veræque amicitię, additur, quod non quamcumque, ſed immediatam ſui communicationem importare debet. Deum autem ſeipſum immediatè communicantem eſſe amicum ſupernaturalem, ſatis conſtat, quia illa familiaritas, & conuictus Dei cum creaturis inhabitando ſpecialiter in ipſis per dona gratiæ, & per iſta diſponendo, & ordinando illas ad ſui immediatam viſionem, excedit omnem limitem, omneque debitum intellectus creati: indeque D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 4. probat, quod charitas eſt ſpecialis virtus, quia bonum diuinum, in quantum eſt beatitudinis obiectum, ſpecialem habet rationem boni, ideoque etiam amor charitatis, qui eſt amor huius boni, eſt ſpecialis amor. Ex quo clarè patet S. Doctorem poſuiſſe vltimam rationem ſpecificatiuã charitatis, in ipſa diuina bonitate, vt eſt beatitudinis obiectum, ſeu immediatè videnda in patria, non quatenus illa in beatitudinem appetimus nobis (ſic enim pertinet ad amorem concupiſcentiæ) nec quatenus beatitudinem volumus Deo præciſè (ſic enim pertinet ad ſimplicem amorem concupiſcentiæ, in eoque ſaluatur, ſed quatenus volumus ipſi bonum, vt amico conuiuenti, & communicanti ſe nobis per beatitudinem, hic in ſpe, & in patria in re: ſic enim amatur non ſimplici beneuolentia, ſed beneuolentia amicabili, & mutua in ordine ſupernaturali.

Cum omnia ſupradicta certa ſint communiter inter Theologos, maximè Thomiſtas; maior difficultas eſt de charitate, vel amore naturali Dei, num in illo reperiatur ratio amicitiæ. Primò

mò enim aliqui Theologi negant diſtinctionem hanc duplicis amoris naturalis, & ſupernaturalis, aut in dubiū reuocant. Alij illam admittentes concedunt quidem amorem Dei ſuper omnia naturalem eſſe amorem beneuolentiæ, non autem amicitiæ; ſed probabilius alij docent non poſſe habere perfectam rationem amicitiæ, ſed imperfectam, intra genus tamen amicitiæ veræ, quantum ad ſubſtantiam, non quantum ad ſtatum; videturque eſſe expreſſa Diui Thomæ ſententia lib. 8. Ethic. lect. 12. quod ſufficit inſinuaſſe; huius enim rei, & ſimilium tractatio non pertinet ad præſens inſtitutū, in quo principaliter intendimus agere de charitate ad intimam animæ cum Deo vnionem pertinente, in ſtatu perfecto.

CAPVT V.

Vtrum in vnione myſtica, ſiue quæ in ea ſit, inuiſibili perſonarum diuinarum miſſione, charitas vniat animam Deo non ſolum affectiuè, verum etiam realiter.

IN hac controuerſia ſupponitur primò tanquam certum, charitatem quidem eſſe proprium Spiritus Sancti nomen, ideoque procedere per voluntatem, non tamen idcircò ſequi, vt communiter tribuitur Magiſtro, quod charitas ſit ipſemet Spiritus Sanctus; ſed eſt virtus creata à Deo infuſa realiter ab illo diſtincta.

Secundò ſupponitur quoque vt certum, tam ad vnionem myſticam, quam ad miſſionem inuiſibilem ſimpliciter tales, ſubſtantialiterque coincidentes, non ſufficere aliquā alia Dei dona, quę vel non ſint ipſa gratia ſanctificans, vel non eam neceſſariò annexam afferant; qualia ſunt dona naturalia, vel fides, & ſpes ſupernaturalis, & informes. Nam Deus propriè dicitur nobis vniri, aut Spiritus Sanctus mitti, cum nobis donatur, iuxta illud Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Et infra: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sed nec Spiritus Sanctus, nec conſequenter Deus dicitur nobis donari, aut in nobis manere, niſi habentibus gratiam ſanctificantem, iuxta illud Sapient. 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*, id eſt carentem gratia ſanctificante, quia, vt ait D.Thomas in 1. diſt. 14. qu. 2. art. 2. *Quicunque caret gratia ſanctificante, pro ficto habetur, & in eum Spiritus Sanctus non procedit.* Igitur tam ad vnionem myſticam, quam ad miſſionem inuiſibilem non ſufficiunt alia dona, ſed requiruntur eſſentialiter dona gratiæ ſanctificantis, vel quæ eam neceſſario annexam afferant, vt charitas. Sicque Roman. 5. dicitur: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Vbi proprius effectus illatus per Spiritum Sanctum datum, ac proindè miſſum, aſſignatur charitas diffuſa in cordibus noſtris, quæ petit, & debet eſſe coniuncta cum gratia ſanctificante. Et ſimiliter 1. Ioann. 4. dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vt ſignificetur hunc eſſe proprium effectum huius manſionis, & miſſionis, nempè charitatem cum gratia coniunctam, & inde optimè colligi manſionem, ſeu vnionem, & miſſionem inuiſibilem in animam.

Quare D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. ait: *Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera; ſed ſine charitate nihil proſunt. Niſi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus, vt eum Dei, & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non transfertur ad dexteram, neque Spiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem.*

Tertiò conueniunt omnes, hanc vnionem, aut miſſionem inuiſibilem, eo ipſo quod fit per dona gratiæ ſanctificantis, & charitatem, exigere intimam Dei præſentiam in homine affectiuam,

ſiue

ſiue per conformitatem affectuum. Quare tota difficultas eſt de vnione, aut miſſione reali diuinarum Perſonarum. Aliqui enim Theologi exiſtimant in inuiſibili miſſione, indeque ſequenti myſtica vnione animæ cum Deo, ea ſola ratione dici perſonas mitti, quia dona gratiæ ſanctificantis ab eis procedentia donantur; abſque eo quod inde oriatur alia vnio, vel præſentia realis ipſarum in anima. Nihilominus oppoſita ſententia videtur eſſe probabilior, vt iam notauimus ſupra.

Dicendum ergo eſt in inuiſibili miſſione, ſiue vnione myſtica diuinarum Perſonarum cum anima, non ſolum donari dona gratiæ ſanctificantis, ſed etiam ſimul donari, mitti, & vniri ipſas diuinas perſonas: ita vt per intimam, veram, ſubſtantialem, & realem præſentiam, nouoque, ac ſpeciali modo incipiant inhabitare animam eius ad quem mittuntur, cuique vniuntur: atque adeo, ſi per impoſsibile prædictæ perſonæ non eſſent per eſſentiam, præſentiam, & potentiam in omnibus rebus: nihilominus in anima iuſti, ad quã mittuntur, eſſent ſecundum ſuam ſubſtantiam, & perſonas ſubſtantialiter, & perſonaliter præſentes. Quod exemplo miſsionis, & vnionis Verbi in carne declarari poteſt. Nam ſicut adhuc dato per impoſsibile, quod Verbum diuinum non eſſet per immenſitatem, intimumque illapſum præſens Sacroſanctę Humanitati Chriſti Domini: nihilominus eo ipſo, quod illi hypoſtaticè vniatur, neceſſe eſt, quod ex vi talis vnionis, & ad illam terminandam fiat intimè præſens eidem. Et ideo ratione huius vnionis dicitur nunc eſſe in illa humanitate realiter, ſpecialique modo, ac diſtincto ab eo, quo eſt in alijs rebus, & in iuſtis, quibus licet ſecundum ſuam ſubſtantiam, & perſonam ſit intimè, & perſonaliter præſens, vt hic aſſerimus, non tamen trahendo eorum naturas ad eſſe perſonale eiuſdem Verbi. Ita quoque Deus, perſonæue diuinæ ſimul cum donis gratiæ, & charitatis, iuſtorum mentibus ita præſentes ſiunt noua præſentia ſubſtantiali, ac reali, vt ſi alias ratione immenſitatis, intimique illapſus iam non adeſſent illis, ratione dictorum donorum omnino ijs ineſſent, & in illis permanerent.

Præcipua Scripturæ loca huic ſententiæ ſuffragantia ſunt Ioann. 14.23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Talis enim loquendi modus ſatis ſignificare videtur, iuſtos non ſolum realiter vniri donis gratiæ diuinæ, quæ formaliter in anima, & potentijs eius recipiunt, ſed & ipſi Deo, dum Chriſtus promittit, ſe ſimul cum Patre ad eos venturum, & manſionem apud eos facturum.

Idem colligitur ex illo Rom.8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Vbi expreſſa diſtinctione facta inter dona gratiæ, & charitatis creata, & inter Spiritum, dicitur abſolutè vtrũque donari nobis; atque adeò, ſicut dantur nobis realiter præfata dona, ita & perſona Spiritus Sancti realiter quoque nobis dari dicenda eſt.

Inſuper dum 1. Corinth. 6. dicitur. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo*. Inde quoque patet, perſonam Spiritus Sancti, de qua ibi ſermo eſt, & quamcumque aliam perſonam diuinam, realiter iuſtis ineſſe, ſiquidem non donis creatis, ſed Deo templum dicatur: & ita ipſe eſt, qui inhabitat ſpeciali modo per ſuam ſubſtantialem, intimam, & realem præſentiam in iuſtis tanquam in templo ſuo, primariò quidem in animabus, ſecundariò autem in membris eorum, *in quantum*, vt ibi ait D.Thomas lect.3. *exequuntur opera charitatis*.

Tandem quod habetur 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, non obſcurè indicat, non quamcumque, ſed realem Dei in anima iuſta manſionem eſſe effectum donorum

norum gratiæ, & charitatis; ſiue, vt dicebamus, in inuiſibili miſſione, aut vnione myſtica non ſolum donari talia dona, ſed & ipſum Deum, aut perſonas eius realiter.

Qui pro hac ſententia citari ſolent Patres, ſunt ſequentes, D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. vbi diſtinctione adducta inter alius Spiritus, qui creatura ſunt, quales ſunt Angeli, de quibus legitur, *qui facit Angelos ſuos ſpiritus*; & Spiritum Sanctum ipſum qui non eſt creatura, ait hunc mentibus noſtris infundi.

Diuus Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Eumdem*, inquit, *Spiritum Sanctum datum cum inſufflaſſet Ieſus, de quo mox ait: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vbi maximè commendatur hac Trinitas, non debemus ambigere. Ipſe ergo eſt, qui etiam de cęlo datus eſt in die Pentecoſtes. Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum Sanctum: imò quantus Deus eſt, qui dat Deum?* Item ſerm. 4. de Verbis Domini, vbi ſic ait: *Dedit dona hominibus. Qua dona? Spiritum Sanctum, qui tale dat donum, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia Dei. Donum dat æquale ſibi: quia donum eius Spiritus Sanctus eſt.*

Idem docet Magiſter Sentent. lib. 1. diſtinct. 14. & 15. Diuus Thomas locis ſtatim citandis. S. Bonauentura in 1. diſt. 14. art. 2. quæſt. 1. qua tota oſtendit Spiritum Sanctum non tantùm in effectu, ſed etiam in propria perſona, quaſi donum increatum iuſtis dari, vt ſit eorum perfecta poſſeſſio. Et tandem, vt omittam plures alios, Sancta Mater Noſtra Thereſia propria experientia edocta, eamdem tradit veritatem in lib. Manſionum cap. 1. Manſionis 7.

Præcipua autem D. Thomæ loca, quibus ipſam quoque docet, ſunt in 1. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 1. Item in 1. ad Annibaldum eadem diſt. quęſt. vnica art. 3. nec non opuſculo 4. §. *ex iam dictis*, his verbis: *Conſiderandum etiam, quod licet omnia dona ſint à Patre luminum; iſtud tamen donum, ſcilicet charitatis, omnia alia dona ſuperexcellit. Omnia enim alia ſine charitate, & Spiritu Sancto habentur: cum charitate verò neceſſario Spiritus Sanctus habetur. Apoſtolus Roman. 5. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* 1. part. quæſt. 38. art. 8 vbi oſtendit Spiritus Sancti nomen proprium eſſe donum, quia ipſe donatur omnibus iuſtis, & quæſt. 43. art. 3. vbi poſtquam dixit, quod ſecundum ſolam gratiam gratum facientem, connexamque ei charitatem mittitur, & procedit temporaliter perſona diuina ſtatim ſic addit: *Sed tamen in ipſo dono gratia gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, & inhabitat hominem. Vnde ipſemet Spiritus Sanctus datur, & mittitur.* Et in ſolutione ad 1. ſic ait: *Quod per donum gratia gratum facientis perficitur creatura rationalis, ad hoc quod libere non ſolum ipſo dono creato vtatur, ſed vt ipſa diuina perſona fruatur. Et ideo miſſio inuiſibilis fit ſecundum donum gratia gratum facientis; & tamen ipſa perſona diuina datur.* Sanctum Doctorem ſequuntur eius diſcipuli; ex alijs verò Gregorius de Valentia, Gabriel Vaſquez ibi, Cornelius à Lapide in cap. 1. Oſeæ in verſu 10. nec non Franciſcus Suarez lib. 12. de Deo Trino, & Vno cap. 5. qui indè infert, quod Spiritus Sanctus nouo modo ſecundum ſubſtātiam ſuam incipiat eſſe præſens in anima iuſti, quo antea non erat: adeoque hoc certum eſſe aſſerit, vt contrarium dicere cenſeat eſſe errorem. Vnde patet quam male nonnullis videatur paradoxum, quod Myſtici aſſerunt de hac ſubſtantiali Dei præſentia per dona gratiæ, & charitatis in vnione intima animæ iuſtæ, & perfectæ cum ipſo.

Cum autem plures ſint huius veritatis rationes, præcipuæ ſunt, quæ ſequuntur, deſumptæ ex D. Thoma locis citatis. Prima, quia, vt ait in 1. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. & 1. part. qu. 43. art. 3. miſsio diuinæ perſonæ, indeque

ſequens

ſequens vnio, dicit proceſsionem æternam illius cum reſpectu ad eum, cui fit miſſio, & vnio, eo quod prædicta perſona nouo modo in illo ſit, ipſeque nouo modo eam habeat: Sed hoc competit ipſi diuinæ perſonæ miſſæ, & vnitæ ſecundum ſe, & non tantum eius donis: ipſa namque perſona diuina habet, quod procedat æternaliter, vt ex ſe patet; & inſuper reſpectum illum, ſeu ordinem ad creaturam; ex eo quod creatura de nouo incipit referri ad eā, adhuc ſecundum ſe ſumptam, ratione noui doni in eadem creatura cauſati, & producti: quia prædicta creatura ratione donorum habet eamdem perſonam, & dona eius: illam quidem, vt id, quo frui poteſt; iſta verò, vt quibus vtitur, non verò quibus frui poſſit: & ſic talis creatura noua hac relatione refertur ad dona Spiritus Sancti, & ad Spiritum Sanctum, & ab hac eadem relatione ipſe refertur ad eamdem creaturam, vt habitus ab ea, vnituſque illi. Ipſe ergò ſecundum ſe eſt, qui mittitur, donatur, & vnitur, & non tantum illius dona, niſi, vt quo, ipſe verò, vt quod.

Altera ratio eſt, quia perſonæ diuinæ eatenus dicuntur mitti ad creaturam rationalem, eique vniri, quatenus vnaquæque earum procedit æternaliter à ſuo principio, & medijs gratiæ donis eſt in præfata creatura, tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante: prædictæ igitur perſonæ dici non debent ſolum mitti, donari, & vniri, quia donantur gratię ſanctificantis dona, verum etiam quia mittuntur, & realiter donantur, animæque vniuntur ipſæ perſonæ diuinæ, vna cum prędictis donis. Si quidem dona iſta non ſunt id, quod directè, & *vt quod* habet eſſe in anima, tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante; ſed ipſis perſonis diuinis, medijs illis, hoc conuenit: atque adeò ipſæ ſunt, quæ vna cum prædictis donis mittuntur, donantur, animæque iuſtæ vniuntur.

Quæ ratio benè, & attentè ponderata probat Deum, perſonaſue diuinas non ſolum præſentia obiectiua, & affectiua, vt omnes concedunt, ſed etiam ſecundum ſubſtantialem, & perſonalem præſentiam fieri intimè præſentes animæ iuſtæ, ad quam mittuntur, aut cui vniuntur, quod negant aliqui, multipliciterque oſtendi poteſt. *Primò*, quia licet pro præſenti ſtatu Deus, aut diuinæ perſonæ non ſint realiter per ſeipſas intellectui iuſtorum præſentes, ſed obiectiuè tantum, ſeu tanquam cognitum in cognoſcente per ſpeciem, & in ænigmate, ea tamen cognitione repræſentantur, quæ ſit ſufficiens ad perfectiſſimam charitatem in amore amicitiæ conſiſtentem, vtque conſequenter inſint animæ tanquam amatum in amante per hunc amorem; non ſolùm igitur erunt in ea per ſolam præſentiam obiectiuam, & affectiuam excludentem veram, realem, ac perſonalem præſentiam, ſed ſimul per hanc poſteriorem. Cum proprium ſit amoris amicitię perfectiſſimæ, qualis eſt diuina charitas ex dictis ſuperiori capite, vt ex ſe exigat vnionem inter amicos, non ſolum ſecundum affectum, ſiue per conformitatem affectuum, ſed etiam per inſeparabilem præſentiam, & coniunctionem perſonalem, quoad fieri poſſit: atque adeo amicitia perfectiſsima, maximeque ſpiritualis, & diuina, qualis eſt illa, quæ habetur per gratiam, & charitatem, ſuo iure, ac debito poſtulat intimam Dei præſentiam in homine, quē ſibi amicum conſtituit, ita vt per realem, & perſonalem præſentiam ſit intra ipſum ex vi talis amicitię; & per conſequens, licet alio titulo non eſſet, nimirum immenſitatis, intimique illapſus realiter ibidem præſens, nihilominus hic ſufficeret ad prædictam præſentiam.

Quæ probatio fundatur in doctrina D. Dionyſij cap. 4. de diuinis nominibus, vbi diſtinguens duplicem amoris vnionem ait, vnam eſſe ſecundum rem, & alteram ſecundum affectum.

Si enim hæc duplex vnio poteſt eſſe intra amoris ſphæram, neceſſe eſt, quod competat amicitiæ Dei per gratiam, & charitatem, quæ eſt perfectiſſima: ac proinde etiam ſecundum rem vnietur Deus homini iuſto ex hoc ſpeciali titulo, præter alios cæteris communes, quod eſt in gratia, & amicitia ipſius.

Similiter D. Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 10. definiens amorem, ſic ait: *Amor eſt quaſi iunctura quędam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur.* Quæ verba explicans D. Thomas 1. 2. q. 28. art. 1. ſic ait: *Quod enim dicit copulans, refertur ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor: quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad vnionem realem.* Et ibidem in ſolutione ad 2. poſtquam declarauit duo genera vnionum, quę in amore interueniunt, nempe illam, quæ eſt cauſa amoris, & vnionem affectiuam, ſtatim explicans tertium vnionis genus, quod eſt effectus huius ſecundę vnionis, quoad fieri poteſt, ita ait: *Quædam verò vnio eſt effectus amoris: & hæc eſt vnio realis, quam amans quærit de re amata. Et hæc quidem vnio eſt ſecundum conuenientiam amoris. Vt enim Philoſophus dicit 2. Polit. Ariſtophanes dixit, quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri vnum. Sed quia ex hoc accideret, aut ambos aut alterum corrumpi, quærunt vnionem, quæ conuenit, & decet: vt ſcilicet ſimul conuerſentur, & ſimul colloquantur, & in alijs huiuſmodi coniungantur.* Igitur cũ amor charitatis, qui eſt perfectiſſima vnio ſecundum affectum, ſit effectus perfectiſſimę, & efficaciſſimæ voluntatis, nimirum diuinæ, infundentis gratiam, & charitatem, oportebit, vt quo ad fieri poſſit, & decet, habeat etiam pro effectu hanc vltimam vnionem, nempe realem, inter creaturam amantem, & Deum amatum. Quam ipſi nõ repugnare ſatis patet ex illa eadem, quam alias habet ratione immenſitatis, aut intimi illapſus. Indeque primò apparet, quam rectè ſequatur ex eo, quod Deus eſt in creatura rationali mediante gratia, & charitate, tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante per modum obiecti primarij, ſeu per ſe primò dilecti, per prædictum amorem perfectiſſimæ amicitiæ, quod non ſolum debent eſſe in illa prædicta dona creata, quibus reddimur amici Dei, verum etiam ipſum Deum, ipſaſque perſonas miſſas debere eſſe realiter, ac perſonaliter præſentes prędictę creaturę; ea, quatenus ſic amat, veluti exigente connaturali iure, & debito hanc intimam, & realem præſentiam, & voluntatem Dei, qua ſicut efficaciter vult hanc perfectam amicitiam, ſic etiam conſequenter velit prædictam præſentiam.

Secundò hoc idem probari poteſt ex eo, quod Deus, quando eſt in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoſcente per ſupremum actum, ſiue virtutem cognoſcitiuam ſupremam, qualis eſt viſio beatifica, tunc non ſolum eſt in ea per præſentiam obiectiuam, verum etiam realem, & ſubſtantialem iam dictam: atque adeò per ſeipſum, & ſecundum ſubſtantiam debet eſſe vnitus cum intellectu perfuſo lumine gloriæ radicato in gratia ſanctificante per modum obiecti intelligibilis, & intellecti. Ergo pariter, quando eſt in eadem creatura rationali, tanquam amatum in amante per amorem perfectiſſimum, ſiue per vim perfectiſſimam ad amandum ipſum, qualis eſt amor amicitiæ, ſeu diuina charitas, debebit quoque realiter, & ſubſtantialiter eſſe præſens eidem, & vnitus ipſi, tanquam obiectum amatum amori, ſiue virtuti perfectiſſimæ ad amandum. Imò à fortiori, cum hæc vnio realis ſit magis proprius diuini amoris effectus, quam viſionis beatificæ, iſti ſiquidem tantùm conuenit ſecundum ſuam rationem ſpecificam, viſione, aut cognitione vt ſic id minime exigente, ſicut ſatis patet in cognitione fidei, aut alia quacumque ſupernaturali huius viæ, minime nos cum Deo realiter vniente;

propte-

propterea que huiuſmodi cognitio non eſt eiuſdem ſpeciei athomæ cum viſione beatifica. At verò competit amori præſertim amicitiæ ſecundum ſe, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt.28.art.1. ad 2. *Effectus amoris eſt vnio realis, quam amans quærit de re amata*. Igitur cum charitas viæ, & charitas patriæ ſint eiuſdem ſpeciei athomæ eſſentialiter, ex eo quod vtrobique tendit in Deum, vt eſt ſummum bonum, & ſumme dilectum prout eſt in ſeipſo, ſicut in patria, ex eo quod Deus ſit in beato, tanquam amatum in amante, per gratiam, & charitatem, arguimus, illum non eſſe in eo præcisè per præſentiam pure affectiuam, ſeu præcisè per inclinationem charitatis in ipſum, ſed etiã per realem, & ſubſtantialem præſentiam, idem quoque affirmare debemus de anima iuſta in via, quoties Deus in illa fuerit, tanquam amatum in amante per amorem, aut vim iam dictam ad amandum ipſum.

Tertiò tandem hoc veluti à ſigno oſtendi poteſt, quia dum amatur Deus ab anima iuſta per amorem diuinæ charitatis, ſicque eſt in illa tanquam amatus in amante, ipſa quieſcit. Quemadmodum enim amor creatus, non quieſcit, niſi bonum, quod amat, realiter poſſideat, quoad fieri poteſt, & decet, taliſque poſſeſſionis manifeſtum eſt argumentum, aut indicium, quies appetitus, iuxta naturam illius boni, abſolutè enim nullus amor creaturæ ſufficit, pleneque ſatiare poteſt veluti infinitam voluntatis capacitatem: Ita ſimiliter quod anima iuſta quieſcat, ſatieturque diligendo Deum ſuper omnia, ſignum eſt ſatis clarum, quod per talem amorem ipſe poſſideatur ab ea ſecundum veram, & realem, ac ſubſtantialem præſentiam; quamuis non ſit in ea ſecundum omnem, eumque perfectiſsimum modum, quo ipſamet clarè viſus eſt in illa per modum cogniti in cognoſcente; quod parum intereſt, eum nihil impediat, quin charitas viæ ſit eiuſdem prorſus ſpeciei cum charitate patriæ, quinque in via poſſit eſſe nonnunquam intenſior, quã futura ſit in patria, vt volunt aliqui in eo, qui reſurgens à peccato moreretur cum actu charitatis magis remiſſo, quam ante habuiſſet.

Quia autem huic rationi non mediocrem vim, & lucem afferunt verba Diui Thomæ opuſculo 4. §. *Sic ergo*, placet illa referre, & his iſtud caput claudere: *Nullus*, inquit, *verè gaudium habet, niſi exiſtens in charitate. Quicumque enim aliquid deſiderat, non gaudet, nec lætatur, nec quietatur, donec illud adipiſcatur. Et accidit in rebus temporalibus, quod non habitum appetatur, & habitum deſpiciatur, & tædium generet. Sed non ſic eſt in ſpiritualibus. imo qui Deum diligit habet ipſum: & ideo animus diligentis, & deſiderantis quietatur in eo. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, vt dicitur* 1. *Ioann.* 4. *Item efficit pacem perfectam. Accidit enim in rebus temporalibus, quod frequenter deſiderantur; ſed ipſis habitis, adhuc animus deſiderantis non quieſcit; imo vno habito, aliud appetit. Iſaiæ* 57 *Cor autem impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Item ibidem. Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Sed non ſic accidit in charitate circa Deum. Qui enim diligit Deum, pacem perfectam habet Pſalm.* 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalũ. Et hoc ideo eſt: quia ſolus Deus ſufficit ad implendum deſiderium noſtrum: Deus enim maior eſt corde noſtro, ſicut dicit Apoſtolus. Et ideo dicit Auguſtinus in* 1. *Confeſſ. Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Hęc ſunt maximè, quæ ſi veritatem intentam apertè non demonſtrant, illam tamen ſummè probabilem reddunt; quiaque ex illis facile ſolui poſſunt, quę contra illam obijciuntur, illis propterea adducendis ſuperſedeo.

CAPVT VI.

De amore vnitiuo, ſeu charitate perfectorum ex verbis Chriſti Domini.

CHriſtus Dominus Matth.22. 37. ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua; & ex tota mente tua*. Lucæ 10.27. addit, *& ex omnibus viribus tuis*, & Marci 12. 30. *ex tota virtute tua*. Deuteronomij verò 6. 5. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tuà, & ex tota fortitudine tua*. Quibus omnibus verbis nonnulli putant maioris duntaxat explicationis, & emphaſis gratia ſignificari vnum tantum, communeque omnibus, & ad ſalutem neceſſarium præceptum diligendi Deum ſuper omnia appretiariuè, hoc eſt amicitiam illius præferendo omnibus bonis: & omnia mala poſtponendo offenſæ illius.

At licet verum ſit, hoc dilectionis præcepto id potiſsimum intendi, ſignificarique illis primis verbis *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; non incongruè tamen dici poteſt, ſubſequentia ſumi debere, vt ab illis condiſtincta, eaque indicare diuinæ inſuper dilectionis heroicitatem, ſeu ſummam perfectionem in hac quidem vita inchoatę; in altera verò conſummatè. Ita vt iuxta tot dictorum verborum particulas, ſex ſint veluti eius gradus.

Primus, iſque omnium aliarum fundamentum, & in quo veluti implicitè continentur, ſignificatus hac particula *ex toto corde tuo*, eſt, diligere Deum tanquam finem noſtrum vltimum, & ſummum bonum, omnia ad eum ordinata charitate referendo, & nihil contra eum inordinatè admittendo: dicitur contra eum, quod eſſet peccare mortaliter, noſtramque cum Deo diſſolueret amicitiam, ac deſtrueret charitatem; non autem præter, quod eſſet tantum veniale peccatum, cum diuina amicitia, & charitate abſolutè compoſſibile; & habitualem non impedit ad vltimum finem ordinationem. Sic enim, ſeu primo hoc dilectionis gradu, toties à Chriſto Domino, tamque efficacibus verbis cõmendatum eius præceptum adimpletur; cum diceret Ioan. 15. 10. cap. 14. 15. & 21. 24. *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et ſi diligitis me, mandata mea ſeruate. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. Et qui non diligit me, ſermones meos non ſeruabit*. Imo ex hoc quod ita adimpleatur, huiuſmodi dilectio in hoc etiam ſuo primo gradu dici poteſt perfecta, iuxta illud 1. Ioann. 2. *Qui autem ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*.

Secundus gradus dilectionis Dei hac particula ſignificatus, *ex tota anima tua*, eſt, eum ita diligere, tamque vehementer, vt inde ſæpius expreſsè de vita pro eius gloria, pro fidei propagatione, pro ſalute animarum effundenda, magno cum affectu, & deſiderio cogitemus. Fieri enim poteſt, vt toto corde, id eſt toto impetu noſtræ voluntatis, hic enim per cor intelligitur voluntas, quatenus ſicut cor eſt initium motus, & fons vitæ animalis, ac ſenſualis, ita voluntas eſt initium vitæ rationalis, & ſpiritualis, fieri, inquam, poteſt vt toto corde, id eſt toto impetu noſtræ voluntatis, intentione rectiſſima in Deum tanquam in finem vltimum feramur, & ad illum omnia implicitè referamus; nondum tamen de vita, & ſanguine pro eius amore fundendo expreſsè, ſiue explicitè cogitemus; quare ad hunc ſecundum gradum ſignificandum additur, *ex tota anima tua*. Per animam enim ſæpiſſimè in diuinis Scripturis vitam eſſe ſignificatam, manifeſta res eſt. Vnde Sanctus Paulus, qui hunc dilectionis gradum perfectè fuerat aſſecutus, cum Hieroſolymam ad magna vitæ diſcrimina profi-

proficiſceretur, ait Act. 20. 24. *Nihil horum vereor, nec facio animam meam*, id eſt vitam meam, *pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meū, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei.*

Etſi enim neceſſarium ſit ad veram Chriſti dilectionem,& Dei charitatem, etiam in primo, vel minimo gradu obtinendam, animo ſic eſſe paratum, vt, ſicut ait Diuus Auguſtinus tract.51. in Ioannem explicans illa verba Chriſti Domini, *Qui amat animam ſuam,perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam* Ioann.12. *cum cauſa articulus venerit, in quo hæc conditio proponatur, aut faciendum eſse contra Dei præceptū, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem perſecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenſo viuere; vbi oderit in hoc mundo animam ſuam, vt in vitam æternam cuſtodiat eā.* Negari tamen non poteſt quin perfectior ſit charitatis gradus, non ſolum huiuſmodi occaſiones expectare, ſed vltro expetere, eaſque in maximo lucro repoſitas habere, ferre in votis, verſari in deſiderio, dicendo cum Apoſtolo 1. Philipp. 20. *Secundum expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem, mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mors lucrum.*

Tertius gradus hac particula ſignificatus, *& ex tota mente tua*, eſt diligere Deum ſecundum partem animæ ſuperiorem, quam nomine mentis, vel etiam ſpiritus appellari plura teſtantur Scripturæ loca; cuius cum tres præcipuæ ſint partes memoria, intellectus, & voluntas, Deum tota mente diligere, nihil aliud eſt, niſi in parte noſtra ſpirituali quoddam veluti immateriale templum Deo conſtituere, & conſecrare, triplici veluti diſtinctum ordine, memoria Deum,ac diuina ſemper ſuggerente, intellectu aſſidue cæleſtia cogitante, voluntate ad hæc ipſa identidem ardenter anhelante, & ſuſpirante; quæ verò his contraria caro, & ſanguis ingeſſerit, prima ſtatim animaduerſione reijciente. Quod ſatis patet competere non poſſe niſi altiori charitatis gradui, perfectorum in Via Vnitiua maximè proprio.

Quartus eiuſdem gradus hac indicatus particula, *ex omnibus viribus tuis*, eſt diligere Deum non ſolum ſecundum partem animæ ſuperiorem,ſeu facultates, & potentias eius ſpirituales intellectus, & voluntatis; verum etiam ſecundum partem eiuſdem inferiorem, ita vt appetitus ſenſitiuus iraſcibilis, & concupiſcibilis, omnes ſenſus interiores, & exteriores ſub imperio charitatis ſint Deo ſubditi, inque nihil ferantur, quod non ſit conforme legi diuinæ.

Quintus gradus, hac particula expreſſus, *ex tota virtute tua*, eſt diligere Deum ſuper omnia non ſolùm appretiatiuè, verum etiam intenſiuè, ſiue ſummo illo, quo poſſumus conatu. Vires enim, & virtus ad præſens inſtitutum diſtinguuntur, quod per vires, facultates, & potentiæ animæ noſtræ accipiantur, vt ſtatim diximus, per virtutem autem applicatio, & conatus earumdem potentiarum. Vnde Deum tota virtute diligere,nihil aliud eſt, quam ſummo illo conatu, quo poſſumus, & applicatione totali, non ſolum potentiæ, ſed etiam ipſiuſmet charitatis, & ex imperio illius cæterarum virtutum; ex quibus poſſumus, & remiſsè, & ad æqualitatem habituū ipſarum, & intensè, vt volumus, cum auxilio diuinæ gratiæ operari. Quare cum aliud non poteſt conſequi dæmon in perfectis, ſaltem hos conatus in ipſis varijs modis tentat impedire; ſed fruſtra, ijs probè ſcientibus, plus valere apud Deum vnum actum valdè intenſum, quam plures tepidos, & remiſſos.

Sextus tandem, & vltimus dilectionis gradus hac particula ſignificatus, *& ex tota fortitudine tua*, eſt diligere Deum, vſque ad grauia quæque pro eo ſuſtinenda; iuxta Diuum Thomam opuſc. 61. de dilectione cap. 23. diſtinguentem virtutem à fortitudine; *quia virtus*, inquit, *eſt ſummus conatus virium noſtrarum ad agendum, fortitudo verò ſummus conatus ad ſuſtinendum*. Nec mirum, ſi enim argumentum veræ dilectionis, exhibitio eſt operis, & ibi conſequenter magna dilectio eſſe deprehenditur, vbi magna pro dilecto aliquis operatur; multo adhuc maior eſſe ſignificabitur, ſi pro eodem dilecto grauia quæque amauerit ſuſtinere. Vt Chriſtus Dominus ſuo exemplo, & authoritate nos docuit, dicens Ioann. 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligetis inuicem, ſicut dilexi vos; maiorẽ hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Tum inſignis eius imitator D. Paulus Apoſtolus Roman. 8. vbi de hoc gradu dilectionis ſine dubio loquens ait: *Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? &c.* Quamobrem D. Chriſoſtomus homil. 6. de paſſ. Domini priora Chriſti verba exponens ait: *Præſtet quis beneficia, largiatur dona, ſit benefactor in proſperis, diligas obſequentes: nunquid illi poterit comparari, qui in ſe ſuorum ſuſcipit neceſſitates? qui ſe periculis pro illis exponit? corpus obiectat morti, vt illos neci ſubtrahat, illos reſeruet ad vitam. Aduerſis probatur amor, affectio penſatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte charitas perfecta declaratur.*

CAPVT VII.

De amore vnitiuo, ſeu charitate perfectorum propria in ordine ad fugiendum malum, & faciendum bonum.

CVm duæ ſint iuſtitiæ Chriſtianæ partes, prima declinare à malo, altera facere bonum; breuiter ex ſæpius iam inſinuatis, explicabimus quæ per ordinem ad illas ſunt maximè propria amoris vnitiui, ſeu charitatis perfectorum.

Igitur quoad primam partem, ſeu ad fugam mali, charitas in perfectis non ſolum peccata mortalia, vt in Incipientibus, non ſolum venialia deliberata, vt in Proficientibus, verum etiam iſta ex ſubreptione commiſſa, quantum fieri poteſt, excludit. Dicitur quantum fieri poteſt, quia, vt iam multoties diximus ſupra, nullus quantumuis perfectus, ſine ſpeciali Dei, gratiæque eius priuilegio, nulli alteri puræ creaturæ, quod ſciatur huc vſque conceſſo, niſi Beatiſſimæ Virgini Mariæ, vitare poteſt omnia prorſus peccata venialia.

Quod cum ita ſit, vt magis appareat, quanta ſit in charitate perfectio, huius mali fuga, breuiter explicandũ eſt, quæ ſint peccati venialis damna, ſiue quomodo, aut in quo diminuat habitum charitatis. Pro quo notandum eſt, duo debere diſtingui in prædicto habitu, nimirum entitatem eius, tum feruorem, tàm intrinſecum, qui eſt idem, ac eius intenſio, quam extrinſecum, qui eſt promptitudo quædam, & applicatio eiuſdem ad ordinandum in finem illam materiam, circa quam peccatur venialiter. Iterum aduertendum eſt hanc diminutionem charitatis, feruoriſque eius, vel cuiuſcũque habitus ſupernaturalis fieri poſſe, vel ex ſubſtractione cauſæ influentis, vel ex indiſpoſitione cauſæ ſuſcipientis; ſicut è contra ex meliori diſpoſi-

diſpoſitione ſubiecti fit augmentum charitatis. De primo modo non agimus hic, cum certum ſit poſſe Deum diminuere habitum charitatis per ſubſtractionem influxus, ſicut & totaliter deſtruere; ſicut etiam conſtat, quod de facto Deus ſine culpa hominis non tollit aliquid de habitu ſupernaturali, quia ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei, vt dicitur Roman. 11. Quare tota difficultas eſt de ſecundo, quomodo ſcilicet, vel in quo diminuatur per peccatum veniale.

Sic primum dico, peccatum veniale quodcumque manens intra limites peccati venialis, non minuere charitatem, nec quo ad entitatem, nec quo ad feruorem eius intrinſecum. In hoc conueniunt omnes Theologi, certiſſimòque tenendum eſt. Cuius rationem à priori reddit D. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 10. quia charitas, nec effectiuè, id eſt phyſicè, nec demeritoriè, & moraliter poteſt minui per peccatum veniale; ergo nullo modo, quia non datur, nec eſt poſſibilis alius. Antecedens probatur quoad primam partem; nam charitas eſt ordinatiua circa finẽ vltimum, qui eſt Deus; peccatum autem veniale ab illo non deordinat, nec priuationem rectitudinis eius inducit, ſic enim eſſet mortale; cum igitur non ſint circa idem, conſequenter phyſicè non oppununtur; ſicut priuatio viſus non opponitur auditui. Demeritoriè etiam non minuit, quæ eſt altera pars antecedentis; quoniam qui delinquit in minori, non meretur pati detrimentum in maiori; ſic enim non eſſet proportio inter demeritum, & pœnam, magiſque Deus ſe auerteret ab homine, quam homo à Deo; ſed peccatum veniale nullo modo auertit à fine vltimo, quamuis præter illum inordinatè aliquid admittat; nullo igitur modo meretur homo per illud pati detrimẽtum in habitu ordinante circa finem, qualis eſt charitas.

Secunda ratio veluti à poſteriori eſt, quia ſi peccatum veniale minueret charitatem, aut aliquid intrinſecum illius, tandem corrumperet illam, atque adeo ſine peccato mortali poſſet homo amittere gratiam, & conſequenter gloriam; cuius oppoſitum ſupponitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. docente, *ob peccata venialia, in qua cadunt Sancti, non deſinere eſſe iuſtos*.

Dico ſecundò, peccatum veniale, præſertim deliberatum minuere feruorem extrinſecum charitatis, ſeu impedire promptitudinem, & applicationem illius ad ordinandum in finem illam materiam, circa quam venialiter delinquitur; vndè macula venialis non importat priuationem corrumpentem formam habitus, ſed impedientem ſolum applicationem eius, vt ait Diuus Thomas 1. 2. q. 89. art. 1. & 3. p. q. 87. art. 2. & 3. idque declarat exemplo candoris, & pulchritudinis, quæ maculari poteſt, vel per priuationem corrumpentem aliquid candoris, vel decoris, vel per extrinſecam appoſitionem alicuius impedimenti, ex. grat. luti, vel pulueris impedientis ne candor appareat. Sicque peccatum veniale non opponitur feruori intrinſeco charitatis, ſed extrinſeco, quatenus per adheſionem inordinatam talis peccati ad aliquid temporale impeditur charitas exercere circa illam materiã ordinem in finem actualiter, & virtualiter. Quemadmodum enim ex D. Thoma 2. 2. q. 82. art. 5. Deuotio eſt quædam promptitudo, quæ conſiſtit in motione, & applicatione debita voluntatis ad cultum diuinum; ſic quoque diuina charitas cum moueat omnes actus, & virtutes ad finem, debet habere promptitudinem ad applicandum, & mouendum omnem materiam ad finem, ita vt ſi in hac applicatione impediatur propter aliquem affectum inordinatum circa aliquam materiam, dicatur minui feruor illius quantum ad promptitudinem applicationis, non verò quantum ad intenſionem habitus. Quem affectum inordinatum

dinatum, quia poteſt homo habitualiter retinere, non retractando illum, idcirco dicitur minuere feruorem habitualiter, quia habitualiter impedit applicationem circa aliquam materiã, ſicut qui ligatur brachio habitualiter mouere illud non poteſt, quandiu eſt ligatus, licet nihil prorſus amittat de virtute motiua intrinſeca.

Quare dico tertiò perfectionem, vel heroicitatem charitatis in perfectis, quoad fugam mali, quæ eſt prima pars iuſtitiæ Chriſtianæ, conſiſtere in hoc, quod fugiendo venialia non ſolum deliberatè, ſed etiam, quantum poſſunt, ex ſubreptione commiſſa, maneat eorum charitas magis ſemper expedita, & prompta ad rectam applicationem, & ordinationem in vltimum finem cuiuſcumque ferè materiæ, vel obiecti.

Dico quartò eiuſdem perfectionem in ordine ad faciendum bonum, quæ eſt altera iuſtitiæ pars, in hoc potiſſimum eſse ſitam, quod ipſa, tum cæteræ ex impetio ipſius virtutes heroicos actus, heroicè bona præſtent opera. Cum enim talis operandi modus, ſiue heroicum virtutum exercitium ſit, vt iam ſuo loco diximus & explicuimus ſupra, maximè proprium Viæ Vnitiuæ perfectorum, eiuſque veluti diſtinctiuum, non poteſt etiam non conſiſtere perfectio charitatis eorumdem propriæ, in ordine ad faciendum bonum in dicto exercitio. Neque hoc habet maiorem difficultatem ſuppoſitis iam dictis ſect. 3. cap. 8. & 9. nec non ſect. 4. cap. 1. & ſect. 5. cap. 3.

CAPVT VIII.

De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogicè ad charitatem Sponſæ in Cantico Canticorum.

QVam certum eſt in Cantico Canticorum Sponſi & Sponſæ nominibus intelligi à Salomone Deũ, aut Chriſtum, & animam fidelem, non quamlibet, aut peccatricem, ſed iuſtã, imo perfectioni ſtudentem, diuinoque amore flagrantem: tam quoque pro certo habendum eſt, in eo deſcribi eiuſdem diuini amoris naturam, vires, gradus, & proprietates; atque adeo mirum non eſt, quod inde Theologi Myſtici tam frequenter ſoleant illum explicare, quamuis non eodem ſenſu omnes.

Aliqui enim exiſtimant ſermonem tantum in libro Canticorum haberi de anima iam perfecta, & conſequenter de eadem charitate ipſius propria. Cui ſententiæ fauet, quod ait Caſſianus collat. 3. cap. 6. *Tribus* ſcilicet *abrenuntiationibus propriè tres libros Salomonis aptari. Nam prouerbia primæ abrenuntiationi conueniunt, quibus concupiſcentiæ carnalium rerum, ac terrena vitia reſecantur.* Quod eſt Incipientium proprium. *Secundæ abrenuntiationi Eccleſiaſtes, vbi vniuerſa quæ aguntur ſub Sole, Vanitas pronuntiantur.* Quod pertinet ad Proficientes. Tertiæ Canticum Canticorum, in quo mens viſibilia cuncta tranſcendens, verbo iam Dei, cæleſtium rerum contemplatione, coniungitur. Quod maximè perfectos tangit. Vndè ait Diuus Bernardus ſer. 85. in Cant. *Quam videris*, nimirum animam, *relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe regere, de verbo concipere, quod pariat Verbo, quæ poſſit dicere: mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, hanc puta coniugem, Verboque maritatam.*

Inſuper cum ſola anima perfecta mereatur per excellentiam nomen Sponſæ, quod ipſi tribuitur; quocirca cap. 6. 7. dicitur: *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Nõ leue quoq; eſt argumentum, in libro Canticorum agi duntaxat de anima perfecta, & conſequenter de charitate ipſius propria, ſicque omnia, quæ de illa dicuntur, pertinere ad quamdam maiorem

ſorem huius virtutis perfectionem, vel heroicitatem. De quo videri poſſunt Sacri Interpretes; ſicut, & quilibet pro modulo ſuo poteſt quoque illa applicare.

Verum alij nomine Sponſæ largo quodam modo quamque animam iuſtam ad apicem perfectionis tendentem intelligentes, treſque eius ſtatus, vel gradus diſtinguentes Incipientiū, Proficientium, & Perfectorum, tres pariter charitatis gradus vnicuique ſtatui correſpondentes in Canticorum libro deſcribi putant, omniumque perfectiſſimum, aliorum veluti faſtigium, & complementum ſymbolicis illis verbis ſignificari, & exprimi c.8.6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Quibus ſanè verbis comprehenduntur ſex veluti conditiones perfectionem, ac heroicitatem diuinæ charitatis componentes perfectorum maximè propriæ.

Prima eſt quod ſit *aſſimilatiua*, quæque propterea non poteſt accommodatiori ſimilitudine declarari, quam ſignaculi, ſiue ſigilli, & materiæ, cui debet imprimi ſigillum. Nam quemadmodum illius tractabilis materiæ propria forma, atque perfectio in eo conſiſtit, vt ſigillo per omnia cohæreat, eique iuxta omnia, & ſingula lineamenta, quantum fieri poteſt, aſſimiletur: ita perfectæ in Deum charitatis proprium munus, & officium eſt, vt vbi cor humanum, totamque animam ſecundum omnem eius virtutem reddiderit quaſi liquefactam ceram, tractabilem, atque flexibilem, tunc per intimam affectus coniunctionem, & voluntatis omnimodam conformitatem, diuinam illi ſimilitudinem imprimat, & quantum homini fas eſt, diuinas in ſe referre perfectiones, quodammodo deificatam efficiat. Dicitur autem primò hoc ſignaculum ſimilitudinis ponendum eſſe ſuper cor, quia proprium eſt amoris vnionem, & conformitatem facere voluntarum per cor ſignificatarum. Deindè additur ſuper *brachium tuum*, vt eiuſdem operatio deſignetur ex D. Gregorio in Cant. *Super cor*, inquit, *& ſuper brachium Sponſa dilectus, vt ſignaculum ponitur: quia in ſancta anima, quantum ab ea diligatur, & voluntate, & actione deſignatur. Signum quippè ſancta mens interius, & exterius Chriſtum portat, quia dum eius meditationibus aſſiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non ceſſat, quo eius dilecta eſſe dubitari non debeat. De quo ſigno ipſe Sponſus ſuis diſcipulis aiebat: in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.*

Secunda conditio vnitiuæ charitatis eſt, quod ſit mortificatiua, his verbis expreſſa, *fortis eſt, vt mors dilectio.* Vt igitur primum in eo mortis ſita eſt fortitudo, vt vinculum in viuentibus omnium maximum, atque firmiſſimum animæ, & corporis ſola ipſa diſſoluat; aliter tamen in brutis, quàm in rationalibus animantibus: in brutis ſi quidem non vnionem ſolum, ſed etiam vtrumque vnionis terminum, hoc eſt ambas cōpoſiti partes planè corrumpit; ſed in viuentibus rationalibus, tantum quod materiale eſt, atque corporeum; quod vero eſt ſpirituale manet incorruptum, atque immortale. Ita quoque eſt fortis vt mors perfecta dilectio, quia quidquid in homine eſt terrenum, & ſenſuale mortificat, quidquid autem eſt rationale, & ſpirituale in libertatē vendicat, & quaſi à mundi vinculis expeditum, atque abſolutum, ad meliora perducit; vt explicat D.Gregorius: *Benè fortis, vt mors dilectio eſſe perhibetur; quia dum per dilectionem à vitijs mortificamur, quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio*

ctio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli, qui ſic diligunt Deum, vt omnia viſibilia negligant, & dum in æterna mente tendunt, ad omnia temporalia pene inſenſibiles fiunt. In his nimirum vt mors dilectio fortis exiſtit, quia ſicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio, & naturali appetitu interficit; ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere, mentem alijs intentam compellit. Huiuſmodi mortuis & viuis dicebat Apoſtolus. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, Coloſſ.3.

Secundo fortis eſt, vt mors dilectio perfecta, quia ſicut morti nihil reſiſtit, ſic nec charitati; aut ſicut mors nunquam frangitur, nunquam quieſcit, donec omnium mortalium vitas ſuo ſubegerit imperio; ſic & dilectio non ceſſat, donec omnia ſibi aduerſantia deuicerit. Nam vt ait D. Chriſoſtomus homil.1. ad Philipp. *Adeo violentus eſt amor, atque vt ita dicam, tyrannicus; vt nulli cedat occaſioni, ſed continenter inhæreat amantis animo, neque committat, vt vlla afflictio, aut vllus dolor ſuperet animum.* Vel etiam tertio quia in hac vita eſt vſque ad mortem menſura charitatis. Quas tres adducit rationes, vel cauſas huius metaphoræ D. Auguſtinus epiſt. 39. ad S. Hieronymum. Meritò, inquit, charitas dicta eſt ſicut mors, ſiue quia nemo eam vincit, ſicut mortem: ſiue quia in hac vita eſt vſque ad mortem menſura charitatis, ſicut Dominus ait: Maiorem charitatem nemo habet, quã vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: ſiue potius, quia ſicut mors animam auellit à ſenſibus carnis; ſic charitas à concupiſcentijs carnalibus.

Quartò denique fortis eſt, vt mors dilectio, quia eo deuenit perfectionis aliquando, vt faciat animam piam optare mortem pro Chriſto, vti legitur de pluribus Sanctis Martyribus, & alijs; imo & ipſam cauſat mortem naturalem. Sic refertur de Ioanne Gerſone Cancellario Vniuerſitatis Pariſienſis, viro, ſi quis fuit, verè Myſtico, quod cum anno ætatis 66. triduo ante mortem Canticum expoſuiſſet de amore, quo anima pia ardet erga Deum, identidem repetens hæc verba, fortis eſt, vt mors dilectio, illis immortuus fuerit. Et de S. Matre Noſtra Thereſia habetur in eius lectionibus, *quod intolerabili diuini amoris incendio potius, quam vi morbi; ſub columba ſpecie puriſſimam animam Deo reddidit.*

Tertia conditio vnitiuæ charitatis, in illis verbis contenta, *dura ſicut infernus æmulatio*, multiplicem ſuſcipit denominationem, prout infernus multipliciter etiam ſumi poteſt. Nam ſi nomine inferni ſepulchrum intelligatur, ſicut aliàs in Scripturai ſub illo ſignificatur exceſſus amoris, ſecundum quem ab effectu annihilatiuus vehementiori, quam mortificationis, annihilatiua dicitur. Nam ſicut ſolet ſepulchrum mortuos in ſe recipere, & non ſolùm circumiacentia veſtimenta, ſed etiam pellem, & carnem, & oſſa ſic abſumere, vt in modicos cineres omnia redigendo, quaſi annihilare videatur. Ita quoque diuina charitas ſemper meliorum chariſmatum æmulatrix, vbi animam à cruce mortificationis ad hunc gradum veluti ad ſepulchrum annihilationis adduxerit, ſic eius affectum erga creata attenuat, & conſumit; vt nihil amplius præter Deum, quod cogitet, quod velit, quod appetat, neque ipſamet ſibi & caro, & anima ſupereſſe videatur: ſed cogitur dicere cum Regio Propheta Pſal. 72. 26. *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*; & cum Paulo Apoſtolo Galat. 2. 20. Philipp. 1. 21. *Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Chriſtus: Et mihi viuere Chriſtus eſt.* De quo amoris gradu, vel exceſſu loquitur S. Bernardus dum ait lib. de diligendo Deo: *O amor ſanctus, & caſtus, ò dulcis, & ſuauis affectio, ò pura intentio voluntatis, eò certè purior, quò in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur, eò ſuauior, &*

dulcior, quo totum diuinum eſt, quod ſentitur.

Si autem nomine inferni intelligatur verus infernus, quatenus vt aliàs notauimus ſymbola, aut metaphoræ deſumi etiam poſſunt ex rebus malis ſecundum aliquam earum proprietatem ad ſignificandum bonas, per illum denotatur ea charitatis perfectio ſecundum quam in amando eſt tenaciſſima, inexplebilis, & inſatiabilis. Sicut enim infernus, ait Caſſiodorus, quos ſemel receperit, nunquam dimittit: ſic & ſolida dilectio, & zelus animam quam poſſidet ex ſe non deſerit; iuxta illud Apoſtoli Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Item ſicut infernus eſt inſatiabilis, indeque vocatur Hebraicè *Scheol*, id eſt poſtulans, quod ſemper animas poſtulet, nec vnquam impleatur, dicatque ſufficit Prouerb. 30. 16. Sic pariter charitas eſt inſaturabilis; nam quo magis amat Deum, & Chriſtum, eò amplius, & amplius diligere cupit; ac cum multas ei animas lucratur, eo plures & plures lucrari conatur. Vel tandem ſicut infernus ſuis, quos ſinu ſuo continet, non parcit; ſic nec verè, & perfectè amans parcit ſuis rebus, ſibique ipſi, vt ait Ambroſius ſerm. 15. in pſal. 118. Imo charitas compulit multos Sanctorum optare ſibi mortem, & inferni pœnas, vt ex eo animas liberarent. Ita Moyſes optabat deleri de libro vitæ Exod. 32. & D. Paulus anathema Chriſto fieri pro Iudæis Rom. 9. 1. S. Chriſtina mirabiles ſubibat pœnas inferni, id eſt purgatorij, vt animas ex eo eriperet; quo circa in aquas gelidas, in rotas, in fornaces ardentes ſe ſe inijciebat, & excruciabat, vt refert Cardinalis Vitriacenſis in eius vita; & S. Catharina Senenſis, vt alios omittam, deſiderabat corpore ſuo obſtruere os inferni, ne qua anima amplius in illum ingredi poſſet.

Quarta conditio perfectæ charitatis, his ſignificata verbis, *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, eſt, quod nunquam quieſcat, ſiue ſit inquieta, inſtar ignis, & flammarum nunquam quieſcentium, ſed ſemper ardentium, lambentium, adurentium, & incendentium omnia; vndè Chriſtus ait Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur.* Et Diuus Chriſoſtomus homil. 2. & 3. in Act. attenta hac charitatis perfectione, vel gradu in D. Paulo, ait ipſum igneis charitatis alis quaſi fulgur, ac pennatum orbem peruolaſſe, & incendiſſe.

Quinta conditio eſt, quod ſit inſuperabilis, denotaturque his verbis: *Aquæ multæ nō poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quatenus ſicut adeo fortis fuit amor Chriſti erga nos, vt nullæ aquæ, ſeu torrentes, vel flumina perſecutionum, tormentorum, dolorum, ærumnarum, contradictionum, ingratitudinum, blaſphemiarum, aliarumque ſimilium, potuerint eum extinguere, vel ſopire; imo potius hiſce aquis, quaſi per antiperiſtaſim amor Chriſti vehementius exarſit: vnde iturus ad paſſionem, Euchariſtiam quaſi pignus inſuperabilis amoris inſtituit, iuxta illud Ioann. 13. *Cum ſuos dilexiſſet, qui erant in mundo, vſque in finem dilexit eos.* Quin, & in ipſa cruce pro crucifixoribus cū lachrymis orauit: ita perfecta charitas, vel anima illa informata eamdem Chriſto reddit vicem, vt nullis tentationibus, nullis terroribus, nullis promiſſis, nullis tormentis, nullis voluptatibus ab eius amore, vel minimum abduci ſe ſinat, ſed fortis, imo fortior, & conſtantior in omnibus euadat, indeque veluti alatur, iuxta illud.

Alit vnda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis.

Vndè ſicut per primam Deo aſſimilamur, per ſecundam verò omnibus, quę in mundo ſunt morimur, per tertiam quaſi omninò in nobiſmetipſis annihilamur, per quartam in Deo confortati, propter eum omnia velle, omnia aggredi

gredi poſſumus, ita per hanc quintam reddimur inſuperabiles, hoc eſt à charitate Dei inſeparabiles, ſicut ait Apoſtolus Roman. 8. *Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos, Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. Quæ magna quidem dicta, ſed nobis incognita,* licet aſſerat D. Ioannes Chriſoſtomus homil. 15. in epiſt. ad Roman. *hoc ipſo, quod tantam non habemus charitatem;* horum tamen per ſingula propriam rationem optimè proſequitur S. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 11. omnino videndus.

Sexta tandem, & vltima perfectæ charitatis conditio, quæ habetur his verbis, *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam,* eſt, quod ſit inexhauſta. Quemadmodum enim rectè diceretur inexhauſtus fons aquarum, vel theſaurus pecuniarum, atque gemmarum, ſi quauis copia indè ſublata, non ſolum nunquam ex toto exhauriretur, ſed perindè ſe haberet, ac ſi nihil ex eo fuiſſet acceptum. Ita & charitas perfectorum congruè vocatur inexhauſta, quando eo per antecedentes iam dictos gradus deuenit, vt licet multa, quantumlibet grandia, & operoſa illa præditus pro Deo operetur, nihil tamen ſe putat feciſſe, nihil dediſſe, deſiderio faciendi adhuc plura, atque maiora. Qualis fuit S. Ignatij Martyris charitas: dum aiebat: *Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ videntur deſiderans, vt Ieſum Chriſtum inueniam. Ignis, crux, beſtia, confractio oſſium, & cætera tormenta omnia in me veniant, tantùm Chriſto fruar.* Cum enim re vera non eſſet id tantum incipere Chriſti eſſe diſcipulus, ſed progreſſus maximos in eius altiori ſchola iam perfeciſſe, idcircò tamen ſic loquebatur, quia viri perfecti ſimul cum ardore feruentiſſimæ charitatis, ſplendorem etiam quemdã internum in anima ſua recipiunt, quo veluti amoris oculo iudicant: vt cum multa, & magna pro Deo faciant, quaſi nihil ſe facere arbitrentur, pluraque conſequenter atque maiora facere inexhauſtè deſiderant. Nam vt ait Diuus Gregorius homil. 30. in Euangelia: *Operatur amor Dei magna, ſi eſt; ſi verò operari renuit, amor non eſt.*

Alij tandem exiſtimant toto Canticorum libro quatuor veluti deſcribi amoris gradus, & ſtatus; vt *primus* ſit, actuoſæ vitæ, in quo anima affectibus nondum edomitis Deum quidem odoratur, & quaſi deguſtat, currens in odorem vnguentorum eius, non eo tamen ad arbitrium, & voluntatem ſuam fruitur. Iſque deſcribitur cap. 1. & 2. *Secundus*, vitæ contemplatricis, in quo collocatur anima iam perfectè purgata, non ſolùm ſicut in priore ſtatu, Deum aliquando complectens cõtemplationis, & amoris actu, ſed eodem continuato aliquandiu veluti poſſidens magna cum tranquillitate; ita vt fiat ſuauiſſimus lectus Pacifici Salomonis, & quaſi nuptiale ferculũ in quo Sponſus requieſcit, ac vehitur, animam in ſe quieſcentem fouens. Qui gradus amoris deſcribitur cap. 3. & 4.

Tertius amoris, & amantis ſtatus conſtatur ex actione, & contemplatione. Quatenus in eo anima, ſic iubente ſponſo, à contemplatione diuulſa, ſe conijcit in turbam, & gregem paſtoris illius, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, è ſinu Patris deſcendit in terras, quæſiturus magnis laboribus, & proprio ſanguine redempturus errantes quæque perierant ouiculas, Deſcribitur cap. 5. 6. & 7. *Quartus* tandem gradus cap. 8. deſcriptus eſt, cum anima tanto flagrat diuini amoris incendio, vt manere in carne mors illi ſit, & peregrinari à Domino alter quaſi infernus illi videatur. De quo D. Gregorius loquens lib. 2. ſuper Ezechiel. homil. 15. ſic ait: *Qui ſunt in Sancta Eccleſia thalami, niſi eorũ*

corda,

corda, in quibus animæ per amorem ſponſo inviſibili iunguntur, vt eius deſiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cœleſtis Sponſi viſione requieſcere. Mens itaque quæ iam talis eſt, nullam præſentis ſæculi conſolationem recipit, ſed ad illam, quam diligit medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipſa ſalus corporis, quia transfixa eſt vulnere amoris. De qua re vidẽdus eſt Pater Roſſignolius Societ. Ieſu lib. 4. cap. 9. de diſciplina Chriſtianæ perfectionis.

CAPVT IX.

De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogice ad Charitatem Seraphinorum.

QVia nomen Seraphim, non tantum charitatem, ſed charitatis exceſſum, & incendium amoris ſignificat, vnde Sanctus Dionyſius cap. 7. Cæleſtis Hierarch. exponit iſtud nomen ſecundum proprietates ignis, vt docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 108. art. 5. ad 5. Hinc eſt, quod charitas Perfectorum propriis melius explicari nequit, quam analogice ad Seraphicã, eiuſque gradus, vel qualitates. Igitur cum in igne tria poſſimus conſiderare, vt ait idem Sanctus Thomas. *Primo quidem, motum qui eſt ſurſum, & qui eſt continuus, per quod ſignificatur, quod Seraphim indeclinabiliter mouentur in Deum. Secundò verò, virtutem actiuam eius, quæ eſt calidum. Quod quidem non ſimpliciter inuenitur in igne, ſed cum quadam acuitate, quia maximè eſt penetratiuus in agendo, & pertingit vſque ad minima, & iterum cum quadam ſuperexcedenti feruore. Et per hoc ſignificatur actio huiuſmodi Angelorum, quã in ſubditos potenter exercens, eos in ſublimem feruorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertio conſideratur in igne claritas eius. Et hoc ſignificat, quod huiuſmodi Angeli in ſeipſis habent inextinguibilem lucem, & quod alios perfectè illuminant.* Per ordinem quoque ad hæc tria poſſumus diſtinguere in charitate Perfectorum plures gradus, vel qualitates eius maximè proprias.

Prima, & *Secunda* eſt, vt, ſicut inſtar motus ignis, qui eſt ſurſum, tanquam ad ſuum centrum, & continuus Seraphim indeclinabiliter mouentur in Deum, ita quoque anima in charitate perfecta illum ſolum quærat, vna vni, idque continuò, quantum patitur præſentis vitæ ſtatus, ſemper de illo cogitando, de illo cum alijs loquendo, & pro illo operando. Vt enim ait Diuus Gregorius, *Vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis; cum anima plus ſit vbi amat, quam vbi animat, ſuo amoris pondere fertur ad quem diligit; vndè ſi veraciter amat, inceſſanter quærit, donec inueneris, & certa inueniendi ſpe munitus totam ſeipſam occupat in inquirendo; & potius relinquet corpus quod animat, quam dimittat, quærere, quod ardenter amat; ſcit namque Domino permittente, quod qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.*

Tertia qualitas charitatis Seraphicæ, & ad eius imitationem noſtræ, *eſt*, quod ſit ſemper æſtuans, vel ardens per ſimilitudinem ad virtutem actiuã ignis, quod eſt calidum, vel ardere. Quod quia non ſimpliciter inuenitur in igne, ſed cum quadam acuitate, quia maximè eſt penetratiuus in agendo, hinc habetur *Quarta* qualitas, quartuſue gradus amoris Seraphici, quod ſit acutus, quique pertinet ad penetrationem charitatis in animam contemplatiuam, vt Dei, cui vnienda eſt, ſimilitudo in eam introducatur, vt explicat Diuus Thomas in 3. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. ad 4: cumque deſiderium dilecti, ſit diſpoſitio ad intimam cum illo vnionem, idcirco amore eam vulnerat, vt in ea huiuſmodi accendat deſideria, quibus proximè præparetur ad dictam vnionem.

Quantoque futura eſt intimior, tanto maior eſt penetratio, tantoque efficaciora vulnera. Qui effectus, vt alias diximus ex D. Thoma de Verit. q. 12. art.8. ad 2. in perfectiſſimis animabus bifariam exercetur: vno qnidem modo per immediatum Dei influxum: altero verò per miniſterium Angelorum, interdum etiam viſibile, quatenus ſingulari Dei priuilegio contingit, vt nedum talem effectum ſentiant, verum inſuper miniſtrum, à quo is producitur corporeis oculis videant. Quemadmodum Iſaias Propheta cap. 6. vidit Seraphinum caleulo ignito ſibi labia purificantem: Et Sanctus Franciſcus alterum ſibi imprimentem ſtigmata Chriſti; prout refert, & deſcribit Sanctus Bonauentura in eius legenda cap. 13. Sancta quoque Mater Thereſia tanto diuini amoris incendio conflagrauit, vt merito viderit alinm Seraphinum ignito iaculo ſibi pręcordia tranſuerberantem: & Beatus Pater Ioannes à Cruce inuadentem ſe in flamma ignis ardentiſſimi. Qnamobrem vnum è ſuis libris myſticis auſpicatus eſt his verbis: *O flamma amoris viua, quam ſuaniter vulneras in intimo centro animæ meæ.* Et ibidem Cant. 2. verſu 2. huinſmodi effectus, ſeu penetrationis, ac vulnerũ amoris præ ſua acnitate experimentalem ſic nobis tradit notitiam: *Euenit quod cum anima iſto amore flagrat, ſentiat Seraphinum aliquem, qui ſe ardentiſſimi amoris flamma aggrediens tranſfigit; & momento temporis cauterium ſibi inurit: ac interim in hac cauterij inuſtione, qua anima tranſuerberatur, celeriter erumpit flamma, & vehementi quodam impetu in ſublime aſſurgit, ad eum modum, quo in ardentiſſimo clibano, aut fornace, cum ligna commouentur, flamma protinus efferueſcit, ignisque inardeſcit; & tunc percipit anima vulnus iſtud, quo indicibili delectationis ſuauitate perfunditur. Nam cum iam tota mota ſit, quo tempore ad impetuoſam ſui ignis motionem reuoluitur (in quo vis amoris ſumma eſt, & ingens eius liquefactio vulnuſque ſubtiliſſimum) ſentit anima intimum ſpiritus transfixum eſſe, illudque experitur, quod eſt in delectatione purius, ac iucundius: quod quidem nullis verbis ſufficienter explicari poteſt: dum anima ſcilicet in immenſum amoris ignem ſe conuerſam deprehendit. Pauci ſunt qui ad tam ſublimem perfectionis gradum eleuantur: cum tamen nonnulli conſecuti fuere, ij maximè, quorum virtus, & ſpiritus deriuandus erat ad poſterorum ſucceſſionem: communicante Deo diuitias gratiæ ſuæ capiti, quæ ad membra poſtmodum tranſmitterentur.*

Quamuis autem non ſemper maius ſit, & excellentius internum amoris vulnus, quando manifeſtatur exterius; imò contingat aliquando contrarium, quod ſcilicet ex tali ad corpus redundantia, virtus eius diuidatur, vel corpus minus bene diſpoſitum deprimat animam; nihilominus vbi, parte inferiori iam rectè diſpoſita, & ſuperiori perfectè ſubdita, pars ipſa ſuperior ex abundantia delitiarum ſpiritualium, quibus intimè fruitur, aliqualem inferiori portionem iuxta eius captum communicaret, non poſſet non eſſe clarum perfectiſſimæ charitatis argumentum, & de illam habente etiam verificari, quod ait Pſalmiſta, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

Porro licet, quæ ſic amore vulneratur anima, dolorem quidem exterius ſentiat, ſummam tamen interius delectationem percipit; ita maximè Deo diſponente, ſoloqne potente hæc contraria ſimul nimirum, dolorem, & ſuauitatem ſociare. Vnde etiam anima non ſolum inflictum ſibi tale amoris vulnus plurimum facit, verùm & ſponſi manum infligentis oſculatur, toto cordis affectu laudat, eumque ad intimius feriendum inuitat. Nec immeritò, eum non ſit amplius Domini grauiter tangentis, vt olim conquerebatur Sanctus Iob, ſed potius dulciter blandientis, quique ferit, vt, veteri occiſo homi-

homine, nouum qui ſecundum ipſum creatus eſt, diuinitus viuificet.

Quinta qualitas charitatis, vel amoris Seraphici eſt, quod ſit ſuperferuidus, ſimilitudine deſumpta ab igne, qui ſua acuitate non ſolum eſt penetratiuus, & pertingens vſque ad minima, verum etiam cum quodam ſuperexcedenti feruore; ſicque ab acuto Seraphici amoris gradu, pertinente ad charitatis penetrationem, animamque diſponente, vt ſimilis Deo, cui vnitur, reddatur, ſit vlterior progreſſus ad ſuperferuidum, ſpectantem ad eiuſdem animæ transformationem in Deum. Cuius violentiam ipſum ſolum nomen ſatis teſtatur, ſiquidem, vt explicat Hugo Victorinus ſuper cap. 7. D. Dionyſii de Cæleſti Hierarchia, quemadmodum id quod feruet, quadam caloris, & incendij ſui violentia, aut impetu terminos ſuos, ac limites ſupergreditur; & ſe ſupra ſe extollendo, facit motionem magnam: ita vt licet calor latentis incendij, mouentiſque interius non videatur, perſpicue tamen ab externis motionis illius effectibus cognoſcatur, indeque efficacia, virtus, & violentia caloris, aut ignis ab oculis remoti. Ita ſimiliter amor, qui prius rerum omnium penetratione, earumq; ob dilectum intime penetratum contemptu acutus erat, ſit ſuperferuidus, & terminos ſuos excedens per transformationem in Deum; ſeu quatenus anima iam ſupra ſeipſam, & res omnes creatas erecta, & in illarum, ſuique ipſius obliuionem inducta, atque adeo ſtatus huius terreſtris conditionem, ac limites tranſcendens transformatur in Deum vt in rem amatam, ſicque ad ſpheram diuini huius ignis ſupereuolat. Ex quo amoris gradu, ſeu violenta flamma, vt aiunt myſtici, vis illa procedit amoris, qua tam frequenter multos Sanctos in Deum ita fuiſſe eleuatos legimus, vt nonniſi multo labore, ac violentia attentionem ad exteriorem poſſent reuocare. Item indè plerumque extaſes, raptus, & cæteri mentis exceſſus; nec non denique totalis temporalium, ſuique ipſius contemptus, ac ferè obliuio, vel alienatio.

Sexta tandem, & vltima charitatis Seraphinorum qualitas eſt, quod ſit luminoſa, & illuminatiua, inſtar ignis non ſolum ardentis, aut feruentis, ſed lucidi, & lucentis. Deinde cum ex Diuo Dionyſio loco ſæpius citato, ſūma charitatis Seraphinorum perfectio in eo conſiſtat, quod ſit amoris holocauſtum; quando mens ſcilicet, eo vſque diuino eius igne penetratur, taliterque in Deum transformatur, vt inſtar holocauſti iam conſummati, ſeu in carbones accenſos conuerſi, nihil amplius in ea præter ignem eſſe videatur, non poteſt quoque non eſſe luminoſiſſima huiuſmodi charitas, & eo vſque animam illuminans, vt interdum in eius ſignum, & argumentum redundet quoque talis fulgor in ipſum corpus. Sicut legitur contigiſſe multis Sanctis. Moyſi in veteri teſtamento Exod. 34. 29. vbi dicitur, quod cum deſcenderet de Monte Sinai *cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini*; non quod cornua haberet in fronte, vt ei affingit pictores, ſed ita lucida eſſet facies eius, vt radios luminis vibraret, eiuſque quaſi cornua emitteret. Vnde Chaldæus non verba, ſed ſenſum reddens ait, *quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui*; Sicque cornua hæc fuere non oſſis, ſed lucis. Diui quoque Antonij in oratione pernoctantis facies aſſiduè ſplendebat, vt ex ſola vultus luce, & lætitia, inter tot millia Monachorum dignoſceretur. Item Sanctus Franciſcus oratione feruenti ſublatus in aera non ſemel ex ſe flammas & ignes vibrare viſus eſt. Sic etiam Sanctus Philippus Nerius, & alij ſæpe viderunt S. Ignatium vultu ſupra humanum auguſto, & fulgido micantem. Eumdem denique miraculoſum effectum in B. P.N. Ioanne à Cruce nuper beatificato plurimi aduertunt, & atteſtantur, qui ad eius beatificationem fuc-

fuerunt examinati; poſtremiſque præſertim vitæ ſuæ annis, nec non in morte luminoſi iſti perfectæ charitatis effectus magis innotuerunt; vt qui nimirum per id tempus Deo amplius propinquabat, in quem erat transformatus, & proprius, maiorique abundantia ignem increatæ charitatis participabat.

At cum diuina charitas Deum principaliter, ſecundario autem proximum reſpiciat, inde non ſolum in ſe eſt luminoſa, & refulgens talemque reddit animam Deum amando, verum etiam eſt illuminatiua reſpectu proximi, quãque inde operationem in illum exercet, propterea reductiuam, & actiuam appellat Diuus Dionyſius loco citato, quem explicans Hugo Victorinus ait. *In ſuperiori enumeratione expreſſit virtutem vera dilectionis in Deum. Nunc conſequenter oſtendit eiuſdem dilectionis vim effectumque ad proximum. Motio igitur dilectionis qua illic ad ſuperiora intenta, & intima, & inflexibilis dicitur, hic ad ſuppoſita, & inferiora reductiua, & actiua exemplatiuum nominatur: Reductiua in eo quod inferiores ad Creatorem ſuum eodem igne charitatis ſuccendens conuertit. Actiua in eo quod illos accepta claritate illuſtrans ad ipſius voluntatem componit. Reductiua eſt ergo ſubiectorum, quia illos ad ſuperiora trahit: actiua quia illos in inferioribus diſponit. Reductiua vt ad Deum tendant. Actiua verò vt ſecundum Deum incedãt. Exemplatiuum, hoc eſt forma illius dilectionis, in qua exemplo ſuperiorum ſubiectis oſtenditur, quanto affectu charitatis, & ſecundum Deum incedere, & ad ipſum debeant inhiare. Congruit hic locus Superioribus, & Prælatis.* Quo circa ad hunc maximè gradum charitatis pertinet, eiuſque effectus eſt quod legitur de multis Sanctis, præſertim prælatis, ipſos ſcilicet, eos cum quibus cõuerſabantur plerumque tam efficaciter ad virtutis ſtudium adhortatos fuiſſe, tantumque robur verbis ſuis in animabus eorum cauſaſſe, vt quam virtutem ſectandam ſuaderent, etſi difficilem illico amplecterentur. Qualem fuiſſe Præfatum Beatum Patrem Ioannem à Cruce, omiſsis omnibus alijs, teſtatur S. Mater Thereſia varijs in operum ſuorum locis, præſertim verò in epiſtola ad Annam à Ieſu tunc Monaſterij Biacenſis prioriſſam, quæ cum aliquando queſta fuiſſet ad dictam S. Matrem de ſpiritualium virorum penuria, licet eo tempore Monialium cõfeſsiones dictus Pater exciperet; in hæc verba reſcripſit. *Ridicula mihi viſa fuit, filia, tua querimonia, cum illic habeas Patrem meum Ioannem à Cruce, hominem cæleſtem, planeque diuinum. Scire namque te velim, quod poſt eius diſceſſum, ſimilem ei, adeoque mouendis ad feruorem animabus efficacem alterum non inuenerim. Haud facile credideris, quantam ſolitudinem ex eius abſentia experiar. Animaduerte quæſo, quam ingentem in hoc ſancto theſaurum poſſideas; illum noueris æſtimare. Agant cum eo ſorores omnes Monaſterij, & ei conſcientias ſuas aperiant: experientur quantum exinde molumentum percipient, & quantam conſequentur perfectionem: ſingularem namque ei ad hoc Dominus gratiam communicauit.* Hactenus ibi S. Mater Thereſia de fideli ipſius in reformatione Carmeli coadiutore, quæ quoties ſermo de illo recurrit, eodem modo loquitur. Adeo mirabilis fuit illuminatiuus, ſimulque inflammatiuus Seraphinorum inſtar iſte eius influxus.

CAPVT X.

De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria analogicè ad charitatem, qua Chriſtus Patrem amauit.

QVod iam aliquoties diximus, eſtque certiſsimum, in Chriſto ſcilicet Domino non ſolum qua Deo, verum etiam qua homine perfectiſsimum haberi virtutum omnium, & ſanctitatis exemplar; ideoque præcipis

Apoſto-

Apoſtolus, vt illud ſæpe intueamur: *Aſpiciant*, inquit, *in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum* Hebr. 12. Licet enim primariusIncarnationis finis fuerit redemptio hominis, illi tamen aliquid defuiſſet, ſi ipſum Redemptoris exemplum non habuiſſet. Vndè quam vitæ rationem inijt inter homines, eam eligit, non tam vt eos redimeret, quod poterat vnica morte præſtare, quam vt in vita illa ſua communi omni hominum ſtatui virtutum omnium illuſtria præberet exempla, quibus ad finem Chriſtianæ perfectionis peruenire poſſent. Quod, inquam, ita certum eſt de omnibus virtutum generibus, multo magis id aſſerendum eſt de charitate cæterarum regina, quæque vocatur ab Apoſtolo *Vinculum perfectionis*, quam ſi provt fuit in Chriſto ſemel, quantum humana ſinit conditio, imitati fuerimus, & exercuerimus, non poterit non eſſe in nobis perfecta, & heroica etiam charitas. Cum autem plura ſint, quibus id præſtare poſſumus, præcipua duntaxat breuiter adducam.

Primum eſt illud, quo, ſicut Chriſtus Dominus pro ſua excellentiſsima charitate perfectiſsimam ſemper habuit cum Aeterno Patre voluntatis cõformitatem; vnde ait Pſalm. 39. v. 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam*. Item Pſalm. 72. v. 24. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me*. Et Ioann. 4. v. 34. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opera eius*. Ita & nos, propriam ſpoliantes voluntatem omni ſui amore, & omni alio bono, imo ſeipſis, ex Dei amore voluntatem eiuſdem induimus; vt ſit nobis vnum idemque velle, vnũ idemque nolle: cum ipſo, nec aliud quodammodo poſſe velle, niſi quod Deus vult, & poſſe nolle, niſi quod Deus non vult. In eo enim conſiſtit illa vnio animarum, quam charitas, vt pote vera cum Deo amicitia, Dei voluntati ſiue præcipienti, ſiue conſulenti, ſiue ſigni, ſiue beneplaciti, voluntatem noſtram applicando, efficit; quoniam vnum ſpiritum cum Deo facit. Cuius etiam conformationis voluntatis noſtræ cum diuina varias praxes tradunt Magiſtri ſpirituales, qui de hac materia ſcripſere; potiſsimæ ſunt. 1. cogitare nos in vitæ huius via habere inſeparabilem comitem Deum, qui nobiſcum ambulet, imo ſemper præeat, ſine quo nefas ſit, vel latum vnguem progredi. 2. noſtram voluntatem eſſe inſeparabiliter alligatam voluntati diuinæ, vt pediſſequam ſupremę Dominæ; inde enim fiet vt nolimus vnquam in vlla actione ab illius nutu recedere. 3. imaginari Deum in nobis, vt in propria domo manentem, cui cõſequenter claues propriæ voluntatis ſolenniter, & irreuocabiliter tradere debemus, vt perpetuo iure ſub eius dominio, & in poſſeſſione illi ſimus, proindeque pro ſuo nutu, ac ſola voluntate tàm interius, quàm exterius de omnibus noſtris diſponat. Vel 4. conſiderare vice verſa nos in Deo manere, ſeu voluntatem noſtram voluntariæ captiuitati veluti mancipatam ſanctiſſima Dei voluntatę vndique ita circũdari, & quaſi carcere, imo iucundiſſimo habitaculo concludi, vt quocumque eat, nunquam extra eam exeat, quocumque aſpiciat, nunquam extra eam proſpiciat, ſed omnes mentis, & corporis ſenſus, & vires ſemper vndique cingat, & circumſtet Dei voluntas, nec quicquam loquantur, agant, aut cogitent niſi quod eſt ex Dei voluntate, & quia ita Deus vult, aut illi placet: hoc enim propriè eſt per charitatem in Deo manere, & ſimul manentem habere.

De hac conformitate voluntatum præ cæteris luculenter ſcripſit Diuus Bernardus varijs in locis: Primumque homil. 3. *Super Miſſus eſt*. Affirmat quod mox dicebamus, per illam ſcilicet Deum propria ratione in iuſtis exiſtere, & ab eis capi. *Deus*, inquit, *à rationalibus omnibus capi poteſt per cognitionem*;

tionem; ſed à bonis tantum capitur etiam per amorem. In ſolis ergo bonis ita eſt, vt etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis. Nam dum ſuas voluntates ita iuſtitiæ ſubdunt, vt Deum non dedeceat velle quod ipſi volunt, per hoc, quod ab eius voluntate non diſſentiunt, Deum ſibi ſpecialiter iungunt. Alijs deinde locis, tres huius amoroſæ conformitatis ſtatuit gradus; *Primum* ſerm. 38. in Cant. conſiſtentem in conſpiratione duarum voluntatum humanę, & diuinæ in vnam, qua ſibi mutuò in omnibus, ſummeque conſentiunt Deus, & homo. *Secundum*, qui dici poteſt vniformitas, tam ibidem, quam lib. de diligendo Deo; quo humana voluntas nō ſolum vult, quod Deus vult, aut non vult, quod nec Deus vult, ſed propter hoc ipſum ſolum velle Dei vult, quod vult, & non vult, quod non vult propter idem Dei non velle: quod eſt idē, ac moueri ad volendum, & non volendum propter diuinitatem ſolùm, atque adeò propter Deum ipſum, & nullam prorſus ob aliam quamcumque cauſam, licet nos maximè, & intimè tangat.

Tertium denique, Deiformitatem dictum, ſerm. 71. in Cant. nec non lib. de diligendo Deo, quo ita nos per amorem in Deum transfundimus: ita totius voluntatis noſtræ niſu, ac pondere in immenſum Oceanum amabiliſſimæ, & amantiſſimę Dei voluntatis immergimur; ita denique ſumma, conſtantiſſimaque duarum voluntatum conſtitutio eadem, in Dei beneplacito, rebus in omnibus, perpetuoque acquieſcit, vt nobis nullum omnino bonum, nulla omnino vita, quantumlibet beatiſſima potior ſit quam Deus; nihil ſcire, cogitare, ac velle nihil, imò nec eſſe, & viuere, niſi ſit Dei placitum, & voluntas. *Sic affici*, inquit Bernardus lib. de diligendo Deo, *Deificari eſt*, perfectiſsimamque Chriſti ergaPatrem charitatem æmulari.

Ad hanc quoque ſummam humanæ cum diuina voluntate conformitatem, aut coniunctionem comparandam, tres etiam ex eodem D.Bernardo, ſunt pręparationes, vel diſpoſitiones. *Prima*, de qua agit lib. de diligendo Deo, eſt renuntiatio omnium rerum, etiam ſupernaturalium, quæ ad nos quoquomodo pertinent, aut poſſunt pertinere præ ſolius Dei, eiuſque volūtatis amore, & deſiderio; quam aliqui vocant *expropriationem*. *Secunda*, de qua agit tum citato libro, tum ſerm.5. in Dedic. Eccleſiæ, eſt altiſsima quædam ſui ipſius deſpectio, qua quod ex nobis nihil ſumus agnoſcimus, & pro nihilo haberi non minus optamus. Hanc nonnulli appellant annihilationem, aut annullationem voluntariam. *Tertia* demum eſt, deſiderium Dei animæ in hunc finem à Deo inſpiratum. De qua Bernardus ſerm. 57. in Cant.

Porro vt his ac ſimilibus medijs pręparatur anima ad amoris conformatiui adeptionem, ita quoque plures eius ſemel adepti ſunt fructus, ac ſigna. *Primus* eſt perfectior Dei amor, ita enim hæc conformitas voluntatis noſtræ diuinæ eſt fructus, vel effectus amoris Dei, vt vlterius illum magis, ac magis augeat. *Secundus* puritas intentionis. *Tertius* pax ſumma, & felicitas in hac vita. *Quartus* perpetua vitæ conſtantia. *Quintus* nulla difficultas, imo ſumma ſuauitas in vitæ præſertim religioſæ diſciplina. *Sextus* denique perfecta Chriſti Domini imitatio; cuius, vt aiebat, cibus erat vt faceret voluntatem eius, qui miſerat ipſum, vt perficeret opera eius.

Secundum, in quo anima perfectionis ſtudioſa Chriſti erga Patrem amorem ſibi imitandum proponere debet, eſt zelus gloriæ diuinæ, & ſalutis animarum, quam in Chriſti Domini pectore ita exarſiſſe, vt nullis tribulationum, & tormentorum aquis, nulla hominum ingratitudine extingui poſſet, pluſquam ſatis Euangelica teſtatur hiſtoria. Igitur cum Dei omnis gloria, & honor, quem à rebus creatis habere poteſt, in hoc vno ſitus ſit, cum vt omnes,

nes, ſicut par eſt, & cognoſcant, & diligant, ideò quoque viri perfecti, vt eorum charitas ſit ſuis omnibus numeris abſoluta, & Chriſti charitati ſimilis, ad ingenerandam in omnium animis diuinam cognitionem, & amorem, totas, quantum poſſunt, vires adhibere debent. Etſi enim proximum diligere quiſque poſsit, quatenus ipſe ratione ſuarum perfectionum aliquo dignus amore eſt; præcipua tamen eius diligendi ratio eſt, ſi diligatur, vt res Dei, Diuinarum capax perfectionum, ac lucidiſsimum proinde ſpeculum diuinæ gloriæ, eamdem illam gloriam in lucis authorem reflectens; ſic enim Dei amor etiam in amando proximo exercetur, adeo vt non poſsit nõ eſſe præclariſsimus diuinæ charitatis ad exemplum Chriſti fœtus, & actus.

Cum autem ex Apoſtolo Deus velit omnes homines ſaluos fieri, exindeque Chriſtus mortuus fuerit pro omnibus, quia omnes in Adamo mortui erant, propterea etiam animarum zeli obiectum ſunt omnes prorſus homines cuiuſuis nationis, conditionis, aut ætatis. Forma autem eiuſdem cum ſit duplex, vna veluti eſſentialis, ſeu ad æſtimatiuam eius perfectionem ſpectans, altera intenſiua, & accidentalis. Ad primam pertinet, ſeu gradus eius ſunt. 1. Si maiori apud nos in pretio ſit ſalus animarum omnibus mundi diuitijs, & rebus corpori commodis, vt quoties ſalus proximi cum huiuſmodi bonis cõtendit, leuem putemus illorum iacturam, quæ nos diuites animarum lucris efficiat, imo vel vnius tantum; exemplo Chriſti, de quo ait Apoſtolus, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me, ſatis innuens hoc modo loquendi de ſe ſingulariter, Chriſtum Dominum tanti vel vnius animæ ſalutem feciſſe, vt diuinum ſuum ſanguinem, diuinam ſuam vitam, ſi vel vnica redimenda fuiſſet, totum liberaliter profudiſſet. 2. quam honor, & infamia, nullam ſcilicet famæ noſtræ, atque exiſtimationis cum de ſalute proximorum agitur, habendo rationem, exemplo eiuſdem Chriſti, qui turpiſsimam crucis mortem, cum iniquis deputatus, ſaturatus opprobrijs ſubire non dubitauit, vt nos ſaluos faceret, & ad æternam gloriam perduceret. 3. quam voluptas, & omnis labor, ad imitationem pariter Chriſti, qui famem, ſitim, laſsitudinemque tolerauit, crucem, & mortem ſubijt, ſimilia quoque libenter cum ipſo ſubſtinendo, vbi agitur de animarum ſalute. 4. quam ferè propria ſalus, quod eſt huius zeli faſtigium, quo perueniſſe videtur Apoſtolus cupiens pro fratribus anathema fieri à Chriſto, tum alij Sancti, ſine vllo tamen detrimento, imò cum fructu ſuæ ſalutis, quatenus ex diuina liberalitate, maius ſemper hæc charitas, niſi aliunde quid obſtet, ad propriam perfectionem, lucrum, & acceſsionem facit.

Ad intenſiuam autem, vel accidentalem eiuſdem zeli perfectionem ſpectat, ſeu eius gradus ſunt. 1. deſideriũ, & conatus, quo nimirum, qui illo incenduntur, diuini amoris, & omnimodę perfectionis in aliorum mentibus excitandæ flagrant, omneſque, vt id faciant, animi ſui vires, & conatus explicant. 2. Si non proficiunt, triſtitia, & lachrymæ, iuxta illud Ieremiæ; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam interfectos populi mei*. Quæ triſtitia cum vehementior eſt, etiam tabe conficit, qualem de ſe Regius Propheta explicat dicens: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam, tabeſcere me fecit zelus meus.* Tribuitque Chriſto D. Ioannes cap. 2. dum occaſione eiectorum ab ipſo de templo negotiatorum ait: quod *recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* 3. denique ſi proficiant, lætitia, & gaudium, præque eius magnitudine veluti obliuio ſui; vt de ſe ait Apoſtolus compellans quas Chriſto lucrifecerat animas, Philippen. 4. 1. *Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium, & corona mea: ſic ſtate in Domino,*

no, chariſſimi. Et verſu 10. *Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire.* 1. *Theſſal.* 2. *Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.*

At loquendo de cauſa finali zeli, certum eſt illam eſſe ſalutem animarum, & Dei gloriam, non quæ noſtra ſunt, vt lucrum, honor, delectatio, aut ſimilia, exemplo Chriſti, quem ipſimet aduerſarij fatebantur viam Dei in veritate docere, perſonam hominum non reſpicere, ſummaque in paupertate, contemptu, ac doloribus vnius paternæ gloriæ, & humanæ miſeriæ intuitu ſaluandorum hominum curam ſuſcepiſſe. Qui finis, ſeu ſalus animarum etſi non ſemper obtineatur ab in ea laborantibus ſaltem ſcopus habetur, qui eſt ſtrenue laborare pro illa; quodque magis eſt, verus ſemper obtinetur finis, qui eſt gloria Dei, vt recte ait Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium mores perditos Romanorum ex emendationis deſperatione corrigere negligentem, vbi videri poteſt.

Sed quia ex charitate ad maiorem Dei gloriam vacare aliorum ſaluti, dupliciter fieri poteſt, ſecundum quod duplex eſt vita actiua, cuius eſt præcipuum opus, vna videlicet, quæ ſimpliciter eſt talis, ſeu primario, & principaliter ijs functionibus externis conſtat, quas circa proximum obimus, vt illi opem ſpiritualem, corporalemue concionando, exhortando, & cathechizando, ſacras confeſſiones audiendo, docendo, conſiliando prout occaſio ſe dat aliquando afferamus. Huiuſmodi enim actiones, aut ſimiles, ſicut poſſunt ſine contemplatione præſtari, ita poteſt contemplatio ſine illis conſiſtere, & ita alia prorſus eſt vita, quæ ſolum eſt contemplatiua, alia quæ tantum actiua. Licet enim pleræque functiones ſpirituales vix obiri ſine aliqua contemplatione queant; non eſt tamen neceſſe, vt illa ſemper interueniat, vt egregiè docet Diuus Thomas 2.2. qu. 181. art. 3. fieri ſiquidem poteſt, vt quis dum lectionem, vel concionem parat, quamuis ex amore Dei, veritatum tamen, quas animo voluit, conſideratione, & affectu non lætetur; imo vt Ibidem ait D. Thomas, ſine contemplatione ipſam contemplationem docere quis poteſt. Corporalia autem miſericordiæ opera, quæ etiam nonnullæ religiones habent pro fine, poſſe ſine vlla contemplatione exerceri ſatis experientia conſtat. Sic igitur cum vita pure actiua ſit illa, quæ tota ijs actionibus, ſiue corporalibus, ſiue ſpiritualibus ad proximum ſpectantibus intenta eſt, ſicut contemplatiua, quæ nihil plane circa proximum agit; quod enim in illa oretur pro alio non ad actionem, ſed ad contemplationem pertinet, orans enim nihil agit circa eum, pro quo orat, ex D. Thoma loco citato. Ita quoque ex vita actiua ſimpliciter tali dicuntur primario, & principaliter incumbere animarum ſaluti, qui primario, & principaliter ſunt intenti omnibus functionibus externis ad illam conducentibus.

Altera vita actiua eſt illa, quæ non amplius primario, aut principaliter attendit huiuſmodi functionibus, ſed tãtum ſecundario, ac veluti ex conſequenti, quatenus nimirum ex contemplatione exercentur, ſiue illa ſuæ perfectionis abundantiam in actiones proximo vtiles prædicando, & docendo contemplata, vt ait Diuus Thomas 3. par. quæſt. 40. art. 1. ad 2. deriuat. Quamuis enim hæ duæ vitæ, vt ſtatim diximus, ſeparari ab inuicem poſſint, tamen in hac vita tantam habent inter ſe cognationem, vt coniungi ſimul, miſcerique, & ſecum vna habitare ament. Ex qua vnione, ſicut reſultat tertia vita communiter mixta appellata, ita quoque dubium non eſt, ſi bene fiat, quin plurimum & perfectionis, & ornamenti vna alteri conferat, ſiue quin contemplatio ſuæ perfectionis abundantiam in actiones proximo vtiles deriuans, vt mox ex D. Thoma

Thoma dicebam, non modo actionem mirabiliter illuſtret, ac perficiat, verum etiam ipſa reflexo quodam modo ab actione in ſeipſam lumine reciproco, & refluente diuini amoris æſtu nouo ſplendore, nouoque ardore perfundatur: *Hoc enim habet vera, & caſta contemplatio*, inquit Diuus Bernardus ſerm. 57. in Cant. *vt mentem, quam diuino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo, & deſiderio acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligant, vt otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſime intermittat; & rurſum petita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipſum, quanto ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit. Duæ quippe vitæ*, inquit *Gregorius lib. 6. Moral. cap. 17. actiua videlicet, ac contemplatiua, cum conſeruantur, quaſi duo oculi habentur in facie, Dexter namque oculus vita contemplatiua eſt, ſiniſter actiua.*

Quia, inquam, duobus præfatis modis vita actiua ad ſalutem animarum procurandam concurrere poteſt, dum in præſenti capite proponitur Chriſti erga Patrem charitas imitanda, quantum ad zelum gloriæ Dei in dicta ſalute procuranda, non eſt ſermo de illa primo modo conſiderata, ſed ſecundo, qui eſt proprius perfectorum, vt de abundantia ſua ſuccurrant indigentiæ alienæ, ſeque non canales, ſed conchas in ea exhibeant. Vndè licet vita contemplatiua præcellat pure actiuæ; quæ tamen ex vtraque coaleſcit, & dicitur mixta, certum eſt illam eſſe contemplatiua tantum excellentiorem, ac perfectiorem. Tum quia talis eſt vita Dei, qui, licet beata ſui contemplatione plenus, perfectuſque ſit, quæ tamen eſt perfectionis eius abundantia, non quidem ex neceſſitate, verum ex vehementi bonitatis, quæ ſterilis eſſe non poteſt, inclinatione, per opera ad extra tot theſauros ad propagandum gloriæ ſuæ decus, continuo in creaturas effundit. Tum quia talis fuit vita Chriſti, qui, licet à beata viſione, ne momento quidem ceſſaret, totus tamen etiam ad amplificandam Patris Aeterni gloriam, humanamque ſalutem procurãdam admirabili illa actionum varietate, quibus ex Euangelio tota eius vita contexta fuit, incumbebat. Tum denique Apoſtolorum, qui immobiliter Deo adhærentes ad varia quoque miniſteria pro eadem Dei gloria, & animarum ſalute diſperſi, ac diffuſi ſunt. Et certe, ſi ea natura mixtionis eſt, vt cum duo quædam in vnũ confluunt, modo aptè commiſceantur ſuas ſibi inuicem perfectiones ſine damno ita communicent, vt nouæ etiã perfectionis acceſſione cumulentur; & ex duobus quid tertium nobilius reſultet; non minus dicendum eſt contemplationem, & actionem ſe inuicem perficere, indeque tertiam vitam nobiliorem exurgere, mixtam dictam. Vt alias omittam rationes, quæ non ſunt huius loci.

Tertium, in quo viri perfecti Chriſti erga Patrem amorem poſſunt imitari, conſiſtit in operando indeſinenter magna, qualia dubium non eſt ab ipſo præſtita fuiſſe pro Patris gloria. Quare D. Thomas de hoc amoris, vel charitatis gradu loquens ait, ſuper illum animam proprie pedem ponere tripliciter; cum operatur magna, & reputat parua; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breue, & iuxta illud Patriarchæ Iacob, videntur ei pauci dies præ amoris magnitudine. Nec mirum, ſi non reputet amor opus magnum, non amanti enim aliquid vel minimum eſt magnum, amanti nihil; nec, ſi multa opera pauca reputet; cum in mandatis, etſi multa faciat, plura tamen cupiat, quoniam in mandatis eius cupit nimis: nec tandem, ſi non exiſtimet ſe diu ſeruiſſe, etiam multo elapſo tempore, cum hoc appetat ſemper, & ſine fine facere. Vnde etiam qui hac perfecta charitate feruent, quo maiora, & plura in toto vitæ decurſu præſtant, eo magis ſe in vltimo ſeruos inutiles agnoſcunt, ac profi-

profirentur, atque ita, nec eſt deſidia in operando, & cauent ſuperbiam in reputando.

Quartum in charitate Chriſti potiſſimum imitandum, eſtque adhuc gradus eius præcedenti ſuperior, nedum patiens eſt, ſed libens, & hilaris quorumcumque laborum tolerantia. Cum enim paſſio vt plurimum repugnet, & diſpliceat naturæ, quaſi corruptiua ipſius; operatio autem, vt pote perfectiua naturæ, ei placeat; quælibet enim res eſt propter ſuam operationem; hinc maior amoris gradus, maiuſque ſignũ, & argumentum eſt pro dilecto pati, quam pro ipſo operari. Idque vere Chriſtus innuit, quando Lucæ 12. de futura paſſione loquens ait: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Coarctabatur bonus Ieſus, quod tantus eſſet ardor, quo ſuo ſanguine tingi ſe, ac mergi pro noſtra ſalute volebat, & cupiebat vt præ amoris erga Patrem, & homines magnitudine, quælibet hora mille ei anni viderentur. Sic etiam Palmarum die, glorioſum triumphum, cum ad mortem iret, fieri potiſſimum voluit, vt cordis ſui ingentem lætitiam toti orbi declararet. Cum enim tanta cum pompa, & omnium ordinum exultatione, ac plauſu viam illam ingreſſus eſt, ſignificauit roſarum, & florum ſerto redimitum ad crucis thalamum ſe, non quaſi ad crucem, ſed quaſi ad nuptias properare; vt merito dicatur Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis eius.* Quatenus in illo ſerto, quod feria ſexta Crucis Chriſto mater Synagoga contexuit, non lilijs, aut roſis, ſed ad capitis eius tormenta ſpinis compacto, licet eum acerbiſſimè pungerent, imo magis quam quemuis alium, tanta nihilominus erat in nos amoris eius profuſa liberalitas, vt pro magnitudine illius non tam aduerteret dolorem ſuũ, quam remedium noſtrum, non ſua vulnera, ſed ægrarum animarum medelam, ad maiorem Aeterni Patris ſui gloriam. Quare talis dies dicitur lætitiæ cordis eius.

Vnde etiam tot Sancti Martyres eadem incenſi charitate, crudeliſſima quæque, & acerbiſſima tormenta lætanter ſubierunt, ad eaque non minus quam ad epulas feſtinarunt. Tot alij Sancti, quibus deficiente martyrio rei, non defuit aliud voluntatis aut intentionis, innumeras, & ad prodigium auſteritates pœnitentiæque rigores in ſua corpora exercuerunt, vt patet ex eorum actis.

Hæc igitur ſunt quatuor præcipua, cæteraque omnia fere comprehentia, in quibus ad exemplum amoris Chriſti erga Patrem, omnes, ſed maximè perfecti heroicam pariter charitatem exercere poſſunt, ac demonſtrare.

CAPVT XI.

De amore vnitiuo, ſeu charitate Perfectorum propria, in ordine ad amoris proprietates, vel effectus.

QVoniam omnia ferè huc vſque dicta, de varijs charitatis, ſeu diuini amoris tum gradibus, tum ſtatibus, fundantur in ipſiuſmet amoris proprietatibus, vel effectibus, propterea, quæ aliquoties de illis breuiter inſinuauimus, placet hìc diſtinctius, pauloque longius explicare ad maiorẽ præſentis materiæ intelligentiam, maximè ex doctrina S. Dionyſij, fideliſque eius Interpretis D. Thomæ. Cum autem proprietates, vel effectus amoris alij ſint interni, ſeu intra ipſam voluntatem, & appetitum exiſtentes, alij autem exteriores, non agimus hic de iſtis, quæ ſunt omnia prorſus media, ſeu res, quæ ratione finis amati appetuntur, aut fiunt, & ſic dicuntur eſſe effectus amoris in genere cauſę finalis, ſed de primis tantum, qui ex Diuino Areopagita varijs in operum eius locis,

nec

nec non D. Thoma ſunt ſequentes. *Vnio, Inhaſio mutua, ſeu intima, vel Penetratio; Extaſis, zelus, liquefactio, vulneratio, fruitio, languor, & feruor.*

Qui omnes effectus, aut proprietates ita ſe habent ad amorem, vt *vnio quidem affectiua* ad amatum pertineat ad illum in genere cauſæ formalis, effectiua autem, cæteræque aliæ in genere cauſæ efficientis; ſi autem inter ſe comparentur, quatuor primæ, ſcilicet vnio, inhæſio mutua, extaſis, & zelus ſunt magis principales, ad quas cæteræ reducuntur, vt mox explicabitur.

Incipiendo ab vnione, cum in amore triplex diſtingui ſoleat, quædam illum antecedens, taliſque eſt ſimilitudo, ſeu proportio erga alios, identitas verò erga ſeipsũ, vndè cauſatur amor; quædam conſtituens, taliſque eſt ipſe affectus amoris, quo quis ſe habet ad amatum, vt aliquid ſui in appetitu; quædam denique ſubſequens, dicta vnio realis, ad quam quærendam mouetur quis ex amore, quatenus quærit realem præſentiam amati, & ei conuiuere. Certum eſt primam vnionem antecedentem non eſſe propriè effectũ aut proprietatẽ amoris, ſed potius diſpoſitionem ad illum; conſtituens autem, cum ſit ipſamet amoris affectio, ſeu eius effectus formalis, non tam eſt proprietas, quam ipſamet eius eſſentia; ideoque definitur amor à S. Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus, quod *ſit virtus vnitiua, &c.* Quem locum ſic explicat D. Thomas in 3. diſt. 27. q. 1. art. 1. in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod amor ad appetitum pertinet: Appetitus autem eſt virtus paſſiua: Vnde in 3. de anima dicit Philoſophus, quod appetibile mouet ſicut mouens, non motum; appetitus autem ſicut mouens motum. Omne autem paſſiuum perficitur ſecundum quod informatur per formam ſui actiui: Et in hoc motus eius terminatur, & quieſcit: ſicut intellectus antequam formetur per formam intelligibilis, inquirit, & dubitat; qua cum informatus fuerit, inquiſitio ceſſat, & intellectus in illo figitur; & tunc dicitur intellectus firmiter illi rei inhærere. Similiter quando affectus, vel appetitus omnino imbuitur forma boni, quod eſt ſibi obiectum, complacet ſibi in illo, & adhæret ei quaſi fixus in ipſo; & tunc dicitur amare ipſum: Vnde amor nihil aliud eſt, quam quædam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne quod efficitur forma alicuius, efficitur vnum cum illo; ideo per amorem amans fit vnum cum amato, quod eſt factum forma amantis. Et ideo dicit Philoſophus 9. Ethic. quod amicus eſt alter ipſe. Et 1. Corin. 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Vnumquodque autẽ agit ſecundum exigentiam ſuæ formæ, quæ eſt principium agendi, & regula operis: Bonum autem amatum eſt finis; finis autem eſt principium in operabilibus, ſicut prima principia in cognoſcendis: Vnde ſicut intellectus formatus per quidditates rerum ex hoc dirigitur in cognitione principiorum, quæ ſcitis terminis cognoſcuntur; & vlterius in cognitionibus concluſionum, quæ notę fiunt ex principiys; ita amans, cuius affectus eſt informatus ipſo bono, quod habet rationem finis (quamuis non ſemper vltimi) inclinatur per amorem ad operandum ſecundum exigentiam amati; & talis operatio eſt maximè delectabilis ipſi quaſi forma ipſius conueniens. Vnde amans quicquid facit, vel patitur pro amato, totum eſt ei delectabile; & ſemper magis accenditur in amatum; in quantum maiorem delectationem in amato experitur, in his quę propter ipſum facit, vel patitur: Et ſicut ignis non poteſt retineri à motu, qui competit ſecundum exigentiam ſuæ formæ, niſi per violentiam, ita neque amans, quin agat ſecundum amorem. Et propter hoc dicit Gregorius, quod non poteſt eſſe otioſus, imo magna operatur ſi eſt. Et quia omne violentum eſt triſtabile quaſi voluntati repugnans, vt dicitur 5. Metaph. ideo etiam eſt panoſum contra inclinationem amoris operari; vel etiam præter eam: Operari autem ſecundum eam, eſt operari ea, quæ*

amato

amato competunt: Cum enim amans amatum aſſumpſerit quaſi idem ſibi, oportet vt quaſi perſonam amati amans gerat in omnibus, quæ ad amatum ſpectant; & ſic quodammodo amans amato inſeruit, in quantum amati terminis regulatur. Sic ergo Dionyſius completiſſimè rationem amoris in prædicta aſſignatione ponit: Ponit enim ipſam vnionem amantis ad amatum, quæ eſt facta per transformationem affectus amantis in amatum, in hoc quod dicit amorem eſſe vnitiuam, & concretiuam virtutem, & ponit inclinationem ipſius amoris ad operandum ea, quæ ad amatum ſpectant (ſiue ſit ſuperius, ſiue inferius, ſiue æquale (in hoc quod dicit mouens ſuperiora, &c. Hactenus D. Thomas, idem docens 1.2.q.28. art. 8.

Et cum ibi quinto ſibi obiecisset omnem concretionem eſſe quamdam vnionem; atque adeo poſſe videri ſuperfluum vtrumq; ponere in definitione amoris, *vnitiuum*, & *concretiuum*, vt explicet vim, ac neceſſitatem huius termini, ſic reſpondet. *Ad quintum, dicendum, quod vnio eſt duplex: Quædam quæ facit vnum ſecundum quid, ſicut vnio congregatorum ſe ſuperficialiter tãgentium: Et talis non eſt vnio amoris, cum amans in interiora amati transformetur; vt dictum eſt: Alia eſt vnio, quæ facit vnum ſimpliciter; ſicut vnio continuorum, & formæ, & materię: Et talis eſt vnio amoris; quia amor facit amatum eſſe formam amantis, & ideo ſupra vnionem addit concretionem, ad differentiam primæ vnionis; quia concreta dicuntur, quæ ſimpliciter vnum ſunt effecta: Vnde & alia litera habet continuatiua.*

Igitur cum vnio affectiua ſit ipſamet amoris eſſentia, quia eſt ipſa vnio, vel nexus, vel transformatio, qua amans in amatum transformatur, & quodammodò conuertitur in ipſum, vnio, quæ eſt amoris proprietas, vel effectus, eſt vnio effectiua, & realis ſubſequens ad affectiuam veluti in genere cauſæ efficientis, quatenus nimirum mouetur quis ex illa, cum ſit ipſemet amor, ad quærendam realem præſentiam amati, & ei conuiuere. Et in hoc excellit vnio amoris vnionem cognitionis, in ſecundo verò vnio cognitionis excedit vnionem amoris, quia vnio amoris ſolum eſt per affectum, & inclinationem ad aliud; cognitionis verò per ſimilitudinem, quæ eſt ipſa res intentionaliter, ſed non quærit realem vnionem ſicut amor.

Mutua inhæſio, quæ eſt ſecundus principalis effectus, vel proprietas amoris, non ſumitur pro coniunctione, ſic enim eſt idem, quod vnio, ſed pro intima perſcrutatione, qua amans ingreditur ad amatum, vel penetrat, non ſola ſuperficiali tentione contentus; quæ intima adhæſio fit tàm in apprehenſione, quam in appetitu, aut voluntate; in apprehenſione quidem, quatenus continuè cogitatur de re amata etiam quoad eius intima, perſcrutans ſigillatim omnia; ita quod nõ quæcumque apprehenſio eſt effectus amoris, ſed apprehenſio quaſi continua, & perſcrutans; ex prima enim ponitur quidem amatum in amante, ex ſecunda autem amans in amato ſecundum apprehenſionem; ſicque amor in modo eſſendi per apprehenſionem addit morã in amante, & perſcrutationem amati. In voluntate verò fit hæc intima adhæſio, quatenus complacet in re amata, & his quæ ad eam pertinent, radicando intimè complacentiã in his, quæ illius ſunt; vt vel delectetur in illis apud præſentiam, vel in abſentia per deſiderium tendat in ipſum amatum per amorem concupiſcentiæ, vel in bona, quæ vult amato eius per amorem amicitiæ: non quidem ex aliqua extrinſeca cauſa, ſicut cum aliquis deſiderat aliquid propter alterũ, vel cum aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud: ſed propter complacentiam amati interius radicatam. Vndè, & amor dicitur intimus, & dicuntur viſcera charitatis. Et ſic adhęſio dicitur quoque conglutinatio amãtis ad amatum iuxta illud 1. Reg. 18.

Anima

Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam. Hæc enim eſt adhæſio amoris intima, ſcilicet conglutinatio, & affectus ad amatum in omnibus, quæ illius ſunt, ſicut propriæ animę.

At licet in affectu commune ſit amori amicitiæ, & concupiſcentię, quod amatum conſtituat in amante per complacentiam interius radicatam ipſius amati. In eo enim quod complacet ſibi interius amans de concupito, vel amico, in eo eſt: & hoc etiam reſpondet moræ in apprehenſione; diuerſimodè tamen amans conſtituitur in amato ſecundum vtrumque amorem: quia in concupiſcentia conſtituitur in eo per affectum perfectæ poſſeſſionis illius: in amicitia verò per affectum ad amicum ſuum, aut ipſemet amicus, & ambo reſpondent perſcrutationi in apprehenſione. *Amor namque concupiſcentiæ*, inquit D.Thomas 1.2.qu.28. art.2. *non requieſcit in quacumque extrinſeca, aut ſuperficiali adeptione, vel fruitione amati: ſed quærit amatum perfectè habere, quaſi ad intima illius perueniens: in amore verò amicitiæ amans eſt in amato, in quantum reputat bona, vel mala amici ſicut ſua, & voluntatem amici ſicut ſuam, vt quaſi ipſe in ſuo amico videatur bona, vel mala pati, & affici: & propter hoc proprium eſt amicorũ eadem velle, & in eodem triſtari, & gaudere, ſecundum Philoſophum in 9. Ethic. & in 2. Rethor. vt ſic in quantum quę ſunt amici æſtimat ſua, amans videatur eſſe in amato, quaſi idem factus amato: in quantum autem è conuerſo vult, & agit propter amicum, ſicut propter ſeipſum, quaſi reputans amicum idem ſibi: ſic amatum eſt in amante. Poteſt autem & tertio modo mutua inhæſio intelligi in amore amicitiæ ſecundum viam redamationis, in quantum mutuo ſe amant amici, & ſibi inuicem bona volunt, & operantur.* Ita ibi D. Thomas. Porrò iſta adhæſio non videtur abſolutè, vel adequatè diſtingui in voluntate ab affectu ipſo amoris, ſed quod addat aliquem duntaxat nouum reſpectum, vel extenſionem ad intima amati; in apprehenſione verò, aut cognitione dicat continuam de amato cogitationem.

Extaſis tertia amoris proprietas eſt quædam eius vis, qua ponitur amans extra ſe; ſic D. Dionyſius cap. 4. de Diuin. nom. ait, quod diuinus amor extaſim facit, & quod ipſe Deus propter amorem eſt extaſim paſſus; dicique poteſt in Diuini Verbi Incarnatione, & humanæ naturæ aſſumptione ex eius in nos amore maximè reſplenduiſſe; vt enim ait Apoſtolus Philipp. 2. *Exinaniuit ſemetipſum pro nobis, formam ſerui accipiens.* Igitur cum quilibet amor ſit quædam ſimilitudo participata diuini amoris. *Videtur*, inquit D.Thomas quęſtione citata art. 3. *quod quilibet amor cauſet extaſim.*

Quod ſic explicat in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod extaſim pati aliquis dicitur cum extra ſe ponitur: quod quidem contingit, & ſecundum vim apprehenſiuam, & ſecundum vim appetitiuam. Secundum quidem vim apprehenſiuam aliquis dicitur extra ſe poni, quando ponitur extra cognitionem ſibi propriam: vel quia ad ſuperiorem ſublimatur, ſicut homo dum eleuatur ad comprehendenda aliqua, quæ ſunt ſupra ſenſum, & rationem; dicitur extaſim pati; in quantum ponitur extra connaturalem apprehenſionem rationis, & ſenſus: vel quia ad inferiora deprimitur: puta cum aliquis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur extaſim paſſus. Secundum appetitiuam verò partem dicitur aliquis extaſim pati, quando appetitus alicuius in alterum fertur, exiens quodammodo extra ſeipſum; primam quidem extaſim facit amor diſpoſitiuè, in quantum ſcilicet facit meditari de amato, vt dictum eſt. Intenſa autem meditatio vnius abſtrahit ab alijs, ſed ſecundam extaſim facit amor directè: ſimpliciter quidem amor amicitiæ, amor autem concupiſcentiæ non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Nam in amore concupiſcentiæ quodammodo fer-*

tur amans extra ſeipſum: in quantum ſcilicet non contentus gaudere de bono quod habet, quærit frui aliquo extra ſe: ſed quia illud extrinſecum bonum quærit ſibi habere, non exit ſimpliciter extra ſe; ſed talis affectio in fine infra ſeipſam concluditur, ſed in amore amicitiæ affectus alicuius ſimpliciter exit extra ſe, quia vult amico bonum, & operatur bonum, quaſi gerens curam, & prouidentiam ipſius propter ipſum amicum. Et hic quoque effectus, vel proprietas amoris non eſt entitas ab eo diſtincta, ſed vehemens extenſio eius extra ſe, in quantum quærit ea, quæ extra ſe ſunt, & quaſi extraneatur quis à ſe propter alterius amorem, & facit interdum ea, quæ non videtur ſibi conuenire.

Zelus quarta amoris proprietas, eſt quidam eius motus, ſatagens amoliri aduerſantia amato, amorive ipſius reciproco. Quem poſſe eſſe ordinatum, & bonum, licet aliquando ſit inordinatus, & malus, ſatis conſtat ex hoc, quod dicitur zelum Dei, & domus ipſius comedisse Chriſtum, ſatagentem tollere omnia aduerſantia Deo, & honori ipſius. Item quod Apoſtolus etiã æmulatus fuerit fideles, Dei æmulatione; quodque magis eſt, ipſe Deus appelletur Zelotes, *propter multum amorem*, inquit D. Dionyſius cap. 4. de Diuin. nom. *quod habet ad exiſtentia*; ſiue quo nos amat, & viciſſim vult amari à nobis ex toto corde; ita vt ipſe ſolus ſit obiectum formale noſtræ dilectionis.

Sic autem explicat hanc proprietatem, vel effectum D. Thomas quæſtione citata art. 4. in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod zelus quocunque modo ſumatur ex intentione amoris prouenit; manifeſtum eſt enim, quod quanto aliqua virtus intenſius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium, vel repugnans. Cum igitur amor ſit quidam motus in amatum, vt Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſt. 35. & 36. Intenſius amor quærit excludere omne id, quod ſibi repugnat, aliter tamen hoc contingit in amore concupiſcentiæ, & aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiſcentiæ, qui intensè aliquid concupiſcit, mouetur contra omne illud, quod repugnat conſecutioni, vel fruitioni quietæ eius, quod amatur; & hoc modo viri dicuntur zelare vxores, ne per conſortium aliorum impediatur ſingularitas, quam in vxore quærunt. Similiter etiam qui quærunt excellentiam, mouentur contra eos, qui excellere videntur, quaſi impedientes excellentiam eorum; & iſte eſt zelus inuidiæ, de quo dicitur in Pſalm. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Amor autem amicitiæ quærit bonum amici: vnde quando eſt intenſus facit hominem moueri contra omne illud, quod repugnat bono amici; & ſecundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando ſi qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere ſtudet. Et per hunc etiã modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere ſecundum poſſe conatur: ſecundum illud 3. Reg. 19. Zelo zelatus ſũ pro Domino exercituũ; & Ioann. 2. ſuper illud, Zelus domus tuæ comedit me, dicit gloſ. quod bono zelo comeditur, qui quælibet praua, quæ viderit, corrigere ſatagit: ſi nequit, tolerat, & gemit.*

Quantum ad alios effectus, qui ad quatuor præfatos reducuntur, primus eſt *liquefactio*, qui licet vnioni amoris repugnare videatur, liquefactio enim diuiſio quædam eſt congelationi oppoſita, ad illam tamen reducitur, vt rectè docet D. Thomas in 3. diſtinct. 2. art. 1. vbi cum ſibi quarto obieciſſet, amorem videri magis eſſe vim diuiſiuam, quam vnitiuam, eo quod ſit *acutus, feruidus, exſtaſim faciens, liquefaciens*. Quæ omnia ad diuiſionem pertinent; nam *acuti* eſt penetrando diuidere; *feruidi* verò per exhalationem reſolui; *exſtaſis* ponere amantem extra ſe; *liquefactionis*, ſoluere atque adeo diuidere congelata. Reſpondet Sanctus

Doctor: *Ad quartum dicendum, quod in amore eſt vnio amantis ad amatum: ſed eſt ibi triplex diuiſio: Ex hoc enim quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, & è contra; vt nihil amati amanti remaneat non vnitum; ſicut forma peruenit ad intima formati, & è conuerſo: Et ideo amans quodammodo penetrat in amatum: Et ſecundum hoc amor dicitur acutus: Acuti enim eſt diuidendo ad intima rei deuenire; & ſimiliter amatum penetrat amantem, ad interiora eius perueniens: Et propter hoc dicitur quod amor vulnerat, & quod transfigit iecur. Sed quia nihil poteſt in alterum transformari, niſi ſecundum quod à ſua forma quodammodo recedit (quia vnius vna eſt forma) ideo hanc diuiſionem penetrationis præcedit alia diuiſio, qua amãs à ſeipſo ſeparatur in amatum tendens: Et ſecundum hoc dicitur amor extaſim facere, & feruere, quia quod feruet, extra ſe bullit, & exhalat. Quid verò nihil à ſe recedit, niſi ſoluto eo, quod intra ipſum continebatur; ſicut res naturalis non amittit formam, niſi ſolutis diſpoſitionibus, quibus forma in materia retinebatur; ideo oportet quod ab amante terminatio illa, qua infra terminos ſuos tantum continebatur, amoueatur: & propter hoc amor dicitur liquefacere cor; quia liquidum ſuis terminis non continetur; & contraria diſpoſitio dicitur cordis duritia.* Hactenus Diuus Thomas ex cuius verbis ſatis colligitur nedum liquefactionem, ſed & quemcumque alium motum diuiſionem cauſantem, aut ſignificantem, ordinatum tamen ad aliqualem vnionem, reduci poſſe ad vnionē amoris propriam, admittentem modo explicato diuiſionem, differreque inter ſe tantum penes diuerſas analogias, ad res quoque diuerſas, è quibus deſumuntur, ad ſignificandum magis, vel minus talem effectum. V. g. diuiſio, qua aperitur animus alteri, vt in corde locum habeat: *Vulneratio* dicitur, quia fit cum quodam ſenſu, & violentia nondum fruendi amato; ſeu vulneratio talem in amore ſignificat effectum, & ſic de alijs.

Fruitio tandem eſt proprietas, vel effectus amoris pro re præſenti in qua quieſcit. Pro abſenti verò ſequuntur duo effectus, ſcilicet *triſtitia* de ipſa abſentia, quæ eſt *languor* animi; & *feruor* de conſecutione amati per intenſum deſiderium. In his autem omnibus ipſe amor, ſecundum ſe, & formaliter non eſt læſiuus amantis, quia potius de ſe vnit rei conuenienti, aut proportionatæ, quod potius ad conſeruationem ſpectat, quam ad læſionem. Per accidens tamen poteſt lædere, aut ratione ipſius obiecti, ſi in re ſit malum & abominandum, ſolum autem apparenter bonum; aut ratione immutationis corporalis in amore ſenſibili, ſi tanta ſit vt feruore ſuo lædat corpus; ſed hoc materialiter ſe habet ad actum amoris, vt ſic. Tantumque ſit de præcipuis eius proprietatibus, aut effectibus nobiliori modo amori diuino, aut charitati, vt potè excellentiſſimo amori competentibus, in quibus fundantur, aut ad quos reducuntur omnia, quæ ſuperius diximus de eius gradibus, & ſtatibus, nec non illi decem, quos ſecundum D. Bernardum enumerat Diuus Thomas opuſculo 62. & ait cognoſci per actus. Primus, in quo facit languere. Secundus, in quo quærere inceſſanter. Tertius, in quo operari indeſinenter. Quartus, in quo ſuſtinere infatigabiliter. Quintus, in quo appetere impatienter. Sextus, in quo currere velociter. Septimus, in quo audere vehementer. Octauus, in quo ſtringere inamiſſibiliter. Nonus, in quo ardere ſuauiter. Decimus, in quo aſſimilari totaliter. Quæ omnia ibi fusè explicantur, conſulique poſſunt.

CAPVT XII.

Quid virtus Theologica Spei præſtet in vnione Myſtica.

QVamuis Spes Theologica, ſicut & Fides à charitate ſeparari, ſeu ſine illa eſſe poſſit in peccatore; dubium tamen non eſt quin illi in homine iuſto vnita, vel coniuncta, ſuo etiam modo ad vnionem myſticam multum conferat, quod breuiter in hoc capite explicabimus.

Primò igitur ſupponendum eſt ex communi Theologorũ conſenſu Spem Theologicam eſſe virtutem propriè, & in toto rigore, cõtra nonnullos paucos exiſtimantes ipſam eſſe talem largo tantum modo, ſicut & fidem; intelligendo per *virtutem largo modo*, habitum laudabilem inclinantem potentiam ad actum bonum, per *virtutem autem ſtrictè*, habitum ponentem in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui; vndè quia fides eſt ſine euidentia, in qua perficitur intellectus, & ſpes ſine præſentia rei amatæ, in qua perficitur amor, propterea non vocant illas virtutes ſtrictè, ſed largo modo. Quod videtur pertinere ad quæſtionem de nomine; nam ſi intelligatur requiri ad virtutem ſtrictè, & eſſentialiter dictam, quod conſtituat in vltimo perfectionis abſolutè, & reſpectu ipſius potentiæ, ſic ſola beatitudo dicenda eſſet virtus, ſiquidem in beatitudine duntaxat conſequitur potentia vltimam perfectionem, quàm abſolutè poteſt. Si autem intelligatur, virtutem debere poni in vltimo perfectionis nõ abſolutè, ſed reſpectu ſuæ materiæ; non eſt cur negetur tam fidem, quam ſpem eſſe virtutes, cum perfectio eis debita intra proprias materias non ſit attingere rem euidentem, aut præſentem, ſed regulam, qua talis materia, eiuſque actus regulandi ſunt, vt rectè aduertit S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 1. ad 3. Hæc eſt enim perfectio vltima cuiuſcunque virtutis attingere regulam, & menſuram ſuam, non autem id quod extra materiam eſt. Igitur cum ſpes in ſua materia, & actu ſperandi attingat primam regulam, quæ eſt Deus, iuxta propriam, quamque eſſentialiter exigit ſpecificationem, hoc eſt citra poſſeſſionem rei ſperatę, indequè ponat in vltimo perfectionis debitæ tali actui in ſibi propria, & eſſentiali materia, non poteſt non eſſe propriè, & in toto rigore virtus.

Secundò ſupponendum eſt, Spem Theologicam, & ſimiliter fidem ita eſſe virtutes ex ſe propriè, & in toto rigore, vt tamen, ſi conſiderentur informes, hoc eſt ſine charitate, non habeant rationem virtutis perfectę quantum ad ſtatum. Quia licet hæ virtutes tum informes, tum formatæ ſint ijdem habitus eſſentialiter, eo quod formatio proueniens à charitate non eſt de eſſentia earum, nec forma earum intrinſeca; nec etiam eadem charitas det illis ſtatum virtutis ordinando illas per imperium in finem ſupernaturalem illis extrinſecum, ſicut dat virtutibus moralibus, quia nimirum ſunt etiam virtutes Theologicę, habentes, ſicut & charitas, pro obiecto, & materia ipſummet Deum finem ſupernaturalem; nihilominus quia ſeparatæ à charitate, in modo attingendi iſtum finem non habent totalem perfectionem, & complementum, in hoc charitas dicitur eas formare, & in hac formatione ſe habere ſicut prudentia, quantum ad hoc, quod non præſtat illis dictum finem ſupernaturalem, ſicut nec prudentia præſtat finem virtutibus moralibus, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 6. ſed quaſi modum, & perfectionem aliquam circa tendentiam ad ipſum finem vltimum Deum, cui debetur quod non ſolum ex parte actuũ, ſed etiam ex parte totius ſubiecti nos illi ſubijciamus, ſcilicet amando illum toto corde, & tota anima, & tota fortitudine, id eſt non ſolum ſubijciendo illi vnum actum, aut alium, ſed om-

nes actiones, & principia illarum; & hoc eſt quod præſtat charitas.

Quo circa licet fides, & ſpes ex parte ſui actus attingant vltimum finem Deum, non tamen omnimodè attingunt, nec perfectè illi ſubijciunt cor, vndè reddunt actum bonum, ſed non reddunt bonum ipſum habentem ſimpliciter, quod tamen requiritur ad perfectum virtutis ſtatum, vt ſupra ſuo loco diximus. Sicque quemadmodum prudentia nõ dat virtutibus hoc, quod eſt tendere in finem, ſed modum tendendi ſecundum particularem applicationem, & circunſtantias occurrentes; ita charitas non dat fidei, & ſpei, quod tendant in finem vltimum ex parte ipſius actus, ſed quod tali modo tendant, ſicut ipſe poſtulat, id eſt cum plena, & totali ſubiectione cordis. Et iſte modus, ſeu perfectio à charitate proueniens dicitur eius formatio reſpectu fidei, & ſpei, refunditurque etiã in earumdem obiectum: quia obiectum fidei eſt Deus obſcurè reuelatus, & conſequenter ex voluntatis inclinatione creditus. Sic ergo voluntas non perfectè inclinatur ſine charitate in Deum vt finem; nam etſi credat ipſi vt veraci, non tamen vt veritati dilectæ ſufficienter, atque adeò perficitur ſi ſufficienter diligatur. Similiter ſpes tendit in Deum vt auxiliantem, quod autem Deus auxilietur pendet ex duobus, ſcilicet ex eius voluntate, & beneuolentia, nam amici facilius auxiliantur, quam extranei: vndè ſperare à Deo, vt ab amico eſt perfectio ſpei, quæ ſine charitate non eſt; ante charitatem enim ſperat à Deo vt ab auxiliatore, ſecundum virtutem, non autem vt auxiliatore amico, nec per merita habita, ſed habenda. De quibus cõſuli poteſt S. Thomas 1. 2. q. 62. art, 4. quæſt. 65. art. 4. & 2. 2. qu. 17. art. 8.

Tertiò ſupponendum eſt ſpem eſſe vnam ex tribus virtutibus Theologicis; quod probat D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 3. oſtendens conuenienter poni tres virtutes Theologicas, *Fidem, Spem, Charitatem*, quia homo ordinari debet ad beatitudinem ſupernaturalẽ, tam per illuſtrationem intellectus, quam per rectitudinem voluntatis; & ſic iſtis duabus potentijs debuerunt aliqua principia diuinitus dari, quæ illas eleuarent ad talem ordinem. Et quoad intellectum datur *Fides*, quæ credit ea, quæ diuinitus reuelantur. Quo ad voluntatem verò oportet duo adhiberi principia. Vnum quod intendat aſſequi illam beatitudinem per ſupernaturalia media, & hoc eſt ſpes. Aliud quod vniat hominem ipſi fini, & quaſi transformet in illum finem vt ei connaturaliter coniungatur, & hoc eſt charitas. In ſpeciali autem probat idem Sanctus Doctor 2. 2. q. 17. art. 5. ſpem eſſe virtutem Theologicam, *Quia*, inquit, *cum differentia ſpecificæ per ſe diuidant genus, oportet attendere vnde habeat ſpes rationem virtutis, ad hoc vt ſciamus ſub qua differentia virtutis collocetur. Dictum eſt autem quod ſpes habet rationem virtutis ex hoc quod attingit ſupremam regulam humanorum actuum, quam attingit, & ſicut primam cauſam efficientem, in quantum eius auxilio innititur, & ſicut vltimam cauſam finalem, in quantum in eius fruitione beatitudinem expectat. Et ſic patet, quod ſpei, in quantum eſt virtus, principale obiectum eſt Deus; Cum ergo in hoc conſiſtat ratio virtutis Theologicæ, quod Deum habeat pro obiecto, ſicut ſupradictum eſt, manifeſtum eſt, quod ſpes eſt virtus Theologica.*

Quartò, cum in virtutibus aliud ſit obiectum materiale, aliud formale, & rurſus formale poſſit ſumi dupliciter; primo pro ratione formali ſub qua, ſecundo pro ratione formali quæ; ita vt in communi loquendo obiectum materiale dicatur res illa, quæ attingitur, formale autẽ ratio attingi talem rem; omnes quidem conueniunt in ſpe, rem ſperatam eſſe obiectum eius materiale; formale autem eſſe id, quo talis res redditur ſperabilis Theologicè; diſſen-

tiunt

tiunt tamen in illis explicandis in particulari; variaque ſunt Theologorũ placita ad quæſt.17. 22. quibus modo relictis, probabilior ſententia quoad obiectum formale videtur illa,quæ docet formalem ſpei Theologicæ rationem eſſe, omnipotentiam diuinam,auxiliantem, ſeu diuinum auxilium, non abſolutè, & vt exequens effectus ad quos concurrit, ſed quatenus conſtituit ipſum bonum diuinum, ſeu beatitudinem in ratione boni ardui aſſequibilis: & ſic induit ſpecialem rationem boni, diſtinguentem ipſum à bono terminante amorem charitatis, vel ſimplicis concupiſcentiæ. Ita habetur expreſsè ex D.Thoma in quæſt.diſput. de ſpe art. 4. his verbis: *Spei, ſecundum quod eſt virtus Theologica obiectum formale eſt auxilium diuinum,cui inhæretur, & quamuis ſub hoc obiecto formali multa materialia ſperata comprehendantur, vnum tamen eſt principale, & alia ſunt ſecundaria, vel adiuncta. Quod quidem poteſt accipi dupliciter vno modo ex parte rei ſperatæ: alio modo ex parte hominis ſperantis. Ex parte quidem rei ſperatæ principale obiectum ſpei, ſecundum quod eſt virtus Theologica, eſt plena Dei fruitio, quæ beatum facit. Aliæ verò ſub ſpe cadunt in ordine ad hunc finem, ſiue ſint ſpiritualia, ſiue temporalia bona.* Idem tradit ibidem art. 1. quod nimirum, *ſicut formale obiectum fidei eſt veritas prima, per quam, ſicut per quoddam medium aſſentit his, quæ creduntur, quæ ſunt materiale obiectum fidei, ita etiam formale obiectum ſpei eſt auxilium diuinæ poteſtatis, & pietatis, propter quod tendit motus ſpei in bona ſperata, quæ ſunt materiale obiectum ſpei.* Inter iſta autem materialia obiecta ait S. Doctor, eſſe principale, ad quod cætera referantur, fruitionem diuinam, quia in ordine ad hanc fruitionem ſperamus adiuuari à Deo.

Ex quibus tam claris D. Thomæ authoritatibus intelligenda quoque ſunt, quæ docet 2. 2. q.17. art. 2. 5. & 6. ferè per totam quæſtionem, dum aſſignat pro obiecto ſpei bonum diuinum, vt habet rationem cauſæ adiuuantis, ſeu efficientis; & ex parte cauſæ finalis pro obiecto principali beatitudinem æternam, ita vt illa remota ſoluatur ſpecies huius virtutis. Senſus eſt enim, quod bonum diuinum, vt dicit cauſam finalem, & beatitudinem, eſt obiectum principale ſpei, tanquam res ſperata,& ex parte obiecti materialis primarij, vt mox dicemus, quod etiam pertinet ad eſſentialem rationē obiecti ſpei, tanquam materia; auxilium autem diuinum quaſi forma, ſeu ratio formalizans illud bonum finale, vt ſit vel reddatur obiectum ſpei.

Ad cuius explicationem rectè aduertunt Diſcipuli Diui Thomæ,Deum vt auxiliantem, ſeu per modum cauſæ efficientis dupliciter poſſe conſiderari. Vno modo; vt eſt agens executiuè, & purè intra terminos exercitij agendi, cauſa enim effectiuà de ſe executiua eſt. Et hoc modo libenter admittunt, Deum non ſe habere, vt formale ſpecificatiuum ſpei; ſed magis vt rationem executiuam, & conducentem in exercitio ad ipſam aſſecutionem boni ſperati; cum enim ſpes propriè ordinet intentionem in Deum, ordo autem intentionis ſit diſtinctus ab ordine executionis, propterea Deus, vt cauſa effectiua ſub ratione exequentis conſideratus, ſpem formaliter ſpecificare non poteſt.

Alio modo conſiderari poteſt non vt exequens, ſed vt denominans obiectum poſſibile,etiam præuiè ad executionem, ſicut Theologi communiter aſſerunt, creaturas denominari poſſibiles, non per aliquam potentiam illis intrinſecam, ſed per omnipotentiam diuinam,à qua extrinſecè denominantur poſſibiles, vt docet D.Thomas 1.p. q.9. art.2. Bonum igitur, quod ex ſe habet rationem cauſæ finalis, eſtque appetibile ex habitudine agentis redditur poſſibile, & inſuper, ſi occurrant difficultates in executione talis poſſibilitatis, redditur illas vincens. Ex

hoc

hoc autem, quod bonum induit non ſolum rationem communem boni, quod eſt eſſe appetibile,& attractiuum voluntatis, eſtque ratio boni abſolutè conſiderata, ſed ſpecialem vlterius rationem, veluti comparatiuam, qua conſideratur illud bonum, vt repulſiuum contrariorum,omniaque ſuperans impedimenta in ſui adeptione obuenientia, ſic tranſit à ratione boni concupiſcibilis ad rationem boni ardui, vel iraſcibilis, atque adeo redditur obiectum formale ſpei; Deuſque, vt cauſa efficiens, non executiua, aut producens habitum ſpei, vt incongruè putant aliqui, ſed vt refundens in obiectum ſperatum aliquam denominationem, ſeu modum pertinentem ad rationem formalem illius, ſicut eſt poſſibilitas, non ſolum vt ſit adipiſcibile, verum etiam vt ſit vincens difficultates,rectè dicitur pertinere ad rationem formalem ſpecificatiuam ſpei.

Quòd autem arduum ſit iraſcibilis obiectum, ſingulariter docet D. Thomas 1.p. q. 81. art. 2. *Quia tendit ad hoc, quod ſuperet contraria, & ſuperemineat eis.* Quod magis explicans quæſtione ſequenti 82. art. 5. ait: *Quod iraſcibilis reſpicit propriam rationem boni, ſecundum quod eſt repulſiuum,& impugnatiuum eius, quod infert nocumentum.* Vndè bonum vt allicit, & attrahit dicitur *concupiſcibile*, vt autem opponitur malo, & vincit illud, dicitur *arduum*, quamdamque propterea induit ſpecialem rationem ſuperioritatis, & pretioſitatis, vt rectè aduertit idem S.Doctor in 3. diſt. 26. quæſt. 1. art. 2. ad 1. *Difficile*, inquit, *vel arduũ addit quamdam ſpecialem rationem bonitatis, ſcilicet pretioſitatem quamdam ex hoc ipſo,quod de facili nõ habetur,ſicut dicitur omne rarum carum.* Et verè ita eſt, quia licet ratio ardui, vel difficilis, non videatur habere rationem boni, quatenus voluntatem non allicit, ſed potius retrahit, tamen hoc verum eſt tantum ſpectato arduo ex parte periculorum, & laborum vincendorum, nam arduum ex parte victoriæ conſideratum, quatenus nimirum ipſa bonitas ſuperat hæc pericula,& rationem mali oppoſitam, ſine dubio ſpecialem inducit rationem, quia non conſideratur ibi bonum abſolutè,& vt alliciens, ſed bonum, vt vincens, & repellens nocumenta.

Auxilium ergo diuinum, ſeu omnipotentia Dei, quatenus ſupponit quidem ipſammet rem ſperatam, non ſolum eſt bonum attractiuum, quod eſt habere abſolutam rationem boni, verum inſuper conſtituit formaliter ipsũ bonum, vt vincens, & repellens impedimenta aſſecutionis, & ſic formaliter conſtituit rationem obiecti ſpei, ita quod poſſibilitas ſub hac conſideratione non ſe habet, vt conditio extrinſeca, ſed intra lineam ipſam boni conſtituit ſpecialem eius rationem, id eſt non bonitatem abſolutè, vt eſt alliciens, ſed vt eſt vincens, & ſuppoſita victoria, etiam alliciens, & ſic eſt obiectum ſpei. Quocirca Geneſ. 15. ait Dominus ad Abraham: *Ego ſum protector tuus, & merces tua magna nimis*; quibus verbis videtur formaliſſimè explicari obiectum fidei, quod nimirum ſit Deus protector ratione ſui auxilij, ex quo ipſemet induit rationem mercedis magnæ, id eſt, arduæ, & ſupereminentis, quæ debetur victoriæ periculorum, & laborum, quæ ipſius protectione, & auxilio ſuperantur.

Quantum iam ad obiectum materiale eiuſdem ſpei Theologicæ,loquendo de immediato, & primario,eſt beatitudo æterna; iuxta illud ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*; nec non ad Heb. 11. quod *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*: ſed Deus eſt obiectum materiale primarium, quod creditur, ſi ergo fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, res quæ attingitur à fide eſt res ſperanda, illa autem quæ attingitur à fide eſt Deus,ergo etiam illa quæ ſperatur eſt Deus, ſiue beatitudo æterna in illo conſiſtens. Sic verò id probat D.Tho-

D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 2. Quia ſpes Theologica innititur Deo ſupernaturaliter auxilianti: ſed effectus debet proportionari cauſæ: igitur cum Deus auxilians ſit infinitæ virtutis, bonum, ad quod perducit, tanquam ad propriũ, & proportionatum huius virtutis auxiliantis, debet eſſe bonum infinitum, quod eſt ipſe Deus, finito tamen modo communicabile, quia effectus infinitus, ſeu communicatio infinita non inuenit capacitatem in ſubiecto.

Cum autem beatitudo æterna ſit duplex, vel potius duæ ſint eius partes, formalis vna, quæ eſt viſio; obiectiua altera, id eſt, res viſa, quia eſt Deus: Etſi aliqui Theologi exiſtiment ipſam viſionem eſſe immediatum obiectum ſpei, Deum autem eſſe mediatũ, ſed tamen principale, & finale, quod mediante priori attingitur, verior tamen eſt ſententia Diui Thomæ inter Theologos communis, quod obiectum immediatum ſpei non ſit ipſa beatitudo formalis, id eſt, *viſio*, ſed beatitudo obiectiua, id eſt, *res viſa*, quæ eſt Deus: connotat tamen tanquam modum, aut conditionem requiſitam, non tanquam obiectum, ipſam viſionem. Et præter rationem ex hoc deſumptã, quod ſpes eſt virtus Theologica, atque adeo debet habere pro obiecto immediato bonum increatum ſub ratione diuina, id ipſum alia demonſtrat fundata in doctrina Diui Thomæ 1. 2. q. 1. art. 8. nec non q. 2. art. 7. & q. 3. art. 1. Quod finis alicuius dicitur dupliciter, ſcilicet res, quam conſequi cupimus, & ipſe vſus, ſiue aſſecutio, aut poſſeſſio ipſius rei. Et primum appellatur *finis obiectiuus*. Secundum *formalis*. Et quamuis ille, qui intendit, aut deſiderat aliquem finem, vtrumque deſideret, nimirum obiectum poſſeſsionis, & poſſeſsionem ipſam, non tamen vtrumque ex æquo, ſed vnum vt obiectum aſſequendum, alterum vt modum iſtius obiecti, quo redditur aſſecutum. Sicut auarus deſiderat pecuniam tanquam rem, poſſeſſionem autem non deſiderat vt rem; quia non deſiderat vt poſſidendam, ſed vt poſſeſſionem. Sic ergo immediatum ſpei obiectum eſt beatitudo obiectiua, ſeu res adipiſcenda, quæ eſt Deus, non autem beatitudo formalis, quæ eſt eius aſſecutio, vel poſſeſſio, niſi connotando illam tanquam modum; ſi quidem vſus, aut adeptio alicuius rei, nihil eſt aliud, quam applicatio ipſius rei, quæ deſideratur, non autem obiectum quod deſideratur.

Cui doctrinæ minimè repugnat, 1. quod Deus non eſt bonum noſtrum formaliter, & intrinſecè, ſed participatio Dei, qualis eſt beatitudo formalis; atque adeo cum amor concupiſcentiæ, in quo fundatur ſpes, reſpiciat Deum vt bonum noſtrum, immediatius ab illa reſpici debere beatitudinem formalem, quæ eſt Dei participatio, quam ipſum Deum, qui eſt beatitudo obiectiua. Aut 2. Quod Deo in ſe non conueniunt conditiones obiecti ſpei, ſcilicet eſſe poſſibile, arduum, & futurum, quæ tamen conueniunt eius conſecutioni, ſeu beatitudini formali. Aut 3. denique, quod ſpei in patria ſuccedit delectatio, non de Deo in ſe, quia hæc pertinet ad charitatem; debetque conſequenter eſſe de conſecutione Dei, & ita huiuſmodi conſecutionem eſſe obiectum immediatum ſpei Theologicæ.

Ad primum enim reſpondetur, Deũ in æterna beatitudine eſſe formaliter, & intrinſecè bonum noſtrum ratione bonitatis ſuæ, quæ ſibi intrinſeca eſt, applicationẽ autẽ eius ad nos, quæ fit per beatitudinem formalem, eſſe illi extrinſecã, ſed ab hac non ſumitur bonitas illius obiecti, quod eſt bonum noſtrum, ſed applicatio, qua redditur noſtrum: vnde amor concupiſcentiæ reſpicit Deum, vt participatum à nobis, ita tamen quod participatio non eſt ratio boni amati, ſed conditio per modum applicationis.

Ad ſecundum dicitur, poſſibilitatẽ, arduitatem, & futuritionem eſſe quidem

dem conditiones bono ſperato competentes, non tamen requiri, quod conueniant illi intrinſecè, ſed ſufficit quod extrinſecè. Quemadmodum enim ante incarnationem Deus dicebatur incarnandus, & modo dicitur incarnatus de præterito, nulla mutatione intrinſeca ſe tenente ex parte Dei, ſed extrinſeca ſolum proueniente ex intrinſeca humanitatis Chriſti mutatione. Ita quoque dicitur, vel denominatur Deus aſſequendus de futuro, denominatione ſumpta à mutatione facienda in nobis per beatitudinem formalem, ſiue conſiſtat in actu intellectus, ſiue in actu voluntatis, iuxta diuerſitatem opinionum; non tamen ex hoc ſequitur, quod ipſe Deus non ſit immediatum bonum, quod ſperamus, & quod ab iſta extrinſeca denominatione dicitur futurum.

Ad tertium reſpondetur, delectationem, quæ ſuccedit, vel correſpondet ſpei in patria, non eſſe de ipſa conſecutione Dei, tanquam de obiecto, ſed de ipſo Deo conſecuto; ita vt ratio boni, de quo eſt delectatio, teneat ſe ex parte Dei, conditio autem, & applicatio ſe teneat ex parte conſecutionis. Sicut etiam ex parte obiecti formalis eadem ſpes innititur auxilio diuino, non ratione effectus, quem cauſat in nobis tale auxilium, ſed ratione virtutis, à qua producitur, quæ eſt omnipotentia diuina, connotans tamen effectum auxilij in nobis. At verò delectatio, quæ correſpondet, vel ſequitur ad charitatem in patria, eſt de ipſo Deo præſenti, & conſecuto, non quia conſecutus, ſed quia amicus, ita quod conſecutio reſpectu huius delectationis, neque etiam ſit conditio ſine qua non, quia non pendet ab illa ratio ſpecifica huius delectationis charitatis, quæ tantum reſpicit Deum vt amicum, & propter ſe.

Loquendo autem de obiecto materiali ſecundario ſpei ſunt omnia bona creata, quæ conducunt ad æternam beatitudinem, vt docet D. Thomas 2.2. q.17. art.2. ad 2. & patet à ſimili in alijs duabus virtutibus Theologicis; per fidem enim credimus multas veritates creatas, vt ordinantur ad Deum, & per charitatem diligimus proximũ, vt eſt aliquid Dei; ergo pariter per ſpem Theologicam poſſunt attingi bona creata, vt conducentia ad aſſecutionem Dei. Ratio autem à priori eſt; Quia de eſſentia actus intentionis eſt, vt non ſimpliciter velit finem, ſed etiam virtualiter media, quia vult finem, vt adipiſcendum per illa: Spes autem, ex D. Thoma 1. 2. q.63. art. 3. reſpicit Deum, vt finem per modum intentionis aſſequendum; ergo etiam reſpicit media ſecundariò, & virtualiter, hæc autem ſunt bona creata. Ad quod etiam facit doctrina D. Thomæ 2.2. q.83. art.6. vbi oſtendit quomodo poſſimus bona temporalia deſiderare, & à Deo petere.

Portò licet beatitudo, & quodcumque bonum, vt ſit obiectum ſpei, debeat eſſe ſperatum ſibi, abſolutè loquendo, tamen ſuppoſita vnione amoris, qua proximum reputamus vt vnitum, ſeu vt vnum nobiſcum, etiam poſſumus ſperare ei beatitudinẽ per actum ſpei, & non ſolum per actum charitatis, vt docet D. Thomas 2.2.q.17. art.3. concludens, *Quod ſicut eſt eadem virtus charitatis, qua quis diligit Deum, ſeipſum, & proximum, ita eſt eadem virtus ſpei, qua quis ſperat alijs, & ſibi*. Quibus ſanè verbis excluditur actus ſperandi alijs à charitate, & nudo amore beneuolentiæ, & reducitur ad virtutem ſpei, ſuppoſita vnione amoris cum alio. Ratio eſt, quia alteri poſſumus velle bonum arduum, in quantum arduum, & aſſequibile; vt patet quando procuramus, & conamur ſuperare difficultates in aſſequendo bono alterius, vel pro altero; ergo poteſt haberi ſpes, circa talem aſſecutionem, & arduitatem, præſupponendo aliquem amorem, ſaltem beneuolentiæ erga alterum, ſicut ad ſperandum nobis præſupponimus amorem noſtri; verum.

tamen ad ſperandum pro nobis, non debet præſupponi amor vnitiuus ad alteram perſonam, ſed tantum naturalis erga nos, ſuper quem amorem fundatur concupiſcentia, qua volumus nobis bonum, & ſuper iſtam concupiſcentiam fundatur ſpes. At verò reſpectu alterius præſupponitur alius amor beneuolentiæ, quamuis non ſit perfecta amicitia, & talis amor dicitur vnitiuus erga alterum, & ſuper hunc amorem fundatur concupiſcentia erga alterum, qua volo illi bonum, & ſuper hanc fundatur ſpes. Idque ſignificat D. Thomas, quando ait, quod præſuppoſita vnione amoris poſſumus ſperare alteri. Amorem autem concupiſcentiæ non ſolum verſari circa ſe, verum etiam circa alterum ſatis patet, nam ſi volumus ſalutem amico, volitio, vt terminatur ad ſalutem, non eſt amicitia, ſed concupiſcentia, ad perſonam verò, cui volumus tale bonum, terminatur amor amicitiæ. Imo nullus amor concupiſcentiæ eſt, ſine aliquo amore amicitiæ, id eſt beneuolentiæ illius cui concupiſcimus, ſiue nobis ſiue alijs: Et ſimiliter nullus amor amicitiæ eſt ſine amore concupiſcentiæ: quia amor amicitiæ eſt, quo volumus bonum amico; ſicque neceſſe non eſt, quod ſemper ſint diuerſi amores, ſed ſufficit quod ſint diuerſi modi amandi in vno, & eodem amore, quo volumus bonum amico, ſic enim eſt amicitia reſpectu perſonæ, & eſt concupiſcentia reſpectu boni, quod illi volumus. Sicut etiam quando concupiſcimus bonum alicui, non oportet, quod concupiſcamus illi vt fini, ſed vt ſubiecto per tale bonum perficiendo, niſi fortè illa perſona, cui concupiſcimus, ſit finis propter quem operamur; & ſic quando volumus Deum nobis, vel amico, non ordinamus Deum ad nos, ſed potius nos ad Deum quia volumus illum nobis, vel amico tanquam ſubiecto; ſubiectum autem non eſt motiuum, neque eſt finis, ſed eſt res ipſa perficienda per Deum tanquam per bonum concupitum illi; & conſequenter Deus ſe habet vt perfectio, & finis, ſubiectum autem vt perficiendum, & ordinatum ad Deum, ſicque non requiritur, quod omnis beneuolentia erga alterum oriatur ex motiuo complacendi illi, tanquam ex fine per ſe mouente.

Quintò ſupponendum eſt, ſpem Theologicam eſſe in voluntate tanquam in ſubiecto quo; nam vt ait D. Thomas 2.2. quæſt. 18. art. 1. *Habitus per actus cognoſcuntur. Actus autem ſpei eſt quidam motus appetitiuæ partis, cum ſit eius obiectum bonum. Cum autem ſit duplex appetitus in homine, ſcilicet appetitus ſenſitiuus, qui diuiditur per iraſcibilem, & concupiſcibilem, & appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas, vt in 1. habitum eſt, illi motus, qui ſunt in appetitu inferiori, ſunt cum paſſione, in ſuperiori autem ſine paſſione, vt ex ſupradictis patet. Actus autem virtutis ſpei nō poteſt pertinere ad appetitum ſenſitiuum, quia bonum, quod eſt obiectum principale huius virtutis, non eſt aliquod bonum ſenſibile, ſed bonum diuinum. Et ideo ſpes eſt in appetitu ſuperiori, qui dicitur voluntas, ſicut in ſubiecto. Non autem in appetitu inferiori, ad quem pertinet iraſcibilis.* Et in reſponſione ad 1. ait: *quod iraſcibilis obiectum eſt arduum ſenſibile. Obiectum autem virtutis ſpei eſt arduum intelligibile, vel potius ſupra intellectum exiſtens.*

Sextò, & vltimò ſupponendum eſt, hunc ordinem inter ſe ſeruare virtutes Theologicas, vt ſcilicet ordine generationis prior ſit fides, quam ſpes, & charitas, quia intellectus præcedit affectum. In voluntate autem ſpes præcedit charitatem, quia prius debet reputari aliquid vt aſſequibile, & vt proprium ſuum, quam quod perfectè amet illud, & prius eſt concupiſcere vt proprium, quam amare vt amicum; ſic ergo ſpes prior eſt charitate via generationis, quatenus ſpes non importat amorem ita perfectum ſicut charitas, quia ſpes amat bonum ſibi, quod eſt

eſt imperfectiori modo amare, quam charitas, quæ amat bonum propter ſe. Et vt bene aduertit Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 40. art. 7. ſpes procedit ex amore circa bonum ſperatum; nemo enim ſperat, quod non amat, ſed cauſat amorem circa perſonam, à qua bonum ſperat, & quia charitas eſt amor amicitię, qui reſpicit perſonam, idcirco eſt poſterior ſpe, & cauſatur ab illa, ſpes autem cauſatur ex amore imperfecto reſpiciente Deum, vt bonum concupitum.

Cæterum ordine perfectionis præcedit charitas, quæ maior horum eſt, & cæteras perficit, & format, ſiue ſpes formata dicitur ſupponere charitatem, ſicut & fides diuina. Quam duplicem comparationē conſiderat Sanctus Thomas 2. 2. q. 17. art. 7. & 8.

His ita circa naturam ſpei, paulo quidem longius, & neceſſario præſuppoſitis pro intenti noſtri ratione. *Primum* pro certo tenendum eſt, ipſam præ cæteris omnibus virtutibus moralibus ad vnionis myſticæ perfectionem concurrere, vniendo etiam animam Deo, ſiue eam à creatis rebus rapiendo in Deum vt vltimum finem ſupernaturalem, ſummumque bonum noſtrum; oritur enim illa ex amore ſupernaturali Dei, prout eſt tale bonū; qui propterea vocatur Amor concupiſcentiæ: Nam eo amore primum volumus nobis Deum ipſum, aliaque bona ſupernaturalia; vndè naſcitur deſiderium, tum ſpes cupiti boni cum Dei auxilio conſequendi, ac denique timor ab eo recedendi. Sic ergo cum ex D. Thomá 2. 2. quæſt. 104. art. 3. *Virtutibus Theologicis Deo ſecundum ſe inhæreatur*, dubium non eſt, quin ſpes vna ex illis plurimum ſit vtilis vnioni myſticæ, qua mens hominis coniungitur Deo. Et quod ſicut fides in illa nos vnit Deo tanquam ſummæ veritati, charitas tanquam ſummæ bonitati, ita quoque ſpes eidem nos vnit tanquam fini vltimo aſſequibili, nec non primo inſuper principio producendi in nobis omnia media ad eius conſecutionem neceſſaria; ratione cuius ait D. Thomas 1. 2. q. 17. art. 1. quod *Spes noſtra attingit ad ipſum Deum, cuius auxilio innititur*: nec non ex eodem diſtinguitur ab alijs duabus, nam cum charitas vniat nos Deo in ſeipſo; & propter ſeipſum; & fides etiam nos coniungat tanquam principio, vel authori veritatum reuelatarum; *Spes*, inquit Sanctus Doctor, *facit Deo adhærere, prout eſt nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum ſcilicet per ſpem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Quæ duo clarè videtur ſignificaſſe Regius Propheta, dum ait Pſal. 145. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.*

Eo inſuper ſpes dici poteſt nos ſpecialiter vnire Deo, & in ipſum transformare, quod omnis poſſeſſio ei aduerſetur, vbi enim res habetur, aut poſſidetur, ſpes circa illam deſtruitur. Vnde quo magis anima ſe omnibus ſpoliat, vel abdicat, eo magis ſperat, quoque magis ſperat, eo maiorem cum Deo habet vnionem, cum reſpectu ipſius, quo plus anima ſperat, eo plus obtinet, & conſequitur; tunc autem, vt ſtatim dicebam, plus anima ſperat, quando pluribus ſe abdicat; cumque perfecta fuerit eius abdicatio, tunc quoque perfectá eius erit in vnione myſtica Dei poſſeſſio, adeo vt etiam ſpe gaudens dici poſſit.

Secundò, licet Spes Theologica ſubiectiuè ſit tantum in voluntate dici tamen poteſt eam cauſaliter, vel diſpoſitiuè ſe extendere ad perficiendam in vnione myſtica partem cognoſcitiuam, quoad memoriam, ſiue ſit potentia ab intellectu diſtincta, vt volunt aliqui, ſiue non, vt probabilius docet D. Thomas 1. p. q. 79. art. 7. quatenus per ſpem ſuo quoque modo ab omni creato denudatur. Cum enim anima Deo intimè vniri non poſſit in ratione cogniti, & amati, quin prius eius potentiæ perfectè expurgentur; ſicut fi-

des, ex hoc quod intellectum purgat, ac denudat ab omnibus ſuis notitijs naturalibus, & acquiſitis, ſiue miniſterio ſenſuum, tum inde propria virtute elicitis; nec non ab omnibus ſuis notitijs ſupernaturalibus, tam intellectualibus, quam ſenſibilibus diuinitus immiſſis, cuiuſmodi ſunt reuelationes, viſiones, ac ſimilia, vt ſola per fidem reuelata conſideret, mirum in modum concurrit ad perfectiorem intellectus cum Deo vnionem, & charitas ad illam voluntatis, purgando eam, quantum poteſt ab omni prorſus affectu inordinato; Ita quoque ſpes, cuius proprium eſt euacuare memoriam ab omnibus rerum terrenarum ſpeciebus, earumque obliuionem ipſi inducere, vt ſe totam diuinæ, ad quam aſpirat, poſſeſſioni reſeruet, non poteſt inde non eſſe, & vocari optima diſpoſitio ad perfectam eiuſdem memoriæ cum Deo vnionem. Iuxta illud Regij Prophetæ pſal. 44. *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet rex decorem tuum; quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Cuius etiam ſanctæ obliuionis interdum clarum eſt ſignum & argumentum, quod nonnulli vix recordentur cibi, vel potus, aliarumque ſimilium rerum, aut ſi hoc, vel aliud egerint, adeo abſorpta eſt eorum in ſolo Deo ſperato memoria.

Tertiò, ſpem quoque in vnione myſtica neceſſariam eſſe, ſiue conducere ad charitatis perfectionem, ex eo potiſſimum colligitur, quod ſine ſpe, amicitia cum Deo ſupernaturalis conſiſtere non poſſit. Cum enim obiectum formale diuinæ amicitiæ, qualis eſt diuina charitas, ſit ipſa Dei bonitas intrinſeca, prorſus neceſſe eſt eam nobis innoteſcere, & ad nos vſque aliquo modo deriuari, vt voluntatem noſtram mouere poſſit; quod cum aliter fieri non poſſit, quam continua effuſione donorum diuinorum, ſine quibus Dei bonitas, quamuis ſit in ſe infinito amore digna, non videretur ad nos ſpectare, atque adeo vix nos afficeret: Hinc eſt, quod hæc effuſio in intellectu noſtro inſigniter per fidei lumen reſplendens, indeque diuina bonitas, vt amabilis propoſita, licet propriè ſpectet ad amorem concupiſcentiæ, & virtutem ſpei, quam ſolet corroborare, non poteſt quoque nõ eſſe efficax admodum medium ad Dei amorem propter ſe in nobis excitandum, reddendamque ipſam Dei bonitatem longè magis amabilem, non quia nobis bona eſt, vel vtilis, ſed quia in ſe eſt huiuſmodi, vt ſine vllo merito noſtro, ex ſincera beneuolentia, ſe ſe totam extra ſe in nos effundat, & ex immenſo theſauro ſuo tot tantaque bona naturæ, gratiæ, & gloriæ ad nos ditandos adeo copioſè, & abundè communicet. Vndè ſic Deum affatur D. Bernardus ſer. 20. in Cant. *Super omnia te mihi amabilem reddit, Domine Ieſu, Calix paſſionis, quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ. hoc omnino amorem noſtrum facile totum ſibi vendicat, hoc, inquam, eſt, quod noſtram deuotionem, & blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit.* Diuus autem Thomas 2. 2. q. 25. art. 1. ait, veram amicitiam neceſſariò fundari in aliqua communicatione inter Deum, & hominem, ea ſcilicet, qua Deus ſuam nobis beatitudinem, mediaque ad illam neceſſaria communicat, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 11. *Fidelis Deus; per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.*

Inſuper quia ſpes non ſolum communicatorum iam antea nobis bonorum intuitu diuinum in nobis excitat amorem, ſed maximè certa futurorum expectatione, quæ magis ſunt propriè eius obiectum, hinc quoque ſpecialiter neceſſaria ad charitatis perfectionem dici poteſt, & quaſi quodam pondere trahere in illam, vt ſuam vltimam formam, qua ſimul cum ipſa ſperata beatitudo obtineri poteſt. Et tandem quia in toto ſalutis, & perfectionis progreſſu multæ ſe ſe offerunt, magnæque difficultates, & ardua pluſima, tum perficienda, tum perferenda,

da, quæ ſine certa præſentis auxilij diuini ſpe vinci non poſſunt; atque adeò non tantum propoſito præmio efficit, vt iudicemus non eſse condignas paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & conſequenter, vt ſeminemus nō deficientes: verum etiam aduerſus omnes difficultates; aut impedimenta promptum in Deo nobis repoſitum auxilium offert, quo facile omnia ſuperemus; ex hac ſimiliter parte ſpes regiā charitati ſternit viam, non ſolum vt in anima naſcatur, cæteris omnibus, præ vna Dei amicitia, contemptis, verum etiam vt in illam iam admiſſam indefeſse concurrant omnes animæ vires, quo & diutius foueatur, & cumulatius augeatur.

Quartò, cum ita ſpes ſe habeat ex parte obiecti primarij, concurratque ad vnionis myſticæ perfectionem, iam ſi conſideretur ex parte obiecti ſecundarij comprehendentis omnia prorſus media ad æternam ſalutem quomodocumque ordinata à Deo; in hoc conſiſtit, nec non ad eiuſdem vnionis myſticæ perfectionem conducit, quod anima per illam in dictis medijs, quæcunque ſint, Deum attendit non ſolum vt ea dantem, & ſingulari prouidentia diſponentem, verum etiam, vt cum ijs concurrentem, & eatenus tantum in ijs ſperat, nec aliunde quam ab eius voluntate felicem exitum expectat. Vnde etiam oriri ſolet magna noſtræ in ipſam reſignatio, inconcuſsa mentis tranquillitas, & ſolida prorſus, atque moderata, ac de ſe, ſuiſque viribus diffidens ſecuritas in omnibus huius vitæ euentibus. Adeo vt non immeritò talis ſpes dici poſſit beatitudo vitæ mortalis, ſi qua hic beatitudo eſse poteſt. De quo videri poteſt D. Auguſtinus lib. 19. de ciuit. Dei cap. 4. nec non ſuperius à nobis dicta agentibus de actibus huius virtutis circa ſuum obiectū ſecundarium.

Quintò tandem, & vltimò, quia ſpes Theologica tam reſpectu primarij, quam ſecundarij obiecti, quamdam importat certitudinem, vel firmitatem, proptereaque definitur, quod ſit virtus diuinitus infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona expectantur, ſupereſt explicandum in quo talis certitudo conſiſtat, nec non perfectis maximè conueniat. Igitur cùm *primò* certum ſit ex diuina Scriptura, ſpem Theologicam habere certitudinem, ac firmitatem obiectiuam ex parte Dei, cuius auxilio infallibili mouetur, ſic enim ait Apoſtolus Roman. 5. *Spes autem non confundit*; & Hebr. 6. *Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*. *Secundò*, quod ex parte voluntatis habeat certitudinem participatiuam, & practicam. *Tertiò*, quod ex parte cognitionis non detur aſsenſus, quaſi ſpeculatiuus certus de aſsecutione rei ſperatæ. Tota difficultas conſiſtit in duobus. *Primò*. Qua ratione voluntas poſſit participare certitudinem; cum intellectus illā non habeat? neque enim poteſt formare aſsenſum certum de aſsecutione rei ſperatæ, vt ſupponitur, & definitum habetur in Concilio Tridentino ſeſs. 6. c. 13. dum ait: *Quod de perſeuerantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. *Secundò* quomodo quam habet certitudinem poſſit mediante fide participare, vt docet Diuus Thomas 2. 2. q. 18. art. 4.

Vnde pro explicatione primi notādum eſt, non eſse de ratione ſpei certitudinem ſpeculatiuam, ſed practicā, quatenus eſt certitudo tantum affectus; dicitur autem *certitudo ſpeculatiua* illa, quæ reſpicit veritatem rei, & menſuratur penes eſse, vel non eſse illius, ſicut in præſenti materia, ſi habeatur iudicium, & aſsenſus circa ipsā beati-

beatitudinis aſſecutionem, quod de facto erit, vel non erit, & hoc niſi reuelante Deo haberi non poteſt: At *certitudo practica* non reſpicit veritatē ipſam rei ſecundum quod de facto aliquid erit, vel non erit; ſed attendit ſolum regulas prudentiæ, ſecundum quas aliquid poteſt efficienter, & determinatè appeti.

Iterum aduertendum eſt, certitudinem voluntatis aliter regulandam eſſe in actu fruitionis, ſeu gaudij, & aliter in actu aggreſſionis, vel ſpei. Prima enim certitudo eſt omnimoda, & abſoluta, ſupponitque ſpeculatiuam certitudinem in intellectu, eo quod fruitio eſt de re poſſeſſa, & actu præſenti. Secunda verò certitudo eſt præcisè practica, conſiſtens in hoc, quod habeat certam, & debitam regulationem in hoc pariter conſiſtentem, quod voluntas ſufficiens habeat motiuum non vacillandi, & retrocedendi, ſed efficaciter, & rectè tendendi in finem. Quemadmodum enim datur in intellectu plena determinatio, & reſolutio, quando perfectè conuincitur ad aſſenſum, ita quoque tunc plena datur determinatio circa reſolutionem voluntatis, quando illi repræſentatur, quamuis non ita perfectè, ſufficiens tamen motiuum non deficiendi in intentione finis: tota autem ſufficientia, ac certitudo talis motiui pendet ex certitudine mediorum, quibus poteſt perduci ad conſecutionem finis; ſi quidem per certitudinem mediorum debent difficultates vinci; atque adeo ex illis pendet, quod obiectum ſpei appareat vt vincens.

Hanc autem certitudinem de medijs in ſpe Theologica, ſeu quod non deficient quantum eſt ex parte Dei, fides nos docet omnipotentiæ eius, miſericordiæ, promiſſionis, veracitatis, & auxilij, quod iuramento pollicitus eſt nobis ad aſſequendas res ſperatas; vti vrget Apoſtolus Hebr. 6. & 11. affirmans, quod *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*. Quantum eſt verò ex parte noſtra, quod defecturi non ſimus, fides non docet, ſed tamen prudentialiter regulat, ne propter defectum ex parte noſtra ſe tenentem, debeamus deſperare, quia huiuſmodi defectus eſt ex parte conditionis ſubiecti defectibilis, non ex parte mediorum, quæ etiam ſufficiunt ad ſuperandam hanc defectibilitatem ſubiecti. Vndè ſpes pro vt innititur medijs ſemper habet ſufficientem certitudinem ad prudentem regulationem, & efficacem tendentiam in finem. Quia licet ex parte ſubiecti voluntariè per peccata ſua poſſit illa media à ſe repellere, attamen firmitas ſpei, & eius dictamen non fundatur in eo, quod tenet ſe ex parte ſubiecti, ſed ex parte mediorum. Sic ergo datur duplex certitudo in obiecto ſpei; vna credita per fidem, altera regulata per fidem, quatenus extenſiuè eſt practica, & non tantum ſpeculatiua. Certitudo credita per fidem eſt ipſa conuenientia obiecti, & aſſequibilitatis eius, quantum eſt ex parte omnipotentiæ, & voluntatis diuinæ, vndè qui hoc negaret deſperando, nedum deſperationis, ſed & infidelitatis peccatum committeret. Certitudo autem regulata tantum per fidem eſt illa, qua media applicantur ſubiecto, & ex parte ſubiecti apparet defectibilitas, qua talia à ſe media reijcere poteſt, quocirca requiritur tanquam conditio neceſſaria, vt fiat comparatio ex parte ſubiecti quantum ad proportionem, quam iuxta ſuum ſtatum habet reſpectu finis adipiſcendi. Qua in comparatione cum obiectum ſpei reguletur practicè à fide, quatenus, vt dicebam, extenſiuè eſt practica, non autem certificatur ſpeculatiuè de illa, inde ſequitur euerti poſſe, ac deſtrui iſtam conditionem requiſitam ad ſperandū, non euerſa certitudine credita per fidem circa ipſum obiectum ſperatum, & eius conuenientiam; poſſumus enim deficere in ſpe, non ſolum ex negatione bonitatis obiecti, ſeu poteſtatis Dei

ad

ad auxiliandum, verum etiam ex defectu conditionis requiſitæ, vel neceſſariæ ad ſperandum, nimirum quia comparando nos ad aſſecutionem illius boni cenſemus ita eſſe exceſſiuum, vt de facto nunquam detur nobis auxilium ad illud obtinendum, & ſic ex puſillanimitate recedendo, non ex negatione bonitatis obiecti peccatur quidem cōtra ſpem, non verò contra fidem, quia hanc comparationem, ſeu applicationem inter nos, & bonum aſſequendum regulat fides, non credit, nec credendum proponit. Vnde patet ad primū, quomodo nimirum voluntas in actu ſpei participare queat certitudinem.

Nunc quantum ad ſecundum, ſeu quomodo poſſit participare iſtam certitudinem mediante fide, vel quale ſit illud iudicium peculiare, quo mediante fides cōmunicat ſpei certitudinem: pro eius explicatione ſupponendum eſt ex ſtatim dictis, fidem communicare ſpei duplicem certitudinem, vnā creditam, & quaſi ſpeculatiuam, alteram regulatam, & quaſi practicam; Et vtramque ad ſperandum ita requiri, vt ex cuiuſcunque defectu poſſit deficere ſpes. Prima certitudo eſt, quod ex parte Dei nunquam deficiet in perducendo nos ad aſſecutionem ſalutis, vt dictum eſt ſupra: quæ certitudo eſt quaſi in communi, quia ſolum eſt de eo, quod omnibus commune eſt, non autem quaſi non habeat indiuidua, de quibus talis certitudo detur, nam eodem modo eſt certum, Deum ex parte ſuæ virtutis, ſeu potentiæ, & ſuæ bonitatis, qua vult omnes ſaluos fieri, nulli deficere, atque mihi non deficere. Defectu cuius diſtinctionis hallucinantur nonnulli doctores, nec Diui Thomæ mentem penetrant, quando docet, poſſe aliquem retenta recta exiſtimatione in communi, quod omnis fornicatio eſt mala, corruptam habere exiſtimationem in particulari, quod hic, & nunc ſit bonum ſibi eligere fornicationem, vt habetur 2. 2. qu. 20. art. 2. & q. 162. art. 4. ad 2. Non enim eſt ſenſus, quod aliquis poſſit, exiſtimare hanc fornicationem in particulari eſſe bonam, retenta oppoſita exiſtimatione circa illam in communi, nam ita erraret contra fidem, qui putaret hanc fornicationem in particulari eſſe bonam, ac qui diceret omnem eſſe bonam, vel ita ſine errore fidei aliquis poſſet eligere omnem fornicationem, ac aliquam in particulari. Sed ſenſus eſt, quod retēta exiſtimatione in communi, quod omnis fornicatio eſt mala moraliter, quo in iudicio neceſſariò includitur, quod etiam iſta in particulari ſit mala moraliter, poſſit tamen habere exiſtimationem, quod ſibi ſit bona non moraliter, ſed delectabiliter iſta in particulari, vel etiam omnis fornicatio, quam voluerit eligere. Vnde illud vocatur iudicium in communi, & hoc in particulari, quia illud ſpectat quaſi ad naturam, & eſſentiam fornicationis, vt actus moralis eſt, & ita eſt iudicium ſpeculatiuum, quod de ſe reſpicit naturam obiecti, & actus, quando de ſingulari iudicat: hoc autem ſecundum pertinet ad applicationem practicam vt eligatur, quæ applicatio ſemper eſt rei in particulari.

Eodem pariter modo diſcurri poteſt in obiecto ſpei, primam ſcilicet certitudinem, quæ datur à fide eſſe quaſi ſpeculatiuam, & creditam, quod nimirum Deus ſit potens, & volens ex parte ſua auxiliari, & hæc dicitur certitudo quaſi in communi, quia reſpicit id, quod ex natura ſua obiectum ſpei exigit. Secunda autem certitudo eſt quaſi practica, quatenus intellectus per fidem eleuatus iudicat prudenter, & rectè ſpem procedere ad ſperandum, habere ſufficientia motiua, quibus efficaciter excitetur ad tendendum in Deum, etiam ſi de ipſo euentu non habeat omnimodam certitudinē, quia habet ſufficiens inductiuum in medijs, atque adeò certò fides iudicat, nobis eſſe applicata talia media, vel applicanda iudicio practico regulatiuo, non vero iudicio aſſenſus, & credibilitatis, & ſic

& ſic non credit certò, ſed dirigit certò, & inducit prudentialiter, non certitudinem aſſenſus veritatis, ſi quidem fides pro ea parte, qua format iudiciũ practicũ non habet certitudinem credibilitatis, verùm certitudinem prudentiæ, ſeu practicam, & conſequenter illud iudicium, quod Deus mihi dat auxilia, & media requiſita, eſt actus fidei practicus, non ſpeculatiuus, quo destructo poteſt aliquis, vt dictum eſt, deſperare, non destructa fide, quia fides non deperditur per hoc, quod dictamina practica per ipſam regulata deſtruantur, ſed per hoc, quod ſpeculatiui aſſenſus per infidelitatem abijciantur.

Ex quibus iam ſatis conſtat, quanta etiam in perfectis poſſit eſſe ſpei certitudo. Primum enim, quod omnibus fidelibus, ac iuſtis commune eſt, nedum poſſunt, ſed & debent habere certitudinem fidei ſpeculatiuam, vel in communi circa obiectum ſpei, tam primarium, quod eſt beatitudo æterna, quam ſecundariũ, cuiuſmodi ſunt omnia aſſequendę huiuſmodi beatitudinis media. Secundò ſi conſideretur applicatio huiuſmodi mediorum ex parte noſtra, nequaquam de illa poſſunt ordinariè habere certitudinem fidei ſpeculatiuam, ſiquidem nullus eſt, ex Concilio Tridentino, tali certitudine certus de ſua ſalute, poſſunt tamen ex eodem Concilio, quod abſolutè ſufficit, habere certitudinem quaſi practicam, quatenus fides ipſa, quæ per dilectionem operatur practica eſt, dirigitque voluntatem prudentialiter, vt eliciat actum ſpei efficacem tendendi in aſſecutionem finis, quia cum ex parte Dei ſimus certi de indefectibilitate tam poteſtatis, quam voluntatis eius, fides format dictamen practicum certum de omni requiſito ad tendendum firmiter in aſſecutionem finis ex parte mediorum, quorum firmitati tantum nititur fides, non autem firmitati ex parte noſtra, quam fides non certificat, neque etiam requiritur ad formandũ dictamen practicum, & prudentiale de tendentia in illum finem certa. Nam ſi haberemus certitudinem fidei de aſſecutione, & medijs, etiam prout recep tis in nobis tanquam in ſubiecto, haberemus etiam certitudinem ſpeculatiuam, & non tantum practicam.

Quia igitur ſpes non regulatur per ea, quæ tenent ſe ex parte ſubiecti, ſed ex parte motiui, cui innititur, inde eſt, quod practicè ſpes eſt certa, quia ex parte ſuę regulationis, & motiui certæ regulæ innititur, ratio autẽ practici ex conformitate ad regulam deſumitur, vnde quo perfectius illi ſpes innititur; eo excellentior eſt, excluditque in illam habentibus omnem hæſitantiam, & fluctuationem inordinatam aſſequendi vitam æternam, maximè per merita Chriſti Saluatoris noſtri, ſiquidẽ vt ait Apoſtolus Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*; qui etiam propterea ab eodem dicitur Coloſſ. 1. *In nobis ſpes gloriæ*, & abſolutè, *ſpes noſtra*, 1. Timoth. 1. At ex parte ſubiecti, ſiue attenta eius defectibilitate certa non eſt, indeque viri, quo magis ſunt perfecti, cum talem ſuam defectibilitatem, & ante Deum paruitatem, ac nihilitatem melius agnoſcant, eo etiam magis cum timore, & tremore ſuam operantur ſalutem, talique motiuo retrahuntur à peccato præſumptionis, quod per exceſſum opponitur ſpei, & cõſiſtit in hoc, quod ſit temeraria expectatio beatitudinis, mediorumve illius, temeraria, inquam, ex duobus capitibus præcipuè, ſcilicet innitendo nimis proprijs viribus: vel innitendo inordinatè diuinæ miſericordiæ, & potentiæ. Sicut attento primo motiuo Dei auxiliantis retrahimur à peccato deſperationis, quod per defectum opponitur eidem ſpei, & conſiſtit in hoc, quod ſit diffidentia beatitudinis per media aſſequendæ, vel aſſequendi beatitudinem, mediave ad illam. Sicque eſt duplex deſperatio:

tio: vna eſt diffidentia verſans circa ipſam beatitudinem: alia circa media, ad illam aſſequendam.

Ad eamdem quoque ſpem perfectorum propriam reuocanda eſt qualitas illa, vel gradus, aut modus ille, quem Theologi robuſtum, & magnanimum appellant ex D. Thoma 2. 2. q.129. art.6. vbi oſtendit quod, quia fiducia importat quoddam robur ſpei, proueniens ex aliqua conſideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono aſſequendo, inde ad magnanimitatem pertineat. Qua etiam qualitate attenta in ſpe, comparatur ab Apoſtolo 1. Theſſal.5. Galeæ, & Hebr.6. anchoræ tutæ, & firmæ. Et de eadem, ſimulque de rationibus, quibus homo eam poſſit adipiſci, ſic ſcribit S. Bernardus ſerm. 3. de 7. panibus. *Tria ſunt, quæ ſic roborant, & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propria vilitatis, nulla æſtimatio cæleſtis beatitudinis ab altitudine ſpei deijcere poſſit in ea firmiter radicatum. Tria igitur conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit, charitatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis: murmuret iam, quantum voluerit inſipiens cogitatio mea dicens: quis enim es? aut quanta eſt gloria illa, quibusve meritis obtinere ſperas hanc? Et ego fiducialiter reſpondebo, ſcio cui credidi, & certus ſum, quia in charitate nimia adoptauit me; quia verax in promiſſione, quia potens in executione; licet enim ei facere quod voluerit: hic eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur; quem nobis à patria noſtra in hunc carcerem vſque demiſſum, firmiter obſecro teneamus, vt ipſe nos ſubleuet, ipſe nos trahat, & pertrahat vſque ad conſpectum magni Dei.*

Huic inſuper ſpei robori coniungitur alia in perfectis qualitas, vel gradus ſecuritas dictus ex D.Thoma loco citato art. 7. conſiſtens in hoc, quod animum contra aduerſos omnes huius vitæ impetus tranquillum reddat, & in Dei auxilio quieſcentem, iuxta illud *Tantummodo in me auxilium tuum.* Summa item alacritas, de qua S.Paulus ait: *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti*, Rom.15. Hac perfuſus dicebat Dauid Pſal. 90. *Quoniam tu es Domine ſpes mea.* Quæ verba explicans D. Bernardus ſerm. 9. in eumdem Pſalmum, poſt multa ſic ait: *Saluabit eos: quare? quibus meritis? audi, quid ſequitur, quia ſperauerunt in eo: dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. De quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos. Ecce numera tribulationes, ſecundum multitudinem earum conſolationes eius lætificabunt animam tuam, dummodo ad alium non conuertaris, dummodo clames ad eum, dummodo ſperes in eum, nec humile aliquod, vel terrenum, ſed altiſſimum ponas refugium tuum.*

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, quæ, & quanta ſit in perfectis ſpei certitudo, quique gradus eius; nec non patet ad exempla, quibus nonnulli illam infirmare conantur. Primum eſt illius, qui intenderet emere ciuitatem à Rege pecunia ab ipſo danda, hic enim ſi non eſſet certus, quod talis pecunia illi daretur non poſſet habere certitudinem in voluntate de obtinenda ciuitate: ergo ſimiliter ad certitudinem ſpei non ſufficit, quod ipſa media ſecũdum ſe habeant firmam, & certam connexionem cum beatitudine, niſi inſuper nobis conſtet de applicatione talium mediorum ad nos. Alterum exemplum eſt, quia quotieſcunque in intellectu proceditur ex vna præmiſſa fallibili, quantumcumque alia infallibilis adiungatur, concluſio manet fallibilis, & incerta; ergo à pari, licet in ſpe habeatur certitudo fidei in communi, quod Deus ſit potens, & volens ex parte ſua auxiliari, quia tamen vnũ ex medijs, à quo dependet conſecutio noſtræ ſalutis eſt fallibile, ſcilicet liberum arbitrium, & opera noſtra, non poteſt in particulari inferri aſſenſus certus.

Ad primum enim exemplum de intendente emere ciuitatem pecunia, de qua non eſt certus, quod ſibi donabitur à Rege; negatur paritas; oppoſito enim modo ſe habet in ſpe, nam ille emptor eſt certus de voluntate recipiendi pecuniam, incertus autem de eius donatione; in ſpe autem ſumus certi, quod Deus vult dare auxilium, neque ex parte ſua deficit, incerti autem de voluntate noſtra, quod ſit ſicut oportet; & ideo ſpes ex parte ſui motiui certiſſima manet, ex parte verò ſubiecti certa non eſt. Cum igitur ſpes quoad ſuam certitudinem non reguletur per ea, quæ tenent ſe ex parte ſubiecti, ſed ex parte motiui, cui innititur, inde eſt, quod practicè eſt certa, quia ex parte ſuæ regulationis, & motiui certæ regulæ innititur, certum eſt enim, quod ratio practici ex conformitate ad regulam deſumitur.

Ad ſecundum reſpondetur procedere ex falſa ſuppoſitione; liberum enim arbitrium, & opera eius ſecundum ſe, & vt fallibiliter procedunt, non ſe habent vt medium, ſed vt ſubiectum recipiens à Deo virtutem, & fortitudinem, quibus quaſi medijs in eum vt vltimum finem tendat. Vnde ſpes non innititur libero arbitrio, & operibus vt ab ipſo procedunt, quaſi medijs quibus reguletur in ſperando. Propterea que non valet exemplum de duplici præmiſſa concurrente ad aſſenſum conclusionis, altera euidenti, altera probabili, quia ibi vtraque ſe tenet ex parte medij; in præſenti autem fallibilitas liberi arbitrij tenens ſe ex parte ſubiecti, non concurrit vt medium, ſed ſolum opera meritoria, vt ſunt ex gratia Dei, & ſic totum cui innititur ſpes, & à quo practicè regulatur eſt id, quod tenet ſe ex parte Dei, indeque ſuam habet certitudinem practicam, ſeu in particulari; ſemper tamen præſuppoſita certitudine fidei in communi, vel ſpeculatiua, vt explicatum eſt ſupra.

Vltimò tandem aduertendum eſt, omnes perfectos, quantumuis tales, maiorem ſpei certitudinem non habere in particulari, ſiue quò ad applicationem, quam practicam, aut prudentialem, ordinariè loquendo, nàm extraordinariè, ſiue Deo alicui reuelante, ſuam æternam prædeſtinationem, dubium non eſt, quin certam abſolutè ſpem de ſua ſalute habere poſſet. Vtrum autem huiuſmodi reuelatio priuata, aut ſimiles pertineant ad fidem in communi, illaque certò credendæ ſint, explicabitur ſectione ſequenti.

CAPVT XIII.

Quomodo in vnione myſtica tria Spiritus Sancti dona ad vim appetitiuam ſpectantia animam perficiant, ac eleuent.

Poſtquam in ſuperiori Sectione egimus de quatuor donis Spiritus Sancti ad intellectum pertinentibus, eumque maximè perficientibus in vnione myſtica perfectorū propria, nunc agendum de alijs tribus, nimirū Pietate, Fortitudine, & Timore, quæ correſpondent parti appetitiuę, & virtutibus Cardinalibus ad illam ſpectantibus. Quemadmodum enim donum Conſilij correſpondet prudentiæ; ita pietas religioni, & toti materiæ iuſtitiæ, quæ eſt in voluntate; donum Fortitudinis virtuti fortitudinis, quæ eſt in iraſcibili; donum Timoris virtuti temperantiæ; quatenus ex timore Dei retrahitur homo à cōcupiſcentijs carnalibus, iuxta illud Pſalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Quamuis etiam donum Timoris correſpondeat virtuti ſpei, quatenus primò, & per ſe intendit reuerentiam Dei ad vitandam eius offenſam, & reprimendam præſumptionem, quæ opponitur per exceſſum ſpei. Vndè ait S.Thomas 2.2. q.141. art.2. ad 3. *Quod donum Timoris principaliter quidem reſpicit Deum, cuius offenſam vitat, & ſecundum hoc correſpondet virtuti*

tati Spei, vt ſupradictum eſt. Secundario autem poteſt reſpicere quæcunque aliquis refugit ad vitandam Dei offenſam. Maximè autem indiget homo timore diuino ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt, circa quæ eſt temperantia, & ideo temperantiæ etiam correſpondet donum timoris. Quæ omnia in ſequentibus Paragraphis explicabimus pro inſtituti noſtri ratione, & neceſſitate.

§. I.

De Dono Pietatis.

PRimò ſupponendum eſt, quod iam diximus ſupra ſect. 3. cap. 8. ſcilicet donum pietatis eſſe diſtinctum à dono timoris. Etſi enim cultus, quẽ reſpicit pietas, & reuerentia, quam timor exhibet, multum aſſimilentur, tamen differunt ex parte materiæ, & rationis formalis, ſiquidem pietas reſpicit pro materia cultum, vt exhibendum Deo, idque per modum proſecutionis, in quantum conſideratur vt beneficus, & principium omnis boni in nos. At verò timor reueretur Deum reſiliendo ab ipſo in propriam paruitatem, vt à principio ſummæ maieſtatis, & potentiæ infligere malum. Timor enim etiam reuerentialis non reſpicit perſonam, quam timet vt beneficam, ſic enim potius erga illam demulcetur, quam terretur, ſed vt habentem poteſtatem infligendi malum, etſi nolit de facto vnquam infligere.

Secundò quoque ſupponendum eſt ex ibidem dictis, quod donum pietatis diſtinguitur à religione infuſa, ſiue à virtute pietatis, quæ dicitur latria, cui maximè videtur correſpondere. Quæ diſtinctio iuxta veriorem D. Thomæ ſententiam 2. 2. q. 121. art. 1. deſumitur ex hoc, quod donum pietatis reſpicit Deum, vt patrem. Quod vt magis explicetur, aduertendum eſt, multis rationibus, & motiuis teneri nos obſequium, obſeruantiam, venerationem, & cultum Deo optimo maximo exhibere. Primum vt maiori, hoc autem eſt virtutis obſeruantiæ, cuius proprium munus eſt maioribus nos reddere obſequentes. Secundò, vt Domino, cuius ſunt omnia, & cui debentur omnia, quæ habemus; & hoc eſt virtutis iuſtitiæ, qualis ad Deum poteſt eſſe hominis iuſtitia, quæ non eſt ſicut ad alium hominem, horum enim æqualia, & impermixta poſſunt eſſe dominia, cum tamen ab altiſſimo Dei dominio eximi nihil poſſit. Tertio tenemur præſtare Deo omne obſequium, & reuerentiam quatenus ſummo benefactori, & bonorum omnium largitori: hoc autem ſpectat ad virtutem, quæ dicitur gratitudo. Quartò quatenus rerum omnium conditori, primo principio, & creatori; cui propterea ſupremum cultum debemus ex virtute Religionis. Quinto quatenus Patri; qui nos licet indignos per gratiam in filios adoptauit, atque id per pietatem præſtamus, cuius proprium eſt exhibere obſeruantiam parentibus. Quod vbi fit iuxta regulas humanæ rationis eſt ſimplex virtus pietatis; vbi verò accipiendo aliquid diuinum pro menſura eſt donum pietatis; vt docet D. Thomas in 3. diſt. 34. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. vbi diſtinguens pietatis donum à pietate virtute, quæ reddit cultum Deo ait: *Quod quamuis pietas virtus, quę latria dicitur, ipſi Deo exhibeatur, in hoc tamen accipit aliquid humanum pro menſura, ſcilicet beneficium à Deo acceptum, ratione cuius eſt debitor ei; ſed pietas, quæ eſt donum accipit in hoc aliquid diuinum pro menſura, vt ſcilicet Deo honorem impendat, non quod ſit ei debitus, ſed quia Deus honore dignus eſt, per quem modum etiam ipſe Deus ſibi honori eſt.*

Itaque pietas donum, & religio infuſa, ſeu latria, quæ eſt pietas virtus formaliter, ac ſpecificè differunt ex diuerſa ratione debiti, quæ eſt id, quod formalius, & intimius attendi debet in his virtutibus, quæ ſunt ad alterum; ex diuerſa enim ratione debiti oritur diuer-

diuerſa virtus ad alterum. Indeque D. Thomas ex intimis diſtinxit hæc duo, dum ait, religionem ita reſpicere rationem cultus in Deo, vt fundet illum in ratione debiti, ſcilicet reſpiciendo beneficia Dei erga nos, ſiue Deum non in ſe, & ratione ſui, ſed ratione effectuum, quos in nobis operatur, tum retributionem, quam debemus ei iuxta modum talium beneficiorum, vel effectuum in ordine, & linea ſupernaturali, ſecundum illud Pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Vbi inuocatio Domini, quæ eſt actus religionis fit per modum retributionis, & debiti, ad id quod Dominus retribuit, & dat nobis. At verò donum pietatis relicta hac menſura retributionis, & largitionis bonorum reſpicit Deum non identicè ſolum, ſicut religio, ſed formaliter vt patrem, prout in ſe, & ratione gloriæ, & maieſtatis propriæ, etiamſi nullum premiũ nobis daret, ſed mala infligeret; ſiue honorat, & magnificat Deum ratione ſui in quadam nuditate, & annihilatione omnium, ſolum attendens ad magnitudinem diuinam in ſe, & propter ſe, iuxta illud aliud Pſalm. 33. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum*; hoc eſt, non in his, quæ nobis tribuit, nec iuxta menſuram beneficiorum colamus, ſed propter ipſum, & in idipſum.

Tertiò loquendo de obiecto materiali, ſeu materia, ad quam ſe extendit donum pietatis, primaria, & principalis eſt, in ordine ad cultum Dei, reſpiciendo ipſum, non vt Dominum, & Creatorem, ſed vt Patrem, iuxta illud Roman. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Et hoc ideo, quia in ordine ſupernaturali gratiæ Deus habet ſe erga nos ſicut pater. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*, vt habetur Iacob 1. propterea que neceſſe eſt in hoc ordine gratiæ nos moueri erga ipſum, vt erga patrem, cum per illam ſimus filij adoptiui, quodque conſequenter non ſolum reddamus cultum ei debitum, vt Domino, quod præſtat religio, verum etiam vt Patri, cuius hæreditatem in gloria expectamus. Atque hæc eſt ratio cur donum Spiritus Sancti, quod in parte appetitiua reſpicit debitum ad alterum, ſeu erga Deum non vocatur donum religionis, ſeu latriæ, ſed donum pietatis, quia cum pietas inter nos ſit virtus, quæ reddit honorem parentibus, illa quæ in genere ſupernaturali reſpicit Deum vt Patrem, quia filij Dei nominamur, & ſumus, retinet nomen pietatis. Meliuſque adhuc donum dicitur eſſe, quam virtus; quia ſicut paruuli infantes, vt ſe parentibus ſuis præſtent, quales eſſe conuenit filios erga parentes, inſtrui per omnia opus habent, & non tam agere, quam agi, portari, & in quacunque re aliena manu regi, & gubernari; ita nos, vt Patri ſpirituum, cui comparati non infantes modo ſumus, & paruuli, ſed etiam penè nulli, vt ait Pſalmiſta, *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui, &c.* quales eſſe filios decet erga talem Patrem, inſtinctu ſublimiori Spiritus Sancti agamur neceſſe eſt, doceamur quantus ille ſit, quãta cum reuerentia illum colere, quanta ad eum cum fiducia accedere debeamus. Et hoc eſt planè, quod citato loco ait Apoſtolus; *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.*

Secundaria verò, vel acceſſoria huius doni materia, ſiue ad quam ſecundariò, & acceſſoriè, ſub eadem tamen ratione formali ſpecifica, extenditur, eſt omnis communicatio, & debitum erga alterum, vt docet S. Thomas in 3. diſt. 34. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. *Pietas donum*, inquit, *vno, & eodem modo*

dirigit in communicationibus omnibus, quæ ad alterum ſunt, aliam tamen menſuram accipiens, quam virtutes; quæ menſura ſimplex eſt, & vna, & ideo pietas vnus habitus eſt ſpiritualis, & ex comparatione ad hanc menſuram omnis actus eius ſpecificatur. Sicque pietas inter dona partis appetitiuæ correſpõdet iuſtitiæ virtuti Cardinali in omni ſua materia, & latitudine, ſub altiori ratione formali, ſeu habente aliquid diuinum pro menſura cõplectens omnia ad quæ ſe extendit iuſtitia, tam erga Deum, quam erga homines in ordine ſupernaturali.

Hæc autem doni Pietatis extenſio ad omnes alias creaturas, quibus in gratia communicat, aut communicare poteſt, quod non habet religio, quæ eſt virtus, ſed ipſa ſola reſpicit Deum, vt colendum, requiruntur verò aliæ virtutes ad reſpiciendum homines in ratione debiti, deſumitur ex ipſa ratione formali huius doni, qua diſtinguitur à religione etiam infuſa. Hæc enim, cum reſpiciat cultum debitum Deo ſub ratione excellentiæ propriæ, & peculiaris ipſius Dei, in qua alius non communicat, quia *gloriam meam*, inquit ipſe, *alteri non dabo*. Et ideò vocatur latria, quo cultu nefas eſt alium præter Deum colere: indè neceſſariò ſiſtit in Deo, nec extenditur ad honorandas creaturas formaliter, & elicitiuè. At verò pietas donum, cum reſpiciat Deum vt Patrem, inde exigit extendi ad creaturas, ſeu ad homines, quatenus ſunt filij Dei. Quemadmodum enim pietas virtus reſpiciens in parentibus ipſam rationem originis, rationeque eius venerationem exhibens Patri, vt habenti authoritatem principij, totum id colit, vbi communicatur, & reperitur hæc ratio originatiua, & participatio eius, ſicque per illam non ſolum obſeruamus parentes, ſed et am cognatos, & fratres, & alios in eadem ſtirpe ſanguinis communicantes. Ita quoque in his, qui ex Deo nati ſunt, & ex ſpiritu regenerati, oportet donum illud, quod reſpicit principium talis generationis, ſcilicet Deum vt Patrem, quale eſt donum pietatis, reſpiciat etiam ſecundario omnes, qui in tali generatione ſpirituali communicant, & ſe habent vt fratres in communicatione gratiæ, ſicut nos reſpectu Dei ſumus ſicut filij: ſicque ex ipſa ratione formali huius doni, qua reſpicit Deum vt Patrem, naſcitur, quod debeat extendi ad communicationem, & obſeruantiam habendam erga homines; quatenus etiam filij Dei ſunt, & ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.

Inſuper, cum hoc donum reſpiciat gloriam, & maieſtatem Dei, in ſe vt colendam, & venerandam, non iuxta hanc, vel illam menſuram, qua nobis beneficia confert, ſed abſolutè propter magnam gloriam ſuam, ſeu non attendendo ad beneficia, licet illis non fraudetur; magnitudo autem gloriæ Dei attendatur non ſolum prout eſt in ſe infinita, ſed etiam prout in ſui participatione reperitur in his, qui filij eius ſunt per gratiam; ſpectat enim ad magnitudinem Dei, vt Patris, & authoris gratiæ multos filios adducere in gloriam, ſicut ad magnitudinem Dei, vt Creatoris multas ſpecies rerũ producere in vniuerſo: Ex hoc quoque capite pietas donum non poteſt inclinare in venerationem, & cultum Dei vt Patris, & ſub ratione illa quæ Pater eſt, quin ſimul, aut ex conſequẽti inclinet in omne illud, quod Patris eſt, & ad eius filios pertinet in ea linea, & ordine, in quo eſt pater. Et ita cum omnes creaturæ intellectuales nõ damnatæ ſint filij Dei, aut poteſtatem habeant filios Dei fieri, ad omnes ex conſequenti ſe extendit donum pietatis, ſicut charitas, quia reſpicit Deũ, vt ſummum bonum amabile, ex conſequenti debet amare omne, quod Dei eſt, & ex illo bonum participat; ſed charitas præciſè in ratione amoris, pietas in ratione debiti, & obſeruantiæ

Quar-

Quartò tandem, & vltimò ſatis ex dictis, ſeu præſuppoſitis conſtat, quantum donum pietatis, præ alijs, quibus correſpondet virtutibus, conferat ad vnionem myſticam, ſeu perfectionem Viæ Vnitiuæ perfectorum propriam. Primùm in hoc, quod verè perfecti ex hoc dono, motioneque ei correſpondenti operantes, relicta menſura retributionis, & largitionis bonorum, honorant, & magnificant Dominum ratione ſui, ſiue bona, ſiue mala ipſis tribuat; ſeu in quodam nuditate, & annihilatione omnium, ſolum attendunt ad magnitudinem diuinam in ſe, & propter ſe; iuxta illud Regij Prophetæ Pſal. 72. *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui: vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deficit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* His enim verbis apprimè ſignificari videtur doni pietatis operatio, & cultus Dei vltra menſuram, & modum humanum illum menſuratum iuxta retributiones, & beneficia diuina; quod ſcilicet anima quaſi nihilum, & inane quoddam ſe reputans, & quaſi omni creato beneficio exutam, imo quaſi ſine intellectu ſtultam quoad mundum, & iumentum quoddam ſoli oneri aptum, ſeu ſola qua agitur à Deo motione ductam; tunc in tali vacuitate, & annihilatione poſita reſpiciat, vt filia Deum patrem in ſe tanquã hæreditatem ſuam æternam? Qua etiam ratione dixit Beatiſſima Virgo: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; Quatenus magnificandi, & exultandi in Deo motiuum, & ratio tunc ipſi alia non fuit, quam Dei celſitudo reſpiciens ſuam potius profundiſſimã humilitatem, quam ſubimiſſima beneficia ſibi collata etiam maternitatis diuinæ. Similiter Apoſtolus de ſe ait Philipp. 2. *Magnificatur Chriſtus in corpore, ſiue per vitam, ſiue per mortem*: hoc eſt honorabitur, & coletur, non attento beneficio, vel damno, ſed propter ſolam magnificentiam ſuam.

Inſuper cum pietas innata, quæ eſt affectio quædam ab authore naturæ indita non ſolum ratione præditis, ſed etiam irrationabilibus animantibus, inclinans ad proprijs progenitoribus benefaciendum, ſicut refertur de ciconijs, tantopere eos alere in extrema ſenectute, quanto ab ipſis fuerunt recenter editæ conquiſitis cibis educatæ; cum, inquam, huiuſmodi pietas in vitium facilè degeneret, propterea que monuit ſæpius in Euangelio Chriſtus Dominus odio eſſe habendos parentes, & carnaliter propinquos; nec ad hoc ſufficiat plerumque virtus acquiſita duntaxat, aut etiam infuſa pietatis; vbi ad hoc diſcrimen adducta res eſt, vt falſa, quamque caro, & ſanguis ſuadet erga mortales parentes, pietas opponat ſe veræ pietati erga Patrem Spirituum, & immortalem Deum; datur donum pietatis; quo non ſolum iuxta rationem humanam, menſuramque eius, ad quod ſufficit pietas virtus, verum etiam ſupra; & vbi agitur de maiori ipſius gloria, perfecti omnem ei venerationem exhibent, ac reuerentiam. Sicque ait, debetque S. Hieronymi conſilium admitti, quando ſcribit ad Heliodorum: *Licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Hicque eſt primus, & maximè heroicus virtutis, ac doni pietatis, ſeu virtutis pietatis per illud donum perfectæ, & eleuatæ actus, prout verſatur circa ſuum obiectum primarium.

Secundò loquendo de eodem dono reſpectu ſui obiecti ſecundarij conſiſtit in hoc, quod obſeruantia habeatur erga alios homines, non tanquam erga amicos, quod pertinet ad charitatem fundatam in iure amicabili, ſed tanquã erga filios Dei, & fratres in gratia,

& do-

& domeſticos Dei. Sub qua ratione poteſt exercere omnem materiam iuſtitiæ, idque non ſolum imperatiuè, quatenus poteſt imperare iuſtitiæ cõmutatiuæ, & diſtributiuæ, & alijs virtutibus iuſtitiæ aggregatis, vt exerceant ſuos actus erga alios homines ex hoc fine, vt debitè honorent ipſos, quia filij Dei ſunt, qua etiam ratione religio imperare poteſt alijs virtutibus vt propter cultum Dei præſtent, vel operentur virtuoſa, quia virtutibus colitur Deus; verum inſuper eliciriuè, quod proprium eſt doni pietatis extẽdentis ſe ad omnem materiam iuſtitiæ, & dirigentis in omnibus communicationibus ſub ratione tamen altiori, hoc eſt pertinente ad ordinem ſupernaturalem, & reſpiciente ea, quæ ſunt ad alterum, non quatenus ſpectant ad cõuictum, & modum humanum, ſed quatenus ſpectant ad conuictum ſupernaturalem inter filios, & domeſticos Dei; ſicque eminenter ſe extendit ad alias materias iuſtitiæ, non autem formaliter verſando circa illas ſecundum ſuas peculiares rationes. Nec eſt neceſſe, quod, ſi extendat ſe ad tales materias, id faciat ſub propria, & particulari ratione cuiuſcunque virtutis, V.g. quod materiam iuſtitiæ commutatiuæ, aut diſtributiuæ tractet ſub ratione commutationis rigoroſæ, & debiti æqualis inter vnum, & alterum; aut ſi tractat materiam liberalitatis, aut fidelitatis, de illis tractet ſecundũ ſuas peculiares rationes, & motiua, ſed de omnibus tanquam de materijs inadæquatis agit ſub eminentiori ratione formali, ita quod materialiter ſe habeat ad donum pietatis, quod in hoc exerceatur iuſtitia commutatiua, in illo diſtributiua, in illo fidelitas, vel liberalitas, & ſic de alijs, formaliter autem illa reſpiciat, quatenus ſunt operationes filiorum, & domeſticorum Dei, atque adeo ſub ratione obſeruantiæ, & cultus inter cognatos, & fratres cognatione ſpiritus, & gratiæ, & communione fidei, & Sanctorum, quibus iſta iuſtitiæ debita, interioraque commercia reputantur pro minimis, & materialiter duntaxat attactis.

Iuxta quod rectè ait Apoſtolus 1. Corinth. 6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mũdus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia.* Ibi enim nõ negat Apoſtolus, quod Sancti in quantum Sancti, ſeu vt filij Dei ducti ſpiritu eius per donum iſtud pietatis iudicent ſecularia, & extendant ſe ad actus iuſtitiæ commutatiuæ; ſed tantum ait, quod tractent de illis tanquam de minimis, & materialiter attactis, formaliter autem ſub altiori ratione, qua cum Angelis communicant, imo de illis iudicabunt. Et hæc altior ratio eſt affectus doni pietatis, quo maximè perfecti, heroiceque pij ſe tractant, & communicant, tanquam filios Dei, & ſpiritualiter propinquos, ſicque virtualiter, ſeu eminenter habent elicere actus iuſtitiæ rigoroſæ, & aliarum virtutum, quæ ſunt ad alterum, non verò formaliter, & inferiori modo, ſicut iuſtitia commutatiua, quæ operatur iſtas actiones, vt ad conuictum humanum pertinentes: Ideoque quod de iuſtitia eminenter eliciriuè faciunt, non autem imperatiuè ſolum.

Tertiò tandem, quod hic filialis Chriſtianæ pietatis affectus in oratione, & contemplatione proprium ſuum locum maximè obtineat, conſtat ex hoc quod rogatus aliquando Chriſtus Dominus ab Apoſtolis Matth. 6. & Luc. 11. *Domine doce nos orare*, ſtatim abſolutiſſimam orationis formam, quæ propterea Dominica appellatur eis tradidit, cum illo myſterioſo paucorũ verborum proemio: *Pater noſter, qui es in cælis*; ſatis per id ſignificans eum, quem diximus filiorum Dei erga Cæleſtem Patrem pietatis affectum primas in oratione, & contemplatione etiam

etiam altiſſima partes habere. Cum enim, ex dictis, donum veræ pietatis dirigat primùm cor noſtrum ad Deum, non ſub quacunque ratione, ſed vt Patrem nos per gratiam in filios adoptantem; deindè extendatur ad ipſos iuſtos vt tales, & conſequenter inter ſe quadam ſanctorum communione fratres: tertiò demùm non ſit hic affectus terrenus, & naturalis, nec iuxta menſuram humanæ rationis, ſed valdè ſublimis, & ad diuinam vſque menſuram eleuatus: Horum primum in dicto proemio illa voce *Pater*, indicatur: ſecundum, quia *noſter* dicitur: tertium per hoc, quod, *qui es in cælis*, adiungitur. Tam verum eſt, veræ pietatis ſpiritum, & affectum Deum à nobis in oratione præſertim requirere, quam ab hac Patris inuocatione ordiri nos Chriſtus docuit; & ad idem hunc nobis immitti ſpiritum teſtatur Apoſtolus ad Galat. 4. Quoniam, inquit, eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater, id eſt clamare nos facientem, & non tam magnitudine vocis, quam affectus, & deuotionis Deum vt Patrem inuocare. Vnde etiam perfecti, quanto magis tales in comparatione tanti parentis agnoſcentes plane ſe eſſe infantes, & in quantum ex ipſis eſt, rudiſſimos, & ſtupidiſſimos, atque adeò inſtrui per omnia opus habent, tantò etiam magis paternæ Dei curæ ſe committunt, & ab eo ſe regi, ac duci ſinunt, & inter orandum enixe poſtulant.

§. II.

De Dono Fortitudinis.

PRimo ſciendum eſt, nomen hoc Fortitudinis ad animum proprie referri; ſignificat enim quamdam eius in opere honeſto firmitatem, & conſtantiam, nam de corpore loquendo, potius robur appellabitur: atque ita robuſto corpore eſſe aliquem dicimus, animo autem forti. Sed hæc animi fortitudo ſumi poteſt tripliciter: *Primum* generali quadam acceptione, vt vnicuique virtuti eſt inſita ſubſtantialiter, ſeu quatenus proprium munus eſt vniuſcuiuſque virtutis hominem in exercendis actibus honeſtis circa ſuam propriam materiam ex honeſtate ſpeciali talis virtutis adeo firmare, & conſtantem reddere, vt inde à vitij contrarij praua inclinatione non facile dimoueatur. *Secundò* ſumitur fortitudo, vt eſt virtus quędam ſpecialis, ab omnibus alijs diſtincta, cuius officium eſt, firmare animum contra terribilia, ne propter formidinem imminentis mali, præſertim propter vitæ pericula, quæ ſunt principaliora, & terribiliora alijs, committat aliquid contra rationem, vel omittat facere, quod ſecundum rectam rationem facere debuiſſet: quod vbi fit ex fine, vel motiuo naturali honeſto pertinet ad virtutem fortitudinis acquiſitæ, infuſæ verò vbi ex fine vel motiuo ſupernaturali. *Tertiò* denique ſumitur pro fortitudine, quæ eſt vnum ex ſeptem donis Spiritus Sancti. Cum enim fortitudo, quæ eſt virtus, tendat ad ſuperandas difficultates, & vincenda mala modo humano, & limitato, ſeu proprio hominis vt homo eſt, licet ſupponendo auxilia diuina noſtro modo recepta, & ad noſtrum modum limitata, & ſic ait Philoſophus in 3. Ethic. cap. 9. *Quod fortis eſt inſtupefactibilis vt homo*, ſcilicet in his periculis, & terribilibus, quæ ſunt ſecundum hominem; taliſque etiam modus ſit valde fragilis, prȩſertim ad perſeuerandum, & vincendum in executione tantam periculorum multitudinem, ſicut in hac vita occurrit pro conſequendo quolibet fine arduo, & præſertim pro conſequendo fine æterno, in quo eſt omnium periculorum euaſio, & omnium malorum victoria, ideirco præter fortitudinem virtutem etiam infuſam neceſſaria eſt fortitudo donum ab illa diſtinctum, quia licet ordinet actum fortitudinis ad finem ſupernaturalem charitatis, tamen de ſuperna-

pernaturalibus viribus,vel auxilijs non accipit regulationem, niſi modo humano, & iuxta capacitatem, & limitationem recipientis, ita quod licet ſupernaturaliter iudicet, poſſe multo maiora fieri, tamen propria infirmitas, & limitatio etiam detinet, iuxta quam metitur, & modificat etiam ſupernaturales vires, & actiones.

Vnde patet, & ſupponitur ſecundò, donum fortitudinis correſpondere quidem virtuti eiuſdem nominis, illam perficiendo, ſed tamen formaliter, ac ſpecificè ab illa diſtingui, quatenus ad vincenda pericula, & difficultates non innititur ſolum viribus humanis, aut humano modo menſuratis, ſed virtuti, & potentiæ diuinæ, quaſi indutum virtute ex alto. Sicque fortitudo virtus, & fortitudo donum differunt, ſicut fortitudo vt humana, vel vt diuina. Fortitudo enim regulata modo humano, & vt dictant regulæ prudentiæ facit fortitudinem virtutem; regulata verò inſtinctu, & regula diuina, & iuxta vires diuinas nobis aſſiſtentes eſt fortitudo donum. Iuxta illud Pſal.43. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluabit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Gladius enim, & brachium humanum fortitudinem ſignificat, quę vtique virtus eſt. Quando autem operatur quis per dexteram, & brachium Dei, hoc eſt non amplius ſecundum regulas ordinarias, ſed ſecundum illuminationem vultus Dei, & inſtinctum ſpiritus, talis fortitudo eſt plusquam virtus, ſeu donum, quia vltra omnes regulas prudentiales, & vltra fortitudinem humanam eſt quaſi fortitudo diuina, qua induitur.

Tertiò licet aliqui diſtinguant materiam doni fortitudinis à materia virtutis fortitudinis, & aliarum virtutum ei adiunctarum, quaſi donum fortitudinis tantum verſetur circa illas actiones, quæ ſunt omnino extraordinariæ, & petunt ſpecialem inſtinctum Spiritus Sancti vt fiant, ſicut quando Samſon interfecit mille viros, aut Ionathas cũ vno armigero tantum inuaſit integrum exercitum, aut in lege Euangelica plures Martyres ſe proiecerunt in ignem: Verior tamen eſt ſententia Diui Thomæ docentis, quod materia, ad quam ſe extendit donum fortitudinis, eſt victoria cuiuſcunque difficilis, & euaſio omnium periculorum, ſiue in principali materia virtutis, quæ eſt circa pericula mortis, ſiue in materijs acceſſorijs, quæ pertinent ad alias virtutes fortitudini adiunctas, vt ſunt magnificentia, perſeuerantia, patientia &c. *Licet*, inquit Sanctus Doctor in 3. diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. queſtiunc. 2. ad 1. *donum fortitudinis principaliter ſit circa illa opera ſupererogationis, nihilominus etiam eſt circa alias difficultates, circa quas eſt etiam virtus communiter, ſed non eodem modo ſicut dictum eſt*, cum prius in corpore dixiſſet, *quod vnum donum fortitudinis ſe extendit ad omnes difficultates, quæ in humanis rebus poſſunt accidere etiam ſupra facultatem humanam, ſicut Apoſtolus dicebat, Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Propterea que debet actus fortitudinis doni accipi circa omnia difficilia, proportionabiliter actui virtutis fortitudinis circa quædam difficilia; de qua ibidem ait Diuus Thomas, *quod quia innititur facultati humanæ, non eſt reſpectu omnium difficultatum, ſed reſpectu aliquarum, quæ ſunt maximæ in genere humano: ad alias autem difficultates ſunt ordinatæ aliæ virtutes, quæ ſunt facultates quædam.*

Itaque quemadmodum potentiæ ſenſitiuæ multiplicantur in homine propter limitationem cuiuslibet, nec ex eo quod vnus ſenſus v. g. viſus poſſit circa excellentius obiectum, ſequitur, quod poſſit circa aliud inferius, v. g. odoratus, vel guſtus; ſic quoque multiplicantur virtutes, quę humano modo innituntur, ſi quidem vnaquæque circa limitatum, & determinatũ obiectum verſatur, & quamuis illud ſit principalius, aut difficilius, non ſequi-

tur quod poſſit operari circa minus difficile, quia extra ſphæram illius limitationis eſt.

At verò ſicut intellectus, qui eminētior eſt omnibus ſenſibus, verſatur circa omnia obiecta ſenſus modo altiori, vnus & idem exiſtens; ita donum fortitudinis, cum innitatur tanquam motiuo, & rationi formali viribus diuinis, & virtuti ſpiritus mouentis, quę ad omnia ſe poteſt extendere, omnium virtutum fortitudinis materias complectitur, ſeu verſatur circa omnia difficilia, circa quę tales virtutes verſantur, vnum & idem exiſtens.

Quartò ex his patet, quantum donum fortitudinis præ alijs quoque virtutibus, quibus correſpondet, conferat ad vnionem myſticam, ſeu perfectionem viæ vnitiuæ perfectorum propriā. Quatenus ipſi per donum fortitudinis, motionemque Spiritus Sancti ei proportionatam ita induunt virtutem ex alto, vt virtutem ipſam Dei faciant quaſi propriam, & depulſa infirmitate naturę, ſola diuinitatis operentur virtute; dicentes cum Regio Propheta Pſal. 17. *Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum.* Et iterum ibidem, *In Deo meo tranſgrediar murum*, hoc eſt, vt interpretatur Diuus Thomas loco citato in 3. ſentent. *omne quod poſſet humanæ infirmitati obuiare, hoc enim nomine Muri intelligitur.*

Inſuper etſi virtus fortitudinis tendat ad ea, quæ difficillima ſunt ex obiecto, & genere ſuo, cum tamen id fiat cum quadam infirmitate, & trepidatione ex parte operantis, & virium propriarum, hanc in perfectis tollit, ac ſubleuat donum fortitudinis, vtentibus diuina virtute tāquam ſua, & operantibus ex motione, & inſtinctu Spiritus Sancti, vt ſolidante infirmitatem eorum, & induente eos virtute ex alto, vt quaſi petra ſolida operentur; iuxta quod vnus ex illis aiebat Pſalm. 26. *In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Et hæc eſt doctrina Diui Thomæ loco iam citato, vbi ait: *quod virtus fortitudinis reſpicit quidem opus difficillimum ex genere ſuo, non tamen ſecundum comparationem ad operantem, quia non excedit vires eius. Sed fortitudo donum etiam eſt circa ea, quæ excedunt humanam facultatem.* Quod iam explicuimus ſupra ſect. 3. cap. 8. agentes de hoc dono.

Item ex eodem dono perfecti nullis terrentur quantumuis magnis difficultatibus in ſalute, ac perfectione propria magis quotidie procuranda, nec non etiam aliena, vel quod idem, huius doni eſt, contra inſurgentes difficultates eam inſpirare animi fiduciam, ac firmitatem, vt quando auxilia diuina, quæ de lege ordinaria dari ſolent, non habeantur, vel ſi habeantur, non ſufficiant, extraordinaria, & miraculoſa expectentur, quæ ſine huius doni ſpeciali motione, & inſtinctu, cum temeritate, & cum culpa illa, quæ dicitur tentatio Dei, expectarentur. Cuius præclarum habetur exemplū in Sancto Franciſco; qui, vt refert S. Bonauent. in eius vita cap. 9. incenſus vehementi deſiderio Martyrij Sultanum Babilonię intrepidus adiuit, etſi tunc temporis implacabile bellum gereret cum Chriſtianis, vtpote confortatus à Domino, inquit D. Bonauentura, & illud Propheticum decantans Pſalm. 22. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Vnde etiam poſtea ſic eumdem Sultanum allocutus eſt: *Quod ſi hæſitas propter fidem Chriſti legem Mahumetanam dimittere, iube ignem accendi per maximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar: vt vel ſic cognoſcat, quæ fides certior, & ſanctior non immerito tenenda ſit.*

Id autem male ſibi conſcijs Saraceniis reformidantibus, & recuſantibus, iterum Sanctus Vir Principi Mahumetano ita reſpondit: *Si velis mihi promittere pro te, & populo tuo, quod ad Chriſti cultum, ſi ignem illæſus exiero,*

veniatis, ignem ſolus introibo: & ſi combuſtus fuero, imputetur peccatis meis. Si autem diuina me protexerit virtus, Chriſtum Dei Virtutem, & ſapientiam, verum Deum, & Dominum Saluatorem omnium agnoſcatis. Sed neque hanc optionem infidelis Princeps acceptare voluit, timens populi ſeditionem. Quare Dei ſeruum cum honore, & admiratione à ſe dimiſit, oblatis multis, & pretioſis muneribus, quę Sanctus Franciſcus eadem animi conſtantia, ac fortitudine quaſi lutum contempſit.

Similiter ex eodem fortitudinis dono prouenit, eſtque adhuc, vt præcedens actus eius heroicus; quod non ſolum triſtitia, vel timore malorum imminentium ab honeſto propoſito nihil perfecti dimouentur, ſed inde potius exultant, & gaudio ſpirituali; ſicut de Apoſtolis dicitur Act. 5. *Quod ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*; de ſe autem ait Apoſtolus 2. Corinth. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Et Diuus Iacobus initio ſuæ epiſtolę hortatur nos dicens: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Sed & omnium ſublimiſsimus huius doni gradus, vel actus eſt, cum quis non ſolum difficultatibus, & periculis in procuranda propria ſalute occurrentibus nihil terretur, & illis potius gaudet, atque etiam in propoſito animatur, verum inſuper nulla reformidat diſcrimina, nullum auerſatur incommodum, imo potius ambit, in promouendo ſpirituali bono, & perfectione proximorum. Cuius exemplum D. Paulus exhibet in ſeipſo, dum 1. Corinth. 16. ait: *Permanebo autem Epheſi vſq; ad Pentecoſtem. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi.* Et Coloſs. 1. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

Vltimo tandem, etſi fortitudinis ſit potius in aciem, & campum venire, manus conſerere, & pugnare, quam in vmbra, & quiete contemplationis placido veluti ſomno conſopiri, nihilominus, cum non facile inueniantur in bello præſidia, quæ non fuerunt in pace quæſita, dubium non eſt, quin etiam in oratione, & cõtemplatione ad actus ſuos reuocetur, indeque mirum in modum perfecti animentur, & accendantur ad fortia pro Dei gloria, pro ſua aliorumque ſalute, ac perfectione agenda, & patienda. Cuius exemplum habetur in Chriſto Domino, qui, cum imminente hora ſuæ acerbiſſimæ paſſionis, & mortis, eò timoris ſe redigi paſſus eſſet, vt diceret Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem* &c. ter oratione facta, inde conſurgens obuiam intrepidus proceſſit armatæ cohorti: vt ſcilicet ex eo diſceremus, quantam ab oratione ſperare poſſumus fortitudinem ad quęuis ardua aggredienda; quamque ſit opportunum tempus illius actus internos exercendi. Primum, reuocando ad memoriam beneficia tot, tantaque nobis à Deo collata, inde enim fiducia, quę velut fortitudinis eſt armigera, non poterit non excitari ad ſperandum, non defuturum nobis liberaliſſimum, & munificentiſſimum Dominum; *Confidens*, inquit Apoſtolus Philipp. 1. *hoc ipſum, quia, qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet vſq; in diem Chriſti Ieſu.* Et Diuus Petrus 1. epiſt. cap. 5. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.* Secundò, attentè per intellectum conſiderando quædam Dei attributa, vt infinitam eius bonitatem, immenſam charitatē, liberalitatem indeficientem, & inexhauſtam; inde enim non poſſumus non omnia de illo in quolibet egregio facinorę aggrediendo, & proſequendo polli-

polliceri; præſertim pro ipſius maiori gloria, & iuſtiſsimo beneplacito. Propterea Deo ſpallebat Propheta Dauid Pſalm. 9. *Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.*

Tertiò tandem ex huiuſmodi notitia intellectus, veluti ex luminoſa face, poterit facile voluntas orantis, & contemplantis accendi, vt inflammatos illos concipiat affectus, dataque occaſione executioni mandet, qui in Pſalmis ſæpe leguntur: Pſalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* & Pſalm. 117. *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo; Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.*

§. III.

De Dono Timoris.

PRimò notandum eſt, quod cum plures ſint timoris differentiæ, vel ſpecies, vt diximus ſect. 3. cap. 8. qui tamen pertinet propriè ad donum timoris, ſolus eſt timor filialis, & caſtus; qui fundatur in charitate, & reueretur Deum vt Patrem, timetque ſeparari ab eo per culpam, vt ibidem oſtendimus.

Secundò ſupponendum eſt, donum timoris nedum diſtingui à cæteris donis Spiritus Sancti, verum etiam ab omnibus alijs virtutibus, tam Theologicis, quam moralibus, ſiue à charitate, & humilitate, de quibus maior poteſt eſſe difficultas. Idque expreſsè docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 9. ad 3. vbi diſtinguit donum timoris ab omni virtute Theologica, & ſpecialiter ab habitu charitatis; & in ſolutione ad 4. à Virtute humilitatis. Ratio autem formalis, per quam ab illis diſtinguitur eſt, timere Deum tanquam Patrem, & ſeparari ab eo per culpam: cum enim dona Spiritus Sancti ſint habitus, quibus homo redditur bene mobilis à Spiritu Sancto, numereturque inter illa timor Iſaiæ 11. ſecundum illam rationē formaliter pertinere debet timor ad rationem doni Spiritus Sancti, ſecundum quam reddit hominem bene mobilem ab inſtinctu, & regulatione Spiritus Sancti: redditur autem bene mobilis ab illo, quatenus eſt ei ſubiectus, & timet præcepta Dei, ſeque ab illis peccando ſubducere, iuxta illud Iſaiæ 66. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* & Pſalm. 32. *Oculi Domini ſuper metuentes eum.* Igitur ratione huius effectus, & formalis rationis timor filialis eleuatur ad rationem doni, quia ratione huius redditur homo bene mobilis à Spiritu Sancto. Sicque diſtinguitur à charitate, ad quam ſequitur quidem fuga oppoſiti mali, ſed per modum ſimplicis receſſus, ſiue odij, & timoris communiter dicti, non autem ſecundum ſpecialem rationem timoris, quæ pertinet ad donum Spiritus Sancti; ſicut etiam ad charitatem non ſequitur deteſtatio peccati ſub ea ratione, qua pertinet ad pœnitentiam, niſi mediante habitu pœnitentiæ ab illa diſtincto. Item diſtinguitur ab humilitate, quia hæc ſe habet per modum modeſtiæ refrænantis nimiam paſſionem ſpei tendentis ad honores indebitos, iuxta regulas rationis ordinarias. At verò donum timoris, vel paupertas ſpiritus, quam Diuus Thomas ait 2 2. qu. 19. art. 12. eſſe proprium eius actum, quemque dicunt aliqui nihil aliud eſſe, quam actum humilitatis, indeque à dono timoris non diſtingui, eſſeque conſequenter habitum verſantem circa materiam temperantiæ cum actus humilitatis ſit pars eius potentialis, talis, inquam, paupertas ſpiritus ex altiori regula, nempe ex conſideratione diuinæ eminentiæ procedens, ita reſilit in propriam paruitatem, vt nullam excellen-

tiam,

tiam, ſiue propriam, ſiue alienam æſtimet aliquid in comparatione diuinæ eminentiæ, & ideo totaliter euacuat ſpiritum propriæ magnificationis ſubijciendo ſe Deo, & ſic qui illam habet manet pauper in ſpiritu, & non tantum ordinarie humilis.

Tertiò ſupponendum eſt ex D. Thoma 2.2. quæſt. 141. art. 1. ad 3. *Quod donum timoris principaliter reſpicit Deũ, cuius offenſam vitat, & ſecundum hoc correſpondet virtuti ſpei, ſicut ſupra dictum eſt (quæſt. 19.) Secundaria autem poteſt reſpicere quæcumque aliquis refugit ad vitandum Dei offenſam; maximè autem homo indiget timore diuino ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt, circa quæ eſt temperantia, & ideo temperantiæ etiam correſpondet donum timoris.* Vnde ſatis patet ex mente Diui Thomę non reſtringi debere donum timoris ad materiam temperantię, ſed principaliter reſpicere fugam offenſæ Dei ex motiuo reuerentiæ ipſius; ſecũdatiò autem, & inadæquatè fugam eorum, quæ poſſunt pertrahere ad talem offenſam, inter quę quia maximè alliciunt delectabilia ſenſus, circa quæ verſatur temperantia; idcirco timor ſpeciali quadam ratione dicitur verſari circa illam, aut illi correſpondere.

Quartò cum hoc donum non ſolum correſpondeat vni virtuti v. g. temperantiæ, aut humilitati, ſed etiam ſpei, imo ex eodem Sancto Doctore 2. 2. q. 19. art. 1. ad 2. *Comparetur ad totam vitam humanam Dei ſapientia regulatam, ſicut radix ad arborem iuxta illud Eccleſiaſt. 1. Radix ſapientiæ eſt timere Deum*; vt tam amplam inter dona Spiritus Sancti habet materiam, circa quam verſatur, ita quoque plures ſunt eius actus. Nam vt reſpicit Deum, quem timet tanquam obiectum inflictiuum mali, habet actum reuerentiæ; vt reſpicit ipſum malum imminens habet actum fugæ; vt reſpicit paſſiones iraſcibilis, id eſt magnificationem, & extollentiam ſui quam reprimit habet pro actu paupertatem ſpiritus; deniq; vt reſpicit paſſiones concupiſcibilis refrænando eius delectationes, habet pro actu beatitudinem luctus, illique attribuit Diuus Thomas 2.2. quæſt. 19. art. 12. ad 2. Præfati autem actus ita ſe habent, vt principalis actus timoris, in quantum eſt donũ, non ſit fuga, & reſpectus ad malum, ſed actus reuerentialis erga bonum, id eſt, eminentiam diuinam, quæ eſt cauſa inflictiua mali. Vnde non ſolam reſpicit rationem boni in tali eminentia, ſed etiam in obliquo reſpicit rationem mali, nimirum illam eminentiam, vt potentem infligere malum. Actus autem ſecundarius eſt actus fugæ reſpectu mali, licet non ſemper, neque in omni ſtatu illi conueniat, vt expreſsè docet Diuus Thomas 2. 2. quęſt. 19. art. 11. & 12. quæſt. 67. art. 4. ad 2. vbi diſtinguit duos actus in timorę filiali, ſcilicet revereri Deum, & quantum ad hoc manet in patria; & timere ſeparationem ab illo; & quãtum ad hoc non manet in patria. Tandem actus paupertatis ſpiritus, & actus beatitudinis luctus ſunt etiam ſecundarij in dono timoris, pertinentque ad voluntatem, licet effectus ſuos habeãt in appetitu iraſcibili, & concupiſcibili, vt à voluntate mouentur.

Quintò ex his ſatis colligitur, quid, & quantum ad vnionem myſticam, ſeu maiorem vię vnitiuę perfectionẽ conducat. Primũ enim reſpectu obiecti primarij remoti, quod eſt Deus, nõ in ratione boni proſecuti, ſed reueriti, per quod hoc donum differt à virtutibus Theologicis, nec non ex parte obiecti, ſeu materiæ proximæ, circa quam verſatur, quæ eſt aliquid creatum, ſcilicet, ſubiectionem ſui ad Deum, per modum reuerentiæ: cum enim dona Spiritus Sancti ad hoc dentur, vt reddant hominem benè mobilem ab ipſo Spiritu Sancto, impoſſibile eſt, quod materia proxima eorum ſit ipſe Deus, ſed debet eſſe aliquid mobile à Deo, ſpecialiter in dono timoris, quo redditur ipſe homo mobilis paruifaciendo ſe in conſpectu tantæ maieſtatis; ſic, inquam,

quam, perfecti, quo magis ſunt tales, & dono timoris præditi, eo magis reuerentialem exhibent ſubiectionem ſui ad Deum per modum ſeparationis, non præſumentis ſe adęquare Deo, ſed paruifacientis ſe in conſpectu eius; vt ait D. Thomas 2-2. q.19. art. 10. ad 3. Et in hoc etiam diſtinguitur donum timoris à religione, quæ ſe quoque ſubijcit Deo per cultum, ſi quidem religio per modũ obſeruantiæ facit hanc ſubiectionem dum ſe, & bona ſua exhibet Deo in recognitionem primi principij quaſi tributum illi deferens, vt ſupremo Domino. Timor autem non facit ſubiectionem ſub motiuo obſeruantiæ, vel tributi oblati Deo, ſed ex conſideratione maieſtatis diuinæ, vt terribilis, ſubijcit ſe illi paruifaciendo ſe, & quaſi nihil reputando in comparatione tantæ maieſtatis, vnde procedit oppoſito à religione modo; quia hæc offerendo cultum; timor verò propriam euacuando magnificentiam. Iſque eſt præcipuus huius doni actus, qui in tota ſua perfectione fuit in Chriſto, & poſt ipſum in Sanctiſſima eius matre, & etiamnum reperitur in Beatis, iuxta id quod de illis in pſal.18 dicitur: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*; non verò quoad fugam mali, ſi quidem in patria nullum eſt malum imminens, nec etiã poſſibile via ordinaria, reſpectu cuius poſſit exerceri actus fugæ ſaltem efficax, ſed ibi implebitur, quod dicitur Prouerb. 1. *Qui me audierit abſque terrore quieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.*

Sed cum in hac vita ſine dubio poſſibilis ſit, & imminens ſeparatio à Deo per eius offenſam, inde quoque perfecti, ita timore filiali primum reuerentur Deum, vt ſecundario timeant illam ſeparationem ab illo, tanquam à Patre ſuo, vt malum imo omnium maximum fugiendum; qui enim perfectus eſt non pœnam, ſed ſolam timet culpam, & per illam ſeparationem à Deo, quæ amariſſimum malum eſt iuxta illud Ieremiæ 2. *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.* Siue quæ anima perfecta concipit in ſe, & cognoſcit quam grande malum ſit culpa, repletur amaritudine, nec dat locum ad concipiendum, & æſtimandum aliquid creatum pro bono, videns ſe æterno bono priuatam, & ſic oblita huiuſmodi bonorum creatorum pro nihilo reputat pœnas, quæ his bonis priuant, nec illas conſequenter timet, ipſa magnitudine amaritudinis timentis culpam excludente omnem ſeruilitatẽ timentis pęnam; iuxta illud Prophetæ Thren. 3. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio, & fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere, & repulſa eſt à pace anima mea, oblitus ſum bonorum, & dixi, Perijt finis meus, & ſpes mea à Domino.* Qui enim rectè æſtimat, quam amarum ſit malum perdidiſſe finem vltimum, & ſpem à Domino, omnium aliorum bonorum obliuiſcitur, nec ſentit eorum amiſſionem, quæ eſt malum pœnæ. Etſi enim initialis timor competens charitati imperfectæ, & ſtatui Incipientium, aliquid adhuc de timore ſeruili habeat, quatenus timor pœnæ operatur in eis, licet non principaliter, ſic enim timent culpam, & ſeparationem à Deo, quod in ſubſtantia eſt timor filialis; nihil tamen ſeruilis habet charitas per donum timoris perfecta, ſiue timor filialis ad illud eleuatus.

Inſuper cum pręter actum propriũ, & elicitum à dono timoris, qui, vt diximus, primario eſt illa reuerentia ad Deum, vt principium potens infligere malum, indeque ſecundario fuga illius mali, quod poteſt infligere, ſi ſit imminens, dentur alij plures effectus ex illo deriuati, vt conſecuti, & imperati, vel regulati, cuiuſmodi ſunt paupertas Spiritus, & beatitudo luctus; præfatus enim actus ſic vniuerſaliter fugiens omne malum ſeparatiuum à Deo, eique ſe ſubijciens, vt ſummæ, & infini-

tæ eminentię, habet ex hoc euacuare omnem magnificationem Spiritus, & omnem ſuperbiam, quod eſt beatitudo illa prima paupertatis ſpiritus; & ſecundo habet omnem delectationem corporis exuberantem compeſcere, & pro illa triſtitiam, ſeu luctum inducere, quod pertinet ad tertiam beatitudinem, qua dicitur Beati qui lugent, quāuis, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 19. art. 12. ad 2. directius pertinet ad donū timoris paupertas ſpiritus, quam beatitudo luctus. Sic perfecti ex hoc dono operantes, pręter communem humilitatis virtutem, qua ſubijcitur homo Deo abſtrahendo à ratione inflictiua mali, & ſolum ſubordinando paruitatem ſuam Deo, & hominibus etiā, quos non timet, nec malum ab ipſis habet, ſubijciunt ſe vlterius illi, reſpiciendo in ipſo poteſtatem inflictiuam mali, & ſic reuerentur ipſum per actū paupertatis ſpiritus ſic dictæ, quia euacuat, & quaſi depauperat ſpiritum ab omni eo, quod putabatur magnificum, ſiue in ſeipſo, ſiue in exterioribus bonis, vt ait D. Thomas 2. 2. q. 19. art. 12. eo quod eſt quaſi ſpiritus, & impulſus quidam deſcendens à conſideratione ſummæ maieſtatis, vt terribilis, in cuius comparatione omnia ſunt quaſi nihil iuxta illud Iſaiæ 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatę ſunt ei*. Vndè Sanctis, ac perfectis ex tali impulſu, & inſtinctu omnę quod in oculis hominum videtur magnum, ſiue in ſe, ſiue extra ſe, manet illis quaſi nihil, & ſic dicuntur depauperari ſpiritu, ita vt non apponant vltra magnificare ſe ſuper terram. Hęc autem maxima cum ſit diſpoſitio, vt ſpiritus ſic euacuatus ab omni magnitudine creata, ſolum tendat ad magnitudinem diuinam, maximè quoque correſpondet ſpei Theologicæ donum timoris, pręſumptionem ei oppoſitam reprimendo ex ratione obiecti primarij, quod reueretur, & cui ſubijcitur; ſicut ex parte culpæ, ſeu offenſæ Dei, quam fugit, & vitat, omni virtuti correſpondere poteſt, quia omne malum, ſeu peccatum vitare poteſt. Ex parte verò effectus, quem ponit in animo ſpecialiter correſpondet temperantiæ, quatenus delectatio, quam temperantia reprimit, dilatationem cauſat, cuius contrarium facit timor, ſcilicet cōtractionem in appetitu, & corpore, & ſic configit carnes, & exſiccat oſſa, facitque fugare laſciuiam, vt mox dicetur.

Igitur vt per beatitudinem paupertatis dono timoris directè correſpondentem, perfecti, & Sancti debitè in ſe concipientes diuinam magnitudinem, cui vniuerſa ſubijciuntur ſumma, & omnimoda ſeruitute, ac dependentia in vita, in motu, in eſſe, *quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, Act. 17. & ſimul cogitantes quam voluntariè, & liberè omnia iſta nobis à Deo donentur, quibus pro ſua mera voluntate poteſt nos priuare, vel non priuare, concutiuntur timore magno, & à facie vultus eius expaueſcunt, & omnia magnifica ſua, quæ quaſi montes ſublimantur in propria æſtimatione deponunt, & euacuant, iuxta illud Prophetæ Pſal. 96. *Illuxerunt fulgura eius* (id eſt fulgor, ſeu ſplendor potentiæ vindicantis) *orbi terræ, vidit, & commota eſt terra; montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*. Quia videlicet quidquid altum, & ſublime eſt in terrenis, à facie diuinæ potentiæ diffluit, & diſſoluitur præ timore, ſicut cera à facie ignis, quia ſolus Dominus eleuatur cum timetur, & omne quod ſublime eſt in hominibus euaneſcit, & depauperatur, iuxta quod alia Scriptura ait Iſaiæ 2. *Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in illa die, &c.* Ita quoque per naſcentem inde triſtitiam de rebus temporalibus, quæ eſt Beatitudo luctus, alienantur ab omni delectatione creaturæ. Tum ex magnitudine diuinæ maieſtatis; tum

tum ex paruitate omnis creaturæ, quę delectationem cauſare poteſt. Ex magnitudine quidem diuinæ maieſtatis, quatenus ſpecialiter eſt deſtructiua omnis celſitudinis, & pulchritudinis creatæ vnde delectatio nociua cauſari poteſt iuxta illud Iſaiæ 2. *Dies Domini ſuper omnem excelſum, & ſuperbum, & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne, quod viſu pulchrum eſt*; & Thren. 2. *firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtia, & occidit omne quod pulchrum erat viſu*.

Ex paruitate autem creaturæ, quatenus omne quod perit, & tranſit inſipidum eſt, comparatumque ad magnitudinem diuinam, potius prouocat ad luctum, quam ad lætitiam; pręſertim cum tantam in fine relinquat amaritudinem iuxta illud Iob 20. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua; panis eius in vtero illius vertetur, vt fel aſpidum intrinſecus, caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ*; quę amaritudo maximè cognoſcitur in ipſo puncto ſeparationis animæ, iuxta quod ibidem ſubditur: *Eductus, & egrediens de vagina ſua* (id eſt anima à corpore) *& fulgurans in amaritudine ſua; vadent, & venient ſuper eum horribiles. Omnes tenebræ abſcondita ſunt in oculis eius: deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*. Hæcque eſt ratio cur iſte actus, qui ita reſpicit delectabilia ſenſus, vocatur *beatitudo luctus*, quia conſiderat creaturas, vt auertentes à Deo, & cauſantes amaritudinem conſequenter luctu dignam, proptereaque talis actus correſpondet duplici dono, ſcilicet dono ſcientiæ tanquam dirigenti, vt ait Diuus Thomas 2. 2. q. 9. art. 4. & dono timoris tanquam exequenti, vt ait q. 19. art. 12. ad 2.

Ex quibus apparet quomodo ratione horum effectuum, qui conſequuntur ad donum timoris, ipſum correſpondeat temperantiæ, primumque præſtet in perfectis id quod humilitatis eſt eminentiori modo per paupertatem Spiritus tollentem in eis omnē ſuperbiam. Secundò quod caſtitatis eſt, & temperantiæ, & reliquarum virtutum ad illam pertinentium, per beatitudinem luctus. Quatenus delectationes configit, & auertit per contractionem animi, & pauorem iuſtitię, & potentiæ diuinæ, & inducit luctum, ſeu triſtitiā pro iſtis temporalibus miſerijs. Qui enim ſunt in timore Dei, & tali timore, qualis conuenit dono Spiritus Sancti perfectorum proprio omnem ſpiritus altitudinem deſtruente, & euacuante, dilatari in delectationibus nequaquam poſſunt; ſed potius confixa in eis caro à ſagitta timoris omnem virorem amittit, manetque quaſi infirmata, & conturbata ex illo priori effectu paupertatis ſpiritus, iuxta illud Pſal. 30. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt*: id eſt conturbatio oſſium in delectatione carnis ex paupertate virtutis, & ſpiritus deriuatur. Propterea que ex D. Thoma inter hos actus ſecundarios directius pertinet ad donum timoris *paupertas ſpiritus*, quam *beatitudo luctus*; nec non etiam quia delectatio fugienda, ſeu auulſio, & ſeparatio ab illa non ita habet rationem ardui, ſicut magnificatio ſuperanda, quę, cum ſit in parte ſuperiori, ſeu rationali animæ, idcircò difficilius vincitur: ad timorem autem directius pertinet deſtruere arduum, & humiliare illud, & pacificare, eo quod procedit à comparatione diuinæ maieſtatis, reſpectu cuius omnia ſunt parua, & veluti nulla.

Item conſtat donum timoris ex vi tum ſuorum actuum, tum effectuum non ſolum reprimere paſſiones delectationis, quæ pertinent ad temperantiam virtutem cardinalem, verum etiā illas, quę ſpectant ad alias virtutes ei acceſſorias, & minus principales, ſicut clementia, & māſuetudo refrenat iras, humilitas ſuperbiam. Primas tamen per effectum contractionis directè, &

per

per ſe primo reprimit, ex conſequenti autem omnes alias, quę indigent refrenari ob ſuam dilatationem, vel exuberantiam, quęcumque illæ ſint, ſiue in ira, ſiue in vanitate, & ſuperbia, hęc enim omnia habent aliquid delectatione adiunctum, ſicut in curioſitate, aut nimio cultu veſtium eſt delectatio, non quidem naturalis, ſed animalis; & in vindicta, quam exercet ira, eſt etiam delectatio vindicantis; & in vanitate magna delectatio eſt. Omnem igitur delectationem non tantum carnis, quę naturalis, verum etiam apprehenſionis, & ęſtimationis, quę animalis, reprimere poteſt donũ timoris, quatenus per excellentiam cauſat non ſolũ contractionem carnis, ſed & ſpiritus. Et ideò, vt dictum eſt, nõ ſolùm habet pro effectu paupertatem Spiritus, quæ eſt prima beatitudo poſita à Chriſto, *Beati pauperes Spiritu*, ſed etiam beatitudinem luctus. *Beati qui lugent*. Quia ſpiritum contrahit, & euacuat à propria ſuperbia, faciendo propriam recognoſcere paruitatem, & paupertatem, & carnalia reprimit, ſeu carnes configit, quod eſt lugere, ſeu non delectari, aut dilatari, ſed flere, & contrahi in ſe.

Vltimò tandem, quod ſpectat ad modum, quo donũ timoris perfectiorem reddit orationem, vt timor illius proprius eſt timor filiorum in gradu, quem diximus perfectiſſimo, quia non conſiſtit in fuga vllius pœnæ, quam alij inferiores timores reſpiciunt; ſed in quadam animi reuerenti demiſſione ex viua, & vehementi apprehenſione diuinæ magnitudinis, & noſtræ paruitatis, vltra regulas infuſæ prudentiæ, & ordinaria dictamina rationis, non poteſt non mirum in modum orationẽ perficere, ſuauiſſimèque allicere ad agendum per illam cum Deo, tanquam cum Patre ſublimiſſimæ quidem maieſtatis, ſed beneuolentiſſimæ adhuc pietatis, & liberaliſſimæ charitatis erga filios planè infantes, quales ſe coram Deo agnoſcunt verè perfecti, & per omnia conſequenter vt tales manu diuina dirigi, brachijs portari, omni ope, atque auxilio indigere adiuuari. Inſuper ſi tantoperè incitatur cor noſtrum, vbi non fuerit deprauatis affectibus nimium depreſſum, motu ſolius naturalis timoris rationem anteuertentis, ad cælum ſe conuertere; item timoris ſeruilis æternorum ſuppliciorum; quanto magis ad id valida, quanto efficacior infuſa perfectis per donum timoris, vltra naturalis, & ſupernaturalis prudentiæ regulas, reuerentia ſublimiſſimæ Dei maieſtatis; ex qua ſicut ait Iob 25. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius*.

CAPVT XIV.

De Perfectorum defectibus, & eorum remedijs.

QVamuis perfecti viri ij ſint, qui alios in tentationibus iuuant, ne deficiant, quia tamen hos etiam ſuo modo tentari, & multoties in tentatione deficere, nedum Sanctorum documentis compertum eſt, verum & ipſamet experientia; idcircò breuiter hic agemus de tentationibus, ac defectibus, præter nonnunquam communes cum alijs ſtatibus, ſpecialiter etiam iſti perfectorum imminentibus. Quorum præcipuus, ac veluti fons aliorum, magiſque frequens, eſt occulta quædam ſuperbia, & præſumptione plena ſui æſtimatio. Vndè rectè ait D. Bernardus: *Rara auis in terris, aut ſanctitatem non perdere, aut humilitatem ſanctitate non excludi*. Qui enim ad ſtatum perfectionis iam peruenerunt, cũ Sapientiæ cæleſtis clariora, purioraque lumina ſuæ infuſa menti, & excellentiora virtutum opera ſe ſine labore, aut moleſtia obire ſentiant, ſibi clam blandiuntur facile ſe ſe ad proſequendum vlterius excitant, quaſi proprijs viribus, propria induſtria, aut partis iam donis vti ad maiorem perfectionem, aut obtinere excellentiora ali-

qua queant. Cui malo, vel defectui occurrendo nullum eſt remedium efficacius, & ad hunc iam erecto ſtatum nihil ita neceſſarium quam longè adhuc, quàm antea profundior humilitas, ſolidiorque.

Quocirca Deus plures ſanctiſſimos viros, ac mulieres, non ſolum calamitatibus, ſed vitijs etiam pulſari, ne extollantur ſuperbia, ſæpè permittit, & inter illa maximè concupiſcentiæ motibus, libidiniſque tentationibus; cum nihil Sanctos, & virtutis amantes ita humiliet, ac huiuſmodi tentationes, nihilque eos ita contineat, vt cum metu, & tremore, ſuam ſalutem operentur, atque dum carnis ſuæ fragilitati lapſum in tam periculoſa, & procliui ad conſenſum tentatione ſemper timent. Ideoque Apoſtolus vir certè perfectus 2. Corinth. 12. aiebat; *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Datus non à diabolo, ſed à Deo permittente illum tentare Paulum, idque tantum in ſpecie, & materia libidinis ad eum humiliandum, vt ait D. Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 27. & D. Hieronymus epiſt. 25. ad Paulam. *His monitor,* inquit, *Paule datus eſt, ad premendam ſuperbiã, vti in curru triumphali triumphanti datur monitor ſuggerens: hominem te eſſe memento.*

Ibi enim per ſtimulum carnis Apoſtolum tentationes libidinis intellexiſſe, communis eſt interpretum ſententia. Quod certè in ſtatu lapſo non fuiſſe indecorum, & indignum tanto Apoſtolo, vt obijciunt Eraſmus, & Faber, imo vtile, clarè docet D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 5. & 6. & ex eo Anſelmus, oſtendentes, quam vtili & prudenti conſilio electi inter raptus, & eleuationes, hinc inde inter infirmitates, & depreſſiones, iam in altum elati, iam quaſi in abyſſum demerſi, quaſi ancipites librentur, ne vel in ſuperbiam, vel in deſperationem corruant, ſed media inter vtrumque via recta in cælum gradiantur; ſicut dicitur Iob 29. *Et aquas appendit in menſura.*

Quia autem perfectis tentatio non eſt cauſa ruinæ, ſed ſtimulus potius virtutis, propterea non incongruè D. Paulus ſic ſuam appellat, datamque ei fuiſſe, ne magnitudo reuelationum ipſum extolleret, ſed maioris potius humilitatis, ac perfectionis occaſio foret. Quemadmodum enim calcari ſtimulati equi etiam generoſi animoſius, & velocius progrediuntur; ita & Sancti ſtimulo tentationis excitantur, vt animoſius pergant in virtute, ne ſuccumbant, & pereant. Ita in Vitis Patrum lib. 3. cap. 8. vt omittam plura alia exempla, narratur de quodam ſeniore, quod videns diſcipulum grauiter tentari fornicatione dixit ei: *Si vis ò fili, deprecor Dominum, vt auferat à te iſtam impugnationem.* Cui diſcipulus: *Video pater, quia etſi laborem ſuſtineo, ſentio tamen fructum in me perfici laboris; quia per occaſionem impugnationis huius, & amplius ieiuno, & amplius in vigilijs, & orationibus ſalero. Sed deprecor te, vt exores pro me miſericordiam Domini, vt det mihi virtutem, quatenus poſſim ſuſtinere, & certare legitimè.* Vndè etiam Apoſtolus ter Dominum rogans hoc ſtimulo liberari, non fuit exauditus, ſed dixit ei ſufficit tibi gratia mea. Sicut enim ex Diuo Auguſtino in Pſal. 130. æger cum ei applicatur pharmacum moleſtum, & ardens, rogat medicum, vt illud auferat; medicus autem ægrum conſolatur, & hortatur ad patientiam, quia nouit, quam vtile ſit, quod appoſuit: pari modo egit hic Deus cum Paulo. *Ego noui,* inquit D. Auguſtinus, *quid appoſuerim, ego noui vndè ægrotes, ego noui vndè ſaneris. Sufficit tibi gratia mea.* Quemadmodum ergo medicus theriacam contra viperas, & venena ex ipſa viperæ carne conficit: ſic Deus ex noſtra infirmitate contra infirmitatem, adeoque ex vna concupiſcentia contra aliam, v. g. ex ſtimulo carnis contra ſuperbiam, cui etiam perfecti ſunt ob-

noxij, medicinam, & theriacam conficit.

Alter defectus ex præcedenti originatus, in quem ſæpe ſolent incurrere perfecti, eſt multiplex curioſitas, V. g. in oratione experiendi diuina ſolatia, raptus, viſiones, reuelationes, ac ſimilia; & vbi contingunt, in ijs plus æquo ſiſtendo, aut ſui ipſius aliquid quærendo, quod non ſincerè ſpectet vnicã Dei gloriam, & voluntatem. Cui tentationi, vel defectui obuiando, & ſuperando, nullum videtur eſſe remedium opportunius, quam perfecta ſui abnegatio, ac præſertim amoris proprij, etiam circa res ſpirituales, ac ſupernaturales ad ſalutem non neceſſarias; nihil aliud in illis optando, aut quærendo, quam Dei voluntatem, & beneplacitum, ſiue adſint, ſiue abſint; & cum adſunt, ea non pluris faciendo, quam ſi abeſſent. Quamprimum igitur, ſiue in ipſomet exortu, huiuſmodi appetitum, ſiue curioſitatem totis viribus perfecti debent compeſcere, ad eum ferè modum, quo D. Auguſtinus lib. 10 Confeſſ. cap. 35. cupiditatem miraculorum, aut ſignorum cohibuiſſe ſe dicit his verbis: *Ad te Domine Deus meus cui humilem famulatum, ac ſimplicem debeo, quantis mecum ſuggeſtionum machinationibus agit inimicus, vt ſignum aliquod petam? Sed obſecro te per Regem noſtrum, & patriam Hieruſalem, ſimplicem caſtam, vt quemadmodum longè eſt à me iſta conſenſio, ita ſit ſemper longe, atque longius*. Etſi enim illuſtrationibus, & conſolationibus internis, ſigniſque externis nõnunquam promptior euadat homo, ad Deo ſeruiendum, illumque amandum, qua duntaxat ratione aliquando expeti poſſunt, & magnifieri; perfectis tamen longè ſatius eſt poſſe, & velle ſeruire Deo ſine promptitudine inde proueniente, ſed potius cum interna contraria repugnantia, & difficultate, ſeu perfecta omnis amoris concupiſcentiæ expropriatione etiam circa res ſpirituales. Eo enim certè purior, ac defæcatior eſt intentio voluntatis, quo in ea de proprio nil iam admixtum relinquitur. Et vt ait D. Auguſtinus lib. 10. Confeſs. cap. 29. Deum alloquens: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*.

Tertius defectus ex eodem ſuperbiæ fonte manans, quo perfecti nonnunquam facilè laborant, eſt quædam inanis fiducia, qua nimium ſibi, ſuiſque viribus fidentes, periculoq; Deum offendendi ſe ſe exponentes, illi ſuccumbunt. Quare viros perfectos oportet in vigilia ſui ſtare ſemper, nulloſque ſibi ſuſpectiores credere, quam ſeipſos ſibi. Cum nec etiam in ipſis, quamdiu hic viuunt aliud appareat, quam quod Apoſtolus aiebat: *Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens*. Cuius vigilantiæ actus, & documenta in omni genere virtutum, tentationumque contra illas plura iam retulimus ſupra Sect. 3. agendo de illis, vbi videri poſſunt.

Quartus defectus eſt falſa quædam libertas, qua nonnulli, tanta eſt in omni ſtatu humana miſeria, exiſtimarunt ita vniri Deo, vt eſſent exempti ab omnibus virtutum actibus exercendis, & obedientia mandatorum Dei, & Eccleſiæ; vt refert D. Thomas explicans illud D. Pauli 2. Corinth. cap. 3. *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. *Sciendum*, inquit S. Doctor, *quod occaſione iſtorum verborum, & illorum ſcilicet. Iuſto lex non eſt poſita: aliqui erroneè dixerunt, quod viri ſpirituales non obligantur præceptis legis diuinæ: ſed hoc eſt falſum: nam præcepta Dei ſunt regula voluntatis humanæ. Nullus autem homo eſt, nec etiam Angelus, cuius voluntatem non oporteat regulari, & dirigi lege diuina. Vndè impoſſibile eſt aliquem hominem præceptis Dei non ſubdi. Hoc autem, quod dicitur, iuſto lex non eſt poſita, exponitur, id eſt, propter iuſtos, qui interiori habitu mouentur ad ea, quæ lex Dei præcipit, lex non eſt poſita; ſed propter iniuſtos, non quia etiam iuſti ad eam teneantur. Et ſimiliter vbi* Spiri-

Spiritus Domini, ibi libertas, intelligitur: quia liber eſt, qui eſt cauſa ſui: ſeruus autem eſt cauſa domini: quicunque ergo agit ex ſeipſo, liberè agit: qui verò ex alio motus, non agit liberè. Ille ergo qui vitat mala, non quia mala, ſed propter mandatum Domini non eſt liber; ſed qui vitat mala, quia mala eſt liber. Hoc autem facit Spiritus Sanctus, qui mentem interius perficit per bonum habitum, vt ſic ex amore caueat, ac ſi præciperet lex diuina, & ideo dicitur liber, non quia ſubdatur legi diuinæ, ſed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod lex diuina ordinat. Quod idem docet 1.2. q. 108. art. 1. ad 2.

Quintò eo etiam erroris, falſæque perſuaſionis deuenere nonnulli perfecti, quod crediderint ſe à peccatis venialibus eſſe omninò exemptos. Quod vniuerſim falſum eſt, etſi enim probabile ſit cum gratia Dei ordinaria vitari poſſe omnia peccata venialia deliberatè facta, vt ſupra iam notauimus, id tamen aſſeri non poteſt de huiuſmodi peccatis ex ſubreptione commiſſis, quibus ſine ſpeciali priuilegio gratiæ carere non poſſunt, quantumuis Sancti, & perfecti; vt ex illo 1. Ioann. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, communiter docent Patres, Diuus Auguſtinus de bono perſeuerant. cap. 2. Enchirid. cap. 26. nec non lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 68. Caſſianus collat. 11. cap. 11. & collat. 20. cap. 11. D. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 4. explicans illud Iob: *Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*; ait, quod ſunt quædam peccata, quæ à iuſtis vitari poſſunt, quædam verò, quæ etiam à iuſtis vitari non poſſunt. Et de primis dicit Iob: *Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: de ſecundis verò; *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Idem vbique docet D. Thomas in 4. diſt. 12. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. & diſt. 21. qu. 2. art. 1. ad 4. qu. 7. de malo art. 2. ad 13. 2. 2. q. 184. art. 2. ad 2. & 3. p. q. 79. art. 4. ad 2. Tandemque definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 7. & 13.

Sextus perfectis non infrequens defectus eſt, quod, cum ex Apoſtolo 1. Corinth. 2. *Spiritualis omnia diiudicat*, ſubito ſæpe præcipitique iudicio dicta, factaque aliorum condemnant. Item libertas loquendi, qua in aliorum vitia acrius inuehuntur, quam par eſt: ac demum immiſericordia quædam, indeque contemptus aliorum, quos nondum eamdem perfectionem, quam ipſi aſſecutos ſe eſſe intelligunt. Verum hoc potius, vt ait Caſſianus collat. 11. cap. 11. *Euidens indicium eſt animæ, nec dum vitiorum fæcibus eliquatæ in criminibus alienis non affectu miſericordiæ condolere, ſed rigidam iudicantis tenere cenſuram.* Tantumque ſit de præcipuis tentationibus, ac defectibus in quos viri etiam perfecti ſolent incidere; adeo vt iure merito vnuſquiſque dicere poſſit cum Regio Propheta Pſal. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus.*

SECTIO SEPTIMA.

In qua agitur de vnione myſtica in ſpecie ſecundum partem animæ ſenſitiuam tam internam, quàm externam, quatenus medijs eius actibus nonnumquam Deus ſe, ſuaque perfectis, ac ſanctis myſticè communicat.

CAPVT PRIMVM.

De actibus myſticis, ſeu diuinis impreſſionibus ad imaginationem ſpectantibus.

CVM potentiæ ſenſitiuæ diuinarum impreſſionũ capaces; quibus ſæpe Deus animas contemplatiua, recreare, ſimulque inſtruere ſolet, ſint in duplici differentia, ſcilicet internæ, & externæ, de primis in hoc capite agemus, ſeu de impreſſionibus diuinis imaginarijs. Pro quarum intelligentia obſeruandum eſt primò, omnem cognitionem vocari viſionem, ſiue ea videri, & apparere, quæ potentias cognoſcitiuas mouent ad ſui cognitionē, vnde ſecundum illas, quæ ſunt ſenſus, imaginatio, & intellectus, datur triplex viſionis, ſiue apparitionis genus, vna enim corporea, alia imaginaria, tertia intellectualis appellatur, vt docet Diuus Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram, & ex eo Diuus Thomas 2.2. queſt. 174. art. 1. & quæſt. 175, art. 3. vbi loquens de raptu cæli ad tertium cælum, per illud ait intelligi viſionem ſupermundanam ſecundum præfatas potentias cognoſcitiuas, earumque ordinem, *Vt primum cælum dicatur viſio ſupermundana corporalis, quæ fit per ſenſum, ſicut viſa eſt manus ſcribentis in pariete Daniel. 5. ſecundum autem cælum ſit viſio imaginaria, puta quam vidit Iſaias, & Ioannes in Apocal. Tertium verò cælum dicatur viſio intellectualis.*

Secundò notandum, quod cum ea, quæ videntur, & apparent, potentias cognoſcitiuas dupliciter mouere queāt ad ſui cognitionem; naturaliter, per obiecta, quæ naturali notitia percipiuntur: & ſupernaturaliter, quando ea manifeſtantur, quorum cognitio vires noſtras naturales ſuperat; vt datur triplex viſio naturalis, nimirum, corporea, imaginaria, & intellectualis, ita quoque dantur totidem ſupernaturales, de quarum tertia, cum egerimus ſupra ordine perfectionis, nunc eodem ordine agimus de ſecunda.

Tertiò obſeruandum eſt, quod licet viſio, & apparitio imaginaria, pro

vna, & eadem re, ſiue notitia ſumi ſoleant, aliqualem tamen inter ſe diſtinctionem habent. Nam apparitio dicitur, cum noſtrę imaginationi ſola ſpecies apparentis infunditur; ſed quis appareat ignoramus, vel diſtinctè non cognoſcimus; quando verò fit eum notitia clara, & diſtincta, tunc viſio nuncupatur.

Quartò ſciendum eſt, poſſe, & debere diſcurri proportionaliter de impreſſionibus diuinis imaginarijs, ac de intellectualibus, quoad varias denominationes, viſionis, reuelationis, locutionis, auditionis, quod nimirum ſunt vna, & eadem res, ſiue notitia ſubſtantialiter, quæ tales ſuſcipit denominationes per ordinem ad diuerſa connotata. Vt dictum eſt agendo ſupra de intellectualibus.

Quintò aduertendum eſt viſiones imaginarias, earumque corporeas figuras veras quidem eſſe ſecundum ea, quæ myſtice, ac ſpiritaliter ſignificant, non tamen ſemper ſecundum exiſtentiam: neque enim verum eſt, quod reuera ſint in cœlo Boues, Leones, Aquilæ, & alia ſimilia, quæ plures Prophetæ, & Diuus Ioannes in Apocalyp. ſcribunt ſe vidiſſe; ſunt tamen virtutes, & myſteria quæ per tales figuras deſignantur. Vt videre eſt apud Sacros eorum Interpretes.

Sextò tandem notandum eſt ex Diuo Thoma lect. 1. 2. Corinth. 12. differre inter ſe viſionem, & reuelationem etiam imaginariam, quod reuelatio includit viſionem, & non è conuerſo. Nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus, & ſignificatio eſt occulta videnti, & tunc eſt viſio ſolum. Sicut fuit viſio Pharaonis Geneſ. 41. & Nabuchodonoſor Daniel. 2. Sed quando cum viſione habetur ſignificatio intellectus eorum, quæ videntur, tunc eſt reuelatio. Vndè quantum ad Pharaohem, & Nabuchodonoſor, viſio de ſpicis, & de ſtatua fuit ſolum viſio: ſed quantum ad Ioſeph, & Danielem, qui ſignificationem viſorum habuerunt, fuit reuelatio, & Prophetia: His poſitis.

Primum dico dari diuinas impreſſiones imaginarias; in hoc tanquam certo conuenire debent omnes Theologi. Siquidem plenæ ſunt illis ſacrę vtriuſque teſtamenti paginę, pleni tractatus Sanctorum Patrum. Vnde licet in illis approbandis caute, & lente procedendum ſit, leuitatique cordis tribuendum, credere ſine delectu, & examine quæcumque audiuntur, vel legũtur muliercularum, vel inſipientium, ſiue impoſtorum viſiones; ita duritiei, & proteruiæ ducendum eſſet, ſi quis res diuinas eadem menſura qua humanas metiens, cuique, vt ait Diuus Auguſtinus ſerm. 147. de temp. *Tota regula credendi eſſet conſuetudo cernendi*, illas omnes negaret.

Dico ſecundò has impreſſiones nihil aliud eſſe, quam cognitiones habitas, ſiue ab imaginatione elicitas per ſpecies in illa receptas, vt ſtatim magis explicabitur, repræſentantes aliquid diuinum, & cæleſte. Cumque potentia imaginatiua ſit perfectior ſenſitiua exteriori, quia percipit res præſentes, præteritas, & futuras, quod ſenſibus externis non competit: imo & aliquas nunquam futuras, & impoſſibiles fingit, propterea diuinæ impreſſiones imaginariæ, ſunt mediæ inter ſenſitiuas, & intellectiuas. Vel, quod idem, impreſſiones corporeæ ſunt infimæ, vt pote materialiores; imaginariæ ſunt ſuperiores, & mediæ, velut immaterialiores; intellectuales autem ſupremæ, & omnium perfectiſsimæ, cum ſint penitus immateriales. Quos perfectionis gradus inter diuinas impreſsiones conſtituunt vnanimiter Doctores, quodque conſequenter corporeæ ad imaginarias, hæ verò ad intellectuales referantur. De quibus videri poteſt Diuus Auguſtinus integro ferè lib. 12. de Geneſi ad litteram.

Tertiò dico diuinas impreſsiones maginarias vt pote naturæ noſtræ pro hoc ſtatu magis conformes, magis

quoque

quoque interdum eſſe animæ proficuas, & vtiles, quam intellectuales ordinariæ etiam à Deo procedentes, vt rectè docet Magiſtra orationis Sancta M. Thereſia *Vitæ ſuæ* cap. 38. nec non Manſ. 6. cap. 9. cum enim ob talem conformitatem imaginationi, remaneant firmius impreſſæ, diutiuſque durent, aut earum memoria facilius recurrat, inde ſequitur animam poſſe vtilius occupari in illis, quam in intellectualibus ordinarijs, nam loquendo de extraordinarijs, quibus ſe Deus ſpecialiter in ſtatu vnionis animæ communicat, dubium non eſt, quin omnibus imaginarijs nedum perfectiores; verùm etiã vtiliores ſint abſolutè.

Quartò dico huiuſmodi impreſſiones imaginarias, nunc eſſe ſimplices viſiones, aut apparitiones, nunc reuelationes, nunc locutiones, & conſequẽter auditiones. Tunc ſunt *viſiones* ſimpliciter, quando res imaginata tam clarè repræſentatur, quam ſi corporeis oculis cerneretur; *apparitiones* verò, quando non ita diſtinctè cognoſcitur, vel etiam perſona apparens ignoratur; vt multoties contingit in viſione ipſa corporali, quando non fit in debita diſtantia. *Reuelationes*, quando res imaginata ita videtur, vt inſuper quid per illam diuinitus ſignificetur, intelligatur. *Locutiones*, & conſequenter *auditiones*, tunc ſunt; quando huiuſmodi impreſſiones contingunt ſimul cum aliqua voce. Vt enim viſionis, ita & locutionis triplex datur modus. Primus eſt per vocem, aut verba externa corporeis auribus ab homine vigilante percepta, de quo agetur capite ſequẽti. Secundus per verba interna non aure corporis, ſed imaginatione percepta, ſicut ſomniantibus ſolet accidere. Tertius denique eſt, cum vox Dei loquentis in ſilentio ad cor Hieruſalem non aure, non imaginatione, ſed ſolo intellectu ſpiritualiter percipitur, de quo egimus ſupra: Locutiones igitur, & conſequenter auditiones imaginariæ ſunt impreſſiones diuinitus immiſſæ imaginationi cum voce aliqua interna. Quæ aliquando è ſupernis deſcendere, aliquando ex imo cordis prodire, aliquando iuxta audientem, aliquando è loco remotiori proferri, vel emitti videtur. Interdum perſona loquens, vt Chriſtus, aut Beatiſſima Virgo, aliuſue Sanctus, ſe manifeſtat, propria figura phantaſiæ immiſſa, ita vt audiens nullatenus dubitare poſſit, quis loquatur; interdum vox, aut ſola verba audiuntur, perſona autem loquens ignoratur. Quorum plura tam in ſacris litteris, quam in hiſtorijs Eccleſiaſticis habentur exempla.

Quintò dico omnes præfatas impreſſiones imaginarias poſſe diuerſis fieri modis pro diuerſitate obiectorum repræſentatorum; nunc per ſpecies acquiſitas, nunc per eaſdem, ſed diuinitus coordinatas, nunc denique per ſpecies infuſas, nec non lumen aliquod ſuperius imaginationem eleuans. Si enim viſio imaginaria eſſet alicuius obiecti prius in ſeipſo viſi, ſpecies eius acquiſita, iamque in imaginatione præexiſtens diuinitus excitari poſſet ad illud repræſentandum, in ordine ad effectus ſupernaturales à Deo intentos media tali viſione. Vt ſi quis prius corporaliter vidiſſet aliquem Sanctum adhuc in carne mortali viuentem, & poſt eius mortem vellet ipſum Deus illi apparere in ordine ad excitandam maiorem erga eum deuotionem, vel ad eius virtutes imitandas, tunc ad id ſufficeret quod ſpecies illius ſancti iam acquiſita diuinitus excitaretur. Similiter ſi vellet aliquem prius alteri notũ, & in purgatorio exiſtentem illi apparere ad petenda eius ſuffragia, vel monendum de aliqua re ad eius ſalutem ſpectante, ſufficeret quoque præexiſtẽs ſpecies, & ſic de alijs.

Si autem viſio ſit alicuius obiecti nõ quidem in ſeipſo corporaliter viſi, ſed in aliquo ſibi ſimili, vel per partes, tũc etiam ad illam ſufficiunt ſpecies acquiſitæ, ſed diuinitus coordinari debent, ad obiectum adæquatè repræſentandum;

tandum; Vt ſi quis viderit aliquem virum ſanctum, & alibi viderit martyrium alterius, volueritque Deus illi, neſcienti quidquam de nouo prædicti Sancti martyrio, ipſum Martyrem repræſentare imaginationi, coordinat illas inter ſe ſpecies quaſi partiales ad hoc totum repreſentandum; ſicut ex præconceptis montis, & auri ſpeciebus formamus montem aureum. At ſi viſio ſit alicuius obiecti nunquam viſi, qualis eſt illa maximè Sacratiſſimę humanitatis Chriſti Domini, vel iuxta modum paſſibilem, quem in carne mortali habebat, vel iuxta conditionem gloriæ poſt reſurrectionem; idemque proportionaliter dicendum eſt, de viſione Beatiſſimæ Virginis Mariæ; tunc debet fieri per ſpecies huiuſmodi obiectorum imaginationi diuinitus infuſas, quia, vt ſupponitur nulla alia præexiſtit ſpecies in ipſa talia obiecta repræſentans, ſine qua videri non poſſunt. Quod à fortiori dicendum eſt de viſionibus, vel apparitionibus imaginarijs Dei, & Angelorum, quarum in Scriptura plura habentur exempla, vt mox dicemus.

Sextò, ſi conſiderentur impreſſiones imaginariæ ex parte obiectorum diuinitus apparentium ſunt quoque in multiplici differentia. Aliæ enim ſunt ipſiuſmet Dei, & perſonarum eius; aliæ Angelorum, quales fuerunt viſiones Iacob Geneſ. 28. Iſaiæ, Ezechielis, Danielis, & aliorum Prophetarum in veteri Teſtamento, necnon in nouo S. Ioannis in Apocalypſi. Aliæ Chriſti Domini, & Sanctiſſimæ eius Matris. Aliæ Animarum vel æterna felicitate iam in cælo fruentium, vel perpetuo igne in inferno cruciatarum, vel peccatis nondum expiatis purgatorij carcere adhuc incluſarum. Si enim omnia iſta corporaliter apparere oculis poſſunt, vt dicetur capite ſequenti, multo magis per eorumdem ſpecies imaginationem immutari, ſeu illa imaginariè apparere poſſe certum eſt. Vt rectè docet Beatus Pater Ioannes à Cruce lib. 2. aſcenſ. Montis Carmeli cap. 16.

Septimò, quod attinet ad perfectionem, & qualitatem huiuſmodi impreſſionum, non eſt eadem in omnibus, ſed maior, vel minor, ſecundum quod ſpecies ſeu figuræ, & imagines rerum iam in ipſa phantaſia exiſtentium, vbi ſunt de rebus alias viſis; Dei, vel Angeli operatione magis, vel minus perfectè diſponuntur, vt illas repræſentent; aut vbi ſunt de rebus non viſis, magis, vel minus perfectæ ſpecies de nouo infunduntur, luxque ſupernaturalis ad intelligendum quid ſignificent. Quæ ſpecies adeò firmiter inhærent imaginationi, vt ab his diſtrahi, & auerti pro arbitrio nequeat; & ſi aliqua perſona diuina appareat, ita phantaſiam percellit, & mouet, vt & oculis corporis aſpici, & vox eius auribus percipi videatur, vbi apparitio ſit cum loquela, ita etiam collocatis in imaginatione verborum imaginibus. Sic apparuit Deus Danieli cap. 6. *Aſpiciebam*, inquit, *donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda; thronus eius flamma ignis: rota eius ignis accenſus, fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Sic plures etiam Sancti ſe vidiſſe memorant aliquando Chriſtum Dominum, ſeu Sacratiſsimam eius humanitatem; & inter illos nouiſsime Sancta Mater Thereſia vitæ ſuæ cap. 28. vbi deſcribens Chriſti ſibi factam viſionem ait, illum ſibi manus ſuas, deindè faciem oſtendiſſe, tum illi apparuiſſe ea forma, qua è ſepulchro glorioſè reſurgẽs pingi ſolet: eaque in re licet naturali eius imbecillitati ſe accommodaret, magno robore indiguiſſe, vt viſionem ferre poſſet. Tanta enim pulchritudine corpora glorioſa prædita ſunt, & tantam ex omni parte gloriam ſpirant, vt videntem extra ſe rapiant; neque illam ipſe valeat explicare. Vnde ait præfata Sancta, *Quamuis ad mul-*

tos annos mecum ipſa imaginando cogitarem, quomodo rem tam ſpecioſam effingerem, hoc tamen penitus facere nec poſſem nec ſcirem: longe quippe ſuperat, quicquid cogitatione, ſiue imaginatione effingi poteſt. Neque enim ſplendor eſt, qui viſum perſtringat, ſed ſuauis quidam candor, & fulgor infuſus, qui oculos, viſumque maximopere recreat, non fatigat. Quem ſplendorem deinceps celebrans affirmat tam diuerſum eſſe ab eo, qui in terra videtur, vt ipſa claritas ſolis illius comparatione obſcura videatur. Lumen eſſe, quod noctem, & obſcuritatem non habet; nec quemquam eſſe adeo praecellenti, & acuto ingenio, vt toto vitæ ſuæ tempore concipere poſſit quale ſit. Deum tamen illud tam ſubito oſtendere, quod fulguri poſſit aſſimilari, cernaturque in momento, & ſi neceſſe foret aperire oculos ad videndum ipſum, nequidem tempus ſuppeteret. Nullam inſuper ait, eſſe diſtractionem, quæ ipſum impedire ſufficiat; nullam potentiam, quæ ei reſiſtat; nullam diligentiam, quę ad eum conſequendum par ſit. Quomodo verò ſe in hac viſione Dominus ſpectandum exhibeat, ſe neſcire fatetur: nam ex vna parte ipſemet præſens adeſſe, ex altera non ipſe, ſed eius imago videbatur. Verum imaginem hanc talem non eſſe, quales ſunt humanę imagines in tabulis depictæ, aut expreſſę: quia inter hanc, & reliquas imagines tantum erat diſcrimen, quantum eſſe ſolet inter hominem pictum, & viuum. Quod ſi eſt imago, vera, & viua eſt: & aliquando cum tanta maieſtate apparet, vt nemo dubitare poſſit quin ipſe ſit.

Alibi quoque nimirum Caſt. animæ manſ. 6. cap. 9. de hac ipſa viſione Chriſti imaginaria agens ait, ſibi eum apparuiſſe illa forma, qua inter homines fuit, & licet momentanea inſtar fulguris hęc viſio eſſet, ita tamen imaginationi eius imago impreſſa manebat, vt inde nullatenus deleri poſſet. *Quod autem,* inquit, *imaginem appellem, non ita accipiendum eſt, quaſi imago quædam ſit pro imaginatione, & arbitrio videntis expreſſa; ſed vere viua eſt, & interdum etiam cum anima loquitur, magnaque ei ſecreta, & arcana reuelat. Cum verò Dominus hanc animæ gratiam præſtat, ferè ſemper raptum patitur, eo quod natura noſtra imbecillis eam terribilem viſionem ferre nequeat. Terribilem dixi, quamuis enim pulcherrima ſit, & maioris iucunditatis, ac delectationis, quam quis, ſi mille annis viueret, & ſe iugiter cogitando defatigaret, imaginari poſſet, cum omnem & imaginationis, & intellectus capacitatem tranſcendat: illius tamen præſentia eſt tantæ maieſtatis, tantoque tremore animam implet, vt ſtatim agnoſcat quis ille ſit. Diuina quoque Sapientia omnem ab illa ignorantiam diſcutit, & licet alij multa in contrarium congerant, & obyciant, certa tamen manet, quod illa gratia à Deo ſit: nec timet in ea aliquam ſubeſſe illuſionem.* Hactenus ibi S. Mater Thereſia.

Ex quibus ſatis colligitur quantum differat, quamque facile vera viſio imaginaria diſcerni poſsit à naturali Imaginationis fictione, vt omittam modo illas, quæ à Dæmonibus prouenire poſſunt, de quibus infra. Nam quæ imaginationis fictio ab ipſa fabricatur, non fit ſine magno eius labore; cum diuinæ impreſsiones non ſolum eam non defatigent, ſed potius mirum in modum recreent. Item cum fiant raptim, & in inſtanti; quę fiunt ipſa imaginatione ex ſe operante, diu durare ſolent fictiones: vnde Sancta Mater Thereſia vbi ſupra docet, quod ſi diu Dominum imaginatio actu contemplaretur, non vere eſſet imaginaria viſio, ſed tantum vehemens quædam conſideratio in imaginatione efformata. Demùm licet impreſsiones imaginariæ, ſiue ſint viſiones, ſiue locutiones, ſiue vtrumque ſimul, à Deo prouenientes ſint in inſtanti, ac per modū fulguris coruſcantis, ſic tamen remanent imaginationi impreſſæ, vt vix vnquam, quæ per illas viſa fuerunt, vel audita, poſsint ab illa deleri. At verò

quæ propria induſtria finguntur, facile ſub obliuionem cadunt; etiam ſi aliquando anima propter nimiam imaginationis viuacitatem putet eſſe verum, quod finxit.

Octauò, quod ſpectat ad tempus, quo huiuſmodi impreſsiones diuinę in imaginatione fiunt, tam in vigilia, quã in ſomno contingunt. Sic Numer. 12. 9. dicebat Deus ad Aaron, & Mariam: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum*: Et Iob cap. 33. 15. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina*. His quippe locis duos modos viſionis, ac locutionis diuinæ imaginariæ ſignificari exiſtimant Sacri Interpretes, vt alter ſit in ſomno, alter dum homo vigilat. Nec immerito, vtroque enim modo inſtrui poſſunt homines, vt rectè docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 173. art. 3. cuius titulus eſt, *Vtrum gradus prophetiæ poſſint diſtingui ſecundum viſionem imaginariam*.

Viſionis autem imaginariæ in vigilando plura habentur exempla in Scriptura; taleſque fuiſſe Iſaiæ cap. 6. Ezechielis cap. 1. Danielis cap. 6. nec non S. Ioannis in Apocalip. viſiones, aliaſque plures, communiter ibi docent Interpretes. Quas etiam viſiones tradit Diuus Thomas lect. 3. in cap. 4. Iob. veriores ſolere eſſe, ac certiores, quam cum dormientibus cõtingunt; eo quod in vigilando eſt ratio magis libera, & quia in ſomno ſpirituales viſiones minus diſcerni poſſunt a ſomnijs friuolis & conſuetis. Ideoque Iob, ad oſtendendam quandam reuelationem non tantum ſibi dormienti, ſed vigilanti factam eſſe, dicere: *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis*. Per hoc enim, inquit D. Thomas, ſignificat, ſe hoc vidiſſe cum oculis per vigiliam apertis, quando ſopor ſolet occupare homines. De quo etiam videri poteſt Sanctus Doctor loco citato 2. 2. quæſt. 174. art. 3. In huiuſmodi quoque viſionibus, præſertim dum excellentes ſunt, animam ordinariè rapi in extaſim, communis eſt myſticorum ſententia; quamuis non repugnet homini etiam vigilanti eas accidere, cum ſui compos eſt.

Nunc quantum ad diuinas impreſſiones imaginarias, quæ dormientibus, & ſomniãtibus contingunt, plura quoque illarum habentur exempla in Sacra Scriptura. Nam in Veteri Teſtamento Gen. 20. Deus per ſomnium Abimelech Regem Geraræ admonuit, ne tangeret vxorem Abrahæ. Ibidem cap. 28. Iacob in ſomnis myſticam ſcalam vidit, extremitatique eius innixum Deum, nec non Angelos per eam aſcẽdentes, & deſcendentes. Item cap. 32. Deus in ſomnis apparuit Laban præcipiens illi ne quidquam aſpere contra Iacob loqueretur. Et cap. 37. habentur ſomnia Ioſeph, quæ futuræ dominationis præſagia fuerunt. Nec nõ c. 41 illa Pharaonis ſeptem annorum ſterilitatem ſignificantia, quæ Ioſeph diuino imbutus Spiritu interpretatus eſt. Danielis 2. ſomnium legitur Nabuchodonoſor, & alterum ipſius Prophetæ per quod quatuor regna deſignata sũt. In Nouo pariter Teſtamento Matth. 2. Ioſepho Dei Genitricis Sponſo apparuit Angelus in ſomnis dicens, ne timeret accipere Mariam coniugem ſuam: & rurſum in ſomnis monuit eum, vt fugeret in Aegyptum eum Puero, & vt defuncto Herode in terram Iſrael reuerteretur. Magi quoque admoniti ſunt in ſomnis ne redirent ad Herodẽ. Ex quibus, & alijs ſimilibus dubitari non poteſt, quin à Deo immittantur ſomnia; credibiliaq; reddi debent, quæ extra Scripturam alia referuntur in hiſtorijs Eccleſiaſticis, aliquando quidẽ aperta, & per ſe clara, aliquando obſcura, & ænigmatibus obuoluta, ſed ſemper vera, quibus humana mens, vel ad ſupernaturalem aliquorum myſteriorum intelligentiam eleuatur, vel de agendis inſtruitur, vel de his, quæ vẽ-

tura

tura ſunt admonetur: ſiue Deus per ſe immediate formas, & ſimilitudines rerum imprimat phantaſię, ſiue miniſterio bonorum Angelorum.

Cum autem ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 95. art. 6. duplex ſit ſomniorum cauſa, externa vna, quæ iterum eſt duplex, corporalis, & ſpiritualis, illa aërem continentem, vel impreſsionem cœleſtis corporis; hæc Deum, vel dœmonem complectitur, à quibus dormientis phantaſiam immutari poſſe certum eſt: Altera interna, quæ pariter eſt duplex; vna animalis, cum hominis phantaſiæ ea in ſomnis occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio, & affectio verſari conſueuerunt; alia verò corporalis, cum ex interna corporis diſpoſitione, vel temperamento aliquis motus ipſi conueniens in phantaſia efficitur: qua ratione ſanguinei vt plurimum hortos, conuiuia, cantus vel ſimilia ſomniare ſolent; flegmatici imbres, lacus, fluuios, nauigationes, ſubmerſiones: choerici rixas, prælia, certamina, incendia: melancholici tenebras, ſpectra, funera, & horribilia viſa; Cum, inquam, tales ſint internæ ſomniorum cauſæ, à quibus naturalia maximè pendent, & vt plurimum diabolica, ſiue immiſſa à dæmonibus, tanquam à cauſa extrinſeca; nihilominus Deus ad diuina ſomnia, nullo determinato indiget temperamento, ſed quolibet in ſomno, & ſomnio ſuos erudire poteſt, & aurem vellere. Horum tamen ſomniorum, per quæ Deus loquitur, duplex eſt genus. Interdum enim nouus aliquis, & inſolitus, ac ſubitus ſopor irruit ſuper hominem; quod Abrahamo contigit Geneſ. 15. 12, vbi dicitur: *Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* Aliquando verò, imo magis ordinarie ſolita eſt quies, ſenſuum ligatio, indeque ſomnus, qui, vt mox dicemus, ad ſomnia, & viſa diuina eſt aptiſsimus.

Igitur licet ex dictis, veriores, ac certiores eſſe ſoleant, cæteris partibus, viſiones imaginarię, quæ vigilantibus accidunt, negari tamen non poteſt, quin tempus nocturnum, ſiue ſomni ſit illis magis opportunum. Idque ſuadet tùm experientia, qua in co plures quam in vigilia apparitiones, & reuelationes factas fuiſſe legimus: tum ratio ipſa, ſiquidem præter noctis ſilētium, tuncque ſenſuum exteriorum, & rerum omnium, quibus mentis attentio alio diuerti, ac remitti poteſt, placidam quietem, mirum in modum cōcurrentem; vt quicquid internis facultatibus obijcitur, facilius percipiatur, & incorruptè diudicetur, cum dormiēs agatur potius, quam agat, inde quoque videtur magis idoneus, magiſque idoneus ad diuinas impreſſiones ſuſcipiēdas, in quibus homo diuina pati potius, quam agere dicitur. Scitè tamen aduertit D. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litteram cap. 2. & 3. dormientem non plenè diſcernere, quomodo res ipſas viderit, *Cum,* inquit, *vel in ſomnis, vel in exſtaſi corporum exprimuntur imagines, non diſcernuntur omnino à corporibus, niſi cum homo redditus ſenſibus corporis recognoſcit ſe in illis fuiſſe imaginibus, quas non per ſenſum corporis hauriebat. Quis enim cum à ſomno euigilauerit, non continuo ſentiat imaginaria fuiſſe, quæ videbat, quamuis cum ea videret dormiens à vigilantium corporalibus viſis diſcernere non valebat.*

At quia in impreſſionibus imaginarijs, cuiuſcunque ſint rationis, hoc eſt ſiue per modum viſionis, ſiue per modum locutionis fiant, poteſt etiā operatio dæmonis, Deo ita permittente, transfigurantis ſe interdum in Angelū lucis, immiſceri, indeque variæ illuſiones oriri, plures quoque regulæ non deſunt, pluraque documenta tam ex ſacris litteris, quam ex Sanctis Patribus deſumpta, quibus diuinæ impreſſiones imaginariæ à diabolicis, veræ à falſis dignoſci queant, quæ cum ſint etiā cōmunes impreſſionibus corporeis ad ſēſus externos ſpectātibus, de illis erit ſermo in capite penultimo huius ſectionis.

CAPVT II.

De actibus myſticis, ſeu diuinis impreſſionibus ad ſenſus externos, primumque ad viſum pertinentibus.

VLtimum, omniumque infimum diuinarum impreſſionum genus eſt illud, quod pertinet ad ſenſus externos, quos interdum Deus excellentibus obiectis, cuiuſque naturæ proportionatis recreare ſolet, vt ſic magis in bono confirmentur, & ab appetitu malorum obiectorum remoueantur, ſemel expertis diuinitus immiſſis; aut verò prægustata iam, quæ etiam futura eſt in æterna beatitudine, corporea, ſiue ad ſenſus externos pertinente ſuauitate, ad illam ardentius anhelent, ſpretis omnibus alijs huius vitæ corporeis oblectamentis. Et de hoc diuinarum impreſſionum genere agemus in præſenti capite primumque, & præcipue de pertinentibus ad viſum, ſeu de viſionibus corporeis, non late dictis, ſeu qua ratione nomen viſionis primo impoſitum ad actum viſus ſignificandum, ad omnem quoque aliorum ſenſuum functionem propter eius certitudinem, & dignitatem extenſum eſt, vt ait Diuus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 35. *Ad oculos propriè videre pertinet: Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris ſenſibus, cum eos ad cognoſcendum intendimus. Dicimus enim non ſolum, vide quid luceat, quod ſoli oculi ſentire poſſunt: ſed vide etiam quid ſonet, vide quid oleat, vide quid ſapiat, vide quam durum ſit*: Sed de viſionibus corporeis propriè dictis, ſeu quę oculis corporeis fiunt, tam rerum ſpiritualium, quam materialium; quod vt diſtinctius fiat, de ſingulis erit ſermo tot paragraphis.

§. I.

De Viſionibus, aut apparitionibus corporeis Dei.

QVamuis aliqui viſiones corporeas, ſicut & imaginarias, vt notauimus ſupra, diſtinguant ab apparitionibus, quod iſtæ ſint, quando ſola apparentis ſpecies manifeſtatur, ſed quis appareat ignoratur, viſiones autem cum apparitionibus eiuſdem notitia iuncta eſt, nos hic loquimur de illis, prout communiter ſumuntur pro vna, & eadem re, ſiue pro manifeſtationibus, quibus ſpiritus, aut alia etiam corpora præter naturę ordinem humanis interſunt rebus, ſeque ſenſibus noſtris inſinuantia ſuam nobis præſentiam exhibent, & oſtendunt. Quæ viſiones, aut apparitiones, vbi ſunt purorum ſpirituum certum eſt eas non fieri per proprias eorum, ſed per alienas ſpecies; vt explicabitur infra.

Incipiendo igitur ab apparitionibus diuinis, primum dico, nulluſque Orthodoxus, qui ſacris litteris credat, negare poteſt, Deum, vt Deus eſt, id eſt non vt homo factus eſt, ſæpiſſimè apparuiſſe hominibus ſub forma viſibili; ſique nonnulli contrarium videntur docere, non loquuntur de apparitione, ſed de aſſumptione corporum, de qua difficultas eſt apud Patres, & Doctores, vt mox dicemus; non autem de apparitionibus Dei in illis; quorum plures Scriptura expreſsè, & frequentiſſimè narrat. Geneſ. 3. vbi ex D. Auguſtino lib. 2. de Trinit. cap. 10. & lib. 11. de Geneſ. ad litteram cap. 33. Deus non ſolum voce ſenſibili auribus corporeis Adami affatus eſt, ſed etiam in forma oculis ſpectabili comparuit. Quod idem affirmat de apparitione Caino facta Gen. 4. & in epiſt. 112. ad Paulinum. Item Gen. 18. Deus Abrahæ apparuit in conualle Mambrè, ſpecie trium virorum. Et cap. 32. Iacob cum Deo in forma hominis luctaſſe narratur: quare

Iſrael

Iſrael poſtea fuit appellatus. Exodi cap. 3. 19. 24. & 32. plures habentur Dei apparitiones Moyſi ſub forma viſibili; nec non aliæ lib. 3. Regum. cap. 19. Sancto Patriarchę Eliæ, vt omittam plures alias. Vndè hæc veritas ſalua fide negari non poteſt, quinque conſequenter Deus poſſit, vbi, & quando vult hominibus viſibiliter, ſeu ſub forma viſibili apparere. Cuius ratio tantum eſt benigniſſima eius prouidentia, qui ad inſtruendos, ac illuminandos homines, tali nonnunquam medio vti dignatus eſt.

Sed cum huiuſmodi apparitiones viſibiles Dei ſub aliqua forma corporea, quæ de facto, vt habetur ex Scriptura, contigere, quæque conſequenter ſunt poſſibiles, & vbi alijs dicuntur accidiſſe, non ſtatim temerè reijciendæ ſunt, dupliciter fieri poſsint, vel Deo proximè, & immediatè talem formam, ſiue corpus aliquod efformante, eum illud aſſumente, & ſub eo apparente; vel miniſterio Angelorum totum hoc præſtante. Nonnulli Doctores exiſtimant in præfatis apparitionibus primum modum eſſe impoſsibilem, ſeu Deum corpora aſſumere, & in illis apparere, non poſſe, ſed hoc fieri debere miniſterio Angelorum; alij ex aduerſo docent non tantum eſſe poſsibilem, verùm etiam de facto in apparitionibus, quæ in Sacra Scriptura de Deo referuntur, illo vſum fuiſſe. Pro cuius explicatione & reſolutione

Secundò dico Deum, ſecluſis imperfectionibus, poſſe corpora aſſumere, & in illis apparere. Nam Deum id poſſe, nihil eſt aliud, quam ipſum poſſe immediatè, & per ſe formare aliquod corpus, illudque diſponere, & mouere ad aliquam eius intelligibilem proprietatem repræſentandam, aut illud ſibi vnire, tanquam mobile motori, ad repræſentandum eum operantem, nempe loquentem, ambulantem: ſed iſta Deo non repugnant, ergo nec aſſumptio corporis, & in eo apparitio, in dictis conſiſtens; ſecluſis tamen imperfectionibus, quia Deus non poteſt vniri tali corpori definitiuè, neque ſic vt moueatur per ſe, aut per accidens; quæ tamen non ſunt neceſſaria ad propriam aſſumptionem corporis, licet per accidens aſſumptioni Angelicæ conuenire poſsint, vt dicetur infra. Vnde qui Myſticus aſſereret ita ſibi Deum apparuiſſe; non propterea reprehendendus eſſet, quaſi quid Deo repugnans, aut à Catholica Fide diſcrepans affirmaret, ſed alijs tantum de cauſis probabilius, vel certius ſuadentibus. Deum quidem poſſe corpora aſſumere, & ſub illis viſibiliter apparere, vt diximus, nunquam tamen id præſtitiſſe, vt mox dicemus.

Tertiò dico probabilius, ac verius eſſe, quod apparitiones illæ, quæ ex Scriptura factæ ſunt in veteri Teſtamento, omnes peractæ ſunt mediantibus Angelis, qui loquebantur cum antiquis Patribus loco, vel nomine Dei; atque adeò ipſum in illis nunquam aſſumpſiſſe corpus, nec immediatè ab ipſo fuiſſe factas. Ita communiter Theologi fundati in authoritate Patrum ſic præfatas apparitiones interpretantium, maximè autem D. Auguſtini lib. 3. de Trinitate cap. vlt. & lib. 10. de Ciuit. cap. 13. & 15. & alibi etiam affirmantis hoc eſſe de fide. Idem docet Magiſter ſentent. in 2. diſt. 8. cap. 2. *Etſi nos latet,* inquit, *lateat, quomodo ea miniſtris Angelis fecerit Deus, per Angelos tamen facta eſſe dicimus.* Item D. Thomas in 1. diſt. 16. art. 4. & in 2. diſt. 8. quæſt. 1. art. 2. vbi expreſsè ait, quod in omnibus illis apparitionibus corporalibus, *corpus formatum eſt, & aſſumptum, & motum ab Angelo: ſed tamen in corpore aſſumpto dicitur apparere Angelus, & aliquando Deus. Formatio enim, & apparitio corporis aſſumpti, vt dictum eſt, fit ad oſtendendas proprietates ſpiritualium ſubſtantiarum. Quandoque enim Angelus, qui immediatè illuminat hominem, vult inſtruere eum de propria virtute, quam ipſe habet; & tunc in corpore illo exprimit ſimilitudinem ſuæ virtutis:*

& ſic

& ſic dicitur ille inferior Angelus apparere. Aliquando autem vult inſtruere hominem de virtute diuina, vel etiam ſuperioris Angeli, per quam operatur; & tunc format corpus aſſumptum, ad exprimendam eminentiam Diuinæ Maieſtatis, vel etiam proprietates ſuperioris Angeli. Et tunc dicitur Deus apparere, vel ille ſuperior Angelus. Et hoc etiam Gregorius dicit in Gloſſa Exod. 3. aſſignans cauſam, quare Angelus, qui loquebatur Moyſi, quandoque vocatur Angelus, quandoque Dominus. Hactenus Diuus Thomas loco citato, idem adhuc docens Quæſt. 6. de potent. art. 7. ad 3. His verbis: *Omnes Dei apparitiones, quæ in Veteri Teſtamento leguntur, factæ ſunt miniſterio Angelorum, qui aliquas ſpecies vel imaginarias, vel corporeas formant, per quas animum hominis videntis in Deum reducerent, ſicut & ſenſibilibus figuris poſſibile eſt hominem in Deū reduci. Corpora ergo apparentia in apparitionibus prędictis Angeli aſſumpſerunt; ſed in eis Deus apparuiſſe dicitur, quia ipſe Deus erat finis, in quem per repræſentationem huiuſmodi corporum Angeli mentem hominum eleuare intendebant. Et ideo in illis apparitionibus Scriptura quandoque commemorat Deum apparuiſſe, quandoque Angelum.*

Ex qua Diui Thomæ doctrina duo habentur. Primum, cur diuinæ apparitiones etſi per Angelos factæ, nedum Angelicę, ſed etiam diuinæ, imo principalius appellantur; dicuntur enim Angelicæ miniſterialiter, quia nimirū Angelorum miniſterio factæ; diuinæ autem finaliter, quia ad Deum tanquā ad finem ordinatæ; aut ad exprimendas eius perfectiones; aut tandem quia nomine eius ab Angelis factæ; vt enim ex Diuo Auguſtino lib. 3. de Trinitate, vbi hanc rem diffusè tractat, *Cum verba Iudicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis: ille præco dixit, ſed ille index.* Ita quoque in Scriptura rectè dicitur, Dominum, & non Angelum apparuiſſe, vel locutum fuiſſe, etſi per Angelum in corpore ab eo aſſumpto apparuerit vel locutus fuerit. Secundum quod habetur, eſt, quomodo, ſiue quibus indicijs, quædam apparitiones propriè tributæ Deo, quædam verò Angelis inter ſe diſcerni poſſint. Certum eſt enim Angelum non ſuam, ſed Dei perſonam agere, aut repræſentare; atque adeò apparitionem non Angelicam, ſed diuinam nuncupari debere, ſi Angelus apparens quaſi in propria perſona, ea profert, quæ ſoli Deo cōpetunt; vt cum Geneſ. 15. dixit: *Ego Protector tuus ſuum, & merces tua magna nimis*; multo magis, vbi ſe Deum vocat. vt cum Exod. 3. *Moyſem de medio rubi vocauit dicens: Ego ſum Deus*; & paulo poſt, *Ego ſum, qui ſum.* Aliud ſignum, vel indicium deſumendum eſt ex qualitate corporis aſſumpti, quod vbi aſſumitur ad exprimendam eminentiam diuinę maieſtatis, aut aliquam perfectionem eius propriam, dicenda eſt Diuina, Angelica verò, quando in corpore illo exprimit Angelus ſimilitudinem ſuę virtutis. Tertium denique ex ipſa re, quę in apparitione geritur; nam ſi propriè ad Deum pertinet, vt cum Moyſi lex data eſt, Angelus Dei perſonam ſuſtinet, dicendaque eſt apparitio diuina; ſi verò Angelico miniſterio congruit, vt cum Raphael ad Tobiam, & Gabriel ad Danielem miſſi ſunt, propriam eos gerere perſonam, dicendamque eſſe conſequenter apparitionem Angelicam manifeſtum eſt.

Verùm cum Deum in veteri Teſtamento apparuiſſe non per ſe, aut immediatè, ſed miniſterio duntaxat Angelorum certius ſit: adhuc eſt dubium, quænam fuerit illa perſona, Paterne, an Filius, an Spiritus Sanctus? Tertullianus enim ſolum Dei filium apparuiſſe exiſtimat lib. aduerſus Iud. cap. 9. his verbis: *Nam qui ad Moyſen loquebatur, ipſe erat Dei Filius, qui & ſemper videbatur, Deum enim Patrem nemo vidit vnquam.* Et lib. de carne Chriſti cap. 6 ipſum ait apparuiſſe Abrahæ in carne ſine natiuitate, *qui iam tunc & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediſce-*

edificabat in carnis habitu nō nata adhuc, quia nondum moritura. Idem affirmat lib. 2. contra Marcionem cap. 27. & lib. 3. cap. 6. & 9. Tertulliano conſentiunt Iuſtinus Martyr in dialogo cum Triphone; & Irenæus lib. 4. cap. 23. Verum Diuus Auguſtinus cæteris in hac re præferendus oppoſitum docet. Nam lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum cap. 26. de præfata opinione redarguens, ſingula Scripturæ loca ab eo adducta, vt oſtenderet filium Dei ab initio humani generis ab hominibus videri ſolitum, præclare exponit, eaque docet non tantum de Filio, ſed etiam de Patre, & de Spiritu Sancto intelligenda eſſe, ac tandem concludit, *Diuinitatem non per ſubſtantiam ſuam, in qua inuiſibilis, & immutabilis eſt, ſed per creaturam ſibi ſubiectam mortalium oculis apparuiſſe, cum voluit*. Item lib. 2. de Trinitate cap. 9. & ſeqq. fuſius hoc argumentum pertractans, multa viſa facta fuiſſe probat, *Non euidenter nominato, & deſignato in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto, vt nimis temerarium ſit dicere Deum Patrem nunquam Patribus, aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe*: Et poſtquam dictis capitibus illos perſtrinxit, qui dicebant non Patrem, ſed tantùm Filium, aut Spiritum Sanctum corporalibus hominũm appparuiſſe conſpectibus ait cap. 18. *Vnde nemo ſani capitis affirmare debet, nuſquam perſonam Patris per aliquam ſpeciem corporalem, vigilantium oculis demonſtratam*.

Quarto, & vltimo dico, Apparitiones Dei etiam factas in nouo Teſtamento, medijs Angelis factas fuiſſe, excepta forſan apparitione Spiritus Sancti ſub ſpecie Columbæ in Baptiſmo Chriſti, itavt Deus non aſſumpſerit corpus aliquod, niſi in myſterio Dominicæ Incarnationis. Ita quoque communius docent Theologi eiuſdem Sancti Auguſtini authoritate ducti, tradentis loco ſuperius citato lib. 2. de Trinitate, nec non lib. 4. cap. vlt. eandem eſſe rationem de omnibus Dei apparitionibus tam antiquæ, quam nouæ legis, ea excepta, quæ in iſta facta eſt per vnionem hypoſtaticam Verbi in Chriſto. Si quidem ſpectat ad ordinem diuinæ prouidentiæ, vt inferiora per ſuperiora gubernentur, inferiora ſcilicet per media, media autem per ſuprema, vt docet D. Dionyſius, alijque Patres, & eſt à Theologis, vt axioma receptum, quando id conuenienter, aut abſque vllo abſurdo fieri poteſt; ſed ita fieri poteſt; igitur non eſt cur ſicut in veteri, ita quoque in noua lege non fuerit obſeruata lex Dei ordinaria condecens eius maieſtatem. Sique nonnulli Patres de vtriſque apparitionibus aſſerant diuinas fuiſſe, non tamen negant Angelorum miniſterium, facileque reduci poſſunt ad bonum ſenſum aliquo ex dictis ſupra, cur nimirum, etiamſi fiant immediatè per Angelos, diuinæ tamen ſint, ac dicantur; vt enim rectè ait idem D. Auguſtinus lib. contra Adimantium Manichæi diſcipulum, Deus quibus voluit, ea quæ voluit annuntiauit, *ſiue loquendo, ſiue apparendo, vel per Angelicam aliquam poteſtatem, vel per quamlibet creaturam: quia ipſe eſt in omnibus veritas, & omnia illi conſtant, & omnia illi ad nutum ſeruiunt, atque ſubiecta ſunt; vt etiam oculis per viſibilem creaturam cui vult, quando dignatur appareat; cum ipſe tamen ſecundum diuinitatem ſuam nonniſi purgatiſſimo, & ſimpliciſſimo corde videatur, & ideo quibuſdam locis etiam Scriptura ipſa teſtatur Angelum viſum, vbi dicit Deum viſum. Et rectè dicitur, Deus dixit, & Deus apparuit: & item rectè Angelus dixit, & Angelus apparuit: cum illud dicatur ex perſona inhabitantis Dei; hoc ex perſona ſeruientis creaturæ*. Cui conſonat D. Gregorius in cap. 1. Iob dicens, Angelum, qui Moyſi apparuiſſe legitur, modo Angelum, modo Dominum appellari, *Angelum propter hoc, quod exterius loquendo ſeruiebat; Dominum autem, quia interius præſens loquendi*

quendi efficaciam miniſtrabat.

Dixi corporeas, Dei apparitiones etiam in nouo teſtamento factas fuiſſe miniſterio Angelorum, ipſis nimirũ corporeas formantibus, & aſſumentibus formas, excepta forſan apparitione Spiritus Sancti ſub ſpecie columbæ in Baptiſmo Chriſti Domini, circa quam eſt ſpecialis difficultas pro cuius explicatione notandum eſt *primò*, de illa dici Lucæ 3. 22. *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cælum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* *Secundò* aduertendum eſt, conuenire quidem omnes, quod Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum baptizatũ congruenter deſcẽderit corporali ſpecie ſicut columba, cuius multas, & præclaras rationes adducit D. Thomas 3. p. q. 39. art. 6. valdè autem inter ſe diſſentire, quid in textu per *corporalem ſpeciem ſicut columba*, intelligendum ſit. Aliqui enim exiſtimant non debere intelligi de vera, ac viua columba, ſed tantum de vero corpore ad modum columbæ efformato, & viſibili, vt opponitur imaginario, & phantaſtico; verum enim corpus ex aere condenſato efformari poſſe virtute diuina, aut angelica ad modum alicuius rei, & tamen verè nõ eſſe rem illam patet exemplo columnæ, quam populus Iſraeliticus in deſerto ſequebatur, quæ non fuit vera columna, ſed verum corpus inſtar columnæ figuratum. Huic ſententiæ, cui adhæſit D. Thomas in 1. ſentent. ad Anibaldum diſt. 16. q. 1. art. 3. ad 3. ſuffragari videtur Sacer Textus dicens non columbam, ſed Spiritum Sanctum deſcendiſſe *corporali ſpecie ſicut Columbam*, hoc eſt in ſimilitudinem columbæ, particula enim ſicut id tantum ſignificare videtur. Vndè fuit verum quidem corpus, non tamen vera columba, ſed tantum apparens. Nihilominus idem Sanctus Doctor ſuper Ioannem 1. & 3. p. q. 39. art. 6. & 7. quem ſequuntur magis communiter Theologi, affirmat ex ſententia D. Auguſtini loco citato in argumento, ſed contra, veram fuiſſe columbam, verumque animal.

Vndè iuxta has duas opiniones diuiſi ſunt Sacri Interpretes, ac Theologi, circa principalem difficultatem. Aliqui enim ex his, qui exiſtimant non fuiſſe veram columbam, ſed apparentem duntaxat ab Angelo efformatam, ab eo quoque dicunt fuiſſe aſſumptam, & corporaliter motam, eiuſque conſequenter miniſterio Spiritum Sanctum in ea apparuiſſe, non autem per ſe, & immediatè; ex his verò qui putant fuiſſe veram columbam, verumque animal, atque adeo productam à ſolo Deo, huiuſmodi enim animalis perfecti productio ſuperat virtutem Angelicam, nonnulli indè aſſerunt Spiritum Sanctum illud aſſumpſiſſe, & in eo per ſe immediatè apparuiſſe, quatenus omnes iſti doctores cẽnſent requiri ad aſſumptionem corporis, & immediatam in eo apparitionem, vt ab aſſumente efformetur. Verum alij exiſtimant, & melius impertinenter ſe habere ad aſſumptionem alicuius corporis, viſibilemque in eo apparitionem per ſe, aut immediatam, quod ab aſſumente efformetur, vel producatur; etſi enim magis propriè dici poſſit aſſumptio, dum ab aſſumente corpus efformatur, aut producitur, maximè quando talis aſſumptio fit ab Angelo; abſolutè tamen neceſſaria non eſt talis efformatio, aut productio. Quocirca ſiue Angeli virtute diuina concurrerint inſtrumentaliter ad veram columbam producendam, ſiue virtute naturali corpus illi ſimile formauerint in baptiſmo Chriſti Dñi, exiſtimant etiam tunc Spiritum Sanctum non miniſterio Angelorum, ſed per ſe, & immediatè apparuiſſe; etſi enim corpora immediatè à cauſis creatis dependeant, nulli tamen venire in dubium debet, quin Deus poſſit mouere immediatè quodcunque corpus non ſolum vt motor vniuerſalis,

verum

verum etiam vt motor ſpecialis, ſiue loquendo, ſiue apparendo, vt ſupra ait D. Auguſtinus.

Nos igitur cum ipſo, & D. Thoma aſſerimus Spiritum Sanctum, ſiue totam Trinitatem, opera enim eius ad extra ſunt indiuiſa, veram perfectamque columbam formaſſe, in qua appareret Spiritus Sanctus, licet ipſam non aſſumpſerit in vnitate perſonæ. Ratio ſiue congruentia huius immediatæ apparitionis Spiritus Sancti in vera columba deſumitur ex proportione, vel ſimilitudine, quæ debuit eſſe inter illam, & apparitionem Verbi *in* humanitate, ſiquidem ad iſtam ordinabatur; ſed Verbum apparuit in vera humanitate, quam hypoſtaticè aſſumpſit: Ergo & Spiritus Sanctus apparuit in vera columba, non quidem hypoſtaticè aſſumpta, vt fides nos docet, ſtatimque dicemus, ſed vt motor ei per ſe, & immediatè aſſiſtens, eaque media, & proprietatibus eius repræſentans ſuos mirabiles in Chriſto baptizato effectus, vt loco citato ponderat Diuus Thomas. Etſi igitur ordinariè loquendo conueniens fuerit tam in veteri, quam in nouo Teſtamento, Deũ apparere adhibito ſimul cum creatura aliqua ſenſibili, & corporali Angelorum miniſterio, ſic reducendo inferiora per ſuperiora; nihilominus in hoc caſu extraordinario, quo manifeſtabatur veritas Incarnationis ipſius Verbi, ſimulque totum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium decentiſſimum fuit, quod omiſſa via ordinaria, ſeu relicto Angelorum miniſterio ſicut Verbum per ſe, & immediatè in vera apparebat humanitate, ita quoque media ſolum illa voce de cælo facta Lucæ 3. *Tu es filius meus dilectus in te complacui mihi*; Pater viſibiliter appareret; Spiritus autem Sanctus per veram, & viuam columbam.

Si obijciatur 1. in Sacro Textu dici, Spiritum Sanctum deſcendiſſe corporali ſpecie ſicut columbam, vbi particula *ſicut* videtur ſignificare illam fuiſſe tantum ſimilitudinariè talem, ideoque Hieronymus ſuper Matthęum ait, quod deſcendit in habitu columbæ. 2. quod, ſicut natura nihil facit fruſtra, ita nec Deus; fruſtraneam fuiſſe veram, & viuam columbam, cum enim non apparuerit, niſi vt aliquid ſignificaret, & ſtatim diſpareret; æquè hoc ipſum præſtari poterat per veram columbæ ſimilitudinem, vt opponitur imaginariæ, vt ſatis patet in alijs diuinis apparitionibus Angelorum miniſterio factis. 3. quod ſi fuiſſet illa columba verum animal, proprietates columbæ ſignificaſſent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus Sancti, ſi quidem proprietates cuiuſlibet rei ducunt in cognitionem naturæ illius rei.

Reſpondetur ad primum, Sacrum Textum ſic loqui non ad excludendã veritatem columbæ, ſed ad ſignificandum, quod Spiritus Sanctus, vt potè Deus, & inuiſibilis non apparuit in ſpecie ſuæ ſubſtantiæ. Ad illud Diui Hieronymi dicitur, verè filium hominem factum eſſe, & tamen ab Apoſtolo dici Philipp. 4. quod *habitu inuentus eſt vt homo*; per hoc igitur, quod prǽfatus doctor aſſeruerit Spiritum Sanctum deſcendiſſe in habitu columbæ, non excluſit veritatem eius.

Ad ſecundum reſpondetur, minimè ſuperfluam fuiſſe veræ columbæ productionem, vt in ea Spiritus Sanctus appareret. Licet enim ſatis fuerit, alias Dei, & Angelorum apparitiones ordinarias fieri in corporibus veris, non viuis; nihilominus in hac extraordinaria, vt diximus, congruentiſſimum fuit, veram & viuam columbam aſſumi, vt veritas pleniſſimè appareret nõ tantum quoad rationem ſignificationis, ſed rei etiam ipſius ſignificantis. Cui non obeſt, quod ſtatim diſparuerit: nam ſtella etiam, quæ magis apparuit, quantumuis vera eſſet ſtella, ſtatim deſijt, ſimiliterque ranæ, & alia animalia ad puniendum Pharaonem, & ęius populum ſpecialiter producta, ſuo

ſuo completo effectu. Quamuis enim non tam cito deſtruantur, quæ Deus ſecundum legem ordinariam producit; ſecus tamen, quæ præter rerum ordinem condit ad aliquem ſpecialem finem illo, ſemel aſſecuto.

Ad tertium dicitur, proprietates quoque columbæ tam ducere ad cognitionem naturæ ipſius, quam ad ſignificandos effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim, quod columba tales habeat proprietates, contingit quod ipſa ſignificet Spiritum Sanctum, mirabileſque eius effectus, vt tradit Diuus Thomas 3. p. quæſt. 39.

Quod autem diximus Deum, ſiue totam Trinitatem huiuſmodi columbam produxiſſe veroſimilius eſt; etſi enim Angeli ad id concurrere inſtrumentaliter potuerint, aut etiam virtute naturali adportare aliam modo ſolito genitam; decentius tamen fuit, non fieri tanti reuelationem myſterij per gregalem, communemque columbam ex commixtione maris, & fœminæ natam, ſed per productam denuò arte diuina, quæ reliquas columbas candore, ſplendore, ac venuſtate ſuperans cunctos in ſui admirationem raperet, ac ipſum Chriſtum, mirabileſque Spiritus Sancti in eo effectus modo poſſibili myſticè ſignificaret. Porrò cum ad talem manifeſtationem hanc columbam immediatè aſſumpſiſſe, non tamen hypoſtaticè, ſeu in vnitate perſonæ, fides nos docet, tum ipſa ratio, aut congruentia ſuadet, quod nimirum talis aſſumptio, ſeu apparitio non longo, ſed breuiſſimo erat tempore duratura.

Tandem quod ſupra dictum eſt de apparitionibus diuinis in veteri Teſtamento, nempè non ſolùm filium, licet magis ordinariè, verum etiam Deum per ſe primo, ſeu abſolutè, & ſecundũ ſe exiſtentem, vel vnum, & trinum, ſeu communem tribus perſonis, nec non ſpecialiter perſonam Patris, & Spiritus Sancti apparuiſſe; aſſeri quoque debet de illis poſt Verbi incarnationem, prout clarè probant de vtroque viſa, & audita in baptiſmo, & transfiguratione Chriſti; ſpecialiter autem de Spiritu Sancto, quod Ioannis 20. dicitur Chriſtum inſufflaſſe, vt Spiritum Sanctum Apoſtolis communicaret, vt communiter docent Sacri Interpretes; nec non in die Pentecoſtes viſibiliter apparuerit in linguis igneis. Verum quidem eſt, quod apparitiones Spiritus Sancti in baptiſmo, & transfiguratione Chriſti, & in die Pentecoſtes, fuerunt viſibiles, nimirum prima ſub vera columba, ſecunda ſub nube lucida, tertia ſub ſpecie linguarum ignearum; apparitiones autem Patris auriculares, ambæ tamen ſenſibiles, cum à ſenſibus exterioribus perceptæ fuerint.

At cum duobus modis intelligi poſſit, aliquas apparitiones in Scriptura relatas peculiari ratione attribui perſonæ Verbi, vel alteri. Primo modo, quod, etſi Deus ipſe, vel tota Trinitas ipſa re verà appareat, peculiari tamen modo filio, exẽpli gratia, approprientur, quia carnem humanam erat aſſumpturus, qua ratione Patres plures de illo apparitiones Scripturæ interpretantur, non excludentes tamen Patrem, nec Spiritum Sanctum. Alio modo excluſiuè, quod ſcilicet ſpecialiter apparuerit filius, vel alia perſona ſine alijs. Primus quidem modus facile capi poteſt, non autem ita ſecundus, dempta vnione hypoſtatica; ſiquidem, iuxta commune Theologorum effatum omnia opera Dei ad extra ſunt indiuiſa toti Trinitati, ſolaque Incarnatio quo ad vnionem, eſt propria Verbi; aliæ autem apparitiones ad genus cauſæ efficientis ſolum reducuntur, vnde non videntur poſſe vni attribui perſonæ, alijs excluſis. Dicendum eſt tamen, hoc quidem verum fore, ſi ſpecialis efficientia, vel vnio phyſica, & realis corpori aſſumpto alicuius perſonæ eſſet neceſſaria, vt in myſterio Incarnationis. At cum ad ſpecialem vnius perſonæ apparitionem, alijs veluti excluſis, id non requiratur, ſed ſuffi-

ſufficiat repræſentatio illius per aliquod ſenſibile ſignum proprietates vnius perſonæ potius, quam alterius ſignificans, indè eſt quod vna perſona, non quoad efficientiam, quæ eſt communis omnibus perſonis, ſed repræſentatiuè ſine alia apparere poſſit ſub tali ſigno, vel corpore ſenſibili. De quo videri poteſt D. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate cap. 11. & 18.

Ex huc vſque dictis ſatis patet, quod pertinet ad noſtrum inſtitutum, quale iudicium ferendum ſit nedum de viſionibus, aut apparitionibus corporeis Dei, ſeu de diuinis impreſſionibus ad viſum pertinentibus, verum etiam ad alios ſenſus externos, de quibus erit ſermo in vltimo huius capitis paragrapho, quarum fidem faciunt, tot acta Sanctorum, quæque in dies contingunt perſonis myſticis, nimirum probabilius eſſe, Deum in illis per ſe, aut immediatè non apparere, ſed miniſterio Angelorum, eidemque conſequenter tribuenda eſſe, quæ in corpore nonnullorum maximè autem S. Franciſci, & S. Catharinæ Senenſis impreſſa fuere Sacra Chriſti ſtigmata; nec non in alijs cordis transfixiones, & transuerberationes iaculo ignito; in eodem nominum Ieſu, & Mariæ inſculptio; quæque in corde B. Claræ de Montefalco vſque ad hunc diem viſuntur expreſſa inſtrumenta Dominicæ Paſſionis, nempè ex ipſa carnea cordis ſubſtantia diſtinctè formata, & ſic de cæteris ſimilibus.

§. II.

De viſionibus, aut apparitionibus corporeis SS. Angelorum.

Sanctos Angelos ſæpe hominibus viſibiliter, ſeu in forma corporea apparuiſſe tam certo Sacrarum litterarum, hiſtoriæque Eccleſiaſticæ teſtimonio compertum eſt, vt nullus Catholicus id neget, vnde nobis hìc non probandum, ſed ſupponendum eſt, totaque difficultas conſiſtit in modo, quo id fiat, quem etſi D. Auguſtinus Enchiridionis cap. 19. definire auſus non fuerit, imo lib. 3. de Trinitate cap. 1. & 10. ſuas vires excedere faſſus fuerit, nos tamen breuiter ex eiuſdem doctrina, nec non D. Thomæ, quid in hac re probabilius ſentiendum ſit, pro modulo noſtro explicare conabimur.

Primo igitur ſciendum eſt, Angelorum apparitiones in forma, vel ſpecie corporea quatuor modis fieri poſſe. Primò, per immutationem ſolius phãtaſiæ. Secundò per immutationem etiam ſenſus externi, nempè viſus: & hoc dupliciter, nempè aut immutato ſolo oculo, nulla re extra oculum verè, ac realiter exiſtente, quæ oculo videnda obijciatur, vt præſtigijs fieri ſolet, phreneticiſque etiam contingere, perturbato externo ſenſu; nec non alijs, qui organum male affectum habent. Si quis enim oculos flaua bile ſuffuſos habeat, obiectæ res flauæ videbuntur; vniuerſimque ait Philoſophus lib. de ſomnijs cap. 2. quod facilè decipimur circa ſenſus, cum in paſſionibus exiſtimus, trepidus enim in timore à modica ſimilitudine putat hoſtes videre, amans autem in amore dilectum; pariterque ſubdit inde febricitantibus aliquando animalia videri in parietibus à modica ſimilitudine linearum compoſitarum. Et hic eſt ſecundus modus quo Angeli in ſpecie corporea aliqualiter apparere dici poſſunt. Tertius modus eſt, cum verè, & realiter extra oculum eſt aliqua res immutans ipſum quæ tamen in tali diſpoſitione, & ſitu poſita illi apparet talis naturæ, figuræ, & coloris, qualis re verà non eſt: eo modo, quo in iride apparent colores, & in nubibus figuræ leoninæ, equinæ, & aliæ ſimiles, quæ re verà non inueniuntur in illis; ſed tantum apparenter, quia nimirum illa corpora, in tali diſpoſitione, & ſitu poſita, nata ſunt, ſic apparere. Quartus denique modus eſt per verum corpus viſibile, ſiue quando Angelus verè apparet in cor-

pore tali figura, & colore efformato, talem vocem emittente, talibuſque proprietatibus prædito, quæ Angelum repreſentent dicti corporis motorem etſi Angelus ipſe non videatur per ſe.

Qui vltimus apparendi modus à cæteris potiſſimum diſtinguitur, ſeu apparitio facta in vero corpore aſſumpto, quodcunque ſit illud ſiue ex aere, ſiue ex craſſiori materia, hoc ſigno dignoſcitur, vt docet D. Thomas 1. p. qu. 51. art. 2. quod alias apparitiones præſertim duas primas ille ſolus percipit, ad quem fiunt: externam autem, & corporalē omnes percipiunt, quod enim extra videntem re vera poſitum eſt omnes videre poſſunt, niſi aliud ſit impedimentum. Sicque Angeli, qui Geneſ. 18. Abrahæ apparuerunt, non ſolum ab illo, ſed ab vniuerſa eius familia viſi ſunt. Et Raphael Tobiæ comes in longo itinere omnibus indiſcriminatim ſpectabilis erat. Aduertendum eſt tamen hoc ſignum, ſiue notam non eſſe omnino infallibilem. Paulo ſiquidem Act. 9. corporaliter Christus apparuit: *Viri autem eum eo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes*. Id enim proprium eſt corpori glorioſo, vt ſe vni manifeſtare poſſit, ſubtracta reliquis ſua præſentia, quamuis nullum obſtaculum interponatur: corporis vero ab Angelo aſſumpti alia ratio eſt; illud enim vni oſtendere, alijs occultare propria virtute nequeunt, ſed requiritur virtus diuina, ſi impediatur ſpecierum immiſſio: propria tamen virtute poſſunt obicem ponere, ne illæ ad oculos tranſeant, & vt tranſeant auferre. Cuius præclarum habetur exemplum Num. 22. vbi aſina, cui inſidebat Balaam, videntē Angelum, ipſe eum non vidit, vel ob nebulam, aliumve obicem, quem oculis eius obiecerat, vel ob aoraſiam, qua ipſum percuſſerat, quæ eſt ſpecies cæcitatis, qua licet alia videantur obiecta, aliquod tamen non videtur; quibus proinde ſublatis, poſtea vidit Angelum; *Protinus*, inquit Sacer Textus loco citato v. 31. *aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum*.

Vera inſuper corporis aſſumptio, & in illa Angelica apparitio, ab alijs diſtinguitur, quod tactu etiam percipiatur; vt cum Abraham Angelorum pedes humana forma apparentium lauit: item iidem ipſi Loth manu apprehenſum e ciuitate comburenda eduxerunt; & Iacob tota nocte cum vno ex illis luctatus eſt.

Præfatos quatuor apparendi modos in Angelis negare poſſent, qui exiſtimant illos propria habere corpora, ſicque in illis viſibiliter hominibus apparere. Verum præterquam huiuſmodi ſententia eſt omnino improbabilis, ea adhuc permiſſa, non poſſent omnes, quæ de illis referuntur apparitiones ad hunc modum reduci, ſi quidem non in vna & eadem forma, aut ſpecie, ſed ſub diuerſis apparent; atque adeo ſemper explicandum ſuperereſſet, quomodo cum propria, & determinata habeant corpora in alienis tamen apparere poſſint, vt dicemus de Sacroſancta Christi Domini humanitate paragrapho ſequenti. Imo cum vnum corpus proprie loquendo non poſſit aliud aſſumere, exinde quod Angelis in alienis corporibus aſſumptis apparent, recte colligitur, eos eſſe pure ſpirituales ab omni corporeitate immunes.

Secundo aduertendum eſt corporum aſſumptionem ab Angelis dupliciter fieri, vel ſumi poſſe largo nimirum modo, vel ſtricto. Priori contingit, quando Angelus vt motor duntaxat aſſiſtit corpori moto, qua ratione dicitur Daniel. 14. apprehendiſſe Angelū Domini Habacuc in vertice eius, & portaſſe eum capillo capitis ſui, poſuiſſeque eum in Babylone, &c. & reſtituiſſe confeſtim in loco ſuo. Nec non Matth. 4. diabolum aſſumpſiſſe Christum in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuiſſe eum ſuper pinnaculum templi, & iterum in montem excelſum

valde,

valde. Item artifex etiam dicitur aſſumere inſtrumentum ad aliquid agendum. Quo pacto Angelus in arreptitijs aſsumere dicitur eorum linguam, ad loquendum aliquo idiomate extraneo, vel etiam alicuius animalis; ſicut Geneſ.3. dœmon per ſerpentem Euæ locutus eſt, nec non Angelus per aſinam Balaam, Num.22. qui tamen non dicuntur propriè, aut ſtrictè ea corpora aſsumpſiſse; ſicut nec cælos Angeli eorum motores; nec etiam dœmones aſsumere corpora obſeſsorum, quamuis ea moueant localiter, ſintque verè, & realiter intra ipſa, nec corpora viua, aut cadauera, quoniam non Angelorum, aut dœmonum proprietates repræſentant. Vt rectè docet D. Thomas in 2. ſentent. diſt.8. q.1. art.3. his verbis. *Corpus aſſumptum ab Angelo non habet veritatem illius naturæ quæ, ſignatur. Vndè etſi aliquando Angelus bonus, vel malus moueat corpus alicuius veri animalis, non dicitur propriè illud aſſumere; ſicut non dicitur Angelus aſſumpſiſſe linguam aſinæ, per quam locutus eſt ad Balaam, nec dæmon corpus hominis, quem vexat. Cuius ratio eſt, quia proprietates, quæ ſecundum veritatem ſunt in aliquo corpore, ducunt in cognitionem principiorum ſubiecti, & non ultra in cognitionem ſubſtantiæ ſpiritualis: quæ ductio, eſt totus finis viſibilium formationum ſecundum Dionyſium.* Sic ergo ſtricto modo, & propriè loquendo Angeli, vel dæmones aſsumũt corpora; quando illis ſiue à ſe, ſiue aliundè efformatis vniuntur vt mobili, per illaque repræſentantur. Vt habet idem S. Doctor 1. p. q.51. art.2. ad 2. dicens: Quod corpus aſsumptum vnitur Angelos non quidem vt formæ, neque ſolum vt motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſsumptum.

Tertiò ſupponendum eſt, de primo, ſecundo, & tertio apparationum Angelicarum modo nullam eſſe difficultatem; vniuerſi enim doctores illas admittentes affirmant, Angelos vno, vel altero modo ex his ſuperius explicatis interdum apparuiſse, & apparere. Quare tota quæſtio eſt de quarto modo, verum nimirum Angeli, nedum largo, ſed & ſtricto etiam modo; vt explicuimus, poſſint aſsumere, & de facto aliquando aſsumpſerint vera corpora, certa figura, & coloribus veris prædita, alijſque ſimilibus qualitatibus ſenſibilibus, ſiue loquendo de veris corporibus ſenſibilibus ſub generali ratione corporis quanti, figurati, ac ſenſibilis; quidquid ſit de veritate illorum in tali, vel tali ſpecie; ſiquidem certum eſt non ſemper eſse talia, qualia apparent: non enim verum eſt corpus humanum, aut verum illius habet temperamentum, dum in corpore, vel ſpecie humana apparent Angeli. Quidam enim relati à D. Thoma loco citato primæ partis, nec non qu. 6. de potent. art.7. exiſtimarunt Angelos nunquam vera corpora aſsumere, quæ videri, & tangi poſsint; ſed omnia, quæ in diuinis Scripturis leguntur de apparitionibus Angelorum ſolum contigiſſe per ludificationem ſenſuum; aut in viſione prophetica, hoc eſt ſecundum imaginationem, quandoque vigilantium, quandoque dormientium. Nos quid in hac re certius, & probabilius tenendum ſit ſequentibus dictis aperiemus.

Primo igitur dico, tam bonos Angelos, quam dœmones poſſe aſsumere vera corpora largo modo, hoc eſt, localiter ea mouendo. Siquidem hoc nullam inuoluit contradictionem, nec ſuperat naturalem eorum virtutem; vt in tractatu de Angelis docent vnanimiter Theologi, non eſt igitur cur talis aſſumptionis poſſibilitas illis denegetur. Deinde ab actu ad potentiam valet conſequentia, ſed ex diuinis Scripturis conſtat, eos ſic aſſumpſiſſe corpora, Angelus enim aſſumpſit Habacuc, eumque Babylonem tranſtulit, vt Danieli prandium deferret; dœmon verò aſſumpſit Chriſtum in Sanctam Ciuitatem; quæ & ſimilia dicere contigiſſe

tigiſſe ſecundum imaginationem, aut ſensuũ deluſionem eſt omnino abſurdum, ſacreque textui manifeſtè contrarium; pro certo igitur tenendum eſt, tam bonos Angelos, quàm dœmones poſſe aſſumere vera corpora largo modo, hoc eſt, localiter ea mouendo.

Secundò dico eos quoque poſſe vera aſſumere corpora ſtrictè, & propriè loquendo de aſſumptione conſiſtente in vnione per modum motorum corporibus mobilibus, eorum naturam, vel proprietates repræſentantibus: Qood dictum eodem ac præcedẽs modo probatur, id ſcilicet non excedere potentiam motricem Angelicam, quæ in bonis Angelis, vbi opus eſſet, quando nimirum aliqua perfecta corpora, viua eſſent producenda, diuina virtute ſuſulciretur. Plura inſuper, vt ſtatim dicetur, habentur exempla huius aſſumptionis in ſacris litteris, de poſſibilitate igitur illius dubitari non debet.

Tertiò dico, de facto Angelos verè, ac propriè corpora ſæpè aſſumpſiſſe, & in illis apparuiſſe, non autem deludendo ſenſus. Iſtud dictum eſt ita certum, vt oppoſitum Theologi vocent hæreticum, aut ſaltem de hæreſi vehementer ſuſpectum. D. Thomas in 3. ſentent. diſt. 8. quæſt. 1. art. 2. in corp. notauit illud erroris; *Dicendum*, inquit, *quod hic eſt quorundam error, nunquam Angelos corpus aſſumere, & omnia quæcumque de apparitionibus Angelorum ſcriptura loquitur, in præſtigijs facta eſſe dicunt, vel ſecundum viſionem imaginariam*. Vbi erroris nomine abſolutè prolato, videtur S. Doctor hæreſim intellexiſſe. Item 1. p. quæſt. 51. art. 2. ait, *repugnare intentioni Scripturæ*; & de potentia quæſt. 6. art. 7. *veritatem Scripturæ non ſaluare*. *Dicendum*, inquit, *quod quidam eorum, qui Sacræ Scripturæ credunt, in qua apparitiones Angelorum leguntur, dixerunt, quod Angeli nunquam corpora aſſumunt; ſicut patet de Rabbi Moyſe, qui hanc opinionẽ ponit. Vnde dicit, quod omnia quæcunque in Sacra Scriptura leguntur de apparitione Angelorum, contingunt in viſione prophetiæ, ſecundum ſcilicet imaginariam viſionem, quandoque quidem in vigilando, quandoque verò in dormiendo. Et hæc poſitio veritatem Scripturæ non ſaluat. Ex ipſo enim modo loquendi, quo Scriptura vtitur, datur intelligi, quid ſignificetur vt res geſta, & quid per modum prophetica viſionis. Cum enim aliqua apparitio per modum viſionis debet intelligi, ponuntur aliqua verba ad viſionem pertinentia: ſicut quod dicitur Ezecchielis 8. Eleuauit me ſpiritus inter Cœlum, & Terram, & adduxit me in Ieruſalem in viſionibus Domini. Vnde patet, quod illa, quæ fieri ſimpliciter narrantur, ſimpliciter etiam intelligi debẽt eſſe geſta. Sic autem agitur de pluribus apparitionibus in veteri Teſtamento. Vnde ſimpliciter concedendum eſt, quod Angeli quandoque corpus aſſumant, formando corpus ſenſibile, exteriori, ſiue corporali viſioni ſubiectum; ſicut & quandoque aliquas ſpecies in imaginatione formando apparent ſecundum imaginariam viſionem*.

Igitur, licet non ſit indifferenter omnibus credendum apparitionibus, quæ à vulgo, aut mulierculis enarrãtur, idque ad prudentiam pertineat, cũ dubium non ſit multa ab eis fingi, & in multis decipi aut vi imaginationis, aut alicuius morbi, aut læſis etiam organis externorum ſenſuum; quæque lamiæ, & ſtryges narrant ſe vidiſſe, varias mundi partes peragraſſe, ac ſimilia ſæpe fieri ſecundum imaginationẽ; aut ſenſuum deluſionem induſtria, & ope dœmonum, vt habetur in Concilio Ancyrano can. Epiſcopi, quæſt. 5. Siquidem poſſunt præſtigijs ita oculos immutare, & quaſcunque figuras illis obijcere, vt homini videatur illas intueri, ſeu cernere aliquid extra ſe, & à parte rei exiſtens, cum re vera nihil ſit à parte rei; nihilominus omnes prorſus Angelorum, ac dœmonum apparitiones, quæ in diuinis Scripturis narran-

narrantur, aſſerere tales eſſe, & non veras, ab errore excuſari non poteſt; ſicut nec ab inſipientia, & proteruia, qui id aſſereret de multis alijs, quorum extra Scripturam fit mentio à SS. PP. vt Athanaſio in vita S. Antonij, Hieronymo in vita S. Hilarionis, & alijs pluribus.

Cum autem actualis aſſumptio corporum, & viſibilis in illis apparitio præter potentiam in Angelis vel naturalem, vel ſupernaturalem, vbi naturalis non ſufficit, efficacem quoque voluntatem expoſcat, non poteſt melius probari, quo ad aliquas apparitiones, quam authoritate diuinarum ſcripturarum; quo ad alias verò, quam experientia ſatis conſtante ex multis hiſtorijs à Sanctis Patribus relatis huiuſmodi viſibilium apparitionum Angelorũ, imo & dœmonum in corporibus aſſumptis.

Huiuſmodi apparitiones magis certæ ex Sanctis Patribus ſunt illæ, quibus in veteri Teſtamento Gen. 18. Angeli ſub ſpecie trium virorum ſe Abrahamo videndos exhibuerunt, & cum illo cõuerſati ſunt, ſimulque deambulauerũt, permittentes etiam ſibi cibos parari, quibus & apparenter veſci voluerunt: Loth verò Gen. 19. ſedenti in foribus Ciuitatis, à qua vniuerſa viſi ſunt. Nec non illa Tobiæ 5. in qua Angeli figura humana, comitatus, & omnia geſta in forma viſibili ita deſcribuntur, vt non ſit tergiuerſationi locus.

Ratio autem, cur ex D. Thoma 1. p. qu. 52. art. 2. hæ, & ſimiles fuerunt veræ bonorum Angelorum in corporibus aſſumptis apparitiones, non autem ſecundum imaginariam viſionem eſt, quia quod ita videtur, eſt in ſola imaginatione videntis, nec ab omnibus indifferenter videtur; ſed in præfatis apparitionibus ſic diuina ſcriptura narrat Angelos apparuiſſe, vt communiter ab omnibus viderentur; conſtat ergo, eas verè contigiſſe ſecundum corpoream viſionem, qua videtur id, quod poſitum eſt extra videntem, atque adeo ab omnibus cerni poteſt. Deinde vt ait idem Sanctus Doctor, illa ſubſtantia, quæ neque eſt corpus, nec habet corpus naturaliter vnitum, ſi aliquando oculis corporeis videtur, debet tunc aliqua ratione corpus aſſumere: Sed Angeli, nec corpora ſunt, nec naturaliter habent corpus vnitum, & tamen interdum corporeis videntur oculis, qua viſione non videtur niſi corpus; ergo debent illud aſſumere.

Quæ rationes ſunt efficaciores ad probandam veram corporum aſſumptionem ab Angelis Sanctis, quam à dœmonibus. Quia Angeli veritatis à Deo miſſi, qui eſt prima veritas, præſtigias, ac deceptiones abhorrent, & dum apparent, hoc faciunt ex D. Thoma de potent. qu. 6. art. 7. ad noſtrum profectum, & non ad decipiendum; ideoque ſi ab omnibus videantur in corporibus, quæ contrectanda exhibent, vocem emittunt, aliaque huiuſmodi ſigna præferunt, certò, atque euidenter cognoſcitur ita eſſe; quod non verificatur de dæmonibus ad decipiendum nos mendacijs, atque præſtigijs inclinatis, atque adeo, vbi ita permittit Deus, facile credi debet, eos ita ſe gerere, & cum hominibus agere, vt dicetur infra.

Attamen dum dicitur Angelos præſertim bonos vera corpora aſſumere, hoc non debet intelligi de veris corporibus viuis, vbi ſub illorum ſpecie v. g. hominis, agni, columbæ, & ſimilium dicuntur apparere, ſed de veris corporibus, vt opponuntur phantaſticis, & imaginarijs, aut præſtigiatorie tantum apparentibus. Nec inde ſequitur eos in hoc decipere homines, ſicut ſi præſtigijs illuderent eorum oculis, vt enim dicantur non decipere, ſeu nullam fictionem intercedere, ſufficit quod vera aſſumant corpora viſibilia, non tamen viua, licet appareant ſub eorum ſpecie; ſiquidem, vt rectè ait D. Thomas de potent. quæſt. 6 art. 7. ad 9. formas humanas non obijciunt

ciunt oculis Angeli, vt homines eſſe credantur, ſed vt per humanas proprietates, Angelorum virtutes cognoſcantur. Et 1. p. qu. 52. art. 3. ad 1. Angeli apparentes non aſſerebant ſe homines eſſe, nec erat illorum vera comeſtio, vt Angelus Tobiæ profeſſus eſt, cum corpora non eſſent viua. At oſtendebant ſe vera corpora contrectabilia habere. Ideo ſine mendacij iniuria non poteſt dici, illa non fuiſſe vera corpora contrectabilia. Demum ibidem art. 4. ad 1. ait ex D. Auguſtino lib. 2. quæſt. Euangel. cap. quod non omne quod fingimus, mendacium eſt, ſed quando illud fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cum autem fictio noſtra refertur in aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à Sapientibus, & Sanctis viris, vel etiam ab ipſo Domino figuratè dicta ſunt, mendacia reputabuntur, quia ſecundum vſitatum intellectum, non conſiſtit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam.

Si obijciatur inter aſſumens, & aſſumptum debere eſſe aliquam proportionem; nullam autem eſſe inter Angelum, & corpus, cum ſint diuerſorum generum, atque adeo apparitiones viſibiles ipſorum tribui non debere aſſumptioni verorum corporum, ſed imaginationi, aut immutationi viſus, nulla re extra ſe exiſtente.

Reſpondetur ex D. Thoma citata quæſtione, & articulo de potentia, concedendo quidem non poſſe eſſe Angeli ad corpus proportionem ſecũdum commenſurationem, cum eorum magnitudines non ſint vnius generis, nec eiuſdem rationis; negando verò nõ poſſe eſſe proportionem ſecundum aliquam habitudinem Angeli ad corpus, vt motoris ad motum, & figurati ad figuram, quæ proportio etiam dicitur.

In nouo pariter Teſtamento aliquæ non deſunt, ita exponentibus Patribus, viſibiles Angelorum apparitiones in veris corporibus aſſumptis; qualis fuit illa facta Zachariæ Lucæ 1. Item Beatiſſimæ Virgini Mariæ ibidem; Et Chriſto Domino Matthæi 4. dæmon quoque viſibiliter apparuit; dicere enim ipſum, nec non Beatiſſimam Virginem in interiori phantaſia, vel in exteriori, viſu à dæmone præſtigijs fuiſſe illuſos videtur omnino abſurdum. Inſuper quę Lucę 2. Angeli ad Paſtores, & Matth. 28. ad mulieres, & Actor. 2. duorum Angelorum ad Apoſtolos referuntur apparitiones non imaginarias, aut præſtigiatorias, ſed veras fuiſſe, manifeſtè demonſtrant tot quibus deſcribuntur circumſtantiæ, vt ibi docent Patres, ſacrique Interpretes.

Tandem præter dictas apparitiones in ſacris vtriuſque Teſtamenti paginis relatas, plures aliæ narrantur tam bonorum, quam malorum Angelorum, quæ niſi aſſumptis corporibus effici potuerunt. Vt quod iſti interdum mulieribus improbi fuerint, earumque concubitum expetierint, & peregerint, aſſerente D. Auguſtino lib. 15. de Ciuit. Dei id negari non poſſe abſque impudentia. Item quod plures Sancti ab ijſdem viſibiliter vexati, imò plagis, atque verberibus ſæpe fuerint grauiter affecti. Vt omittam illos dœmones, quos Græci paredros, Latini familiares appellant, qui cum in aſpectabili forma hominibus famulentur, multaque domi foriſque faciant, quæ ſenſibus percipiuntur, etiam per multos annos, id rationabiliter intelligi non poteſt fieri niſi in aſſumptis veris corporibus viſibilibus.

Sed cum huiuſmodi aſſumptiones, & apparitiones communes ſint tam bonis, quàm malis Angelis; in multis tamen differunt; *Primum* ex parte finis; nam quod Angeli boni ad noſtram ſalutem efficiunt, mali ad perniciem, & damnationem operantur; *Secundò*, quia licet dœmones appareant ſæpe in aſſumptis veris corporibus, ſæpius tamen

men præſtigijs illudunt ſenſus; pluraque illis ſunt tribuenda, quæ de varijs eorum apparitionibus, & transmutationibus leguntur, vt rectè notat Diuus Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 16. D. Thomas de potent. quæſt. 6. art. 5. ad 6. Si tamen apparitiones etiã dæmonum in corporibus, pluribus quoque ſenſibus percipiuntur, præcipuè ſenſu tactus, vt in incubis, & ſuccubis, probabilius eſt tunc in veris apparere corporibus, niſi aliunde aliqua vrgens ratio ſuppetat in contrarium. Improbabile ſiquidem videtur, ſic dæmones poſſe ſenſus illudere, vt veritas aliunde elucefcere non valeat; ſic namque natura in neceſſarijs defeciſſet; poſſentq; ſæpe incerta reddi, quæ ſenſibus noſtris vndequaque bene diſpoſitis manifeſta ſunt. *Tertiò* differunt formis Angelorum, & dæmonum apparitiones; nam cum Angelis vnica fere ſit forma humana, aut ſi alicuius animalis, tantum innocentis, vt columbæ, vel agni, alteriuſue ſimilis; dæmonibus multiplex eſt vel hominis, vel beſtiarum; ab illa tamen columbæ, & agni abſtinent, forte quod myſtice Spiritum Sanctum, & Chriſtum in ſcripturis ſignificant; vel quia etiam hęc animalia cum dolo careant, nullumque inferre ſoleant damnum, truculentis dæmonum moribus non conueniunt. Ideoque induere ſolent animalia, vel potius eorum formas, in quibus aliqua ſunt damnanda, vt hirci, ſeu capri, veſpertilionis, muſcæ, & ſimilium. Nec ſolum brutorum formas, ſed & alias ignotas, atque monſtruoſas efformant, vt terrorem inijciant. Experientia quoque conſtat mortuorum interdum aſſumere corpora, ſed reproborum; neque enim credibile eſt illorum corpore abuti poſſe, in quorum animam nullam habent poteſtatem. In viuorum etiam formas ſe transfigurare poſſunt; imo ſi ad malum ſpecie boni, velint inducere, apparent forma alicuius ſancti, imo & ipſiuſmet Chriſti. De quibus vide dicta tomo 4. huius operis lib. 3. ſect. 6. cap. 13.

Firmiſſimè autem credendum eſt, vt rectè aduertit Diuus Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. nihil dęmones operari poſſe, ſecundum naturæ ſuæ virtutem, niſi quod Deus permiſerit, occultis quidem ſed ſemper iuſtis iudicijs. Quod & etiam ait Tertullianus de fuga in perſecut. cap. 2. *Nihil Sathanæ in Seruos Dei viui licebit, niſi Dominus permiſerit, vt aut ipſum deſtruat per fidem electorum in tentatione victricem; aut homines eius fuiſſe traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, niſi à Deo accepiſſet poteſtatem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit poteſtatem, niſi eam de Deo impetraſſet: tantum abeſt, vt in oues Dei habeat.*

Quartò dico ad veram corporum aſſumptionem requiri vnionem corporis aſſumpti cum Angelo aſſumente. Patet ex ipſo nomine aſſumptionis, quia aſſumere, ex Diuo Thoma de potent. quæſt. 6. art. 7. ad 1. dicitur quaſi ad ſe ſumere, aut ſibi ſumere, & conſequenter ſibi vnire. Propetereaque Verbum Diuinum dicitur aſſumpſiſſe hypoſtatice naturam humanam, quia eam ſibi copulauit vnitate diuinę ſubſiſtentiæ; vt fides nos docet, communiterque docent Theologi tertia parte.

Quintò dico, vnionem corporis aſſumpti ad Angelum debere eſſe mobilis ad motorem. Si quidem talis vnio non eſt ſubſtantialis, ſeu per informationem naturalem, vt ſatis per ſe patet: nec per vnionem hypoſtaticam; quam creaturæ ſaltem naturaliter eſſe impoſſibilem docet D Thomas 3. part. q. 3. art. 1. Nec etiam Angelus aſſumit corpus, ſicut homo aſſumit cibum, quia non nutritur; & tamen inter ipſum, & corpus aſſumptum debet eſſe aliqua vnio: ergo mobilis ad motorem ad operationes exercendas, alia enim non ſupereſt à ſufficienti partium enumeratione.

Sextò dico, requiri quod Angelus vniatur corpori aſſumpto, vt motor nō quomodocunque, ſed per illud repræſentatus. Ita D. Thomas citato loco de potent. ad 1. *Tunc ergo*, inquit, *Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repræſentationem ſuam eſt aptum; ſicut patet per Dionyſium in fine cœleſt. Hierarch. vbi oſtendit, quod per corporales formas Angelorum proprietates cognoſcuntur.* Item in 2. ſentent. diſt. 8. quæſt. 1. art. 2. *Secundum hoc, quod virtus ſpiritualis mouet aliquod corpus, coniungitur ſibi, ſicut motor mobili: ſed vlterius, quoniam Angelus hoc corpus motum format per modum in præcedentibus dictum, vt appareant in eo aliquæ proprietates viſibiles, inuiſibilibus eius proprietatibus congruētes, tunc dicitur illud corpus aſſumere. Vnde quandoque apparent in figura hominis, vel leonis, vel huiuſmodi, per quorum proprietates intelliguntur ipſæ virtutes intellectuales Angelorum.* Ac demum 1. p. q. 52. art. 3. ad 2. *Corpus aſſumptum vnitur Angelo, non quidem vt forma, neque ſolum vt motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum. Sicut enim à Sacra Scriptura propoſitiones rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur; ita corpora ſenſibilia, diuina virtute ſic formantur ab Angelis, vt congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc eſt Angelum aſſumere corpus.* Quam Diui Thomæ doctrinam amplectuntur communiter Theologi requirentes tres duntaxat præfatas conditiones ad propriè & ſtrictè dictam aſſumptionem, & ex tertia repræſentandi, illam diſtinguūt ab impropriè, & largè conſiderata, eiuſque defectu aſſerunt Angelos mouentes localiter cœlos, vel linguam alicuius animalis, ea non aſſumere, nec dæmones corpora obſeſſorum, licet ea quoque moueant localiter, & ſint verè, & realiter intra ipſa vt docet Diuus Thomas Quodlib. 3. art. 8. Verum eſt, quod nec ipſi, nec Angeli boni poſſunt eſſe intra eſſentiam animæ, quia ſolus Deus illi poteſt illabi.

Aduertendum eſt tamen, Angelum non vniri corpori ad repræſentandum illum, ſicut ſignum repræſentat rem, cuius eſt ſignum. Nam motus cœli ſignum eſt Angeli mouentis, ſicut effectus ſuæ cauſę, & tamen intelligentia motrix cæli non dicitur propriè illud aſſumere. Sed requiritur quod corpus aſſumptum repręſentet Angelum, ea fere ratione qua Prorex repręſentat Regis perſonam, vel legatus eam Principis, vt ſic in illis cognoſcantur, ac ſi illa perſona vices eorum gerentis eſſet ipſa Regis, vel Principis perſona.

Septimò dico, ad aſſumptionem non requiri, quod Angelus ſit definitiuè, vel adæquate in corpore aſſumpto, ita vt extra illud non exiſtat. Ita quoque Theologi communiter contra aliquos paucos contrarium ſentientes. Sicut enim non dubitatur, quin poſſit eſſe Angelus in aliquo corpore aſſumpto adęquate, vt ſi aſſumeret corpus ſuæ virtuti aſſumptiuæ adęquatum, v. g. totum cęlum, quod, ex Ariſtotele lib. 2. de cœlo, cenſetur mobile adęquatum intelligentię motricis. Ita quoque certum eſt, eumdem eſſe poſſe tantę virtutis, vt plura corpora inter ſe diſtantia, & intra ſphæram actiuitatis illius contenta poſſit ſimul aſſumere, tuncq; non ſingula, ſed omnia ſimul erunt adæquatum mobile, & locus vnus adęquatus. Inſuper ſi Deus formaret, ac moueret immediatè aliquod corpus, vt per ſenſibiles eius proprietates notæ fierent nobis aliquæ diuinæ perfectiones, abſque dubio diceretur verè corpus aſſumere, & tamen non eſſet in eo definitiuè, ſicut nec verbum diuinum adæquatè, aut definitiuè eſt in humanitate aſſumpta; non eſt igitur conditio requiſita ad aſſumptionem, quod Angelus ſit definitiuè, vel adæquatè in corpore aſſumpto, ita vt extra illud non exiſtat, niſi tale corpus ſit mobile adęquatum ſpheræ actiuitatis Angelicæ.

Octauò

Octauò dico, ad eamdem aſſumptionem neceſſarium non eſſe, quod Angelus formet corpus aſſumptum. Eſt etiam hoc dictum cõmune inter Theologos contra nonnullos paucos. Patetque ex eo, quod tale corpus aſſumptioni prius ſaltem natura debet præſupponi in ſe exiſtens, quam quod aſſumatur: ergo vndecunque illud habeat ſuum eſſe, vere poterit aſſumi, ſicque per accidens ſe habet, quod aſſumens efformet corpus aſſumptibile; licet negari non poſſit, quin vbi format, ſit magis perfecta aſſumptio. Deindè cum animalia perfecta cuiuſmodi ſunt agnus,& columbã, aut ſimilia produci ab Angelis non poſſint,bene tamen aſſumi, vt mox dicetur, nullaque ſit neceſſitas, quod tunc Deus inſtrumentaliter per illos de nouo producat talia animalia, cum facile iam productis, abſque alio miraculo, vti poſſint illa aliunde asportando. Inde patet ad veram, proprieque dictam aſſumptionem, non requiri corporis aſſumpti efformationem ab aſſumente, & conſequenter, vt diximus, vnionem Angelorum cum corporibus aſſumptis non eſſe cauſæ ad effectum neceſſario, ſed tantum localem, vel virtutis mouentis ad mobile ipſorum repræſentatiuum, ſiue ſit ab ipſis productum, ſiue non.

Nono dico, valde probabile eſſe, quod Angelus poſſit aſſumere corpus viuum animalis perfecti, hominis precipuè. Id negant, qui tenent ad aſſumptionem corporum requiri, vt ea efformentur ab aſſumente, ſi quidem Angelus non poteſt naturaliter producere corpus hominis, aut alterius animalis perfecti; licet poſſint efformare imperfecta applicando actiua paſſiuis. Alij abſolutè negant eum poſſe aſſumere corpus viuum animalis, aut etiã cadauer; alij de cadauere concedunt, negant verò de corpore viuo: Nihilominus, licet congruentius aſſumãt Angeli corpora non viuentia, ſed ſub forma viuentium, valde probabile eſt, eos quoque poſſe aſſumere corpora viuentia animalium perfectorum, ſicut ſupra diximus de Spiritu Sancto, eum in Baptiſmo Chriſti veram, ac viuam aſſumpſiſſe columbam. Videturque ita docere Diuus Thomas 1. p. quæſt. 51. art. 3. ad 1. vndè quando in 2. ſentent. diſt. 9. qu. 1. art. 3. ait; non poſſe ab Angelo verè aſſumi corpus veri animalis, debet intelligi de aſſumptione cauſaritia, id enim ex ſe non poſſunt, ſed tantum virtute diuina; dæmones autem nequaquam.

Ex eodem enim Angelico Doctore de potent. qu. 6. art. 5. ad huiuſmodi quæ ſunt ſupra facultatem naturæ ipſorum, eis à Deo nulla datur poteſtas: quia cũ operatio miraculoſa ſit quoddam diuinum teſtimonium indicatiuũ diuinæ virtutis, & veritatis; ſi dæmonibus quorum eſt tota voluntas in malum, aliqua poteſtas daretur faciendi miracula, Deus falſitatis eorum teſtis exiſteret: Quod diuinam bonitatem non decet.

Verùm Angeli ſiue aſſumant viua corpora perfecta, aut à ſe diuinitus producta, aut iam aliundè præexiſtentia; ſiue aſſumant vera quidem corpora, ſed ſub ſpecie tantum viuentium à ſe efformata, nullas in ipſis exercent actiones vitales corporeas loquendi, comedendi, aut alias ſimiles. Vnde Tobiæ cap. 12. dixit Angelus: *Videbar quidem vobiſcum manducare, bibere*; vt dicetur infra.

Decimo dico, quod, vt Angelus aſſumens corpus, vniatur illi dum aliquò reſpectu ad ſeipſum, quatenus, vt dictum eſt, repræſentatur in illo, vt vices gerenti, non requiritur, quod talis reſpectus ſit realis, aut fundatus in ſpeciali cauſalitate formali, diſtincta ab efficienti; quoniam talis vnio non eſt poſſibilis in Angelo cum corpore, ſed ſufficit quod ſit reſpectus rationis, ſicut reſpectus ſigni ad placitum voluntariè ordinati ad repræſentandum, cum aliquo tamen fundamento, ſeu proportione in corpore aſſumpto ſuppoſita,

vt dicatur Angeli vices gerere, in quo diſtinguuntur aſſumptionis repræſentatio ab ea meri ſigni, vt iam dictum eſt. Ad quam repræſentationem etſi abſolutè ſufficiat, quod corpus aſſumptum habeat aliquas proprietates analogicè repræſentantes Angelum aſſumentem, ad maiorem tamen eius perfectionem ſpectat, quod aliqua etiam per illud operatio, vel motus exerceatur, ordinatur namque aſſumptio ad particularem aliquem vſum corporis aſſumpti; qui vſus non fit niſi per operationem, aut motum. Vndè ab aliquibus dicitur, corporis aſſumptionem addere ſupra vnionem motoris vt ſic, quamdam vnionem ſimilitudinariam materiæ, & formæ; quatenus ita exercet Angelus in tali corpore, aut per illud operationes alicuius formæ, vt appareat eſſe vnum ſuppoſitum operans. Propterea que etiam non incongruè dici poteſt, Angelos propriè etiam perfectè nõ aſſumere corpora niſi ſub ſpeciebus alicuius animantis in quo videantur opera vitæ exercere: nam in corporibus inanimatis non ita propriè exprimitur, Angelus, velut intimum principium ipſum corpus informans, vt patet in nube, quam deferebat coram filijs Iſrael; in linguis igneis in die Pentecoſtes; per illas namque ſolus ignis verus in ſplendore, luce, & in apparente virtute comburendi repræſentabatur; non verò Angelus in illis operans. Et conſequenter ſimilia corpora non tam propriè, vel perfectè dici poſſunt ab Angelis aſſumi, ſicut alia corpora animantibus ſimilia.

Vndecimo, cum varia ſint Theologorum placita circa materiam ex qua Angeli formant ſibi corpora, in quibus viſibiliter apparent; certum eſt illam non deſumi à cælis, cum ſint incorruptibiles, ingenerabiles, & inalterabiles; ſed ex aere, congruè tamen mixto, & craſſiori reddito admixtione alicuius vaporis, vel exhalationis; nec non etiam aliquando alicuius corporis craſſioris, vel terreſtris. Vt docet Diuus Thomas 1. p. q.52. art.2. ad 3. nec non in 2. ſent. diſt.8. q.1. art.3. his verbis; *Materia corporis aſſumpti ab Angelis, poteſt conſiderari dupliciter; vel quantum ad principium aſſumptionis, vel quantum ad terminum. Si quantum ad principium, ſic dico, ſicut in littera dicitur, quod aſſumit de aere, quia aer maxime tranſmutabilis eſt, & conuertibilis in quęcunque. Et huius ſignum eſt, quod quoddam corpus à dęmone aſſumptum, ſcindere gladio, vel perfodere volentes, id efficere non valuerunt, quia partes aeris diuiſi ſtatim continuantur: ſed propter hoc, quod aliquam figuram recipere poſſunt, competentem Angelo apparenti, oportet quod quantum ad terminum aſſumptionis, aer iſte ſit in aliquo inſpiſſatus, & ad proprietatem terræ accedens; ſeruata tamen aeris veritate: quod efficere poſſunt tam per motum localem congregando partes, quam etiam per ſemina in elementis reſperſa.* Et ibidem ad 2. ait: *Corpus ab Angelo aſſumptum eſſe aliquo modo terreſtre, in quantum habet terræ proprietates per condenſationem.* De potentia autem q. 6. art. 7. ad 7. *quod ex quolibet elemento poteſt Angelus corpus aſſumere, vel etiam ex pluribus elementis commixtis. Magis tamen competit, quod ex aere corpus aſſumat, qui poteſt inſpiſſari faciliter, & ſic figuras recipere, & retinere, & per alicuius lucidi corporis oppoſitionem diuerſimodè colorari: ſicut in nubibus patet, vt quantum ad præſens non ſit differentia inter purum aerem, & vaporem, ſeu fumum, qui in aeris naturam tendant.*

Igitur ex doctrina D. Thomæ ſatis patet dictum noſtrum, materiam ſcilicet, ex qua Angeli formant ſibi corpora, in quibus apparent, eſſe quidem aerem, vtpotè maximè tranſmutabilẽ, & conuertibilem in quæcumque, non tamen purum, ſed congruè mixtum, & craſſiorem redditum admixtione alicuius vaporis, vel exhalationis, aut etiam alterius corporis craſſioris: ſiquidem, cum aer ob ſuam ſubtilitatẽ, & tenuitatem, naturaliter, aut ſaltem

ita facilè conſeruari non poſſit in tanta denſitate, quanta apparet in corporibus Angelorum, interdum enim tanta apparet, immo & maior quam corporis humani, nec non etiam in tot, quot apparent figuris; manifeſtum vltra eſt aerem parum aliquam aliam craſſiorē requiri materiam, ex qua, & ex aere corpus Angelicum cum tali denſitate, totque figuris efformetur.

Abſolutè tamen ex doctrina Diui Thomæ ſuperius allata, non videtur repugnare, quod tale corpus ex aere puro formetur, licet communiter, magiſque connaturaliter fiat cum admixtione, quatenus ita poteſt condenſari, vt fiat corpus durum, & coloratum; etſi naturali potentia Angeli non poſſit denſari vſque ad humanæ carnis, & oſſium duritiem; id tamen diuina accedente virtute effici poſſe videtur. Vndè ſequitur corpora ab Angelis aſſumpta non debere eſſe neceſſariò mixta imperfecta, ſi poſſunt fieri ex aere puro magis condenſato; nec etiam mixta perfecta, hoc eſt habentia formam ſubſtantialem illorum mixtorum, quorum ſpeciem, ac figuram præ ſe ferunt. Nam mixta ſi ſint viuentia perfecta non poſſunt ab Angelis virtute naturali fabricari; nec tam facilè reſoluerentur, & diſparerent, vt conſtat facilè euaneſcere ex Tobiæ c. 13. Conſtatque ex dictis ſine alijs mixtis ſublunaribus fieri poſſe talem aſſumptionem. Vt plurimum tamen corpora aſſumpta ſunt mixta imperfecta, non ſolum quia ex aere condenſato coaleſcunt; verum etiam quia habere ſolent permixtos vapores, & exhalationes; quæ omnia facilè reſoluuntur, & euaneſcunt, & ad ſuam priſtinam diſpoſitionem reuertuntur.

Cum autem huiuſmodi corpora ab Angelis aſſumpta ſint vera corpora quantitatiua, indè quoque ſequitur poſſe quidem eos, ſi corpus aſſumptū adæquatus non eſt eorum locus, alibi aſſumere aliud corpus, nō autem aliud in eodem loco, ſicut nec ſi aſſumeret aliud corpus viuens, aut cadauer, quia ad hoc neceſſaria eſt penetratio quantitatiuarum dimenſionum, quæ realiter ab Angelo fieri non poteſt. Eſt tamen hoc diſcrimen, primùm quod quando aſſumitur ab Angelis corpus viuens, aut cadauer, quantum attinet ad exteriorem figuram, & delineationem corporis, communiter ſeruatur eadem diſpoſitio; ſecundò, quod cùm in cadauere aſſumpto apparent, non poſſunt alteri viuenti corpori cadauer illud circumdare, aut vice verſa; at verò quando aſſumitur corpus elemētale varias inducunt figuras, iuxta formantis arbitrium, quas ſuapte natura non exigit; poſſuntque illud corpus elementale, quod aſſumunt vero, & viuenti corpori circumducere; vt homo, v.g. ſic veluti indutus, multo maior videatur quam ſit, appareatque diuerſæ admodum figuræ, quam ſua ſpecies poſtulat; quia ſubſtantia corporis aerei facilè poteſt dilatari, comprimi, rarefieri, & condenſari, & varias figuras ſuſcipere, proptereaque tam breui tempore creſcere videntur, ac decreſcere.

Duodecimo, quod attinet ad figuram, & qualitates corporum ab Angelis efformatorum, diuerſæ ſunt Theologorum opiniones. Aliqui enim volunt nullam in eis figuram verè reperiri, ſed tantum apparentem, ſicut in nubibus, ita vel ita poſitis, & obiectis tales apparent figuræ; nullum etiam colorem, ſed ſolam lucis mixtionem, vt in iride, quoniam materia illorum corporum adeo ſubtilis, & ſimplex eſt, vt coloris, & ſecundarum qualitatum capax non ſit. Negant etiam in huiuſmodi corporibus reperiri mollitiem aut duritiem corporis duritiei ſimilē, tantumque dicunt virtute Angeli fieri tactui maiorem, vel minorem reſiſtentiam, ratione cuius dictæ qualitates inesse videntur corporibus. Quæ inter Theologos in hac re probabiliora ſunt, primo quoad colorem, quandoque in corpore Angeli non eſſe verum, ſed apparentem ex luminis flexione, ac refle-

reflexione, vt in iride, collo columbæ, imo & in nubibus ipſis prouenientem; quo tamen ſeclusis præſtigijs, oculus ita naturaliter immutarur in tali diſpoſitione, vt non poſſit homo diſcernere, quantumuis attendat, an color ille ſit verus, & an illud corpus ſit verum, nec ne; immo ſtatim inclinet ad credendũ eſſe verum corpus, verumque colorem. Verum vt colores in iride, & in alijs meteoris apparentes, licet naturaliter oculum in bona diſpoſitione manentẽ ita immutent, vt videantur omnino veri, tales tamen non eſſe, ſed mere apparentes vera phyſica docet; ſic quoque prudentia, experientia, & tactu præcipuè poſſumus de corporibus Angelicis, eorumque coloribus dijudicare. Quandoque enim verum eſſe, ex eo conſtat, quod, vt diximus corpora ab Angelis aſſumpta nedum ex ſolo aere condenſato efformantur, verum etiam admixto vaporibus, & exhalationibus, quibus, ſicut nec nubibus abſolutè negari non debent aliqui veri colores, nec conſequenter corporibus verè ex illis coaleſcentibus.

Secundò, figura quoque corporis Angelici poteſt eſſe vera, aut apparens vera, quia materia, ex qua illud corpus formatur, per condenſationem, & dictam admixtionem poteſt terminis quantitatiuis verè terminari, atque ita verè figurari. Apparens verò, quatenus eadem materia ita ab Angelo diſponi poteſt, vt in tali diſtantia, & poſitione, nata ſit apparere talis figuræ, cum re verà non ſit: vt accidit in nubibus de longè apparentibus, in quibus variæ viſuntur figuræ, quæ verè non ſunt in illis; ſed quia tali diſtantia, ſitu, & aſpectu, natę ſunt talis figuræ apparere.

Tertiò, quandoque corpora aſſumpta ab Angelis, & ab illis efformata veram habent duritiem, veramque mollitiem. Si quidem aer ab illis, diuina præſertim accedente virtute, ſic condenſari poteſt, vt verè ſint ſolida, proindèque conſtantia vera, ſenſibilique figura, colore, & duritie, ac mollitie, iuxta partium ipſorum corporum diuerſitatem, prout conuenit intentæ ab Angelo per illa corpora repręſentationi. Non repugnat tamen, aliquo modo imperfecto Angelum virtute naturali, compreſſione magis, vel minus reſiſtendo aliquid agere ad præfatam duritiem, vel mollitiem in corpore aſſumpto pręmonſtrandam. In corpore tamen Angelico non inueniri veram duritiem, neque mollitiem corporis viui, vbi ſub eius ſpecie apparet, quæ qualitates ſunt illi inhęrentes, & inter tactus obiecta numerantur certum eſt. Etſi enim aut virtute naturali, aut diuina poſſit Angelus ita aerem condenſare, vt ex ſe habeat qualitates tangibiles, viuenti aliquo modo ſimiles ſecundum quas reſiſtat, & conſentiat tactui ad modum corporis viuentis, ſicut Angeli apparentes Abrahæ contrectabantur, lotis etiam pedibus, nihilominus in corpore à ſe formato non poteſt producere mollitiem, & temperamentum corporis viuentis, vel carnis humanæ, ſi quidem huiuſmodi qualitates ſunt propriæ hominis viui, atque adeo cum ſint vitales ab alio procedere non poſſunt, quam à facultate generatiua; quæ ab initio humanum corpus produxit, & temperauit; aut etiam ab ipſa anima, quæ eas conſeruat, & reparare poteſt, ſi labantur, aut deficiant. Quare non poteſt Angelus corpus formare adeo ſimile corpori humano, cum colore, tepore carnis, alijſque qualitatibus ad ſenſum tactus pertinentibus, vt non poſſit per eum, omnibus circumſtantijs attentè conſideratis dignoſci à vero corpore humano ab homine cui apparet; ſique Abraham eas plenè attendiſſet, comperiſſet pedes, quos lauit Angelorum non fuiſſe veros; ſed aſſumptos. Niſi velimus dicere tunc contigiſſe, quod docent aliqui, ſcilicet virtute diuina fieri poſſe corpus tale, vt neque per ſenſum tactus diſcerni poſſit inter verum, & naturale. In corpore demum Angelico

gelico

gelico aliquando verè eſſe primas qualitates, eaſque verè percipere tactum, in illo corpore certum eſt ex dictis, ſiquidem primæ qualitates neceſſario conſequuntur elementa; ſed corpus Angelicum, ſiue ab Angelo efformatum eſt elementale, in eo igitur reperiri poſſunt primæ qualitates, quæ nō poſſunt etiam non facere ſuam ſenſationem.

Verum autem Angelus poſſit abſcondere aliquibus corpus aſſumptum, non alijs, exiſtimo naturaliter id non poſſe, cum naturaliter facere non poſſint, quin obiectum viſibile species multiplicet in oculis debitè diſpoſitis, & approximatis, cum ſit cauſa neceſſaria, neceſſarioque agens, ſeu emittens ſpecies. Quare ſi tales interdum contingant bonorum Angelorum apparitiones, vt forſan fuit illa facta Balaam Num. 22. item Danieli cap. 10. vbi ait: *Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem; porrò viri, qui erant mecum non viderunt*; id diuinæ tribuendum eſt virtuti, & quia in aſſumptis corporibus participant proprietatem corporis glorioſi, quod ratione dotis claritatis ab anima beata imperium, ſeu dominium totale illud habente, poterit oſtendi vni, & non alijs, quamuis æquè proximis, nullumque intercedat impedimentum, ſuſpendendo actiuitatem ſui corporis, ne radios, ſeu ſpecies intentionales emittat, vt Chriſtus fecit Iudæis, qui eum de ſupercilio montis præcipitare volebant; & diſcipulis euntibus in Emaus *Lucæ* 24.

Verum non ita contingit, ſi aliquando dęmones alicui in itinere, aut alibi aſſociati ab illo videantur, & non ab alijs, cum repugnet Deum cum dęmone ad actionem miraculoſam concurrere; ſed hoc fit ab illis naturaliter, vel immutando medium, & obſtando impreſſioni ſpecierum viſibilium, reſpectu illius, cui non vult apparere, vel oculum ipſum impediendo, alijſque ſimilibus modis.

Porrò licet non repugnet Angelos bonos, & Sanctos apparere ſub figuris diuerſorum animantium, ad ſignificandas, & exprimendas varias eorum mirabiles proprietates; vt ſub figura leonis fortitudinem, ſub illa aquilæ regiā dignitatem, aut columbæ excellentiſſimam contemplationem, & ſic de alijs nobilibus animalibus, ad diſtinctionem apparitionis dęmonum, vt mox dicemus, attamen communiter non apparent niſi ſub ſpecie hominis, ſiue aſſumunt corpora humanam ſpeciem præſeferentia, illamque non fœmineam, ſed virilem; quæ etiam corpora regulariter loquendo non ſunt vera, & viua in proprijs ſpeciebus; non enim poteſt corpus viuum animalis perfecti, maximè hominis ab Angelis naturaliter effici; quidquid ſit an virtute diuina. At verò dęmones ordinariè obſcenorū tantùm, aut abiectorum animalium figuras induunt, ſique aliquando humanam, fœminæ potius, quam viri, & hanc adhuc non quo ad omnes partes illi ſimiles; ſaltemque ex pedibus dignoſci poſſunt, quoniam ſemper ſub figura alterius animalis præſertim hirci apparent. Repugnatque etiam illos apparere in veris corporibus animantium perfectorum in proprijs ſpeciebus ab ipſis efformatis, cum ad hoc neceſſariò requiratur virtus diuina, vnde ſi quando dœmon eſt, qui apparet, neceſſariò dicendum eſt, præfata animalia vera non eſſe, ſed tantùm illorum ſimulachra.

Tandem tam bonos, quam malos Angelos in corporibus aſſumptis ſub ſpecie animantium, exercere non poſſe opera vitæ, ſiue id, quod eſt proprium viuentium, licet poſſint exercere id, quod eſt commune etiam operibus inanimatorum, docet D. Thomas 1. p. q. 52. art. 3. vbi videri poteſt, nec non quæſt. 110. & ſequentibus, vbi agit de hac materia eiuſque Interpretes; dicta enim ſufficiunt ad explicandas viſibiles ſi quandoque Myſticis occurrunt Angelorum apparitiones, iuxta præſentis inſtituti rationem.

§. III.

De viſibilibus Chriſti apparitionibus, nec non B. V. Mariæ.

PRo intelligentia huius rei ſupponimus primò tanquam probabiliorem Sancti Thomæ ſententiam, eſſe impoſſibile, etiam de potentia Dei abſoluta, quod vnum corpus in duobus locis ſimul circumſcriptiuè exiſtat; in ſententia autem oppoſita maximum eſſet miraculum, ſicut de facto tale eſt, quod corpus Chriſti ſacramentaliter ſit in pluribus locis ſub ſpeciebus Euchariſticis, & in cęlo circumſcriptiuè, modove extenſo.

Secundò obſeruandum eſt viſibiles Chriſti apparitiones, alias dici perſonales, alias imperſonales. Primi generis ſunt cum apparet in propria perſona, ſiue vt Deus,& homo verè, & realiter ſe videndum exhibens: ad quod requiritur, ſi in hoc noſtro hemiſphęrio, vel mundo ſublunari ita appareat, quod tempore apparitionis, deſcenſus, & aſcenſus in cęlum,locum illum conuexi vltimi cęli empyrei, vbi ſedet ad dexteram Patris, neceſſariò deſerat, cū vt ſuppoſui iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam vnum corpus eſſe non poſſit modo naturali, & circumſcriptiuo pluribus in locis.

Imperſonales autem Chriſti apparitiones ſunt, quæ in imagine duntaxat, ſiue per ſpecies alterius corporis contingunt: vt dum Angelus aſſumpto corpore nomine Chriſti, ac illum repręſentans viſibiliter in terra apparet, quod corpus conſequenter vt tantoperè diſtans dici non poteſt, aut à Chriſto, vt homine formatum, aut immediatè aſſumptum. Vndè inter apparitiones imperſonales Chriſti,& Dei hoc eſt diſcrimen, quod Deus vtpotè immenſus, quando apparet medio Angelo in aliquo corpore per illū aſſumpto, repręſentatur tanquam ibi intimè pręſens: Chriſtus autem quando per illum apparet, diſtans, & abſens eſt; & ita accipi, & cogitari debet ab eo, cui fit talis apparitio, ne decipiatur. Si tamen Chriſtus viſibiliter appareat in Sacramento Euchariſtiæ ſub alijs ſpeciebus, vt mox dicetur, quibus miraculosè hominum oculis objiciatur in confirmationem præſentiæ ſuæ; tunc quidem realiter præſens adeſt, ſub ſpeciebus panis, & vini latens, viſibilis autem eius apparitio per Angelos exercetur.

Tertiò igitur aduertendum eſt has viſibiles Chriſti apparitiones imperſonales dupliciter contingere poſſe, vel extra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel in ipſo, de quibus poſterioribus omnium ferè ſæculorum referuntur exempla, cum videlicet, vel pueri forma, vel Crucifixi, vel carnis, aut ſanguinis ſpecies videtur. Quod dupliciter fieri poſſe dicemus infra ex D. Thoma 3.p.q.79.art.8.

Quartò ſupponendum eſt tanquam certum Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem multoties apparuiſſe, ſeque videndum perſonaliter exhibuiſſe Sanctis mulieribus, Apoſtolis,& diſcipulis. Has enim apparitiones non medijs Angelis contigiſſe, ſed ab ipſomet Chriſto proximè, & per ſeipſum viſui ſe obijciente,& tactui palpandum exhibente fuiſſe, communiter docent Sacri Interpretes, ad hoc ſi quidem nulla erat angelici miniſterij neceſſitas, imo potius repugnabat, cum tali viſu, & tactu veritatem ſuæ reſurrectionis in carne tunc notam eſſe voluerit. Nec etiam cum illis diebus in forma peregrini, vel hortulani apparuit, ne cognoſceretur, Angelico indiguit miniſterio; nam corpus glorioſum virtute animæ poteſt ſe quoad aliqua manifeſtare, & quo ad aliquam proprietatem ſuæ perſonæ ſe quibus voluerit occultare. Negari tamen non debet, illic Angelos potuiſſe miniſtrare, vel vt annuntiatores reſurrectionis, vel vt comites Chriſti ad honorem, vt in alijs occaſionibus narrat Euangelium. Certum

tùm quoque eſt, & ad fidem pertinens, glorioſam, & corporalem Chriſti apparitionem futuram in fine mundi, cū venerit iudicare viuos, & mortuos: an verò ſingulis hominibus forma ſpectabili in iudicio particulari appareat, vt quidam ſcripſerunt, incertum eſt.

Tota ergò difficultas conſiſtit, an aliquando Chriſtus poſt Aſcenſionem viſibiliter hominibus apparuerit de cœlis verè deſcendens in terram. Aliqui enim affirmant, alij verò abſolutè negant, exiſtimantes, omnes apparitiones, quæ de Chriſto Domino, aut in Scriptura, aut in Sanctorum hiſtorijs referuntur, factas fuiſſe abſque reali, & viſibili exiſtentia illius in terris, vel per imaginariam viſionem, vel repræſentationem extrinſecam, & viſibilem in aliquo corpore aereo ab Angelis aſſumpto; vel denique per viſionem etiā externam, & perſonalem, qua tamen viſus ſit, non in terra, ſed in cælo perſiſtens, ſicque dicunt apparuiſſe Diuo Stephano Act.6. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei*. Et forſan D. Paulo eunti in Damaſcum, Act. 9. Quid in hac re probabilius videtur ſequentibus dictis aperiemus.

Primum itaque dico Chriſtum apparuiſſe perſonaliter Paulo eunti Damaſcum. Ita Diuus Thomas 3.p.q.57. art.6.ad 3. his verbis, nimirum, *quod Chriſtus ſemel aſcendens in cælum adeptus eſt ſibi, & nobis in perpetuum ius, & dignitatem manſionis cœleſtis; cui tamen dignitati non derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terram deſcendat: vel vt oſtendat ſe hominibus, ſicut in iudicio: vel vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut Paulo, vt habetur Act.9.* Sanctum Doctorem communiter ſequuntur Theologi, Sacrique interpretes; hanc quoque apparitionem pro certiſſima habentes. Quam tamen cum eo tenendum eſt, non fuiſſe factam per hoc quod corpus Chriſti, aut aliud poſſit eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè; aut per hoc, quod apertis cælis potentia viſiua Diui Pauli pertigerit, vſque ad ipſum conuexum cæli empyrei, ibique Chriſtum ſua ſede immotum, & ſtantem à dextris virtutis Dei, vt Stephanus, viderit, tùm quia lumen, quo Paulus erat circumfuſus, non in cælo extitit, ſed in aere, & propè Paulum, ita vt inde viſu priuatus fuerit, quod lumen ex præſentia corporis Chriſti fluxiſſe videtur. Tum quia Sacer Textus non ait Paulum aſpexiſſe lumen in cælo, ſed eo de cęlo ſubito circumfuſum fuiſſe, propterea que non ſolum ipſe, ſed etiam eius ſocij illud viderunt. Tum denique, quia magnum quoque fuiſſet miraculum, quod collocutionē mutuam, & viſionem nectere ad inuicem potuiſſent Chriſtus, & Paulus tam longis locorum interuallis diſtantes, quos tamen familiariter colloquutos eſſe, ac veluti de propinquo narrat Sacer Textus. Iuxta quem proindè dicendum eſt, Chriſtum Dominum per illam breuem morulam, qua in terris D.Paulo perſonaliter apparuit, reliquiſſe cœlum, nec hoc eſt aliquod inconueniens, vt loco citato oſtendit Sanctus Doctor.

Dico ſecundò, valdè probabile eſſe, quod ita quoque Chriſtus apparuerit D.Petro fugienti Roma ob perſecutionem Neronis, occurrens ei in via Appia, ſeque ita clarè, ac familiariter oſtendens; vt Petrus eum interrogauerit, Domine quo vadis? Chriſtus autem reſponderit, Romam, iterum crucifigi; vt referunt plures tam antiqui, quam moderni Doctores, quorum authoritas ſufficit ad huius apparitionis probabilitatem.

Dico tertio, probabilius adhuc, atque credibilius eſſe, quod Chriſtus Dominus perſonaliter apparuerit Beatiſſimæ Virgini Mariæ, non ſolum poſt reſurrectionem ſuam, verum etiam in die triumphantis eius Aſſumptionis, in occurſum eius veniendo, & eum ingenti gloria, & gaudio ſecum illam in thronum paratum deducendo. Ita enim expreſ-

expreſsè, præſertim quoad apparitionem in die Aſſumptionis, plures docent Patres, & communiter Theologi. Nec plures eius deſunt congruentiæ.

Quartò, quæ plures extra dictas narrantur Chriſti apparitiones in vitis multorum Sanctorum, & Sanctarum ipſis factæ, probabilius eſt illas non fuiſſe perſonales, ſeu Chriſtum in illis per ſeipſum corporaliter non apparuiſſe, ſed per Angelum; ſiquidem oppoſita ſententia nulli ſolido fundamento innititur, ſine quo tamen non debent multiplicari huiuſmodi perſonales Chriſti apparitiones, cum fides nos doceat ipſum in cælum aſcendiſſe, ibique ſedere ad dexteram Patris; & aliàs ordinariæ Chriſti viſiones poſſint rectè ſaluari, affirmando corpus ſimile potuiſſe formari Angelorum miniſterio, proprio manente Chriſti corpore in cælo, repræſentato tamen per illud, quod dicto Angelorum miniſterio efformaretur; ſicut diximus ſupra de viſionibus diuinis; in Scriptura enim legitur Deum viſibiliter apparuiſſe, & tamen ex eadem Scriptura conſtat fuiſſe Angelum nomine illius, ideoque verè potuiſſe dicere, *Ego ſum Deus Abraham, &c.*

At vbi dæmon transfigurando ſe in Angelum lucis, mentitur ſe Chriſtum eſſe, certum eſt, veras non eſſe apparitiones, quales per Sanctos Angelos fiunt, ſed eſse fallaces, proptereaque cauendas, ac prudenter diſcernendas; ſic enim pater mendacij conatur homines decipere, diuinumque cultum à ſimplicibus Chriſtianis extorquere, & ſibi vſurpare; prout innumeræ teſtantur hiſtoriæ à Sanctis Patribus relatæ. Sic apud Magnum Athanaſium, Magnus quoque Antonius de diabolo ſimulante ſe Deum eſſe, ait: *Credite filioli, vidi aliquando diabolum celſum corpore, qui ſe Dei virtutem, & prouidentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: Quid vis, vt à me tibi donetur, Antoni? At ego totum me in eum Chriſti nomine armatus inceſſi, & ſtatim ille procerus aſpectu, inter medias manus exoleuit.* Sic Seuerus Sulpitius lib. 1. vitæ S. Martini refert, ei apparuiſſe diabolum venuſtum facie, & veſtitu emicantem, ſemel & iterum dicentem, Martine quid dubitas credere me eſſe Ieſum Chriſtum? Quod mendacium rectè dignoſcens Martinus dixit animosè; *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non purpuratum, aut diademate ornatum, ſe venturum eſſe prædixit.* Diuus etiam Thomas in 3. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſt. 6. ad 3. & lect. 3. in cap. 11. 2. ad Corinth. refert, quemdam Sanctum Patrem diabolo ſibi in ementita Chriſti ſpecie apparenti reſpondiſſe, *ſe nolle videre Chriſtum in hac vita.*

Quintò dico, quæ fiunt aliquando inuſitatæ, & prodigioſæ in Euchariſtia Chriſti apparitiones ſub forma humana, non eſſe veras, & reales, aut perſonales eius apparitiones in propria ſpecie, ſed aliena miniſterio Angelorũ efformata; quia Chriſtus Dominus nõ poteſt in propria ſpecie videri, niſi in vno loco, vbi circumſcriptiuè continetur, quare cum videatur in cælo in propria ſpecie, ſub eadem non inſpicitur in hoc Sacramento: aut ſi videretur deſineret eſſe in cælo; quod non eſt aſſerendum, nec ad oſtendendam veritatem præſentiæ Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, nec ad conſolationem fidelium neceſſarium; ſed ad hoc pluſquam ſatis conducunt aliæ apparitiones; ad firmandum enim cor ſincerum ſola fides in hoc myſterio, & alijs ſufficit. Has autem docet Diuus Thomas 3. p. q. 79. art. 8. dupliciter contingere poſſe, vel ex parte videntis, vel ex parte ſpecierum Sacramentalium. Quæ primo modo contingunt, fiunt cum tali in oculis videntis immutatione, ac ſi expreſsè puerum, aut aliam formam videret, cum tamen alij nihil videant, nulla ſcilicet exiſtente ex parte Sacramenti mutatione, ſolentque ita contingere, quando vnus duntaxat videt, fierique poteſt, vt ei ſe dæmon aliquando præſtigijs ſuis immi-

ſceat ſenſibus illudendo. Quæ verò poſteriori contingunt modo, ſcilicet ex parte ſpecierum Sacramentalium, fiunt cum ipſarummet immutatione circa figuram, vel colorem remanentibus tamen dimenſionibus, quæ prius fuerant, ita vt ab omnibus videantur, nullumque eſt illuſionis periculum, cum non poſſit dæmon extraneas ſpecies in illis efficere.

Sexto tandem, & vltimo dico, idem iudicium ferendum eſſe de Beatiſſimæ Virginis Dei genitricis apparitionibus, quas poſt eius in cælum Aſſumptionē diuerſis locis, modis, atque temporibus factas grauiſſimi, ac fide digniſſimi teſtes affirmant, quorum authoritas nulla poteſt exceptione labefactari, eas nimirum Angelico miniſterio factas fuiſſe.

§. IV.

De viſibilibus humanorum ſpirituum apparitionibus.

PRimo ſciendum eſt humanos ſpiritus, de quorum viſibilibus agimus apparitionibus, eſſe in triplici differentia; ſcilicet beatorum cum Deo regnantium, eorum qui in purgatorio detinentur, & damnatorum; de his autem tot extant Sacræ Scripturæ teſtimonia, tot à Sanctis, & grauiſſimis viris recenſitæ hiſtoriæ, vt omnino negari, vel deluſæ imaginationi adſcribi rationabiliter non poſſint. Grauiterque proinde in hac re Tertullianus errauit lib. de anima cap. 57. vbi, licet non neget animarum apparitiones, arte tamen dæmonum fieri credidit, neglecta Scripturæ authoritate.

Secundo notandum eſt, ab huiuſmodi apparitionibus multas ad nos vtilitates emanare; oſtendunt enim animæ Immortalitatem, nec eam ſimul cum corpore interire, ſed ſine eo poſſe ſubſiſtere, tum fidem roborant reſurrectionis; ſique Sancti ſunt, qui apparent, vel Dei mandata ad nos perferunt, vel de ſua felicitate certiores nos reddunt, vel ad virtutem hortantur, vel ægris, & morientibus aſſiſtunt, aliaque ſimilia beneficia nobis impendunt: ſi damnati, præcones ſunt diuinæ iuſtitiæ, indeque ita nos vitam inſtituere docemur, ne & ipſi pari pæna plectamur; Si purgantes, diuinam quoque iuſtitiam prædicant, in puniendis ita ſeuerè, vel minimis peccatis venialibus, indeque illa fugere diſcamus, & de commiſſis debitam in hac vita pænitentiam agere; vel opem implorant, vt noſtris adiuti ſuffragijs citius à pænis liberentur, & ad æterna perueniant gaudia.

Cum igitur certum ſit inter Theologos, humanos ſæpe ſpiritus apparuiſſe, & apparere, idque congruenter cum ob dictos, tum ob alios ſimiles fines, diuerſa tamen eorum ſunt placita circa modum quo fiat. Aliqui enim exiſtimant id ſupernaturaliter tantum, ſeu virtute diuina fieri poſſe, non autem virtute naturali animæ ſeparatæ, atque adeo in corporibus viſibilibus apparere non ab ipſis efformatis, ſed ab Angelis, vel à ſolo Deo immediatè. Alij verò cenſent huiuſmodi apparitiones, etiam ſupernaturales animarum, hoc eſt virtute diuinitus illis indita, fieri per proprij corporis reaſſumptionem; alij per alterius ſimilis tantum efformationem, alij vtroque modo; nos ſequentibus dictis rem explicabimus, provt nobis probabilior videtur.

Primum itaque dico, animas ſeparatas virtute diuina, & ſupernaturali poſſe mouere ſeipſas, & alia corpora, nec non illa formare, & aſſumere, ſicut & propria, vt de facto ſuccedit. In hoc conueniunt omnes Theologi, eſtque D. Thomæ in 4. diſt. 45. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. *Secundum diſpoſitionem*, inquit, *diuina prouidentia aliquando animæ ſeparatæ à ſuis receptaculis egreſſæ conſpectibus hominum præſentantur, ſicut Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis agenda narrat de Felice Martyre, qui ciuibus Nolanis viſibiliter apparuit, cum à barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam*

credi poteſt, quod aliquando de damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum, & terrorem permittuntur viuentibus apparere, aut etiam ad ſuffragia expetenda, quantum ad illos, qui in Purgatorio detinentur; vt per multa, quæ in 4. Dial. narrantur, patet. Sed hoc intereſt inter Sanctos, & damnatos, quod Sancti, cum voluerint, apparere poſſunt viuentibus; non autem damnati, &c. Quod explicans in reſponſione ad 1. ait: *Nec tamen ſequitur, quod etiamſi mortui poſſunt, vt volunt, viuentibus apparere, toties appareant quoties apparent in carne viuentes; quia ſeparati à carne, vel omnino conformantur diuinæ voluntati, ita quod non liceat eis niſi quod ſecundum diuinã diſpoſitionem congruere inueniunt; vel ita ſunt pœnis oppreſſi, vt de ſua miſeria magis doleant, quam curent alijs apparere.* Et in reſponſione ad 3. *quod quamuis aliquando animæ Sanctorum, vel damnatorum præſentialiter adſint ſibi apparent, non tamen credendum eſt, hoc ſemper accidere, aliquando enim huiuſmodi apparitiones fiunt vel in dormiendo, vel in vigilando, operatione bonorum, vel malorum ſpirituum ad inſtructionem vel deſtructionem viuentium: ſicut etiam viui homines quandoque alijs apparent, & eis multa dicunt in ſomnijs; cum tamen conſtet eos non eſſe præſentes, ſicut Auguſtinus per multa exempla probat in libro de cura pro mortuis agenda.*

Quæ omnia, & alia ſimilia, quæ ibidem habet D. Thomas, nimirum quod animæ iam in paradiſo, vel in inferno exiſtentes, de illis ad tempus exire poſſint, & exeant, nec inde ſequi minui, aut augeri eorum pœnam, & gloriam: quia, inquit, *ſecundum hoc locus animæ cedit in pœnam, vel præmium, quod anima afficitur ex hoc quod tali loco deputatur vel gaudendo, vel dolendo, &c.* clarè demonſtrant, eum intendiſſe ſaltem virtute diuina, & ſupernaturali poſſe animas ſeparatas viſibiliter nobis apparere, & nonnunquam ita contingere, vel aſſumendo proprium corpus, ſicut D. Hieronymus, & alij exiſtimant Moyſem in monte Thabor diuinitus apparuiſſe, quoniam ipſe, & Elias apparuerunt vt teſtes gloriæ Chriſti, adeoque veritas poſſibilis debebat adeſſe, ipſarum ſcilicet animarum, & corporum immediatæ, perſonaleſque apparitiones. Elia quidem inde deſcendente corporaliter, quo conſcenderat: Moyſe autem verè ab inferis reſurgente, Vel etiam aliud corpus ſimile efformando, vt S. Thomas 3. p. qu. 45. art. 3. docet Moyſem ibi tantum apparuiſſe: non quaſi, inquit, anima eius ſuum corpus reſumpſerit, ſed quod apparuit per aliquod corpus aſſumptũ, ſicut Angeli apparent. Hæc enim ſatis patet nullam prorſus inuoluere contradictionem, ac proindè virtute diuina animabus ſeparatis collata, fieri poſſe ab ipſis.

Secundò dico, valde probabile eſſe, animas ſeparatas poſſe moueri localiter etiam virtute naturali, idque iuxta mentem D. Thomæ, qui dum ait de potentia q. 6. art. 4. in corpore, *humanos ſpiritus, dum ſunt corporibus vniti, in exteriora operari non poſſe, niſi corpore mediante, ad quod ſunt naturaliter alligati*; implicitè videtur de anima ſeparata aliud affirmare. Item 1. p. qu. 53. art. 1. in argumento, ſed contra probat, Angelum moueri, quia de fide eſt, animam beatam moueri, vt patet in deſcenſu animæ Chriſti ad inferos. Et 3. p. qu. 52. art. 1. ad 3. ait, animam Chriſti deſcendiſſe ad inferos, eo genere motus, quo Angeli mouentur; ſed eſt manifeſtum, Angelos mouere ſe vitaliter, ergo & animam Chriſti ita ſe mouiſſe dicendum eſt, non autem merè paſſiuè ſe habuiſſe in tali deſcenſu; nec conſequenter animas ſeparatas, vbi mouentur localiter. Et certe cum anima rationalis ſit ſubſtantia per ſe mobilis, quoniam in ſtatu ſeparationis ſe gerit ſicut ſpiritus, & ad modum illius operatur; videtur inconueniens dicere, quod poſſit tantum paſſiuè moueri; alias ſpiritualis, & intellectualis ſubſtantia in ſtatu ſeparationis deterior

& imperfectior redderetur corpore ſe-ipſum per illam actiuè mouente.

Cui nihil officit ſi dicatur in Scriptura Lucæ 16. animas ſeparatas ab Angelis deferri. *Factum eſt*, inquit, *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*. Item feſtum Aſſumptionis dici Beatiſſimę Virginis, non autem Aſcenſionis ſicut Chriſti; quia delata fuit ab Angelis, vt depingi ſolet, non autem propria virtute aſcendit ſicut Chriſtus.

Ad primum enim reſpondetur, non dici animam Lazari fuiſſe portatam paſſiuè, quaſi ſeipſam mouere non poſſet; ſic enim non erant neceſſarij plures Angeli; ſed quia plures animas beatas interdum vult Deus ab illis aſſociari ad gloriam, & honorem illarum.

Ad ſecundum pariter dicitur, Aſſumptionem Beatiſſimæ Virginis non ita vocari, quaſi ipſa Angelico miniſterio indiguerit ad aſcendendum in cælum; propria ſiquidem virtute, vniuerſis corporibus glorioſis competente aſcendere poterat; ſed quia honoris cauſſa Angeli, imo & Angelorũ Dominus illam comitabantur. Magis tamen dicitur fuiſſe aſſumptam, quam aſcendiſſe, ſicut de Chriſto, quia illa virtus ſupernaturalis corpori glorioſo indita, nec illi, nec vlli alteri perſonæ eſt connaturalis, vt Chriſto. Præterquam magis propriè dicitur aſſumptio de corpore, quam de ſolo ſpiritu, de quo agimus modò, quia ſpiritus nõ tantùm glorioſus, ſed etiam propria, & naturali virtute aſcendere poteſt.

Alia quæ poſſent obijci, vt, quod anima ſeparata à corpore non habet maiorem vim ad mouenda corpora, quam dum eſt illi coniuncta; ſed coniuncta aliena corpora mouere non poteſt, niſi medio corpore, nec proprium niſi medijs organis, vt inſtrumentis; ergo ſeparata à corpore nihil poterit. Item, quod anima ſeparata, licet ſit ſpiritualis, diſtinguitur tamen ab Angelis, adeoque illi non poſſe quod iſtis competere; hæc inquam, & ſimilia facilè ruunt ſuppoſita diſtinctione animæ, vt formæ, vel vt ſpiritus. Concedendum eſt enim eam, vt formam viuificantem, indigere inſtrumentis corporeis, quibus etiam indigerent Angeli, ſi tales formæ eſſent; nequaquam autem vt ſpiritum, in quo, cum ex D. Thoma conueniat cum Angelo, operetur que ad modum illius anima ſeparata rectè per intellectus practici, & voluntatis actiones virtualiter tranſeuntes, vel potius per potentiam motricem in illis conſiſtentem, aut ab illis dimanantem, iuxta opinionum diuerſitatem, cuncta exequi poteſt proportionata virtuti ipſius, vt ſpiritus eſt; minus tamen perfectè, quam Angeli, quod ſufficit ad eorum diſtinctionem.

Tertio dico, valde quoque probabile eſse, quod animæ ſeparatæ naturaliter poſſint aſsumere corpora, in eiſque immediatè, ac perſonaliter apparere. Quod dicimus ſuppoſita ſemper diſpenſatione diuina, certum eſt enim tales apparitiones fieri non poſſe, niſi ex illa; & infirmiori etiam virtute motiua naturali, quam ſit Angelica.

Ratio eſt, quia naturaliter anima ſeparata poteſt habere contactum virtualem ad corpora, illiſque aſſiſtere, & ea mouere ad ſeipſam repręſentandam; ſed hæc ſufficiunt, ex dictis ſupra, ad corporum aſſumptionem, in eiſque immediatam, ac perſonalem apparitionem; anima igitur ſeparata naturali virtute poteſt corpora aſſumere, & in eis immediatè, ac perſonaliter apparere. Et licet tantam non haberet virtutem ad formanda corpora, quæ tamen non videtur ei deneganda modo ſibi proportionato, & imperfecto, comparatiuè ad Angelos; poſſet aſſumere ab alijs formata, ſcilicet ab Angelis, aut à Deo, vel cadauera, cum abſolutè loquendo ad corporis aſsumptionem, non requiratur, quod ab aſsumente formetur à caſu tamen quo diſpenſante Deo proprium aſsumeret cadauer, non propterea poſset medio illo vitales operationes

nes coniunctè exercere, ac ſi eſſet ab illa viuificatum, vt à principio intrinſeco informante, vt putarunt aliqui, ſic enim non eſſet amplius ſimplex aſſumptio, ſed vera corporis reſurrectio, quam ſatis patet ſuperare omnes vires naturæ.

Quartò, etſi animæ ſeparatæ naturaliter poſſint aſsumere corpora, vel à ſe, vel aliundè formata, & in eis immediatè, ac perſonaliter apparere, ordinariè tamen,& vt plurimum comparent ex diſpenſatione diuina medijs Angelis corpora aſsumentibus, bonis, ſi ſint animæ ſanctæ, aut in purgatorio exiſtentes; malis verò, ſeu dœmonibus ſi ſint animæ damnatæ. Animæ ſiquidem paruulorum ex D. Thoma loco citato ſententiarum, nec vnquam è lymbo egrediuntur, nec viſibiliter apparent: quoniam nec gloria fulgent, cuius repræſentatione ad virtutis amorem nos ſuo pelliciant exemplo; neque pœnam patiuntur, cuius terrore à peccatis noſtris diuellant; neque tandem noſtris indigent ſuffragijs.

Ex hoc enim, quod D. Thomas ait Moyſen per aliquod corpus aſsumptũ immediatè, ac per ſeipſum apparuiſſe in Monte Thabor, tanquam teſtem glorioſæ transfigurationis Chriſti, non licet inferre, vt aliqui volunt, ordinariè animas ſeparatas ita comparere. Nam etiam de Chriſto diximus, immediatè in caſibus ſuperius allatis apparuiſſe, & tamen non ad quoslibet caſus, hoc extendendum eſse.

Quæ in purgatorio detinentur animæ, cum non appareant, niſi vt ſuffragia petant, quibus conſequenter obtentis non redeunt, niſi fortè vt gratias agant, mali ſpiritus indicium, aut ſignum eſt, ſi ijs peractis adhuc moleſtæ ſint, ſicut etiam facta, quam aliquando mandant alicuius reſtitutione, aut alio ſimili. Nec minus tale ſignum eſt, quando apparet perſona alicuius defuncti, qui peſsimè vixerit, & in peccatis ſuis mortuus ſit, petens eleemoſynas, preces, ieiunia, peregrinationes, ſacrificia, aliaque ſimilia ſuffragia, ac ſi in ſtatu ſalutis foret; hac enim arte mali ſpiritus, vel dœmones, de quibus ait Lactantius lib 2. cap. 14. *quod contaminati, & perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſua perdendis hominibus operantur*, perſuadere conantur etiam manifeſtos, & obduratos peccatores, quamuis ſine Sacramentis decedant, à ſalute non excludi, actu contritionis elicito, priuſquam anima à corpore ſeparetur. Propterea que huiuſmodi apparitiones plerumque contingunt, vel ſocijs criminum, vel alijs peccatoribus, ſiue domeſticis, & conſanguineis, quorum intersit pro defuncti honore eas diuulgare, vt vana ſpe decepti, qui in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc, & parem impiæ vitæ exitum ſortiantur. Demum eorumdem dœmonum inſidijs,ac fraudibus tribui debet, ſi quandoque ſuffragia, quæ petuntur, ſunt certo numero definita, habentque nonnulla annexa, quæ vana, ambigna, aut ſuperſtitioſa ſunt; tumque minæ, & terrores miſcentur.

Non deſunt, qui contra veritatem apparitionum animarum Purgatorij obijciant, earum inde, & parentum famæ detrahi, maximè ſi aperiantur defectus ob quos ibi cruciantur; ſed hoc eſt inane, tantum enim abeſt, quod hoc ſequatur, vt potius ad ſummum eorum pertineat honorem, quandoquidem plures etiam Sanctiſſimi viri pœnas purgatorij non effugerunt, vt de S.Seuerino, S. Paſchaſio legitur, nec non reuelante Sancta Luitgarde de Innocentio III.& per hoc reddimur certi de æterna eorum beatitudine,quo maior concipi non poteſt honor, non maior gloria; ad vtilitatem verò noſtram, quod interdum aperiantur pœnarum ipſarum cauſæ, ſiue culpæ, ob quas illas promeritæ ſunt, vt eaſdem totis fugiamus viribus, quodque in hac vita operamur, menſuremus, aut comparemus, cum eo quod in altera timere debemus, ſi ſit malum. De qua mate-

materia conſuli poteſt Ill. D. Palafox Epiſcopus Oſmenſis in libro inſcripto lumen viuis ad exemplum mortuorum lingua Hiſpanica conſcripto vbi plures, quæ hoc ſæculo contigerunt animarum Purgatorij refert apparitiones.

Vltimò tandem, ſi quærat aliquis, vtrum quoties ſpiritus aliquis apparet repræſentans aliquẽ Sanctorũ, aut etiã Chriſtum Dñm, vel B. Virginẽ debeat adorari, accipiat reſponſum ex Diuis Thoma, & Bonauentura. Primus enim in 3. ſentent. diſt. 9. q. 1. art. 2. q. 6. ad 3. ait: *Quod non poteſt diabolus in ſpecie Chriſti apparens ſine peccato adorari, niſi ſit conditio actu explicita, non enim ſufficit ſolo habitu, quia ipſa nouitas rei inſolitæ conſiderationem, & attentionem requirit, ſicut dicitur de B. Virgine, quod cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Igitur quia ſæpe dæmon transfigurat ſe in Angelum lucis, nec non omnes adhibet vires, vt nos decipiat, non omni ſtatim apparitioni credendum eſt, nec apparenti ſub Chriſti, vel alicuius Sancti effigie cultus ſtatim exhibendus eſt, ſed ne in errorem inducamur, diligenter prius conſiderandum eſt, poſſe ibi latere dæmonem, & conſequenter eſſe periculum alicuius falſi cultus.

Diuus autem Bonauentura in 3. ſent. diſtinct. 9. art. 1. q. 6. paulo fuſius rem explicat his verbis. *Quod honor latriæ poteſt exhiberi aduerſario Chriſti dupliciter. Aut ſimpliciter, aut ſub conditione. Si ſimpliciter, dico quod non poteſt eſſe ſine peccato: nec excuſatur ratione ignorãtiæ. Habet enim triplex adiutorium, per quod poteſt errorem euitare. Primum eſt remedium præmonitionis Sacræ Scripturæ, quæ multoties dicit, quod multi in nomine Chriſti venturi ſunt mendaces. Secundum eſt remedium orationis internæ, qua ad Deum debet homo recurrere, vt cor eius illuminetur. Tertium eſt ſuſpenſio credulitatis, non enim debet homo omni ſpiritui credere, ſed probare qui ex Deo ſunt. Qui enim citò credit in talibus leuis eſt corde: & fortaſſis etiam inflatus eſt corde, dum ad tales viſiones, & reuelationes idoneum ſe eſſe exiſtimat. Vnde tales viſiones, vel apparitiones potius ſunt formidandæ, quam deſiderandæ. Narratur enim de quodam S. Patre, quod cum ei diabolus in ſpecie Chriſti appareret: ille clauſis oculis dixit, ſe in hac vita nolle Chriſtum videre, & diabolus videns humilitatem eius confuſus euanuit. Ideò ſi quis ſimpliciter adorat Chriſti aduerſarium, non excuſatur à peccato, etiam ſi credat ipſum eſſe Chriſtum. Si autem adoret ſub conditione, hoc poteſt eſſe dupliciter. Aut quia eſt illa conditio habitudinaliter, aut actualiter conſiderata, ſiue appoſita. Si actualiter, non adorat ipſum Luciferum, ſed magis Chriſtum; quia non ſtat adoratio, niſi ſtante conditione, & ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adorationis implicatio: Si autem illa conditio ſit ſub conſideratione habitudinali, non ſufficit ad vitandum peccatum idololatriæ.* Hactenus D. Bonauentura.

Sic ergo ſi aliquis dono diſcretionis Spirituum præditus, aut alio ſpeciali lumine à Deo imbutus certo ſciat nullam in apparitione illuſionem ſubeſſe, is apparenti debitum cultum pro qualitate eius ſine culpa præbere poterit; tutius tamen eſt huiuſmodi apparitiones reijcere, ſeque illis indignum fateri; atque omnia ad ſuperiorem, vel confeſſarium referre, eiſque humiliter obedire. Cuius ſingulare exemplum reliquit S. Mater Thereſia Fundat. cap. 8. quę licet certiſſimè cognoſceret diuino Spiritu edocta apparitiones à Deo eſſe, nihilominus confeſſario exiſtimanti illuſiones diabolicas morem gerere, & perſonas ſibi apparentes iuſſu ipſius ſpernere, & exſibilare non dubitabat; donec à viro docto reſciuit, id fieri nõ debere, quia imagini Chriſti Domini Saluatoris noſtri, etiam à dæmone efformatæ, par eſt reuerentiam, & honorem exhibere. Tantumque ſit de Diuinis, ſeu myſticis impreſſionibus ad ſenſum viſus ſpectantibus.

CAPVT III.

De Diuinis, vel myſticis impreſſionibus ad alios quatuor ſenſus externos, auditum ſcilicet, odoratum, guſtum, & tactum ſpectantibus.

AD auditum primò pertinent locutiones diuinæ, quę fiunt per verba externa corporeis auribus ab homine vigilante percepta, Angelorum miniſterio vt plurimum formata, quibus audientis intellectus illuſtratur. Quod multipliciter contingere poteſt, nimirum aliquando viſo loquente in corpore aſſumpto, aliquando non viſo, ſed tantum audito, vel quaſi iuxta audientem, vel quaſi è loco remotiori; aliquando in ſtatuis, & imaginibus, aliquando etiam in corpore viuo. Quorũ omnium tam in Sacra Scriptura, quam alibi, ſeu in Actis Eccleſiaſticis plura habentur exempla. In veteri enim Teſtamento legitur Deum multoties Moyſi, & Prophetis ita locutum fuiſſe. In nouo Lucæ 1. Angelus Gabriel Zachariæ Sacerdoti Ioannem ex Elizabet ſterili; Mariæ autem Ieſu Filij Dei de Spiritu Sancto conceptum annuntiet. Item cap. 2. Natiuitatem eius Paſtores ab Angelo audierunt. Matth. 3. ſuper eumdem à Ioanne baptizatum vox Patris cęlitus audita eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*; nec non in transfiguratione cap. 17. Et demum eo orante Ioannis 12. 28. *Venit vox de Cælo: Et clarificaui, & iterum clarificabo*. Numerorum 22. Angelus per aſinam loquens Balaam ariolum corripuit. Denique ex ſtatuis, & imaginibus Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum voces prodijſſe viris ſanctis ante ipſas orantibus, plura teſtantur eorumdem acta.

Has autem omnes, aliaſque ſimiles diuinas, aut Angelicas locutiones non fuiſſe vere vitales, ſeu ad modum hominum conueniunt omnes Theologi. Pro cuius explicatione aduertendum eſt ex D. Thoma 1. p. q. 52. art. 3. operationes vitales eſſe in duplici differẽtia; quædam enim habent aliquid cõmune cum alijs operibus inanimatorum; huiuſmodi ſunt locutio, & proceſſio, quæ ita ſunt opera viuentis, vt tamen conueniant cum alijs operibus inanimatorum, locutio nimirum, in quantum eſt ſonus, cum alijs ſonoris; proceſſio in quantum eſt motus, cum alijs motibus.

Aliæ autem ſunt, quæ nihil prorſus habent commune cum alijs operibus inanimatorum, vt viſio, auditio, &c. Quantum autem ad primas, etſi doceat D. Thomas poſſe ab Angelis exerceri opera vitæ per corpora aſſumpta, quãtum ad id, quod eſt commune vtriſque operibus; non tamen quantum ad id, quod eſt proprium viuentium: quia ſecundum Philoſophum in lib. de ſomn. & vigil. Cuius eſt potentia eius eſt actio. Quare nihil poteſt habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ eſt potentiale principium talis actionis.

Sic igitur locutiones diuinæ, aut Angelicæ ſunt quidem veri ſoni, non tamen veræ voces, aut locutiones in corporibus aſſumptis; vel quod idem eſt voces, & loquutiones ſolum poſſunt fieri à Deo, aut ab Angelis quo ad eorum ſubſtantiam, quæ in ſono ſita eſt, non autem quoad vitalitatem, & motũ vocis, ſeu loquutionis, qui conſiſtit in intima dependentia à vitali potentia animalis, ſi de voce loquimur, aut hominis, ſi de loquutione, in quibuſdam organis viuentis exiſtente, & ab imaginatione animalis, vel hominis. Definitur namque communiter vox: ſonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione: loquutio verò ſonus ab homine editus cum imaginatione ad aliquid ſignificandum. Conſtat autem hæc omnia non competere Deo, & Angelis in corporibus aſſumptis, atque adeò nõ poſſe in illis veras voces edere, multoque minus veras locutiones,

ſed

ſed tantum apparenter ſcilicet in aere ita formando, & diſtinguendo ſonum, vt nobis videantur veras voces edere, & verè loqui.

Quod etiam verum eſt, licet fiant per aliquod corpus animatum, ſicut Angelus Num. 22. loquutus eſt Balaā per aſinam: expreſsè docente S.Thoma quæſt. 6. de Verit. art. 5. ad 3. & 4. nec non 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4. illam non fuiſſe veram locutionem; ſicut nec illa ſerpentis ad Euam in Paradiſo terreſtri; ſiue animantia illa non fuiſſe locuta, quia daret illis dæmon, aut Angelus virtutem loquendi ſicut datur mutis miraculosè; ſed quia ipſemet per motum localem, inquit Sanctus Doctor, ſonum formabat litteratæ, & articulatæ vocis ſimilitudinem, & modum habentem. Pari modo ſubdit, in ſimulachris, quæ antiqui credebant verè loqui, hoc factum fuiſſe dœmone per motum aeris ſonum formante ſimilem humanæ locutioni. Nec aliter dicendum eſt hominum capita vere præciſa locuta fuiſſe, vt in hiſtorijs legimus, pro diuerſitate eorum bono, vel malo Angelo id præſtante.

Itaque dum Angeli loquuntur per organa alicuius animalis, vt Scriptura nos docet vnum fuiſſe, qui locutus eſt Balaam per os aſinæ; eius nimirum organa impellendo appoſitè ad vocem articulatam efformandam, ac ſupplendo per vicinum aerem, id quod organis aſinæ deerat; dicendum eſt tale animal propriè non loqui. Loqui enim eſt conceptum ſuum voce exprimere: animal autem non poteſt concipere, nec intelligere; quid voces illæ ore ſuo prolatæ ſignificant; igitur nec proprie loqui dici poteſt. Vnde nec talis etiam locutio illi vitalis eſt; quia non vi animæ, nec phantaſię ipſius, ſed ab Angelo producitur; multoque minus talis eſt Angelo, ſed in aere, & in ore animalis recipitur; vitalis autem actio eſt, quę elicitur ab anima; & formaliter in eadem recipitur. Quia verò ſola organa animantium, exceptis forſan auibus quibuſdam, vt pſittaco, non ſufficiunt, vel non ſunt tam idonea ad formationem vocis humanæ; ad illud enim requiritur os humanum, aut illi ſimile; illud enim ſolum habet vim, & diſpoſitionem organicam interiorem, qua colligitur aer ad formationem vocis, & qua fit debita percuſſio, & colliſio aeris ad palatum, labia, dentes &c. ad emiſſionem talis, vel talis vocis, quod eſt articulare vocem; idcirco Angelus totum hoc, quando per aliquod animal, ita diſpenſante Deo loquitur ſupplere debet: atque ita ſuppleuiſſe Angelum, qui per os aſinæ locutus eſt Balaam, credibile eſt, cum enim os aſinæ, & ſimilium brutorum ſit longum, & lateraliter apertum non poteſt aerem ab intimis progredientem colligere, & in dentibus collidere, & frangere; quia aer totus lateraliter per rictum effluit; tenuit ex vna parte aerem fortiter, vt ſiſteret, ne aer, & vox ex ore aſinæ effluerent; ex alia verò aerē in ore aſinæ ita colliſit, & alliſit ad organa oris, vt articulatam vocē ederet.

Secundò ad auditum pertinent concentus muſicales tum vocum, tum inſtrumentorum, quibus Deum aliquando ſeruos ſuos in hac vita recreare voluiſſe legimus in eorum actis, præſertim Sancti Franciſci. Quos pariter ab Angelis fieri poſſe dubium non eſt, proportionata aeris magis, vel minus condenſati diſpoſitione, colliſione, & alliſione. Et certè ſi humano artificio tot, tamque mira inſtrumenta mirabiles ſonos, & harmonicos concentus auribus exhibent, naturaliterq; quorumdam marium littora, & montium ſpeluncæ; referente Pauſania littus Aegei, maris ſonum cytharæ æmulari; Laetio in hiſtoria noui mūdi illud maris Quatomalenſis in noua Hiſpania, vel prope, ſonum organi, quem ſonū habitantes choream Deorum appellant. Clemente Alexandrino lib. 6. Stromat. eſſe in Britānia Inſula quamdam ſpeluncam monti ſubiectam, in faſtigio autem hiatūm; cumque ventus in

in illam incidit, & in ſinu foſſæ allidi-tur, ſonum ſymbalorum audiri, quæ numeroſè pulſentur; Si, inquam, hęc omnia tum arte humana, vt in multiplici formatione echo, tum viribus naturæ præſtari poſſunt ex diuerſa cauernoſorum locorum diſpoſitione, & conſtructione; multo magis ſuperiori Angelorum virtuti concedendum eſt, accedente diuina voluntate, quod ita aerem condenſare, ac diſponere queant, vt eo medio plures harmonicos ſonos, vel muſicales concentus edere etiam poſſint. Taliſque forſan fuit, quem narrat Lucas cap. 2. contigiſſe in Natiuitate Chriſti. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in Altiſſimis Deo &c.*

Ad ſenſum odoratus pertinent extraordinarij quidam odores ex Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento aliquando exhalantes, & qui illud deuotè percipiunt, mirum in modum recreantes; quos etiam inter orandum, aut alibi alij perſentiunt, ſecundum quod Deus vult, quem miniſterio Angelorum producere poſſe, dubium non eſt, huiuſmodi odores, iiſque olfactum maximè demulceri. Nec ſolum cauſantur odores, quibus jam in hac vita veluti prælibantur odores paradiſi; verum etiam fœtores aliquando tales ab iiſdem immittuntur, quibus ab infernalibus nos deterreant, eoſque horrere nos doceant.

Ad ſenſum guſtus ſpectant quoque ſapores quidam inuſitati, miræque dulcedinis, quibus Deus in ſumptione Euchariſtię, vel etiam in oratione, aut alibi immutat hunc ſenſum producto in lingua humore aliquo, per quem illi ſentiuntur; ſicut in lingua Beatorũ communiter docent Theologi futurum humorem, per quem ſentient omnes ſapores, quos volent. Quos autem vult idē Deus in hac vita eſſe participes abſinthij, ac fellis Chriſti, ingratiſſimis ſolet afficere ſaporibus eorum guſtum.

Denique ad ſenſum tactus pertinēt plures impreſſiones tum doloriferæ, vt Sacrorum Chriſti Stigmatum, qualia potiſſimum fuere impreſſa S. Franciſco, & S. Catharinę Senenſi, de qua dicitur, quod tantus tunc fuerit dolor, quem ſenſibiliter patiebatur, vt niſi Deus minuiſſet, breui ſe crederet morituram. Item tranſuerberationis cordis, confixionis carnis, & ſimilium; Tum etiam eidem iconſonæ ſummæ, ſed puriſſimæ ſemper delectationis; de quibus non incongruè intelligi poteſt, quod ait Propheta Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Tantumque ſit de diuinis, ac myſticis impreſſionibus ſenſuum externorum proprijs, quæ non ex ſenſibili delectatione, ſed ex fructibus, quos in anima parturiunt, penſari debent, ſicque maximè dignoſci à falſis, & diabolicis. In his enim etiam Sathanæ fraudes locum habere ſatis ſuperque demonſtrāt plura exempla; quæque præſertim ſuperiori ſæculo contigere Chriſtiano orbi notiſſima Monialis Vliſſiponenſis, & Magdalenæ Cruciæ Cordubenſis, quæ ambulantes in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe, hoſtis ludibrio expoſitæ ſtigmata in manibus, pedibus, & latere artificioſè ficta oſtendebant.

CAPVT IV.

De Raptu, & Extaſi.

QVia Raptus, & Extaſes, quas Animæ Sanctæ in intima cum Deo vnione patiuntur, fiunt cum ſenſuum externorum alienatione, idcirco etiam de illis hic agimus, tanquam de impreſſionibus ad illos aliquo modo ſpectantibus.

Primum igitur cum duplex ſit raptus, corporis vnus, mentis alter; vt primus, qui propriè dicitur raptus, nihil eſt aliud, quam translatio perſonæ de loco in locum, cuius plura ſunt in Scriptura exempla, Geneſ. 5. vbi de Henoch dicitur. *Ambulauit cum Deo,*

& non apparuit, quia tulit, id eſt, rapuit, *illum Deus.* Act. 8. quod *Spiritus Domini rapuit Philippum;* ita ſecundus metaphoricè tantum talis, eſt translatio animæ, non quidem à corpore, ſed ab operationibus corporeis, ac ſẽſibilibus. Quæ translatio, vel exceſſus, vel abſtractio, aut alienatio, iſti enim termini, & ſimiles in præſenti coincidunt illiſq; Doctores indifferẽter vtuntur ad explicandam naturam raptus, ſicut pro diuerſitate cauſarum ſunt diuerſa; ita & raptus in illis conſiſtens, ideoque etiam pro diuerſitate huiuſmodi cauſarum poteſt in bonam, vel malam accipi partem, diuiditurque in naturalem dœmoniacum, & diuinum. Vt explicat D. Thomas 2. 2. qu. 75. art. 1. his verbis. *Reſpondeo dicendum, quod raptus violentiam quamdam importat, vt dictũ eſt. Violentum autem dicitur cuius principium eſt extra, nil conferente eo, quod vim patitur, vt dicitur 3. Eth. Confert autem vnumquodque ad id, in quod tendit ſecundum propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem. Et ideo oportet, quod ille, qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur ad aliquid, quod eſt diuerſum ab eo, in quod eius inclinatio tendit. Quæ quidem diuerſitas attenditur dupliciter. Vno quidem modo, quantum ad finem inclinationis; puta, ſi lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc, quod feratur deorſum, proijciatur ſurſum. Alio modo, quantum ad modum tendendi; puta ſi lapis velocius proijciatur deorſum, quam ſit motus eius naturalis. Sic igitur & anima hominis dicitur rapi in id, quod eſt præter naturam. Vno modo, quantum ad terminum raptus: puta, quando rapitur ad pœnas: Secundum illud Pſal. Ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat. Alio modo, quantum ad modum homini connaturalem, qui eſt vt per ſenſibilia intelligat veritatem. Et ideo quando abſtrahitur à ſenſibilium apprehenſione, dicitur rapi, etiam ſi eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur: Dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, ſicut accidit in ſomno, qui eſt ſecundum naturam. Vndè non poteſt propriè raptus dici. Huiuſmodi autem abſtractio ad quæcumque fiat, poteſt ex triplici cauſa contingere. Vno modo ex cauſa corporali: ſicut accidit in ijs, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo modo, ex virtute dæmonum, ſicut patet in arreptitijs. Tertio modo, ex virtute diuina. Et ſic loquimur nunc de raptu, prout ſcilicet aliquis ſpiritu diuino eleuatur ad aliqua ſupernaturalia cum abſtractione à ſenſibus, ſecundum illud Ezech. 8. Spiritus eleuauit me inter cælum, & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei. Sciendum tamen quod rapi quandoque dicitur aliquis non ſolum propter alienationem à ſenſibus, ſed etiam propter alienationem ab ijs, quibus intendebat. Sicut cum aliquis patitur euagationem mentis præter propoſitum. Sed hoc non ita proprie dicitur.*

Quod autem idem Sanctus Doctor articulo ſecundo ſequenti aliam raptus cauſam aſſignauerit, ſcilicet vehementiam amoris ſeu intentionis animæ, inde eſt, quod hæc quarta cauſa eſt intrinſeca, in priori verò tres ab eo tantum cauſæ extrinſecæ raptus enumeratæ ſunt, vt rectè aduertit Caietanus. Et de Deo quidem, & dœmone clarum eſt, quod ſunt extrinſecæ cauſæ. De corpore autem manifeſtatur ex hoc, quod licet ſit intrinſecum homini, eſt tamen extrinſecum animæ, quæ alienatur, & abſtrahitur à ſenſibus. Quarta verò intrinſeca eſt, quoniam eſt ipſa intentio, ſeu affectio animæ, & propterea non eſt computata cum alijs. Sic igitur raptus, ſiue abſtractio à ſenſibus, præter illam quæ ſit in ſomno, à quatuor oritur cauſis iam dictis; & per ordinem ad illas diuiditur in naturalem, cuius tam infirmitas corporis, quàm vehementia amoris, ſeu intentionis animæ poteſt eſſe cauſa; dœmoniacam, virtute dœmonis, ac diuinam, operatione Dei contingentem. De qua vltima principaliter hic agimus, dicturi tamen aliquid infra de alijs duabus, ad illius ab iſtis diſcretionem.

Secundò notandum eſt, raptum, & extaſim ſubſtantialiter eadem eſſe, diſtinguique tantum penes diuerſum exceſſus modum; quatenus *Extaſis*, vt ait D. Thomas 2.2. q. 175. art. 2. ad 1. *importat ſimpliciter exceſſum à ſe ipſo ſecundum quem ſcilicet aliquis extra ſuam ordinationem ponitur. Sed raptus ſuper hoc addit violentiam quamdam.* Vnde quod de vnius, de alterius quoq; cauſis, effectibus, & alijs circumſtantijs, eadem proportione magis, vel minus violenti exceſſus dicendum eſt; nec non etiam definienda ſunt. Sic igitur, cum ex D. Auguſtino lib. 2. ad Simplic. q. 1. & in Pſal. 67. *Extaſis ſit mentis alienatio à ſenſibus corporis, vt ſpiritu quod demonſtrandum eſt demonſtretur*; ita raptus myſticus eſt etiam mentis exceſſus, vel alienatio ab iiſdem ſenſibus, nõ qualiſcunque, ſeu qua mens ſuauiter ad ſeceſſum tendit, & intra ſe colligitur, ſed qua per violentiam maiorem à ſenſibilibus, ſenſuumque officijs auellitur, & ad diuinorum inſpectionem, amoremque ſubleuatur, celerrimè, ac potentiſſimè. Sicut ſi homo, qui per gradus ſcalæ cepiſſet in altiſſimam turrim conſcendere, ſubitò per aera raperetur, & celerius, quam ſi volaret, in ſummitate turris collocaretur. Hac autem proportione tam ad extaſim, quã ad raptum myſticum, vel ſupernaturalem requiri alienationem, aut ceſſationem ab actibus potentiarum inferiorũ conueniunt omnes Theologi, nihilque aliud per extaſim, & raptum myſticũ intelligunt. Cum enim ſenſus pro preſenti ſtatu impediant mentem ne diuina percipiat, ſeu ex hoc, quod anima ſit virtutis finitæ, quanto intentius, & efficacius actui vnius potentiæ attendit, tanto magis in actibus aliarum remittitur; inde eſt, quod Deus, vt occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtet homini, & mirabilia ſua in eo operetur, interdum abſtrahat eius ſenſus à ſuis actibus, vel officijs.

Si quis obijciat, in vita futura Sanctos per reſurrectionem viſuros Dei eſſentiam abſque hoc, quod fiat abſtractio à ſenſibus corporeis; ideoque illam minimè eſſe neceſſariam in hac vita, vel ad cognoſcendum Deum, quacumque cognitione ſupernaturali, indeque illum amandum.

Reſpondetur ex D. Thoma loco citato art. 4. ad 1. quod poſt reſurrectionem in beatis Dei eſſentiam videntibus fiet redundantia ab intellectu ad inferiores vires, & vſque ad corpus. Vnde ſecundum ipſam regulam diuinæ viſionis, anima intendet phantaſmatibus, & ſenſibilibus. Talis autem redundantia non fit in his, qui rapiuntur; nec anima eorum corpori dominatur; & ideo non eſt ſimilis ratio; neceſſariaque eſt in hac vita abſtractio à ſenſibus corporeis, quando eleuatur anima ad aliquam excellentem cognitionem, & amorem, non verò in altera. Et eodem modo diſcurrendum docet ad 2. de Chriſto comprehenſore ſimpliciter, & viatore ſecundum quid propter corporis paſſibilitatem.

Quamuis autem in extaſi, aut raptu ceſſent potentiæ ſenſitiuæ à ſuis officijs, ſecus tamen vegetatiuæ; quia vt docet D. Thomas loco citato art. 5. ad 3. *Vires animæ vegetabiles non operantur ex intentione animæ ſicut vires ſenſitiuæ, ſed per modum naturæ. Et ideo non requiritur ad raptum ab eis abſtractio, ſicut à potentijs ſenſitiuis, per quarũ operationes minueretur intentio animæ circa intellectiuam cognitionem.* Et de Veritate q. 13. art. 4. *Similiter nec requiritur abſtractio ab operationibus animæ vegetabilis. Operationes enim huius partis animæ ſunt quaſi naturales, quod patet ex hoc quod complentur virtute qualitatum actiuarum & paſſiuarum, ſcilicet calidi, & frigidi, humidi, & ſicci. Vnde nec rationi, ſiue voluntati obediunt, vt patet in 1. Ethicorum; & ſic patet, quod ad huiuſmodi actiones non requiritur intentio, & ita per earum actus non oportet intentionem auerti ab operatiua. Similiter nec operatio intellectiua aliquo modo huiuſmodi operationibus admiſcetur. Cum*

neque ab eis accipiat; propter hoc quod non ſunt cognoſcitiua, neque inſtrumento aliquo corporeo vtatur intellectus; quod oporteat per operationes animæ vegetabilis ſuſtentari, ſicut accidit de organis potentiarum ſenſitiuarum, & ſic puritati intellectus nihil præiudicatur per operationes animæ vegetabilis. Vnde patet, quod per ſe loquendo operatio animæ vegetabilis, & operatio animæ intellectiuæ non ſe impediunt. Per accidens tamen poteſt ex altera alteri impedimentum prouenire, in quantum ſcilicet intellectus accipit à phantaſmatibus, quæ ſunt in organis corporalibus, quæ oportet per actum vegetabilis animæ nutriri, & conſeruari. Et ſic per actus nutritiuæ potentiæ eorum diſpoſitio variatur, & per conſequens operatio potentiæ ſenſitiuæ, à qua intellectus accipit, & ita per accidens ipſius intellectus operatio impeditur, ſicut patet in ſomno, & poſt cibum. Et è conuerſo per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animæ vegetabilis, in quantum ad operationem intellectus requiritur operatio imaginatiuæ virtutis, ad cuius vehementiam oportet caloris, & ſpirituum concurſum fieri, & ſic impeditur actus virtutis nutritiuæ per vehementiam contemplationis. Sed hoc non habet locum in illa contemplatione, qua Dei eſſentia videtur, cum talis contemplatio imaginationis operatione non egeat. Et ſic patet, quod ad videndum Deum per eſſentiam nullo modo requiritur abſtractio ab actibus animæ vegetabilis, nec aliqua earum debilitatio, ſed ſolum ab actibus ſenſitiuarum potentiarum. Hactenus Diuus Thomas.

Igitur ſi ad ipſam claram Dei viſionem, qualem per modum tranſitus habuiſse Diuum Paulum in ſuo raptu, exiſtimat D. Thomas locis citatis, neceſsaria non fuit abſtractio ab actibus animæ vegetabilis, multoque minus ſeparatio animæ à corpore, vt ibidem docet; neque etiam talis abſtractio, & ſeparatio requiritur in quocunque alio raptu, vel extaſi ſupernaturali, ad quamlibet aliam cognitionem infuſam, ſed tantum ne ad phantaſmata, & ad obiecta ſenſibilia anima conuertatur, vt poſſit ad diuina eleuari, quæ omnia phantaſmata, omnemque ſpeciem intelligibilem creatam excedunt. Vnde quod aliqui Philoſophi extaſim fieri putarunt, anima à corpore reipſa ſeparata, & ad ipſum poſt raptum redeunte; quam opinionem exemplo probant Eri Armenij, qui, vt narrat Plato pro mortuo habitus anima redeunte reuixit, & præmia, ac pœnas, alterius vitæ enarrauit, reijciendum eſt tanquam fabuloſum; vel ad ludibria dæmonum ſpectans, vt obſeruant ex noſtris Tertullianus lib. de anima cap. 44. & Origenes lib. 3. aduerſus Celſum.

An verò contigerit aliquando animam ſupernaturaliter, ſeu per diuinam potentiam in altiori, ac vehementiori raptu è corpore abijſſe affirmant nonnulli, talemque fuiſſe raptum D. Pauli 2. Corinth. 12. Et D. Catharinæ Senenſis epiſt. 12. ad P. Raymundum, pro certo aſſerit animam ſuam aliquando è corpore diſceſſiſſe, & bona immortalia deguſtaſſe. Verum alij id negant, etſi enim dubium non ſit, quin animæ à corpore ſeparatio ad tempus fieri poſſit, non viribus naturæ, ſed diuinæ virtutis omnipotentia; vtrum tamen aliquando acciderit, omnino incertum eſt. Nam ipſe Apoſtolus raptus ad tertium cælum ſe neſcire profeſſus eſt an in corpore, vel extra corpus id contigerit. Quod autem tantus vir ignorauit noſtrum non eſt definire: *Quis enim*, inquit Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. ad litter. cap. 1. de Pauli raptu agens, *audeat dicere ſe ſcire, quod ſe neſcire Apoſtolus dixit*. Eamdem profitetur ignorantiam S. Mater Thereſia raptus effectus deſcribens in caſtro Animæ Manſ. 6. cap. 5. *An in corpore, vel extra corpus hæc gerantur dicere nequeo; certe iureiurando aſſeuerare non auſim animam in corpore tunc eſſe, vti nec corpus interea ſine anima viuere.* Vnde quod ait S. Catharina Senenſis debet intelligi myſticè, ac figuratè,

ratè, ſeu ſenſus eius eſt, animam quoad functionum ſenſitiuarum orbitatem corpus deſeruiſſe. Quomodo autem, & qualis mors ſit extaſis, vel raptus, præclarè docet S. Bernardus ſerm.52. in Cantica ſub ſymbolis ſoporis, & mortis, vbi videri poteſt.

Tertiò, quod attinet ad raptus, aut extaſis diuiſionem, triplex aſſignari poteſt, imaginaria, intellectualis, & ſuperintellectualis, iuxta triplicem, quæ fit in illis abſtractionem, ſcilicet ab actibus ſenſuum exteriorum, ab actibus ſenſuum interiorum, ſiue imaginationis, & à modo intelligendi per ſpecies intelligibiles creatas. Sic igitur raptus vel exſtaſis imaginaria eſt, quādo Deo in imaginatione operante per luminis proportionati; nec non ſpecierum infuſionem, indeque intellectum phantaſmata adhuc ſpeculantem rapiente ad ſe cognoſcendum, & voluntatem ad amandum, interim ſilent ſenſus exteriores duntaxat, ſeu ceſſant à ſuis operationibus. Raptus, vel exſtaſis intellectualis eſt, quando eodem Deo in intellectu operante per luminis ſuperioris infuſionem, nec non ſpecierum purè intellectualium, ita rapitur anima ad cognoſcendum, & amandum ipſum, vt nedum ceſſent operationes ſenſuum externorum, verum etiam internorum ſeu phantaſiæ, & imaginationis, tunc intellectu non intelligente per conuerſionem ad phantaſmata, iuxta ſuum modum operandi connaturalem, ſed ſine illa. Raptus denique, vel exſtaſis ſuperintellectualis eſt, quando intellectus intelligit quidem, ſed cum abſtractione non ſolum à ſenſibus externis, non ſolum ab imaginatione, ſeu à modo connaturali intelligendi per cōuerſionem ad phantaſmata, ſed inſuper à modo intelligendi per ſpecies creatas, quod contingit, quando in raptu clarè videtur Deus, ſicut in ſuo vidit illum Paulus. Aliterque fieri non poteſt, vt rectè docet D. Thomas 2. 2. qu. 175. art.4. *Intellectus hominis*, inquit, *in ſtatu via neceſſe eſt, quod à phantaſmatibus abſtrahatur, ſi videat Dei eſſentiam: Non enim per aliquod phantaſma poteſt Dei eſſentia videri, quinimo nec per aliquam ſpeciem intelligibilem creatam, quia eſſentia Dei in infinitum excedit non ſolum omnia corpora, quorum ſunt phantaſmata, ſed etiam omnem intelligibilem creaturam. Oportet autem cum intellectus hominis eleuatur ad altiſſimam Dei eſſentia viſionem, vt tota mentis intentia illuc aduocetur, ita ſcilicet quod nihil intelligat aliud ex phantaſmatibus, ſed totaliter feratur in Deum. Vndè impoſſibile eſt, quod homo in ſtatu via videat Deum per eſſentiam, ſine abſtractione à ſenſibus.*

Quartò, circa ſubiectum raptus, aut exſtaſis, ſiue vtrum magis pertineant ad vim cognoſcitiuam, quam ad vim appetitiuam, ſic diſcurrit idem S. Doctor loco ſtatim citato art. 2. ſcilicet, *quod de raptu dupliciter loqui poſſumus. Vno modo quantum ad id in quod aliquis rapitur. Et ſic propriè loquendo raptus non poteſt pertinere ad vim appetitiuam, ſed ſolùm ad cognoſcitiuam. Dictum eſt enim, quod raptus eſt præter propriam inclinationem eius, quod rapitur. Ipſe autem motus appetitiua virtutis eſt quadam inclinatio ad bonum appetibile. Vnde propriè loquendo, ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, ſed per ſe mouetur. Alio modo poteſt conſiderari raptus quantum ad ſuam cauſam, & ſic poteſt habere cauſam ex parte appetitiua virtutis. Ex hoc enim ipſo quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, poteſt contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus alijs alienetur. Habet etiam effectum in appetitiua virtute, cum ſcilicet aliquis delectatur in ijs, ad qua rapitur. Vnde & Apoſtolus dixit ſe raptum non ſolum ad tertium cælum, quod pertinet ad contemplationem intellectus, ſed etiam in paradiſum, quod pertinet ad affectum.*

Ex qua D. Thomæ doctrina habetur exſtaſim, ſeu raptum myſticum eſſe formaliter in virtute cognoſcitiua, ſiue in facultate, quæ cognitioni deſeruit; ſiqui-

ſiquidem ex intenta vnius meditatione abſtrahitur intellectus ab alijs; ſiue reuelationis vehementia extra ſe rapitur: & tunc raptus dicitur effici à luce; quando nimirum fulgor lucis diuinæ cælitus emiſſus, ita animam illuſtrat, & irradiat, vt ſenſuum functiones deſerat, quo magis diuinorum contemplationi vacet. Quocirca ad illud Pſalm. 115. *Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax* Gloſſa ex Auguſtino ait, dicitur hic extaſis, cum mens non pauore alienatur, ſed aliqua inſpiratione reuelationis ſurſum adſumitur. *Sed reuelatio*, inquit D. Thomas citans eumdem locum art. 2. in argumento ſed contra, *pertinet ad vim intellectiuam; ergo extaſis, ſiue raptus*. Cauſaliter autem ſpectare poteſt ad vim appetitiuam, ſiquidem, vt ait idem S. Doctor poteſt habere cauſam ex parte appetitiuæ virtutis. Ex hoc enim ipſo quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, poteſt contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus alienetur; & vt ait ad 2. quod mens ad quædam intelligibilia rapiatur alienata à ſenſibus, vel quod rapiatur ad aliquam imaginariã viſionem, ſeu phantaſticam apparitionem. Tandem ita cauſaliter eſt à virtute appetitiua, vt rurſus in ea ſit effectiuè, cum ſcilicet aliquis delectatur in iis ad quæ rapitur.

Quintò, loquendo de duratione raptus, aut exſtaſis myſticæ, ſeu diuinæ, certum eſt eam neque in ſuo principio, neque in ſua continuatione pendere à voluntate illam patientis, ſed ſolum Deum eſſe vtriuſque cauſam efficientem principalem. Ratio eſt, quia huiuſmodi raptus, vel exſtaſis, non eſt quæcumque abſtractio, ſed talis à ſenſibus externis, vbi eſt imaginaria tantum, & ab internis, vbi eſt merè intellectualis, & ſine conuerſione ad phantaſmata, vt in illa intellectus nouo quodammodo illuminetur, & ſubleuetur, ſimulque voluntas inflammetur; qui effectus cum ſint omnino ſupernaturales, non poteſt raptus, vel exſtaſis myſtica illos includens non pendere tam in principio, quam in continuatione à Deo tanquam à cauſa principali efficienti non ſolùm vniuerſali, verum etiam particulari, aut ſpeciali.

Negari tamen non poteſt, quin etiã ad huiuſmodi raptus, vel extaſes ſe aliqui diſponere, ac præparare poſſint, licet vt plurimum abſque vlla præparatione fiant, vt gratuitum Dei donum agnoſcatur. At quia in hoc diſpoſitionum, vel præparationum genere dari poteſt deſiderium voluntatis, hoc actu contentum: *Volo cum tanta vehementia, & animi intentione Deum contemplari, & amare, vt nihil aliud cogitare, vel ſentire valeam*, quod perindè eſt, ac ſi diceretur. *Volo in exſtaſim rapi*, tale deſiderium non ſolum vanum, ac præſumptuoſum eſt, ſed etiam impoſſibile quoad executionem, ſiue vt ſequatur effectus. Cuius ratio eſt, quia non ita ſubijcitur attentio animæ applicationi voluntatis, vt ſua poſſit efficacitate totam illam colligere ad vnum actum vnius potentiæ, vel facultatis, & à cæteris ita illam abſtrahere, vt moueri non poſſit, quamuis obiecta proponantur ſufficienter ad mouendã illam, ſicut in raptu, aut exſtaſi contingit. Quocirca jam monuimus ſupra deſiderium exceſſuum, raptuum, & reuelationum cohibendum eſſe perſonis ſpiritualibus, maximè in eo quod ipſis commune eſſe poteſt cum iniquis, & peccatoribus; tantumque admitti poſſe, & adhuc veluti conditionatè, in eo quo meliores, Deoque gratiores effici poſſunt.

Quod docent aliqui raptum, vel exſtaſim omnem diuinam debere eſſe ſucceſſiuam, ſine fundamento aſſeritur, minimèque probandum eſt, Deum enim momento animam ad ſe eleuare poſſe, & in exſtaſim rapere, nulla prorſus eſt repugnantia, vt ſatis per ſe patet. Poſtea tamen ſæpè continuari ſolere raptum, & ita ſucceſſionem in duratione habere, dubium non eſt.

Sextò tandem, & vltimò quod ſpe-

ctat

ctat ad raptus, vel exſtaſis Myſticæ effectus ſunt in multiplici differentia, videriqué de illis poſſunt S. Auguſtinus epiſt. 102. Ioannes Caſſianus collat. 19. cap. 4. D. Bernardus ſerm. 52. in Cant. Richardus Victorinus lib. 5. de Contemplatione à cap. 5. Dionyſius Carthuſianus opuſc. de Fonte Lucis art. 18 ac tandem nouiſſimè S. Mater Thereſia in Caſt. animæ manſione 6. cap. 4. & Vitæ ſuæ cap. 20. & 21. vbi diuinitus edocta, nec non ex propria experientia ſic de diuinis loquitur exſtaſibus. Anima, inquit, cum ſibi poſt raptum reddita eſt, nihil eorum, quæ vidit poteſt alijs referre, neque eorum recordari, niſi confuſa, & generali quadam cognitione: vt ſi quis intimum Regis cubiculum vaſis, tabellis, ſtatuis, alijſque pretioſiſſimis, ac mira arte diſpoſitis ornamentis refertum ingreſſus fuerit, eaque omnia ſimul in oculos incurrant, fieri non poteſt, vt de ſingulis poſtmodum in tanta rerum copia, & varietate recordetur, eaque enarret: ita anima ad Dei conſpectum extra ſenſus admiſsa tot mirabilia in eo cognoſcit, vt ipſorum ſingillatim meminiſſe non valeat. Hominis verò in exſtaſim rapti pathemata deſcribens ait, videri animam in raptu corpus nō habere, nec animare; deficere calorē, intercipi reſpirationem, adeo vt vix minimus halitus, ſiue motus percipiatur; accedere quemdam membrorum omnium rigorem, & frigus, pallorem in vultu, fereque omnia vel morientis, vel mortui ſymptomata. Item quod reſiſtere raptui, aut reluctari non poteſt quacumque adhibita diligentia, aut contentione, nam impetus quidam vehementiſſimus ita repentè animam abripit, vt ſuſtolli ſe ſentiat neſciens quo feratur. Videtur ſibi in alia regione eſſe ab hac multum diſſimili, in qua alia lux fulget, aliuſque eſt modus viuendi, & intelligendi. Nec ſolum anima, ſed corpus quoque aliquando ſurſum fertur, & à terra eleuatur.

Sic ergo cum effectus exſtaſis Myſticæ alij ad animam, alij ad corpus pertineant, qui cauſantur in anima, ſuntque præcipua exſtaſis myſticæ cauſa finalis, ſunt maior, & intimior eius cum Deo vnio per intellectum, & voluntatem, non enim idcircò rapitur homo, & alienatur à ſenſibus, vt trunci inſtar operatione omni deſtituatur, vt contingit in arreptitijs; aut corporaliter dormiat, vt in lethargicis: ſed vt liber ab omni alia occupatione, præterquā ſpirituali intelligendi, & amandi, in Dei amplexus ſuauiſſimè feratur, ibique conquieſcat. Quia autem quanto quis altius eleuatur, tanto fit humilior, idcircò inter effectus myſtici raptus numerari ſpecialiter debet humilitas, vt docet S. Bonauentura libro de quinque viſionibus ſerm. 3.

Effectus autem corporei ſunt interdum lachrymarum profuſio; *Si tamen*, inquit D. Bernardus in Scala, *iſtæ dicendæ ſunt lachrymæ, & non potius roris interioris deſuper infuſi ſupereffluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium, exterioris hominis purgamentum. Vt ſicut in baptiſmo puerorum per exteriorem ablutionem ſignificatur, & figuratur interior animæ ablutio: ita hic è contrà exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio.* Item ex tanto contemplationis exceſſu, amoriſque impetu, qualis in exſtaſi myſtica reperitur, generantur per redundantiam quandam in parte ſenſitiua, ac corpore, languor, debilitas, mœror, ac macies; deteſtatio corporei alimenti, impotentia vſus, ac motus membrorum, ac ſenſuum, & totius corporis rigor. Amplius, quoniam amor ingreditur, vbi ſcientia permanet foris, dum mens contemplationi myſticæ eſt intenta, inflammato, & veluti commoto, ac irritato amore, incipit amor ipſe quodammodo ebullire, & ſuperferuere, ſuaque ſacra violentia totum corpus concutere. Quod autem feruet, quadam caloris, ac deſiderij ſui violentia extra ſeipſum proijcitur, & ſupra ſe tollitur, quaſi ibi eſſe dedignetur; vnde in ra-

ptis

ptis eleuatur corpus, deprimitur: in terra extenditur; immotum hæret, expalleſcit ſubito, rubore ſuffunditur, alijſque ſimilibus motibus afficitur, valdè tamen diſtinctis ab illis, qui interdum in fanaticis, & arreptitijs videri ſolent, cum enim hi geſtibus,& motibus indecoris ſæpe rapiantur, & in ipſo raptu verba proferant inutilia, confuſa, inepta, & indiſcreta, qui in myſticis à diuino proueniunt ſpiritu, nonniſi ſummam ſpirant grauitatem, decentiam, ac Sanctitatem; vt dicetur magis capite ſequenti.

Interim prædicta breuiter recapitulando, patet exſtaſim,ſiue raptum myſticum, de quo in præſenti agimus, pati quem dici,cum extra ſe diuinitus ponitur, vel à ſenſibus alienatur; triplicemque eſſe iuxta triplicem dictam abſtractionem;Ita vt hoc ſit duntaxat diſcrimen inter raptum, & exſtaſim,quod in hac ſuauius mens à ſenſibus abſtrahatur, in illo autem vehementius, & cum quadam violentia, celerius ac potentius animam à ſenſibilibus auellente, & ad intellectualem cæleſtium inſpectionem, & amorem pertrahente. Cum autem hoc contingat, & ſecundum vim apprehenſiuam, & ſecundum vim appetitiuam, vt docet D. Thomas 1.2. q.28. art. 3. in facultate, quæ cognitioni deſeruit, dicitur exſtaſis eſſe formaliter, quia ex intenta vnius meditatione abſtrahitur intellectus ab alijs: in potentia verò appetitiua cauſaliter, affectus enim vehementia abſorbet animam, nec ſinit plenè ſui iuris eſſe. Vndè celebris eſt Dionyſij ſententia de diuinis nominibus cap. 4. §. 13. quod *Amor exſtaſim facit*: & quamuis ad Deũ duabus alis euolet anima, cognitione ſcilicet, & amore, diximus ſupra in vnione myſtica amorem primas tenere, maioremque vim, & agilitatem ad volandum præbere: cognitio ſi quidem aſſimilatio quædam eſt, ad hoc tantum requiſita, vt amorem accendat, amor autem ſe habet per modum impulſus, ſpirituſque vehementis, nec non maiorem vim habet vnitiuam transformantem amantem in amatum iuxta illud Apoſtoli Galat.2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Quocirca, qui cauſas aſſignant; quibus in mentis alienationem abducimur, præſertim Richardus à S. Victore loco ſuperius citato, duas affectui, vnam applicant, vel tribuunt intellectui. Prima eſt magnitudo deuotionis, ſiue amoris, cum anima tanto celeſtis deſiderij igne ſuccenditur, vt amoris intimi flamma vltra humanum modum creſcens illam inſtar ceræ liquefactam à priſtino ſtatu reſoluat, & in ſuperna attollat. Secunda eſt magnitudo admirationis, qua anima ſupra ſeipſam ducitur, cum diuino lumine irradiata,& in ſummæ pulchritudinis admiratione ſuſpenſa à ſuo ſtatu excutitur, & in ſublimia in modum fulguris coruſcantis. Incipit autem hic ecceſſus ab admiranda primæ veritatis contemplatione veluti ab aurora, à qua paulatim procedens in diem deſinit feruentiſſimi amoris. Tertia eſt magnitudo iocunditatis, & exultationis cum mens hominis internæ ſuauitatis vbertate potata,& inebriata,quid ſit, quid fuerit penitus obliuiſcitur, & in ſupermundanum quemdam affectum transformata à ſeipſa alienatur.

Licet extaſis myſtica, ſeu qua aliquis eleuatur ad diuina cum abſtractione à ſenſibus, de qua fuit huc vſq; ſermo, à ſolo Deo prouenire, ſeu eius operatione fieri poſſit; quia tamen raptus, vel extaſis vt ſic, aliquando contingere poteſt ex cauſa naturali, vel virtute dœmonis, breuiter de vtraque agemus, vt clarius appareat ſoli diuinæ competere veram rationem extaſis. Igitur aliqui inter cauſas naturales extaſis reponunt nonnullos morbos, vt deliquium, quod diffusè tractat, & refellit S.Mater Thereſia lib. fundationũ cap. 6. Item lethargum, nec non morbum, quem *catochen*, ſeu *catalepſin* appellant Medici, de quo inter illos præſertim agunt Fernelius lib.5.Patol.cap. 2. & nouiſſimè Sannettus lib. 2. Inſtit. Medic.

Medic. par. 3. ſect. 1. cap. 9. verum cum his, & ſimilibus morbis correpti reuera profundo ſomno mergantur, vt in lethargo, rerum omnium ignari, in alijs verò ob alia accidentia, ſatis patet propriè ad extaſim ſpectare, ſeu illam cauſare non poſſe. Vera igitur, & propria extaſis naturalis, ſiue à ſenſibus alienatio maximè fieri ſolet ex vehementi imaginatione, aut alicuius rei ſpeculatione: tunc enim confluentibus ſpiritibus animalibus in cerebrum, ſenſuum exteriorum functiones impediuntur, & ſic remanet homo abſtractus, & ſine motu, eoſque ſibi præſentes fingit, & cum illis miſcet colloquia, quibus hæret imaginatio: quemadmodum contingere ſolet in ſomnio, à quo propterea non differt extaſis iſta, niſi quod illud dormienti, hęc vigilanti accidit.

Huiuſmodi autem imaginationis, vel ſpeculationis naturalis tam vehementis, vt vires internæ omnes occupentur, & ſenſuum exteriorum impediatur omnis functio, aliò deriuata omni mentis attentione, plura ſolent afferri exempla: Platonis Philoſophicis ſpeculationibus ita quandoque intenti, vt ſenſuum vſu careret. Socratis, qui, ipſo Platone teſte, integro die immobilis ſtetit cogitabundus, & abſtractus. Eumdem exceſſum contigiſse Carneadi refert Valerius Maximus, Plotino Porphyrius, Iamblicho Eunapius. Archimedes denique ſummus Mathematicus, captis Syracuſis, cum animo, & oculis in terra defixis, formas Geometricas in glarea deſcriberet, aliorum omnium incuriosus à milite interfectus fuit. In his, & ſimilibus caſibus, quo intenſior eſt imaginatio, cum maior quoque ſpirituum animalium copia cerebrum obſideat, propterea etiam fortior, & longior abſtractio fieri poteſt, pręſertim cum ſpiritus craſſiores ſunt, & melancholici, qui difficilius reſoluuntur. Aduertendum tamen animam virtute naturali ſola, poſſe ita applicare intentionem, attentionemque omnem internam vt ſequatur extaſis, vt tamen falſum ſit, communi lege, quemlibet, quantumuis intenſiſſimæ ſpeculationis, vel imaginationis hominem, poſſe, quotieſcunque collibuerit tali naturali ſua vi, & arbitrio voluntatis, cauſare in ſe extaſim, vt ſatis experientia conſtat; ſique ita accideret alicui, aut dæmoni tribuendum, aut inter alia naturę portenta numerandum eſſet, de quibus agit Auguſt. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24.

Dęmones quoque, ſeu malos genios poſſe in homine raptum, ſiue extaſim efficere omnes admittunt, vt iam notauimus quarto huius operis tomo ſect. 7. cap. 13. idque duobus modis. Prior eſt, quando illos tramites obſtruit, quibus à cerebro ſpiritus animales, ſiue ſenſitiui ad exteriores ſenſus deferuntur, veluti contingit ſomniantibus; poſterior quando eoſdem ſpiritus ab exterioribus ſenſibus ad interni ſenſus organa attrahit, ibique ligat, & retinet, ne rurſus ad externorum ſenſuum organa queant deſcendere. Vnde primus per obſtructionem, ſecundus per ligationem fieri dicitur. Taleſque fuiſſe extaſes, quæ de nonnullis Philoſophis Gentilibus, aut Hæreticis, & aliquibus alijs narrantur cum D. Auguſtino tenendum eſt. Tantumque ſit de raptu, & extaſi.

CAPVT V.

De gratijs gratis datis.

CVm gratia ſupernaturalis interna, alia ſit gratis data, & ſimul gratum faciens, quæ ſolet definiri donum diuinum ſupernaturale internum creaturæ intellectuali gratuito datum, ad reddendum illam Sanctam, Deoque gratam, efficienter, vel formaliter. Efficienter quidem, vti facit gratia actualis: Primò diſpoſitiuè, quia pręparat ad ſanctitatem. Secundò conſeruatiuè, quia illam conſeruat. Tertio directiuè, quia dirigit ad opera ſanctitatis. Formaliter autem, vti gratia habi-

habitualis cum omnium virtutum ſupernaturalium comitatu. Alia verò gratis data tantum; de iſta duntaxat breuiter agemus in hoc capite, quia licet tam iuſtis, quam malis poſſit eſſe communis, ordinarie tamen à Deo ſolis infunditur iuſtis, & ſanctis in aliquale ſignum, vel argumentum ſanctitatis ipſorum.

Itaque gratia gratis data definiri ſolet, eſſe ſupernaturale donum diuinum, homini gratuitò donatum, ad proximè ſalutem directè ordinatum; nam vt habetur 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus, ad vtilitatem*, proximorum ſcilicet. Et 1. Petri 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*. In Sanctis autem indirectè ordinatur ad manifeſtandam hominibus eorum ſanctitatem.

Quia autem, quod ſpectat ad huius gratiæ diuiſionem, aliquæ ex Apoſtolo loco citato 1 Corinth. ſunt propriæ duntaxat aliquorum etiam Eccleſię ſtatuum, ſicut *Gratia miniſtrationum*; his enim intelligit Apoſtolus diuerſi ſtatus officia, & miniſteria, quæ ſunt in Eccleſia Dei, vt eſt ſtatus Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, alteriuſue gradus Eccleſiaſtici, vnde miniſtratio definiri ſolet diuinum donum ritè miniſtrandi Sacramenta, muniaque Eccleſiaſtica, quin & corporalia fidelibus, neceſſaria pro ratione dictorum ſtatuū. Item *Gratia opitulationis*, quæ eſt diuinum donum iuuandi hilariter ægros pauperes, peregrinos, & hoſpites. Tum *Gratia gubernationis*, quæ eſt diuinum donum, bene regendi fideles ex officio ſuo. Ac demum *Gratia operationum*, per quam intelliguntur diuerſi modi viuendi, ſicut eſt Vita contemplatiua, & actiua, quæ dicuntur diuerſæ vitæ, quia diuerſis actionibus, ſeu operationibus exercentur. Aliæ verò huiuſmodi gratiæ poſſunt eſſe omnibus fidelibus communes; de iſtis duntaxat agemus, reducemuſque illas ex Apoſtolo 1. Corinth. 12. ad tria genera. Primum pertinet ad cognitionem ſicut prophetia, fides, & diſcretio ſpirituum. Secundum ad locutionem, vt ſermo ſapiẽtiæ, ſcientiæ, genera linguarum, & interpretatio ſermonum. Tertium ad operationem virtutum, vt ſunt gratia ſanitatum, & patratio miraculorum. Nullum pertinet ad voluntatem, circa quam magis verſatur gratia ſanctificãs, & charitas rectificando illam circa vltimum finem, quam gratia gratis data.

Incipiendo igitur à primo genere pertinente ad cognitionem, & exigente ſpeciale lumen, Gratia gratis data *Fides* dicta, eſt diuinitus data excellens intelligentia rerum fidei, certaque fiducia impetrandi miracula, omniaque à Deo petita, nixa veritate, promiſſioneque diuina. De qua intelligitur illud Apoſtoli 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferã* &c.

Gratia gratis data *Prophetia* eſt diuinum donum prædicendi futura, cognoſcendiue occulta, addunt aliqui, & explicandi ſcripturam. Primo igitur cõſiderando eſſentiam prophetiæ, tam ex parte generis pertinet ad cognitionẽ, quam ex parte differentiæ, quia includit reuelationem diuinam per modum tranſeuntis repræſentantem, & manifeſtantem aliquid, & ex parte obiecti materialis extendit ſe ad omne illud, quod ſubijcitur diuino lumini; præcipuè tamen ſe extendit ad futura, ſeu occulta.

Pertinet autem ad cognitionẽ prophetia formaliter, cum etiam diſpoſitiuè ad voluntatem ſpectare poſſit. Duplex enim actio ex parte Dei, & paſſio ex parte noſtra concurrit ad prophetiam. Vna quaſi antecedenter diſponens, ac præparans, ſcilicet motio voluntatis, qua eleuetur intentio mentis ad percipienda diuina, & hæc dicitur inſpiratio, iuxta illud Iob. 32. *Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Alia eſt reuelatio, quæ illuſtrat intellectum, vt percipiat, quę ſibi à Deo reuelantur, & ibi completur prophetia, quia ibi tollitur obſcuritas ignorantiæ rei reue-

reuelatæ formaliter,iuxta aliud Iob. 12. *Qui reuelat profunda de tenebris*. Hoc autem lumen, ſicut & reliquæ gratiæ gratis datæ, non datur per modum habitus, ſiue formæ permanentis intellectui Prophetæ,ſed per modum impreſſionis, vel luminis tranſeuntis, ita vt noua ſemper reuelatione indigeat,quoties aliquid prædicendum, aut manifeſtandum eſt. Vnde ſequitur, vt rectè aduertit D. Gregorius Homil. 1. in Ezechiel, *Quod aliquando Prophetæ Sancti dum conſuluntur, ex magno vſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur: ſed quia ſancti ſunt, per Sanctum Spiritum citius correcti, ab eo, quæ vera ſunt audiunt, & ſemetipſos, quia falſa dixerunt, reprehendunt*. Quod probat Sanctus Pontifex exemplo Nathan Prophetæ, nam cum ei Rex Dauid dixiſſet, ſtatuiſſe ſe templum ædificare, reſpondit illi veluti ex Dei ſententia, aut reuelatione, vt faceret quidquid in corde ſuo propoſuerat: qui tamen eadem nocte à Deo monitus denuntiauit Regi, templum Domini non ab ipſo, ſed eius filio ædificandum fore.

Qua etiam ratione aſſeri forſitan poteſt, deceptos fuiſſe quoſdam viros, nec non mulieres ſanctas, in quorum libris nonnullæ leguntur reuelationes ſibi inuicem contradicentes, quas credere par eſt proprio ſenſu fuiſſe ab illis conſcriptas, quem diuinum eſſe exiſtimabant. Niſi malimus dicere cum Baronio tom. 8. ann. 604. vbi diſcutit, & refellit hiſtoriam Traiani ab inferis D. Gregorij precibus liberati, huiuſmodi reuelationes fuiſſe confictas, & perperam aliquibus Sanctis adſcriptas. Hacque adhuc in re aduertendum eſt, mentem Prophetæ dupliciter inſtrui poſſe, vel per expreſſam reuelationem, vel per occultum inſtinctum. Inter quem vtrumq; modum magna eſt differentia; quando enim Propheta ex diuina reuelatione loquitur,ſemper diſcernere poteſt,quid per Spiritum Propheticum, quid per proprium dicat, ſiquidem certiſſimè cognoſcit reuelationem à Deo eſſe, & ſi per ſomnium aliquando contingit, agnoſcens poſtea rei veritatem, iam ſomnij voce non vtitur; ſicut Iacob Geneſ. 28. 16. expergefactus ait, *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*. Et D. Petrus Act. 12. ab Angelo eductus de carcere neſciens, verum eſſe quod fiebat, poſt diſceſſum Angeli in ſe reuerſus dixit: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*. Quando verò ex inſtinctu loquitur, interdū accidere poteſt, vt proprij ſpiritus ſuggeſtio ſit, quam putat Dei eſſe. Docet item D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17. & lib. 4. de Trinit. cap. 17. ſæpius humanas mentes hunc inſtinctum pati, neſcientes quid dicāt, & prædicentes, quæ non intelligunt; ſicut Caiphas Pontifex prophetiæ inſtinctu, ſed verum ſenſum verborum ignorans, Chriſtum moriturum pro humani generis redemptione prophetauit. Huius autem differentiæ,vel diſcriminis ratio inde eſt, quod hic inſtinctus eſt quiddam imperfectum in genere prophetiæ,veluti que reductiuè ad illud ſpectans, vnde ſi quid per illū duntaxat manifeſtatur propheticam certitudinem, & intelligentiam reuelationi annexam non habet; atque adeo loquentes ex illo, proprij interdum ſpiritus ſuggeſtione loqui contingit; quā tamen Dei eſſe arbitrantur aliqui.

Porro lumen propheticum non per modum permanentis dati,ſed per modum tranſeuntis, idque dependenter, toties quoties, ab inſpiratione,& reuelatione actuali Dei, ideo eſt, quia prophetia ordinatur ad cognoſcendas res ſupernaturales, & nobis occultas, non cognitis principijs, in quibus continētur, ſiquidem Propheta non videt diuinam eſſentiam, in qua talia continētur obiecta, nec ad claram illius viſionem poteſt continuari, ſicut Theologia noſtra, nec non ſcientia infuſa, ſed potius diuina viſa eſſentia prophetiæ euacuabun-

cuabuntur, prophetia enim videt res, quaſi in ſimilitudine, & ænigmate, & à longe; in diuina autem eſſentia omnia videntur in pleno lumine, & ſic propheta non poteſt ex principijs in ſe permanenter, & habitualiter exiſtētibus cognitionem ſui obiecti deducere, ideoque dependet ab aliqua illuſtratione, ſeu manifeſtatione actualiter facta ab alio, qui illa videt principia, ſcilicet à Deo: fides autem infunditur per modum habitus, quia non datur ad videndam rem aliquam ex vi alicuius principij, ſeu illuſtrationis, ſed ad aſſentiendum teſtimonio dicentis, ideoque non eſt lumen pure intellectuale, quod radicem habeat in aliqua manifeſtatione ſuorum principiorum, ſed eſt lumen intellectus, vt moti à voluntate, & in ipſa habet ſuum principium. Ita ex D. Thoma 2.2. q. 171.

Secundo, quod attinet ad cauſam efficientem Prophetiæ, relicto errore, vel potius delirio Montani eiuſque Aſſeclarum, qui exiſtimarunt Prophetas veluti amentes, ac furioſos extra ſe poſitos, locutos eſſe, quæ ignorabant; atque adeo prophetiam à Deo non eſſe, nam vt rectè ait S. Baſilius Proœm. in Iſaiam, *Id abhorret à profeſſione diuinæ præſentiæ, vt amentem reddat, qui à numine corripitur*, firmiter tenendum eſt, reſpectu prophetiæ ſupernaturalis, quantum ad infuſionem luminis prophetici, & ſpecierum infuſarum, vbi per illas fit, ſolum Deum eſſe cauſam efficientem principalem, licet quantum ad propoſitionem obiectorum, & diſpoſitionem, & coordinationem ſpecierum, tam ex parte imaginatiuæ, quã intellectus mediantibus Angelis cauſari etiam poſſit prophetia, ſicut vnus Angelus illuminat alium. Prophetia autem naturalis, qua cognoſcuntur aliqua futura in cauſis naturalibus, vel ex impreſſione dœmonum, ſicut vera non eſt prophetia, ita nec habet neceſſario pro cauſa immediata, vel efficiente principali Deum. Ita ex D. Thoma 2.2. q. 172.

Tertio agendo de medio, per quod lumen propheticum ſua attingit obiecta, illud ſunt ſpecies aliquæ creatę, ſeu ſimilitudines, quibus res prophetatæ repræſentantur, quæ aliquando infunduntur de nouo à Deo, aliquando quæ iam ſunt acquiſitæ per ſenſus, ac præexiſtentes, nouo, & ſuperiori modo coordinantur, ſecundum quod exigitur ad habendum iudicium de illis rebus, in quo iudicio completur actus propheticus, nec requiritur alienatio à ſenſibus præſertim interioribus, ſed potius prophetia ordinarie fit cum cõuerſione ad phantaſmata, tam in ſomnio, quam in vigilia. Vbi tamen illa fit ſine tali conuerſione, quod non repugnare iam ſupra oſtendimus, ſiue cũ abſtractione tam à ſenſibus externis, quam internis, ſicut eſt prophetia, aut viſio merè intellectualis, licet in parte ſuperiori animæ, quoad receptionem, & quo ad iudicium recipiatur; vt tamen verbis exprimi, & alijs communicari poſſit, congruæ imagines formantur in phantaſia, ſicut explicat D. Thomas quæſt. vnic. de Anima art. 19. ad 18. propoſito enim ibi hoc dubio, *Num potentiæ ſenſitiuæ remaneant in anima ſeparata*, allatæ pro parte affirmatiua obiectioni deſumptę ex quibuſdam Sanctorum hiſtorijs, in quibus refertur, mortuos nonnunquam ad vitã reuocatos, qui quædam imaginabilia ſe vidiſſe narrabant, vt domos, cãpos, flumina, reſpondet, eorum, quæ anima ſeparata apprehendit, abſque phantaſmatibus, remanere in ea cognitionem, cum autem iterum corpori coniungitur, cum conuerſione ad phantaſmata; ideoque, quæ intelligibiliter vidit, imaginabiliter narrare.

Similiter ex eodem Sancto Doctore de Veritate quæſt. 13. art. 3. ad 4. D. Paulus poſtquam ceſſauit videre Deũ in tertio cœlo, memor fuit eorum, quę in illa viſione cognouerat, per aliquas ſpecies in intellectu ſuo remanentes, quæ erant quaſi reliquiæ præteritæ viſionis: ex quibus per applicationem

ad

ad particulares intentiones, vel formas in memoria, vel in imaginatione conſeruatas, poterat poſtmodum eorum,quę prius viderat recordari,etiam ſecundum actum memoriæ, quæ eſt potentia ſenſitiua. Lumen enim diuinum abſque imaginibus in intellectu ſuſceptum vim habet deriuandi ſuum ſplendorem in phantaſiam,ibique imagines formandi, quibus anima poſſit, quæ ſpiritualiter intellexerat, ſenſibiliter percipere. Aduertitque inſuper idem Angelicus Doctor 1. p. q. 12. art. 9 ad 2. hanc viſionem; qua res videntur per conuerſionem ad phantaſmata à lumine intellectuali excitata, aliam eſſe,ac diuerſam ab illa, qua res videntur in Deo. Vbi verò prophetia, aut viſio fit cum abſtractione à ſenſibus duntaxat externis,vt in viſionibus imaginarijs, perfectum propheticæ viſionis iudicium non in ipſa abſtractione fit, quia tunc ligatus eſt ſenſus, qui eſt principium cognitionis: ſed cum homo à ſomno, ſiue à raptu, aut extaſi excitatur, quæ prius viderat ſuperno lumine illuſtratus intelligit, & diſcernit. Non enim conſiſtit prophetia in impreſſione ſpecierum, vel ſimilitudinum obiecta repræſentantium, ſed in lumine intellectuali, per quod res ipſę dijudicantur, & diſcernuntur. Atque hinc fit, vt ſine viſione intellectuali, imaginaria eſſe non poſſit, quoniam hæc completur iudicio intellectus; & ſic vna eademque viſio imaginaria eſt, quo ad ſpecierum receptionem, & intellectualis quo ad iudicium. Magiſque etiam ad mentem diuino lumine perfuſam pertinet prophetia quam ad imaginationem rerum ſimulachra percipientem. Ita ex D. Thoma locis citatis, nec non de Verit. qu. 12. art. 12. lib. 3. contra Gentes cap. 154.nec non 2.2. q. 173.

Quarto quantum ſpectat ad prophetiæ diuiſionẽ, poteſt fieri vel ex parte ſuæ rationis formalis eſſentialiter, vel ex parte ſui obiecti materialis, vel denique ex parte medij, per quod fit repræſentatio rei prophetatæ, ſecundum magis,vel minus abſtractas,aut expreſſas ſimilitudines,& hæc duplex diuiſio vltima eſt accidentalis. Primo modo prophetia eſt vnius ſpeciei infimæ, & athomæ, nec diuiditur in alias ſpecies, quia ratio formalis eſt eadem, ſcilicet reuelatio diuina extra verbum facta, ſicut etiam lumen reuelationis fidei eſt vnius tantum ſpeciei,& ſic ait D.Thomas 2. 2. qu. 171. art. 3. ad 3. quod prophetia habet vnitatem ſpecificam formaliter. Secundo modo,ſeu ex parte obiecti materialis diuiditur prophetia in prophetiam præſcientiæ,& comminationis: nam prophetia præſcientię reſpicit res, vt abſolutè faciendæ ſunt; comminationis autem ſecundum ordinem conditionatum, & quantum eſt ex parte cauſarum ſecundarum diſpoſitarum ad ponendum effectum. Ad hanc quoque diuiſionem ſpectant diuerſi eorum gradus, quæ ſpiritu prophetico cognoſci poſſunt: primus eſt futurorum contingentium: ſecundus eorum, quæ licet ſecundum ſe cognoſcibilia ſint, latent tamen, noſtramque excedunt notitiam propter noſtram imbecillitatem, cuiuſmodi ſunt omnia fidei noſtræ myſteria, & quæ præſertim eius articuli dicuntur.

Tertius tandem illarum eſt rerũ,quę procul ſunt à cognitione quorumdam hominum, ſed non omnium, quæ cum diuinitus alicui manifeſtantur, ad prophetiam ſpectant: ſicque multi viri ſancti eo ipſo momento, quo quidpiam in remotiſsimis regionibus factum eſt, ibique notum, Deo reuelante alibi aperientes prophetare dicuntur. Ex his autem gradibus magis propriè prophetiæ nomen meretur, qui eſt notitia futurorũ contingentium,ſiue quod idem eſt, ea ſunt magis propria eius obiecta materialia. Quo enim longius ab hominum notitia res aliqua diſtat,eo magis pertinet ad prophetiam, cum nihil aliud ſit, quam rerũ occultarum reuelatio, quæ naturaliter cognoſci nõ poſſunt: ſatis autẽ patet futura contingentia,

tia, præſertim libera à noſtra cognitione remotiſsima eſſe, tum propter eorum obſcuritatem, tum quia nec in ſe ipſis, nec in ſuis proximis cauſis determinata ſunt: mirum igitur non eſt, ſi potiſsima ſunt prophetiæ obiecta, ſiue ſi magis propriè prophetæ nomine notitia illorum intelligatur.

Eodem ſenſu S. Gregorius homil. 1. in Ezechielem vniuerſum prophetiæ genus in tria diſtinguit tempora, præteritum, præſens, & futurum. Prophetia de futuro eſt, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, Iſa. 7. 14. De præterito, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, Geneſ. 1. de illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo: de præſenti cum dicitur, *Occulta cordis eius manifeſta ſunt*, 1. Corinth. 14. Qua in re propterea rectè animaduertit prætatus S. Doctor, quod rectè prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, ſed quia prodit occulta, licet prędictio venturorum ſit gradus eius magis perfectus, ac proprius, vt dictum.

Tertio denique modo, ſiue ex parte medij diſtinguntur tria prophetiæ genera, duo extrema, quæ propriè non attingunt rationem eius, ſed vel deficiunt ab illa, vel excedunt, & vnum medium, quod eſt propriè prophetia. Primum extremum infimum, & imperfectum eſt, quando aliquis agitur inſtinctu, aut inſpiratione Dei, ſed non accipit illuſtrationem diuinam, ſicut quando Sampſon fuit motus ad percutiendos Philiſtæos. Aliud extremum per exceſſum eſt, quando aliquis accipit illuſtrationem iam perfectam, vt habeat viſionem purè intellectualem circa veritates ſupernaturales, ſine viſione imaginaria, citra viſionem tamen diuinæ eſſentiæ, vt fortaſſe contingit in raptu, & pertinet ad excellētiſſimos Prophetas, ſicut ille qui dicit lib. 2. Reg. cap. 23. *Mihi locutus eſt fortis Iſrael, ſicut lux auroræ mane, abſque nubibus rutilat*. Vbi ex parte luminis ponitur claritas non ſicut Solis, qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ, ſed inferior ad illam, nimirum lux auroræ, quæ tamen excedit noctem, & obſcuritatem fidei. Ex parte autem eius quod videtur, ponitur euacuatio nubium, id eſt phantaſmatum corporalium. Medium autem genus prophetiæ eſt, quando aliquid reuelatur cum corporali, vel imaginaria viſione, hæc enim inuoluit intelligibilem veritatem velamine aliquo, vel obſcuritate, ex parte rei viſæ, quaſi lux inter nubes: & hoc pertinet propriè ad prophetiam; dicitur enim 2. Petr. 1. *habetis firmiorem propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco*: vbi caligo prophetiæ non ponitur ex parte luminis, ſeu lucernæ, ſed ex parte rei viſæ, ſeu medij in caliginoſo loco, & quaſi inter nubes. Et in hoc etiam genere prophetiæ ſunt diuerſi gradus, quia aliquando reuelatur aliquid cum ſigno corporali externo, ſicut olla ſuccenſa, & virga vigilans Hieremiæ 1. aliquando in ſola viſione imaginaria aliquid videtur, vel auditur, quantoque expreſſius, tanto eſt altior gradus, vt ſi quis vigilando videat, perfectius eſt, quam dormiendo, vel in ſomnio; idque adhuc ſi vigilando videat perſonam ſibi loquentem, vel in ſpecie Angeli, vel in ſpecie Dei, tunc enim eſt ſignum, quod magis appropinquat ad cauſam prophetiæ. Ita ex D. Thoma 2. 2. q. 174. vbi etiam oſtendit nullum ex his gradibus, aut alijs conuenire beatis, quia omnia immediatè in ipſo Deo vident. Quæſtione verò ſequenti 175. agit de raptu, quia non importat diſtinctum lumen à prophetico, ſed modum ſpecialem, quod ſcilicet fiat modo quodam eleuante cognitionem à ſuo connaturali modo, qui eſt per conuerſionem ad ſenſus, raptus enim alienat à ſenſibus ad percipienda diuina, quando eſt raptus ſupernaturalis, vt ſuperiori capite ſufficienter explicatum eſt.

Quintò tandem, & vltimo, cum certum ſit apud omnes, prophetiam, ac viſiones diſtingui in imaginarias, & intelle-

ntellectuales, valde tamen difficile eſt illas ab inuicem diſcernere. Id enim vix poteſt ex rebus, quæ ſub reuelationem cadunt, nam de rebus omnino à materia ſeparatis imaginaria quandoque apparitio eſt, & de materialibus intellectualis: neque etiam ex phantaſmatibus, quia etiam in intellectuali aliquando interueniunt phantaſmata. Ea ſiquidem eſt potentiarum animæ connexio, & ſubordinatio, vt vna alterius operationi deſeruiat, ſenſus externus interno, hic intellectui. Ipſæ quoque impreſſiones ſupernaturales in intellectu immediatè à Deo cauſatæ vix ita poſſunt in eo perſiſtere, quin ad inferiores potentias deriuentur, quatenus, vt diximus ſupra ex D. Thoma, ex veritate abſque phantaſmatum velamine aliquando cognita, ſimulachra, vel ſpecies formantur, quibus vtatur, vt alios inſtruere quis poſſit, & quæ vidit enarrare. Vndè rectè ait D. Chriſoſtomus in cap. 2. Iſaiæ, *Quæ viderunt Prophetæ, quonam pacto viderint, non eſt noſtræ facultatis exprimere: modum enim viſionis huiuſmodi nemini poſſibile eſt edifferere, præterquam ei ſoli, qui doctrice experientia perſpicuè didicit.* Idem habet D. Bernardus ſerm. 41. in Cant. Quomodo autem, aut quibus regulis, quod eſt adhuc magis arduum, Prophetia cæteræque impreſſiones diuinæ dignoſcendæ ſint à falſis, & dœmoniacis explicabitur capite ſequenti.

Vltima gratia, gratis data ad cognitionem pertinens, eſt *diſcretio ſpirituum*, quæ ſolet definiri diuinum donum penetrandi intentiones cordis tū proprij, tum alieni, illarumque originem: quod ſcilicet illæ procedant ab inſtinctu diuino, dœmonis, aut naturæ. Vel vt alijs placet illuſtratio mentis, qua perfuſus homo facilè, & ſine errore dijudicat à quo principio tum proprij, tum alieni motus, & cogitationes ad electionem pertinentes, excitentur: quid ſcilicet à bono, quid ve à malo ſpiritu ſuggeratur. Datur enim duplex ſpirituum diſcretio, vna acquiſita, quæ nimirum à Theologis per modum artis, & doctrinæ fit, de qua agemus capite ſequenti; altera autem infuſa, ſiue quæ fit ex infuſo lumine, quam inter gratias gratis datas ſeptimo loco recenſet Apoſtolus 1. Corinth. 12. quæ à Spiritu Sancto non omnibus datur, ſed quibus, & quando vult ad diſcernendos ſpiritus non ſolum in ſeipſis, ſed etiam in alijs ad communem Eccleſiæ vtilitatem, de qua modo eſt ſermo. Aduertendū eſt autē primò, iſtud iudicium, per quod ſpiritus diſcernuntur, ſiue dono ſpecialis gratiæ fiat, ſiue per modum artis, & doctrinæ, non eſſe omnino certum, & infallibile, niſi adſit expreſſa reuelatio; vnde qui hoc modo diſcernit ſpiritus, non eſt etiam certus, Deum eſſe, qui ipſum mouet ad ita iudicandum, nec id alteri proponit, vt de fide credendum; fitque aliquando non ſolum, vt iudicium certum non proferat, ſed decipi poſſit, vt diximus ſupra ex D. Gregorio Magno Prophetis etiam contigiſſe. Quia tamen Spiritus Sanctus ſpeciali non mouet inſtinctu, niſi ad id, quod reipſa verum, ac certum eſt, poteſt hoc iudicium infallibile dici ex parte principij mouentis, ac proindè materialiter certum: quamuis in eo, qui iudicat nulla ſit certitudo formalis, quia vel ignorat, vel ſaltem dubitat, an illud iudicium ex motione, & directione Spiritus Sancti procedat. At ſi ſemel adſit expreſſa cogitationum cordis reuelatio, cuiuſcunque modi illa ſit, aderit procul dubio certitudo, firmus ſcilicet aſſenſus, & firma adhæſio intellectus ad obiectum; vt enim etiam ſupra diximus ex D. Thoma 2. 2. qu. 171. de prophetia art. 5. dupliciter mens Prophetæ à Deo inſtruitur, vel per expreſſam reuelationem, vel per occultum inſtinctum, quem interdum humanæ mentes etiam neſcientes patiuntur, vt ſcribit Auguſtinus: & in hoc nulla eſt certitudo. Quæ verò expreſsè reuelata ſunt maximam habent certitudinē, & quo ad reuelata, & quo ad ipſam

reue-

reuelationem. Hinc Abraham paratus fuit ad filium ſuum vnigenitum immolandum, quod nullatenus feciſſet, niſi certò, & euidenter cognouiſſet id ſibi à Deo reuelatum, & præceptum fuiſſe. Et ſic de alijs pluribus eximiæ Sanctitatis viris, quibus hoc donum inſigniter conceſſum fuiſſe legimus.

Secundò notandum eſt, ita omnem gratiam gratis datam, etiam in malis reperiri poſſe, quia ex primario, & intrinſeco fine non ad propriam ſanctificationem, ſed ad aliorum ędificationem tribuitur, & ordinatur, vt tamen hæc gratia diſcretionis ſolis iuſtis, & mundis ineſſe, non incongruè affirmari poſſit; ſi enim conſideremus bonitatem morum ſecundum paſſiones animi, & actiones externas, dubium non eſt, ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 172. art. 4. quin per morum malitiam donum diſcretionis impediatur. Siquidem infuſio luminis ſupernaturalis ad illud neceſſaria mentis tranquillitatem, & internam pacem deſiderat, quæ in animo vitijs obnoxio, terreniſque affectibus perturbato locum non habet; quique ſpiritu Dei pleni ſunt, hi ſoli quidquid Dei eſt protinus percipere ſolent. Tantumque ſit de hac gratia, de qua Eminentiſſimus Cardinalis Bona æterna dignus memoria, verè aureum paulò antequam moreretur conſcripſit librum omninò videndum; ex quo nonnullos etiam floſculos hic nos collegimus.

In ſecundo gratiarum gratis datarũ genere ad locutionem pertinente continetur 1. *ſermo ſapientiæ*, definitus data diuinitus facilitas explicandi altiora fidei myſteria; eorumque ordinem, modum, ac rationem ſecundum ſupremas cauſas, apto ad perſuadendum ſermone. 2. *Sermo ſcientiæ* pariter definitus diuinitus data facilitas explicandi res fidei, & morum apto ſermone, ad captum rudium per exempla, rationeſque humanas. Qui ſermo ſcientiæ, ab Apoſtolo Hebr. 5. comparatur paruulorum lacti; ſermo autem ſapientiæ, adultorum ſolido cibo: *Facti*, inquit, *eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Perfectorum eſt ſolidus cibus.* Sicque vniuerſim gratia ſermonis eſt, qua aliquis habet efficaciam ad perſuadendum, tum quoad inſtructionem intellectus audientis, tum quo ad mouendum affectum, vt libenter audiat, & amet ea, quæ proponuntur. Ad quod non requiritur ſuperaddi nouum habitum cognoſcitiuum, ſed ſolum ſic moueri hominem in loquendo, vt benè proponat, & audiatur, & ſic perſuadeat. Ita ex D. Thoma 2. 2. qu. 177. 3. continetur gratia, vel donum *linguarum*, de quo agit D. Thomas quęſt. præcedenti, quia licet quoad ſubſtantiam ſit aliquid naturale, nimirum diuerſa idiomata callere, quoad modum tamen poteſt eſſe ſupernaturale; vel quia infunditur à Deo, & non acquiritur, ſicut aliæ ſcientiæ naturales, ſiue naturaliter acquiſibiles poſſunt per accidens infundi; vel quia loquente aliquo propria lingua, fit diuinitus, vt intelligatur ab hominibus alterius linguæ; vel etiam quia ille, qui loquitur poteſt alios ſuis linguis loquentes intelligere. Quia autem conuenientius priori fit modo, propterea hæc gratia communiter definiri ſolet, diuinum donũ loquendi diuerſis linguis. Quarta tandem gratia ad locutionem ſpectans, *Interpretatio ſermonum* dicta, eſt diuinum donum facilè exponendi ea, quæ ab alio prolata ſunt lingua peregrina, aut vernacula obſcura.

Tertium denique genus complectitur operationem virtutum, ſub qua continetur *gratia ſanitatum*, quæ definitur diuinitus data facultas curandi morbos, etiam ſine fidei excellentia magna; item gratia patrandi miracula, quæ definitur poteſtas patrandi miracula maiora, ſiue à potentia naturali remotiora, & à morborum ſanitate diſtincta; quamuis etiã ſub iſta contineri poſſit gratia ſanitatum, quia etiã miraculosè ſanat. Ad patranda autẽ miracula nõ datur puro homini. al. quæ gratia

tia habitualis, quia nulla poteſtas creata per modum cauſæ principalis, & ad ſuum libitum poteſt operari ſupra totum communem curſum naturę immutando res ipſas, ſed Deus vtitur, tanquam inſtrumento, aliquo actu interiori, vel exteriori hominis ad faciendas tales immutationes in confirmationem fidei, & vtilitatem Eccleſiæ, nec non, vbi à Sanctis patrantur in teſtimonium, vel argumentum Sanctitatis ipſorum. Ita ex D.Thoma 2.2. qu.178. viderique poſſunt, quæ de miraculis diximus tomo 5. huius operis 1.p. agẽdo de motiuis noſtræ fidei. Et hæc ſufficiant pro inſtituti noſtri ratione de gratijs gratis datis, quarum fuſior tractatio videri facilè poteſt apud authores, qui expreſsè de illis egerunt.

CAPVT VI.

De regulis, quibus vniuerſim veræ, ac diuinæ impreſſiones dignoſci poſſunt à falſis, & diabolicis.

QVo dœmones ſe in Angelos lucis ſæpè transformantes, diuinaſque operationes æmulantes fraudulentius homines etiam pios, & ſanctos decipere conantur innumeris imaginationis figmentis, ſenſuumque externorum illuſionibus, tantò diligentius, ac ſollicitius Magiſtri ſpirituales ſemper nos varias edocere ſtuduerunt regulas, aut ſigna ex Diuinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum præſcripto, quibus nos contra omnes diaboli inſidias præmunirent, falſaſque eius impreſſiones, à diuinis, & ſupernaturalibus diſcernere poſſemus. Quia autem huiuſmodi diſcretio dupliciter fieri poteſt; Primo ex lumine diuinitus infuſo, quod pertinet ad gratiam gratis datam, cui ſi accedat diuina reuelatio, omnino certum, & infallibile eſt, abſque alia regula, eius iudicium, vt breuiter attigimus ſuperiori capite, Secundò Theologicè, ſeu per modum artis, & doctrinæ, examinatis ſcilicet ſupradictis regulis, aut ſignis; de hac diſcretione agimus in præſenti, quæ licet directè, & immediatè ad gratiam gratis datam non pertineat, ad eam tamen reducitur, quatenus præceptis vtitur, ac regulis, diuinæ Scripturæ innixis, quæve viri ſapientiſſimi præter ſcientiam, & naturale iudicium ſpiritu etiam veritatis cælitus imbuti in ſuis lucubrationibus reliquerunt. Quamuis autem ex his certum omnino, & irrefragabile iudicium ferri ſemper non poſſit, moralis tamen, ac prudentialis certitudo illi non deeſt, ſi ritè iuxta rei propoſitæ naturam diligenter examinentur, imploratoque humiliter diuino auxilio, reſpicit enim Deus animam humilem, & ſi impreſſio ab ipſo eſt, nunquam permittet, vt eius veritas elidatur, ſi verò falſa, & à malo ſpiritu, quod præualeat. Pręcipuas igitur ex his regulis in hoc capite colligemus claritatiſque gratia ad certas claſſes reducemus:

Prima erit earum, quæ ſe tenent ex parte ſubiecti, ſiue illorum, qui tales impreſſiones patiuntur. Nam attendendum eſt *primò* num ſint fœminæ, quæ in hac re capaciores ſunt deceptionis, tum ex naturali earum complexione, quæ cum ſit humidior, ac vehementiæ paſſionum, & affectuum magis obnoxia, & ipſæ ratione minus polleant, vnde plerumque putant ſe videre quæ cupiunt, oririque à veritate, quod ab animi paſſionibus prouenit, non eſt difficile dœmoni eas primum decipere, & per eaſdem alios, etiam doctiſſimos viros in errorem inducere. Quocirca D.Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem ait, omnes hæreſes mulieccularum ope, aut inuentas, aut diſſeminatas fuiſſe. Tum ex nimia, qua ſibi perſuadent credulitate, ſe diuina pati, ob quemcumque deuotionis motum, vel affectum. Tum denique ex affectata Sanctitate, quæ eſt vna ex pręcipuis fœminarum tentationibus, cui plures varijs temporibus

miſerabiliter ſuccubuiſſe, pluſquam ſatis patet ex varijs hiſtorijs. Quamobrem in diuinis impreſſionibus ab alijs diſcernendis diligenter in fœminis conſideranda eſt tum naturalis, tum moralis earum diſpoſitio, an ſint vagæ, garrulæ, impatientes, ſuperbæ, auaræ, an aliquam vel minimam impudicitiæ notam, aut ſuſpicionem præbeant, ſeque contra præceptum Apoſtoli in officium docendi, & prædicandi vltro ſe ingerant, & non iuſſæ; & ſic de ſimilibus.

Secundò, licet in fœminis diligentius, in viris tamen non omittenda eſt conſtitutionis corporalis exploratio. Etenim facilè decipi poſſunt, qui melancholici ſunt, vel atra bili abundant, quæ deprauare phantaſiam ſolet, variaſque imagines turbatis ſenſibus immittere, adeo vt vigilantes ſibi ſomnia fingant, atque ea ſe videre, & audire putent, quæ tamen re vera nec viſu, nec auditu percipiunt: Idem nonnunquam contingit parum firma valetudine vtentibus, nec non ijs, qui turbidæ, ac vehementis ſunt imaginationis. Ex longa pariter inedia, crebriſque ieiunijs, ac immoderatis vigilijs, exſiccato cerebro, diſſipatiſque ſpiritibus inania phantaſmata plerumque repræſentantur, quibus illuſam mentem tanquam diuinis reuelationibus pertinaciter adhærere ſatis freqnens teſtatur experientia.

Verùm multò magis adhuc tam in viris, quam in fœminis diuinas impreſſiones patientibus refert examinare diſpoſitionem eorum moralem: vtrũ nimirum ſtudio virtutum, & orationis ſedulò incumbant. Carnem ſuam macerent; gaudeant in tribulationibus, infirmitatibus, & oblocutionibus, vel murmurationibus de ſeipſis; ſolitudinem ament, abhorrentes ab hominum conuerſatione, & ab omni prorſus rerum terrenarum affectu. Item vtrum viuant proprio arbitrio, vel ſub obedientia Magiſtri ſpiritualis. Vtrum dociles, diuinæ ſiquidem impreſſiones, vel inſtinctus animam docilẽ reddunt, aliorumque ſententiæ, & conſilijs, ſeniorum præſertim, & ſuperiorum acquieſcentem, iuxta illud Iſaiæ 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij*. Nec refert, quod qui docent, & dirigunt, aliquando minus docti, & prudentes ſint, quam par eſt; nam ſicut ait Ioannes Climacus gradu 26. *Deus non eſt iniquus, vt animas, quæ per fidem, & ſimplicitatem alterius ſe conſilio, & iudicio humiliter ſubijciunt decipi patiatur*. Quare dicentes ſe alieno iudicio non credere, quia de ſuo certi ſunt per occultam Dei reuelationem facilè decipi poſſunt, valdèque ſuſpectæ eſſe debent, quas patiuntur impreſſiones. Ne enim decipiamur, ordinariè omnis noſtra motio ad Superiorum, ac peritorum examen, & iudicium referri debet. Propterea que Chriſtus admonuit nos Lucæ 11. vt caueamus, ne lumen quod in nobis eſt tenebræ fiant; hoc eſt ne mens, quæ docilitate, & obedientia comitantibus pro lumine nobis eſt, proprij iudicij tenebris, veluti caligine offundatur. Monitum quoque Sapientis eſt Prouerb. 3.5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Vndè rectè Caſſianus collat. 2. cap. 11. ait: *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum neglectis conſilijs ſeniorum in ſuo iudicio perſuaſerit, ac definitione, doctrinaue confidere*. Et meritò, vt ſcribit S. Bernardus ad Ogerium epiſt. 87. *Quia qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*.

Demum in perſona, cui facta reuelatio dicitur, attendendum eſt, an ſolida, & profunda humilitate prædita ſit, vera enim reuelatio, verùſque in nobis regnans Dei ſpiritus humanæ miſeriæ, & imbecillitatis agnitionem, atque adeo perfectam humilitatem parit, & vt S. Macharius Ægyptius ait homil. 10. *Anima, quæ verè Deum, ac Chriſtum diligit; licet mille iuſtitiæ opera ediderit; licet dona Spiritus varia, aut etiam reuelationes cæleſtes conſequi digna habea-*

habeatur, ita ſe gerit, ac ſi nihil fecerit, & nihil haberet propter immenſam, & inſatiabilem dilectionem. Sic Iſaias eum cap. 6. vidit Deum ſedentem in ſolio excelſo, protinus ſe virum pollutum labijs confeſſus eſt: Ieremias quoque cap. 1. cum ſe à Domino ſanctificatum percepiſſet, ſe infantem, & elinguem prædicauit; & ita de alijs multis. Quia autem aliud eſt ſuperbiam humilitati oppoſitam ex reuelatione in eo illam habente oriri, aliud poſt reuelationem ad eam diabolica fraude moueri; aduertendum eſt primum quidem falſæ reuelationis argumentum eſſe, alterum nequaquam, cum ille præſertim, qui ad elationem excitatur, fortiter hoſti reſiſtit; ſatis enim experientia patet aliquando ſanctis, & diuinis impreſſionibus, vel vitio naturæ, vel fraude dæmonis errores, & vitia immiſceri, ſicut ratio nonnunquam ſub veris principiis falſas efformat aſſumptiones.

Tertiò, licet manus diuina non ſit alligata, ſpiretque vbi vult diuinus ſpiritus, quia tamen paulatim ab imo ad ſummum, & ab imperfecto ad perfectum perducit: ſolet etiam ætatis, & perſonarum rationem habere; aliam enim ſapientiam ſeni, aliam adoleſcenti, aliam incipientibus, aliam perfectis, aliam ei, qui alijs præeſt, aliam ei, qui paret, & ab alterius imperio pendet, impertit: Dæmon autem ex aduerſo nullum ordinem ſeruat, ſtatim ſugerendo mentis exceſſus, miracula, prophetias, vt hac ratione illaqueatas, rerumque nouarum ſtudio illectas animas in ſuperbiæ barathrum ſecum præcipitet: Item feruores intempeſtiuos ſuadendo, quibus nimia abſtinentia, ac immoderatis vigilijs, aliiſque cruciatibus corpus penè conficiant; vndè poſtea viribus fractis, mentiſque vigore eneruato in ſummam relaxationem labuntur: Propterea hæc omnia diligenter obſeruanda ſunt pro dignoſcendis veris, ac diuinis, à falſis impreſſionibus. Tum quia primæ ordinariè concedi nõ ſolent niſi iam perfectis, & in omni genere virtutum heroicè exercitatis. Tum quia Incipientes, cum ſpiritu adhuc ſint debiles, rerum diuinarum meditationi, cui aſſueti non erant, ſtudioſius incumbentes, ita plerumque illarum nouitate, & ſuauitate afficiuntur, vt reliquorum omnium obliti extra ſenſus ſuſtolli videantur, arcanaque Dei audire, quamuis ita non ſit.

Quartò non deſunt, qui velint etiam attendi, an, qui extraordinarias habet impreſsiones, ſit pauper, vel diues? quatenus in pauperibus ſictio, in diuitibus ambitio timenda eſt: Item ſit ne ſenex, an puer? quatenus ſenes exhauſtis viribus ſæpius delirant; pueri verò, qui cerebro humidiori ſunt, facilè commouentur, & falſa pro veris apprehendere ſolent.

Quintò denique non omittenda eſt aliarum impreſſionum, ſi quæ in aliquo præceſſerunt, conſideratio, verum nimirum verè à Deo fuerint, an à peritis approbatæ: an vnquam diabolus eum deceperit, vel decipere tentarit. Cumque ſecuriores cæteris ſint illæ impreſſiones, vel inſtinctus, quibus voluntas mouetur, nulla præcedente imaginationis, vel intellectus operatione naturali, & conſuetò fieri ſolita; quod contingit, quando intellectus eo ipſo puncto, vel momento illuminatur, quo voluntas impellitur, id etiam obſeruandum eſt; ſi quidem ex D.Thoma 1.q.-q.111. art. 2. & communi Theologorum ſenſu, mouere, & immutare voluntatem ſolius Dei eſt, qui poteſt eam efficaciter inclinare quocumque voluerit: ab exteriori enim, & inefficaciter moueri tantum poteſt ab Angelo ſiue bono, ſiue malo, vel proponendo obiectum, vel concitando paſſiones.

Secunda claſſis continet eas regulas, quæ ſe tenent ex parte obiecti. Quarum *prima* eſt, conſenſus rerum reuelatarum cum ſacris litteris, cum diuinis, & Apoſtolicis traditionibus, cum moribus, & definitionibus Eccleſiæ: dicente Apoſtolo ad Galath. 1.8. quod ſi Ange-

Angelus de cælo euangelizet nobis, præter id quod accepimus anathema ſit. Quapropter ſi aliquid, vel minimũ in reuelationibus reperiatur, quod his aduerſetur, tanquam mendacium, & illuſio reijcienda eſt. Sicque Diuus Epiphanius hæreſ. 48. Maximillæ reuelationibus credendum non eſſe affirmabat, quia ſacris litteris non conſonabant. Deindè cum Sapientia à Deo reuelata, ſiue vt ait D. Iacobus cap. 3. *Quæ deſurſum eſt Sapientia primum pudica ſit*, deinde *pacifica*, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, nõ iudicans, ſine ſimulatione. Vt quæ habet has conditiones, & ad has virtutes excitat reuelatio, non poteſt non eſſe à Deo, ita per oppoſitum à maligno oritur ſpiritu, quæ ad lites, & contentiones, ad curas ſæculi, ad vanitatem, ad pertinaciam, aliaque ſimilia impellit. Vide Bernard. ſer. 23. de diuerſ.

Secunda, Internas cogitationes, & cordis ſecreta nullo exteriori ſigno manifeſtata intelligere, & pandere, argumentum eſt diuinæ reuelationis, cum ſolus Deus penetret corda hominum, & quæ in ipſis latent ſeruis ſuis reuelet. Quia autem quæ à nobis remota ſunt, & longius diſſita, plura item occulta, & arcana poſſunt etiam dœmones cognoſcere, tunc aliquale erit argumentum diuini ſpiritus, & impreſſionis, ſiue ea diuinitus ſciri, ſi certum habeatur experimentum de illius, cui reuelantur, perfecta charitate, & humilitate; nam ſi tali cognitione foueretur inanis gloria, & curioſitas, dubium non eſſet, quin à diabolo proueniret.

Tertia. Impreſsio, vel inſtinctus ad bonum, in quo nihil mali appareat, nec quod maius bonum impediat, aut agēti, eiuſque ſtatui conueniat, non leue eſt indicium diuini ſpiritus impellentis. Quia tamen bonum eſt ex integra cauſa, nec ita facilè comprehenditur, quæ ſit exacta, & perfecta operis rectitudo; deindè ſæpè motus ab initio boni in ipſo progreſſu, vel naturæ corruptæ vi, vel dæmonis impulſu in malum degenerant. In hoc diligentiſſimum adhibendum eſt examen, an ſcilicet omnes circumſtantiæ in ipſum bonum conſentiant, an principium, medium, & finis eodem tenore procedant. Qua ratione dicitur in lectionibus officij S. Matris Thereſiæ, eam Chriſto conſiliante, maximè arduum votum emiſiſſe efficiendi ſemper quicquid perfectius eſſe intelligeret.

Quarta. D. Benedicto cap. 7. regulæ octauum humilitatis gradum in hoc conſtituente, *Si nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla*; & antiquis propterea Monachis apud Caſsianum lib. 1. inſtit. cap. 3. vnanimiter ſentientibus, vitam ſingularem noxiam eſſe, magiſque vanitatis ſpeciem, quam virtutis præ ſe ferre. Quod patet tum ex ſuauitate diuinæ prouidentiæ, quæ viam communem inſtituit in vnoquoque ſtatu pro ſalute omniũ. Tum ex malitia diaboli, qui ad res nouas, curioſas, & inuſitatas inſtigat, quæ admirationem afferant, & Sanctitatis opinionem concilient, vt à ſolidarum virtutum exercitio remoueat, & inducat in vanitatem. Tum ex prauitate noſtræ naturæ, qua peculiaribus exercitijs ſupra reliquos cupimus apparere, & non eſſe ſicut cæteri homines. Tum denique ex conditione ipſarum naturarum ſingularium, quæ eum raræ ſint, minus cognoſcuntur, ideoque illuſionibus, ac deceptionibus ſubiectæ ſunt. Vt ſtare ſuper ſtationem ſuam operarique indefeſsè ad exempla maiorum, conuenientia ſtatui, & ordini, in quo quis à Deo poſitus eſt, clarum eſt indicium diuinæ impreſsionis, ſeu ſpiritus boni deducentis eum in terram rectam. Ita per oppoſitum redolentia ſingularitatem plerumq; diabolici inſtinctus ſunt effectus, indubitatè autem, ſi aliquam ſuperſtitionem inuoluant. Quia tamen tam ex ſacris litteris, quam ex hiſtorijs Eccleſiaſticis

conſtat

conſtat etiam ſpiritum Dei mouere ad aliquas res mirabiles, & ſingulares; quæ communem operandi modum excedunt, ſiue transgrediuntur terminos quos poſuerunt patres noſtri: ſicut præceptum fuit Abrahæ, vt filium immolaret: Iſaiæ, vt nudus per vicos, & plateas ciuitatis ambularet: Eliæ inſpiratum, vt ignem è cælo peteret, quo quinquaginta viri conſumpti ſunt: duobus verò Stilitis Danieli, & Simoni ad vitam in columnâ degendam, & ſic de alijs; non idcircò huiuſmodi inſtinctus, nullum alias inuoluentes malũ ſtatim damnandi ſunt, ſed pro diuinitus inſpiratis, & reuelatis habendi, ſi vocati ad ſimilia excellenti ſanctitate emineant, ſemperque in ea magis proficiant heroico virtutum internarum exercitio.

Quinta. Qui ſe per viſum roſeo ſerto redimitos à Chriſto, vel à Beatiſsima Virgine, vel etiam Angelis aſſerunt, aut annulo, vel torque inſignitos, niſi ſanctiſsimæ vitæ ſint, qua ſolum præditis leguntur conceſſæ ſimiles gratiæ, reijci debent tanquam propriæ imaginationis figmento, aut diabolica fraude decepti. Idemque ſentiendum eſt de ſtigmatibus, quæ arte dœmonis fingi poſſe aliquot exemplis manifeſtum eſt.

Sexta. Quamuis ſomnia diuerſas habeant cauſas intrinſecas, & extrinſecas; maxima autem illorum pars ex varia, & incompoſita ſpirituum animalium, ſpecierumque ſenſibilium per cerebri anfractus vagantium agitatione, temerariaque, & fortuita occurrentia eueniat, atque adeo nihil ſignificent, nec vllam cum futuris connexionem habeant; vndè Scripturæ Sacræ nullam eorum rationem haberi volunt Leuit. 19. & Deuter. 18. Quia tamen ex iiſdem Scripturis multas diuinas impreſſiones, ſeu reuelationes in ſomnijs contigiſſe habemus; vt, quę inutilia, ſuperſtitioſa, vana ſuggerunt: quæ tetra, horribilia, obſcęna, ridicula, & monſtruoſa repręſentant, vel ad malum quocumque modo prouocant; aut etiam quibus futura prędicuntur, quæ poſtea ex euentu falſa dignoſcuntur, vel à natura, vel à dœmone eſſe euidens eſt: ita per oppoſitum, ſi, quæ per ſomnium innoteſcunt, eius generis ſint, vt nonniſi à Deo reuelari poſsint; cuiuſmodi ſunt arcana cordium, intimæ cogitationes, futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, & quęcunque hominum cognitionem excedunt: niſi fortè talia fuerint, quæ diabolus ex coniecturis, vel aliundè ſcire poſſit, huiuſmodi ſomnia diuina eſſe certum eſt. Aduertendum eſt tamen, ſomnia diuina, eaque præſertim, quæ futura pręſagiunt, rariſſima eſſe, & nonniſi ob aliquam inſignem cauſam, quæ ad publicam vtilitatem ſpectet, immitti ſolere. Cum autem in modo, quo contingunt ſomnia etiam diuina, magna ſit diuerſitas, nam aliquando placidiſſimè, aliquando cum ingenti corporis, & animi commotione, atque horrore efficiuntur. Aliquando datum eſt alicui ſomnium, ſed non eius intelligentia, ſicut Pharaoni, & Nabuchodonoſor, aliquando vtrumque, ſicut prophetis, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 173. & ſic de alijs; indè eſt, quod tutiora, & certiora diuinorum ſomniorũ indicia deſumenda ſunt ex ipſis rebus in ſomnio oſtenſis, ac reuelatis.

Septima. Quia veritas prophetiæ in reipſa à Deo reuelata conſiſtit, non in eius intelligentia: ſemper enim verum eſt, quod ſumma, & incommutabilis veritas dicit, quamuis ab homine non intelligatur: neque repugnat quod reuelatio ſit vera, & à Deo, eius autem intelligentia, & explicatio falſa, & ab homine, qui eam aliter, quam Deus intelligat, interpretetur. Cuius rei celeberrimum habetur exemplum in vita S. Bernardi lib. 3. cap. 4. circa indictum ab eo bellum ſacrum, cuius expeditio licet tot miraculis confirmata, infelicem tamen ſortita eſt exitum: nam tanta hominum multitudo, quæ certam ſibi pollicebatur victoriam, diſsipata eſt, & vincentibus infidelibus iuſto Dei

iudicio

iudicio Chriſtiani milites interierunt: Vnde conſtat, aliud hominum, aliud Dei conſilium fuiſſe: nam Deo iubente,& voluntatem ſuam miraculis ſignificante exercitus Chriſtianorum congregatus eſt; ſed homines, qui terrena ſapiunt, gloriam, diuitias, & regni Hieroſolymitani recuperationem præſtituerant; Deus verò æternam eorum ſalutem, qui in illa expeditione pro fide, & pro Eccleſia perempti ſunt. Prout Ioannes Caſemarij Abbas ſcripſit ad S.Bernardum epiſtola 133. Ita, inquam re ſe habente, quod prophetia, aut reuelatio vera ſit, & diuina, certique etiam ſimus de illa, ſed vera eius ſignificatio, reique euentus lateat, ſicut accidit in prædicta expeditione, cui annumerari poſſunt quorumdam Sanctorum prophetiæ, & reuelationes de futura Eccleſiæ reformatione, quæ hactenus nullum effectum habuerunt, vel quia tempus à Deo ſtatutum nondum aduenit, vel quia malitia hominum illis obicem poſuit; id quoque diligenter aduertendum eſt in diſcernendis diuinis reuelationibus, nec propterea tales dici non debere, quod veram earum ſignificationem homines ignorantes falsò illas explicent, vel aliter, quam Deus intelligat, aliquando interpretentur.

Octaua. In viſionibus corporeis, ſi forma corporis indecens, & geſtus parum modeſti exhibentur: ſi animus turbatus oſtenditur, vultus tetricus, deformis, & iratus: ſi vox ſtridula, confuſa, obſcura, ignota auditur, aliaque ſimilia percipiuntur, manifeſtum eſt dœmonum ſpectra eſſe. Cum autem humana forma omnibus ſpectris communis ſit, ſi atra, deformis, mutila, & inuſitata ſit, malum ſub ea ſpiritum latere demonſtrat. Suſpecta etiam habenda eſt quælibet viſio, aut apparitio ſub ſpecie mulieris, niſi Beatę Virginis, & Sanctarum ſit, quæ adhuc examinanda eſt, transfigurante ſe quoque dæmone aliquando in illas. Tandem forma bruti, vel monſtri nonniſi diabolo conuenit, quemadmodum & rugitus, grunnitus, ſtridores, clamores, tumultus, voces inarticulatæ, blaſphemiæ, imprecationes, conuitia, aliaque ſimilia.

Nona. Valdè ſuſpectæ eſſe debent omnes impreſsiones, ac reuelationes, quibus illa reuelari frequenter maximè dicuntur, quæ nonniſi raro manifeſtari ſolent, & quæ ſcire non expedit, cuiuſmodi ſunt certitudo ſalutis, vel æternæ damnationis, confirmatio in gratia, gradus Sanctitatis ad quem aliquis peruenit, & alia eiuſdem generis. Sic S. Gregorius lib. 6. epiſt. 22. cuiuſdam nobilis mulieris ſcire cupiẽtis, an peccata ſua eſſent dimiſſa curioſitatem reprehendit. At ordinariè falſæ ſunt, quando in illis manifeſtantur occulta aliorum peccata, quæ ſcire nihil prodeſt; ſi pręſertim ad ea euulganda abſque vlla vtilitate publica, vel priuata quis impellatur; quod ſi alicui detegantur, vt peccatorem arguat, aut indè quid reſultet ad gloriam Dei, bonumque ſpirituale aliorum, ſubſiſtere nihilominus debet, & correctionem facere, & peccata manifeſtare, donec præmiſſo diligenti examine, adhibitoque peritorum conſilio, & iudicio, certò cognoſcat à quo ſpiritu ſit illa reuelatio, & motio.

Tertia claſsis eas complectitur regulas, quę ſe tenent ex parte operum, vel effectuum. Dicente enim Domino Matth. 7. *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, cuius dicti rationem reddens ait: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, latentes hominum motiones, vel impreſſiones, melius à quonam ſint principio bono, vel malo dignoſci non poſſunt, quam ab effectibus, aut inde ſecutis operibus.

Prima igitur regula ſit, ſedulò vniuerſim reſpicere, num actiones, ad quas homo ſe impelli ſentit, non ſolum ſint in ſe bonæ, & conformes pręceptis Dei, & Eccleſiæ; verum etiam an ſint conformes gratiæ, & lumini, aliiſ-

aliјſque diuinis perceptionibus, quibus ille à Spiritu Sancto agitur, & pertrahitur; ſitque in illis ſtabilis, & immobilis; talia enim ordinariè boni ſpiritus ſunt indicium; peruerſi autem, cum mens perpetuò fluctuans eſt, infirmaque adhuc, & inualida ad ardua, & excelſa conſcendere nititur, cum vix in imo ſit.

Secunda. Aliquid mirabile, & præter conſuetum ordinem experiri, & tamen id non pro certo habere, ſed potius timere; ideoque libentius cum illis agere, qui minus creduli, & magis timidi ſunt; talia non ſolum non petere, aut deſiderare, vel complacentiam in illis non habere, ſed magis ſe indignum illis æſtimare, precarique Deum, vt ad perfectionem via conſueta conducat: illa humiliter ſuperiori aperire, aut cum viris doctis aperire, aliaque ſimilia, quæ à S. Matre Thereſia præſtita fuiſſe legimus in eius vita, ſunt effectus quaſi certi; atque adeo indicia, & argumenta boni ſpiritus, diuinarumque impreſſionum, mali autem ac peruerſi omnia illis aduerſa.

Tertia. Ita heroicum virtutum omnium exercitium eſt certum diuinarum in his, qui illas patiuntur, impreſſionum ſignum, vt tamen Sancti principaliter id charitati, humilitati, miſericordiæ, & pietati erga proximũ, eo etiam tempore, quo iuſtitia in illum exercenda eſt, attribuant. De quo videri poteſt D. Auguſtinus tract. 8. in epiſt. 1. Ioann. D. Gregorius homil. 34. in Euang. nec non D. Bernardus ſerm. 49. in Cant. docens tamen, *quod vbi feruidior, & vehementior eſt ſpiritus, profuſiorque charitas, eo vigilantiori opus ſcientia eſt, quæ ſpiritum temperet, ordinet charitatem, &c.* vnde quædam mulier deuota apud Gerſonem de ſimplific. cordis not. 19. dicebat: *Nihil mihi magis ſuſpectum, quam amor etiam erga Deum*: Quatenus, quo amor vehementior eſt, eo facilius præcipitat, & difficilius regitur.

Quarta. Vt ad res tantùm externas impelli, quæ videantur ab hominibus, interna reformatione relicta, eſt ſignũ certum diabolicæ ſuggeſtionis; valdè autem dubium ad regimen animarum incitari. Ita ex aduerſo iſtud fugere, omneſque dignitates, niſi obedientia, cui reſiſti non poteſt aliud ſuadeat; nec opera grandia, & mirabilia aggredi, niſi prius poſito propriæ perfectionis, ſolidæque humilitatis fundamento; diuinam arguit impreſſionem. Siquidem Deus, cum opera grandia, & mirabilia alicui inſpirat, & ad ea mouet, à ſpiritu interno incipere ſolet, replendo animam præclaris donis.

Quinta, licet interdum contingat in diuinis impreſſionibus, quod gratiæ, & conſolationes ſpirituales ad corpus, & ſenſus redundent, iuxta illud Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Quemadmodum enim tabeſcere ſolet corpus, cum triſtatur anima; ita etiam interiori dulcedine per redundantiam ſenſus afficiuntur. Huiuſmodi tamen ſuauitas, aut dulcedo, non ſunt certum ſemper diuinarum impreſſionum argumentum; quin potius ſunt ſubiectæ illuſionibus, & ſeductionibus malignorum ſpirituum, indeque forſan Illuminatorum, ac Begardorum ſordes, & turpitudines originem habuerunt. Vndè etiam placet hìc repetere, quæ iam ſuperius ſuo loco adduxi ex Diuo Bonauentura de proceſſu religioſo tract. 7. cap. 18. *Quidam*, inquit, *decepti à ſeductorijs ſpiritibus, vel proprijs falſis opinionibus putant ſibi apparere Chriſtum, vel eius glorioſam Genitricem, & non ſolum amplexibus, & oſculis, ſed etiam alijs indecentioribus geſtibus, & actibus ab eis demulceri, vt ſicut ſpiritus ipſorum interius ab ipſis conſolatur ſpiritualiter, ita & caro exterius ſibi congruo oblectationis ſenſu conſoletur; quod non ſolum eſt falſum, ſed etiam blaſphemia grauis eſſe comprobatur.* Tum addit: *De his verò, qui cum aliquando dulcedinem ſpiritualem ſentiunt, continuò etiam carnalis delectationis prurito*

ille-

illectі fœdantur, neſcio quid iudicem, niſi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti ſordibus legere deberem. Et ſicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque in huiuſmodi ſpiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur, ita excuſare eos neſcio, qui tali fluxu ex conſenſu delectantur, cum qualiſcumque eorum intentio videatur. Potius igitur cum ex peccato originali ad ſenſuum delectationem proni ſimus, illa bona cenſenda eſt impreſſio, quæ à voluptatibus retrahit, & ad laborem, ac crucem trahit. Sic D. Paulus 2. Corinth. 12. ait: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto*. Et Diuus Bernardus ſerm. 25. in Cant. *Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non eſt*. Vnde ſi quando permiſit Deus aliquos Sanctos, & Sanctas carnaliter tentari, vt in eorum actis legitur, id non fuit, vt vel minimã inde perciperent ſenſus oblectationem, verum ad agonem, ad maiorem eorum deſolationem, & afflictionem, indeque animæ purgationẽ.

Sexta. Quæ in impreſſionibus excitantur lachrymæ non arguunt, ſemper eas eſſe à Spiritu Sancto; cum alij ſint fontes vndè promuntur. Primò enim ex tenera, & molli natura, quæ facilè mouetur ad commiſerationem, profluere poſſunt, taleſque vt plurimum ſteriles ſunt, & cito areſcunt. Secundo aſtu dœmonis commouentis humores naſci quoque poſſunt, eoque tendunt, vt ad hypocriſim, & ſuperbiam, ac tandem extremam perniciem inducant. Sicque ſępe dœmones peccatoribus facilitate flendi illudunt, vt inde falſam concipiant fiduciam non defuturę ſibi in extremo vitæ contritionis. Quæ autem ſunt à Spiritu Sancto, qui vt ait Apoſtolus poſtulat, hoc eſt poſtulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, quod eſt donum lachrymarum à Sanctis Patribus tantopere commendatũ, in hoc ab alijs diſtinguntur ex D. Gregorio lib. 5. dialog. cap. 34. quod ex timore, & amore procedunt; vel ex D. Bernardo ſerm. 3. de Epiph. ex Deuotione, pœnitentia, & fraterna compaſſione: Quare ad diſcernendum veras à falſis lachrymas, ſeu num à Deo, an ab alijs ſint cauſis, earum pręcipuè motiuum attendi debet: & ijs, qui diuinitus illis donantur cum gratiarum actione tale ſuſcipientibus donum, duo vitanda ſunt extrema, vnum complacentiæ, & arrogantię, ne ſcilicet in illo nimis ſibi complaceant, & extollantur, ſuamue inde ſanctitatem, & profectum ſpiritualem metiantur: alterum puſillanimitatis, & diffidentiæ, ne forte putent actum eſſe de perfectione, & ſalute ſua, ſi illud deſit, ſiue à Deo illis ſubtrahatur. Vbertas namque lachrymarum neminem ſanctum facit, nec inopia peccatorem.

Septima. Vbi in viſionibus, & apparitionibus, alijſque impreſſionibus conſolatio in anima relinquitur, nulla præcedente eius cauſa, certum eſt argumentum illas à Deo eſſe; proprium eſt enim illius ſuam ingredi creaturam, & illam in amorem ſui totam conuertere. Tunc autem nulla cauſa præcedere dicitur, quando nec ſenſibus, nec intellectui, nec voluntati quidpiam obiectum eſt, quod huiuſmodi conſolationem cauſare poſſit.

Octaua. Si poſt timorem ſucceſſerit gaudium à Domino veniſſe auxiliũ docuit S. Antonius, vt habetur in eius vita, quia ſecuritas animæ præſentis maieſtatis iudicium eſt. Si autem incuſſa formido permanſerit, hoſtis eſt, qui videtur. Hunc regulam, pro diſcernendis veris à falſis impreſſionibus cui ſubſeruit D. Bernardus ſerm. de vtilit. verb. Dei. *Sonans*, inquit, *in auribus animæ vox diuina conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuo, ſi bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat*. Refert, & laudat D. Thomas 3. p. qu. 30. art. 3. ad 3 rationemque affert, quia ex hoc ipſo, quod homo ſupra ſeipſum eleuatur, pars eius inferior debilitatur, ex quo

prouenit perturbatio: ſicut etiam calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt. Sic Daniel conſternatus eſt initio viſionis: ſic B. Virgo ad Angeli ſalutationem turbata eſt; ſic commotus eſt Zacharias viſo Angelo, & timor irruit ſuper eum: ſic Apoſtoli in transfiguratione Domini ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde; Sic denique Ioannes initio reuelationum cecidit tanquam mortuus, ex ingenti pauore veluti exanimatus.

Nona. Non exiguum eſt diuinæ impreſſionis argumentum, ſi ea reuelentur, & ad ea exercitia, & opera communiter amplectenda impellamur, quę ætati, in qua degimus, ſunt peculiariter accommodata, maximè ex vſu vniuerſalis Eccleſiæ. Sicut nullum temporum delectum habere, quo ad plura accidentalia, & indifferentia, etiam in rebus ſacris, & Eccleſiaſticis, ſed potius contra cōmunem Eccleſiæ vſum, cuius in his rebus eadem ſemper authoritas fuit, propriæ ſententiæ adhærere, velleque poſteriora ſemper tempora ad priora reuocare non videtur bonum ſapere ſpiritum, affectata maximè in hoc quadam ſingularitate, nec non aliorum contemptu.

Decima. In impreſſionibus locutiones aliquas inuoluentibus, ſignum eſt illas à Deo eſſe; ſi quæ audiuntur verba ſuum ſtatim bonum conſequantur effectum. Loquutio enim Dei efficaciſſima eſt, ſtatimque effectum ſuum operatur: *Viuus eſt enim ſermo Dei*, inquit Apoſtolus, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum*. Quapropter eodem momento, & loquitur Deus, & operatur, ſtatimque efficit in anima, quod enuntiat: vt ſi afflictæ, & anxiæ dicat, *Noli timere*; omnis protinus mæſtitia, omnis perturbatio ſedatur Et ſic de alijs, quorum plura habentur exempla in actis Sanctorum. Certe de S. Matre Thereſia legitur in eius vita, quod, cum initio ſuæ conuerſionis à ſæcularium amicitijs difficile ſe expediret, orans aliquando audiuiſſet in intimo animæ ſuæ hæc verba: *Iam nolo amplius te cum hominibus conuerſari, ſed cum Angelis*. Huiuſmodi verbis ita repente mutata eſt, vt deinceps non potuerit amicitiam habere, & conſolationem, niſi cum ſeruis, & amicis Dei, & cum ijs, qui de oratione, & rebus diuinis tractabant.

Vndecima. Indicium quoque eſt diuinæ locutionis, cum in ea verba clarius intelliguntur, quam ſi auribus exciperentur; & ſi quis ea audire recuſet, & obluctetur non poteſt tamen impedire, quin ipſa mente percipiat, & animam impellant, quo Deus vult. Item ſi quæ dicuntur procul ab humana intelligentia remota ſunt, breuiſſimoque temporis ſpatio adeo multa audiuntur, vt nullo modo potuerint ab humano ingenio tam cito excogitari, & intelligi; ac tandem ſi verba audita memoria nunquam excidant.

Duodecima. Cum impreſſiones diuinæ poſt ſe conſolationem, ſummamque animæ quietem, & tranquillitatē poſt ſe relinquant; diabolicæ ex aduerſo initio vanam ſecuritatem afferunt, in fine ariditatem, diffidentiam diuini auxilij, & deſperationem inducunt. Quia autem duo ſunt genera hominum bonorum, & malorum: bonis ea ſuggerit, quæ moleſtiam, & ſcrupulos cauſent; malis ea quæ deſinant in ſenſuum delectationem. Ad illos aſpere, & turbulenter ingreditur: ad hos placide, ſuauiter, & benigne, qui iam ſunt ſui.

Decimatertia. Satis frequens, & ordinarium diabolicæ impreſſionis argumentum eſt ardens, & indiſcretum deſiderium omnes ad Deum conuertendi, quam tentationem communem eſſe, multiſque cauſam irreparabilis ruinæ experientia conſtat, docetque Sancta Mater Thereſia lib. vitæ ſuæ cap. 13. Nam cum par eſſet, inquit, quod poſthabita aliorum cura ſibi duntaxat incumberent, ſeduloque attenderent, quomodo oporteat ambulare, & place-

re Deo;

re Deo; ipſi potius aliorum ſaluti procurandæ dant operam: cumq; vix poſſint in via virtutis greſſus figere, per difficiles ſemitas alios ducere audent. Certum eſt igitur ſemper bonum eſſe errantium conuerſionem deſiderare, at cum illi incumbere poſſit eſſe malum, magna in hoc cautio adhibenda eſt, vbi quis ſe ad illud munus impelli deprehendit, ne cum alijs prædicauerit ipſe reprobus efficiatur. De quo vide Sanctum Bernardum ſerm. 18. in Cant.

Decimaquarta. Quia dœmones permittente Deo nedum imaginarijs, ac ſenſibilibus impreſſionibus illudere hominibus poſſunt, verum inſuper corpus eorum obſidere, & ingredi, qui propterea energumeni, arreptitij, dœmoniaci, ſiue poſſeſſi appellantur. Cum enim energema, ſeu operatio dœmonis in homine fiat dupliciter, nimirum ſpiritualiter, quando cor hominis poſſidet, & in illo operatur, ſicut in Euãgelio dicitur intraſſe in cor Iudæ ſuggerens illi vt Chriſtum traderet; & corporaliter, idque vel extrinſecus per vexationes, & moleſtias homini forinſecus illatas, quæ operatio dicitur ſimplex obſeſſio; vel intrinſecus, quando hominem inuadit, intuſque vexat, & exagitat, quæ operatio dicitur ſimpliciter poſſeſſio. Vt enim aliquis verè ſit energumenus ſiue arreptitius, non ſufficit vexatio extrinſeca, ſicut S. Iob, Sanctum Antonium, atque alios Sanctos à dœmonibus moleſtatos fuiſſe legimus; ſed requiritur vt diabolus ſit in illo intime præſens ſicut motor in mobili, & in eo aliquid operetur. Signa autem veræ poſſeſſionis dœmoniacæ, quam dari præter ſacras litteras, & Eccleſiaſticam hiſtoriam, omnium Doctorum conſenſus, ipſaque teſtatur experientia, deſumuntur ex quibuſdam operationibus, ſubſtantiæ enim ſpirituales, vt Theologi communiter docent cum D. Thoma dicuntur eſſe in loco per ſuam operationem. Huiuſmodi operationes ſunt, agreſtes, ac feri mores, vultus truculentus, clamores, & vlulatus, ſtupor membrorum, inquietudo, vitalium operationum priuatio, aliaque ſimilia, ſed cum hæc ſigna ſint æquiuoca inhabitantis dœmonis, & ad alias cauſas referri poſſint, atque adeo leuem tantum generare ſuſpicionem, vehementior oritur ex quibuſdam alijs inſolitis actionibus, vt cum quis in ignem deijcitur, vel in aquam: cum laqueo, vel præcipitio vitam ſibi adimere tentat; cum catenas præduras frangit, vel onera vires ſuperantia portat: cum blaſphemias profert, ſacrarumque rerum præſentiam, & contactum horret. Signa autem vniuoca, ac fere certa ſunt, cum quis lingua peregrina loquitur, quam nunquam penitus didicit: cum litterarum, atque artium ignarus legit, ſcribit, & ex arte, ſiue Muſicè cantat; aut de rebus altiſſimis diſſerit, qui nunquam ſtuduit: cum occulta reuelat adeò ignota, vt nulla induſtria, vel humano ingenio ſciri poſſint, ſiue præterita ſint, ſiue præſentia, ſiue futura: cum eodem temporis momento, quo fiunt, enarrat quæ facta ſunt in remotiſſimis regionibus: cum iuſſus recitare Symbolum Apoſtolorum, vel petere veniam peccatorum omnino renuit; cum ceſſante vexatione eorum, quę dixit non recordatur, aut de his interrogatus neſcit reſpondere.

Verum autem Angeli Sancti poſſint ita poſſidere homines interius, ſicut arreptitios? negant abſolutè aliqui id fieri poſſe, non ſolum per illapſum in animam ſolius Dei proprium, quod omnes admittunt, verum etiam in corpus. Licet enim dubium non ſit, quin Angeli Sancti operando in corpore hominis, ſint intra terminos quantitatis illius, hoc tamen aiunt non eſt illum obſidere, alias dum in ſanctis operantur, eſſent obſeſſi. Alij tamen affirmant dummodo non ſit cum priuatione vſus rationis, quod malis Angelis competit. Quia potentior non eſt dœmon ad nocendum, bono Angelo ad cuſtodiendum, & hominem dirigendum;

quod igitur præſtat dœmon in arreptitijs nocendo; multo magis hoc exhibere poterit bonus Angelus in his, quos regit, adiuuando.

Decimaquinta. Conſolationes ſpirituales, quæ in ſola mente percipiuntur, & iam adultæ virtutis comites ſunt, atque charitati dant incrementum, certum quidem ſunt diuinarum impreſſionum argumentum; ſecus autem ſenſibiles, quas etſi Deus aliquando ſuis largiatur, à dæmonibus tamen eſſe poſſunt, vel à natura, & malis communes. *Dulcis in Deum affectus*, inquit Richardus Victorinus de illis loquens in Cant. cap. 6. *quodammodo carnalis eſt, & fallax, & humanitatis interdum potius quam gratiæ, cordis quam ſpiritus, ſenſualitatis, quam rationis*. Cuius ſatis clarum eſt ſignum, quando aliqui hac vbertate ſenſibilis conſolationis repleti adeo indiſcretè ſe gerunt, vt nimium indulgentes affectui, vel ſeipſos vltra vires externis pœnitentiæ operibus excrucient, cum notabili ſalutis corporalis damno, vnde poſtea vitæ ſpiritualis nauſea; vel multa temerè ſtatuant, & ad ea vota ſe obligent, quibus poſtea natura ſuccumbit, & illo impetu ſedato ſeruari non poſſunt. Quando enim talia, & ſimilia à Deo inſpirantur, dat conſequenter vires, vt poſtea executioni fideliter mandentur.

Decimaſexta. In impreſſionibus cum extaſi, vel raptu coniunctis, cum rapta mens multitudine cogitationum, & ſpeciebus creaturarum occupatur, aut diſtortis phantaſmatibus perturbatur, ſignum eſt eas à Deo non procedere, nam in vero raptu in vno Deo defixa mens, & in ipſo mirabiliter ſubſiſtens omnium obliuiſcitur, quæ extra ipſam ſunt, nec poteſt aliquid velle, niſi quod ipſe vult. Tametſi in diuinis impreſſionibus extaticis aliqui per plures dies ſine potu, & cibo permaneant, hoc tamen non probat eas eſſe tales, niſi aliundè conſtet, multas ſiquidem multorum hiſtorias referunt Medici, qui citra miraculum abſque cibo, & potu diu vixerunt, & incolumes fuerunt.

Decimaſeptima. Si quod reuelatur eo tendat, vt opus aliquod grande, & inuſitatum ſtatuat, non ſtatim ei reuelationi tanquam diuinæ credendum, ſed ad iudicium ſuperiorum referenda eſt. Cum ſæpe etiam dœmones bonum aliquod ſuggerant, quod maius, & perfectius videtur, vt falſa eius ſpecie mens decepta ab eo, quod verè bonum eſt recedat, & malo ſenſim adhæreat: vel quæ propriæ vocationis, & profeſſionis ſunt derelinquat. Vt dum vxori alligato ſuadetur vita eremitica, ſolitudini addicto gentium conuerſio. Et ſic de ſimilibus.

Decimaoctaua. Quia ex veris, & diuinis impreſſionibus ſemper anima proficit in veritatis cognitione, & in doctrina, ac ſcientia Sanctorum, propterea, quando ſermo hominis poſt illas cæleſtem ſapientiam redolet, non leue eſt veritatis earum argumentum, falſitatis autem quando quis per multa phantaſmata, multaſque ambages in ſermone vagatur; verba grandia, magnifica, inuſitata profert, quibus non veritatem ſuadeat, ſed admirationem audientibus, ſibique laudem conciliet.

Ad quartam denique claſſem pertinent illæ regulæ, quæ deſumuntur ex varijs circumſtantijs, falſitatem, aut veritatem impreſſionum prodentibus; Quarum *Prima* debet attendi penes quemdam internum loquendi modum; qui enim in illis cœleſtes ſuſurros interna cordis aure excipere videntur, ſignum eſt illas à Deo eſſe; à maligno verò ſpiritu, quando vox quaſi de foris veniens, & ſpiritus quidam auditur. Proprium eſt enim Dei in animum intime illabi, diaboli extrinſecus aduenire.

Secunda deſumitur ex parte modi mouendi. Deus enim in ſuis impreſſionibus bonos ſuauiter, malos aſpere mouet; dœmon autem in ſuis malos

fouet,

fouet, bonos terret. Vndè valdè obſeruanda eſt hominis, & ſpiritus ſimilitudo, vel diſſimilitudo: agunt enim contrario modo cum his, qui ſibi contrarij ſunt. Dœmon peccatoribus ſeculi illecebras proponit, & ſenſuum delectationes; inanem ſpem diuinæ miſericordię ingerit, vt differatur pœnitentia, & peccatorum cumulus augeatur. Iuſtos verò tanquam diſſimiles ſcrupulis diuexat, vanoque metu, & varijs angoribus torquet, vt eum tedio, quæ Dei ſunt operentur, illaue deſerant. At Deus malos, vt pote diſſimiles, durius pulſare ſolet, conſcientię ſtimulis pungendo, mortis, ac inferni timore concutiendo, nullamque ſinendo in rebus ſeculi habere quietem; bonos autem mulcet, adiuuat, exhilarat. Sic D. Auguſtinus lib. 11. Confeſſ. cap. 9. dicebat Deo: *Quid eſt illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum ſine læſione, & inhorreſco, & inardeſco? Inhorreſco in quantum diſſimilis ei ſum, inardeſco in quantum ſimilis ei ſum.*

Tertia eſt ex parte durationis. Impreſſiones enim diuinæ in anima, internaque iucunditas ex illis procedens diuturnæ non ſunt, quia mens diuini luminis claritate reuerberata ad ſeipſam ſtatim reuocatur, & ad infirmitatis ſuæ tenebras fracta relabitur. Quare quod Apoc. 8. dicitur, factum eſſe ſilentium in cælo quaſi media hora, per hoc multi Patres myſtice ſignificari volunt breuitatem quietis in rerum cæleſtium contemplatione, aut reuelationibus, quas Deus Sanctis in hac vita concedit. Sicque D. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 23. explicat illud Iob. 4. *Et cum ſpiritus me præſente tranſiret inhorruerunt pili carnis meæ. Non ſtat,* inquit, *ſed tranſit ſpiritus, quia ſupernam lucem noſtra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abſcondit. In hac ſiquidem vita quantalibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis ſuæ ſtimulum ſentit.* Quocirca ſuſpectę eſſe debent illorum impreſſiones, quas ſemper ſe habere, actualemque in illis cum Deo vnionē gloriantur. Etſi enim legamus fuiſſe nonnullos eximię, & heroicæ perfectionis ſanctos, qui per plures horas, aut etiam dies ex ſpeciali Dei gratia intimam eum ipſo vnionem habuerūt, hoc tamen rariſſimum eſt, paucíſque conceſſum. Iſta enim non interrupta delitiarum, vel gaudiorum fruitio patriæ eſt, non exilij.

Quarta petitur ex libertate habendi huiuſmodi impreſſiones; qui enim iactant ſe illas habere, vel rapi quandocumque voluerint non ſunt credendi, ſed potius ſignum eſt, illas à Deo non eſſe, nemini enim datur raptus, vel extaſis per modum habitus, ſed diuina gratia ad ſe animam trahit quando vult, & quomodo vult. Item eum pro arbitrio ſuo ceſſant ab illis, vel ad certam vocem reuocantur ad ſenſus, quia virtus diuina non eſt verbis alligata, niſi ſit vox ſuperioris ex obedientia vocantis: quod tamen ſignum non eſt infallibile, niſi cætera concurrant.

Quinta ex claritate, & efficacia verborum, quæ in impreſſionibus aliquando audiuntur. Quando enim à Deo ſunt, clarius intelliguntur, quam ſi auribus exciperentur; & ſi quis ea audire recuſet, & obluctetur, non tamen poteſt impedire, quin ipſa mente percipiat, & animam appellant, quo Deus vult. Sicut legimus S. Matrem Thereſiam Vitæ ſuę cap. 25. integro ferè biennio his intermiſs loquutionibus, omni qua potuit contentione reſtitiſſe; ſed irrito ſemper conatu.

Sexta, ex parte loci. Quæ enim impreſſiones tam extaticæ, quam alię in quibus verba externè proferuntur, contingunt in locis publicis, & vbi maior hominum frequentia eſt, valde ſuſpectum eſſe debet eas diuinas eſſe; Deus enim ducit in ſolitudinem, & loquitur ad cor noſtrum, fugitque omnem illud quod vanam gloriam in nobis excitare poteſt, aut ad captandum auram popularem.

Septi-

Septima ex parte memoriæ. Quæ enim à Deo reuelantur, aut in raptu videntur, & audiuntur, menti firmiter hærent etiam poſt longum tempus: vnde ſi omnium obliuiſcitur, morbus potius, aut illuſio diabolica, quam vera exſtaſis cenſeri debet.

Octaua ex modo loquendi, vbi in impreſſione aliqua interuenit locutio. Quando enim Deus verè loquitur, id humano non præſtat modo, vnum verbum poſt aliud proferens, ſed plures ſimul ſententias breui momento promit. Quomodo S. Brigitta regulæ cap. 29. eam ſibi à Chriſto reuelatam fuiſſe teſtatur, quam poſtea ſcripſit.

Nona tandem potiſſimum ex certitudine deſumenda eſt. Quando enim aliqua impreſſio verè à Deo eſt, ex lumine infuſo, quo anima eius imbuitur, certitudo Dei reuelantis, & rerum reuelatarum colligitur, ſicut lumine naturali prima ſcientiarum principia cognoſcimus, & ex ijs concluſiones inferimus. Aut ſicut vox & ſe, & loquentem, & rem cuius eſt ſignum manifeſtat: ita ſupernum hoc lumen non ſolùm Deum reuelantem, & ea quæ reuelantur, verum etiam ſeipſum palam facit. Quia tamen hoc lumen non ſemper adeſt in diuinis reuelationibus, aut ſi adeſt, vt certi ſimus de illis, non tamen vt earum intelligentiam ſemper habeamus, ſanum conſilium eſt eas ſuperiori, aut magiſtro ſpirituali referre, qui ex regulis traditis iudicet, *vtrum diuina iuſſio nulla nutet incerto*, vt monet D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 2. paſſimque docet S. Mater Thereſia paſſim in ſuis operibus, & ipſa quod docuit, ſingulari ſemper exemplo firmauit.

Hactenus de præcipuis regulis, vel ſignis, quibus dignoſci debent veræ, & diuinæ impreſſiones à falſis, & dæmoniacis. Quarum ſingulæ licet ad id non ſufficiant, omnes tamen ſimul, vel collectiuè ſumptæ tantam certitudinem moralem efficiunt, vt vix in hac re poſſit errari, ſi diligenter perpendantur. Illud verò aduertendum eſt, quod licet diſcretio in ferendo iudicio de his impreſſionibus, quæ in alio fiunt, minus certa videatur, quam de his quas iudicans in ſeipſo experitur; quia tamen affectus ad res proprias mentem à recto facile obducit, tutius eſt illas ab alio potius, quam à ſeipſo probari, & ad prudentem directorem confugere. Quo etiam munere vt rectè fungatur, quia omne bonum deſurſum eſt, & ſine diuina gratia omnes conatus noſtri inutiles ſunt, ipſius auxilium humili prece ante omnia implorare debet, vt mittat deſuper ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, qui depulſa caligine mentem illuſtret, æternæque veritati faciat ſemper adhærere, quæ nec falli, nec fallere poteſt.

CAPVT VII.

Vtrum, quæ in diuinis impreſſionibus interdum fiunt reuelationes priuatæ, pertineant ad fidem communem, ſiue per illam credi debeant.

CIrca hanc difficultatem, qua huic libro ſeptimo finem imponimus, & breuiter abſoluemus, varia ſunt Theologorum placita, vnde pro illius intelligentia, & reſolutione animaduertendum eſt Primo reuelationes priuatas hic à nobis diſtingui, & ſumi contra eas, quæ nobis ab Eccleſia authoritate publica proponuntur. Vnde reuelationes diuinæ dupliciter dici poſſunt priuatæ: Vno modo, quia non proponuntur per Eccleſiam credendæ, ſed modo ſolum particulari alicui fiunt; ex parte tamen obiecti, vel materiæ reuelatæ verſantur circa aliquod in verbo diuino ſcripto, aut tradito contentum; vt ſi Deus illi declararet aliquod myſterium ibi comprehenſum quod Eccleſia nondum declarauit, nec credendum fidelibus propoſuit; taleſque reuelationes vocantur priuatæ ſolum ex parte modi proponendi, non autem ex parte materiæ reuelatæ.

Alio

Alio modo dicitur reuelatio priuata, quando ex parte materiæ non pertinet ad fidem communem, aut Chriſtianam, id eſt, ad aliquid in diuina Scriptura, vel traditione contentum, vt ſi Deus reuelaret alicui, quot ſtellæ ſunt in cœlo, & arenæ in mari, aut alia ſimilia, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia.

Secundo notandum eſt, duplicem poſſe diſtingui fidem, vnam communiter dictam, alteram verò Theologicam. Prior eſt illa, quæ in ſuo conceptu dicit præcisè credere Deo, poſterior autem, quæ non ſolum hoc dicit, verum inſuper credere Deum, vt obiectum, & in Deum, vt finem vltimum, vt explicat Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 2. ſtatimq. dicemus. Cuius etiam diſtinctionis exemplum adduci poteſt in virtute ſpei, ſiquidem non poſſumus ſperare à Deo per ſpem Theologicam propriè dictam, niſi beatitudinem æternam, & ea, quæ ad illam ordinantur, vt docent omnes Theologi; ideoque ſi à Deo promitteretur aliquid nō ſpectans ad beatitudinem, Exempli gratia, nouam creare ſtellam, aut nouum Angelum, poſſet quidem id ſperari à Deo ſpe communiter dicta, non tamen ſpe Theologica, niſi reductiuè, qualis talis ſpes, nec non pariter fides communiter dicta poteſt appellari.

Sic ergo nonnulli Doctores abſolutè docent, quod in quacunque materia verſetur diuina reuelatio priuata, vbi eſt certa, ei credi debere per fidem communem, ac Theologicam. Alij verò diſtinguentes vt ſupra reuelationem diuinam, aſſerunt priuatam quidem ex parte materiæ reuelatæ, tali fide credi non debere; ſecus tamen ſi ſit priuata ſolum ex parte modi proponendi, non autem ex parte rei propoſitæ; alij denique negant reuelationem priuatam quocunque modo ſumptam eſſe obiectum fidei Catholicæ, vel Theologicæ, exiſtimantes ad illam requiri publicam Eccleſiæ propoſitionem. Nos quid probabilius ſentiendum videtur breuiter aperiemus ſequentibus dictis.

Primùm igitur dico, ſi per fidem Catholicam, quæ eſt etiam Theologica intelligatur fides vniuerſalis, qua proponente Sancta Matre Eccleſia, aliquid vbique creditur à fidelibus, certum eſſe, quod priuatæ reuelationes, quamuis ſint de materia in ſcripturis, aut traditione contenta, nequaquam ad talem fidem pertineant, ſintque illa credendæ; ſi quidem, vt ſupponimus, non proponuntur per Eccleſiam credendę, ſed alicui duntaxat modo particulari, & priuato fiunt à Deo; loquendo igitur de fide modo dicto ſumpta, illa non ſunt credendæ. Et in hoc non poteſt eſſe difficultas.

Secundò dico, probabilius eſſe, quod reuelationes priuatæ, tam ex parte modi proponendi, quam ex parte rei propoſitę, aut reuelatæ, credendæ non ſint fide Theologica propriè dicta, ſed reductiuè tantum. Sumitur ex D. Thoma 1. p. qu. 1. art. 8. ad 2 vbi ait: *Innititur fides noſtra reuelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem reuelationi, ſi qua fuit alijs Doctoribus facta*. Item 2. 2. qu. 5. art. 3. habet, *quod formalis ratio obiecti fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima*. Quod idem ait q. 5. de charit. art. 13. ad 6. Vnde Sanctum Doctorem communiter ſequuntur eius diſcipuli, aliiq; plures.

Ratio autem fundamentalis, magiſque efficax huius veritatis deſumitur ex ipſamet natura fidei, quam Apoſtolus Hebr. 11. definit, quod ſit *ſubſtantia rerum ſperandarum*; quam definitionem vt veram, & eſſentialem acceptant Theologi, indeque docent eſſe virtutem Theologicam ordinantem circa finem vltimum, idque illi conuenire eſſentialiter, & per ſe ex obiecto, nam vt ait D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5.

Obie-

Obiectum per ſe fidei eſt id per quod homo Beatus efficitur, reliqua autem per accidens. Et ratio eſt, quia fides Theologica, ſiue qua Chriſtiani, & fideles ſumus debet eſſentialiter eſſe in aliqua ſpecie virtutis, neque enim poteſt eſſe in genere niſi ſit in ſpecie, non autem in alia, quam virtutis Theologicæ. Atque adeo neceſſe eſt, quod habeat pro obiecto ſpecificatiuo quod ipſum Deum, qui eſt finis vltimus; nec poſſit proprie ferri in alia, niſi pro vt ad illum pertinent, illique ſubordinantur, qualia de facto ſunt illa ſolum, quæ in diuinis ſcripturis, & traditionibus habentur: Quando igitur Deus aliqua alia præter illa priuatim alicui reuelat, credi quidem poſſunt, & debent fide diuina communiter dicta, vt præcisè dicit credere Deo reuelanti, non autem fide Theologica, qua creditur Deus vt obiectum, & in Deum vt vltimum finem; quæ tamen fides diuina communiter dicta dici poteſt reductiuè pertinere ad fidem Theologicam tanquam actus imperfectus, quatenus, vt ſic Theologica, credit etiam Deo reuelanti; vel ad prophetiam, aut actualem quamdam illuſtrationem, qua mens inclinatur ad iudicandum, & aſſentiendum certò de illis rebus reuelatis; nam etiam ad prophetiam pertinet iudicare, & aſſentiri rebus prophetatis, vt docet S. Thomas 2.2. q. 173. art. 2.

Confirmatur hæc ratio. Quia vbi non eſt eadem ratio formalis in ſpecie credendi fidei Catholicæ, & Theologicæ, ibi non poteſt eſſe eadem fides in ſpecie, vt ſatis per ſe patet; ſed in reuelatione priuata tàm ex parte modi proponendi, quàm ex parte materiæ propoſitæ, ſeu obiecti reuelati, non eſt eadem ratio formalis in ſpecie fidei Catholicæ, & Theologicæ, ſi quidem talis ratio, ſeu obiectum ſpecificatiuum completum iſtius non ſolum eſt credere Deo, ſed credere Deum vt obiectum, & in Deum vt vltimum finem, pro vt in diuinis habetur Scripturis, & traditionibus, nobiſque proponitur ab Eccleſia, ita vt Deus creditus nō ſit quomodocunque obiectum ſpecificatiuum quod ſeu materiale fidei, vt alij dicūt, ſed primarium, quod etiam pertinet ad ſpecificationem, vt docet D. Thomas 2.2. q. 1. art. 1. At verò in reuelatione priuata ratio formalis credendi eſt præcisè credere Deo reuelanti, & non Deum reuelatum, vt vltimum finem, quæque ad illum pertinent, & conſequenter in Verbo Dei ſcripto, vel tradito continentur, ſi quidem vt ſupponimus quod in tali reuelatione docetur, eſt aliquid non pertinens ad vltimum finem, atque adeo extra Scripturam, & traditionem; In reuelatione igitur priuata non eſt eadem ratio formalis credendi, ſeu quaſi in ſpecie, ac in fide Theologica, ſed quaſi in genere, & ſecundum rationem fidei communiter dictam, vt præcisè dicit credere Deo, reductiuè tamen pertinens ad fidem Theologicam, vel ad prophetiam, aut aliam actualem quandam illuſtrationem, vt dictum eſt.

Ex his ſequitur, eum, cui fieret talis reuelatio priuata, eique nollet credere, non fore propriè hæreticum etiam in foro interiori, dummodo tamen crederet ijs, quæ ab Eccleſia proponuntur credenda ex Scriptura, aut traditione. Quamuis enim videatur impoſſibile, aut ſaltem valde difficile, quod nolit aliquis credere Deo reuelanti, certò ſciens illam reuelationem eſſe ab ipſo, & ſimul velit ei credere reuelanti per Eccleſiam; dicendum eſt tamen illum talem in eo caſu, fore quidem infidelem, quia non credit Deo, ſed infidelitate quadam priuata, qua non vult credere reuelationi diuinæ particulari, non autem infidelitate, quę propriè, & formaliter ſit hæreſis, reducitur tamen ad illam, ſicut fidem illi oppoſitam diximus etiam poſſe reduci ad fidem Theologicam. Cum autem tres duntaxat aſſignentur infidelitatis ſpecies

cies

cies, Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis, iſtæ ſunt tantum conſuetæ, & ordinariæ, illa verò eſſet extraordinaria, ſicut & caſus, reductiuè tamen ad hæreſim ſpectans, quod non inconuenit.

Tertio dico reuelationes priuatas ex parte tantum modi proponendi, quia ſcilicet per Eccleſiam non proponuntur, ſed alicui tantum particulari à Deo fiunt, pertinere proprie ad fidem Catholicam, & Theologicam, eaque credi debere, dummodo ex parte materię reuelatæ ſint de aliquo contento in diuinis ſcripturis, vel traditionibus. Ratio eſt, quia verſantur circa idem obiectum, ac fides Theologica, quodque alias cunctis fidelibus credendum proponere poteſt Eccleſia Catholica, licet actu non proponat, & ordinantur ad eumdem finem, & innituntur eidem rationi formali ſub qua, nimirum teſtimonio Dei, ſiue primę veritatis reuelantis, ſolumque Deus ſupplet per ſeipſum Eccleſiæ propoſitionem, quod nō variat eſſentialiter fidem; talis enim propoſitio, vt ſatis patet non intrat intrinſecam eius ſpecificationem; Non eſt igitur cur præfatę reuelationes propriè non ſpectent ad fidem Catholicā, & Theologicam; quamuis vt explicatum eſt in primo dicto Catholica dici nequeat denominatione proueniente ab actuali propoſitione Eccleſiæ Catholicæ, ſed aptitudinali tantum.

Sic Prophetæ, & Apoſtoli veram habuerunt fidem Theologicam, quam tamen Eccleſia non proponebat illis, ſed Deus, & ipſi Eccleſiæ nomine Dei. Sic in Scriptura plures leguntur reuelationes priuatæ, quæ poſſunt dici creditæ per hanc fidem, ab ijs, quibus fuerunt factæ, quia licet eſſent priuatę ex modo proponendi, tamen non erant tales ex parte materiæ, ſed referebantur ad fidem noſtram, præſignando Chriſtum, nec non ad alia diuina myſteria, quæ tunc ante Scripturam in traditione habebantur, & ex illa ab Eccleſia vniuerſali credebantur; vt quando Saræ fuit facta reuelatio de filio Iſaac, & iſti de duobus geminis, aliæque ſimiles. Vnde quando dicitur non eſſe adhibendam fidem reuelationi priuatæ, id intelligendum eſt de reuelatione priuata ſecundo, & non primo modo ſuperius explicato. Dumque etiam *cap. cum iniuncto de hereticis*, additur credi non debere niſi vel miraculo comprobetur, vel euidenti teſtimonio Scripturæ, male colligitur inde reuelationem omnino priuatam, ſi certa ſit, debere credi fide Theologica; primo enim textus non loquitur ibi de reuelatione priuata, ſed de miſſione ad prędicandum; deinde etiam ſi loqueretur, vel extendi poſſet ad ſpecialem, aut priuatam reuelationem, non loquitur de modo, quo creditur ab eo cui fit; ſed de modo quo eſt acceptanda ab Eccleſia, ſi eam ipſi reuelaret, aut notam faceret; id nimirum fieri non debere niſi miraculo, vel ſufficienti Sacræ Scripturæ teſtimonio comprobaretur; nec tamen ait tunc eſſe acceptam, tanquam rem definitam de fide, eaque credendam, ſed permitti poſſe, aut haberi pro legitima in ſuo genere, nimirum reuelationis priuatæ, & ſpecialis, quemadmodum multę in Eccleſia reuelationes Sanctorum habentur vt permiſſæ, non verò vt definitæ, aut ad credendum propoſitæ.

Similiter & Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. dum prohibet huiuſmodi reuelationes prædicari ſine approbatione, & examine Eccleſiæ, loquitur de permiſſione earumdem, quod ſcilicet ſtante eius approbatione poſſint fidelibus prędicari, non autem debeant fide Theologica credi. Ac demum vbi in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. dicitur, neminem certo ſcire poſſe ſe eſſe in Dei gratia, niſi per reuelationem, non loquitur de reuelatione, quæ ſit obiectum fidei Theologicæ, credaturque per illam, ſed per aliquam diuinam illuſtratio-

ſtrationem reſpectu eius, cui fit reuelatio, per quam reuelationem infallibilem certitudinem haberi poſſe de ſtatu gratiæ ſine fide Theologica certum eſt. Tantumque ſit de hac difficultate, nec non de toto hoc opere, quod pro gratiarum, actione, Sanctiſsimæ Trinitati Patri, & Filio, & Spiritui Sancto Vni Deo, vtinam cedat ad maiorem eius gloriam, & honorem, nec non Sacroſanctæ Humanitatis Chriſti Domini, Beatiſsimæ Virginis Mariæ eius Matris, atque totius Curiæ Cœleſtis. Amen.

F I N I S.

I N D E X
ALPHABETICVS

Præcipuarum rerum in hoc ſeptimo, & vltimo Bibliothecæ Theologicæ Tomo contentarum.

A

ADAMAS quorum ſymbolum. pag. 90.
Adulatoris ſymbolum. 65. 69.
Amatoris Dei ſymbolum ceruus. 57.
Quatuor Ezech. & Apocal. animalia quorum ſymbolum. 122. 172.
Amoris proprietates, & effectus. 766.
Amplexus myſticus quid. 186.
Annihilatio myſtica quid. 185.
Apis quorum ſymbolum. 74.
Aqua ſapientiæ ſymbolum. 67.
Aqua quorum ſymbolum. 74. 109.
Aquila ſymbolum Dei. 53. *Iuſtorum.* 84. *Superborum.* 93.
Arena inſtabilitatis ſymbolum. 100. *item arundo.* 103.
Aurum purgatum ſymbolum pij tribulati. 73.
Aurora quorum ſymbolum. 73.
Auſtri Ciuitates quorum ſymbolum. 89.

B

BEneuolentiæ Principum ſymbolum ros. 68.
Butyrum quorum ſymbolum. 82.
De Beatitudinibus. 484.

C

CAElum quorum ſymbolum. 85.
Ceruus quorum ſymbolum. 97.
De actibus Caſtitatis. 396.
Chriſti ſymbolum Stella, & Virga. 53. *Item vermis, & aqua.* 56.
Chriſtus in ære figuratus. 91. *In Auro-*

ra. 93. in Sole 98. in Gallina. 105. in Luce. 108. & 109. in Agno. 108. in Vite. 112. in Lapide angulari. 116. in Leone. 122.
Chriſti aduentus ſymbolum. 60.
Chriſti humanitatis ſymbolum. 74. Flos Campi, & lilium conuallium. 70.
Chriſti zeli, & charitatis ſymbolum. 73.
Chriſti regni ſymbola Sol, Luna, & Arcus cæleſtis. 61.
Chriſti crucifixi ſymbolum. 50.
Chriſti Iudicis ſymbolum Fulgur. 105.
Quod Sacroſancta Humanitatis Chriſti meditatio nunquam ſit in oratione excludenda. 780.
De Charitate Perfectorum. 748.
de actibus Clementiæ, & continentiæ. 404.
Conſtantia animæ in Deo ſymbolum. 49.
Columba quorum ſymbolum. 59. 87.
Cor cuius ſymbolum. 90.
Coruus quorum ſymbolum. 97.
Conſuetudinis malæ ſymbolum. 94.

D

DIuinitatis ſymbolum. 51. 58. 88. 91. 92.
Diuinæ clementiæ ſymbolum. 50.
Diuinæ iræ ſymbolum. 52.
Diuinæ maieſtatis, ac prouidentiæ ſymbolum. 63.
Diuinæ Sapientiæ ſymbolum. 74.
Doloris Pœnitentium ſymbolum. 58.
de Donis Spiritus Sancti. 428.

E

EBrietas ſpiritualis quid. 114. 186.
Eccleſiæ ſymbolum. 50.
Eccleſiæ unitatis ſymbolum. 83.
Eccleſiæ perſecutionum ſymbola. 94.
Eccleſiæ creſcentis ſymbolum. 106.
Euangelicæ prædicationis ſymbolum. 56. 58.

F

VOcationis ad fidem ſymbolum. pag. 49.
Febris quorum ſymbolum. 101.
Ficus quorum ſymbolum. 54.
Quomodo ad fidem pertineant reuelationes priuatæ. 870.
Bons cuius ſymbolum. 86.
Formica quorum ſymbolum. 66.
de Fortitudinis actibus.
Fulgur quorum ſymbolum. 106.

G

GAllina quorum ſymbolum. 105.
de Gratitudinis actibus. 369.
de Gratiis gratis datis. 850.

H

HÆreticorum ſymbola. 120. & 121.
Hedera voluptatum mundi ſymbolum. pag. 96.
de Humilitatis actibus. 419.
Hydropiſis ſymbolum diuitis auari. 107.

I

IGnis quorum ſymbolum. 50. 58. 118. 168.
Imber cuius ſymbolum. 95.
de Incipientium defectibus. 286.
Iræ ſymbolum. 65.
Iræ Principum ſymbolum leo. 67.
Iris quorum ſymbolum. 50.
Iudicum iniquorum ſymbolum lupi. 98.
Iuſtificationis ſymbolum. 49.
Iuſti ſymbolum columba. 58. Palma, & cedrus. 62. Paſſer. 65. Myrthus. 98.
Iuſtorum tribulationis ſymbolum. 60.

Lapi-

2

L

Lapides pretioſi quorum ſymbolum. pag. 71.
Legis Euangelicæ ſymbolum. 50.
Lignum plantatum ſecus decurſus aquarum cuius ſymbolum. 56.
Lilium quorum ſymbolum. 71.
Lupus quorum ſymbolum. 86. 121.
Quid liquefactio myſtica. 184.
Lutum opum ſymbolum. 97.

M

Manna quorum ſymbolum. 51.
Mel quorum ſymbolum. 66. 82.
Miſericordiæ diuinæ ſymbolum. 50.
Mons quorum ſymbolum. 82.
Quid mors Myſtica. 185.
de Mortificatione Incipientium. 285.
de Actibus Magnanimitatis, & Magnificentiæ. 382.
de Actibus manſuetudinis. 404.
Modeſtiæ. 407.
Mulieris nequam ſymbolum coluber. 76.
Bonæ verò Sol. ibid.
Muſcæ quorum ſymbolum. 69.
Myrrha quorum ſymbolum. 70.
Nominis Myſterij etymologia, & variæ ſignificationes. 179.

N

Nubes quorum ſymbolum. 69. 83. 87. 90.

O

De actibus obſeruantiæ, & obedientiæ. 365.
Odor bonus quorum ſymbolum. 117.
Oliua cuius ſymbolum. 54. 89.
Oleum cuius ſymbolum. 70.
Orationis ſymbola. 123. & 128.
De oratione Incipientium propria. 259.
De oratione Proficientium propria, eiuſque diuiſione. 540. & ſequent. tum diſpoſitionibus. 561. & effectibus. 570.
Quid oſculum myſticum: 186.
Quid otium myſticum. 184.
Oues quorum ſymbolum. 102.

P

Paralyſis quorum ſymbolum. 102.
Pœnitentium ſymbolum. 63.
Pardus quorum ſymbolum. 88. & 89.
Paſtoris boni ſymbolum. 51.
De paſſionibus 208. & ſequent.
Perdix quorum ſymbolum. 90.
Peccati ſymbolum ſanguis. 92. abſinthiũ. 95. lepra. 101. tenebræ. 117.
Peccatorum pœnæ ſymbola. 130.
De peccatis venialibus. 533.
De actibus patientiæ, & perſeuerantiæ. pag. 383.
De actibus paupertatis. 426.
De actibus pietatis. 363.
Perſeuerantia in bono typus terra. 68.
De Perfectorum defectibus. 801.
de Proficientium defectibus. 570.
Piſces quorum ſymbolum. 96.
Purgatio actiua partis Intellectiuæ Incipientium. 194.
Purgatio actiua eorumdem quo ad ſenſus externos 199. & quoad internos. 201.
Item de purgatione actiua eorumdem quo ad partem appetitiuam. 204.
De purgatione paſſiua eorumdem quo ad omnes eius partes. 248. quo ad media. 249. quo ad neceſſitatem. 251. quo ad effectus. 252. quo ad ſigna. 253.
De purgatione proficientiũ propria. 532.
De diuina præſentia exercitio. 277.

R

De raptu, & extaſi, pertinentibuſque ad ipſa. 842. & ſequent.
de Regulis dignoſcendi veras, ac diuinas impreſſiones à falſis. 858.
de Religionis actibus. 361.
Roſa quorum ſymbolum. 81.

I N D E X

S

SAl quorum ſymbolum. 100.
Semen quorum ſymbolum. 103.
Silentium myſticum quid. 183.
Sol quorum ſymbolum. 76.
Spina quorum ſymbolum. 90. 96. 103.
Spiritus Sancti ſymbolum aqua. 109. inſufflatio. 111. Ventus validus, & linguæ igneæ. ibidem.
De Spiritus Sancti fructibus. 484.
Stella Epiſcoporum ſymbolum. 121.
Quid ſuſpenſio myſtica. 183.
Nominis ſymboli etymologia, variaque ſignificata. 1.
Symbolicæ Theologiæ definitio. 3.
Symbolica Theologia quomodo argumentatiua. 5.
Sacrorum ſymbolorum efformandorum regulæ. 8.
Quis ſymbolorum ſenſus. 12.
Symbolicæ Theologiæ antiquitas, 15. dignitas. 17. neceſſitas. 19.
Quatuor ſymbolicæ Theologiæ cauſæ. 27.
Symbolicæ Theologiæ diuiſio in verbalem, & realem. 28: In externam, & internam. 30. per ordinem ad potentias, ibid. ad artes, & ſcientias. 31.
Symbolicæ Theologiæ verbalis ſubdiuiſio in Metaphoricam ſimplicem, Allegoricam, Parabolicam, Prouerbialem, Aenigmaticam, Emblematicam, & fabularem. 34.
Item realis in ſuas partes, aut ſpecies. 47.
Symbola ex rebus naturalibus deſumpta. 125: Item ex rebus artefactis. 136. & ſequentibus.

T

TErra quorum ſymbolum. 68. 88.
Tinea quorum ſymbolum. 92.
Torrens quorum ſymbolum. 65.
Theologia Myſtica unde ſic denominata. pag. 180.
Theologia myſtica alia directiua, alia elicitiua. ibid.
De Theologia myſtica elicitiua generice ſumpta, eiuſque diuiſione. 188.
Theologia myſtica Incipientium propria. 192. Proficientium. 294. & Perfectorum. 591.
De actibus Temperantiæ.

V

VEntus quorum ſymbolum. 68.
De actibus veracitatis. 371.
De Virtutibus in communi, earumque diuiſione. 299
De tribus virtutibus Theologicis. 310.
De quatuor virtutibus Cardinalibus. 337
De virtutibus Exemplaribus, Politicis, Purgatorys, Purgati animi, & Heroicis. 486.
De virtutum proprietatibus. 490.
De medijs acquirendi virtutes. 513.
De virtutum augmento. 517.
Vitis cuius ſymbolum. 54.
Breuitatis vitæ ſymbolum. 61.
Vrſa quorum ſymbolum. 67.
Vulpis quorum ſymbolum. 107.
Quid unio Myſtica. 609. quis eius terminus. 119. qui effectus, quæ ſymbola tum verbalia, tum realia. 350. & ſequent.
De vnione myſtica in ſpecie ſecundum partem intellectiuam. 659. & ſeq.
Secundum partem appetitiuam. 718. ac demum ſecundum partem ſenſitiuam internam, & externam. 805. & ſeq.

Z

ZIzania quorum ſymbolum. pagina 104.

F I N I S.

REGE-

REGESTVM.

† †† ††† †††† ††††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſſ

Omnes ſunt Duerniones.

R O M AE,

Typis Philippimarię Mancini. M.DC.LXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.